Digitized by Google

162
H
54.

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
H
54
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

BREVIARIUM ROMANUM

EX DECRETO

SS. CONCILII TRIDENTINI

RESTITUTUM

S. PII V. PONTIFICIS MAXIMI

JUSSU EDITUM

CLEMENTIS VIII. ET URBANI VIII.

AUCTORITATE RECOGNITUM

EDITIO POSTREMA NEAPOLITANA

Aucta Officiis Sanctorum Novissime per Summos Pontifices usque ad hanc diem concessis.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.III. NAPOLI

NEAPOLI

TRAMATER EXCUDEBAT

MDCCCXLVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

SUMMA BULLARUM

SUMMORUM PONTIFICUM

PRO EDITIONE HUJUS BREVIARII.

Pius V. Bulla, quæ incipit, *Quod a nobis*, data Romæ septimo Idus Julii anno 1558, significat causam edendi hujus Breviarii, nempe ad tollendam orandi varietatem.

Enarrat ea, quæ in hac re præstitere Paulus et Pius nomine Quarti, et quam ipse adhiberi operam curavit, ex Decreto Concilii Tridentini.

Tollit et abolet omnino Breviarium a Cardinale Sanctæ Crucis compositum, quod erat brevissimum. Item alia Breviaria Romana, et alia, quæ ex institutione vel consuetudine legitima non superant ducentos annos.

Permittit tamen ut antiquiora ducentis annis possint mutari in hoc Breviarium, iis omissis, si Episcopus et universum Capitulum consentiant.

Revocat omnes permissiones, consuetudines, statuta, privilegia, licentias, et indulta precandi et psallendi more et ritu prædictorum Breviariorum suppressorum.

Præcipit observari hoc Breviarium in toto orbe, cum exceptione 200 annorum, de qua supra.

Statuit in eo nihil mutandum, addendum, et detrahendum.

Obligat quosque, qui tenentur Horas Canonicas recitare, ut hoc utantur Breviario, alias non satisfaciant muneri suo.

Jubet omnibus Prælatis, ut hoc introducant tam in Choro, quam extra Chorum.

Tollit peccati obligationem, quæ erat recitandi in Choro Officium parvum beatæ Mariæ Virginis et Defunctorum, Psalmos Pœnitentiales, et Graduales, justa Rubricas Breviarii.

Hortatur ut recitentur eadem, propositis Indulgentiis dierum centum recitantibus Officium parvum beatæ Mariæ Virginis et Defunctorum: quinquaginta recitantibus Psalmos Pœnitentiales et Graduales, quando Rubricæ ea præscribant.

Non tamen tollit laudabilem consuetudinem, ubi est, recitandi Officium parvum beatæ Mariæ Virginis in Choro, imo eamdem confirmat, et tandem tempus decernit obligationis ad usum Breviarii post ejusdem publicationem.

Clemens VIII. Bulla, quæ incipit *Cum in Ecclesia*, data Romæ die 10 Maii anno 1620, declarat se per viros pios et eruditos Breviarium Romanum a Pio V. editum, et progressu temporis in multis depravatum, examinasse, et in statum pristinum restituisse, illudque sic restitutum in Typographia Vaticana imprimi et divulgari jussisse.

Digitized by Google

Prohibet ne alibi imprimatur nisi juxta exemplar Vaticanum, et habita Ordinariorum licentia, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Interdicit sub iisdem pœnis usum Breviariorum impressorum absque tali Ordinariorum licentia in scriptis, quæ fidem faciat de collatione facta prædictorum Breviariorum cum Originali Romano: cujus etiam licentiæ copia initio vel in calce cujusque Breviarii semper imprimatur. Prædictis Ordinariis prohibet ne aliquid addi, vel detrahi permittant; et hoc sub pœna excommunicationis, suspensionis a divinis, ac interdicti ab ingressu Ecclesiæ. Verumtamen in gratiam pauperum, Breviaria hactenus impressa vendere, apud se retinere, ac illis uti permittit.

URBANUS VIII. Bulla, quæ incipit *Divinam Psalmodiam*, data Romæ die 25 Januarii anno 1631, declarat se, piorum doctorumque virorum adhibita cura, Breviarium a Pio V. editum, et a Clemente VIII. recognitum, a pluribus mendis expurgasse: Hymnos ad metri et latinitatis regulas revocasse: in Psalmis et Canticis interpunctionem editionis vulgatæ restituisse: Sermones, Homilias et Sanctorum historias, collatis veteribus manuscriptis, recognovisse. Quamobrem jubet ut juxta hanc correctionem Romæ imprimatur, alibi juxta Romanum exemplar excudatur, servatis conditionibus in suprascripta Clementis Bulla enumeratis, quas fere iisdem verbis repetit, adiungens easdem conditiones servandas in impressione eorum, quæ a Breviario Romano ortum habent, cujusmodi sunt Missalia, Diurnalia, Officia parva beatæ Mariæ Virginis, Officia majoris Hebdomadæ, et alia id genus.

Ex Decretorum Registro S. Rituum Congregationis haec ad Breviarium Romanum attinent.

SACRA Rituum Congregatio declaravit et decrevit non potuisse post Bullam S. Pii V. de Breviario Romano, neque posse locorum Ordinarios, tam Sæculares quam Regulares, addere Kalendariis, etiam propriis Sanctorum Officia, nisi ea duntaxat, quæ Breviarii Romani Rubricis, vel sacræ Rituum Congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur: neque propria auctoritate, quovis prætextu, mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano seu Rubricis Breviarii, in altiorem ritum: neque extendere concessa Officia de loco ad locum.

Item vetuit et prohibuit celebrari per totam civitatem vel Diœcesim, etiam de cujuscumque Ordinarii auctoritate, Festum cum Officio, eo quod in loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis, aut aliqua Reliquia; sed tantum in ipsius Sancti Ecclesia titulari, seu ubi asservatur corpus, aut insignis Reliquia, et non alibi.

Insignes autem Reliquias declaravit esse caput, brachium, crus, aut illam partem corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata.

Digitized by Google

De sanctis Episcopis locorum, Martyribus, civibus, et aliis Festis, de quibus in Kalendario Romano, seu Rubricis Breviarii nihil habetur, uti etiam de Beatis nondum canonizatis, nihil propria auctoritate constituatur, sed omnino consulatur sacra Rituum Congregatio.

Decretum quoque nuper editum super electione Sanctorum in Patronos, et impressum, omnino servetur.

Et hæc omnia decrevit, statuit, et mandavit, innovando pœnas Constitutionis S. Pii V. respective.

Facta demum relatione horum Decretorum sanctissimo D. N. Urbano Papæ VIII, ea laudavit et approbavit, atque ab omnibus ubique sub prædictis pœnis servari præcepit, nec non in novis Breviariis de mandato Sanctitatis suæ imprimendis apponi jussit.

Loco † Sigilli.

T. TEGRIMIUS.
Episc. Assiens. Secretarius.

Eadem pro Sanctis ad libitum.

EADEM Sacra Rituum Congregatio, habita die 2 Decembris 1673, statuit ex mandato Clementis X Festa Sanctorum ad libitum in posterum esse transferenda, si eorum festivitas incidat in Diem Dominicam, vel aliquam diem Festorum mobilium; sed tunc illo anno eorum Officia esse omittenda. Quod ipsum postea Innocentius Papa XI. in Congregatione habita 24 Januarii 1682 generali Decreto confirmavit, et extendit insuper etiam ad Octavas et Natilitia Sanctorum, de præcepto in aliqua Religione vel Diæcesi, ex indulto Apostolico recitanda. Ita ut ne quidem dictis Festis vel Octavis Festa ad libitum tunc incidentia possint recitari, sed omitti prorsus debeant.

Permisit tamen ut Festum translatum quod alias eo die celebrandum foret, in alium diem non impeditum transferatur: item ut eodem die omitti possit Officium semel per hebdomadam aut mensem recitandum ex indulto Apostolico, ut ita locus sit celebrando Officio ad libitum.

Eadem pro Sanctis in martyrologio non descriptis.

OFFICIA Sanctorum ratione Corporis, seu insignis Reliquiæ recitanda ex Decr. Sac. Rit. Cong. 11 Augusti 1691, intelligi debere de Sanctis duntaxat in Martyrologio Romano descriptis, et dummodo constet de identitate Corporis, seu Reliquiæ insignis illiusmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano descriptus; de cæteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non descriptis, aut quibus a S. Sede non fuerit specialiter concessum, Officia recitari, et Missas celebrari vetuerunt, non obstante quod ipsorum Corpora vel insignes reliquiæ in Ecclesiis asserventur, quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis debitam Fi-

Digitized by Google

delium venerationem (prout hactenus servatum est) exhibendam esse censuerunt, sed absque Officio et Missa sub pœnis de non satisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliisque in Constitutione S. Pii V. contentis.

Die 11 Augusti 1691, et Sanctissimus approbavit die 19 Octobris ejusdem anni 1691.

Loco † Sigilli.

J. VALLEMANNUS.
Sac. Rit. Cong. Secretarius.

Decreta generalia circa Rubricas.

CUM sacrorum Rituum Congregationi demisse supplicatum fuerit sequentia dubia declarare:

Primum. An, cum multis Congregationibus, Religionibus, sive Ecclesiis, vel Nationibus concessum sit a S. Sede Apostolica, ut semel vel pluries in singulis Hebdomadis vel mensibus celebrentur varia Officia per annum, verbi gratia, de SS. Sacramento, vel de Sanctis, in diebus non impeditis aliquo Festo Duplici vel semiduplici, liceat ejusmodi Officia facere etiam in diebus sanctæ Quadragesimæ, Adventus, Vigiliarum et Quatuor Temporum, etiam si de his diebus nulla sit facta specialis mentio in aliquibus Officiorum concessionibus.

Secundum. An dies impeditus Festo Duplici vel Semiduplici pro dictis Officiis recitandis, intelligantur etiam dies, in quibus ponendum est Officium de Festo Duplici, vel Semiduplici translato, quemadmodum dicitur responsum fuisse olim a Sacra Congregatione: Quod scilicet Festum Duplex, vel Semiduplex etiam translatum, nec non dies Octavæ sit dies impeditus respectu talium Officiorum.

Tertium. An Regulares absque speciali privilegio, sed sola communicatione privilegiorum aliarum Religionum possint addere nomen Sancti Fundatoris in Litaniis et Confiteor, itemque recitare Officia et Missas concessas aliis Religionibus.

Sacrorum Rituum eadem Congregatio ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Colloredo respondit.

Ad Primum Negative, et hujusmodi indulta non habere locum in Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum sive cum jejunio, sive absque jejunio, nec in Feria secunda Rogationum, nec in illa Feria, in qua secundum Rubricas sit reponendum Officium Dominicæ.

Ad Secundum. Affirmative.

Ad Tertium. Negative in omnibus.

Et ita declaravit, ac servari voluit, ac insuper ut Declarationes seu Decreta prædicta omnibus innotescant, typis ea imprimi mandavit, die 20 Martii 1706.

Loco † Sigilli.

D. CARD. CARPINEUS.

B. INGHIRAMI.
Sac. Rit. Cong. Secretarius.

Digitized by Google

DE ANNO

ET EJUS PARTIBUS.

ANNUS *menses habet duodecim, hebdomadas duas et quinquaginta, et diem unum, dies vero trecentos sexaginta quinque, et ferè sex horas : tanto enim temporis intervallo sol Zodiacum perlustrat. Quater autem sex horae singulis quaternis annis diem constituunt : hinc annus ille intercalaris, Bissextus, vel Bissextilis dicitur.*

De Anni correctione, ejusque necessitate, ac Kalendario Gregoriano.

QUOD *dictum est, annum continere trecentos et sexaginta quinque dies, et fere sex horas, intelligendum est, sex horas non esse integras, cum ad earum complementum aliqua minuta deficiant.*

Ex quorum minutorum neglectu progressum est, ac si annus ultra dies 365 contineret integras sex horas, et factum est, ut minuta, quae ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, tractu temporis ita excreverint, ut invicem juncta constituerint dies decem, qui causam dederunt, ut Æquinoctium vernum sedem suam mutaverit.

Cui malo occurrens Gregorius XIII, non solum Æquinoctium vernum restituit in pristinam sedem, a qua jam a Concilio Nicæno, decem circiter diebus in anno correctionis 1582 praecedendo recesserat, quod a Concilio ad xij Kalendas Aprilis fuerat constitutum, et xiv Lunam Paschalem suo in loco reposuit ; sed viam quoque tradidit, et rationem, qua cavetur, ut in posterum et Æquinoctium vernum, et xiv Luna Paschalis a propriis sedibus nunquam removerentur.

Ut enim Æquinoctium vernum ad xij Kalendas Aprilis restitueretur, statuit ut dicti decem dies in mense Octobris ipsius anni 1582 eximerentur ; ut post quartam diem Octobris sancto Francisco sacram sequens dies non esset quinta, sed decima quinta Octobris. Et ita error, qui in praeteritum tot annorum circulis irrepserat, in momento temporis fuit correctus.

Ut autem in posterum idem error vitaretur, ne a xij Kalendas Aprilis Æquinoctium vernum recederet, statuit idem Gregorius, Bissextum quarto quoque anno (uti mos est) continuari debere, praeterquam in centesimis annis, qui quamvis Bissextiles antea semper fuerint, qualem etiam esse voluit annum 1600. anno correctionis proximum, post eum tamen, qui deinceps consequentur centesimi, non omnes Bissextiles essent, sed in quadringentis quibusque annis primi quique tres centesimi sine Bissexto transigerentur, quartus vero quisque centesimus esset Bissextilis : ita ut anni 1700, 1800, 1900. Bissextiles non sint, anno vero 2000, more consueto, dies Bissextus intercaletur, Februario dies 29 continente; idemque ordo intermittendi intercalandique Bissextum diem in quadringentis quibusque annis perpetuo conservaretur.

Quatuor tempora.

QUATUOR *tempora celebrantur quarta et sexta Feria, ac Sabbato post tertiam Dominicam Adventus, post primam Dominicam Quadragesimæ, post Dominicam Pentecostes, post Festum Exaltationis sanctæ Crucis.*

Nuptiæ quando celebrari non possint juxta decretum Concilii Tridentini.

A DOMINICA *prima Adventus usque in diem Epiphaniæ, et a Feria quarta Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusive, sancta Synodus solemnitates nuptiarum prohibet; in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit.*

Digitized by Google

De Cyclo decennovennali Aurei numeri.

CYCLUS *decennovennalis Aurei numeri est revolutio numeri 19 annorum ab 1 usque ad 19, qua revolutione peracta, iterum ad unitatem reditur. Verbi gratia: Anno 1577, numerus Cycli decennovennalis, qui dicitur Aureus, est 1., anno sequenti 1578 est 2, et ita deinceps in sequentibus annis, uno semper amplius usque ad 19, qui Aureus numerus cadet in annum 1595, post quem iterum ad unitatem redeundum est, ita ut anno 1596, Aureus numerus sit rursus 1, et anno 1597 sit 2, etc.*

Igitur ut Aureus numerus quolibet anno proposito inveniatur, composita est sequens tabella Aureorum numerorum, cujus usus incipit ab anno correctionis 1582 inclusive, duratque in perpetuum. Ex ea enim Aureus numerus cujuslibet anni post annum 1582, reperietur hoc modo.

6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.	1.	2.	3.	4.	5

Anno 1582 tribuatur primus numerus tabellæ, qui est 6; secundus autem qui est 7, sequenti anno 1583, et ita deinceps in infinitum, donec ad annum, cujus Aureum numerum quaeris, perveniatur, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Nam numerus, in quem annus propositus cadit, dabit Aureum numerum quæsitum.

Modus brevis agnoscendi Aureum numerum cujusque anni.

NUMERO *anni, de quo quæris, adde unicam unitatem 1. Exempli gratia: Anno 1833, adde 1; summam inde conflatam divide per 19, quod superest erit Aureus numerus ipsius anni; si nihil superest, erit Aureus numerus 19.*

De Epactis et Novilaniis.

EPACTA *nihil aliud est quam numerus dierum, quibus annus Solaris communis dierum 365 annum communem Lunarem dierum 354 superat, ita ut Epacta primi anni sit 11, cum hoc numero annus Solaris communis Lunarem annum communem excedat, atque adeo sequenti anno Novilunia contingant 11 diebus prius, quam anno primo. Ex quo fit Epactam secundi anni esse 22, cum eo anno rursum annus Solaris Lunarem annum superet 11 diebus, qui additi ad 11 dies primi anni, efficiunt 22, ac proinde, finito hoc anno, Novilunia contingere 22 diebus prius, quam primo anno: Epactam autem tertii anni esse 3, quia si rursus 11 dies ad 22 adjiciantur, efficietur numerus 33; a quo si rejiciantur 30 dies, qui unam Lunationem Embolismalem constituunt, relinquentur 3, atque ita deinceps. Progrediuntur enim Epactæ omnes per continuum augmentum 11 dierum, abjectis tamen 30, quando rejici possunt. Solum quando perventum erit ad ultimam Epactam Aureo numero 19 respondentem, quae est 29, addentur 12, ut, abjectis 30 ex composito numero 41, habeatur rursus Epacta 11, ut in principio. Quod ideo fit, ut ultima Lunatio Embolismica, currente Aureo numero 19, sit tantum 29 dierum. Si enim 30 dies contineret, ut aliæ sex Lunationes Embolismicæ, non redirent Novilunia post 19 annos Solares ad eosdem dies, sed versus calcem mensium prolaberentur, contingerentque uno die tardius, quam ante 19 annos: de qua re plura invenies in libro novæ rationis restituendi Kalendarii romani. Sunt autem novemdecim Epactæ, quot et Aurei numeri, respondebantque ipsis Aureis numeris ante Kalendarii correctionem eo modo, quo in hac tabella dispositæ sunt.*

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ante Kalendarii correctionem.

Aur. num.	1.	2.	3.	4.	5.	6.
Epact.	xj.	xxij.	iij.	xiv.	xxv.	vj.

7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.
xvij.	xxviij.	ix	xx.	j.	xij.	xxiij.

14.	15.	16.	17.	18.	19.
iv.	xv.	xxvj.	vij.	xviij.	xxix.

Digitized by Google

Quia vero cyclus decennovennalis Aurei numeri imperfectus est, cum Novilunia post 19 annos Solares non præcise ad eadem loca redeant, ut dictum est, imperfectus etiam erit hic cyclus 19 Epactarum. Quamobrem ita emendatus est, ut in posterum loco Aurei numeri, et dictarum 19 Epactarum, utamur 30 numeris Epactalibus ab 1 usque ad 30 ordine progredientibus, quamvis ultima Epacta, sive quæ ordine est trigesima, notata numero non sit, sed signo hoc °. Variis autem temporibus ex his 30 Epactis respondent decem et novem Aureis numeris variæ decem et novem Epactæ, prout Solaris anni, ac Lunaris æquatio exposcit: quæ quidem decem et novem Epactæ progrediuntur, ut olim, per eumdem numerum 11, addunturque semper 12 illi Epactæ, quae respondet Aureo numero 19, ut habeatur sequens Epacta respondens Aureo numero 1, ob rationem paulo ante dictam. Id quod sequens tabella perspicuum faciet, quæ continet Aureos numeros, et Epactas inter se respondentes ab anno correctionis 1582, post detractionem x dierum, usque ad annum 1700 exclusive. Quamvis autem vulgares Epactae mutentur in Martio, re ipsa tamen in principio anni mutandæ sunt, una cum Aureo numero, in cujus locum hæ nostræ Epactæ succedunt.

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ab Idibus Octobris anni correctionis 1582 (detractis prius x diebus) usque ad annum 1700 exclusive.

Aur. num.	6.	7.	8.	9.	10.	11.
Epactæ.	xxvj.	vij.	xviij.	xxix.	x.	xxi.
	12.	13.	14.	15.	16.	17.
	ij	xiij.	xxiv.	v.	xvj.	xxvij.
	18.	19.	1.	2.	3.	4.	5.
	viij.	xix.	j.	xij.	xxiij.	iv.	xv.

Itaque si Epacta quocumque anno proposito invenienda sit, quærendus est Aureus numerus illius anni in superiori ordine illius tabellæ, quæ illi tempori, in quo propositus annus continetur, congruit. Mox enim sub Aureo numero in inferiori ordine tabellæ reperietur Epacta anni propositi, vel certe hoc signum °. Ubi ergo illa Epacta vel signum ° in Kalendario inventum fuerit, eo die Novilunium fiet. Invenietur autem Aureus numerus vel ex antecedente canone, vel ex tabella Epactarum proposito tempori congruente, tribuendo primum Aureum numerum illius tabellæ illi anno a quo usus tabellæ incipit, et secundum Aureum numerum sequenti anno, etc. Eodem modo reperietur Epacta sine Aureo numero, si prima Epacta tabellæ tribuatur illi anno, a quo ejus usus incipit, et secunda Epacta sequenti anno, etc.

Exemplum. Anno correctionis 1582, Aureus numerus est 6; nempe primus primæ tabellæ, cujus usus incipit ab Idibus Octobris dicti anni 1582, detractis prius x diebus. Erit ergo tunc Epacta xxvj, quæ sub Aureo numero 6 collocatur; fietque Novilunium die 27 Octobris, et 26 Novembris et 25 Decembris. Item anno 1583 jam correcto, Aureus numerus est 7, cui in eadem tabella supposita est Epacta vij, quæ toto eo anno in Kalendario Novilunia indicabit, ut in Januario die 24, in Februario die 22, in Martio die 24, etc.

Tabella litterarum Dominicalium ab Idibus Octobris anni correctionis 1582 (detractis prius x diebus) usque ad annum 1700 exclusive.

c	b	A g	f	e	d	c b	A	g	f	e d	c	b	A
g f	e	d	c	b A	g	f	e	d c	b	A	g	f e	d

Usus hujus tabellæ hic est. Anno correctionis 1582 post Idus Octobris (detractis prius x diebus) tribuatur littera c primæ cellulæ, et sequenti anno 1583 littera b secundæ, et anno 1584 dentur litteræ A, g tertiæ cellulæ, et sic deinceps aliis annis ordine aliæ cellulæ tribuantur, donec ad annum propositum perventum sit, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam

Digitized by Google

percurreris. Nam cellula, in quam annus propositus cadit, dummodo minor sit quam annus 1700, dabit litteram Dominicalem propositi anni: quæ si unica occurrerit annus erit communis; si vero duplex, Bissextilis; et tunc superior littera Dominicam diem ostendet in Kalendario a principio anni usque ad festum sancti Mathiæ Apostoli; inferior autem ab hoc festo usque ad finem anni. Exempli gratia: Sit invenienda littera Dominicalis anno 1587; numera ab anno 1582, quem tribue primæ litteræ c, usque ad annum 1587, tribuendo singulis cellulis singulos annos (computando geminas litteras quascumque, superiorem, et inferiorem, pro una cellula) cadetque annus 1587 in litteram d, quæ sextum locum in tabella occupat. Est ergo toto eo anno littera Dominicalis d, annusque communis est, cum littera simplex occurrat. Rursus, sit investiganda littera Dominicalis anno 1616; numera ab anno 1582, ut dictum est, usque ad annum 1616, redeundo ad principium tabellæ postquam eam percurreris, perveniesque ad duas hasce litteras c b, septimo loco positas. Est ergo annus ille Bissextilis, cum duplex littera occurrat, superiorque littera c Dominicam diem indicabit a principio anni illius usque ad Festum sancti Mathiæ, inferior autem b in reliqua parte anni.

Alia Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ab anno 1833 inclusive, usque ad annum 1900 exclusive.

Aur. num.	*10.*	*11.*	*12.*	*13.*	*14.*	*15.*
Epactæ.	*ix.*	*xx.*	*j.*	*xij.*	*xxiij.*	*in.*

16.	*17.*	*18.*	*19.*	*1.*	*2.*	*3.*
xv	*xvj.*	*vij.*	*xviij °.*	*xj.*	*xxij.*	

4.	*5.*	*6.*	*7.*	*8.*	*9.*
iij.	*xiv.*	*xxv.*	*vj.*	*xvij.*	*xxviij.*

Ad tollendam dubitationem de usu hujus novæ Tabellæ Epactarum, ostendemus rem exemplis. Anno 1833 tribuatur Epacta ix, quæ sub Aureo numero 10 collocatur, fientque Novilunia 23 Januarii, 20 Februarii et 22 Martii. Item anno 1834 tribuatur Epacta xx sub Aureo numero 11 collocata; quæ toto eo anno in Kalendario Novilunia monstrabit, ut in Januario die 11, in Februario die 9, in Martio die 11. Et sic deinceps per ordinem annis progredientibus, redeundo ad principium Tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Rursus anno 1862 Epacta non signatur numero, sed hoc signo ° quod collocatur sub Aureo numero 1, et in Kalendario toto eo anno Novilunia indicabit; nimirum in Januario die 1 et 31, in Martio (nam in Februario nullum tunc Novilunium, cum in eo signum hoc ° non reperiatur) die 1 et 31, in Aprili die 29, etc.

Tabella litterarum Dominicalium ab anno 1833 usque ad annum 900 exclusive

f	e	d	c b	A	g	f	e d	c	b	A	g f	e	d	c

b A	g	f	e	d c	b	A	g	f e	d	c	b	A g		

Usus autem hujus Tabellæ hic est. Anno 1833 tribuatur littera f primæ cellulæ et sequenti anno 1834 littera e, et sic deinceps ceteris annis ordine aliæ cellulæ tribuantur, donec ad annum propositum perventum sit, redeundo ad principium Tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Nam cellula, in quam annus propositus cadit, dabit Litteram Dominicalem propositi anni. Quæ si unica occurrit, annus erit communis; si vero duplex, Bissextilis, et tunc superior littera Dominicalem diem ostendet in Kalendario a principio anni usque ad Festum sancti Mathiæ Apostoli, inferior autem ab hoc Festo usque ad finem anni.

De indictione.

INDICTIO *est revolutio 15 annorum ab 1 usque ad 15, qua revolutione peracta, iterum reditur ad unitatem, initiumque sumit quilibet annus hujus cycli a Januario in Bullis pontificiis. Etquoniam indictionum fre-*

Digitized by Google

quens usus est in Diplomatibus et Scriptu is publicis, facile annum Indictionis currentem quolibet anno proposito inveniemus ex sequenti Tabella, cujus usus perpetuus est: initium tamen sumit ab anno correctionis 1582.

Tabella Indictionis ab anno correctionis 1582.

10.	11.	12.	13.	14.	15.	1.	2.
3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	

Nam si anno 1582 tribuas primum numerum, qui est 10, et sequenti anno 1583 secundum numerum, qui est 11, et sic deinceps usque ad annum propositum, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris, cadet annus propositus in Indictionem, quæ quæritur.

De Festis Mobilibus.

QUONIAM *ex decreto sacri Concilii Nicæni Pascha, ex quo reliqua Festa Mobilia pendent, celebrari debet die Dominico, qui proxime succedit xiv Lunæ primi mensis (is vero apud Hebræos vocatur primus mensis, cujus xiv Luna vel cadit in diem verni Æquinoctii, quod die 21 mensis Martii contingit, vel propius ipsum sequitur) efficitur, ut si Epacta cujusvis anni inveniatur, et ab ea in Kalendario notata inter diem octavum Martii inclusive, et quintum Aprilis inclusive (hujus enim Epactæ xiv Luna cadit vel in diem Æquinocti verni, id est, in diem 21 Martii, vel eum propius sequitur) numerentur inclusive deorsum versus dies quatuordecim, proximus dies Dominicus diem hunc xiv sequens (ne cum Judæis conveniamus, si forte dies xiv Lunæ caderet in diem Dominicum) sit dies Paschæ.*

Exemplum. Anno 1605 Epacta est x, et littera Dominicalis b. Et quoniam invenimus Epactam x inter diem 8 Martii et 5 Aprilis inclusive positam esse è regione diei 21 Martii, a quo inclusive si deorsum versus numerentur 14 dies, inveniemus xiv Lunam die 3 Aprilis, quæ est Dominica, cum è regione illius sit littera Dominicalis b.: ne igitur cum Judæis conveniamus, qui Pascha celebrant die xiv Lunæ, sumenda est littera Dominicalis b, quæ sequitur xiv Lunam, nempe ea quæ è regione diei 10 Aprilis collocatur, atque eo anno Pascha celebrandum erit die 10 Aprilis. Item anno 1604 Epacta est xxix, et duplex littera Dominicalis d c, cum annus ille sit Bissextilis. Si igitur ab Epacta xxix, quæ è regione diei 1 Aprilis ponitur inter diem 8 Martii et 5 Aprilis inclusive, numerentur dies 14, cadet xiv Luna in diem 14 Aprilis. Et quia tunc currit posterior littera Dominicalis, nempe c, quæ post diem 14 Aprilis, id est, post xiv Lunam collocata est è regione diei 18 Aprilis, celebrabitur eo anno Pascha die 18 Aprilis.

Cæterum ut facilius omnia Festa Mobilia inveniantur, compositæ sunt duæ sequentes tabulæ Paschales, una antiqua, et nova altera. Ex antiqua ita Festa Mobilia reperientur. In latere sinistro tabulæ accipiatur Epacta currens, et in linea litterarum Dominicalium sumatur littera Dominicalis currens, infra tamen Epactam currentem; ita ut si littera Dominicalis currens reperiatur è regione Epactæ currentis, assumenda sit eadem littera Dominicalis proxime inferior. Nam è regione hujus litteræ Dominicalis omnia Festa Mobilia continentur.

Exemplum. Anno 1606 Epacta est xxj et littera Dominicalis A. Si igitur in tabula antiqua sumatur littera Dominicalis A, quæ primo infra Epactam xxj occurrit, reperietur è regione hujus litteræ Dominica Septuagesimæ die 22 Januarii, dies Cinerum 8 Februarii. Pascha 26 Martii, Ascensio Domini 4 Maii, Pentecostes 14 Maii, et Festum Corporis Christi 25 Maii. Dominicæ autem inter Pentecosten et Adventum eo anno erunt 28, et Adventus celebrabitur die 3 Decembris: et sic de cæteris. Item anno 1605 Epacta est x, et littera Dominicalis b, quæ in tabula reperitur è regione Epactæ x. Quare sumenda est alia littera b, quæ proxi-

Digitized by Google

me infra Epactam invenitur, e regione cujus invenies Septuagesimam die 6 Februarii, diem Cinerum 23 Februarii, Pascha 10 Aprilis; etc.

Notandum autem est quod, quemadmodum in anno communi, cadente litterâ Dominicali è regione Epactæ in tabula antiqua, sumitur eadem littera proxima infra Epactam, ut diximus; ita quoque in anno Bissextili, si alterutra duarum litterarum Dominicalium tunc currentium è regione Epactæ reperiatur, assumendæ sunt aliæ duæ similes litteræ proxime inferiores, ut Festa Mobilia inveniantur.

Ex tabula vero Paschali nova ita eadem Festa Mobilia reperientur. In cellula litteræ Dominicalis currentis quæratur Epacta currens. Nam è directo omnia Festa Mobilia deprehendentur. Ut anno 1609 in cellula litteræ Dominicalis d, tunc currentis, è regione Epactæ xxiv, quæ eodem anno currit, habetur Septuagesima die 15 Februarii, dies Cinerum 4 Martii, Pascha 19 Aprilis etc.

Sed sive antiqua, sive nova tabula Paschali utamur, inveniendæ sunt omnia Festa Mobilia in annis Bissextilibus per litteram Dominicalem posteriorem, quæ nimirum currit post Festum sancti Mathiæ Apostoli, ne scilicet ambigamus, utra duarum litterarum pro hoc aut illo Festo indagando accipienda sit: ita tamen, ut Septuagesimæ et diei Cinerum inventæ in Januario aut Februario addatur unus dies. Quod ideo fit, quia ante diem sancti Mathiæ currit prior littera Dominicalis, quæ in Kalendario posteriorem semper sequitur; post Festum autem sancti Mathiæ in Februario, licet posterior littera currat, additur tamen tunc dies intercalaris, ita ut dies 24 Februarii dicatur 25, et dies 25 dicatur 26, etc. Quod si dies Cinerum cadat in Martium, nihil addendum est, quia tunc et littera posterior currit, et dies mensis propriis numeris respondent, cum dies intercalaris Februario sit additus. Imo nisi per posteriorem litterum investigarentur, non inveniretur recte Septuagesima in anno Bissextili currente Epacta xiv vel xxv, et littera Dominicali d c, ut in secundo ac tertio exemplo perspicuum fiet pro annis 4088 et 3784.. Exempli gratia: anno 2096 Bissextili, Epacta erit v et litteræ Dominicales A g. Si igitur per posteriorem litteram, quæ est g, Festa Mobilia investigentur, reperietur Septuagesima die 11 Februarii, et dies Cinerum 28 Februarii. Si autem addatur unus dies, cadet Septuagesima in diem 12 Februarii, quæ est Dominica, et dies Cinerum in diem 29 Februarii, quæ est Feria quarta. Pascha autem et reliqua Festa in eos dies cadent, qui in tabula expressi sunt. Item anno 4088 Bissextili, Epacta erit xxiv, et litteræ Dominicales d c. Si igitur per litteram c, quæ posterior est, inquirantur Festa Mobilia, invenietur Septuagesima die 21 Februarii, et si addatur unus dies, cadet in diem 22 Februarii, quæ est Dominica. Dies autem Cinerum cadet in diem 10 Martii: quare nihil additur, etc. Rursus anno 3784 Bissextili, Epacta erit xxv, et litteræ Dominicales d c. Ergo iterum per posteriorem c reperietur Septuagesima die 21 Februarii, hoc est, addita 1 die, 22. Quod si per priorem litteram d in utroque horum duorum annorum agendum esset, nihil efficeretur, cum infra Epactas xxiv, et xxv littera d indicet Septuagesimam die 15 Februarii, quod falsum esset, cum eo anno posterior littera c Pascha offerat die 25 Aprilis, ac proinde Septuagesima die 22 Februarii celebranda sit; ut liquido constat, si, a die Paschæ, Dominicæ retro numerentur usque ad Septuagesimam.

In priori porro tabula Paschali antiqua reformata, Epactis ad sinistram præposuimus Aureos numeros eodem ordine, quo ante emendationem Kalendarii collocari solebant, ut ex iis Festa Mobilia invenirentur. Hoc autem idcirco a nobis factum est, ut Pascha, cæteraque Festa Mobilia, a Concilio Nicæno usque ad annum 1582 quilibet indagare possit. Eodem autem

prorsus artificio ex Aureis numeris ita distributis Festa Mobilia eruuntur, quo ex Epactis. Sit enim explorandum, exempli causa, quando Festa hæc celebrata fuerint anno 1450. Quoniam eo anno Aureus numerus fuit 7, et littera Dominicalis d, si Aureus numerus 7 in sinistro latere accipiatur et prima littera d infra eum occurrens, reperietur è regione hujus litteræ d, Septuagesima die 1 Februarii, dies Cinerum 18 Februarii, Pascha die 5 Aprilis etc..

Adventus Domini celebratur semper die Dominico, qui propinquior est Festo sancti Andreæ Apostoli, nempe a die 27 Novembris inclusive ad diem 3 Decembris inclusive: ita ut littera Dominicalis currens, quæ reperitur in Kalendario a die 27 Novembris usque ad diem 3 Decembris, indicet Dominicam Adventus. Ut verbi gratia, si littera Dominicalis est g, Dominica Adventus cadet in diem 2 Decembris, quia ibi est littera g in Kalendario, etc.

Ad finem tandem tabularum Paschalium apposita est tabula temporaria multorum annorum, è regione quorum omnia Festa Mobilia inveniuntur: quæ quidem tabula ex tabulis Paschalibus excerpta est, ex quibus infinitæ aliæ erui possunt pro quibuscumque annis.

Digitized by Google

Tabula Paschalis

ANTIQUA REFORMATA.

A. N.	Cyclus Epact.	L. D.	Septuag.	Dies Cin.	Pascha.	Ascens.	Pentec.	Cor. Chr.	D. ae post Pen.	D. nica prima Adv.
16	XXIII		Jan.	Feb.	Mar.	Apr.	Mai	Mai		
5	XXII	*d*	18	4	22	30	10	21	28	29 N.
	XXI	*e*	19	5	23	1Ma.	11	22	28	30
13	XX	*f*	20	6	24	2	12	23	28	1 D.
2	XIX	*g*	21	7	25	3	13	24	28	2
	XVIII	*A*	22	8	26	4	14	25	28	3
10	XVII	*b*	23	9	27	5	15	26	27	27 N.
	XVI	*c*	24	10	28	6	16	27	27	28
18	XV	*d*	25	11	29	7	17	28	27	29
7	XIV	*e*	26	12	30	8	18	29	27	30
	XIII	*f*	27	13	31	9	19	30	27	1 D.
15	XII	*g*	28	14	1Ap.	10	20	31	27	2
4	XI	*A*	29	15	2	11	21	1 Ju.	27	3
	X	*b*	30	16	3	12	22	2	26	27 N.
12	IX	*c*	31	17	4	13	23	3	26	28
1	VIII	*d*	1 *Fe.*	18	5	14	24	4	26	29
	VII	*e*	2	19	6	15	25	5	26	30
9	VI	*f*	3	20	7	16	26	6	26	1 D.
	V	*g*	4	21	8	17	27	7	26	2
17	IV	*A*	5	22	9	18	28	8	26	3
6	III	*b*	6	23	10	19	29	9	25	27 N.
	II	*c*	7	24	11	20	30	10	25	28
14	I	*d*	8	25	12	21	31	11	25	29
3	I	*e*	9	26	13	22	1 Ju.	12	25	30
	XXIX	*f*	10	27	14	23	2	13	25	1 D.
11	XXVIII	*g*	11	28	15	24	3	14	25	2
	XXVII	*A*	12	1 *Ma*	16	25	4	15	25	3
19 25	XXVI	*b*	13	2	17	26	5	16	24	27 N.
8 XXV	XXIV	*c*	14	3	18	27	6	17	24	28
		f	15	4	19	28	7	18	24	29
		e	16	5	20	29	8	19	24	30
		f	17	6	21	30	9	20	24	1 D.
		g	18	7	22	31	10	21	24	2
		A	19	8	23	1 Ju.	11	22	24	3
		b	20	9	24	2	12	23	23	27 N.
		c	21	10	25	3	13	24	23	28

Digitized by Google

TABULA PASCHALIS

Littera Dominic.	*Cyclus Epactarum.*	*Septuagesima.*	*Dies Cinerum.*	*Pascha.*
D	23.	18 Jan.	4 Febr.	22 Mart.
	22.21.20.19.18.17.16.	25 Jan.	11 Febr.	29 Mart.
	15.14.13.12.11.10.9	1 Febr.	18 Febr.	5 Apr.
	8.7.6.5.4.3.2.	8 Febr.	25 Febr.	12 Apr.
	1.*.29.28.27.26.xxv.25.24.	15 Febr.	4 Mart.	19 Apr.
E	23.22.	19 Jan.	5 Febr.	23 Mart.
	21.20.19.18.17.16.15.	26 Jan.	12 Febr.	30 Mart.
	14.13.12.11.10.9.8.	2 Febr.	19 Febr.	6 Apr.
	7.6.5.4.3.2.1.	8 Febr.	26 Febr.	13 Apr.
	*.29.28.27.26.xxv.25.24.	16 Febr.	5 Mart.	20 Apr.
F	23.22.21.	20 Jan.	6 Febr.	24 Mart.
	20.19.18.17.16.15.14.	27 Jan.	13 Febr.	31 Mart.
	13.12.11.10.9.8.7.	3 Febr.	20 Febr.	7 Apr.
	6.5.4.3.2.1.*.	10 Febr.	27 Febr.	14 Apr.
	29.28.27.26.xxv.25.24.	17 Febr.	6 Mart.	21 Apr.
G	23.22.21.20.	21 Jan.	7 Febr.	15 Mart.
	19.18.17.16.15.14.13.	28 Jan.	14 Febr.	1 Apr.
	12.11.10.9.8.7.6.	4 Febr.	21 Febr.	8 Apr.
	5.4.3.2.1.*.29.	11 Febr.	28 Febr.	15 Apr.
	28.27.26.xxv.25.24.	18 Febr.	7 Mart.	22 Apr.
A	23.22.21.20.19.	22 Jan.	8 Febr.	26 Mart.
	18.17.16.15.14.13.12.	29 Jan.	15 Febr.	2 Apr.
	11.10.9.8.7.6.5.	5 Febr.	22 Febr.	9 Apr.
	4.3.2.1.*.29.28.	12 Febr.	1 Mart.	16 Apr.
	27.26.xxv.25.24.	19 Febr.	8 Mart.	23 Apr.
B	23.22.21.20.19.18.	23 Jan.	9 Febr.	27 Mart.
	17.16.15.14.13.12.11.	30 Jan.	16 Febr.	3 Apr.
	10.9.8.7.6.5.4.	6 Febr.	23 Febr.	10 Apr.
	3.2.1.*.29.28.27.	13 Febr.	2 Mart.	17 Apr.
	26.xxv.25.24.	20 Febr.	9 Mart.	24 Apr.
C	23.22.21.20.19.18.17.	24 Jan.	10 Febr.	28 Mart.
	16.15.14.13.12.11.10.	31 Jan.	17 Febr.	4 Apr.
	9.8.7.6.5.4.3.	7 Febr.	24 Febr.	11 Apr.
	2.1.*.29.28.27.26.xxv.	14 Febr.	3 Mart.	18 Apr.
	25.24.	21 Febr.	10 Mart.	25 Apr.

Digitized by Google

Nova Reformata

Ascensio.	*Pentecostes.*	*Corpus Christi.*	*Dominicæ post Pentecosten.*	*prima Dominica Adventûs.*
30 Aprilis.	10 Maii.	21 Maii.	28	29 Novembris.
7 Maii.	17 Maii.	28 Maii.	27	29
14 Maii.	24 Maii.	4 Junii.	26	29
21 Maii.	31 Maii.	11 Junii.	25	29
28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29
1 Maii.	11 Maii.	22 Maii.	28	30 Novembris.
8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30
15 Maii.	25 Maii.	5 Junii.	26	30
22 Maii.	1 Junii.	12 Junii.	25	30
29 Maii.	8 Junii.	19 Junii.	24	30
2 Maii.	12 Maii.	23 Maii.	28	1 Decembris.
9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1
16 Maii.	26 Maii.	6 Junii.	26	1
23 Maii.	2 Junii.	13 Junii.	25	1
30 Maii.	9 Junii.	20 Junii.	24	1
3 Maii.	13 Maii.	24 Maii.	28	2 Decembris.
10 Maii.	20 Maii.	31 Maii.	27	2
17 Maii.	27 Maii.	7 Junii.	26	2
24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2
31 Maii.	10 Junii.	21 Junii.	24	2
4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Decembris.
11 Maii.	21 Maii.	1 Junii.	27	3
18 Maii.	28 Maii.	8 Junii.	26	3
25 Maii.	4 Junii.	15 Junii.	25	3
1 Junii.	11 Junii.	22 Junii.	24	3
5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	27	27 Novembris.
12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27
19 Maii.	29 Maii.	9 Junii.	25	27
26 Maii.	5 Junii.	16 Junii.	24	27
2 Junii.	12 Junii.	23 Junii.	23	27
6 Maii.	16 Maii.	27 Maii.	27	28 Novembris.
13 Maii.	23 Maii.	3 Junii.	26	28
20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28
27 Maii.	6 Junii.	17 Junii.	24	28
3 Junii.	13 Junii.	24 Junii.	23	28

Digitized by Google

Tabula Temporaria

Anni D.ni	Litter. Dom.	Aur. numer.	Epact.	Septuag.	Dies Cin.	Pascha.
1846	*d*	4	III	8 Febr.	25 Febr.	12 Apr.
1847	*c*	5	XIV	31 Jan.	17 Febr.	4 Apr.
1848	*b A*	6	XXV	20 Febr.	8 Mart.	23 Apr.
1849	*g*	7	VI	4 Febr.	21 Febr.	8 Apr.
1850	*f*	8	XVII	27 Jan.	13 Febr.	31 Mart.
1851	*e*	9	XXVIII	16 Febr.	5 Mart.	20 Apr.
1852	*d c*	10	IX	8 Febr.	25 Febr.	11 Apr.
1853	*b*	11	XX	23 Jan.	9 Febr.	27 Mart.
1854	*A*	12	I	12 Febr.	1 Mart.	16 Apr.
1855	*g*	13	XII	4 Febr	21 Febr.	8 Apr.
1856	*f e*	14	XXIII	20 Jan.	6 Febr.	23 Mart.
1857	*d*	15	IV	8 Febr.	25 Febr.	12 Apr.
1858	*c*	16	XV	31 Jan.	17 Febr.	4 Apr.
1859	*b*	17	XXVI	20 Febr.	9 Mart.	24 Apr.
1860	*A g*	18	VII	5 Febr.	22 Febr.	8 Apr.
1861	*f*	19	XVIII	27 Jan.	13 Febr.	31 Mart.
1862	*e*	1	*	16 Febr.	5 Mart.	20 Apr.
1863	*d*	2	XI	1 Febr.	18 Febr.	5 Apr.
1864	*c b*	3	XXII	24 Jan.	10 Febr.	27 Mart.
1865	*A*	4	III	12 Febr.	1 Mart.	16 Apr.
1866	*g*	5	XIV	28 Jan.	14 Febr.	1 Apr.
1867	*f*	6	XXV	17 Febr.	6 Mart.	21 Apr.
1868	*e d*	7	VI	9 Febr.	26 Febr.	12 Apr.
1869	*c*	8	XVII	24 Jan.	10 Febr.	28 Mart.
1870	*b*	9	XXVIII	13 Febr.	2 Mart.	17 Apr.
1871	*A*	10	IX	5 Febr.	22 Febr.	9 Apr.
1872	*g f*	11	XX	28 Jan.	14 Febr.	31 Mart.
1873	*e*	12	I	9 Febr.	26 Febr.	13 Apr.
1874	*d*	13	XII	1 Febr.	18 Febr.	5 Apr.
1875	*c*	14	XXIII	24 Jan.	10 Febr.	28 Mart.
1876	*b. A.*	15	IV	6 Febr.	23 Febr.	9 Apr.
1877	*g*	16	XV	28 Jan.	14 Febr.	1 Apr.
1878	*f*	17	XXVI	17 Febr.	6 Mart.	21 Apr.
1879	*e*	18	VII	9 Febr.	26 Febr.	13 Apr.
1880	*d. c.*	19	XVIII	25 Jan.	11 Febr.	28 Mart.

Digitized by Google

Festorum Mobilium

Anni D.ni	Ascens.	Pentecostes.	Corp. Ch.	Indictio.	D.cæ post Pent.	Dominica prima Advent.
1846	21 Mai.	31 Mai.	11 Jun.	4	25	29 Nov.
1847	13 Maii.	23 Maii.	3 Junii.	5	26	28 Nov.
1848	1 Junii.	11 Junii.	22 Junii.	6	24	3 Dec.
1849	17 Mai.	27 Mai.	7 Junii.	7	26	2 Dec.
1850	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	8	27	1 Dec.
1851	29 Maii.	8 Junii.	19 Junii.	9	24	30 Nov.
1852	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	10	25	28 Nov.
1853	5 Mai.	15 Maii.	26 Maii.	11	27	27 Nov.
1854	25 Maii.	4 Junii.	15 Junii.	12	25	3 Dec.
1855	17 Maii.	27 Maii.	7 Junii.	13	26	2 Dec.
1856	1 Maii.	11 Maii.	22 Maii.	14	28	30 Nov.
1857	21 Maii.	31 Maii.	11 Junii.	15	25	29 Nov.
1858	13 Maii.	23 Maii.	3 Junii.	1	26	28 Nov.
1859	2 Junii.	12 Junii.	23 Junii.	2	23	27 Nov.
1860	17 Maii.	27 Maii.	7 Junii.	3	26	2 Dec.
1861	9 Maii.	19 Mai.	30 Mai.	4	27	1 Dec.
1862	29 Maii.	8 Maii.	19 Junii.	5	24	30 Nov.
1863	14 Maii.	24 Maii.	4 Junii.	6	26	29 Nov.
1864	5 Maii.	15 Maii.	26 Maii.	7	27	27 Nov.
1865	25 Mai.	4 Junii.	15 Junii.	8	25	3 Dec.
1866	10 Maii.	20 Maii.	31 Maii.	9	27	2 Dec.
1867	30 Maii.	9 Junii.	20 Junii.	10	24	1 Dec.
1868	21 Maii.	31 Maii.	11 Junii.	11	25	29 Nov.
1869	6 Mai.	16 Maii.	27 Mai.	12	27	28 Nov.
1870	26 Maii.	5 Junii.	16 Junii.	13	24	27 Nov.
1871	18 Maii.	28 Maii.	8 Junii.	14	26	3 Dec.
1872	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	15	27	1 Dec.
1873	22 Mai.	1 Junii.	12 Junii.	1	25	30 Nov.
1874	14 Maii.	24 Maii.	4 Junii.	2	26	29 Nov.
1875	6 Maii.	16 Maii.	27 Maii.	3	27	28 Nov.
1876	18 Maii.	28 Maii.	8 Junii.	4	25	3 Dec.
1877	10 Maii.	20 Maii.	31 Maii.	5	27	2 Dec.
1878	30 Maii.	9 Junii.	20 Junii.	6	24	1 Dec.
1879	22 Maii.	1 Junii.	12 Junii.	7	25	30 Nov.
1880	6 Mai.	16 Maii.	27 Maii.	8	27	28 Nov.

Digitized by Google

KALENDARIUM

JANUARIUS.

Cyclus Epact.	*Litterae Domin.*	*Dies mensis.*		
*	A	*Kal.*	1	*Circumcisio Domini*, Duplex 2. Classis.
29	b	iv	2	Octava S. Stephani, *Duplex.*
28	c	iij	3	Octava S. Joannis Apostoli, *Duplex.*
27	d	*Prid.*	4	Octava SS. Innocentium, *Duplex.*
26	e	*Non.*	5	Vigilia Epiphaniae, *Semiduplex.* Comm. S. Telesphori. Papae et Martyris.
xxv 25	f	viij	6	*Epiphania Domini*, Duplex 1. Classis.
24	g	vij	7	De Octava Epiphaniae.
23	A	vj	8	De Octava.
22	b	v	9	De Octava.
21	c	iv	10	De Octava.
20	d	iij	11	De Octava. Comm. S. Hygini, Papae et Martyris.
19	e	*Prid*	12	De octava.
18	f	*Idib.*	13	Octava Epiphaniae, *Duplex.*
				* Dominica II. Post Epiphaniam, *Festum SS. Nominis Jesu*, Duplex 2. Classis.
17	g	xix	14	Hilarii, Episc. et Conf. *Semiduplex.* Comm. S. Felicis, Presbyteri et Martyris.
16	A	xviij	15	Pauli, primi Eremitae, *Duplex.* Comm. S. Mauri Abb.
15	b	xvij	16	Marcelli, Papae et Martyris, *Semiduplex.*
14	c	xvj	17	Antonii, Abbatis, *Duplex.*
13	d	xv	18	*Cathedra S. Petri Romae*, Duplex majus. Commemor. S. Priscae, Virginis et Martyris.
12	e	xiv	19	Canuti, Regis et Mart., *Sem. ad libitum.* Commemor. SS. Marii, etc. Martyrum.
11	f	xiii	20	Fabiani et Sebastiani, Martyrum. *Duplex.*
10	g	xij	21	Agnetis, Virginis et Martyris, *Duplex.*
9	A	xj	22	Vincentii et Anastasii, Martyrum, *Semiduplex.*
8	b	x	23	Raymundi de Pegnafort, Confessoris, *Semid.* Com. S. Emerentianae, Virginis et Martyris.
7	c	ix	24	Timothei, Episcopi et Martyris, *Semiduplex.*
6	d	viij	25	*Conversio S. Pauli Apostoli*, Duplex majus.
5	e	vij	26	Polycarpi, Episcopi et Martyris, *Semiduplex.*
4	f	vj	27	Joannis Chrysostomi, Episc., Conf. et Doct. *Dupl.*
3	g	v	28	Agnetis secundo.
2	A	iv	29	Francisci Salesii Episcopi et Confessoris. *Duplex.*
1	b	iij	30	Martinae, Virginis et Martyris, *Semiduplex.*
*	c	*Prid.*	31	Petri Nolasci, Confessoris, *Duplex.*

Digitized by Google

FEBRUARIUS

Cyclus Epact.	*Litterae Domin.*	*Dies mensis.*		
			1	Ignatii, Episcopi et Martyris, *Semiduplex.*
29	d	*Kal.*	2	*Purificatio beatae Mariae Virginis*, Duplex 2. Classis.
28	e	iv	3	Blasii, Episcopi et Martyris.
27	f	iij	4	Andreae Corsini, Episcopi et Confessoris, *Duplex.*
xxv 26	g	*Prid.*	5	Agathae, Virginis et Martyris. *Duplex.*
25 24	A	*Non.*	6	Dorotheae, Virginis et Martyris.
23	b	viij	7	Romualdi Abbatis, *Duplex.*
22	c	vij	8	Joannis de Matha, Confessoris, *Duplex.*
21	d	vj	9	Apolloniae, Virginis et Martyris.
20	e	v	10	Scholasticae, Virginis, *Duplex.*
19	f	iv	11	
18	g	iij	12	
17	A	*Prid.*	13	
16	b	*Idib.*	14	Valentini, Presbyteri et Martyris.
15	c	xvj	15	Faustini et Jovitae, Martyrum.
14	d	xv	16	
13	e	xiv	17	
12	f	xiij	18	Simeonis, Episcopi et Martyris.
11	g	xij	19	
10	A	xj	20	
9	b	x	21	
8	c	ix	22	*Cathedra S. Petri Antiochiae*, Duplex majus
7	d	viij	23	Petri Damiani, Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, *Duplex.* Comm. Vigiliae
6	e	vij	24	*Mathiae*, *Apostoli*, Duplex 2. Classis.
5	f	vj	25	
4	g	v	26	
3	A	iv	27	
2	b	iij	28	
1	c	*Prid.*		

In anno Bissextili Februarius est dierum 29, et Festum S. Mathiae celebratur 25 Februarii: et bis dicitur *Sexto Kalendas*, id est, die 24 et die 25, et littera Dominicalis, quae assumpta fuit in mense Januario, mutatur in praecedentem: ut si in Januario littera Dominicalis fuerit A, mutatur in praecedentem, quae est g, etc., et littera f bis servit 24, 25.

Digitized by Google

MARTIUS.

Cyclus Epact.	*Litteræ Domin.*	*Dies mensis.*	
*	d	*Kal.*	1	
29	e	vj	2	
28	f	v	3	
27	g	iv	4	Casimiri, Conf., *Semid.* Comm. S. Lucii, Papae et Mart.
26	A	iij	5	
xv 25	b	*Prid.*	6	
24	c	*Non.*	7	Thomae de Aquino, Confess. et Eccl. Doct., *Duplex.* Comm. SS. Perpetuae et Felicitatis, Martyrum.
23	d	viij	8	Joannis de Deo, Confessoris, *Duplex.*
22	e	vij	9	Franciscae, Viduae, *Duplex.*
21	f	vj	10	Quadraginta Martyrum, *Semiduplex.*
20	g	v	11	
19	A	iv	12	Gregorii, Papae, Conf. et Eccl. Doct., *Duplex.* * Feria vj post Dominicam Passionis Officium septem Dolorum beatae Mariae Virginis, *Duplex.*
18			13	
17	b	iij	14	
16	c	*Prid.*	15	
15	d	*Idib.*	16	
14	e	xvij	17	Patritii, Episcopi et Confessoris, *Semiduplex.*
13	f	xvj	18	
12	g	xv	19	Joseph, Sponsi B. Mariae V, Conf., *Duplex* 2 *Class.*
11	A	xiv	20	
10	b	xiij	21	Benedicti Abbatis, *Duplex.*
9	c	xij	22	
8	d	xj	23	*Annuntiatio B. Mariae V.*, Duplex 2. Classis,
7	e	x	24	
6	f	ix	25	
5	g	viij	26	
4	A	vij	27	
3	b	vj	28	
2	c	v	29	
1	d	iv	30	
*	e	iij	31	

Digitized by Google

APRILIS.

Cyclus Epact.	*Litterae Domin.*	*Dies mensis.*		
29	g	*Kal.*	1	
28	A	iv	2	Francisci de Paula, Confessoris, *Duplex.*
27	b	iij	3	
xxv 26	c	*Prid*	4	Isidori, Episcopi et Confessoris, *Duplex*
2524	d	*Non.*	5	Vincentii Ferreri, Confessoris, *Duplex.*
23	e	viij	6	
22	f	vij	7	
21	g	vj	8	
20	A	v	9	
19	b	iv	10	
18	c	iij	11	Leonis, Papae, Confess. et Eccl. Doct. *Duplex.*
17	d	*Prid.*	12	
16	e	*Idib.*	13	Hermenegildi, Martyris, *Semiduplex.*
15	f	xviij	14	Tiburtii, Valeriani et Maximi, Martyrum.
14	g	xvij	15	
13	A	xvj	16	
12	b	xv	17	Aniceti, Papae et Martyris.
11	c	xiv	18	
10	d	xiij	19	
9	e	xij	20	
8	f	xj	21	Anselmi, Episc. Confess. et Eccl. Doct. *Duplex.*
7	g	x	22	Soteris et Caii, Pontificum et Martyrum, *Semiduplex.*
6	A	ix	23	Georgii, Martyris, *Semiduplex.*
5	b	viij	24	Fidelis a Sigmaringa, Martyris, *Duplex.*
4	c	vij	25	*Marci, Evangelistae*, Duplex 2. Classis.
3	d	vj	26	Cleti et Marcellini, Pont. et Mart., *Semiduplex.*
2	e	v	27	
1	f	iv	28	Vitalis, Martyris.
*	g	iij	29	Petri, Martyris, *Duplex.*
20	A	*Prid.*	30	Catharinae Senensis, Virginis, *Duplex.*

MAJUS.

Cyclus Epact.	*Littera Domin.*	*Dies mensis.*		
28	b	*Kal.*	1	*Philippi et Jacobi, Apostolorum*, Duplex 2. Classis
27	c	vj	2	Athanasii, Episcopi Confessoris et Doctoris, *Duplex.*
26	d	v	3	Inventio S. Crucis, *Duplex 2. Classis.* Comm. SS. Alexandri, etc., Mart., ac Juvenalis, Episc. et Conf.
xxv 25	e	iv	4	Monicae, Viduae, *Duplex.*
24	f	iij	5	Pii V, Papae et Confessoris, *Duplex.*
23	g	*Prid.*	6	Joannis ante portam latinam, *Duplex majus.*
22	A	*Non.*	7	Stanislai, Episcopi et Martyris, *Duplex.*
21	b	viij	8	Apparitio S. Michaelis Archangeli, *Duplex maius.*
20	c	vij	9	Gregorii Nazianzeni, Episc., Conf. et Doct., *Duplex.*
19	d	vj	10	Antonini, Episcopi et Confessoris *duplex.* Com. SS. Gordiani et Epimachi, Martyrum.
18	e	v	11	
17	f	iv	12	Nerei, Achillei, Domitillae, Virginis atque Pancratii, Martyrum, *Semiduplex.*
16	g	iij	13	
15	A	*Prid.*	14	Bonifacii, Martyris.
14	b	*Idib.*	15	
13	c	xvij	16	Ubaldi, Episcopi et Confessoris, *Semiduplex*
12	d	xvj	17	Paschalis Baylon, Confessoris, *Duplex.*
11	e	xv	18	Venantii, Martyris, *Duplex.*
10	f	xiv	19	Petri Coelestini, Papae et Confessoris, *Duplex* Com. S. Pudentianae Virginis.
9	g	xiij	20	Bernardini Senensis, Confessoris, *Semiduplex.*
8	A	xij	21	
7	b	xj	22	
6	c	x	23	
5	d	ix	24	
4	e	viij	25	Gregorii VII, Papae et Confessoris *Duplex.* Comm. S. Urbani, Papae et Martyris.
3	f	vij	26	Philippi Nerii, Confessoris, *Duplex.* Comm. S. Eleutherii, Papae et Martyris.
2	g	vj	27	Mariae Magdalenae de Pazzis, Virginis, *Semiduplex.* Comm. S. Joannis, Papae et Martyris.
1	A	v	28	
	b	iv	29	
29	c	iij	30	Felicis, Papae et Martyris.
28	d	*Prid.*	31	Petronillae Virginis.

Digitized by Google

JUNIUS.

Cyclus Epact.	*Litterae Domin.*	*Dies mensis.*		
27	e	*Kal.*	1	
xv 26	f	iv	2	Marcellini, Petri atque Erasmi, Martyrum.
25 24	g	iij	3	
23	A	*Prid.*	4	Francisci Caracciolo, Confessoris. *Duplex.*
22	b	*Non.*	5	
21	c	viij	6	Norberti Episcopi et Confessoris. *Duplex.*
20	d	vij	7	
19	e	vj	8	
18	f	v	9	Primi et Feliciani, Martyrum.
17	g	iv	10	Margaritae, Reginae Scotiae. *Semiduplex*
16	A	iij	11	*Barnabae Apostoli.* Duplex majus.
15	b	*Prid.*	12	Joannis a S. Facundo Confessoris. *Duplex.* Comm. SS. Basilidis, etc. Martyrum.
14	c	*Idib.*	13	Antonii de Padua, Confessoris. *Duplex.*
13	d	xviij	14	Basilii Magni, Episc. Conf. et Eccl. Doct. *Duplex.*
12	e	xvij	15	Viti, Modesti atque Crescentiae, Martyrum.
11	f	xvj	16	
10	g	xv	17	
9	A	xiv	18	Marci et Marcelliani, Martyrum.
8	b	xiij	19	Julianae de Falconeriis, Virginis. *Duplex.* Commem. SS. Gervasii et Protasii, Martyrum.
7	c	xij	20	Silverii Papae et Martyris.
6	d	xj	21	
5	e	x	22	Paulini Episcopi et Confessoris.
4	f	ix	23	Vigilia.
3	g	viij	24	*Nativitas S. Joannis Baptistae.* Duplex i Classis.
2	A	vij	25	Gulielmi Abbatis. *Duplex.* Comm. Oct. S. Joannis.
1	b	vj	26	Joannis et Pauli, Martyrum. *Duplex.* Comm. Oct.
•	c	v	27	De Octava Nativitatis S. Joannis.
28	d	iv	28	Leonis Papae et Conf. *Semid.* Comm. Oct. et Vigil.
29	e	iij	29	*Petri et Pauli, Apostolorum.* Duplex i Classis.
27	f	*Prid.*	30	Commemoratio S. Pauli Apostoli. *Duplex.* Comm. Octavae S. Joannis.

Digitized by Google

JULIUS.

Cyclus Epact.	*Litterae Domin.*	*Dies mensis.*	
26	g	*Kal.*	1 Octava S. Joannis Baptistae. *Duplex.* Comm. Octavae SS. Apostolorum Petri et Pauli.
xxv 25	A	vj	2 Visitatio B. Mariae V. *Duplex majus.* Comm. Octavae Apost. et SS. Processi et Martiniani, Mart.
24	b	v	3 De Octava.
23	c	iv	4 De Octava.
22	d	iij	5 De Octava.
21	e	*Prid.*	6 Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli. *Duplex.*
20	f	*Non.*	7
19	g	viij	8 Elisabeth Reginae Portugalliae. *Semiduplex.*
18	A	vij	9
17	b	vj	10 Septem Fratrum Martyrum, et SS. Rufinae ac Secundae, Martyrum. *Semiduplex.*
16	c	v	11 Pii Papae et Martyris
15	d	iv	12 Joannis Gualberti Abbatis. *Duplex* Comm. SS. Naboris et Felicis Martyrum.
14	e	iij	13 Anacleti Papae et Martyris. *Semiduplex.*
13	f	*Prid.*	14 Bonaventurae, Episc. Conf. et Eccl. Doct. *Duplex.*
12	g	*Ibid.*	15 Henrici Imperatoris, Confessoris. *Semiduplex.*
11	A	xvij	16 B. Mariae V. de Monte Carmelo. *Duplex majus.*
10	b	xvj	17 Alexii Confessoris. *Semiduplex.*
9	c	xv	18 Camilli de Lellis, Confessoris. *Duplex.* Comm. S. Symphorosae et septem filiorum, Martyrum.
8	d	xiv	19 Vincentii a Paulo, Confessoris. *Duplex.*
7	e	xiij	20 Hieronymi Æmiliani, Confessoris. *Duplex.* Comm. S. Margaritae, Virginis et Martyris.
6	f	xij	21 Praxedis, Virginis.
5	g	xj	22 Mariae Magdalenae. *Duplex.*
4	A	x	23 Apollinaris, Episcopi et Martyris. *Duplex.* Comm. S. Liborii, Episcopi et Confessoris.
3	b	ix	24 Vigilia, et comm. S. Christinae, Virg. et Mart.
2	c	viij	25 *Jacobi, Apost.* Dupl. 2. Class. Comm. S. Christophori.
2	d	vij	26 Annae, matris beatae Mariae. *Duplex majus.*
*	e	vj	27 Pantaleonis, Martyris.
29	f	v	28 Nazarii, Celsi et Victoris, Martyrum, ac Innocentii Papae et Confessoris. *Semiduplex.*
28	g	iv	29 Marthae, Virginis. *Semiduplex.* Comm. SS. Felicis, Simplicii, etc. Martyrum.
27	A	iij	30 Abdon et Sennen, Martyrum.
xxv 26	b	*Prid.*	31 Ignatii Confessoris. *Duplex.*

Digitized by Google

AUGUSTUS.

Cyclus Epact.	*Litterae Domin.*	*Dies mensis.*	
25 24	c	*Kal.*	1 Petri ad vincula. *Duplex majus.* Comm. SS. Machabaeorum, Martyrum.
23	d	iv	2 Stephani, Papae et Martyris.
22	e	iij	3 Inventio S. Stephani, Protomartyris. *Semiduplex.*
21	f	*Prid.*	4 Dominici Confessoris. *Duplex.*
20	g	*Non.*	5 Dedicatio S. Mariae ad Nives. *Duplex majus.*
19	A	viij	6 Transfiguratio Domini nostri Jesu Christi. *Dupl. maj.* Comm. S. Xysti, Papae et Martyris.
18	b	vij	7 Cajetani Thienaei, Confessoris. *Duplex.* Commemor. S. Donati, Episcopi et Martyris.
17	c	vj	8 Cyriaci, Largi et Smaragdi, Martyrum. *Semiduplex.*
16	d	v	9 Vigilia. Comm. S. Romani, Martyris.
15	e	iv	10 Laurentii, Martyris. *Duplex 2. Classis.*
14	f	iii	11 De Octava. Comm. SS. Tiburtii et Susannae, Mart.
13	g	*Prid.*	12 Clarae, Virginis. *Duplex.* Comm. Octavae.
12	A	*Idib.*	13 De Octava. Comm. SS. Hippolyti et Cassiani, Mart.
11	b	xix	14 De Octava. Comm. Vigiliae, et S. Eusebii, Confessoris.
10	c	xviij	15 *Assumptio B. Mariae Virginis.* Duplex 2. Classis. * Dominica infra Octavam Assumptionis, Festum S. Joachim, Confessoris. *Duplex Majus.*
9	d	xvij	16 Hyacinthi, Confessoris. *Duplex.* Comm. Octavar.
8	e	xvj	17 Octava S. Laurentii. *Duplex.* Comm. Octavae.
7	f	xv	18 De Octava. Comm. S. Agapiti Martyris.
6	g	xiv	19 De Octava.
5	A	xiij	20 Bernardi, Abbatis et Doctoris. *Duplex.* Comm. Oct.
4	b	xij	21 Joannae Franciscae de Chantal. *Duplex.* Comm. Oct.
3	c	xj	22 Octava Assumptionis beatae Mariae. *Duplex.* Comm. SS. Timothei, etc. Martyrum.
2	d	x	23 Philippi Benitii, Confessoris. *Duplex.* Comm. Vigiliae.
1	e	ix	24 *Bartholomaei Apostoli.* Duplex 2. Classis.
*	f	viij	25 Ludovici, Regis Franciae, Confessoris. *Semiduplex.*
			26 Zephyrini Papae et Martyris.
29	g	vij	27 Josephi Calasanctii, Confessoris. *Duplex.*
28	A	vj	28 Augustini, Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris. *Duplex.* Comm. S. Hermetis Martyris.
27	b	v	29 Decollatio S. Joannis Baptistae. *Duplex majus.* Com. S. Sabinae, Martyris.
26	c	iv	30 Rosae, Virginis Limanae. *Duplex.* Comm. SS. Felicis et Adaucti, Martyrum.
xxv 25	d	iii	31 Raymundi Nonnati, Confessoris. *Duplex.*
24	e	*Prid.*	

Digitized by Google

SEPTEMBER.

Cyclus Epact.	*Litterae Domin.*	*Dies mensis.*	
23	f	*Kal.*	1 AEgidii, Abb Comm. SS. duodecim Fratrum, Mart.
22	g	iv	2 Stephani, Regis Hungariae, Confessoris. *Semiduplex.*
21	A	iij	3
20	b	*Prid.*	4
19	c	*Non.*	5 Laurentii Justiniani, Episcopi et Confessoris. *Semid.*
18	d	viij	6
17	e	vij	7
16	f	vj	8 *Nativitas B. Mariae Virginis.* Dupl. 2. Classis. Comm. S. Adriani, Martyris.
			*Dominica infra Octavam, SS. Nominis beatae Mariae. *Duplex majus.*
15	g	v	9 De octava. Comm S. Gorgonii, Martyris.
14	A	iv	10 Nicolai de Tolentino, Conf. *Duplex.* Comm. Oct.
13	b	iij	11 De Octava. Comm. SS. Proti, etc. Martyrum.
12	c	*Prid.*	12 De Octava.
11	d	*Id. b.*	13 De Octava.
10	e	xviij	14 *Exaltatio S. Crucis.* Duplex maius. Comm. Octavae.
9	f	xvij	15 Octava Nativitatis beatae Mariae. *Duplex.* Commem. S. Nicomedis, Martyris.
8	g	xvj	16 Cornelii et Cypriani, Pont. et Mart. *Semiduplex.* Comm. SS. Euphemiae, etc., Martyrum.
7	A	xv	17 Impressio Stigmatum S. Francisci. *Duplex.*
6	b	xiv	18 Josephi a Cupertino, Confessoris. *Duplex.*
5	c	xiij	19 Januarii, Episcopi, et soc., Martyrum. *Duplex.*
4	d	xij	20 Eustachii et soc., Mart. *Duplex.* Comm. Vigiliae.
3	e	xj	21 *Matthaei, Apostoli et Evangelistae.* Duplex. 2. Classis.
2	f	x	22 Thomae a Villanova, Episcopi et Confessoris. *Dupl.* Comm. SS. Mauritii et soc. Martyrum.
1	g	ix	23 Lini, Papae et Martyris. *Semiduplex.* Comm. S. Theclae, Virginis et Martyris.
	A	viij	24 Beatae Mariae de Mercede. *Duplex majus.*
29	b	vij	25
28	c	vj	26 Cypriani et Justinae, Martyrum.
27	d	v	27 Cosmae et Damiani, Martyrum. *Semiduplex.*
xxv 26	e	iv	28 Wenceslai, Ducis et Martyris. *Semiduplex.*
25 24	f	iij	29 Dedicatio S. Michaelis Archangeli. *Duplex 2. Classis.*
23	g	*Prid.*	30 Hieronymi, Presbyteri, Conf. et Eccl. Doct. *Duplex.*
			* Dominica III. Festum septem Dolorum. *Dupl. maj.*

Digitized by Google

OCTOBER.

Cyclus Epact.	*Litterae Domin.*	*Dies mensis.*	
			* Dom. I. SS. Rosarii B. Mariae V. *Duplex maj.*
22	A	*Kal.*	1 Remigii, Episcopi et Confessoris. *Semiduplex ad libitum. Simplex de praecepto.*
21	b	vj	2 Angelorum Custodum. *Duplex.*
20	c	v	3
19	d	iv	4 Francisci, Confessoris. *Duplex.*
18	e	iij	5 Placidi et soc., Martyrum.
17	f	*Prid.*	6 Brunonis, Confessoris. *Duplex.*
16	g	*Non.*	7 Marci, Papae et Confessoris. Comm. SS. Sergii, Bacchi, etc. Martyrum.
15	A	viij	8 Birgittae, Viduae. *Duplex.*
14	b	vij	9 Dionysii, Rustici et Eleutherii, Martyrum. *Semidupl.*
13	c	vj	10 Francisci de Borgia, Confessoris. *Semiduplex.*
12	d	v	11
11	e	iv	12
10	f	iij	13 Eduardi, Regis, Confessoris. *Semiduplex.*
9	g	*Prid.*	14 Callisti, Papae et Martyris. *Duplex.*
8	A	*Idib.*	15 Teresiae, Virginis. *Duplex.*
7	b	xvij	16
6	c	xvj	17 Hedwigis, Viduae. *Semiduplex.*
5	d	xv	18 *Lucae Evangelistae.* Duplex 2. Classis,
4	e	xiv	19 Petri de Alcantara. Confessoris, *Duplex*
3	f	xiij	20 Joannis Cantii, Confessoris. *Duplex.*
2	g	xij	21 Hilarionis, Abbatis. Commem. SS. Ursulae et soc. Virginum et Martyrum.
1	A	xj	22
	b	x	23
29	c	ix	24
28	d	viij	25 Chrysanthi et Dariae, Martyrum.
27	e	vij	26 Evaristi, Papae et Martyris.
26	f	vj	27 Vigilia.
xxv 25	g	v	28 *Simonis et Judae, Apostolorum.* Duplex 2. Classis.
24	A	iv	29
23	b	iij	30
22	c	*Prid.*	31 Vigilia.

Digitized by Google

NOVEMBER.

Cyclus Epact.	*Litteræ Domin.*	*Dies mensis.*	
21	d	*Kal.*	1 *Festum omnium Sanctorum.* Duplex 1. Classis
20	e	iv	2 Comm. omnium Fidelium Defunctorum. *Duplex*, et de Octava omnium Sanctorum.
19	f	iij	3 De Octava.
18	g	*Prid.*	4 Caroli, Episcopi et Confessoris. *Duplex.* Comm. Octavae et SS. Vitalis, etc., Martyrum.
17	A	*Non.*	5 De Octava.
16	b	viij	6 De Octava.
15	c	vij	7 De Octava.
14	d	vj	8 Octava omnium Sanctorum. *Duplex.* Commemoratio SS. Quatuor Coronatorum, Martyrum.
13	e	v	9 Dedicatio Basilicae Salvatoris, *Duplex.* Commem. S. Theodori, Martyris.
12	f	iv	10 Andreae Avellini, Confessoris. *Duplex.* Commemoratio SS. Tryphonis, etc. Martyrum.
11	g	iij	11 Martini, Episc. et Conf. *Dupl.* Comm. S Mennae, M.
10	A	*Prid.*	12 Martini, Papae et Martyris. *Semiduplex.*
9	b	*Idib.*	13 Didaci, Confessoris. *Semiduplex.*
8	c	xviij	14
7	d	xvij	15 Gertrudis, Virginis. *Duplex.*
6	e	xvj	16
5	f	xv	17 Gregorii Thaumaturgi, Episc. et Conf. *Semiduplex.*
4	g	xiv	18 Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli. *Duplex.*
3	A	xiij	19 Elisabeth, Viduae. *Duplex.* Comm. S. Pontiani, Papae et Martyris.
2	b	xij	20 Felicis de Valois, Confessoris. *Duplex.*
1	c	xj	21 *Praesentatio beatae Mariae Virginis.* Duplex majus.
	d	x	22 Caeciliae, Virginis et Martyris. *Duplex.*
29	e	ix	23 Clementis, Papae et Martyris. *Duplex.* Comm. S. Felicitatis, Martyris.
28	f	xiij	24 Joannis a Cruce, Confessoris. *Duplex.* Commemor. S. Chrysogoni, Martyris.
27	g	vij	25 Catharinae, Virginis et Martyris. *Duplex.*
xxv 26	A	vj	26 Petri Alexandrini, Episcopi et Martyris.
25 24	b	v	27
23	c	iv	28
22	d	iij	29 Vigilia. Comm. S. Saturnini, Martyris.
21	e	*Prid.*	30 *Andreae Apostoli.* Duplex 2. Classis.

Digitized by Google

DECEMBER.

Cyclus Epact.	*Litteræ Domin.*	*Dies mensis.*	
20	f	*Kal.*	1
19	g	iv	2 Bibianae, Virginis et Martyris. *Semiduplex.*
18	A	iij	3 Francisci Xaverii, Confessoris. *Duplex.*
17	b	*Prid.*	4 Petri Chrysologi, Episcopi, Confessoris et Doctoris. *Duplex.* Comm. S. Barbarae, Virginis et Martyris.
16	c	*Non.*	5 Commemoratio S. Sabbae, Abbatis.
15	d	viij.	6 Nicolai, Episcopi et Confessoris. *Duplex.*
14	e	vij	7 Ambrosii, Episcopi, Confessoris et Doctoris. *Duplex.*
13	f	vj	8 *Conceptio beatae Mariae Virginis.* Duplex 2. Classis.
12	g	v	9 De Octava.
11	A	iv	10 De Octava. Comm. S Melchiadis, Papae et Martyris.
10	b	iij	11 Damasi, Papae et Confessoris. *Semid.* Comm. Oct.
9	c	*Prid.*	12 De Octava.
8	d	*Idib.*	13 Luciae, Virginis et Martyris. *Duplex.* Comm. Oct.
7	e	xix	14 De Octava
6	f	xviij	15 Octava Conceptionis. *Duplex.*
5	g	xvij	16 Eusebii, Episcopi et Martyris. *Semiduplex.*
4	A	xvj	17
3	b	xv	18
2	c	xiv	19
1	d	xiij	20 Vigilia.
	e	xij	21 *Thomae Apostoli.* Duplex 2. Classis.
29	f	xj	22
28	g	x	23
27	A	ix	24 Vigilia.
26	b	viij	25 *Nativitas D. N. J. C.* Duplex 1. Classis.
xxv 25	c	vij	26 *Stephani Protomartyris.* Dupl. 2. Classis. Comm. Oct.
24	d	vj	27 *Joannis Apost. et Evang.* Dupl. 2. Class. Comm. Oct.
23	e	v	28 *SS. Innocentium.* Duplex 2. Class. Comm. Octavar.
22	f	iv	29 Thomae Cantuariensis, Ep. et M. *Sem.* Comm. oct.
21	g	iij	30 De Dominica infra Oct. Nativitatis, vel de Oct. cum comm. aliarum Octavarum.
xix 20	A	*Prid.*	31 Silvestri, Papae et Conf. *Duplex.* Comm. Octavarum.

Haec Epacta *xix* numquam est in usu, nisi quando eodem anno concurrit cum Aureo numero *xix*.

Digitized by Google

RUBRICÆ GENERALES
BREVIARII

Officium quotidie fit aut Duplex, aut Semiduplex, aut Simplex.

De Officio Duplici. I.

OFFICIUM fit Duplex in diebus a Feria quinta in Cœna Domini, usque ad Feriam tertiam Paschæ inclusive, in Dominica in Albis, in Ascensione Domini, in Dominica Pentecostes, et duobus diebus sequentibus, in Festo Trinitatis, Corporis Christi, et Dedicationis propriæ Ecclesia; in Festis quibus in Kalendario apponitur hæc vox, *duplex*; in die Octava Festi habentis Octavam: in Festo Patroni unius vel plurium alicujus loci vel Titularis Ecclesiæ; et in Festis Sanctorum, qui apud quasdam Ecclesias, Religiones vel Congregationes consueverunt solemniter celebrari, cum Officiis propriis, a Sede Apostolica approbatis, aut ex ejusdem Sedis auctoritate receptis vel recipiendis (servata tamen forma hujus Breviarii) alioquin de Comuni, etiamsi prædicta Festa in hoc Kalendario non sint descripta. Præterea Officium fit Duplex pro Defunctis in Commemoratione omnium fidelium Defunctorum, et in die obitus, seu depositionis Defuncti, ut in eodem Officio dicitur, circa finem Breviarii.

2. Festum duplex celebratur eo die quo cadit, nisi illud contingat transferri, ut dicetur in Rubrica de Translatione Festorum.

3. Habet primas et secundas Vesperas integras, nisi cum alio simili concurrat, ut dicetur in Rubrica de concurrentia Officii, et totum Officium fit de Duplici, incipiendo a primis Vesperis, usque ad Completorium sequentis diei inclusive: nisi aliter in propriis locis assignetur. Officium autem Defunctorum habet tantum primas Vesperas, Matutinum et Laudes, ut circa finem Breviarii ponitur.

4. In utrisque Vesperis, Matutino et Laudibus tantum, non autem in aliis Horis, duplicantur Antiphonæ, id est, integræ dicuntur in principio et in fine Psalmorum.

5. Ad Matutinum regulariter dicuntur tres Nocturni, cum novem Psalmis, et totidem Lectionibus, hoc est, in unoquoque Nocturno tres Psalmi, et tres Lectiones, præterquam in Paschate Resurrectionis et Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, in quibus dicitur unum tantum Nocturnum cum tribus Psalmis, et totidem Lectionibus, ut ibidem ponitur.

6. Preces ad Primam et Completorium, et Suffragia de sancta Maria, Apostolis, et Pace ad Vesperas et Laudes, non dicuntur in Officio duplici, ut etiam in propriis eorum Rubricis dicetur.

7. Quomodo sit ordinandum Officium duplex in Vesperis, Matutino et cæteris Horis, similiter et de Antiphonis, Responsoriis, Versibus, Capitulis et aliis in eo dicendis, habentur inferius de singulis propriæ Rubricæ.

De Officio Semiduplici. II.

OFFICIUM fit Semiduplex diebus Dominicis (excepta Dominica in Albis, in qua fit Duplex); et diebus infra Octavas: item in Festis, quibus in Kalendario apponitur hæc vox, *Semiduplex*, et in Festis propriis quorumdam locorum, seu Congregationum, quæ solemnius apud illas, quam Simplicia, consueverunt celebrari.

2. De festo semiduplici fit eo die quo cadit, nisi contingat transferri, ut dicetur in Rubrica de translatione Festorum.

3. Habet totum Officium integrum, sicut Duplex, sed non duplicantur Antiphonae.

4. Ad Matutinum dicuntur tres Nocturni, praeterquam infra Octavas Pa-

Digitized by Google

schæ et Pentecostes, in quibus dicitur unum Nocturnum cum tribus Psalmis et totidem Lectionibus. Et regulariter quando dicuntur tres Nocturni, dicuntur novem Psalmi et totidem Lectiones, exceptis iis Dominicis, in quibus fit Officium ut in Psalterio, quæ habent xviij Psalmos, ut ibi.

5. Quomodo sit ordinandum Officium semiduplex tam in Festis, quam in Dominicis, et infra Octavas, item et de Antiphonis, Versibus, Responsoriis et hujusmodi aliis, et quando in Semiduplici dicantur Preces ad Primam et Completorium, et Suffragia de Sanctis ad Vesperas et Laudes, habentur inferius de singulis propriae Rubricæ.

De Officio simplici. III.

OFFICIUM fit simplex in diebus ferialibus, quando occurrit fieri de Feria; item in Festis, quibus in Kalendario non apponitur hæc vox, *Duplex*, vel *Semiduplex*, vel de *Octava*; item quando fit de beata Maria in Sabbato, ut in ejus Rubrica dicetur.

2. De Festo simplici fit eo die quo cadit; nisi eodem die occurrat fieri Officium novem Lectionum, vel de sancta Maria in Sabbato, vel de aliquibus Feriis, quibus festum simplex cedit, ut dicetur in Rubricis de Feriis et Commemorationibus.

3. Habet tantum primas Vesperas, in quibus dicuntur Psalmi Feriales, et a Capitulo fit de Festo, nisi cum concurrat Officium novem Lectionum, quia tunc de eo fit sola Commemoratio, ut dicetur in Rubrica de Concurrentia Officii, et ejus Officium terminatur ad Nonam, et nihil amplius fit de eo, nec Commemoratio.

4. Ad Matutinum post invitatorium et hymnum de Festo, dicitur unum tantum Nocturnum cum duodecim Psalmis, ut in Psalterio, secundum Feriam quæ occurrit; et tres Lectiones leguntur, ut infra in Rubrica de Lectionibus habetur.

5. Quomodo sit ordinandum Officium simplex ad Vesperas, Matutinum et alias Horas; item et de Antiphonis, Versibus, Responsoriis et aliis, ac quando Preces, et Suffragia de Sanctis dicenda sint, habentur inferius propriæ Rubricæ.

De Dominicis. IV.

DE Dominica semper fit Officium in Dominicis Adventus, et in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in Albis inclusive, quocumque Festo duplici, vel semiduplici adveniente, quia tunc Festum transfertur (ut in Rubrica de Translatione Festorum dicetur), nisi illud Festum sit de principali Titulo, vel Patrono alicujus Ecclesiæ vel loci, aut Dedicatione propriæ Ecclesiæ: quia tunc de hujusmodi Festo fit tantum in Ecclesia, vel loco, cujus est Titulus, vel Patronus, vel Dedicatio, cum commemoratione Dominicæ, quibusdam Dominicis exceptis, ut dicetur in Rubrica de Commemorationibus. In aliis Dominicis per annum fit de Dominica, quando in eis non occurrit Festum duplex, quia tunc fit de Duplici cum commemoratione Dominicæ in utrisque Vesperis et Laudibus, et ad Matutinum legitur nona Lectio de Homilia Dominicæ, ut dicetur in Rubrica de Commemorationibus. Si Semiduplex eodem die occurrat, transfertur, ut dicetur in Rubrica de Translatione Festorum.

2. De Dominicis infra Octavam Nativitatis, Epiphaniæ, Ascensionis et Corporis Christi occurrentibus, Officium fit sicut infra Octavam, et in Proprio de Tempore, cum Commemoratione Octavæ et sine Precibus et Suffragiis Sanctorum; in Dominicis vero, quæ occurrunt infra alias Octavas, totum Officium fit de Dominica, ut in Psalterio et in Proprio de Tempore, cum Commemoratione Octavæ, omissis etiam dictis Precibus et Suffragiis, ut supra. De Dominica occurrente in die Octava fit Commemoratio, sicut dictum est, quando in ea fit de Festo duplici, præterquam in die Octava Epiphaniæ, in qua nihil fit de Dominica, quia ejus Officium ponitur in Sabbato præcedenti.

3. Positum est autem Officium sex Dominicarum post Epiphaniam, et vigioti quatuor post Pentecosten, ut compleatur numerus triginta Dominicarum, quæ esse possunt ab Epiphania usque ad Septuagesimam, et a Pentecoste usque ad Adventum, ne ulla ex his Dominicis vacet, quin saltem de ea fiat commemoratio. Nam quæ aliquando supersunt post Epiphaniam ante Septuagesimam, ponuntur post xxiij à Pentecoste, hoc ordine.

4. Si Dominicæ post Pentecosten fuerint xxv. Dominica xxiv post Pentecosten erit quæ est vj post Epiphaniam. Si fuerint xxvj, Dominica xxiv erit quæ est v; et xxv, quæ est vj. Si fuerint xxvij, Dominica xxiv erit quæ est iv; et xxv, quæ est v, et xxvj erit vj. Si fuerint xxviij, Dominica xxiv erit iij, et xxv erit iv, et xxvj erit v, et xxvij erit vj; et ultimo loco semper ponitur, quæ in ordine est xxiv post Pentecosten, etiamsi post Pentecosten aliquando non sint nisi xxiij Dominicæ. Tunc enim xxiv ponitur loco xxlij, et Officium xxiij ponitur in præcedenti Sabbato, quod non sit impeditum Festo novem Lectionum, alioquin in alia præcedenti die similiter non impedita, in qua fiat Officium de Feria, cum commemoratione festi simplicis, si occurrat; et in ea leguntur tres Lectiones de Homilia Dominicæ, omissis Lectionibus Scripturæ illius Feriæ, et in Laudibus dicatur Antiphona ad *Benedictus*, et Oratio de Dominica xxiij. Quod si tota Hebdomada impedita sit festis ix Lectionum, etiam translatis, vel aliqua Octava, tunc in Sabbato legatur ix Lectio de Homilia Dominicæ xxiij, et de ea fiat commemoratio in Laudibus tantum, cum Antiphona et Oratione propria.

5. Cum vero interdum contingat, ut Dominica iij, vel iv, vel v, vel vj post Epiphaniam supersit, nec possit poni etiam post xxiij a Pentecoste, tunc de ea fit Officium in Sabbato ante Dominicam Septuagesimæ, ut dictum est supra, numero præcecedenti.

6. De Dominica ii post Epiphaniam, quando Septuagesima venerit immediate post Octavam Epiphaniæ, quomodo agendum sit Officium, habetur in propria Rubrica ante Dominicam j post Epiphaniam.

7. Cum autem in Proprio de Tempore dicitur aliqua Dominica esse prima mensis, in qua primo ponitur initium libri de Scriptura cum sua historia, id est, cum Responsoriis; animadvertendum est, eam dici primam Dominicam mensis, quæ venit in Kalendis illius mensis, vel est proximior Kalendis, hoc modo. Si Kalendæ venerint in ij, et iij et iv Feria, Dominica prima mensis erit quæ præcedit Kalendas, licet veniat in præcedenti mense: si autem Kalendæ venerint in v et vj Feria et in Sabbato, prima Dominica erit quæ sequitur post ipsas Kalendas. Dominica autem prima Adventus non sumitur ea, quæ est proximor Kalendis Decembris, sed Festo sancti Andreæ, vel quæ venerit in ipso festo.

8. Officium Dominicæ fit semiduplex, et incipit a primis Vesperis in Sabbato, et habet totum Officium integrum usque ad Completorium Dominicæ inclusive, nisi cum aliquo concurrat, ut dicetur in Rubrica de Concurrentia Officii.

9. Ad Matutinum dicuntur tres Nocturni cum Psalmis, ut in Psalterio, et leguntur novem Lectiones, ut in Proprio de Tempore.

10. Quomodo autem sit ordinandum ejus Officium, insuper et de Lectionibus, Responsoriis et aliis, et quomodo initia librorum Scripturæ cum sua historia sint ponenda, habentur de singulis inferius propriæ Rubricæ.

De Feriis. V.

OFFICIUM feriale, hoc est, simplex de Tempore occurrenti, prout in Psalterio et Proprio de Tempore habetur, fit semper in Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, et in Feria secunda Rogationum, quando infra Hebdoma-

Digitized by Google

dam non occurrit Festum duplex, vel semiduplex, vel de Octava, quia tunc de hujusmodi Feriis fit commemoratio, ut dicetur in Rubrica de Commemorationibus. Si vero in eis occurrat Festum simplex, de eo fit tantum commemoratio. Item per annum fit Officium de Feria illis diebus, quibus infra Hebdomadam in Kalendario non ponitur aliquod Festum duplex, semiduplex, vel simplex, et non occurrit aliqua Octava, vel Officium sanctæ Mariæ in Sabbato, vel aliquod Festum solemne, aut consuetum in aliqua Ecclesia celebrari, quamvis in Kalendario hujus Breviarii non sit descriptum.

2. Officium Feriæ in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, Vigiliis et prima die Rogationum, incipit à Matutino: in aliis vero Feriis per annum, inde fit de Feria, ubi desinit Officium præcedentis diei, ita ut si præcedenti die fuerit Duplex, vel Semiduplex, Officium Feriæ incipiat sequenti die a Matutino: si præcedenti die fuerit Festum simplex, de Feria fiat a Vesperis illius præcedentis diei inclusive. Similiter et quando in Feria iv et vj Quatuor Temporum Septembris, et in Feria iv Cinerum, ac in Vigiliis occurrit aliquod Festum simplex, de quo fieri debet commemoratio, tunc præcedenti die, nisi fuerit Festum novem Lectionum, in Vesperis fit de Feria, ut in Psalterio, sine Precibus, cum Oratione Dominicæ præcedentis, et cum commemoratione Festi trium Lectionum in sequenti Feria occurrentis, ut dicetur infra in Rubrica de Concurrentia. Terminatur autem Officium de Feria subsequente duplici, vel semiduplici, ad Nonam; subsequente vero Simplici, de quo fieri debeat Officium, ad Capitulum Vesperarum, quia inde fit de Festo simplici absque ulla deinceps commemoratione Feriæ.

3. Ad Matutinum dicitur unum tantum Nocturnum cum xij Psalmis, secundum *ordinem* Feriarum in Psalterio, et tribus Lectionibus, ut in Proprio de Tempore.

4. Excipiuntur ab hoc ordinario Officii ferialis tres Feriæ majores Hebdomadæ sanctæ, et Feriæ Octavarum Paschæ et Pentecostes, in quibus fit Officium, ut in propriis locis ponitur.

5. Quomodo ordinandum sit Officium de Feria ad Matutinum et alias Horas, item de Lectionibus et Responsoriis, et quando dicendæ sint Preces feriales, ac de aliis, quæ ad Officium Feriæ pertinent, habentur inferius de singulis propriæ Rubricæ.

De Vigiliis VI.

DE Vigilia fit Officium in omnibus Vigiliis per annum quæ jejunantur, ubi in Kalendario annotatur hæc vox *Vigilia*, nisi in die Vigiliæ occurrat festum novem Lectionum, vel Octava: tunc enim in Officio novem Lectionum legitur nona Lectio de Homilia Vigiliæ, et fit commemoratio de ea ad Laudes tantum, cum Antiphona ad *Benedictus*, et ℣. Feriæ occurrentis de Psalterio, et Oratione Vigiliæ, præterquam in illis Festis majoribus, quæ inferius excipiuntur.

2. Si Vigilia occurrat in Dominica, de ea fit Officium in Sabbato, quod non sit impeditum Officio novem Lectionum, quia tunc de Vigilia fit tantum commemoratio, ut dictum est. Excipitur ab hac regula Vigilia Nativitatis et Epiphaniæ Domini: quæ si venerint in Dominica, fit de illis, ut in propriis Rubricis dicitur. Si autem in Vigilia occurrat Festum solemne alicujus loci, vel ex solemnioribus infra annum, quæ inferius in Rubrica de Commemorationibus numerantur (veluti si in Vigilia sancti Joannis Baptistæ venerit Festum Corporis Christi), nihil tunc prorsus, nec commemoratio fit de Vigilia Epiphaniæ. Idem servetur quando aliqua Vigilia venerit in Adventu, Quadragesima et quatuor Temporibus: nulla enim in his Feriis de Vigilia fit commemoratio.

3. Officium Vigiliæ incipit ad Matutinum, sicut dictum est in superiori Rubrica de Feriis; terminatur autem

ad Nonam, quia Vesperæ sunt de sequenti Festo.

4. Officium Vigiliæ totum fit de Feria occurrenti, ut in Psalterio, et tres Lectiones leguntur de Homilia in Evangelium Vigiliæ, ut in propriis locis assignatur, cum tribus Responsoriis de feria occurrenti, ordine in Rubrica de Responsoriis descripto. Dicuntur Preces feriales, et commemorationes communes, aliaque omnia sicut in Feriis Adventus, Quadragesimæ et Quatuor Temporum, de quibus et de aliis circa ordinandum ejus Officium habentur inferius propriæ Rubricæ.

5. Excipitur ab hoc ordinario Vigiliarum, quæ jejunantur, Vigilia Pentecostes, quæ cum tribus Nocturnis sub Officio semiduplici celebratur, ut ibi; et Vigilia Nativitatis Domini, quæ, Nocturno feriæ excepto, in Laudibus et Horis habet reliquum Officium duplex. In Vigiliis vero Epiphaniæ et Ascensionis, quæ non jejunantur, fit Officium, ut in propriis locis notatur.

De Octavis VII.

De Octava fit Officium, vel saltem commemoratio (quando aliquo festo, vel Dominica impeditur) per octo dies continuos. Fit de Octava in Paschate Resurrectionis, in Ascensione Domini, in Pentecoste, in Festo Corporis Christi, in Festis quibus in Kalendario apponitur Octava, item in Festo Dedicationis propriæ Ecclesiæ, et in Festo principalis Patroni et Titularis loci, vel Ecclesiæ, et in festis aliorum Sanctorum, quæ apud quasdam Ecclesias, Congregationes et Religiones consueverunt solemniter cum Octava celebrari, nisi illa Festa venerint in Quadragesima, quo tempore omittitur Officium cujuscumque Octavæ. Quod si aliquod Festum, quod celebrari solet cum Octava, paulo ante Quadragesimam venerit, et jam per aliquot dies factum sit Officium de ejus Octava, adveniente Quadragesima, nihil amplius fit de ea, nec commemoratio. Et idem servetur de Octavis nondum absolutis, quando supervenit Festum Pentecostes, et dies xvij Decembris.

2. In Pascha Resurrectionis et Pentecostes Officium Octavæ terminatur in Sabbato sequenti ad Nonam.

3. Infra Octavas fit de Festis duplicibus et semiduplicibus occurrentibus, ac etiam translatis, ut dicetur infra de Translatione Festorum, n. 5, cum commemoratione Octavæ, nisi illa festa sint de solemnioribus enumeratis in sequenti Rubrica de commemorationibus, in quibus nulla fit commemoratio de Octava, exceptis Octavis Nativitatis, Epiphaniæ et Corporis Christi, de quibus fit semper commemoratio, quocumque Festo in illis occurrente. Infra Octavas autem Paschæ et Pentecostes non fit de Festo aliquo, etiam principali Patrono, vel Titulari Ecclesiæ, vel Dedicatione ejusdem; sed transfertur post Octavam. Infra Octavam Epiphaniæ fit tantum de Patrono, vel Titulari Ecclesiæ et Dedicatione ejusdem (non tamen in die Octava), cum commemoratione Octavæ. Infra Octavam Corporis Christi fit tantum de Duplicibus non tamen translatis, cum commemoratione Octavæ; de Semiduplicibus vero infra eam non fit, sed transferuntur post Octavam, ut dicetur in Rubrica de Translatione Festorum. De Simplicibus infra quascumque Octavas occurrentibus, fit tantum commemoratio, præterquam in duobus diebus post Pascha et Pentecosten, ut dicitur sequenti Rubrica de Commemorationibus. De Dominicis infra Octavas occurrentibus fit Officium, ut dictum est supra in Rubrica de Dominicis. Si duæ Octavæ simul occurrant, ut Octava sancti Joannis Baptistæ, et Octava Corporis Christi, vel Octava patroni vel Titularis Ecclesiæ cum alia Octava, quando non erunt celebranda festa novem Lectionum, vel dies Dominicus, fiet Officium de digniori, cum commemoratione alterius. De die autem Octava cujuscumque Festi fit totum Officium duplex, cum commemoratione diei infra aliam Octavam. De Festis occurrentibus in die Octava ser-

Google

vetur quod dicitur in Rubrica de Translatione Festorum.

4. Officium de Octava fit cum tribus Nocturnis, novem scilicet Psalmis et novem Lectionibus (exceptis Octavis Paschæ et Pentecostes, in quibus fit cum uno Nocturno, ut suis locis ponitur), et omnia dicuntur sicut in die Festi, præter Lectiones quarum primæ tres semper sunt de Scriptura occurrente in Officio de Tempore, præterquam infra Octavam Assumptionis beatæ Mariæ, in qua singulis diebus positæ sunt Lectiones propriæ de Canticis Canticorum; aliæ Lectiones secundi et tertii Nocturni dicuntur quæ infra Octavam positæ sunt. Infra Octavam vero Patroni vel titularis Ecclesiæ aut alterius Festi, quod in aliquibus Ecclesiis consuevit cum Octava celebrari, si apud illas Ecclesias non habentur propriæ et approbatæ Lectiones pro secundo et tertio Nocturno, infra Octavam repetantur Lectiones positæ in Communi Sanctorum, si de Sanctis fiat Octava, alioquin Lectiones diei Festi.

5. Infra Octavam Officium fit semiduplex, in die Octava duplex. In Vesperis infra Octavam omnia dicuntur sicut in secundis Vesperis Festi; et in primis Vesperis diei Octavæ omnia sicut in primis Vesperis Festi, nisi aliter in propriis locis notetur.

6. Infra Octavas non fiunt Suffragia consueta de Sanctis, nec dicuntur Preces ad Primam et Completorium, etiamsi fiat Officium de Dominica, vel Festo semiduplici. In aliis quomodo sit ordinandum Officium de Octava, habentur inferius propriæ Rubricæ.

De Officio sanctæ Mariæ in Sabbato. VIII.

In omnibus Sabbatis per annum extra Adventum et Quadragesimam, ac nisi Quatuor Tempora aut Vigiliæ occurrant, vel nisi fieri debeat de Feria propter Officium alicujus Dominicæ aliquando infra Hebdomadam ponendum, ut in Rubrica de Dominicis dictum est, et nisi fiat Officium novem Lectionum, vel de Octava Paschæ et Pentecostes, semper fit Officium de sancta Maria, eo modo quo fit de Festo simplici, quemadmodum circa finem Breviarii disponitur. De festo autem simplici, in Sabbato occurrente, fit tantum commemoratio.

2. Cum vero supradictis diebus fieri non potest Officium de sancta Maria, nulla etiam fit commemoratio de ea propter Sabbatum, sed tantum in Semiduplicibus (quando ejus Officium parvum non dicitur) fit consueta ejus commemoratio per annum cum aliis Suffragiis positis in Psalterio post Vesperas Sabbati.

3. Ejus Officium in Sabbato incipit Feria vj, ad modum Festi simplicis, a Capitulo, et terminatur ad Nonam Sabbati. Si autem Feria vj occurrat Officium novem Lectionum, in Vesperis fit tantum commemoratio de sancta Maria, cum Antiphona, Versu et Oratione, quæ habentur in Officio ejus in Sabbato, nisi illud Officium novem Lectionum sit de eadem beata Maria, quia tunc nulla alia commemoratio de ea facienda est.

4. Ad Matutinum, post Invitatorium et Hymnum de sancta Maria, dicitur unum Nocturnum cum duodecim Psalmis ferialibus, ut in Psalterio. Versus de sancta Maria, prima et secunda Lectio ex Scriptura de Tempore occurrente; tertia Lectio et alia omnia tam in Matutino quam in Laudibus e Horis ut in Officio sanctæ Mariæ in Sabbato assignatur.

5. Dicuntur Preces Dominicales ad Primam et Completorium, et fiunt Suffragia consueta de Apostolis et Pace, et tempore Paschali sola commemoratio de Cruce, ut in secunda Feria post Octavam Paschæ. Post Nonam nihil fit de ea, nisi consueta ejus commemoratio cum aliis Suffragiis, quando dicenda sunt in Officio de Dominica.

De Commemorationibus IX.

Commemorationes fiunt de Festis simplicibus, quando in eorum diebus incidit Festum novem Lectionum etiam translatum, vel Domi-

Digitized by Google

nica, vel Octava, vel Sabbatum, et quando fieri debet de Feria, ut ponatur Officium alicujus Dominicæ, quæ eo anno supersit.

2. De Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, et secunda Rogationum fit commemoratio, quando Festum novem Lectionum in illis Feriis occurrit. Si simplex Festum in eisdem Feriis occurrat, Officium fit de Feria et commemoratio de Festo simplici.

3. Præterea fit commemoratio de Dominicis a Pentecoste usque ad Adventum, et ab Epiphania usque ad Septuagesimam, et a Dominica in Albis usque ad Pentecosten exclusive, quando Festo duplici impediuntur. De aliis Dominicis nulla fit commemoratio, occurrente Festo duplici, quia Festum in illis occurrens transfertur, nisi illud Festum fuerit principalis Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis ipsius Ecclesiæ, non autem alicujus Capellæ, vel Altaris ejusdem Ecclesiæ; et tunc de hujusmodi principali Festo fit tantum in eo loco, vel Ecclesia cujus est Patronus, vel Titulus, aut Dedicatio, cum commemoratione Dominicæ: excepta Dominica prima Adventus, Dominica prima Quadragesimæ, Dominica Passionis, Dominica Palmarum, Dominica Paschæ, Dominica in Albis, ac Dominica Pentecostes et Trinitatis: in quibus hujusmodi occurrens Festum transfertur in sequentem diem similiter non impeditam, dummodo non fuerit infra majorem Hebdomadam et per Octavam Paschæ et Pentecostes, quibus diebus non fit de aliquo Festo duplici occurrente.

4. De Octava etiam, quando Festo novem Lectionum, vel Dominica impeditur, fit commemoratio, nisi illud Festum novem Lectionum fuerit solemne principale alicujus loci, ut supra. Nam in primis Vesperis et Laudibus hujusmodi Festi nulla fit commemoratio Festi simplicis occurrentis, nec alicujus Vigiliæ, excepta Vigilia Epiphaniæ, nec alicujus diei infra Octavam, nec alicujus præcedentis Festi novem Lectionum (nisi id Festum fuerit ex iis quæ infra in hac eadem Rubrica enumerantur), nec diei Octavæ, nec Dominicæ, si Festum illud solemne celebretur Feria secunda: exceptis Dominicis Adventus, et Dominicis a Septuagesima usque ad Octavam Paschæ inclusive: de quibus Dominicis, sicut etiam de Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor temporum, et secundæ Rogationum semper fit commemoratio, quocumque Festo adveniente. Quod si hujusmodi Festum solemne venerit in quacumque Dominica, fit commemoratio de ea in utrisque Vesperis et Laudibus. Et similiter si occurrat in die Octava alicujus Festi habentis Octavam, de ea fit commemoratio etiam in utrisque Vesperis et Laudibus. In secundis autem Vesperis Festi prædicti fit commemoratio de Duplici, Semiduplici, et Dominica sequentibus, et non de aliis.

5. Idem servatur in quibusdam Festis majoribus per annum, scilicet in Nativitate Domini (in cujus Officio nulla fit commemoratio de sancta Anastasia, sed in secunda tantum missa), in Epiphania, in Pascha resurrectionis cum tribus proxime antecedentibus, et duobus sequentibus diebus, in Ascensione Domini, in Pentecoste cum duobus sequentibus diebus, in Festo Corporis Christi, in Festis Nativitatis sancti Joannis Baptistæ, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Assumptionis beatæ Mariæ, in Festo omnium Sanctorum, et in festo Dedicationis propriæ Ecclesiæ: in quibus Festis fiunt commemorationes eo modo tantum, quo dictum est supra de Festo solemni alicujus loci.

6. In Festis autem secundi ordinis, videlicet, Circumcisionis, Trinitatis, Purificationis, Annuntiationis et Nativitatis beatæ Mariæ, in Natalitiis xij Apostolorum et Evangelistarum, in Festo sancti Joseph, Inventionis sanctæ Crucis, et in Festo sancti Laurentii, et Dedicationis sancti Michaëlis Archangeli, in primis Vesperis fit commemoratio Festi duplicis eo die celebrati,

nisi aliter in propriis locis notetur : de Dominica vero, de die infra Octavam, et de Festis semiduplicibus non fit commemoratio , eo modo , quo nec in Festo solemni alicujus loci , ut dictum est supra. De Simplicibus et Vigiliis in his Festis occurrentibus legitur nona Lectio, et fit commemoratio in Laudibus tantum. In secundis autem Vesperis fit commemoratio de quocumque sequenti Festo , etiam simplici, et de die infra Octavam, si de ea fieri debeat Officium die sequenti. De Octavis Nativitatis Domini , Epiphaniæ et Corporis Christi , semper fit commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus, quandocumque contigerit infra illas de aliquo alio Festo Officium celebrari juxta Rubricam de Octavis, num. 3.

7. De Dominicis et Feriis Adventus et Quadragesimæ commemoratio fit in utrisque Vesperis et Laudibus De feriis Quatuor Temporum , Vigiliarum et secunda Rogationum , quando de illis commemoratio fieri debet , fit in Laudibus tantum. De Festis autem simplicibus (nisi in diebus supradictis occurrant) commemoratio fit in primis Vesperis et Laudibus eo die quo in Kalendario assignantur. De aliis vero Dominicis per annum et Octavis commemoratio fit in utrisque Vesperis et Laudibus , nisi concurrant cum supra enumeratis Festis.

8. Commemorationes fiunt hoc modo : post orationem diei , in primis Vesperis dicitur Antiphona quæ posita est ad *Magnificat*, et in Laudibus, quæ posita est ad *Benedictus* in Communi (si propriam non habuerit) conveniens ejus Officio cujus fit commemoratio. Post Antiphonam dicitur versus, inde sumendus, unde sumpta est Antiphona , scilicet post Hymnum Vesperarum et Laudum , deinde dicitur Oratio. Si antiphona et Versus Festi de quo fit commemoratio , sumenda essent ex eodem Communi, unde sumpta sunt in Officio diei, in Festo commemorationes variantur, ita ut in Vesperis sumantur ex Laudibus , et in Laudibus ex primis Vesperis ejusdem Communis , nisi aliter signetur. Et similiter si in secundis Vesperis sanctæ Agathæ , aut alterius sanctæ novem Lectionum fieri debeat commemoratio beatæ Mariæ , pro ejus Officio in sequenti Sabbato celebrando , ne repetatur ℣. *Diffusa est gratia* , dicatur ℣. *Benedicta tu* , ex Laudibus. Si iterum occurrat, ut eadem sit oratio Festi de quo fit commemoratio , mutetur oratio pro commemoratione in aliam de Communi. Si de Tempore fiat commemoratio , de Dominica scilicet vel Feria, Antiphona et versus ante orationem eodem modo sumantur ex Proprio de Tempore , si habuerit proprium ; alioquin de Psalterio , Oratio vero ex Proprio de Tempore.

9. Quando fit commemoratio de Dominica , vel Feria , quæ habent propriam Homiliam, nona Lectio in Officio diei novem Lectionum legitur de Homilia Dominicæ , vel feriæ ; quæ erit vel prima de Homilia , vel tres simul in una Lectione conjunctæ.

10. Si in die , in quo fit Officium novem Lectionum , fiat commemoratio de Festo trium Lectionum , nona Lectio legitur de Festo trium Lectionum, si propriam habuerit; si duas, ex duabus fiat una Lectio , quæ sit nona in Officio novem Lectionum. Quæ Lectio de Sancto non legitur , quando de eo fit commemoratio in Dominicis , quæ habent nonum Responsorium, nec quando nona Lectio legenda est de Homilia Dominicæ vel Feriæ , ut supra ; nec in Feriis et aliis diebus , quando in Officio diei leguntur tantum tres Lectiones , nec etiam nona Lectio legitur de die infra Octavum , quando de ea fit commemoratio in Dominica vel aliquo Festo , licet habeat Evangelium proprium et Homiliam.

11. Quando contingit fieri plures commemorationes , servetur hic ordo : De Duplici fiat ante Dominicam , de Dominica ante Festum semiduplex , de Semiduplici ante diem infra Octavam, de die infra Octavam ante Ferias Adventus , Quatuor Temporum , Vigiliarum et Rogationum , et de dictis Fe-

iris ante Festum simplex. De sancta Maria (quando in secundis Vesperis Festi novem Lectionum , quod Feria vj celebratum sit , de ea fieri debet commemoratio pro Officio sequentis Sabbati) fiat ante Festum simplex in Sabbato occurrens. De Festo simplici fit commemoratio ante Suffragia , seu communes commemorationes de Cruce, sancta Maria , Apostolis et de Pace , et ante commemorationem cujuscumque Tituli , vel Patroni Ecclesiæ , quæ etiam pro sui dignitate aliis Suffragiis prædictis præponeretur.De quibus Suffragiis , quomodo et quando facienda sint, habetur inferius propria Rubrica.

De Translatione Festorum X.

SI aliquod Festum duplex occurrat in Dominicis Adventus , et in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in Albis inclusive , in Vigilia Nativitatis Domini , in die Circumcisionis , in tota Octava Epiphaniæ , in Feria quarta Cinerum , in tota majori Hebdomada, et infra Octavam Paschæ , in Ascensione Domini , in diebus a Vigilia Pentecostes usque ad Festum Trinitatis inclusive, in Festo Corporis Christi et ejus die Octava , in Festo Assumptionis beatæ Virginis et omnium Sanctorum, transfertur in primam diem Festo duplici vel semiduplici non impeditam , exceptis tamen Festis Nativitatis sancti Joannis Baptistæ, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli , quæ in die Octava Corporis Christi celebrantur, excepto quoque Festo quocumque solemni alicujus loci , quod in propria tantum Ecclesia , etiam in aliquibus ex supradictis diebus occurrens, scilicet in Dominicis ij , iij et iv Adventus et Quadragesimæ , Dominica Septuagesimæ , Sexagesimæ et Quinquagesimæ, et diebus infra Octavam Epiphaniæ (ut in Rubrica de Commemorationibus dictum est) celebratur. Si autem Festum Purificationis B. Mariæ venerit in aliqua Dominica ij classis, transfertur in feriam sequentem , quamvis impeditam; idemque est de Annuntiatione B. Mariæ. Item si Festum Nativitatis sancti Joannis Baptistæ venerit in die Corporis Christi , transfertur in sequentem diem , cum commemoratione Octavæ, et in secundis Vesperis Corporis Christi fit tantum commemoratio sancti Joannis : sequentibus autem diebus fit Officium de eadem Octava CorporisChristi cum commemoratione Octavæ sancti Joannis. Dies autem Octava sancti Joannis tunc veniens in die Octava Corporis Christi , non transfertur , sed de illa eo anno fit tantum commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus diei Octavæ Corporis Christi ; et id semper servetur , quando festum habens Octavam transfertur ; ut non ideo dies Octava transferatur , sed ipsa die de ea fiat commemoratio , quæ alias erat Octava , si festum non fuisset translatum. Quod si Festum post totam suam Octavam transferri contigerit , illo anno celebratur sine Octava , nisi Titularis Ecclesiæ privilegio aliter fieri oporteat.

2. Si in die Octava alicujus Festi habentis Octavam occurrat aliquod Festum duplex ex majoribus supra in Rubrica de Commemorationibus enumeratis , fiat de Festo cum commemoratione diei Octavæ , excepta die Octava Nativitatis Domini et Epiphaniæ, in quibus non fit de aliquo Festo, sed transfertur in primam diem similiter non impeditam. Si autem non fuerit ex prædictis Festis , fiat de Octava , et Festum transferatur , ut supra.

3. Si aliquod Festum duplex infra Octavam occurrens alio majori Festo duplici impediatur, transferatur in primam diem similiter non impeditam , et in eo fiat commemoratio de Octava.

4. Si in aliis Dominicis per annum a supradictis occurrat Festum duplex, non transfertur, ut dictum est in Rubrica de Commemorationibus.

5. Festum semiduplex occurrens diebus supradictis, et infra Octavam Corporis Christi et aliis Dominicis per annum , transfertur in primam diem simili Officio non impeditam: occurrens vero in Dominicis infra illas Octavas,

in quibus fit de Festis occurrentibus (ut dictum est in Rubricis de Octavis), transfertur in sequentem diem, cum commemoratione Octavæ, quæ, si fuerit alio Festo duplici vel semiduplici impedita, prædictum Festum semiduplex veniens in Dominica, transfertur post Octavam, ita ut Festum semiduplex infra Octavam non transferatur, nisi in proxime sequentem diem.

6. Si duo vel plura Festa novem Lectionum simul eodem die veniant, fiat Officium de majori, id est, de duplici, et semiduplicia transferantur. At si omnia fuerint duplicia, vel omnia semiduplicia, fiat de digniori, seu solemniori, et quæ minoris solemnitatis sunt, transferantur.

7. Sed si plura Festa novem Lectionum transferenda sint, prius transferatur duplex quam semiduplex, et inter plura duplicia, quod est magis solemne semper prius transferatur, et prius celebretur: alioquin si sunt æqualia, unum ante aliud transferatur eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus.

8. Festum simplex nunquam transfertur; sed si de eo fieri non potest Officium, fiat commemoratio, ut dictum est in Rubrica de Commemorationibus; si autem venerit in illis diebus, in quibus de simplici nulla fit commemoratio, eo anno non fit de eo amplius.

9. Si aliquod Festum novem Lectionum, in quo annotatum est fieri commemorationem alicujus Sancti, transferatur propter advenientem Dominicam, vel aliud Festum majus, non tamen transfertur cum illo commemoratio illius Sancti in eo assignata; sed dicta commemoratio fit die suo in Dominica, vel alio Festo, in quo fieri possit, cum nona Lectione ejusdem, si propriam de vita Sancti habuerit: Festum vero novem Lectionum transfertur sine ulla amplius commemoratione Festi simplicis prædicti. Quod etiam servatur in commemorationibus occurrentibus in Vigiliis, cum de Vigilia veniente in Dominica fit in Sabbato præcedenti: tunc enim commemoratio Festi simplicis non fit in Officio Vigiliæ, sed in Dominica.

De Concurrentia Officii. XI.

CONCURRENTIA Officii attendenda est semper in secundis Vesperis quomodo sit ordinandum Officium cum sequenti die. Itaque cum dicitur Officium aliquod cum alio concurrere, intelligitur de præcedenti in secundis Vesperis, cum sequenti in primis Vesperis.

2. Duplici ergo in secundis Vesperis concurrente cum alio sequenti duplici in primis, si utraque sint ejusdem solemnitatis, regulariter a Capitulo fit de sequenti cum commemoratione præcedentis, nisi aliter in propriis locis annotetur. Si vero non sint ejusdem solemnitatis, servetur differentia in Rubrica de Commemorationibus et Translatione Festorum assignata: ut scilicet Festa majora habeant primas et secundas Vesperas integras, cum commemoratione minorum, quando de eis fieri debet. Si autem post aliquod Festum ex iis quæ in secundo ordine posita sunt in Rubrica de Commemorationibus, sequatur immediate aliud ex solemnibus majoribus, Vesperæ erunt de sequenti cum commemoratione præcedentis. Inter Festa æqualis solemnitatis servetur hic ordo, ut Festa Domini præferantur omnibus aliis, et habeant utrasque Vesperas integras: sicuti Festa beatæ Mariæ, Festis Sanctorum; item Festa Angelorum, sancti Joseph sponsi beatæ Mariæ Virginis, et Apostolorum, cæteris aliis; et Festa illorum Sanctorum, qui in propriis locis vel Ecclesiis solemniter celebrantur, aliis in Kalendario descriptis.

3. Duplici vero concurrente cum Festo semiduplici, cum Dominica, cum die infra Octavam, cum Festo simplici, et cum Officio beatæ Mariæ in Sabbato, omnia in secundis Vesperis de Duplici cum commemoratione illorum; nisi illud Duplex fuerit de iis, quæ excipiuntur in Rubrica de Commemo-

Digitized by Google

rationibus, in quibus aliquæ commemorationes omittuntur. Duplici etiam, et quocumque Officio novem Lectionum concurrente cum Feria, vel potius sequente Feria, omnia de Duplici, et nihil de Feria sequente. Sed si Festum celebretur in Adventu et Quadragesima, fit semper commemoratio de Feria, ut infra dicetur. Idem dicendum de Festis simplicibus venientibus cum sequenti Festo novem Lectionum, de quibus etiam commemoratio fit, non ratione concursus, sed quia eodem die occurrunt, ut dictum est in Rubrica de Commemorationibus.

4. Semiduplici Festo, Dominica et die infra Octavam concurrentibus cum sequenti Duplici, omnia de Duplici cum commemoratione illorum, nisi Duplex fuerit ex numero majorum, quæ supra in Rubrica de Commemorationibus numerata sunt, in quibus nulla fit commemoratio præcedentis. Semiduplici Festo concurrente cum sequenti alio semiduplici, cum Dominica, vel cum die infra Octavam, a Capitulo fit de sequenti, et commemoratio præcedentis, nisi aliter signetur. Semiduplici autem concurrente cum sequenti Festo simplici, vel cum Officio beatæ Mariæ in Sabbato, omnia de Semiduplici, cum commemoratione sequentis.

5. Dominica concurrente cum sequenti Festo semiduplici et cum die infra Octavam, vel cum Festo simplici, omnia de Dominica cum commemoratione sequentis.

6. Die infra Octavam concurrente cum sequenti Dominica, vel Semiduplici, a Capitulo fit de sequenti, cum commemoratione Octavæ. Dies infra Octavam cum Simplici proprie non habet concursum, quia in sequenti die infra Octavam non fit de Simplici, nisi commemoratio, quæ et eàdem ratione in præcedenti die infra Octavam fieri debet.

7. Die Octava concurrente cum alia die Octava, a Capitulo fit de sequenti, cum commemoratione præcedentis, excepta Octava Corporis Christi concurrente cum Octava sancti Joannis Baptistæ, in qua de sequenti fit tantum commemoratio, et quando aliter in propriis locis notatur. Die Octava concurrente cum sequenti Duplici minori, etiam translato, a Capitulo fit de sequenti, cum commemoratione Octavæ (exceptis diebus Octavis Festivitatum beatæ Mariæ Virginis, etiam particularibus alicujus Religionis, in quibus de sequenti fit tantum commemoratio). Concurrente vero cum sequenti Duplici majori, etiam translato, totum Officium fit de sequenti, cum commemoratione Octavæ, excepta die Octava Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis et Corporis Christi, in quibus de sequenti fit tantum commemoratio. Si autem sequens Festum etiam translatum fuerit ex solemnioribus supra enumeratis in Rubrica de Commemorationibus, in secundo ordine numeri 6, totum Officium fit de sequenti cum commemoratione Octavæ.

8. Simplex cum alio non potest concurrere in secundis Vesperis (licet cum ipso possit esse concursus in primis Vesperis), quia non habet secundas Vesperas, sed ejus Officium terminatur ad Nonam, et deinceps nihil fit de eo, nec commemoratio. Si sequatur aliud Simplex, Psalmi erunt de Feria occurrente in Psalterio ad Vesperas, et a Capitulo fit de sequenti Simplici sine ulla commemoratione præcedentis. Si sequatur Officium novem Lectionum, Vesperæ totæ erunt de eo sine ulla similiter commemoratione Simplicis præcedentis. Si nullum Festum sequatur, subintrat Officium de Tempore, et Vesperæ totæ erunt de Feria.

9. Feria non potest concurrere cum alio Officio in secundis Vesperis, neque cum ipsa potest esse concursus in primis Vesperis, quia ejus Officium incipit et desinit, ubi desinit et incipit quodcumque aliud Officium. Quamvis proprie (si ei dandum est principium) sequente Feria post aliam Feriam, ejus Officium incipiat a Matutino, et terminetur sequente alia Feria ad Completorium; et ideo si Feria sequatur aliam Feriam, in Vesperis præcedentis Feriæ nihil fit de se-

Digitized by Google

quenti, quaod ea quæ in sequenti Feria sunt propria; Verbi gratia, si in Vesperis Feriæ tertiæ ante Feriam quartam Cinerum fiat de Feria, dicitur oratio Dominicæ præcedentis, non autem ea quæ est propria in sequenti Feria quarta Cinerum, nec ante Orationem dicuntur Preces, quæ dicendæ sunt in dicta Feria quarta Cinerum. Quod etiam fit quando Feria per annum præcedit Feriam Quatuor Temporum, vel Vigiliarum. Hac etiam ratione superius dictum est in concurrentia aliorum Officiorum, cum Feria nullum Officium concurrere, et nihil fieri de Feria præcedenti, adveniente alio Officio. Si autem de ea aliquando fieri debeat commemoratio in Vesperis, non fit ratione concursus, sed quia eo die, quo Officium Feriarum Adventus et Quadragesimæ impeditur, illarum commemoratio ratione temporis ex præcepto Ecclesiæ prætermitti non debet.

10. Cum vero occurrit, ut Festum simplex veniat in Feria quarta et sexta Quatuor Temporum, in Feria quarta Cinerum, et in Vigiliis quæ jejunantur, Vesperæ antecedentes (nisi ea die celebratum sit Festum novem Lectionum) erunt de Feria communi per annum, non autem de sequenti, ut dictum est, cum commemoratione Festi simplicis in sequenti Feria occurrentis. Quod non ideo fit, quia sequens Feria habet primas Vesperas; sed quia cum Festum simplex in sequenti die non habeat Officium propter Feriam prædictam in eo occurrentem, nec etiam convenit illud habere primas Vesperas in præcedenti die. Et eadem ratione si Festum simplex occurrat Feria quinta in Cœna Domini, in qua de eo non debet fieri commemoratio, nulla etiam fiet commemoratio in Vesperis Feriæ quartæ præcedentis.

De ordinando Officio ex praedictis Rubricis. XII.

Si quis velit ex supradictis Rubricis ordinare Officium occurrentis diei, videat in Kalendario et in Tabula Festorum mobilium, de quo fiat Officium sequenti die, et ut invenerit esse faciendum, sic ordinabit illud in Vesperis et aliis Horis nocturnis et diurnis.

2. Si ordinandum sit Officium de Tempore, id est, de Dominica vel Feria, recurrendum est semper ad Psalterium, ubi ordinate ponitur quod est commune Officii de Tempore, cum distributione Psalmorum, et ad Proprium de Tempore, ubi Lectiones et Responsoria, quædam Antiphonæ et Orationes ponuntur, quæ desunt in Psalterio. Invitatorium, Hymni, Capitula, Versus, Responsoria brevia et Antiphonæ, quæ diversis temporibus ponuntur in Proprio, dicuntur loco eorum quæ sunt in Psalterio: cum vero propria non fuerint, dicuntur ut in Psalterio.

3. Si Officium sit ordinandum de Sancto, recurrendum est semper ad Commune Sanctorum, nisi proprium habeat in Proprio Sanctorum, ubi pro qualitate Festi, si novem Lectionum, id est, duplex, vel semiduplex fuerit, omnia ordinate ponuntur, illis exceptis, quæ propria suis locis habentur. Si Festum fuerit trium Lectionum (Nocturno Feriæ et Lectionibus exceptis) omnia sumuntur de eodem Communi. Tres Lectiones primi Nocturni in Officio novem Lectionum, et prima et secunda Lectio, vel prima tantum in Festis trium Lectionum, sumuntur de Scriptura in Officio de Tempore, nisi aliæ in propriis locis ponantur.

4. In majoribus Solemnitatibus et Festis per annum, totum Officium ordinatur ut in propriis locis ponitur.

5. In Festis beatæ Mariæ (omissis iis, quæ propria in illis habentur) Hymni, novem Psalmi et alia quædam requirenda sunt ex Communi eius Officio parvo, circa finem Breviarii.

6. Modus inchoandi Officium, dicendi Invitatorium, Hymnos, Antiphonas et Versus, habetur in principio Psalterii. Cum vero Antiphonæ duplicandæ sunt, dicuntur integræ ante Psalmos, sicut in fine Psalterii.

Digitized by Google

7. Modus dicendi Absolutiones et Benedictiones ante Lectiones, legendi et terminandi Lectiones, dicendi Responsoria post Lectiones, ac Responsoria brevia post Capitula, habetur in prima Dominica de Adventu.

8. Quomodo sit inchoandum et terminandum Officium per Horas, habetur in Psalterio: quomodo terminandum per Antiphonas beatæ Mariæ, habetur in fine Completorii.

9. Sed ut hæec omnia facilius habeantur, positæ sunt sequentes Rubricæ de singulis Horis, earumque partibus distincte cognoscendis.

De Matutino XIII.

AD Matutinum hæc per ordinem regulariter dicuntur, secundum diversitatem Officii, nisi aliter in quibusdam diebus annotetur: *Pater noster*, *Ave Maria*, *Credo*, omnia secreto: deinde clara voce Hebdomadarius dicit *Domine labia mea, etc.*, pollice signando sibi os signo Crucis, *Deus in Adjutorium, etc.* manu extensa signando se signo Crucis a fronte ad pectus, et a sinistro humero usque ad dexterum (quod servatur in principio omnium Horarum, cum dicitur *Deus in adjutorium)* cum *Gloria Patri* et aliis, ut in principio Psalterii. Deinde dicitur Invitatorium conveniens Officio de Tempore, vel de Sancto, quod dicitur cum Psalmo *Venite exultemus*, eo modo quo in principio Psalterii describitur. Dicto Psalmo et repetito Invitatorio, dicitur Hymnus, qui Officio de Tempore, vel de Sancto convenit.

2. Postea in Duplicibus et Semiduplicibus dicuntur novem Psalmi (sed in Dominicis plures, ut in Psalterio) cum suis Antiphonis et Versibus, quæ Tempori vel Festo conveniunt, et totidem Lectiones cum octo Responsoriis, aliquando cum novem, ut suis locis ponitur, per tres Nocturnos distinctos, hoc modo.

3. In primo Nocturno dicuntur tres Psalmi cum tribus Antiphonis, post singulos Psalmos una Antiphona: sed tempore Paschali, id est, a Dominica in Albis usque ad Pentecosten (præterquam in Officio Ascensionis Domini) tres Psalmi cujusque Nocturni dicuntur sub una Antiphona: et in fine Psalmorum post ultimam Antiphonam cujusque Nocturni dicitur Versus, postea *Pater noster*, *et ne nos*. Absolutio *Exaudi*, Benedictio *Benedictione perpetua*, et aliæ ad singulas Lectiones, ut in prima Dominica de Adventu ordinantur. Deinde leguntur tres Lectiones de Scriptura, quæ per ordinem in Officio de Tempore occurrunt (nisi aliæ assignentur), et ad singulas Lectiones dicitur unum Responsorium conveniens Officio: si de Tempore, ut in Proprio Temporis; si de Sancto, ut in Proprio Sanctorum; alioquin ut in Communi, etiamsi Lectiones primi Nocturni sint de Scriptura Officii de Tempore.

4. In fine ultimi Responsorii cujusque Nocturni dicitur *Gloria Patri*, cum repetitione partis Responsorii, eo modo quo notatur in tertio Responsorio primæ Dominicæ de Adventu, nisi aliter in propriis locis signetur.

5. In secundo Nocturno dicuntur alii tres Psalmi, Antiphonæ, Versus, *Pater noster*, Absolutio *Ipsius pietas*, et ei consequentes Benedictiones, ut in dicta Dominica prima de Adventu: tres Lectiones de aliquo Sermone, aut de vita illius Sancti, de quo fit Officium, et ad quamlibet Lectionem unum Responsorium.

6. In tertio Nocturno alii tres Psalmi cum Antiphonis, ut supra: post tertiam Antiphonam, Versus, *Pater noster*, Absolutio *A vinculis*, et Benedictiones consequentes ad singulas Lectiones, quæ erunt de Homilia Evangelii de Tempore, vel de Festo, secundum qualitatem Officii, ut in eadem prima Dominica de Adventu ponuntur. Post septimam et octavam Lectionem dicitur Responsorium Officio conveniens, id est, post quamlibet unum: aliquando autem dicitur etiam post nonam Lectionem, ut suis locis notatur: in fine ultimi Responsorii,

Digitized by Google

aut octavi, aut noni dicitur *Gloria Patri*, ut supra, nisi aliter signetur. Si non dicitur nonum Responsorium, post ultimam Lectionem dicitur Hymnus *Te Deum*.

7. In Officio trium Lectionum ad Matutinum, *Pater noster*, *Ave Maria*, *Credo*, *Domine labia*, *etc.* Invitatorium et Hymnus in feriali Officio de Feria, si non sint in Proprio de Tempore, dicuntur ut in Psalterio: in Festis, de Festo, ut in Communi Sanctorum: deinde Nocturnum Feriæ, ut in Psalterio, id est, duodecim Psalmi cum sex Antiphonis, et tempore Paschali cum una Antiphona *Alleluia:* qui dicuntur tam in Officio feriali, quam in Festis simplicibus.

8. Post Psalmos et Antiphonas dicitur Versus, in feriali Officio, ut in Psalterio: in Festis, ut in Communi Sanctorum: qui in Festis sumitur secundum Ferias ex Nocturno Communis, unde sumuntur Responsoria, ut dicetur infra in Rubricis de Versibus et Responsoriis. Post Versum dicitur *Pater Noster*, Absolutio et Benedictiones, ut habetur infra in Rubrica de Absolutionibus et Benedictionibus. Tres Lectiones (si non adsit Homilia) singulæ in Officio feriali dicuntur de Scriptura, quæ eo die occurrit in Proprio de Tempore: si adsit Homilia, singulæ tres de Homilia. In Festis, prima et secunda de eadem Scriptura, tertia de Sancto. Si fuerint duæ Lectiones de Sancto, prima tantum erit de Scriptura, reliquæ de Sancto.

9. Post singulas Lectiones in Feriis extra tempus Paschale dicitur unum Responsorium, ita ut dicantur tria Responsoria; tempore vero Paschali, et in Festis, duo tantum Responsoria dicuntur, scilicet post primam et secundam Lectionem tantum. In fine ultimi Responsorii, secundi scilicet, aut tertii, dicitur *Gloria Patri*, cum repetitione partis Responsorii, nisi aliud notetur. Quæ Responsoria in Officio de Sanctis sumuntur ex Communi Sanctorum; in feriali Officio ex Dominicis, quando propria per Ferias non distribuuntur, ordine descripto in Rubrica de Responsoriis. Quando non dicitur tertium Responsorium, post tertiam Lectionem, dicitur Hymnus *Te Deum*.

De Laudibus XIV.

AD Laudes, dicto Hymno *Te Deum* vel ultimo Responsorio, Hebdomadarius absolute dicit *Deus in adiutorium, etc.* ut supra, et dicuntur Psalmi, et Canticum *Benedicite*, vel aliud, ut habetur in feriali Officio extra tempus Paschale, cum Antiphonis Officio convenientibus. Qui Psalmi et Canticum in Dominicis per annum (exceptis Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive) et in feriali Officio temporis Paschalis, ac in Festis tam novem, quam trium Lectionum, dicuntur de Dominica, ut in Psalterio. In prædictis vero Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive, dicuntur ut suis locis ponitur. In feriali Officio per annum, extra tempus Paschale, dicuntur ut in Psalterio.

2. Antiphonæ in Dominicis, quando propriæ non assignantur, dicuntur ut in Psalterio. In Festis novem et trium Lectionum, si non adsint propriæ, dicuntur de Communi. Post Psalmos dicitur Capitulum, Hymnus, Versus, Antiphona ad Canticum *Benedictus* cum eodem Cantico, et Oratio: omnia pro qualitate Officii de Tempore, vel de Festo.

3. Preces, quando dicendæ sunt, dicuntur ante primam Orationem; commemorationes vero de Cruce, de sancta Maria, de Apostolis, de Patrono, et de Pace similiter, quando dicendæ sunt, dicuntur post Orationem; nisi alia commemoratio Festi simplicis occurrat, quæ semper prædictas commemorationes præcedit, de quibus in propriis Rubricis dicitur.

4. Ante Orationem dicitur *Dominus vobiscum*, et *Oremus*: post ultimam Orationem repetitur *Dominus vobiscum*; deinde, *Benedicamus Domino*, et ℣. *Fidelium animæ*, *Pater noster*, *Dominus det nobis suam pacem*, et

Antiphona beatæ Mariæ, ut habetur in fine Completorii, si tunc discedendum sit a Choro: alioquin in fine ultimæ Horæ, nisi sequatur Missa, vel Officium Defunctorum, vel Psalmi Pœnitentiales, aut Litaniæ, ut in propria Rubrica dicetur.

De Prima XV.

AD Primam, *Pater noster*, *Ave Maria*, *Credo*, secreto: *Deus in Adjutorium*, *etc.* Hymnus *Jam Lucis orto sidere*. Deinde, inchoatur Antiphona, quæ convenit. Sumuntur autem Antiphonæ in Festis ad omnes Horas ex Laudibus per ordinem, quarta prætermissa, ut dicetur infra in Rubrica de Antiphonis. Postea dicuntur Psalmi, qui in Dominicis et Feriis dicuntur, ut in Psalterio. In Festis autem, et tempore Paschali, tres tantum, ut etiam ibi annotatur.

2. Post Antiphonam dicitur Capitulum, *Regi sæculorum*. In feriali Officio extra tempus Paschale dicitur Capitulum *Pacem*, deinde Responsorium breve *Christe Fili Dei vivi*, etc. Post Responsorium breve in Officio duplici, et infra Octavas statim dicitur Oratio *Domine Deus omnipotens*. In alio Officio dicitur *Kyrie eleison* cum reliquis Precibus: omnia ut in Psalterio. Ad versum autem *Adjutorium*, Hebdomadarius signat se signo Crucis a fronte ad pectus. Quando aliquis solus recitat Officium, semel tantum dicit *Confiteor*, omissis illis verbis *tibi pater*, vel *vobis fratres*, et similiter dicit *Misereatur nostri* .... *peccatis nostris, perducat nos*, quod etiam servatur ad Completorium. In feriali Officio, quando dictæ sunt Preces ad Laudes, adduntur aliæ Preces, ut ibidem in Psalterio.

3. Post Orationem Primæ, vel, si dicatur Officium beatæ Mariæ, post illius Orationem, dicto *Benedicamus*, in Choro legitur Martyrologium: deinde dicitur *Pretiosa* cum reliquis, quæ etiam dicuntur ab iis, qui extra Chorum non legerint Martyrologium. In fine ad Absolutionem Capituli, in Festis et aliquibus diebus, pro Lectione brevi dicitur Capitulum Nonæ, si adsit proprium, alioquin de Communi: alio tempore, tam in Dominicis, quam Feriis, Lectio brevis Officio illius temporis in Psalterio assignata.

De Horis Tertia, Sexta et Nona. XVI.

AD Tertiam, Sextam et Nonam ante singulas Horas dicitur *Pater noster*, *Ave Maria*, *Deus in adjutorium*, Hymnus, et Psalmi ut in Psalterio: Antiphonæ secundum Officii qualitatem, ordine quo supra. Dictis Psalmis et Antiphona, dicitur Capitulum et Responsorium breve pro qualitate Officii; quæ in Dominicis et Feriis; quando non habentur propria in Proprio de Tempore, dicuntur ut in Psalterio: in Festis, si in Proprio Sanctorum non sint propria, sumuntur de Communi. Post Responsorium breve dicitur *Dominus vobiscum*, et Oratio quæ habetur in proprio de Tempore: si autem fit de Sancto, ut in Proprio Sanctorum; alioquin ut in Communi.

2. Post Orationem repetitur *Dominus vobiscum*, et dicitur *Benedicamus Domino*, *Fidelium animæ*, et *Pater noster*, secreto, ut infra in Rubrica de Oratione Dominica explicatur.

De Vesperis XVII.

AD Vesperas, *Pater noster*, *Ave Maria*, *Deus in adjutorium*, etc. Deinde dicuntur quinque Psalmi cum quinque Antiphonis, ut in Proprio aut Communi Sanctorum signatur. In Dominicis autem et Feriis Antiphonæ et Psalmi semper dicuntur ut in Psalterio, ubi etiam tempore Paschali Psalmi dicuntur sub una Antiphona *Alleluia*, nisi aliæ propriæ Antiphonæ vel Psalmi (ut in Dominicis Adventus et triduo ante Pascha) assignentur.

2. Post Psalmos et Antiphonas dicitur Capitulum, Hymnus, Versus, Antiphona ad *Magnificat* cum eodem Cantico, et Oratio; omnia de Tempore vel de Sancto, pro qualitate Officii.

3. Preces, quando dicendæ sunt, dicuntur ante Orationem; Commemo-

Digitized by Google

rationes vero de Cruce, sancta Maria, Apostolis, Patrono et Pace, post Orationem, ut in propriis Rubricis habetur. Terminatur autem Officium Vesperarum ut in aliis Horis.

De Completorio XVIII.

AD Completorium absolute dicitur Lectio brevis, ut in Psalterio; deinde *Pater noster*, *Confiteor*, *Misereatur*, *Indulgentiam*, *Converte*, *Deus in adjutorium*, Antiphona, Psalmi, Hymnus, Capitulum, Responsorium breve, Canticum cum Antiphona; omnia ut in fine Psalterii; et post Antiphonam in Duplicibus et infra Octavas dicitur Oratio; in alio autem Officio ante Orationem dicitur *Kyrie eleison* cum reliquis precibus, ut ibidem in Psalterio.

2. Post Versum *Benedicat et custodiat nos*, etc. dicitur una ex Antiphonis beatæ Mariæ cum Versiculo et Oratione, ut ibidem; et dicto Versu *Divinum auxilium*, dicitur secreto *Pater noster*, *Ave Maria*, et *Credo*.

De Invitatorio XIX.

INVITATORIUM semper dicitur in omni Officio ad Matutinum cum Psalmo *Venite exultemus*, ordine in principio Psalterii descripto: sed variatur pro Officii qualitate, ut in Psalterio et Proprio de Tempore, ac in Proprio et Communi Sanctorum.

2. Non dicitur in die Epiphaniæ, nec in triduo ante Pascha, ut suis locis notatur; nec in Officio Defunctorum per annum, excepto die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, ac in die obitus seu depositionis Defuncti, et quandocumque dicuntur tres Nocturni.

De Hymnis XX.

HYMNI semper dicuntur in qualibet Hora, præterquam a triduo ante Pascha usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive, et præterquam in Officio Defunctorum.

2. Ad Matutinum Hymnus dicitur post Psalmum *Venite*, repetito Invitatorio, præterquam in die Epiphaniæ. Ad Laudes et Vesperas dicitur post Capitulum; ad Horas, ante Psalmos; ad Completorium, post Psalmos et Antiphonam.

3. Dicuntur autem in Officio de Tempore ut in Psalterio, quando proprii Hymni in Proprio de Tempore non adsunt; qui Hymni de Psalterio in Dominicis et Feriis assignati, dicuntur ab Octava Pentecostes usque ad Adventum (Dominica infra Octavam Corporis Christi excepta) et ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam primam Quadragesimæ exclusive. In Officio de Sanctis, dicuntur ut in Communi Sanctorum, nisi proprii in Proprio Sanctorum habeantur.

4. In Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, in Festo Corporis Christi, et per Octavam, et quandocumque fit Officium beatæ Mariæ tam novem quam trium Lectionum, etiam tempore Paschali, in fine omnium Hymnorum (præterquam in fine Hymni *Ave maris Stella*, et Hymni ad Laudes in Festo Corporis Christi, qui habet ultimum versum proprium) dicitur *Jesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine*, ut in ejus Officio parvo, etiam si dicantur Hymni de Sanctis, qui infra Octavas prædictas celebrantur, dummodo Hymni illi sint ejusdem metri, nec habeant ultimum versum proprium, ut Hymnus sanctæ Crucis ad Vesperas, et plurimorum Martyrum ad Matutinum.

5. In Epiphania Domini, et per Octavam, in fine omnium Hymnorum dicitur *Jesu, tibi sit gloria, Qui apparuisti Gentibus.*

6. A Dominica in Albis usque ad Ascensionem, in Pentecoste, et per Octavam, in fine omnium Hymnorum dicitur *Deo Patri sit gloria, Et Filio, qui a mortuis*; etiam in Festis Sanctorum eodem tempore Paschali occurrentium, dummodo Hymni sint ejusdem metri, nec habeant ultimum Versum proprium, qui non mutatur, ut supra.

7. In Ascensione autem usque ad

Digitized by Google

Pentecosten, præterquam in Hymno *Salutis humanæ Sator*, dicitur *Jesu, tibi sit gloria*, *Qui victor in Cœlum redis*; similiter etiam in Festis tunc occurrentibus.

8. In Transfiguratione Domini dicitur *Jesu, tibi sit gloria*, *Qui te revelas parvulis*. Aliis temporibus terminantur Hymni, ut suis locis ponitur.

De Antiphonis XXI.

AD omnes Horas nocturnas et diurnas semper cum Psalmis dicuntur Antiphonæ, vel una, vel plures, pro diversitate Officii et Horarum.

2. Si de tempore fiat Officium, id est, de Dominica aut Feria, dicuntur Antiphonæ ut in Psalterio, quæ cum Psalmis positæ in Vesperis Dominicæ et Feriarum, in Completorio, et in Nocturnis (etiam quando fit Officium de Festo trium Lectionum, id est, Simplici), nunquam mutantur, nisi tempore Paschali, in quo dicitur una tantum Antiphona *Alleluia*; excepto etiam tempore Adventus, in quo ad Vesperas et Nocturnos Dominicæ ponuntur Antiphonæ propriæ. In Laudibus et aliis Horis mutantur pro diversitate temporum, ut in Proprio de Tempore habentur: cum vero non assignantur propriæ, semper dicuntur quæ positæ sunt in Psalterio.

3. Antiphonæ, quæ in proprio de Tempore in Sabbatis ponuntur ad *Magnificat* pro prima Dominica alicujus mensis, sumendæ sunt ex ea Dominica, quæ est proximior Kalendis, vel est in Kalendis illius mensis, ut dictum est supra in Rubrica de Dominicis, ac etiam in Rubrica mensis Augusti; et semper in Sabbato ponitur Antiphona ad *Magnificat*, quæ contigua est libro Scripturæ inDominica ponendo.

4. In Festis novem Lectionum ad Vesperas dicantur Antiphonæ de Laudibus, nisi propriæ in Vesperis assignentur. Ad Horas similiter, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, quando habentur propriæ in Laudibus, et aliæ propriæ non fuerint ad Horas, sumuntur ex Laudibus, quarta prætermissa, hoc ordine: Ad Primam, prima; ad Tertiam secunda; ad Sextam, tertia; ad Nonam, quinta.

5. In Feriis Adventus, quæ non habent in Laudibus Antiphonas proprias sumuntur ad Horas ex Laudibus Dominicæ præcedentis. Ubi vero in Laudibus feriarum fuerint propriæ, sumuntur ex ipsis Laudibus.

6. Tempore Paschali, in Officio tam novem, quam trium Lectionum, Psalmi cujuslibet Nocturni dicuntur sub unica Antiphona, quæ Officio convenit, ut suis locis ponitur; et in fine omnium Antiphonarum additur *Alleluia*, quando in illis non habetur. A Septuagesima usque ad Pascha, ubi habetur *Alleluia*, tacetur; neque aliud ejus loco dicitur.

7. In Duplicibus ad Vesperas, Matutinum et Laudes tantum, Antiphonæ dicuntur ante Psalmos vel Cantica integræ, et post Psalmos et Cantica integræ repetuntur: in aliis Horis, et in Officio non duplici, in principio Psalmi vel Cantici inchoatur tantum Antiphona, deinde in fine integra dicitur. Et quando Antiphona sumitur ex principio Psalmi vel Cantici, et incipit sicut Psalmus vel Canticum, post Antiphonam non repetitur principium Psalmi vel Cantici, sed continuatur, quod sequitur in Psalmo vel Cantico, ab eo loco, ubi secundum ritum diei desiuit Antiphona, nisi discontinuetur per *Alleluia*.

8. Antiphonis propriis, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, semper cedunt quæ habentur in Psalterio et in Communi Sanctorum.

9. Quando fit aliqua commemoratio, semper dicitur Antiphona ante Orationem cum Versu, quæ sumitur ex Officio, quod convenit ei, de quo fit commemoratio: ita ut in Vesperis sumatur Antiphona, quæ assignatur ad *Magnificat*, in Laudibus, quæ ad *Benedictus*, cum Versibus qui habentur post Hymnum.

10. Antiphonæ sanctæ Mariæ posi-

Digitized by Google

tæ in fine Completorii, dicuntur ut inferius in propria Rubrica disponitur.

De Psalmis XXII.

PSALMI in Officio de Tempore per omnes Horas in Dominicis et Feriis dicuntur eo modo, quo distributi sunt in Psalterio, nisi aliquando aliter in Proprio de Tempore signentur. In Festis autem dicuntur ut in propriis locis signantur : alioquin , ut in Communi Sanctorum.

2. Psalmi ad Laudes de Dominica, cum Cantico *Benedicite*, dicuntur in omnibus Festis per annum , et in Feriis temporis Paschalis.

3. Psalmus *Confitemini* dicitur ad Primam cum aliis Psalmis in Psalterio assignatis, in omnibus Dominicis (quando Officium fit de Dominica , ut in Psalterio ; etiam in Dominicis quæ occurrunt infra Octavas Sanctorum) a tertia Dominica post Pentecosten inclusive , usque ad Nativitatem Domini exclusive , et a secunda Dominica post Epiphaniam inclusive , usque ad Septuagesimam exclusive; a Septuagesima autem usque ad Pascha , ejus loco dicitur Psalmus *Dominus regnavit* , quia Psalmus *Confitemini* tunc dicitur ad Laudes post Psalmum *Miserere* , ut suo loco ponitur. In Dominicis vero temporis Paschalis, a Dominica in Albis inclusive , usque ad Ascensionem exclusive , dicuntur tantum tres Psalmi sicut in Festis , addito Symbolo sancti Athanasii. Alii Psalmi per singulas Ferias distributi ad Primam, dicuntur singuli loco Psalmi *Confitemini* in feriali tantum Officio , quando de Feria agitur extra tempus Paschale. In Feriis vero temporis Paschalis , in Festis per annum , et in Sabbato , sive de sancta Maria , sive de Feria fiat Officium , dicuntur tantum tres Psalmi , scilicet *Deus in nomine tuo* , *Beati immaculati* , et *Retribue* ; etiam si Festum duplex celebretur in Dominica.

4. In Dominicis autem , quando Officium fit de Dominica ut in Psalterio, post Psalmos additur semper Symbolum sancti Athanasii *Quicumque* , ut infra in propria Rubrica dicitur.

5. Psalmi Horarum , scilicet ad Tertiam , Sextam et Nonam , et ad Completorium , nunquam mutantur , ut in Psalterio, sive de Sanctis, sive de Tempore fiat Officium.

6. Psalmi de Dominica ad Vesperas, ut plurimum dicuntur in Vesperis Festorum , excepto ultimo , qui mutatur; cum vero aliter fieri debet , suis locis notatur. In Vesperis infra Octavam dicuntur Psalmi ut in secundis Vesperis Festi ; sed in primis Vesperis diei Octavæ dicuntur ut in primis Vesperis Festi , nisi aliter notetur.

7. In fine Psalmorum semper dicitur *Gloria Patri* , præterquam in Psalmo *Deus Deus meus ad te de luce vigilo* , et in Psalmo *Laudate Dominum de cœlis*, qui conjunguntur cum aliis Psalmis , et in fine ultimi tantum dicitur *Gloria* , ut suis locis notatur. Præterea non dicitur in triduo majoris Hebdomadæ ante Pascha , nec in Officio Defunctorum , cujus loco pro Defunctis dicitur *Requiem æternam dona eis, Domine* , etiamsi fiat Officium pro uno tantum.

8. Ut sacræ Vulgatæ editionis puritas inconfusa et illibata servetur, etiam quoad interpunctiones et distinctiones in sacris Bibliis appositas , additus est Asteriscus * , ut sit nota musicæ partitionis in medio Versu.

De Canticis XXIII.

CANTICA dicuntur in Officio de Tempore, tam de Dominicis, quam Feriis , ad Laudes ; Vesperas et Completorium, ut in Psalterio distribuuntur.

2. In Festis et tempore Paschali ad Laudes semper dicitur Canticum *Benedicite* , ut in Dominica , et in fine ejus non dicitur *Gloria Patri* , sicut in aliis Canticis dicitur , nec respondetur *Amen*. Alia Cantica ferialia , ut in Psalterio ad Laudes , non dicuntur, nisi quando fit Officium de Feria extra tempus Paschale.

3. Cantica *Benedictus* , *Magnificat*

Digitized by Google

et *Nunc dimittis* semper dicuntur suo loco, ut in Psalterio.

De Versibus. XXIV.

VERSUS semper dicuntur ad Matutinum post ultimum Psalmum et Antiphonam Nocturnorum, sive in Officio dicantur tresNocturni,sive unus. Ad Laudes et Vesperas Versus dicitur post Hymnum : ad Horas dicitur in Responsorio brevi post repetitionem partis Responsorii, dicto *Gloria Patri*.

2. In Pascha Resurrectionis et per Octavam usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive, in Nocturno tantum dicitur Versus ; in aliis Horis non dicitur, ut ibidem.

3. Quando fit aliqua commemoratio, semper post Antiphonam ejus, de quo fit commemoratio, dicitur Versus, qui in ejus Officio ponitur post Hymnum Vesperarum et Laudum, nisi aliter notetur.

4. Versibus prædictis tempore Paschali semper additur *Alleluja*;non autem Versibus Precum, nec in *Pretiosa* ad Primam, neque in Versibus Responsoriorum Matutini.

5. In Officio Festi trium Lectionum, post omnes Psalmos feriales cum Antiphonis, dicitur Versus de Communi Sanctorum, hoc ordine : Feria secunda et quinta, Versus primi Nocturni ; Feria tertia et sexta, Versus secundi Nocturni ; Feria quarta, Versus tertii Nocturni.

6. Versus positi in Psalterio ad Laudes et Vesperas semper dicuntur, quando alii proprii non assignantur in Proprio de Tempore.

De Absolutionibus et Benedictionibus ante Lectiones. XXV.

ABSOLUTIONES et Benedictiones dicuntur per ordinem in Officio novem Lectionum ante Lectiones, ut in prima Dominica de Adventu ponuntur, scilicet post Versum, dicto *Pater noster, et ne nos*, dicitur Absolutio et Benedictiones, ut ibi : præterquam in Matutinis Tenebrarum majoris Hebdomadæ, et in Officio Defunctorum, in quibus Absolutio et Benedictiones non dicuntur.

2. Si fiat Officium trium Lectionum, et sit de Feria, in qua singulæ tres Lectiones sunt de Scriptura, Absolutio et Benedictiones sumuntur ex prima Dominica de Adventu, hoc ordine : Feria secunda et quinta dicuntur Absolutio et Benedictiones primi Nocturni ; Feria tertia et sexta, secundi Nocturni ; Feria quarta et Sabbato, tertii Nocturni.

3. Si autem singulæ tres Lectiones sint de Homilia super Evangelium, Absolutio dicitur secundum Ferias, ut supra : Benedictiones vero semper dicuntur ut in tertio Nocturno, scilicet, prima Benedictio erit *Evangelica Lectio;* secunda, *Divinum auxilium;* tertia, *Ad societatem.* Si fit de Sancto trium Lectionum, Absolutio dicitur secundum Ferias, ut supra: Benedictiones vero semper dicuntur ut in tertio Nocturno, hoc modo : prima, *Ille nos benedicat ;* secunda, *Cujus*, vel *Quorum*, vel *Quarum Festum colimus ;* tertia, *Ad societatem.*

4. Quando fit Officium sanctæ Mariæ in Sabbato, Absolutio et Benedictiones dicuntur ut habentur in ejus Officio parvo circa finem Breviarii.

De Lectionibus. XXVI.

LECTIONES leguntur ad Matutinum dictis Psalmis Nocturnorum cum Antiphonis, Versibus, Absolutionibus quoque et benedictionibus, ut supra. In duplicibus et Semiduplicibus dicuntur novem Lectiones, id est, in quolibet Nocturno tres ; in Feriis et in Festis simplicibus leguntur tantum tres Lectiones.

2. In Officio novem Lectionum dicuntur hoc modo. In primo Nocturno semper leguntur tres Lectiones de Scriptura: quæ, quando suis locis propriis aut de Communi Sanctorum non assignantur, semper leguntur ut in Officio de Tempore sua quaque die occurrunt legendæ. In secundo Nocturno, si fit de Sancto, tres Lectiones leguntur de vita Sancti, vel de aliquo Ser-

Digitized by Google

mone aut Tractatu, qui ei convenit: quæ, si non adsint propriæ, leguntur ex Communi Sanctorum. Ex quo etiam Communi completur numerus trium Lectionum, quando Officium fit novem Lectionum de aliquo Sancto, qui habet tantum unam vel duas Lectiones proprias. Si fit de Dominica vel de alio Officio novem Lectionum per annum, etiam de Octava, leguntur tres Lectiones de Sermone aut Tractatu, qui in illis ponitur. In tertio Nocturno semper leguntur tres Lectiones de Homilia in Evangelium, positæ in Proprio, aut ex Communi assignatæ; et primæ Lectioni de Homilia semper præponitur principium Evangelii, de quo est Homilia, etiam infra Octavas. Excipiuntur ab hoc ordinario Lectionum Matutina Tenebrarum ante Pascha, et Defunctorum, ut in suis Officiis ponitur.

3. Si in Officio novem Lectionum, in quo non dicitur nonum Responsorium, contingat fieri commemorationem de aliquo Sancto, qui propriam habet Lectionem, nona Lectio legitur de Sancto: si habuerit duas Lectiones, ex duabus fiat una Lectio, omissa nona Lectione in dicto Officio novem Lectionum, vel octavæ Lectioni adjuncta. Quod si eodem die occurrat Dominica, vel Feria, quæ habeat Homiliam, nona Lectio Sancti omittitur, et ejus loco legitur Homilia Dominicæ vel Feriæ, scilicet vel prima Lectio de Homilia, vel tres simul in unam Lectionem conjunctæ.

4. In Officio trium Lectionum, si fit de Feria, tres Lectiones leguntur de Scriptura, nisi tres sint de Homilia, quia tunc omissis Lectionibus de Scriptura, leguntur de Homilia. Si fit de Sancto, qui habeat duas Lectiones, prima tantum erit de Scriptura, ut vel legatur una, vel ex tribus simul junctis fiat una; secunda et tertia de Sancto. Si unam tantum habuerit, vel propriam, vel ex Communi assignatam, prima et secunda erunt de Scriptura, tertia de Sancto: quod etiam servatur in Officio beatæ Mariæ in Sabbato.

5. Lectiones autem de Scriptura in Officio de Tempore sic distributæ sunt per annum, ut quotidie aliquid ex ea legatur, etiam in Officio de Sanctis, quando aliæ (ut dictum est) non assignantur.

6. Initia librorum sacræ Scripturæ (qui fere semper in dominicis inchoantur) eo die ponuntur, quo notata sunt, etiam si fiat Officium de Sancto, nisi in Festo aliæ propriæ Lectiones de Scriptura, vel de Communi assignentur: tunc enim initium lectionis de Scriptura transfertur in sequentem diem similiter non impeditam; et Lectiones illi diei de eadem Scriptura assignatæ vel cum superioribus Lectionibus legantur, vel omittantur; ita ut non oporteat eas amplius in alio sequenti die resumere, sed illæ leguntur, quæ sua quaque die occurrunt, aut cum eisdem jungantur. Quod semper servetur, quando Lectiones occurrentes de Scriptura aliquo die omittuntur.

7. Cum autem initium alicujus Epistolæ Catholicæ tempore Paschali, aut alicujus Prophetæ minoris mense Novembri, infra Hebdomadam illorum Temporum impeditur aliquo Festo novem Lectionum habente proprias Lectiones de Scriptura, dictum initium Epistolæ et Prophetæ, quoad commode fieri poterit, ponatur in sequenti Feria, alio simili initio Scripturæ ponendo, vel Festo non impedita; alioquin in præcedenti similiter non impedita, ita ut aliquo modo ponatur, etiam si plura initia eodem die poni oporteat.

8. De Scriptura quoque tantum est positum, quantum satis videtur pro numero Hebdomadarum, quæ esse possunt inter Epiphaniam et Septuagesimam, et inter Pentecosten et Adventum. Ubi vero contingit minui numerum Dominicarum et Hebdomadarum post Epiphaniam, adveniente Dominica Septuagesimæ, quod superest de Epistolis beati Pauli, quæ distributæ sunt pro numero dictarum Dominicarum et Hebdomadarum, eo anno omittitur, quamvis de aliquibus Epistolis

nihil sit lectum. Quod etiam fit de Scriptura ex libris Regum (de quibus legitur ab Octava Pentecostes usque ad Dominicam primam Augusti) , cum non expletur numerus Dominicarum post Pentecosten de eis libris annotatus usque ad mensem Augusti ; quia tunc , Lectionibus de his libris omissis , legitur de Scriptura , quæ ponitur mense Augusti. Quod si fiat de aliqua Dominica post Epiphaniam anticipate in Feria , eo modo quo dictum est de Dominicis num. 4. et 5.; tunc post Officium Dominicæ anticipatæ in sequentibus diebus legatur de Epistolis sancti Pauli assignatis Dominicæ anticipatæ et sequentibus Feriis, omissis aliis , quæ sunt assignatæ præcedenti Hebdomadæ. Quid autem observandum sit, cum mensis, cui quinque Dominicæ assignantur , non habuerit nisi quatuor, in propriis locis notatur.

9. Lectiones de Scriptura positæ in Communi Sanctorum leguntur in Festis , ubi assignantur in proprio Sanctorum per annum. Rursus , quando aliquod Festum in propria Ecclesia celebratur ; item, quando aliquod Festum novem Lectionum occurrit in Quadragesima et Quatuor Temporibus, in secunda Feria Rogationum, et in Vigilia Ascensionis, in quibus Feriis in Officio de Tempore non assignantur Lectiones de Scriptura , sed de Homilia : tunc enim in Festis recurrendum est ad Lectiones de Scriptura positas in Communi Sanctorum. Quod si in aliquibus ex supradictis Feriis occurrat dies Octava alicujus Festi habentis Octavam, tunc in primo Nocturno diei Octavæ repetantur Lectiones , quæ in primo Nocturno Festi lectæ fuerunt : si vero occurrat dies infra Octavam , tunc sumantur de Communi. Aliæ Lectiones secundi et tertii Nocturni positæ in Communi Sanctorum similiter leguntur , quando in Proprio Sanctorum assignantur , et quando in aliqua Ecclesia aliquod Festum celebratur cum novem Lectionibus (quia in ea est solemne, aut consuetum in ea celebrari) quod proprias et approbatas de Festo Lectiones non habuerit.

10. Lectiones primi Nocturni leguntur cum titulo libri ex quo sumuntur, nisi aliter in propriis locis notetur. Lectiones etiam secundi Nocturni,quando sunt ex aliquo Sermone vel Tractatu, leguntur cum titulo et nomine Auctoris : alias minime. Et similiter in tertio Nocturno præponitur titulus Auctoris , cujus est Homilia.

11. In fine cujusque Lectionis dicitur *Tu autem Domine miserere nobis*, et respondetur *Deo gratias*. Quod etiam fit in Lectionibus brevibus in principio Completorii, et in fine Primæ post *Pretiosa;* præterquam in triduo majoris Hebdomadæ ante Pascha, et in Officio Defunctorum, ut suis locis ponitur.

De Responsoriis post Lectiones.

XXVII.

RESPONSORIA dicuntur ad Matutinum post Lectiones , id est, post quamlibet Lectionem dicitur unum Responsorium , ut infra.

2. In Festis novem Lectionum (præterquam in Festo sanctorum Innocentium , quando non venerit in Dominica) , et in Dominicis ab Octava Paschæ inclusive usque ad Adventum exclusive , et a Dominica infra Octavam Nativitatis inclusive usque ad Septuagesimam exclusive , dicuntur octo tantum Responsoria ; et in fine tertii , et sexti , et octavi , dicitur *Gloria Patri* cum repetitione partis Responsorii : quod regulare est in fine ultimi Responsorii cujuslibet Nocturni, tam in Officio novem quam trium Lectionum, excepto tempore Passionis : quo tempore loco *Gloria Patri* repetitur Responsorium a principio: excepto etiam Officio Defunctorum , in quo illius loco dicitur *Requiem æternam* , etc. Qui Versus *Gloria Patri* quibusdam diebus dicitur in primo Responsorio,ut in propriis locis annotatur. Post nonam Lectionem prædictis diebus , quando octo tantum dicuntur Responsoria, immediate dicitur Hymnus *Te Deum*.

3. In Dominicis Adventus, et in Dominicis a Septuagesima usque ad Do-

minicam Palmarum inclusive, et in triduo ante Pascha, dicuntur novem Responsoria, quia tunc non dicitur *Te Deum*.

4. In Officio autem trium Lectionum, quando fit de Festo, et in Feriis temporis Paschalis, quod est inter Dominicam in Albis et Ascensionem (excepta Feria secunda Rogationum, in qua ponitur tertium Responsorium) dicuntur duo Responsoria, quia post tertiam Lectionem dicitur *Te Deum*. Quæ Responsoria inFestis sumuntur deCommuni Sanctorum : et in dictis Feriis temporis Paschalis, quando alia propria non assignantur, sumuntur de Dominica, in qua primo sunt posita, hoc ordine : secunda et quinta Feria, primum et secundum Responsorium primi Nocturni ; Feria tertia et sexta, primum et secundum Responsorium secundi Nocturni ; Feria quarta, primum et secundum Responsorium tertii Nocturni.

5. In aliis Feriis extra tempus Paschale dicuntur tria Responsoria (quia in illis non dicitur *Te Deum*) hoc ordine : Feria secunda et quinta, tria Responsoria primi Nocturni; Feria tertia et sexta, tria Responsoria secundi Nocturni ; Feria quarta et Sabbato, quando in eo fit de Feria, tria Responsoria tertii NocturniDominicæ præcedentis, in qua primo sunt posita. Verum quia in tertio Nocturno Dominicarum a tertia post Pentecosten inclusive usque ad Adventum exclusive, non habetur nisi unum Responsorium dicendum infra Hebdomadam, quod est septimum in Dominica (propterea quod Responsorium *Duo Seraphim*, non dicitur, nisi in prædictis Dominicis) ideo Feria quarta et Sabbato, quando Responsoria sumenda erunt ex tertio Nocturno, primum Responsorium erit quod est septimum Dominicæ ; secundo et tertio loco dicitur secundum et tertium sequentis Feriæ, id est post secundam et tertiam Lectionem dicitur secundum et tertium Responsorium, quod est secundum et tertium secundæ sequentis Feriæ si propria Responsoria habuerit ; alioquin si non habuerit propria, dicitur secundum et tertium Responsorium primi Nocturni ejusdem Dominicæ. Ab Octava Epiphaniæ usque ad Septuagesimam habentur Responsoria propria in singulis Feriis, excepto Sabbato, in quo, quando fit de Feria, dicuntur Responsoria Feriæ quartæ.

6. Sumuntur autem Responsoria ex eo loco, ubi primo sunt posita, in principio mensis vel libri, et repetuntur in aliis sequentibus Dominicis illius mensis, in quibus alia non assignantur, vel donec de illo libro legitur, unde sumpta sunt Responsoria. Quæ autem in prima Hebdomada mensis posita sunt per Ferias, repetuntur eodem ordine in eisdem Feriis per sequentes Hebdomadas, donec alia ponantur. Ubi vero non adsunt propria, semper ex Nocturnis Dominicæ sumuntur dicto ordine.

7. Si Responsoria primi Nocturni ejus Dominicæ, in qua primo ponuntur, propter Festum duplex in ea occurrens, in ipsa Dominica poni non possint, ponantur prima die ejus Hebdomadæ, in qua occurrit fieri de Feria, et omittantur alia, quæ forte in illa Feria propria haberentur. Si vero in tota Hebdomada non occurrat dies, in quo fiat de Feria, illa Responsoria ponantur in sequenti Hebdomada, vel Dominica similiter non impedita, et dummodo in ea alia Responsoria non sint primo ponenda ; alioquin eo anno omittantur. Responsoria etiam, quæ in aliquibus Feriis per Hebdomadam habentur, si eo die quo posita sunt, non possunt dici propter Festum occurrens, non sunt transferenda in aliam diem, sed omittuntur.

8. Tempore Paschali in fine Responsorii ante Versum additur *Alleluja*.

De Responsoriis brevibus Horarum.

XXVIII.

RESPONSORIA brevia dicuntur post Capitulum ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam, et ad Completorium, præterquam in triduo ante Pascha usque ad Nonam Sabbati in

Albis inclusive, quibus diebus non dicuntur. Ad Primam et Completorium semper dicuntur eodem modo, ut in Psalterio : in aliis Horis, quando fit Officium de Dominica vel Feria per annum, dicuntur ut habentur in Psalterio. In Adventu autem, Quadragesima, tempore Passionis et Paschali, ut suis locis habentur propria. In Festis similiter, quando non habentur propria, dicuntur ut in Communi Sanctorum.

2. In fine Responsorii brevis dicitur *Gloria Patri* cum repetitione Responsorii, eo modo quo ordinatur ad Primam in Psalterio, præterquam tempore Passionis : tunc enim non dicitur *Gloria Patri* in Officio de Tempore, sed solum repetitur Responsorium breve a principio.

3. In Responsorio brevi ad Primam loco Versus *Qui sedes*, etc. in Adventu dicitur *Qui venturus es in mundum*, tam in Dominicis et Feriis, quam in Festis; excepto Festo Conceptionis B. Mariæ et per Octavam. In Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, etiam in Festis occurrentibus: in Festo Corporis Christi et per Octavam, et in omni Officio beatæ Mariæ, tam novem quam trium Lectionum, etiam si infra ejusdem Octavas fiat de Festo vel de Dominica, dicitur *Qui natus es de Maria Virgine*. In Epiphania et per Octavam, et in Festo Transfigurationis, dicitur *Qui apparuisti hodie*. A Dominica in Albis inclusive usque ad Ascensionem exclusive, tam in Officio de Tempore quam de Sanctis (excepto Officio beatæ Mariæ) semper dicitur *Qui surrexisti a mortuis*. In Ascensione usque ad Pentecosten exclusive dicitur *Qui scandis super sidera*. In Pentecoste et reliquo anni tempore, tam in Officio de Tempore quam de Sanctis, dicitur *Qui sedes ad dexteram Patris*, ut in Psalterio.

4. Responsoria brevia aliarum Horarum, quæ ponuntur in prima Dominica de Adventu, dicuntur per totum Adventum, quando fit Officium de Tempore. Similiter quæ ponuntur in prima Dominica Quadragesimæ, dicuntur usque ad Dominicam Passionis exclusive. Et quæ ponuntur in Dominica Passionis, dicuntur usque ad Feriam quintam in Cœna Domini exclusive. Item quæ ponuntur in Dominica in Albis, dicuntur usque ad Ascensionem exclusive. Quæ vero ponuntur in aliquo Festo habente Octavam, dicuntur per totam octavam, quando fit de Octava. In Officio autem beatæ Mariæ tam novem quam trium Lectionum (excepto Festo Assumptionis ejusdem) dicuntur semper Responsoria brevia de Communi Virginum.

5. Tempore Paschali, a Dominica in Octava Paschæ usque ad Sabbatum post Pentecosten inclusive, in fine Responsorii brevis ante primum Versum dicuntur duo *Alleluia*, quæ etiam post dictum primum Versum repetuntur pro parte Responsorii, et in fine secundi Versus unum tantum *Alleluia*, tam in Officio de Tempore quam de Sanctis, ut dicitur in Rubrica, quæ est in Sabbato in Albis. Extra tempus Paschale, quamvis in aliquibus Festis ad Tertiam, Sextam et Nonam, Responsoriis brevibus addantur *Alleluia*, non ideo adduntur ad Primam et Completorium.

De Capitulis XXIX.

CAPITULA semper dicuntur (præterquam a Feria quinta in Cœna Domini usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive, et præterquam in Officio Defunctorum) ad Vesperas, Laudes et alias Horas, dictis Psalmis et Antiphonis; ad Completorium vero, dicto etiam Hymno.

2. Capitula Dominicalia posita in Psalterio in primis et secundis Vesperis, in Laudibus et Horis, dicuntur a tertia Dominica post Pentecosten usque ad Adventum, et a secunda post Epiphaniam usque ad Septuagesimam. Capitula autem ferialia dicuntur post Octavam Pentecostes usque ad Adventum, et ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam primam Quadragesimæ. Aliis temporibus dicuntur ut in pro-

Digitized by Google

prio de Tempore : si fit de Sanctis, ut in Proprio de Sanctis, cum propria adsunt ; alioquin de Communi Sanctorum. Capitulum Primæ et Completorii (quando Capitula dicuntur) nunquam mutatur, ut in Psalterio.

8. In Dominicis ab Adventu usque ad Octavam Epiphaniæ, et a Septuagesima usque ad tertiam post Pentecosten, et in Feriis temporis Paschalis, et in omnibus Festis regulariter Capitulum positum in primis Vesperis dicitur in Laudibus, ad Tertiam et in secundis Vesperis, quibusdam exceptis, quæ suis locis assignantur.

4. In Feriis tempore Paschali ad Primam dicitur Capitulum *Regi sæculorum*, sicut in Dominicis et Festis. Post Capitulum semper respondetur *Deo gratias*.

De oratione XXX.

ORATIO in Vesperis et Laudibus dicitur post Antiphonas ad *Magnificat* et *Benedictus* immediate, nisi quando dicendæ sunt Preces : quæ dicuntur post Antiphonam, et in fine illarum Oratio. Ad Primam et alias Horas Oratio dicitur post Responsorium breve, nisi dicendæ sint Preces: Ad Completorium Oratio dicitur post Antiphonam *Salva nos*, nisi dicendæ sint Preces; et tunc dicitur post illas.

2. Ad Primam et Completorium nunquam mutanturOrationes quæ habentur in Psalterio, præterquam in triduo ante Pascha: in quo triduo ad omnes Horas usque ad Nonam Sabbati sancti inclusive post Psalmum *Miserere*, dicitur Oratio diei ut suo loco ponitur. In aliis Horis regulariter dicitur Oratio, quæ dicta est in primis Vesperis. In Quadragesima autem, Quatuor Temporibus, Vigiliis et Feria secunda Rogationum, Oratio, quæ dicta est in Laudibus, dicitur tantum ad Tertiam, Sextam et Nonam. In Vesperis autem sequentibus, si fit de Feria, dicitur vel alia propria, ut in Quadragesima, vel Dominicæ præcedentis ut in aliis Feriis. Quæ Oratio præcedentis Dominicæ semper dicitur in feriali Officio per Hebdomadam, quando propria non assignatur. Infra Octavas dicitur Oratio ut in die Festi ; similiter et in die Octava, nisi alia propria assignetur.

3. Ante Orationem, etiam quando aliquis solus recitat Officium, semper dicitur Versus *Dominus vobiscum*, respondetur *Et cum spiritu tuo*. Qui versus non dicitur ab eo, qui non est saltem in ordine Diaconatus, nec a Diacono, præsente Sacerdote, nisi de illius licentia. Si quis autem ad Diaconatus ordinem non pervenerit, ejus loco dicat *Domine exaudi orationem meam*; respondetur *Et clamor meus ad te veniat*. Deinde dicitur *Oremus*, postea Oratio ; quæ si unica tantum dicatur, Versus *Dominus vobiscum*, vel *Domine exaudi* repetitur finita Oratione, postquam fuerit responsum *Amen*. Sin autem plures Orationes dicendæ sint, ante quamlibet Orationem dicitur Antiphona et Versus, deinde *Oremus* ; et post ultimam Orationem repetitur *Dominus vobiscum* ; postea dicitur *Benedicamus Domino*, respondetur *Deo gratias*. Deinde dicitur Versus *Fidelium animæ :* qui Versus non dicitur post *BenedicamusDomino* ad Primam ante *Pretiosa*, neque ad Completorium ante Versum *Benedicat*, nec quando post aliquam Horam immediate sequitur Officium parvum beatæ Mariæ vel Officium Defunctorum, aut septem Psalmi Pœnitentiales, vel solæ Litaniæ.

4. Si Oratio dirigatur ad Patrem, concluditur *Per Dominum* ; si ad Filium, *Qui vivis et regnas*. Si in principio Orationis fiat mentio Filii, dicatur *Per eumdem* ; si in fine Orationis, dicatur *Qui tecum vivit et regnat*. Si fiat mentio Spiritus sancti, dicatur *In unitate ejsdem Spiritus sancti*, etc.

5. Quando plures Orationes dicuntur, prima tantum dicitur sub sua conclusione *Per Dominum*, vel aliter, ut supra : aliæ non concluduntur, nisi in ultima Oratione; sed unicuique Orationi semper præponitur *Oremus*, præterquam in Officio Defunctorum, in quo, alio modo quam ut supra, Orationes dicuntur ; item in Litaniis Ora-

tiones omnes dicuntur conjunctim sub uno *Oremus*, ut suis locis habetur.

De Hymno Te Deum. XXXI.

HYMNUS *Te Deum* dicitur in omnibus Festis per annum, tam trium quam novem Lectionum, et per eorum Octavas, excepto Festo sanctorum Innocentium, nisi venerit in Dominica; dicitur tamen in ejus die Octava. Dicitur etiam in omnibus Dominicis, à Pascha Resurrectionis inclusive usque ad Adventum exclusive, et a NativitateDomini inclusive usque ad Septuagesimam exclusive, et in omnibus Feriis temporis Paschalis, scilicet a Dominica in Albis usque ad Ascensionem, excepta Feria secunda Rogationum, in qua non dicitur.

2. Non dicitur autem in Dominicis Adventus, et a Septuagesima usque ad DominicamPalmarum inclusive, neque in Feriis extra tempus Paschale.

3. Cum dicitur, omittitur semper nonum vel tertium Responsorium, et statim dicitur post ultimam Lectionem.

4. Cum non dicitur, ejus loco ponitur nonum vel tertium Responsorium, quo dicto statim inchoantur Laudes. Similiter quando dicitur *Te Deum*, eo Hymno dicto, statim inchoantur Laudes, præterquam in nocte Nativitatis Domini; quia tunc dicitur Oratio,postea celebratur Missa, ut suo loco notatur.

De Oratione Dominica et Salutatione Angelica XXXII.

ORATIO Dominica *Pater noster*, et Salutatio Angelica *Ave Maria*, semper dicuntur secreto ante omnes Horas, præterquam ad Completorium, in cujus principio post Lectionem brevem *Fratres sobrii*, dicto Versu *Adjutorium nostrum*, dicitur tantum *Pater noster* secreto; et in fine Completorii, statim post Orationem beatæ Mariæ dicitur *Pater noster*, *Ave Maria*, et *Credo*, totum similiter secreto. Finitis Horis, et dicto Versu *Fidelium animæ*, dicitur similiter secreto *Pater noster* tantum, nisi sequatur Officium beatæ Mariæ, quia tunc post illud dicitur *Pater noster*, ut supra, et nisi alia Hora subsequatur: tunc enim dicitur semel tantum *Pater noster* cum *Ave Maria* pro principio sequentis Horæ; qua finita, dicitur *Pater noster*, ita ut semper dicatur in fine ultimæ Horæ. Si autem post Vesperas immediate sequatur Completorium, dicto *Fidelium animæ*, incipitur Versus *Jube domne*.

2. Quando in fine Orationis Dominicæ proferendum est clara voce *Et ne nos inducas*, semper in principio eadem voce proferuntur hæc duo verba *Pater noster*, ut in Precibus, et similibus; alias nunquam proferuntur, sed dicitur totum secreto. Ad Laudes vero et Vesperas, quando in feriali Officio dicuntur Preces, totum dicitur clara voce ab Hebdomadario.

3. Salutatio Angelica semper dicitur ante Officium beatæ Mariæ, quando non conjungitur cum Officio Domini; quia tunc sufficit dixisse eam in principio cum Oratione Dominica.

De Symbolo Apostolorum et Symbolo sancti Athanasii. XXXIII.

SYMBOLUM Apostolorum semper dicitur ante Matutinum et Primam et finito Completorio post Salutationem Angelicam, totum secretò: etiam si ad Primam et Completorium iterum dicendum sit cum Precibus. Quando vero dicitur cum Precibus ad Primam et Completorium, clara voce profertur *Credo in Deum*, et in fine, *Carnis resurrectionem*; reliquum dicitur secreto:alias totum secreto dicitur,ut supra.

2. Symbolum sancti Athanasii dicitur ad Primam post Psalmum *Retribue*, in omnibus Dominicis per annum, quando Officium fit de Dominica, exceptis Dominicis infra Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis et Corporis Christi, ac Dominica Resurrectionis et Pentecostes, in quibus dicuntur tantum tres Psalmi consueti ut in Festis. In Dominicis infra alias Octavas, et in Dominica Trinitatis dicitur; alias nunquam, neque si aliquod Festum duplex celebretur inDominica. Et in fine illius dicitur *Gloria Patri*.

Digitized by Google

De Precibus XXXIV.

PRECES sunt aliquot Versus, qui aliquando dicuntur ante Orationem, incipientes a *Kyrie eleison*, vel a *Pater noster*.

2. Preces Dominicales ad Primam et Completorium, ut in Psalterio, non dicuntur in Duplicibus, nec infra Octavas, nec in Vigilia Epiphaniæ, et Feria sexta et Sabbato post Octavam Ascensionis, etiam si infra Octavam fiat Officium de Dominica vel alio Festo Semiduplici, quia tunc ratione Octavæ non dicuntur : alias autem semper dicuntur.

3. Preces feriales ad Laudes et per Horas distinctæ, ut in Psalterio, dicuntur tantum in Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum et Vigiliarum quæ jejunantur (exceptis Vigilia Nativitatis Domini ac Vigilia et Quatuor Temporibus Pentecostes) et tunc dicuntur flexis genibus. In aliis Feriis per annum, nunquam dicuntur nisi Dominicales, et in illis non flectuntur genua.

4. In Feriis Adventus, Quadragesimæ, et Quatuor Temporum, dicuntur Preces feriales etiam ad Vesperas, si non sequatur Festum : ad Completorium dicuntur consuetæ de Dominica, sed flexis genibus. Dicuntur autem Preces flexis genibus, ab Hebdomadario usque ad Versum *Dominus vobiscum* ante primam Orationem : a circumstantibus autem, usque ad Versum *Benedicamus Domino* post ultimam Orationem.

5. In Vigiliis Preces feriales dicuntur tantum ad Matutinum, et per Horas : ad Vesperas vero sequentes non dicuntur, quia inde fit de Festo. Quod si post Vigiliam sancti Mathiæ sequatur primus dies Quadragesimæ, in Vesperis dicuntur Preces feriales, quamvis dicenda sit Oratio Dominicæ præcedentis, et non Vigiliæ. Quod etiam servatur quando in Feria sexta et sabbato Quatuor Temporum Septembris fit Officium de Feria, cum in eis non occurrat Festum novem Lectionum : tunc enim in Vesperis Feriæ sextæ dicuntur Preces, quamvis dicenda sit Oratio Dominicæ præcedentis, non autem Feriæ Quatuor Temporum.

6. Psalmus *Miserere* dicitur cum Precibus ad Vesperas tantum, et Psalmus *De profundis* ad Laudes. In Officio Defunctorum dicuntur Psalmi, qui in eo Officio designantur.

De Commemorationibus communibus, seu Suffragiis Sanctorum XXXV.

COMMEMORATIONES communes, seu Suffragia de Sanctis quæ habentur in Psalterio post vesperas Sabbati, dicuntur in fine Vesperarum et Laudum ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam Passionis exclusive, et ab Octava Pentecostes usque ad Adventum exclusive in Dominicis, Feriis et Festis (nisi Officium sit duplex, vel infra Octavas, etiam si de Dominica vel Semiduplici infra eas fiat) et illis adjungitur commemoratio de Patrono vel Titulo Ecclesiæ, ante vel post Commemorationem de sancta Maria, et de Apostolis, pro dignitate illius ; ita tamen, ut semper ultimo loco ponatur commemoratio de Pace. Et ante illas in feriali Officio fit commemoratio de Cruce, quæ habetur in Psalterio post Laudes Feriæ secundæ.

2. Tempore Paschali fit alia commemoratio de Cruce, ut ibi ponitur in Laudibus Feriæ secundæ post Dominicam in Albis, et ea solum tunc dicitur ; non tamen in Duplicibus, neque infra Octavas.

3. Si facienda sit commemoratio alicujus Festi occurrentis, semper fit ante ipsa Suffragia consueta, etiam ante commemorationem de Cruce.

4. Commemoratio de sancta Maria non fit cum aliis, quando dicitur ejus Officium parvum, nec quandocumque fit Officium de ea.

De Antiphonis beatæ Mariæ in fine Officii. XXXVI.

ANTIPHONÆ beatæ Mariæ positæ in fine Psalterii post Completorium, singulæ dicuntur pro tempo-

Digitized by Google

vis diversitate, ut ibi annotatur, præterquam in triduo majoris Hedomadæ ante Pascha.

2. Dicuntur autem extra Chorum tantum in fine Completorii, et in fine Matutini, dictis Laudibus, si tunc terminandum sit Officium; alioquin, si alia subsequatur Hora, in fine ultimæ Horæ. In Choro autem semper dicuntur, quandocumque terminata aliqua Hora discedendum est a Choro. 3. Nunquam vero dicuntur post aliquam Horam, quando subsequitur cum Officio diei Officium Defunctorum, vel septem Psalmi Pœnitentiales, aut Litaniæ, præterquam post Completorium in quo semper dicuntur, etiam si prædicta subsequantur: neque etiam dicuntur, quando post aliquam Horam immediate subsequitur Missa. Dicuntur autem flexis genibus (præterquam in diebus Dominicis, a primis Vesperis Sabbati et toto tempore Paschali) Hebdomadario tamen ad Orationem surgente.

De officio parvo beatæ Mariæ et aliis. XXXVII.

DE Officio parvo beatæ Mariæ, de Officio Defunctorum, de septem Psalmis Pœnitentialibus et Litaniis, et de Psalmis Gradualibus, quando et quomodo, tam in Choro quam extra Chorum dicenda sint, habentur suis locis propriæ Rubricæ circa finem Breviarii.

2. Tempore Paschali, in Officio parvo beatæ Mariæ, quod dicitur in Choro, non additur *Alleluia* Antiphonis, neque Versibus, neque Responsoriis.

Digitized by Google

DUÆ TABELLÆ

EX RUBRICIS GENERALIBUS

EXCERPTÆ.

In quarum prima statim videri poterit, quomodo Officium præcedens concurrat in Vesperis cum Officio sequentis diei.

In secunda vero, de quo celebrandum erit Officium, si plura eodem die Festa occurrant.

Ex utraque Tabella hoc ordine reperietur quod quæritur.

Primum inveniatur numerus positus in quadrangulo illo, in quo Festa, de quibus est controversia, sibi invicem occurrunt: deinde legatur Regula juxta dictum numerum descripta, et ex ea clare videbitur quid sit agendum.

Exempli gratia: Quadrangulus, in quo sibi invicem occurrunt Duplex 1. Classis, et Dominica 1. Classis, erit qui est in angulo superiori secundæ Tabellæ, in quo signatus est numerus 1, quia si ad eum tam Duplex, quam Dom. prædicta ex eorum locis recto tramite pergerent, in eo sibi invicem occurrerent. Regula autem juxta dictum numerum apposita, sic habet: 1 *Translatio de primo, Officium de secundo.* Id est, Dupl. 1. Clasis prædictum transferatur, et Offic. fiat de Dom. 1. Classis; quia cum in his Regulis dicitur, De primo, seu præcedenti, intelligitur de Festo in superiori parte Tabellæ apposito, ut Duplex prædictum; cum de secundo vel sequenti, de Festo in inferiori parte sub numeris apposito, ut Dom. prædicta.

In aliquibus autem quadrangulis nullus appositus est numerus, vel quia nullus occursus, neque concursus esse potest, vel quia in propriis locis annotatur in Breviario quid sit agendum.

Scire tamen oportet, quæ sint Duplicia 1. et 2. Classis, et majora per annum, et quæ Dominicæ et Feriæ majores dicantur.

DUPLICIA I. CLASSIS,

In quibus nulla fit commemoratio quorumcumque Festorum occurrentium, nisi prout in Rubricis.

Nativitas Domini.
Epiphania Domini.
Pascha Resurrectionis, cum 3. anteced. et 2. seq. diebus.
Ascensio Domini.
Pentecostes, cum 2. seq diebus.
Festum Corporis Christi.
Nativitas S. Joannis Baptistæ.
Festum SS. Apost. Petri et Pauli.
Assumptio beatæ Mariæ Virginis.
Festum omnium Sanctorum.
Dedicatio propriæ Ecclesiæ.

DUPLICIA 2. CLASSIS,

In quibus de Simplicibus fit commemoratio in Laudibus tantum.

Circumcisio Domini.
Festum SS. Nominis Jesu.
Festum SS. Trinitatis.
Purificatio, Annuntiatio, Nativitas, Conceptio, } B. Mariæ Virg.
Natalitia duodecim Apostolorum.
Festa Evangelistarum.
Festa S. Stephani Protomartyris, et SS. Innocentium.
Festa S. Joseph et S. Laurentii.
Inventio S. Crucis.
Dedicatio S. Michaëlis Archangeli.

DOMINICÆ MAJORES

Dividuntur in duas Classes.

DOMINICÆ I. CLASSIS,

Quæ nunquam omittuntur.

Prima Adv.	Paschæ.
Prima Quadr.	In Albis.
Passionis.	Pentecostes.
Palmarum.	Trinitatis

Digitized by Google

DOMINICÆ 2. CLASSIS,

Quæ non omittuntur, nisi occurrente Patrono vel Titulari Ecclesiæ, et ejusdem Dedicatione; et tunc de iis fit semper commemoratio in utrisque Vesper. et Laudibus.

Secunda, Tertia, Quarta } Adventus.

Dominicæ { Septuagesimæ. Sexagesimæ. Quinquagesimæ.

Secunda, Tertia, Quarta } Quadragesimæ.

DUPLICIA MAJORA

PER ANNUM

Quæ aliis Duplicibus minoribus præferuntur.

Transfiguratio Domini.
Exaltatio S. Crucis.

Festum B. Mariæ ad Nives.
Visitatio
Præsentatio
Festum SS. Nominis
Festum de Mercede
Festum SS. Rosarii
Festum de Monte Carmelo
Festum 7. Dolorum. } B. Mariæ
Conversio S. Pauli Apostoli.
Cathedra S. Petri utraque.
Festum S. Joannis ante portam Latinam.
Apparitio S. Michaëlis.
Festum S. Barnabæ Apostoli.
Festum S. Annæ.
Festum S. Petri ad vincula.
Festum S. Joachim Confessoris.
Decollatio S. Joannis Baptistæ.
Festum Patrocinorum minus principalium.

FERIÆ MAJORES,

De quibus semper fit cōmmemoratio.

Adventus.
Quadragesimæ.
Quatuor Temporum.
Secunda Rogationum.

Digitized by Google

QUANDO CONCURRIT

	S. Maria in Sabbato.	Die infra Octavam.	Die Octava.	Simplici.	Semiduplici	Duplici per ann. minore	Duplici per ann. majore	Patrono seu Titulo Eccl.	Duplici 2. Classis.	Duplici 1. Classis.	Dominica quacumque
Dom. major, seu 1. et 2. Class. cum	0	4	3	4	4	3	3	3	3	3	0
Dom minor, seu per annum	0	4	3	4	4	3	3	1	1	1	0
Duplex 1. Classis	2	2	4	2	4	4	4	0	4	6	4
Duplex 2. Classis	4	4	4	4	4	4	4	3	6	3	4
Patronus seu Titulus Ecclesiae	2	2	4	2	4	4	4	0	4	0	4
Duplex per annum majus	4	4	4	4	4	4	6	1	3	1	4
Duplex per annum minus	4	4	5	4	4	5	3	1	3	1	4
Semiduplex	4	5	3	4	5	3	3	1	1	1	5
Dies Octava	4	4	5	4	4	5	3	1	3	1	4
Dies infra Octavam	0	0	3	4	5	3	3	1	1	1	5

1 Totum de sequenti, nihil de praecedenti.
2 Totum de praeced. nihil de seq.
3 Totum de seq., comm. de Praec.
4 Totum de praec., comm. de seq.
5 Capitulum de seq. comm., de praeced.
6 Totum de dignori, comm. de minus digno.
Simplex, et S. Maria in Sabbato, Feria et Vigilia non concurrunt.

Notandum, quod in I. Vesp. diei Oct. Ascensionis et Corporis Christi, totum Offic. fit de Oct. cum comm. praecedentis Festi Dupl., nisi fuerit Festum solemne principale, vel 1. vel 2. Clasis: quia tunc de Festo fieret Offic. et comm. de Octava.

In II. Vesp. diei Oct. Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis et Corporis Christi, de sequenti Dupl. fit tantum comm., nisi illud fuerit 1. vel 2. Clasis, seu Patronus vel Titulus, aut Dedicatio Ecclesiæ: quia tunc de Festo fieret Offic. et de Oct. comm. Et similiter die Oct. Corporis Christi in II. Vesp. concurrente cum die Oct. S. Joannis Baptistæ, Vesp. erunt de Oct. Corporis Christi cum commem. Octavæ S. Joannis.

In II. Vesp. Duplicis 2. Classis non fit comm. de die infra Octavam, nisi quando de ea fieri debeat Officium die sequenti.

Cum plures fiunt comm., servetur hic ordo: De Dupl., de Dom., de Semid., de die infra Oct., de Feria majori seu Vigilia, de S. Maria in Sabbato, de Simplici.

SI OCCURRAT EODEM DIE

Duplex primæ Classis et	6	4	0	6	2	4	6	2	2	8	4	4	1
Duplex secundæ Classis	4	4	0	4	2	4	6	2	8	1	4	1	1
Duplex per annum	4	4	0	4	2	1	4	8	1	1	4	1	1
Dies infra Octavam	4	4	0	4	3	3	7	3	3	3	3	3	3
Dies Octava	4	4	0	4	2	7	4	2	3	3	4	3	3
Semiduplex	4	4	0	4	8	1	4	1	1	1	1	1	1
Simplex	3	3	3	0	3	3	3	3	3	3	3	3	3
S. Maria in Sabbato	5	5	0	4	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Feria major	6	0	6	4	3	3	3	3	3	3	0	0	0
Vigilia	0	3	6	4	3	3	3	3	3	3	0	0	0
	Vigilia.	Feria major.	S. Maria in Sabbato.	Simplex.	Semiduplex.	Dies Octava.	Dies infra Octavam.	Duplex per annum.	Duplex secundæ Classis.	Duplex primæ Classis.	Dominica per annum	Dominica secundæ Classis.	Dominica primæ Classis.

1 Translatio de primo, Offic. de secundo.
2 Offic. de primo, Translatio de secundo.
3. Comm. de primo, Offic. de secundo.
4 Offic. de primo, Comm. de secundo.
5 Nihil de primo, Offic. de secundo.
6 Offic. de primo, nihil de secundo.
7 Offic. de digniori, Commem. de minus digno.
8 Offic. de degniori, translatio de minus digno.

Notandum, quod Duplex quodcumque, etiam Patroni et Tituli Ecclesiæ, vel Dedicationis ejusdem, occurrens in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, in die Circumcisionis, in die Oct. Epiphaniæ, in Feria IV. Cinerum, ac in tota majori Hebdomanda, et infra Oct. Paschæ et Pentecostes, in Ascensione Domini, in Festo Corporis Christi, in Festo Assumptionis beatæ Virginis, et Omnium Sanctorum, transfertur.

Infra Oct. Epiphaniæ fit tantum de Patrono vel Titulari Ecclesiæ, et ejusdem Dedicatione, cum comm. Oct.: alia Festa transferuntur post Octavam.

Infra Oct. Corporis Christi, Semiduplex transfertur, neque fit de Duplici translato: et de ea, quocumque adveniente Duplici, fiit comm.

Digitized by Google

Infra illas Octav., in quibus fit de Festis occurrentibus, Semiduplex occurrens in Dominica transfertur in proxime sequentem diem : quæ si fuerit impedita alio simili Festo, transfertur post Octavam.

De Oct. Nativitatis Domini, Epiphaniæ et Corporis Christi, semper fit comm. quocumque Festo in illis occurrente.

De aliis Oct., quæ non sunt in Kalendario, nihil fit a Feria IV. Cinerum usque ad Festum Trinitatis inclusive, et a die 17 Decembris usque ad Epiphaniam.

Dies Oct. nunquam transfertur; ideo quanquam Nativitas S. Joannis Baptistæ, occurrens in die Corporis Christi, transferatur in diem sequentem, non tamen transfertur Octava ; sed de ea fit tantum comm. in Offic. de Octava Corporis Christi.

Si occurrat, ut Patronus vel Titulus Eccl. descriptus sit eodem die in Kalendario cum aliis Sanctis, in ea Ecclesia fit tantum de Patrono, vel Titulari absque comm. aliorum. Qui si in dicto Kalendario descripti sint sub Offic. Dupl. vel Semid., transferuntur in primam diem simili Offic. non impeditam, et de eis fiat Offic. Semid., nisi tamen sint de majoribus Festis quia tunc de translato quoque fiet Offic. Dupl., ac si proprio die celebraretur. Si vero in Kalendario omnes sint tanquam Festum Simplex, de aliis nihil fit.

De Feriis Adv. et Quadrag. quando de eis non fit Offic. fit comm. in utrisque Vesp. et Laud. cujuscumque Festi: de quatuor Temp. et Feria ij. Rogationum ac Vigiliis, in Laud. tantum. Si vero aliqua Vigilia occurrat in Adv., Quadrages., et Quatuor Temp, vel in diebus Festorum Dupl. 1. Classis, sive Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis Ecclasiæ, de ea nihil fit, nec etiam in Laudibus.

ORATIO

DICENDA ANTE DIVINUM OFFICIUM.

APERI, Domine, os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum: munda quoque cor meum ab omnibus vanis, perversis et alienis cogitationibus: intellectum illumina, affectum inflamma, ut digne, attente ac devote hoc Officium recitare valeam, et exaudiri merear ante conspectum divinæ Majestatis tuæ. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Domine, in unione illius divinæ intentionis, qua ipse in terris laudes Deo persolvisti, has tibi Horas persolvo.

Orationem sequentem devote post Officium recitantibus Leo Papa X. defectus et culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas indulsit.

SACROSANCTÆ et individuæ Trinitati, crucifixi Domini nostri Jesu Christi humanitati, beatissimæ et gloriosissimæ, semperque Virginis Mariæ fœcundæ integritati, et omnium Sanctorum universitati sit sempiterna laus, honor, virtus et gloria ab omni creatura, nobisque remissio omnium peccatorum, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium.

Et beata ubera, quae lactaverunt Christum Dominum.

Pater noster. Ave Maria.

Digitized by Google

ABSOLUTIONES ET BENEDICTIONES

DICENDÆ ANTE LECTIONES IN OFFICIO NOVEM ET TRIUM LECTIONUM.

In I. Nocturno, et pro ij *et* v *Feria.*

ABSOLUTIO.

EXAUDI, Domine Jesu Christe, preces servorum tuorum, et miserere nobis, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

BENEDICTIONES.

1 Benedictione perpetua benedicat nos Pater æternus. ℟. Amen.
2 Unigenitus Dei Filius nos benedicere et adjuvare dignetur.
3 Spiritus sancti gratia illuminet sensus et corda nostra.

In II. Noct. et pro iij. et vi. Feria.

ABSOLUTIO.

IPSIUS pietas et misericordia nos adjuvet, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

BENEDICTIONES.

4 Deus Pater omnipotens sit nobis propitius et clemens. ℟. Amen.
5 Christus perpetuæ det nobis gaudia vitæ.
6 Ignem sui amoris accendat Deus in cordibus nostris.

In III. Noct., et pro Feria iv. et Sabbato.

ABSOLUTIO.

A VINCULIS peccatorum nostrorum absolvat nos omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

BENEDICTIONES.

7 Evangelica lectio sit nobis salus et protectio. ℟. Amen.
8 Divinum auxilium maneat semper nobiscum.
9 Ad societatem civium supernorum perducat nos Rex Angelorum.

Si Officium fit de Sancto novem Lectionum, octava Benedictio erit:

Cujus Festum colimus; ipse *vel* ipsa intercedat pro nobis ad Dominum.

Quando sunt plures, dicitur:

Quorum *vel* Quarum Festum colimus, ipsi *vel* ipsæ intercedant pro nobis ad Dominum.

Si Officium fit de S. Maria, octava Benedictio erit:

Cujus Festum colimus, ipsa Virgo virginum intercedat pro nobis ad Dominum.

Si in ultima Lectione legendum sit aliud Evangelium cum Homilia, nona Benedictio erit.

Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta.

In Offic. iij. Lect. dicuntur Absolutiones et Benedictiones prædictæ, ordine in Rubricis generalibus descripto; et in eo, quando non legitur Homilia cum Evangelio et Benedictiones sumendæ sunt ex III. Noct., prima Benedictio erit:

1 Ille nos benedicat, qui sine fine vivit et regnat.
2 Divinum auxilium.
3 Ad societatem.

In Offic. iij. Lect., quando legitur Homilia cum Evangelio, prima Benedictio erit:

1 Evangelica lectio.
2 Divinum Auxilium.
3 Ad societatem.

Si Offic. fit de Sancto iij. Lectionum, prima Benedictio erit:

1 Ille nos benedicat, qui sine fine vivit et regnat.
2 Cujus *vel* Quorum.
3 Ad societatem.

In Officio de S. Maria in Sabbato, Absolutio et Benedictiones quæ ibidem ponuntur.

Digitized by Google

PSALTERIUM

DISPOSITUM

PER HEBDOMADAM,

CUM ORDINARIO OFFICII DE TEMPORE.

DOMINICA AD MATUTINUM.

Ante Matutinum et omnes Horas, præterquam ad Completorium, dicitur secrete :

PATER noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum : adveniat regnum tuum : fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos a malo. Amen.

AVE, Maria, gratia plena, Dominus tecum : benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in hora mortis nostræ. Amen.

In principio Matutini, et Primæ, ac in fine Completorii, dicitur etiam Symbolum Apostolorum.

CREDO in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli et terræ. Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum : qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus: descendit ad inferos : tertia die resurrexit a mortuis : ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam. Amen.

Deinde clara voce dicitur :

℣. Domine, labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam. ℣. Deus, in adjutorium meum intende. ℟. Domine, ad adjuvandum me festina. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. Alleluia.

Sic dicitur Alleluja, *ad omnes Horas, per totum Annum, præterquam a Domin. in Septuag. usque ad Fer. v. in Cœna Domini : tunc enim dicitur* Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

Invitat. sequens dicitur ab Octava Epiph. usque ad Domin. Septuag. et ab Oct. Pentec. usque ad Adv.

Invit. Adoremus Dominum, ' Qui fecit nos. *Repetitur* Adoremus Dominum, qui fecit nos.

Psalmus 94.

VENITE, exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro : præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei. Adoremus Dominum, qui fecit nos.

Quoniam Deus magnus Dominus, et Rex magnus super omnes deos : quoniam non repellet Dominus plebem suam quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitudines montium ipse conspicit. Qui fecit nos.

Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et aridam fundaverunt ma-

Digitized by Google

nus ejus : Venite, adoremus, et procidamus ante Deum : ploremus coram Domino, qui fecit nos ; quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus. Adoremus Dominum, qui fecit nos.

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto : ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt et viderunt opera mea. Qui fecit nos.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et dixi : Semper hi errant corde : ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. Adoremus Dominum, qui fecit nos.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. Qui fecit nos. Adoremus Dominum, qui fecit nos.

Sequens Hymnus dicitur ab Octava Epiph. usque ad Domin. I. Quadrag. et a Domin. proximiori Kal. Octobris, usque ad Adv.

HYMNUS.

PRIMO die, quo Trinitas
Beata mundum condidit,
Vel quo resurgens Conditor,
Nos morte victa liberat :
Pulsis procul torporibus
Surgamus omnes ocyus,
Et nocte quæramus Deum,
Propheta sicut præcipit.
Nostras preces ut audiat,
Suamque dextram porrigat,
Et expiatos sordibus
Reddat polorum sedibus.
Ut, quique sacratissimo
Hujus diei tempore
Horis quietis psallimus,
Donis beatis muneret.
Jam nunc, Paterna claritas,
Te postulamus affatim,
Absint faces libidinis,
Et omnis actus noxius.
Ne fœda sit, vel lubrica
Compago nostri corporis,
Ob cujus ignes ignibus
Avernus urat acrius.
Mundi Redemptor, quæsumus
Tu probra nostra diluas :
Nobisque largus commoda
Vitæ perennis conferas.
Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Sequens Hymnus dicitur ab Oct. Pentec. usque ad Domin. proximiorem Kal. Octobris.

HYMNUS.

NOCTE surgentes vigilemus omnes,
Semper in psalmis meditemur, atque
Voce concordi Domino canamus
Dulciter hymnos.
Ut pio Regi pariter canentes,
Cum suis Sanctis mereamur aulam
Ingredi cœli, simul et perennem
Ducere vitam.
Præstet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterque sancti
Spiritus, cujus resonat per omnem
Gloria mundum. Amen.

Aliis temporibus a supradictis, invit. et Hymnus dicuntur, quæ habentur in Proprio de Tempore, pro Officii varietate : quod et in Capit. et Hymnis ad Laudes, et in aliis similibus servetur.

IN I. NOCTURNO.

In Adv. Ant. Veniet ecce Rex.
Per Ann. Ant. Servite Domino.
Temp. Pasch. Ant. Alleluja.

*Asteriscus * notat pausam cantus in choro.*

Psalmus 1.

BEATUS vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, * et in cathedra pestilentiæ non sedit :
Sed in lege Domini voluntas ejus, * et in lege ejus meditabitur die ac nocte.
Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, * quod fructum suum dabit in tempore suo :

Digitized by Google

Et folium ejus non defluet: * et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.

Non sic impii, non sic: * sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.

Ideo non resurgent impii in judicio: * neque peccatores in concilio justorum.

Quoniam novit Dominus viam justorum: * et iter impiorum peribit.

Gloria Patri, et Filio, * et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, etc.

Hic versus Gloria *semper dicitur in fine omnium Psalmorum, nisi aliter notetur.*

Psalmus 2.

QUARE fremuerunt gentes, * et populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum * adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum: * et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in cœlis, irridebit eos: * et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua: * et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus: * prædicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, * et possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea, * et tanquam vas figuli confringes eos.

Et nunc, reges, intelligite: * erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore: * et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, * et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus, * beati omnes qui confidunt in eo.

Psalmus 3.

DOMINE, quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es, * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum: * et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * et super populum tuum benedictio tua.

Psalmus 6.

DOMINE, ne in furore tuo arguas me: * neque in ira tua corripias me.

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: * sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: * sed tu, Domine, usquequo?

Convertere, Domine, et eripe animam meam: * salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: * in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: * lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: * inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: * quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: * Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei: * convertantur, et erubescant valde velociter.

In Adv. Ant. Veniet ecce Rex excelsus cum potestate magna ad salvandas gentes. Alleluia.

Ant. Confortate.

Digitized by Google

Per Ann. Ant. Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.

Ant. Deus judex justus.

Psalmus 7.

DOMINE Deus meus, in te speravi: * salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me.

Nequando rapiat ut leo animam meam: * dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

Domine Deus meus, si feci istud,* si est iniquitas in manibus meis:

Si reddidi retribuentibus mihi mala, * decidam merito ab inimicis meis inanis.

Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam, * et gloriam meam in pulverem deducat.

Exurge, Domine, in ira tua: * et exaltare in finibus inimicorum meorum.

Et exurge, Domine Deus meus, in præcepto quod mandasti: * et synagoga populorum circumdabit te.

Et propter hanc in altum regredere: * Dominus judicat populos.

Judica me, Domine, secundum justitiam meam, * et secundum innocentiam meam super me.

Consumetur nequitia peccatorum, et diriges justum, * scrutans corda et renes Deus.

Justum adjutorium meum a Domino, * qui salvos facit rectos corde.

Deus judex justus, fortis et patiens: * numquid irascitur per singulos dies?

Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit: * arcum suum tetendit, et paravit illum.

Et in eo paravit vasa mortis, * sagittas suas ardentibus effecit.

Ecce parturiit injustitiam: * concepit dolorem, et peperit iniquitatem.

Lacum aperuit, et effodit eum: * et incidit in foveam, quam fecit.

Convertetur dolor ejus in caput ejus: * et inv erticem ipsius iniquitas ejus descendet.

Confitebor Domino secundum justitiam ejus: * et psallam nomini Domini Altissimi.

Psalmus 8.

DOMINE Dominus noster,* quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua * super cœlos.

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos,* ut destruas inimicum et ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam et stellas, quæ tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum,* et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus,* oves et boves universas, insuper et pecora campi.

Volucres cœli, et pisces maris, * qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Psalmus 9.

CONFITEBOR tibi, Domine, in toto corde meo: * narrabo omnia mirabilia tua.

Lætabor et exultabo in te: * psallam nomini tuo, Altissime.

In convertendo inimicum meum retrorsum: * infirmabuntur, et peribunt a facie tua.

Quoniam fecisti judicium meum et causam meam: * sedisti super thronum, qui judicas justitiam.

Increpasti Gentes, et periit impius:* nomen eorum delesti in æternum, et in sæculum sæculi.

Inimici defecerunt frameæ in finem:* et civitates eorum destruxisti.

Periit memoria eorum cum sonitu:* et Dominus in æternum permanet.

Paravit in judicio thronum suum:* et ipse judicabit orbem terræ in æ-

Digitized by Google

quitate, judicabit populos in justitia.

Et factus est Dominus refugium pauperi : * adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.

Et sperent in te, qui noverunt nomen tuum : * quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.

Psallite Domino, qui habitat in Sion: * annuntiate inter Gentes studia ejus :

Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est : * non est oblitus clamorem pauperum.

Miserere mei, Domine : * vide humilitatem meam de inimicis meis.

Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

Exultabo in salutari tuo : * infixæ sunt Gentes in interitu, quem fecerunt.

In laqueo isto, quem absconderunt, * comprehensus est pes eorum.

Cognoscetur Dominus judicia faciens: * in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.

Convertantur peccatores in infernum: * omnes Gentes, quæ obliviscuntur Deum.

Quoniam non in finem oblivio erit pauperis : * patientia pauperum non peribit in finem.

Exurge, Domine, non confortetur homo : * judicentur Gentes in conspectu tuo.

Constitue, Domine, legislatorem super eos : * ut sciant Gentes quoniam homines sunt.

Ut quid, Domine, recessisti longe, * despicis in opportunitatibus, in tribulatione ?

Dum superbit impius, incenditur pauper : * comprehenduntur in consiliis, quibus cogitant.

Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ : * et iniquus benedicitur.

Exacerbavit Dominum peccator, * secundum multitudinem iræ suæ non quæret.

Non est Deus in conspectu ejus: * inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.

Auferuntur judicia tua a facie ejus: * omnium inimicorum suorum dominabitur.

Dixit enim in corde suo : * Non movebor a generatione in generationem sine malo.

Cujus maledictione os plenum est, et amaritudine, et dolo : * sub lingua ejus labor et dolor.

Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, * ut interficiat innocentem.

Oculi ejus in pauperem respiciunt: * insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.

Insidiatur ut rapiat pauperem: * rapere pauperem, dum attrahit eum.

In laqueo suo humiliabit eum: * inclinabit se, et cadet, cum dominatus fuerit pauperum.

Dixit enim in corde suo : Oblitus est Deus : * avertit faciem suam, ne videat in finem.

Exurge, Domine Deus, exaltetur manus tua : * ne obliviscaris pauperum.

Propter quid irritavit impius Deum? * dixit enim in corde suo : Non requiret.

Vides, quoniam tu laborem et dolorem consideras : * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelictus est pauper : * orphano tu eris adjutor.

Contere brachium peccatoris et mali: * quæretur peccatum illius, et non invenietur.

Dominus regnabit in æternum, et in sæculum sæculi : * peribitis, Gentes, de terra illius.

Desiderium pauperum exaudivit Dominus : * præparationem cordis eorum audivit auris tua.

Judicare pupillo et humili, * ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.

Psalmus 10.

IN Domino confido ; quomodo dicitis animæ meæ : * Tràns migra in montem sicut passer ?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in phàretra, * ut sagittent in obscuro rectos corde.

Digitized by Google

Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt: * justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo: * Dominus in cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt:* palpebræ ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum et impium: * qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos: * ignis, et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit: * æquitatem vidit vultus ejus.

In Adv. Ant. Confortate manus dissolutas: confortamini,dicite: Ecce Deus noster veniet, et salvabit nos, alleluia.

Ant. Gaudete omnes.

Per Ann. Ant. Deus judex justus, fortis et longanimis: numquid irascetur per singulos dies?

Ant. Tu, Domine.

Psalmus 11.

SALVUM me fac, Domine, quoniam defecit sanctus: * quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum.

Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum: * labia dolosa, in corde et corde locuti sunt.

Disperdat Dominus universa labia dolosa; * et linguam magniloquam.

Qui dixerunt: Linguam nostram magnificabimus,labia nostra a nobis sunt;* qu's noster Dominus est?

Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum * nunc exurgam, dicit Dominus.

Ponam in salutari: * fiducialiter agam in eo.

Eloquia Domini, eloquia casta: * argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum

Tu, Domine, servabis nos, et custodies nos * a generatione hac in æternum.

In circuitu impii ambulant: * secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

Psalmus 12.

USQUEQUO, Domine, oblivisceris me in finem? * usquequo avertis faciem tuam a me?

Quamdiu ponam consilia in anima mea, * dolorem in corde meo per diem?

Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? * respice, et exaudi me, Domine Deus meus.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: * nequando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum.

Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: * ego autem in misericordia tua speravi.

Exultabit cor meum in salutari tuo; cantabo Domino, qui bona tribuit mihi: * et psallam nomini Domini altissimi.

Psalmus 13.

DIXIT insipiens in corde suo: * Non est Deus.

Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis: * non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Dominus de cœlo prospexit super filios hominum: * ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.

Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: * non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant: * venenum aspidum sub labiis eorum.

Quorum os maledictione et amaritudine plenum est:* veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt: * non est timor Dei ante oculos eorum.

Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, * qui devorant plebem meam sicut escam panis?

Dominum non invocaverunt: * illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

Quoniam Dominus in generatione justa est, consilium inopis confudistis: * quoniam Dominus spes ejus est.

Quis dabit ex Sion salutare Israel?*

Digitized by Google

cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ exultabit Jacob, et lætabitur Israel.

Psalmus 14.

DOMINE, quis habitabit in tabernaculo tuo?* aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, * et operatur justitiam:

Qui loquitur veritatem in corde suo,* qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit proximo suo malum, * et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: * timentes autem Dominum glorificat:

Qui jurat proximo suo, et non decipit, * qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit hæc, * non movebitur in æternum.

In Adv. Ant. Gaudete omnes, et lætamini: ecce quia veniet Dominus ultionis, adducet retributionem: ipse veniet, et salvabit nos.

℣. Ex Sion species decoris ejus. ℟. Deus noster manifeste veniet.

Per Ann. Ant. Tu, Domine servabis nos, et custodies nos.

℣. Memor fui nocte nominis tui, Domine. ℟. Et custodivi legem tuam.

In Quadrag. ℣. Ipse liberavit me de laqueo venantium ℟. Et a verbo aspero.

Temp. pass. ℣. Erue a framea, Deus, animam meam. ℟. Et de manu canis unicam meam.

Temp. Pasch. Ant. Alleluia. Lapis revolutus est, allel. ab ostio monumenti, allel. allel.

℣. Surrexit Dominus de sepulchro, alleluia. ℟. Qui pro nobis pependit in ligno, alleluia.

Post ℣. cujuslibet Noct. dicitur.

Pater noster *secreto*. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

Absolutio.

EXAUDI, Domine Jesu Christe, preces servorum tuorum, et miserere nobis, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Jube domne benedicere.

Benedictio. Benedictione perpetua benedicat nos Pater æternus ℟. Amen.

Deinde leguntur Lectiones cum Responsoriis; ut in Proprio de Tempore assignantur.

Pro ij. Lect. Bened. Unigenitus Dei Filius nos benedicere et adjuvare dignetur ℟. Amen.

Pro iij. Lect. Bened. Spiritus sancti gratia illuminet sensus et corda nostra. ℟. Amen.

IN II. NOCTURNO.

In Adv. Ant. Gaude et lætare.
Per Ann. Ant. Bonorum meorum.
Temp. Pasch. Ant. Alleluia.

Psalmus 15.

CONSERVA me, Domine, quoniam speravi in te. * Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum:* postea accelerav·runt.

Non congregabo co.ve.ticula eorum de sanguinibus: * nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei: * tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in præclaris: * etenim hæreditas mea præclara est mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: * insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Providebam Dominum in conspectu meo semper: * quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea: * insuper et caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam

Digitized by Google

meam in inferno : * nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo : * delectationes in dextera tua usque in finem.

In Adv. Ant. Gaude et lætare filia Jerusalem : ecce Rex tuus veniet tibi : Sion, noli timere, quia cito veniet salus tua.

Ant. Rex noster.

Per Ann. Ant. Bonorum meorum non indiges, in te speravi, conserva me, Domine.

Ant. Propter verba.

Psalmus 16.

EXAUDI, Domine, justitiam meam:* intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam, * non in labiis dolosis.

De vultu tuo judicium meum prodeat : * oculi tui videant æquitates.

Probasti cor meum, et visitasti nocte : * igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.

Ut non loquatur os meum opera hominum : * propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

Perfice gressus meos in semitis tuis, * ut non moveantur vestigia mea.

Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus:* inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

Mirifica misericordias tuas, * qui salvos facis sperantes in te.

A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, * ut pupillam oculi.

Sub umbra alarum tuarum protege me : * a facie impiorum, qui me afflixerunt.

Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt :* os eorum locutum est superbiam.

Projicientes me nunc circumdederunt me : * oculos suos statuerunt declinare in terram.

Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam : et sicut catulus leonis habitans in abditis.

Exurge, Domine, præveni eum, et supplanta eum : * eripe animam meam ab impio, framcam tuam ab inimicis manus tuæ.

Domine, a paucis de terra divide eos in vita eorum : * de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.

Saturati sunt filiis : * et dimiserunt reliquias suas parvulis suis.

Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo:* satiabor cum apparuerit gloria tua.

In Adv. Ant. Rex noster adveniet Christus, quem Joannes prædicavit Agnum esse venturum.

Ant. Ecce venio.

Per Ann. Ant. Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

Ant. Diligam te.

Et non repetitur in Psalmo : quod semper fit, quando Ant. incipit a j. versu Psalmi, et Psalmus tunc incipitur ab eo verbo, in quo desinit Ant. sive integra dicatur, sive tantum inchoata, si tamen eadem sint verba, et continuetur Ant. cum Psalmo.

Psalmus 17.

DILIGAM te, Domine, fortitudo mea : * Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus.

Deus meus adjutor meus, * et sperabo in eum.

Protector meus, et cornu salutis meæ, * et susceptor meus.

Laudans invocabo Dominum, * et ab inimicis meis salvus ero.

Circumdederunt me dolores mortis, * et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.

Dolores inferni circumdederunt me: * præoccupaverunt me laquei mortis.

In tribulatione mea invocavi Dominum, * ed ad Deum meum clamavi.

Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam:* et clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus.

Commota est, et contremuit terra:* fundamenta montium conturbata sunt,

Digitized by Google

et commota sunt, quoniam iratus est eis.

Ascendit fumus in ira ejus, et ignis a facie ejus exarsit: * carbones succensi sunt ab eo.

Inclinavit cœlos, et descendit: * et caligo sub pedibus ejus.

Et ascendit super Cherubim, et volavit: * volavit super pennas ventorum.

Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu ejus tabernaculum ejus: * tenebrosa aqua in nubibus aëris.

Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, * grando et carbones ignis.

Et intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam: * grando et carbones ignis.

Et misit sagittas suas, et dissipavit eos: * fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.

Et apparuerunt fontes aquarum, * et revelata sunt fundamenta orbis terrarum:

Ab increpatione tua, Domine, * ab inspiratione spiritus iræ tuæ.

Misit de summo, et accepit me: * et assumpsit me de aquis multis.

Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab iis qui oderunt me: * quoniam confortati sunt super me.

Prævenerunt me in die afflictionis meæ: * et factus est Dominus protector meus.

Et eduxit me in latitudinem: * salvum me fecit, quoniam voluit me.

Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, * et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi:

Quia custodivi vias Domini, * nec impie gessi a Deo meo.

Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo: * et justitias ejus non repuli a me.

Et ero immaculatus cum eo: * et observabo me ab iniquitate mea.

Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, * et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus.

Cum sancto sanctus eris, * et cum viro innocente innocens eris:

Et cum electo electus eris, * et cum perverso perverteris.

Quoniam tu populum humilem salvum facies, * et oculos superborum humiliabis.

Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine: * Deus meus, illumina tenebras meas.

Quoniam in te eripiar a tentatione, * et in Deo meo transgrediar murum.

Deus meus impolluta via ejus; eloquia Domini igne examinata: * protector est omnium sperantium in se.

Quoniam quis Deus præter Dominum? * aut quis Deus præter Deum nostrum?

Deus qui præcinxit me virtute: * et posuit immaculatam viam meam.

Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum: * et super excelsa statuens me.

Qui docet manus meas ad prælium: * et posuisti, ut arcum æreum, brachia mea.

Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ: , et dextera tua suscepit me.

Et disciplina tua correxit me in finem: * et disciplina tua ipsa me docebit.

Dilatasti gressus meos subtus me: * et non sunt infirmata vestigia mea.

Persequar inimicos meos, et comprehendam illos: * et non convertar donec deficiant.

Confringam illos, nec poterunt stare: * cadent subtus pedes meos.

Et præcinxisti me virtute ad bellum: * et supplantasti insurgentes in me subtus me.

Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, * et odientes me disperdidisti.

Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret, ad Dominum; * nec exaudivit eos.

Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti: * ut lutum platearum delebo eos.

Eripies me de contradictionibus populi: * constitues me in caput Gentium.

Digitized by Google

Populus, quem non cognovi, servivit mihi: * in auditu auris obedivit mihi.

Filii alieni mentiti sunt mihi * filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis.

Vivit Dominus, et benedictus Deus meus, * et exaltetur Deus salutis meæ.

Deus, qui das vindictas mihi, et subdis populos sub me; * liberator meus de inimicis meis iracundis.

Et ab insurgentibus in me exaltabis me: * a viro iniquo eripies me.

Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine: * et nomini tuo psalmum dicam.

Magnificans salutes regis ejus, et faciens misericordiam Christo suo David, * et semini ejus usque in sæculum.

***In Adv. Ant.* Ecce venio cito, et merces mea mecum est, dicit Dominus, dare unicuique secundum opera sua.**

℣. **Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ.** ℟. **De petra deserti ad montem filiæ Sion.**

***Per Ann. Ant.* Diligam te, Domine, virtus mea.**

℣. **Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine.** ℟. **Deus meus, illumina tenebras meas.**

***In Quadrag.* ℣. Scapulis suis obumbrabit tibi.** ℟. **Et sub pennis ejus sperabis.**

***Tempore Pass.* ℣ De ore leonis libera me, Domine.** ℟. **Et a cornibus unicornium humilitatem meam.**

***Temp. Pasch. Ant.* Alleluia. Quem quæris, mulier? allel. Viventem cum mortuis, allel. allel.**

℣. **Surrexit Dominus vere, alleluia.** ℟. **Et apparuit Simoni, allel.**

Pater noster, *secreto*. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. **Sed libera nos a malo.**

Absolutio.

IPSIUS pietas et misericordia nos adjuvet, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. **Amen.**

℣ **Jube, domne, benedicere.**

***Bened.* Deus Pater omnipotens sit nobis propitius et clemens.** ℟. **Amen.**

***Pro* v. *Lect. Bened.* Christus perpetuæ det nobis gaudia vitæ.** ℟. **Amen.**

***Pro* vj. *Lect. Bened.* Ignem sui amoris accendat Deus in cordibus nostris.** ℟. **Amen.**

IN III. NOCTURNO.

***In Adv. Ant.* Gabriel Angelus.**
***Per Ann. Ant.* Non sunt loquelæ.**
***Temp. Pasch. Ant.* Alleluia.**

Psalmus 18.

CŒLI enarrant gloriam Dei, * et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum, * et nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelæ, neque sermones, * quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit sonus eorum: * et in fines orbis terræ verba eorum.

In sole posuit tabernaculum suum: * et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.

Exultavit ut gigas ad currendam viam; * a summo cœlo egressio ejus.

Et occursus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscondat a calore ejus.

Lex Domini immaculata convertens animas: * testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi: * judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum: * et dulciora super mel et favum.

Etenim servus tuus custodit ea: * in custodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me: * et ab alienis parce servo tuo.

Digitized by Google

Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero : * et emundabor a delicto maximo.

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei: * et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine, adjutor meus, * et redemptor meus.

In Adv. Ant. Gabriel Angelus locutus est Mariæ, dicens : Ave gratia plena, Dominus tecum : benedicta tu inter mulieres.

Ant. Maria dixit.

Per Ann. Ant. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.

Ant. Exaudiat.

Psalmus 19.

EXAUDIAT te Dominus in die tribulationis: * protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de sancto : * et de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificii tui : * et holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundum cor tuum:* et omne consilium tuum confirmet.

Lætabimur in salutari tuo : * et in nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas. * nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus christum suum.

Exaudiet illum de cœlo sancto suo:* in potentatibus salus dexteræ ejus.

Hi in curribus, et hi in equis:* nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

Ipsi obligati sunt, et ceciderunt : * nos autem surreximus, et erecti sumus.

Domine, salvum fac regem : * et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

In Adv. Ant. Maria dixit : Putas qualis est ista salutatio, quia conturbata est anima mea, et quia paritura sum Regem, qui claustrum virginitatis meæ non violabit?

Ant. In adventu.

Per Ann. Ant. Exaudiat te Dominus in die tribulationis.

Ant. Domine.

Psalmus 20.

DOMINE, in virtute tua lætabitur rex: * et super salutare tuum exultabit vehementer.

Desiderium cordis ejus tribuisti ei:* et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis : * posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Vitam petiit a te, * et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est gloria ejus in salutari tuo : * gloriam et magnum decorem impones super eum.

Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi : * lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quoniam rex sperat in Domino,* et in misericordia Altissimi, non commovebitur.

Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis : * dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui : * Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes,* et semen eorum a filiis hominum.

Quoniam declinaverunt in te mala:* cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

Quoniam pones eos dorsum: * in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.

Exaltare, Domine, in virtute tua:* cantabimus et psallemus virtutes tuas.

In Adv. Ant. In adventu summi Regis mundentur corda hominum, ut digne ambulemus in occursum illius: quia ecce veniet, et non tardabit.

℣. Egredietur Dominus de loco sancto suo. ℟. Veniet ut salvet populum suum.

Per Ann. Ant. Domine, in virtute tua lætabitur rex.

Digitized by Google

℣. Exaltare, Domine, in virtute tua. ℟. Cantabimus et psallemus virtutes tuas.

In Quadrag. ℣. Scuto circumdabit te veritas ejus. ℟. Non timebis a timore nocturno.

Temp. Pass. ℣. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam. ℟. Et cum viris sanguinum vitam meam.

Temp. Pasch. Ant. Alleluia. Noli flere, Maria, alleluja: resurrexit Dominus, alleluia, allel.

℣. Gavisi sunt discipuli, alleluia. ℟. Viso Domino, alleluia.

Pater noster, *secreto*. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

Absolutio.

A VINCULIS peccatorum nostrorum absolvat nos omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedicere.

Bened. Evangelica lectio sit nobis salus et protectio. ℟. Amen.

Pro viij. *Lect. Bened.* Divinum auxilium maneat semper nobiscum. ℟. Amen.

Pro ix. *Lect. Bened.* Ad societatem civium supernorum perducat nos Rex Angelorum.

℟. Amen.

Sequens Hymnus semper dicitur post ultimam Lect. in omnibus Dom. et Festis tantum (excepto Festo SS. Innocentium, quando non venit in Domin.) a Pasch. usque ad Adv. et a Nativ. Domini usque ad Septuag. In Adv. autem, et a Septuag. usque ad Pasch. non dicitur, nisi in Festis; a Pasch. vero usque ad Pentecost. dicitur etiam in feriali Officio, excepta Feria ij. *Rogation. Alio temp. nunquam dicitur in fer. Offic. Quando vero non dicitur, ejus loco ponitur* ix. *aut* iij. *Respons.*

HYMNUS

SS. AMBROSII ET AUGUSTINI.

TE DEUM laudamus: te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, tibi cœli, et universæ potestates.

Tibi Cherubim et Seraphim incessabili voce proclamant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt cœli et terra majestatis gloriæ tuæ.

Te gloriosus Apostolorum chorus,

Te Prophetarum laudabilis numerus:

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia.

Patrem immensæ majestatis.

Venerandum tuum verum et unicum Filium.

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriæ, Christe.

Tu Patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum.

Tu, devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna cœlorum.

Tu, ad dexteram Dei sedes, in gloria Patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergo quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

Æterna fac cum Sanctis tuis in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

Per singulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te.

In te, Domine, speravi: non confundar in æternum.

Digitized by Google

AD LAUDES.

DEUS, in adjutorium meum intende. ℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, et Filio et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. Allel. *vel* Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ *pro temp. diversitate.*

A Dom. post Oct. Epiph. usque ad Septuag., et ab Oct. Pent. usque ad Adv. et temp. Pasch. Ant. Alleluia.

Psalmus 92.

DOMINUS regnavit, decorem indutus est: * indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se.

Etenim firmavit orbem terræ, * qui non commovebitur.

Parata sedes tua ex tunc: * a sæculo tu es.

Elevaverunt flumina, Domine, * elevaverunt flumina vocem suam.

Elevaverunt flumina fluctus suos, * a vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris, * mirabilis in altis Dominus.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.

Psalmus 99.

JUBILATE Deo, omnis terra: * servite Domino in lætitia.

Introite in conspectu ejus, * in exultatione.

Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: * ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Populus ejus, et oves pascuæ ejus, * introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis: confitemini illi.

Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia ejus, * et usque in generationem et generationem veritas ejus.

Psalmus 62.

DEUS, Deus meus, * ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.

In terra deserta, et invia, et inaquosa: * sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas: * labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea: * et in nomine tuo levabo manus meas.

Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, * et labiis exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te: * quia fuisti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te: * me suscepit dextera tua.

Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: * tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui jurant in eo: * quia obstructum est os loquentium iniqua.

Hic non dicitur Gloria Patri.

Psalmus 66.

DEUS misereatur nostri, et benedicat nobis: * illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam * in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi, Deus: * confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur et exultent gentes: * quoniam judicas populos in æquitate, et gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: * et metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri.

Temp. Pasch. Ant. Alleluia, alleluia alleluia, alleluia, alleluia, alleluia, alleluia, alleluia, alleluia, alleluia.

Ant. Surrexit Christus.

Per Ann. Ant. Alleluia, alleluia.

Ant. Tres pueri

Digitized by Google

CANTICUM TRIUM PUERORUM.

Dan. 3.

BENEDICITE omnia opera Domini Domino : * laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino:* benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino : * benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol et luna Domino: * benedicite stellæ cœli Domino.

Benedicite omnis imber et ros Domino : * benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis et æstus Domino:* benedicite frigus et æstus Domino.

Benedicite rores et pruina Domino:* benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite glacies et nives Domino:* benedicite noctes et dies Domino.

Benedicite lux et tenebræ Domino: benedicite fulgura et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: * laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes et colles Domino:* benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: * benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete et omnia, quæ moventur in aquis, Domino : * benedicite omnes volucres cœli Domino.

Benedicite omnes bestiæ et pecora Domino : * benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israel Dominum: * laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite sacerdotes Domini Domino : * benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus, et animæ justorum Domino : * benedicite sancti, et humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino:* laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu: * laudemus, et superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es, Domine, in firmamento cœli : * et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.

Hic non dicitur Gloria, *neque* Amen ; *in aliis Cant. dicuntur.*

Temp. Pasch. Ant. Surrexit Christus de sepulchro, qui liberavit tres pueros de camino ignis ardentis allel.

Ant. Alleluia.

Per Ann. Ant. Tres pueri iussu regis in fornacem missi sunt, non timentes flammam ignis, dicentes: Benedictus Deus.

Ant. Alleluia.

Psalmus 148.

LAUDATE Dominum de cœlis: * laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes Angeli ejus:* laudate eum omnes virtutes eius.

Laudate eum sol et luna : * laudate eum omnes stellæ et lumen.

Laudate eum cœli cœlorum : * et aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit, et facta sunt: * ipse mandavit, et creata sunt.

Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi : * præceptum posuit, et non præteribit.

Laudate Dominum de terra, * dracones et omnes abyssi :

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum:*quæ faciunt verbum ejus:

Montes et omnes colles : * ligna fructifera, et omnes cedri :

Bestiæ et universa pecora : * serpentes et volucres pennatæ :

Reges terræ et omnes populi: * principes et omnes judices terræ.

Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini: * quia exaltatum est nomen ejus solius.

Confessio ejus super cœlum et terram : * et exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus sanctis ejus:* filiis Israel, populo appropinquanti sibi.

Hic non dicitur Gloria.

Psalmus 149.

CANTATE Domino canticum novum : * laus ejus in ecclesia sanctorum.

Digitized by Google

Lætetur Israel in eo, qui fecit eum: * et filii Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro: * in tympano et psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est Domino in populo suo: * et exaltabit mansuetos in salutem.

Exultabunt sancti in gloria: * lætabuntur in cubilibus suis.

Exaltationes Dei in gutture eorum: * et gladii ancipites in manibus eorum:

Ad faciendam vindictam in nationibus, * increpationes in populis:

Ad alligandos reges eorum in compedibus, * et nobiles eorum in manicis ferreis:

Ut faciant in eis judicium conscriptum: * gloria hæc est omnibus sanctis ejus.

Hic non dicitur Gloria.

Psalmus 150.

LAUDATE Dominum in sanctis ejus: * laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: * laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ: * laudate eum in psalterio et cithara. *

Laudate eum in tympano et choro: * laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri, etc.

Temp. Pasch. et per Ann. Ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

Sequens Capit. dicitur in Dominicis, a II. post Epiph. usque ad Septuag., et a Dom. III. post Pentec. usque ad Adv.

Capitulum Apoc. 7.

BENEDICTIO, et claritas et sapientia, et gratiarum actio, honor, virtus et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen. ℟. Deo gratias.

Sic respond. in fine omn. Capit.

Ab oct. Epiph. usque ad Dom. I. Quadr. et a Dom. proximiori Kal. Octobr. usque ad Adv. dicitur sequens Hymnus.

ÆTERNE rerum Conditor,
Noctem diemque qui regis,
Ut temporum das tempora,
Ut alleves fastidium.

Nocturna lux viantibus
A nocte noctem segregans,
Præco diei jam sonat,
Jubarque solis evocat.

Hoc excitatus Lucifer
Solvit polum caligine;
Hoc omnis erronum cohors
Viam nocendi deserit.

Hoc nauta vires colligit,
Pontique mitescunt freta:
Hoc, ipsa petra Ecclesiæ,
Canente, culpam diluit.

Surgamus ergo strenue,
Gallus jacentes excitat,
Et somnolentos increpat,
Gallus negantes arguit.

Gallo canente spes redit,
Ægris salus refunditur,
Mucro latronis conditur,
Lapsis fides revertitur.

Jesu, labantes respice,
Et nos videndo corrige:
Si respicis, labes cadunt,
Fletuque culpa solvitur.

Tu lux refulge sensibus,
Mentisque somnum discute:
Te nostra vox primum sonet,
Et vota solvamus tibi.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. *ut infra.*

Quando ad Nocturnum dicitur Hymnus Nocte surgentes, *ad Laudes dicitur Hymnus.*

ECCE jam noctis tenuatur umbra,
Lux et auroræ rutilans coruscat:
Supplices rerum Dominum canora
Voce precemur:

Ut reos culpæ miseratus, omnem
Pellat angorem, tribuat salutem,
Donet et nobis bona sempiternæ

Digitized by Google

Munera pacis.

Præstet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterque sancti
Spiritus, cujus resonat per omnem
Gloria mundum. Amen.

Per Ann. ℣. Dominus regnavit, decorem induit.

℟. Induit Dominus fortitudinem, et præcinxit se virtute.

A Septuag. usque ad Quadrag. ℣. *tantum; in Adv. autem, in Quadrag., temp. Pass. et Pasch. Hymnus et* ℣. *habentur proprii in Proprio de Tem.*

CANTICUM ZACHARIÆ *Lucæ* 1.

BENEDICTUS Dominus Deus Israel, * quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ.

Et erexit cornu salutis nobis, * in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per ossanctorum, * qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus:

Salutem ex inimicis nostris, * et de manu omnium, qui oderunt nos:

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: * et memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, * daturum se nobis:

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, * serviamus illi;

In sanctitate et justitia coram ipso, * omnibus diebus nostris.

Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis: * præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus:

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus: * in remissionem peccatorum eorum:

Per viscera misericordiæ Dei nostri: * in quibus visitavit nos, oriens ex alto:

Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent: * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri, etc.

Deinde dicitur Ant. et Oratio propria, et post eam, si occurrat ea die aliquod Fest. simpl., fit de eo comm. Postremo (si id tempus requirit) fiunt comm. de S. Maria, de Apost. et de Patrono Ecclesiæ in ordine aliarum comm. secundum illius dignitatem, et ultimo loco de Pace, ut infra in Vesperis Sabbati.

In fine, si discedendum sit a Choro, dicitur una ex Ant. B. M., ut habetur infra post Completorium.

DOMINICA

AD PRIMAM.

Pater noster. Ave Maria. Credo. ℣. Deus in adjutorium, *ut supra.*

HYMNUS.

JAM lucis orto sidere
Deum precemur supplices,
Ut in diurnis actibus
Nos servet a nocentibus.

Linguam refrænans temperet,
Ne litis horror insonet:
Visum fovendo contegat,
Ne vanitates hauriat.

Sint pura cordis intima,
Absistat et vecordia:
Carnis terat superbiam
Potus cibique parcitas.

Ut, cum dies abscesserit,
Noctemque sors reduxerit,
Mundi per abstinentiam
Ipsi canamus gloriam.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum spiritu Paraclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

In Dom. per Ann. et temp. Pasch. Ant. Alleluia.

Psalmus 53.

DEUS, in nomine tuo salvum me fac: * et in virtute tua judica me.

Deus exaudi orationem meam: * auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam: * et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me; * et Dominus susceptor est animæ meæ.

Averte mala inimicis meis: * et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi, * et con-

Digitized by Google

fitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me : * et super inimicos meos despexit oculus meus.

Sequens Psalm. Confitemini Domino *dicitur tantum in Dom., quando fit Offic. de Dom., ut in Psalt., præterquam in Dom. a Pascha usque ad Pent. A Septuag. vero usque ad Pascha ejus loco dicitur Psalm.* Dominus regnavit, *ut supra in Laud.*

Psalmus 117.

CONFITEMINI Domino quoniam bonus : * quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc Israel quoniam bonus:* quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc domus Aaron : * quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicant nunc qui timent Dominum: * quoniam in sæculum misericordia ejus

De tribulatione invocavi Dominum:* et exaudivit me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adjutor: * non timebo quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adjutor : * et egò despiciam inimicos meos.

Bonum est confidere in Domino,* quam confidere in homine.

Bonum est sperare in Domino,* quam sperare in principibus.

Omnes gentes circuierunt me : * et in nomine Domini quia ultus sum in eos.

Circumdantes circumdederunt me:* et in nomine Domini quia ultus sum in eos.

Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis : * et in nomine Domini quia ultus sum in eos.

Impulsus eversus sum ut caderem:* et Dominus susccpit me.

Fortitudo mea, et laus mea Dominus : * et factus est mihi in salutem.

Vox exultationis et salutis * in tabernaculis justorum.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me : * dextera Domini fecit virtutem.

Non morfar, sed vivam : * et narrabo opera Domini.

Castigans castigavit me Dominus :* et morti non tradidit me.

Aperite mihi portas justitiæ ; ingressus in eas confitebor Domino :* hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me: *et factus es mihi in salutem.

Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, * hic factus est in caput anguli.

A Domino factum est istud, * et est mirabile in oculis nostris.

Hæc est dies, quam fecit Dominus:* exultemus, et lætemur in ea.

O Domine, salvum me fac, o Domine, bene prosperare : * benedictus qui venit in nomine Domini.

Benedeximus vobis de domo Domini : * Deus Dominus, et illuxit nobis.

Constituite diem solemnem in condensis, * usque ad cornu altaris.

Deus meus es tu, et confitebor tibi:* Deus meus es tu, et exaltabo te.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me : * et factus es mihi in salutem.

Confitemini Domino quoniam bonus:* quoniam in sæculum misericordia ejus.

Psalmus 118.

BEATI immaculati in via, * qui ambulant in lege Domini.

Beati, qui scrutantur testimonia ejus: * in toto corde exquirunt eum.

Non enim qui operantur iniquitatem, * in viis ejus ambulaverunt.

Tu mandasti * mandata tua custodiri nimis.

Utinam dirigantur viæ meæ, * ad custodiendas justificationes tuas!

Tunc non confundar, * cum perspexero in omnibus mandatis tuis.

Confitebor tibi in directione cordis * in eo quod didici judicia justitiæ tuæ.

Justificationes tuas custodiam:* non me derelinquas usquequaque.

Digitized by Google

In quo corrigit adolescentior viam suam? * in custodiendo sermones tuos.

In toto corde meo exquisivi te:* ne repellas me a mandatis tuis.

In corde meo abscondi eloquia tua;* ut non peccem tibi.

Benedictus es, Domine: * doce me justificationes tuas.

In labiis meis * pronuntiavi omnia judicia oris tui.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, * sicut in omnibus divitiis.

In mandatis tuis exercebor:*et considerabo vias tuas.

In justificationibus tuis meditabor:* non obliviscar sermones tuos.

RETRIBUE servo tuo, vivifica me:*et custodiam sermones tuos.

Revela oculos meos, * et considerabo mirabilia de lege tua.

Incola ego sum in terra: * non abscondas a me mandata tua.

Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas * in omni tempore.

Increpasti superbos: * maledicti qui declinant a mandatis tuis.

Aufer a me opprobrium et contemptum: * quia testimonia tua exquisivi.

Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur: * servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.

Nam et testimonia tua meditatio mea est: * et consilium meum justificationes tuæ.

Adhæsit pavimento anima mea:* vivifica me secundum verbum tuum.

Vias meas enuntiavi, et exaudisti me: * doce me justificationes tuas.

Viam justificationum tuarum instrue me: * et exercebor in mirabilibus tuis.

Dormitavit anima mea præ tædio:* confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitatis amove a me: * et de lege tua miserere mei.

Viam veritatis elegi:* judicia tua non sum oblitus.

Adhæsi testimoniis tuis, Domine:* noli me confundere.

Viam mandatorum tuorum cucurri,* cum dilatasti cor meum.

Sequens Symbolum dicitur in Dom. tantum, quando fit Off. de Dom. ut in Psalt. et in Festo SS. Trinitatis.

SYMBOLUM S. ATHANASII.

QUICUMQUE vult salvus esse,* ante omnia opus est ut teneat Catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, * absque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc est,* ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur.

Neque confundentes personas,* neque substantiam separantes.*

Alia est enim persona Patris, alia Filii,* alia Spiritus sancti.

Sed Patris, et Filii, et Spiritus sancti una est divinitas, * æqualis gloria, coæterna majestas.

Qualis Pater, talis Filius, * talis Spiritus sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius,* increatus Spiritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius,* immensus Spiritus sanctus.

Æternus Pater, æternus Filius,* æternus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres æterni,* sed unus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi,* sed unus increatus, et unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, * omnipotens Spiritus sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes,* sed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Dii, * sed unus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius,* Dominus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Domini, * sed unus est Dominus.

Quia, sicut singillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteriChristiana veritate compellimur;*

Digitized by Google

ita tres Deos aut Dominos dicere Catholica religione prohibemur.

Pater a nullo est factus, * nec creatus, nec genitus.

Filius a Patre solo est: * non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus sanctus a Patre et Filio: * non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres; unus Filius, non tres Filii; * unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.

Et in hac Trinitate nihil majus aut minus; * sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, et coæquales.

Ita ut per omnia, sicut jam supra dictum est, * et unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse, * ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem, * ut incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, * quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus et homo est.

Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus: * et homo est ex substantia matris in sæculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo, * ex anima rationali, et humana carne subsistens.

Æqualis Patri secundum divinitatem: * minor Patre secundum humanitatem.

Qui, licet Deus sit et homo; * non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversione divinitatis in carnem, * sed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino non confusione substantiæ, * sed unitate personæ.

Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo: * ita Deus et homo unus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos: * tertia die resurrexit a mortuis.

Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: * inde venturus est judicare vivos et mortuos.

Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis: * et reddituri sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: * qui vero mala, in ignem æternum.

Hæc est fides Catholica, * quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit. Gloria Patri, etc.

Ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

Temp. Pasch. additur aliud Alleluia.

Capitulum. I. Tim. I.

REGI sæculorum immortali et invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserere nobis. *Et repetitur:* Christe, Fili Dei vivi, miserere nobis. ℣. Qui sedes ad dexteram Patris. ℟. Miserere nobis. ℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. ℟. Christe, Fili Dei vivi, miserere nobis ℣. Exurge, Christe, adjuva nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum.

Sequentes preces non dicuntur in Dupl. nec infra Oct., sed tunc dicto ℟. *brevi, dicitur* Dominus vobiscum, *et Oratio*, Domine, Deus omnipotens, *ut infra* p. 20.

KYRIE eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, *secreto usque ad* ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. Credo, *secreto usque ad* ℣. Carnis resurrectionem. ℟. Vitam æternam. Amen. ℣. Et ego ad te, Domine, clamavi. ℟. Et mane oratio mea præveniet te. ℣. Repleatur os meum laude. ℟. Ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. ℣. Domine, averte faciem tuam a peccatis meis. ℟. Et omnes iniquitates meas dele. ℣. Cor mundum crea in me, Deus. ℟. Et spiritum rectum innova in visceribus meis. ℣. Ne projicias me a facie tua. ℟. Et Spiritum

Digitized by Google

sanctum tuum ne auferas a me. ℣. Redde mihi lætitiam salutaris tui. ℟. Et spiritu principali confirma me. ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum et terram.

Deinde Hebdomadarius facit confessionem.

CONFITEOR Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper virgini, beato Michaëli Archangelo, beato Joanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et vobis, fratres, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper virginem, beatum Michaëlem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos, fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Chorus respondet:

MISEREATUR tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam.
℟. Amen.

Deinde repetit confessionem, et ubi dicitur vobis fratres, *et* vos fratres, *dicatur* tibi pater, *et* te pater.

Facta confessione a Choro, Hebdomadarius dicit:

MISEREATUR vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam. ℟. Amen.

INDULGENTIAM, absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

Et prosequitur. ℣. Dignare, Domine, die isto. ℟. Sine peccato nos custodire. ℣. Miserere nostri, Domine. ℟. Miserere nostri. ℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos. ℟. Quemadmodum speravimus in te. ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Oratio.*

DOMINE, Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti, tua nos hodie salva virtute: ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.
℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.

Deinde in Choro legitur Martyrologium. Et quando dicenda est Prima de B. M., præponitur lectioni Martyrol. Postea Hebdom. dicit. ℣. Pretiosa in conspectu Domini. ℟. Mors Sanctorum ejus. *Et absolute sine* Oremus.

Oratio.

SANCTA Maria, et omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum, ut nos mereamur ab eo adjuvari et salvari, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum.
℟. Amen.
℣. Deus, in adjutorium meum intende. ℟. Domine, ad adjuvandum me festina. *Et dicitur ter: ultimo additur.* Gloria Patri. Sicut erat. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie elioson. Pater noster, *secreto.* ℣ Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Respice in servos tuos, Domine, et in opera tua, et dirige filios eorum. ℟. Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos, et opus manuum nostrarum dirige. ℣. Gloria Patri. ℟. Sicut erat.

Oremus. *Oratio.*

DIRIGERE et santificare, regere et gubernare dignare, Domine Deus, Rex cœli et terræ, hodie corda et corpora nostra, sensus, sermo-

Digitized by Google

nes et actus nostros in lege tua, et in operibus mandatorum tuorum, ut hic, et in æternum, te auxiliante, salvi et liberi esse mereamur, Salvator mundi: Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedicere.

Bened. Dies et actus nostros in sua pace disponat Dominus omnipotens. ℟. Amen.

Ad Absolut. Capit. in Dom. et Fer. per Ann., ab Oct. Epiph. usque ad Dom. I. Quadrag. et ab Oct. Pent. usque ad Adv. exclusive.

Lectio brevis. II. Thess. 3.

DOMINUS autem dirigat corda et corpora nostra in charitate Dei, et patientia Christi. Tu autem, Domine, miserere nobis.

℟. Deo gratias.

A Dom. I. Adv. usque ad Vigil. Nativ. Domini exclusive.

Isaiæ 33.

DOMINE, miserere nostri: te enim expectavimus: esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis. Tu autem.

A Dom. I. Quadrag. usque ad Dom. Pass. exclusive.

Isaiæ 55.

QUÆRITE Dominum, dum inveniri potest: invocate eum dum prope est. Tu autem.

A Dom. Pass. usque ad Fer. v. in Cœna Domini exclusive.

Isaiæ 50.

FACIEM meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. Dominus Deus auxiliator meus, et ideo non sum confusus. Tu autem.

A Dom. Resurr. usque ad Ascens. exclusive. Coloss. 3.

SI consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Tu autem.

Post Lect. brev. dicitur ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini ℟. Qui fecit cœlum et terram. ℣. Benedicite: ℟. Deus. *Bened.* Dominus nos benedicat, et ab omni malo defendat, et ad vitam perducat æternam; et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

IN FERIALI OFFICIO

extra tempus Paschale.

AD PRIMAM.

Pater noster. Ave Maria. Credo. ℣. Deus in adjutorium, *ut supra. Hymnus* Jam lucis orto sidere, *ut supra*, p. 16.

Per Ann. Ant. Beati qui ambulant.

Tem. Adv. Ant. de Laud. Dom. aut ex propriis Laud.

Temp. Quadrag. Ant. Vivo ego.

Temp. Pass. Ant. Libera me, Domine.

Psalm. 53. Deus, in nomine tuo.

Dein loco Psalmi Confitemini, *dicitur unus ex infrascriptis Psalm. secundum Fer. distinctis; Sabbato autem dicuntur tantum tres Psalmi sicut in Festis.*

FERIA SECUNDA

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitudo ejus: * orbis terrarum et universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum, * quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales: * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Domi-

Digitized by Google

nus fortis et potens, Dominus potens, in prælio.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales; * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.

FERIA TERTIA

Psalmus 24.

AD te, Domine, levavi animam meam: * Deus meus, in te confido, non erubescam.

Neque irrideant me inimici mei: * etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes * supervacue.

Vias tuas, Domine, demonstra mihi: * et semitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua, et doce me: * quia tu es Deus salvator meus et te sustinui tota die.

Reminiscere miserationum tuarum, Domine, * et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt.

Delicta juventutis meæ, * et ignorantias meas ne memineris.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu, * propter bonitatem tuam, Domine.

Dulcis et rectus Dominus: * propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Diriget mansuetos in judicio: * docebit mites vias suas.

Universæ viæ Domini misericordia et veritas, * requirentibus testamentum ejus et testimonia ejus.

Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo: * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dominum? * legem statuit ei in via, quam elegit.

Anima ejus in bonis demorabitur: * et semen ejus hæreditabit terram.

Firmamentum est Dominus timentibus eum: * et testamentum ipsius ut manifestetur illis.

Oculi mei semper ad Dominum: * quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

Respice in me, et miserere mei: * quia unicus et pauper sum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: * de necessitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam et laborem meum: * et dimitte universa delicta mea.

Respice inimicos meos quoniam multiplicati sunt, * et odio iniquo oderunt me.

Custodi animam meam, et erue me: * non erubescam, quoniam speravi in te.

Innocentes et recti adhæserunt mihi: * quia sustinui te.

Libera, Deus, Israel, * ex omnibus tribulationibus suis.

FERIA QUARTA

Psalmus 25.

JUDICA me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: * et in Domino sperans non infirmabor.

Proba me, Domine, et tenta me: * ure renes meos, et cor meum.

Quoniam misericordia tua ante oculos meos est: * et complacui in veritate tua.

Non sedi cum concilio vanitatis: * et cum iniqua gerentibus non introibo.

Odivi ecclesiam malignantium: * et cum impiis non sedebo.

Lavabo inter innocentes manus meas: * et circumdabo altare tuum, Domine:

Ut audiam vocem laudis, * et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuæ, * et locum habitationis gloriæ tuæ.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, * et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt: * dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum: * redime me, et miserere mei.

Pes meus stetit in directo: * in ecclesiis benedicam te, Domine.

FERIA QUINTA

Psalmus 22.

DOMINUS regit me, et nihil mihi deerit: * in loco pascuæ ibi me collocavit.

Digitized by Google

Super aquam refectionis educavit me: * animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiæ,* propter nomen suum.

Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: * quoniam tu mecum es.

Virga tua, et baculus tuus: * ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam,* adversus eos qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum:* et calix meus inebrians quam præclarus est!

Et misericordia tua subsequetur me* omnibus diebus vitæ meæ:

Et ut inhabitem in domo Domini,* in longitudinem dierum.

FERIA SEXTA

Psalmus 21.

DEUS, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? * longe a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies: * et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, * Laus Israel.

In te speraverunt patres nostri: * speraverunt, et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: in te speraverunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, et non homo:* opprobrium hominum, et abjectio plebis.

Omnes videntes me deriserunt me:* locuti sunt labiis, et moverunt caput:

Speravit in Domino, eripiat eum,* salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: * spes mea ab uberibus matris meæ. In te projectus sum ex utero:

De ventre matris meæ Deus meus es tu, * ne discesseris a me.

Quoniam tribulatio proxima est;* quoniam non est qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum,* sicut leo rapiens et rugiens.

Sicut aqua effusus sum, * et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquescens * in medio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis:*et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi: * concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas et pedes meos: * dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me: * diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me: * ad defensionem meam conspice.

Erue a framea, Deus, animam meam: * et de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis: * et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis:* in medio ecclesiæ laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum:* universum semen Jacob, glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel: quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis:

Nec avertit faciem suam a me:* et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in ecclesia magna: * vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum: * vivent corda eorum in sæculum sæculi.

Reminiscentur, et convertentur ad Dominum * universi fines terræ.

Et adorabunt in conspectu ejus* universæ familiæ Gentium.

Quoniam Domini est regnum, * et ipse dominabitur Gentium.

Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terræ:*in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.

Digitized by Google

Et anima mea illi vivet : * et semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura : * et annuntiabunt cæli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

Sabbato nihil additur, ut supra in Rubrica, p. XLI.

Deinde dicitur Psalm. Beati immaculati, *ut supra*, p. 17.

Per Ann. Ant. Beati qui ambulant in lege tua, Domine.

Temp. Adv. Ant. ex Laud. Dom. aut ex propriis Laud.

Temp. Quadrag. Ant. Vivo ego, dicit Dominus: nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, et vivat.

Temp. Passs. Ant. Libera me, Domine, et pone me juxta te: et cujusvis manus pugnet contra me.

Capitulum. Zachariæ 8.

PACEM et veritatem diligite, ait Dominus omnipotens.

℟. Deo gratias.

℟. *br.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserere nobis. *Et repet.* Christe, Fili Dei vivi, miserere nobis. ℣. Qui sedes ad dexteram Patris. ℟. Miserere nobis. ℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. ℟. Christe, Fili Dei vivi, miserere nobis. ℣. Exurge, Christe, adjuva nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum.

KYRIE eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, *secreto usque ad* ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

Credo in Deum, *secreto usque ad*

℣. Carnis resurrectionem.

℟. Vitam æternam. Amen.

℣. Et ego ad te, Domine, clamavi. ℟. Et mane oratio mea præveniet te. ℣. Repleatur os meum laude. ℟. Ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. ℣. Domine, averte faciem tuam a peccatis meis. ℟. Et omnes iniquitates meas dele. ℣. Cor mundum crea in me, Deus ℟. Et spiritum rectum innova in visceribus meis. ℣. Ne projicias me a facie tua. ℟. Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. ℣. Redde mihi lætitiam salutaris tui. ℟. Et spiritu principali confirma me.

Quando ad Laud non sunt dictæ Preces ferial., statim dicitur Adjutorium nostrum, *et* Confiteor Deo, *ut in dom. ad Primam*, p. 20.

Quando autem ad Laud. dictæ sunt Preces feriales inferius positæ post Laud. Fer. ij, tunc ad Primam prædictæ Preces et seq. dicuntur flexis genibus.

℣. Eripe me, Domine, ab homine malo. ℟. A viro iniquo eripe me. ℣. Eripe me de inimicis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgentibus in me libera me. ℣. Eripe me de operantibus iniquitatem. ℟. Et de viris sanguinum salva me. ℣ Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi. ℟. Ut reddam vota mea de die in diem. ℣. Exaudi nos, Deus salutaris noster. ℟. Spes omnium finium terræ, et in mari longe. ℣. Deus, in adjutorium meum intende. ℟. Domine, ad adjuvandum me festina. ℣. Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis. ℟. Miserere nobis. ℣. Benedic, anima mea, Domino. ℟. Et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. ℣. Benedic, anima mea, Domino. ℟. Et noli oblivisci omnes retributiones ejus. ℣. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. ℟. Qui sanat omnes infirmitates tuas ℣. Qui redimit de interitu vitam tuam ℟. Qui coronat te in misericordia et miserationibus ℣. Qui replet in bonis desiderium tuum. ℟. Renovabitur, ut aquilæ, juventus tua. ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum et terram.

Deinde Hebdom. facit Confess. Confiteor Deo. *Reliqua ut in Dom. ad Primam, p. 20.*

IN FERIALI OFFICIO.

tempore Paschali, et in Festis per Annum.

Post Psalm Deus in nomine tuo,

Digitized by Google

dicitur tantum Psalm. Beati immaculati *et* Retribue.

Deinde Ant. competens et reliq. ut supra in Dom., sed in Duplicibus et infra Oct. non dicuntur Preces. Dicto Benedicamus Domino, *dicitur Prima de B. M., si dicenda est; postea legitur Martyrol. in Choro. Deinde dicitur ℣.* Pretiosa, *cum reliquis ut supra.*

Ad Absolutionem. Capituli in Festis dicitur Capitulum Nonæ.

AD TERTIAM.

Pater noster. Ave Maria. Deus in adjutorium.

HYMNUS.

NUNC sancte nobis Spiritus,
Unum Patri cum Filio,
Dignare promptus ingeri
Nostro refusus pectori.

Os, lingua, mens, sensus, vigor,
Confessionem personent,
Flammescat igne charitas
Accendat ardor proximos.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum Amen.

In Dom. per Ann., et temp. Pasch. Ant. Alleluia.

In feriali Offic. per Ann. Ant. Deduc me.

Temp. Adv. Ant. de Laud. Dom. aut ex propriis Laud.

Temp. Quadrag. Ant. Advenerunt nobis.

Temp. Pass. Ant. Judicasti, Domine.

Psalmus.

LEGEM pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum: * et exquiram eam semper.

Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam: * et custodiam illam in toto corde meo.

Deduc me in semitam mandatorum tuorum: * quia ipsam volui.

Inclina cor meum in testimonia tua: * et non in avaritiam.

Averte oculos meos ne videant vanitatem: * in via tua vivifica me.

Statue servo tuo eloquium tuum, * in timore tuo.

Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum: * quia judicia tua jucunda.

Ecce concupivi mandata tua * in æquitate tua vivifica me.

Et veniat super me misericordia tua, Domine: salutare tuum secundum eloquium tuum.

Et respondebo exprobrantibus mihi verbum: * quia speravi in sermonibus tuis.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque: * quia in judiciis tuis supersperavi.

Et custodiam legem tuam semper: * in sæculum et in sæculum sæculi.

Et ambulabam in latitudine: * quia mandata tua exquisivi.

Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum: et non confundebar.

Et meditabar in mandatis tuis, * quæ dilexi.

Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi: * et exercebar in justificationibus tuis.

MEMOR esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.

Hæc me consolata est in humilitate mea: * quia eloquium tuum vivificavit me.

Superbi inique agebant usquequaque: * a lege autem tua non declinavi.

Memor fui judiciorum tuorum a sæculo, Domine: * et consolatus sum.

Defectio tenuit me, * pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, * in loco peregrinationis meæ.

Memor fui nocte nominis tui, Domine: * et custodivi legem tuam.

Hæc facta est mihi: * quia justificationes tuas exquisivi.

Portio mea, Domine, * dixi, custodire legem tuam.

Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: * miserere mei secundum eloquium tuum.

Digitized by Google

Cogitavi vias meas: * et converti pedes meos in testimonia tua.

Paratus sum, et non sum turbatus: * ut custodiam mandata tua.

Funes peccatorum circumplexi sunt me, * et legem tuam non sum oblitus.

Media nocte surgebam ad confitendum tibi, * super judicia justificationis tuæ.

Particeps ego sum omnium timentium te, * et custodientium mandata tua.

Misericordia tua, Domine, plena est terra: * justificationes tuas doce me.

BONITATEM fecisti cum servo tuo, Domine, * secundum verbum tuum.

Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me: * quia mandatis tuis credidi.

Priusquam humiliarer, ego deliqui: * propterea eloquium tuum custodivi.

Bonus es tu: * et in bonitate tua doce me justificationes tuas.

Multiplicata est super me iniquitas superborum: * ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

Coagulatum est sicut lac cor eorum: * ego vero legem tuam meditatus sum.

Bonum mihi quia humiliasti me, * ut discam justificationes tuas.

Bonum mihi lex oris tui, * super millia auri et argenti.

Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me: * da mihi intellectum, et discam mandata tua.

Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur: * quia in verba tua supersperavi.

Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua: * et in veritate tua humiliasti me.

Fiat misericordia tua ut consoletur me, * secundum eloquium tuum servo tuo.

Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam: * quia lex tua meditatio mea est.

Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me: * ego autem exercebor in mandatis tuis.

Convertantur mihi timentes te: * et qui noverunt testimonia tua.

Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, * ut non confundar.

Ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

Temp. Pasch. additur aliud Alleluia.

Sequens Capit. et alia in aliis Horis dicuntur in Dom. a II. post Epiph. usque ad Septuag., et a III. post Pentec. usque ad Adv. Responsoria brevia etiam usque ad Dom. I. Quadrag.: similiter et quæ sequuntur in fer. Offic.

Capitulum. I. Joan. 4.

DEUS charitas est: et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.

℟. *br.* Inclina cor meum, Deus, * In testimonia tua. Inclina. ℣. Averte oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua vivifica me. In testimonia tua. Gloria. Inclina cor. ℣. Ego dixi, Domine, miserere mei. ℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

In fer. Offic. per Ann. Ant. Deduc me, Domine, in semitam mandatorum tuorum.

Capitulum. Jerem. 17.

SANA me, Domine, et sanabor: salvum me fac, et salvus ero: quoniam laus mea tu es.

℟. *br.* Sana animam meam, * Quia peccavi tibi. Sana. ℣. Ego dixi, Domine, miserere mei. Quia. Gloria. Sana. ℣. Adjutor meus esto, ne derelinquas me. ℟. Neque despicias me, Deus, salutaris meus.

Quando ad Matut. dictæ sunt Preces, ad Tertiam, Sextam et Nonam flexis genibus dicitur.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, *secreto*. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣ Domine, Deus virtutum, converte nos. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus. ℣. Exurge, Christe, adjuva nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum. ℣. Domine, exaudi orationem meam.

Digitized by Google

℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio conveniens.

Temp. Adv. in fer. Offic. Ant. de Laud. Dom. aut ex propriis Laud.

Capitulum. Jerem. 23.

ECCE dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum: et regnabit Rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra. ℟. Deo gratias.

℟. *br.* Veni ad liberandum nos* Domine Deus virtutum. Veni ℣. Ostende faciem tuam, et salvi erimus. Domine. Gloria. Veni. ℣. Timebunt Gentes nomen tuum, Domine. ℟. Et omnes reges terræ gloriam tuam. Kyrie eleison, *ut supra.*

Oratio conveniens.

Temp. Quadrag. in fer. Offic. Ant. Advenerunt nobis dies pœnitentiæ, ad redimenda peccata, ad salvandas animas.

Capitulum. Joelis 2.

CONVERTIMINI ad me in toto corde vestro, in jejunio, et fletu et planctu. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, ait Dominus omnipotens.

℟. *br.* Ipse liberavit me. * De laqueo venantium. Ipse. ℣. Et a verbo aspero. De laqueo. Gloria. Ipse liberavit. ℣. Scapulis suis obumbrabit tibi ℟. Et sub pennis ejus sperabis. Kyrie eleison, *ut supr.*

Oratio conveniens.

Temp. Pass. in fer. Offic. Ant Judicasti, Domine, causam animæ meæ, defensor vitæ meæ; Domine Deus meus.

Capitulum Jerem. 17.

DOMINE, omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes a te, in terra scribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.

℟. *br.* Erue a framea, * Deus, animam meam. Erue. ℣. Et de manu canis unicam meam. Deus. Erue a framea. ℣. De ore leonis libera me, Domine. ℟. Et a cornibus unicornium humilitatem meam. Kyrie eleison, *p.* 26.

Oratio conveniens.

Temp. Pasch. in fer. Offic. Ant. Alleluia, allel. allel. allel.

Capitulum Rom. 6.

CHRISTUS resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo.

℟. *br.* Surrexit Dominus de sepulchro, * Alleluia, allel. Surrexit. ℣. Qui pro nobis pependit in ligno. Alleluia. allel. Gloria. Surrexit. ℣. Surrexit Dominus vere, allel. ℟. Et apparuit Simoni, alleluia.

Oratio conveniens.

AD SEXTAM

Pater noster. Ave Maria. Deus in adjutorium.

HYMNUS

RECTOR potens, verax Deus,
Qui temperas rerum vices,
Splendore mane illuminas,
Et ignibus meridiem:
Extingue flammas litium,
Aufer calorem noxium,
Confer salutem corporum,
Veramque pacem cordium.
Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

In Dom. per Ann. et temp. Pasch. Ant. Alleluia.

In fer. Offic. per Ann. Ant. Adjuva me.

Temp. Adv. Ant. de Laud. Dom. aut ex propriis Laud.

Temp. Quadrag. Ant. Commendemus nosmetipsos.

Temp. Pass. Ant. Populе meus.

Psalmus.

DEFECIT in salutare tuum anima mea: * et in verbum tuum supersperavi.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, * dicentes: Quando consolaberis me?

Quia factus sum sicut uter in pruina : * justificationes tuas non sum oblitus.

Quot sunt dies servi tui : * quando facies de persequentibus me judicium ?

Narraverunt mihi iniqui fabulationes : * sed non ut lex tua.

Omnia mandata tua veritas : * iniique persecuti sunt me, adjuva me.

Paulo minus consumaverunt me in terra : * ego autem non dereliqui mandata tua.

Secundum misericordiam tuam vivifica me : * et custodiam testimonia oris tui.

In æternum, Domine, * verbum tuum permanet in cœlo.

In generationem et generationem veritas tua : * fundasti terram, et permanet.

Ordinatione tua perseverat dies : * quoniam omnia serviunt tibi.

Nisi quod lex tua meditatio mea est,* tunc forte periissem in humilitate mea.

In æternum non obliviscar justificationes tuas: * quia in ipsis vivificasti me.

Tuus sum ego, salvum me fac : * quoniam justificationes tuas exquisivi.

Me expectaverunt peccatores ut perderent me : * testimonia tua intellexi.

Omnis consummationis vidi finem:* latum mandatum tuum nimis.

QUOMODO dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio mea est.

Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo ; * quia in æternum mihi est.

Super omnes docentes me intellexi:* quia testimonia tua meditatio mea est.

Super senes intellexi : * quia mandata tua quæsivi

Ab omni via mala prohibui pedes meos : * ut custodiam verba tua.

A judicis tuis non declinavi : * quia tu legem posuisti mihi.

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua!* super mel ori meo.

A mandatis tuis intellexi : * propterea odivi omnem viam iniquitatis.

Lucerna pedibus meis verbum tuum,* et lumen semitis meis.

Juravi et statui * custodire judicia justitiæ tuæ.

Humiliatus sum usquequaque, Domine : * vivifica me secundum verbum tuum.

Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine : * et judicia tua doce me.

Anima mea in manibus meis semper: * et legem tuam non sum oblitus.

Posuerunt peccatores laqueum mihi : et de mandatis tuis non erravi.

Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum : quia exultatio cordis mei sunt.

Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, * propter retributionem.

INIQUOS odio habui : * et legem tuam dilexi

Adjutor et susceptor meus es tu : et in verbum tuum supersperavi.

Declinate a me, maligni : * et scrutabor mandata Dei mei.

Suscipe me secundum eloquium tuum et vivam : * et non confundas me ab expectatione mea.

Adjuva me, et salvus ero:* et meditabor in justificationibus tuis semper.

Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis : * quia injusta cogitatio eorum.

Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ : * ideo dilexi testimonia tua.

Confige timore tuo carnes meas : * a judiciis enim tuis timui.

Feci judicium et justitiam : * non tradas me calumniantibus me.

Suscipe servum tuum in bonum:* non calumnientur me superbi.

Oculi mei defecerunt in salutare tuum : * et in eloquium justitiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam : * et justificationes tuas doce me.

Servus tuus sum ego : * da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.

Tempus faciendi, Domine : * dissipaverunt legem tuam.

Digitized by Google

Ideo dilexi mandata tua, * super aurum et topation.

Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: * omnem viam iniquam odio habui.

Ant. Alleluia, allel. allel.

Temp. Pasch. additur aliud. Alleluia.

Capitulum. Galat. 6.

ALTER alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.

℟. *br.* In æternum, Domine, * Permanet verbum tuum. In æternum. ℣. In sæculum sæculi veritas tua. Permanet. Gloria. In æternum. ℣. Dominus regit me, et nihil mihi deerit. ℟. In loco pascuæ ibi me collocavit.

In fer. Offic. per Ann. Ant. Adjuva me, et salvus ero, Domine.

Capit. Alter alterius.

℟. *br.* Benedicam Dominum, * In omni tempore. Benedicam. ℣. Semper laus ejus in ore meo. In omni. Gloria. Benedicam. ℣. Dominus regit me, et nihil mihi deerit. ℟. In loco pascuæ ibi me collocavit. Kyrie eleison, etc., *si dicendum sit, ut supra ad Tertiam*, p. 26.

Temp. Adv. in fer. Offic. Ant. de Laud. Dom. aut ex propriis Laud.

Capitulum. Jerem. 33.

IN diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter: et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.

℟. *br.* Ostende nobis, Domine, * Misericordiam tuam. Ostende ℣. Et salutare tuum da nobis. Misericordiam. Gloria. Ostende. ℣. Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui. ℟. Visita nos in salutari tuo. Kyrie eleison, *p.* 26.

Oratio conveniens.

Temp. Quadrag. in fer. Offic. Ant. Commendemus nosmetipsos in multa patientia, in jejuniis multis, per arma justitiæ.

Capitulum. Isaiæ 55.

DERELINQUAT impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus; et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.

℟. *br.* Scapulis suis, * Obumbrabit tibi. Scapulis. ℣. Et sub pennis ejus sperabis. Obumbrabit tibi. Gloria. Scapulis. ℣. Scuto circumdabit te veritas ejus. ℟. Non timebis a timore nocturno· Kyrie eleison, *p.* 26.

Oratio conveniens.

Temp. Pass. in fer. Offic. Ant. Populo meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui? Responde mihi.

Capitulum. Jerem. 17.

CONFUNDANTUR qui me persequuntur, et non confundar ego; paveant illi, et non paveam ego: induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos, Domine Deus noster.

℟. *br.* De ore leonis, * Libera me, Domine. De ore. ℣. Et a cornibus unicornium humilitatem meam. Libera. De ore. ℣. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam. ℟. Et cum viris sanguinum vitam meam. Kyrie eleison, *p.* 26.

Oratio conveniens.

Temp. Pasch. in fer. Offic. Ant. Alleluia, allel. allel. allel.

Capitulum. I Cor. 15.

CHRISTUS resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.

℟. *br.* Surrexit Dominus vere, * Alleluia, allel. Surrexit. ℣. Et apparuit Simoni. Alleiuia, allel. Gloria. Surrexit. ℣. Gavisi sunt discipuli, alleluia. ℟. Viso Domino, alleluia.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

Pater noster. Ave Maria. Deus in adjutorium.

HYMNUS.

RERUM Deus tenax vigor,
Immotus in te permanens,

Lucis diurnæ tempora
Successibus determinans :
Largire lumen vespere ,
Quo vita nusquam decidat
Sed præmium mortis sacræ
Perennis instet gloria.
Præsta , Pater piissime ,
Patrique compar Unice ,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

In Dom. per Ann. et temp. Pasch. Ant. Alleluia.

In fer. Offic. per Ann. Ant. Aspice in me.

Temp. Adv. Ant. de Laud. Dom. aut ex propriis Laud.

Temp. Quadrag. Ant. Per arma justitiæ.

Temp. Pass. Ant. Numquid redditur.

Psalmus.

MIRABILIA testimonia tua : * ideo scrutata est ea anima mea.

Declaratio sermonum tuorum illuminat : et intellectum dat parvulis.

Os meum aperui, et attraxi spiritum: * quia mandata tua desiderabam.

Aspice in me, et miserere mei : * secundum judicium diligentium nomen tuum.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum : * et non dominetur mei omnis injustitia.

Redime me a calumniis hominum :* ut custodiam mandata tua.

Faciem tuam illumina super servum tuum: * et doce me justificationes tuas.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei : * quia non custodierunt legem tuam.

Justus es, Domine : * et rectum judicium tuum.

Mandasti justitiam testimonia tua:* et veritatem tuam nimis.

Tabescere me fecit zelus meus : * quia obliti sunt verba tua inimici mei.

Ignitum eloquium tuum vehementer: * et servus tuus dilexit illud.

Adolescentulus sum ego, et contemptus : * justificationes tuas non sum oblitus.

Justitia tua, justitia in æternum:* et lex tua veritas.

Tribulatio et angustia invenerunt me: * mandata tua meditatio mea est.

Æquitas testimonia tua in æternum:* intellectum da mihi, et vivam.

CLAMAVI in toto corde meo, exaudi me, Domine: * justificationes tuas requiram.

Clamavi ad te, salvum me fac: * ut custodiam mandata tua.

Præveni in maturitate, et clamavi:* quia in verba tua supersperavi.

Prævenerunt oculi mei ad te diluculo: * ut meditarer eloquia tua.

Vocem meam audi secundum misericordiam tuam, Domine: * et secundum judicium tuum vivifica me.

Appropinquaverunt persequentes me iniquitati:*a lege autem tua longè facti sunt.

Prope es tu, Domine : * et omnes viæ tuæ veritas.

Initio cognovi de testimoniis tuis :* quia in æternum fundasti ea.

Vide humilitatem meam , et eripe me : * quia legem tuam non sum oblitus.

Judica judicium meum, et redime me: * propter eloquium tuum vivifica me.

Longe a peccatoribus salus: * quia justificationes tuas non exquisierunt.

Misericordiæ tuæ multæ, Domine :* secundum judicium tuum vivifica me.

Multi qui persequuntur me, et tribulant me : * a testimoniis tuis non declinavi.

Vidi prævaricantes, et tabescebam:* quia eloquia tua non custodierunt.

Vide quoniam mandata tua dilexi, Domine : * in misericordia tua vivifica me.

Principium verborum tuorum veritas: * in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.

PRINCIPES persecuti sunt me gratis: * et a verbis tuis formidavit cor meum.

Lætabor ego super eloquia tua , * sicut qui invenit spolia multa.

Digitized by Google

Iniquitatem odio habui, et abominatus sum: legem autem tuam dilexi.

Septies in die laudem dixi tibi, * super judicia justitiæ tuæ.

Pax multa diligentibus legem tuam: * et non est illis scandalum.

Expectabam salutare tuum, Domine: * et mandata tua dilexi.

Custodivit anima mea testimonia tua * et dilexit ea vehementer.

Servavi mandata tua et testimonia tua: * quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine: * juxta eloquium tuum da mihi intellectum.

Intret postulatio mea in conspectu tuo: * secundum eloquium tuum eripe me.

Eructabunt labia mea hymnum, * cum docueris me justificationes tuas.

Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum: * quia omnia mandata tua æquitas.

Fiat manus tua, ut salvet me: * quoniam mandata tua elegi.

Concupivi salutare tuum, Domine: * et lex tua meditatio mea est.

Vivet anima mea, et laudabit te: * et judicia tua adjuvabunt me.

Erravi sicut ovis quæ periit: * quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

Ant. Alleluia, allel. allel.

Temp. Pasch. additur aliud. Allel.

Capitulum. I. Cor. 6.

EMPTI enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro.

℟. *br.* Clamavi in toto corde meo, * Exaudi me Domine. Clamavi. ℣. Justificationes tuas requiram. Exaudi. Gloria. Clamavi. ℣. Ab occultis meis munda me, Domine. ℟. Et ab alienis parce servo tuo.

In fer. Offic. per Ann. Ant. Aspice in me, et miserere mei, Domine.

Capit. Empti enim estis.

℟. *br.* Redime me, Domine, * Et miserere mei. Redime. ℣. Pes enim meus stetit in via recta. Et miserere. Gloria. Redime. ℣. Ab occultis meis munda me, Domine. ℟. Et ab alienis parce servo tuo. Kyrie eleison, etc., *si dicendum sit, ut supra ad Tertiam*, p. 26.

Temp. Adv. in fer. Offic. Ant. ex Laud. Dom. aut ex propriis Laud.

Capitulum. Isaiæ 14.

PROPE est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Jacob, et Israel salvabitur.

℟. *br.* Super te, Jerusalem, * Orietur Dominus. Super te. ℣. Et gloria ejus in te videbitur. Orietur. Gloria. Super te. ℣. Veni, Domine, et noli tardare. ℟. Relaxa facinora plebi tuæ. Kyrie eleison, *p.* 26.

Oratio conveniens.

Temp. Quadrag. in fer. Offic. Ant. Per arma justitiæ virtutis Dei commendemus nosmetipsos in multa patientia.

Capitulum. Isaiæ 58.

FRANGE esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris.

℟. *br.* Scuto circumdabit te, * Veritas ejus. Scuto. ℣. Non timebis a timore nocturno. Veritas ejus. Gloria. Scuto. ℣. Angelis suis Deus mandavit de te. ℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis. Kyrie eleison, *p.* 26.

Oratio conveniens.

Temp. Pass. in fer. Offic. Ant. Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ?

Capitulum. Jerem. 18.

RECORDARE quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, et averterem indignationem tuam ab eis.

℟. *br.* Ne perdas cum impiis, * Deus, animam meam. Ne perdas. ℣. Et cum viris sanguinum vitam meam. Deus. Ne perdas. ℣. Eripe me, Domine, ab homine malo. ℟. A viro iniquo eripe me. Kyrie eleison, *p.* 26.

Oratio conveniens.

Temp. Pasch. in fer. Offic. Ant. Alleluia, allel. allel. allel.

Capitulum. I. Patri 3.

CHRISTUS semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.

℟. *br.* Gavisi sunt discipuli, * Alleluia, allel. Gavisi. ℣. Viso Domino. Alleluia, alleluia Gloria. Gavisi sunt. ℣. Mane nobiscum, Domine, alleluia. ℟. Quoniam advesperascit, alleluia.

Oratio conveniens.

Vesperæ in Dom. et in Feriis habentur inferius post Laudes Sabbati.

FERIA SECUNDA

AD MATUTINUM

Pater noster, Ave Maria, Credo. ℣. Domine labia mea aperies, *ut supra*, p. 1.

Invit. Venite, * exultemus Domino.

Psalm. Jubilemus Deo salutari nostro, *ut supra*, p. 1.

HYMNUS

SOMNO refectis artubus,
Spreto cubili surgimus;
Nobis, Pater, canentibus
Adesse te deposcimus.

Te lingua primum concinat,
Te mentis ardor ambiat:
Ut actuum sequentium
Tu, Sancte, sis exordium.

Cedant tenèbræ lumini,
Et nox diurno sideri:
Ut culpa, quam nox intulit,
Lucis labascat munere.

Precamur iidem supplices,
Noxas ut omnes amputes,
Ex ore te canentium,
Lauderis in perpetuum.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Invit. per Fer. dicuntur in fer. Offic. ab Oct. Epiph. usque ad Dom. Pass., et ab Oct. Pentec. usque ad Adv. Hymni vero tam ad Matut. quam ad Laud. et Vesp. usque ad Dom. I. Quadrag. Ant. autem Noct. per totum Ann., ut infra.

Ant. Dominus defensor. *

Temp. Pasch. Ant. Alleluia. *Sub qua una Ant. dicuntur omnes Psalmi Noct.*

Psalmus 26.

DOMINUS illuminatio mea et salus mea, * quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ: * a quo trepidabo?

Dum appropiant super me nocentes, * ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei, * ipsi infirmati sunt, et ceciderunt.

Si consistant adversum me castra, * non timebit cor meum.

Si exurgat adversum me prælium, * in hoc ego sperabo.

Unam petii a Domino, hanc requiram, * ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Ut videam voluptatem Domini, * et visitem templum ejus.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: * in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petra exaltavit me: * et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: * cantabo, et psalmum dicam Domino.

Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te: * miserere mei, et exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: * faciem tuam, Domine, requiram.

Ne avertas faciem tuam a me: * ne declines in ira a servo tuo.

Adjutor meus esto: * ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me: * Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Domine, in via tua: * et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribu-

Digitized by Google

lantium me : * quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini * in terra viventium.

Expecta Dominum, viriliter age: * et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

Psalmus 27.

AD te, Domine, clamabo; Deus meus, ne sileas a me: * nequando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum.

Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ, dum oro ad te: * dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatoribus: * et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Qui loquuntur pacem cum proximo suo: * mala autem in cordibus eorum.

Da illis secundum opera eorum: * et secundum nequitiam adinventionum ipsorum.

Secundum opera manuum eorum tribue illis: * redde retributionem eorum ipsis.

Quoniam non intellexerunt opera Domini, et in opera manuum ejus * destrues illos, et non ædificabis eos.

Benedictus Dominus: * quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.

Dominus adjutor meus et protector meus: * in ipso speravit cor meum, et adjutus sum.

Et refloruit caro mea: * et ex voluntate mea confitebor ei.

Dominus fortitudo plebis suæ: * et protector salvationum Christi sui est.

Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ: * et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

Ant. Dominus defensor vitæ meæ.

Ant. Adorate.

Psalmus 28.

AFFERTE Domino, filii Dei: * afferte Domino filios arietum.

Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus: * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit: * Dominus super aquas multas.

Vox Domini in virtute: * vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringentis cedros: * et confringet Dominus cedros Libani:

Et comminuet eas tanquam vitulum Libani: * et dilectus quemadmodum filius unicornium.

Vox Domini intercidentis flammam ignis: * vox Domini concutientis desertum, et commovebit Dominus desertum Cades.

Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa: * et in templo ejus omnes dicent gloriam.

Dominus diluvium inhabitare facit: * et sedebit Dominus Rex in æternum.

Dominus virtutem populo suo dabit: * Dominus benedicet populo suo in pace.

Psalmus 29.

EXALTABO te, Domine, quoniam suscepisti me: * nec delectasti inimicos meos super me.

Domine, Deus meus, clamavi ad te, * et sanasti me.

Domine, eduxisti ab inferno animam meam: * salvasti me a descendentibus in lacum.

Psallite Domino sancti ejus: * et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus: * et vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus: * et ad matutinum lætitia.

Ego autem dixi in abundantia mea: * Non movebor in æternum.

Domine, in voluntate tua, * præstitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam a me, * et factus sum conturbatus.

Ad te, Domine, clamabo: * et ad Deum meum deprecabor.

Quæ utilitas in sanguine meo, * dum descendo in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis, * aut annuntiabit veritatem tuam?

Digitized by Google

Audivit Dominus, et misertus est mei : * Dominus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi :* conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia :

Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar : * Domine, Deus meus, in æternum confitebor tibi.

Ant. Adorate Dominum in aula sancta ejus.

Ant. In tua justitia.

Psalmus 30.

IN te, Domine, speravi, non confundar in æternum : * in justitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam : * accelera ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, * ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea, et refugium meum es tu : * et propter nomen tuum deduces me, et enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi : * quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum : * redemisti me, Domine, Deus veritatis

Odisti observantes vanitates * supervacuè.

Ego autem in Domino speravi : * exultabo, et lætabor in misericordia tua.

Quoniam respexisti humilitatem meam : * salvasti de necessitatibus animam meam.

Nec conclusisti me in manibus inimici ; * statuisti in loco spatioso pedes meos.

Miserere mei, Domine, quoniam tribulor : * conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus.

Quoniam defecit in dolore vita mea:* et anni mei in gemitibus.

Infirmata est in paupertate virtus mea : * et ossa mea conturbata sunt.

Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium et vicinis meis valde, * et timor notis meis.

Qui videbant me, foras fugerunt a me :* oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde.

Factus sum tamquam vas perditum:* quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu :

In eo dum convenirent simul adversum me, * accipere animam meam consiliati sunt.

Ego autem in te speravi, Domine:* dixi : Deus meus es tu ; in manibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicorum meorum, * et a persequentibus me.

Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua : * Domine, non confundar, quoniam invocavi te.

Erubescant impii, et deducantur in infernum : * muta fiant labia dolosa :

Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, * in superbia, et in abusione.

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, * quam abscondisti timentibus te!

Perfecisti eis, qui sperant in te,* in conspectu filiorum hominum.

Abscondes eos in abscondito faciei tuæ * a conturbatione hominum.

Proteges eos in tabernaculo tuo * a contradictione linguarum.

Benedictus Dominus: * quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.

Ego autem dixi in excessu mentis meæ : * Projectus sum a facie oculorum tuorum.

Ideo exaudisti vocem orationis meæ,* dum clamarem ad te.

Diligite Dominum omnes sancti ejus:* quoniam veritatem requiret Dominus, et retribuet abundanter facientibus superbiam.

Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, * omnes qui speratis in Domino.

Psalmus 31.

BEATI, quorum remissæ sunt iniquitates : * et quorum tecta sunt peccata.

Digitized by Google

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, * nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, * dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: * conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: * et injustitiam meam non abscondi.

Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: * et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus * in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum, * ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me: * exultatio mea, erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris: * firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus, * quibus non est intellectus.

In camo et fræno maxillas eorum constringe, * qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: * sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino et exultate, justi: * et gloriamini omnes recti corde.

Ant. In tua justitia libera me Domine.

Ant. Rectos decet.

Psalmus 32.

EXULTATE, justi, in Domino: * rectos decet collaudatio.

Confitemini Domino in cithara: * in psalterio decem chordarum psallite illi.

Cantate ei canticum novum: * bene psallite ei in vociferatione.

Quia rectum est verbum Domini: * et omnia opera ejus in fide.

Diligit misericordiam et judicium: * misericordia Domini plena est terra.

Verbo Domini cœli firmati sunt: * et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Congregans sicut in utre aquas maris: * ponens in thesauris abyssos.

Timeat Dominum omnis terra: * ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

Quoniam ipse dixit, et facta sunt: * ipse mandavit, et creata sunt.

Dominus dissipat consilia Gentium: * reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum.

Consilium autem Domini in æternum manet: * cogitationes cordis ejus in generatione et generationem.

Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus: * populus, quem elegit in hæreditatem sibi.

De cœlo respexit Dominus: * vidit omnes filios hominum.

De præparato habitaculo suo * respexit super omnes, qui habitant terram.

Qui finxit singillatim corda eorum: * qui intelligit omnia opera eorum.

Non salvatur rex per multam virtutem: * et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.

Fallax equus ad salutem: * in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.

Ecce oculi Domini super metuentes eum: * et in eis, qui sperant super misericordia ejus:

Ut eruat a morte animas eorum, * et alat eos in fame.

Anima nostra sustinet Dominum: * quoniam adjutor et protector noster est.

Quia in eo lætabitur cor nostrum: * et in nomine sancto ejus speravimus.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos, * quemadmodum speravimus in te.

Psalmus 33.

BENEDICAM Dominum in omni tempore: * semper laus ejus in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea: * audiant mansueti, et lætentur.

Magnificate Dominum mecum: * et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Digitized by Google

Exquisivi Dominum, et exaudivit me: * et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum, et illuminamini,* et facies vestræ non confundentur.

Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum: * et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum: * et eripiet eos.

Gustate,et videte quoniam suavis est Dominus:*beatus vir qui sperat in eo.

Timete Dominum, omnes sancti ejus: * quoniam non est inopia timentibus eum.

Divites eguerunt et esurierunt: * inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Venite, filii, audite me: * timorem Domini docebo vos.

Quis est homo qui vult vitam: * diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam a malo:* et labia tua ne loquantur dolum.

Diverte a malo, et fac bonum: * inquire pacem, et persequere eam.

Oculi Domini super justos: * et aures ejus in preces eorum.

Vultus autem Domini super facientes mala: * ut perdat de terra memoriam eorum.

Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos: * et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: * et humiles spiritu salvabit.

Multæ tribulationes justorum: * et de omnibus his liberabit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum: * unum ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima: * et qui oderunt justum, delinquent.

Redimet Dominus animas servorum suorum:* et non delinquent omnes qui sperant in eo.

Ant. Rectos decet collaudatio.

Ant. Expugna.

Psalmus 34.

JUDICA, Domine, nocentes me:* expugna impugnantes me.

Apprehende arma et scutum: * et exurge in adjutorium mihi.

Effunde framcam, et conclude adversus eos, qui persequuntur me: * dic animæ meæ: Salus tua ego sum.

Confundantur et revereantur, * quærentes animam meam.

Avertantur retrorsum, et confundantur, * cogitantes mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante faciem venti: * et Angelus Domini coarctans eos.

Fiat via illorum tenebræ et lubricum: * et Angelus Domini persequens eos.

Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: * supervacuo exprobraverunt animam meam.

Veniat illi laqueus, quem ignorat, et captio, quam abscondit, apprehendat eum: * et in laqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultabit in Domino: * et delectabitur super salutari suo.

Omnia ossa mea dicent: * Domine, quis similis tibi?

Eripiens inopem de manu fortiorum ejus: * egenum et pauperem a diripientibus eum.

Surgentes testes iniqui:* quæ ignorabam, interrogabant me.

Retribuebant mihi mala pro bonis:* sterilitatem animæ meæ.

Ego autem,cum mihi molesti essent,* induebar cilicio.

Humiliabam in jejunio animam meam:* et oratio mea in sinu meo convertetur.

Quasi proximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacebam: * quasi lugens et contristatus sic humiliabar.

Et adversum me lætati sunt, et convenerunt: * congregata sunt super me flagella, et ignoravi.

Dissipati sunt, nec compuncti, tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione: * frenduerunt super me dentibus suis.

Domine, quando respicies? * restitue animam meam a maliguitate eorum, a leonibus unicam meam.

Digitized by Google

Confitebor tibi in ecclesia magna:* in populo gravi laudabo te.

Non supergaudeant mihi, qui adversantur mihi inique: * qui oderunt me gratis, et annuunt oculis.

Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur: * et in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.

Et dilataverunt super me os suum:* dixerunt: Euge, euge, viderunt oculi nostri.

Vidisti, Domine, ne sileas: * Domine, ne discedas a me.

Exurge, et intende judicio meo:* Deus meus et Dominus meus in causam meam.

Judica me secundum justitiam tuam, Domine Deus meus, * et non supergaudeant mihi.

Non dicant in cordibus suis: Euge, euge animæ nostræ; * nec dicant: Devoravimus eum.

Erubescant et revereantur simul,* qui gratulantur malis meis.

Induantur confusione et reverentia,* qui magna loquuntur super me.

Exultent et lætentur, qui volunt justitiam meam, * et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, * tota die laudem tuam.

Psalmus 35.

DIXIT injustus, ut delinquat in semetipso: * non est timor Dei ante oculos ejus.

Quoniam dolose egit in conspectu ejus * ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.

Verba oris ejus iniquitas et dolus:* noluit intelligere, ut bene ageret.

Iniquitatem meditatus est in cubili suo: * astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.

Domine, in cœlo misericordia tua:* et veritas tua usque ad nubes.

Justitia tua sicut montes Dei: * judicia tua abyssus multa.

Homines et jumenta salvabis, Domine: * quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus.

Filii autem hominum * in tegmine alarum tuarum sperabunt.

Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: * et torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Quoniam apud te est fons vitæ: * et in lumine tuo videbimus lumen.

Prætende misericordiam tuam scientibus te: * et justitiam tuam his qui recto sunt corde.

Non veniat mihi pes superbiæ: * et manus peccatoris non moveat me.

Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: * expulsi sunt, nec potuerunt stare.

Ant. Expugna impugnantes me.

Ant. Revela.

Psalmus 36.

NOLI æmulari in malignantibus: * neque zelaveris facientes iniquitatem.

Quoniam tanquam fœnum velociter arescent: * et quemadmodum olera herbarum cito decident.

Spera in Domino, et fac bonitatem, * et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus.

Delectare in Domino: * et dabit tibi petitiones cordis tui.

Revela Domino viam tuam, et spera in eo, * et ipse faciet.

Et educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tamquam meridiem: * subditus esto Domino, et ora eum.

Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua: * in homine faciente injustitias.

Desine ab ira, et derelinque furorem:* noli æmulari ut maligneris.

Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: * sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram.

Et adhuc pusillum, et non erit peccator: * et quæres locum ejus, et non invenies.

Mansueti autem hæreditabunt terram: * et delectabuntur in multitudine pacis.

Observabit peccator justum, * et stridebit super eum dentibus suis.

Digitized by Google

Dominus autem irridebit eum : * quoniam prospicit quod veniet dies ejus.

Gladium evaginaverunt peccatores : * intenderunt arcum suum.

Ut dejiciant pauperem et inopem : * ut trucident rectos corde.

Gladius eorum intret in corda ipsorum : * et arcus eorum confringatur.

Melius est modicum justo, * super divitias peccatorum multas.

Quoniam brachia peccatorum conterentur ; * confirmat autem justos Dominus.

Novit Dominus dies immaculatorum : * et hæreditas eorum in æternum erit.

Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur : * quia peccatores peribunt.

Inimici vero Domini, mox ut honorificati fuerint et exaltati, * deficientes quemadmodum fumus deficient.

Mutuabitur peccator, et non solvet : * justus autem miseretur, et tribuet.

Quia benedicentes ei hæreditabunt terram : * maledicentes autem ei disperibunt.

Apud Dominum gressus hominis dirigentur : * et viam ejus volet.

Cum ceciderit, non collidetur : * quia Dominus supponit manum suam.

Junior fui, etenim senui, * et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.

Tota die miseretur, et commodat : * et semen illius in benedictione erit.

Declina a malo, et fac bonum : * et inhabita in sæculum sæculi.

Quia Dominus amat judicium, et non derelinquet sanctos suos : * in æternum conservabuntur.

Injusti punientur : * et semen impiorum peribit.

Justi autem hæreditabunt terram : * et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.

Os justi meditabitur sapientiam, * et lingua ejus loquetur judicium.

Lex Dei ejus in corde ipsius : * et non supplantabuntur gressus ejus.

Considerat peccator justum, * et quærit mortificare eum.

Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus : * nec damnabit eum, cum judicabitur illi.

Expecta Dominum, et custodi viam ejus, et exaltabit te, ut hæreditate capias terram : * cum perierint peccatores, videbis.

Vidi impium superexaltatum : * et elevatum sicut cedros Libani.

Et transivi, et ecce non erat : * et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus.

Custodi innocentiam, et vide æquitatem : * quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.

Injusti autem disperibunt simul : * reliquiæ impiorum interibunt.

Salus autem justorum a Domino : * et protector eorum in tempore tribulationis.

Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos : * et eruet eos a peccatoribus, et salvabit eos, quia speraverunt in eo.

Psalmus 37.

DOMINE, ne in furore tuo arguas me, * neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi : * et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ : * non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum : * et sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ, * a facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem : * tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus : * et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, et humiliatus sum nimis : * rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum : * et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea : * et lumen ocu-

Digitized by Google

lorum meorum, et ipsum non est mecum.

Amici mei, et proximi mei * adversum me appropinquaverunt, et steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt: * et vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: * et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tamquam surdus non audiebam: * et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens: * et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te, Domine, speravi: * tu exaudies me, Domine Deus meus.

Quia dixi: ne quando supergaudeant mihi inimici mei: * et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum: * et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: * et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me; * et multiplicati sunt qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: * quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me, Domine Deus meus: * ne discesseris a me.

Intende in adjutorium meum, * Domine, Deus salutis meæ.

Ant. Revela Domino viam tuam.

Per Ann. ℣. Domine, in cœlo misericordia tua. ℟. Et veritas tua usque ad nubes.

In Adv. ℣ Ex Sion species decoris ejus. ℟. Deus noster manifeste veniet.

In Quadrag. ℣ Ipse liberavit me de laqueo venantium. ℟. Et a verbo aspero.

Temp. Pass. ℣. Erue a framea, Deus, animam meam. ℟. Et de manu canis unicam meam.

Temp. Pasch. Ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

℣. Surrexit Dominus de sepulchro, alleluia. ℟. Qui pro nobis pependit in ligno, alleluia.

Pro uno, vel plur. Mart. Temp. Pasch. ℣. Sancti et justi, in Domino gaudete, alleluia. ℟. Vos elegit Deus in hæreditatem sibi, alleluia.

Pro uno Mart. extra tempus Pasch. ℣. Gloria et honore coronasti eum, Domine. ℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Pro plur. Mart. ℣. Lætamini in Domino, et exultate, justi. ℟. Et gloriamini, omnes recti corde.

Pro Confess. Pont. et non Pont. ℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum. ℟. Stolam gloriæ induit eum.

Pro una Sancta. ℣. Specie tua, et pulchritudine tua. ℟. Intende, prospere procede, et regna.

AD LAUDES.

℣. Deus in adjutorium meum intende, *ut supra*, p. 13.

Temp. Pasch. dicuntur Psalmi et Ant. de Dom., p. 13. *Capit. vero, Hymnus,* ℣. *et Ant. ad* Benedictus, *ut in Proprio de temp.*

Aliis temp. per Ann. quando non assignantur propriæ Ant. dicitur Ant. Miserere.

Psalmus 50.

MISERERE mei, Deus, * secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum * dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: * et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: * et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: * ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: * et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: * incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et munda-

Digitized by Google

bor : * lavabis me , et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et lætitiam : * et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis: * et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: * et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua : * et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui:* et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas : * et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus , Deus , Deus salutis meæ : * et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies, * et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium , dedissem utique : * holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus : * cor contritum et humiliatum, Deus , non despicies.

Benigne fac, Domine , in bona voluntate tua Sion : * ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, et holocausta : * tunc imponent super altare tuum vitulos.

Ant. Miserere mei , Deus.

Ant. Intellige.

Psalmus 5.

VERBA mea auribus percipe, Domine, * intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ, * Rex meus , et Deus meus.

Quoniam ad te orabo , * Domine , mane exaudies vocem meam.

Mane astabo tibi, et videbo : * quoniam nonDeus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit juxta te malignus:* neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem : * perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus : * ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.

Introibo in domum tuam : * adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine, deduc me in justitia tua : * propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas : * cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum : linguis suis dolose agebant : * judica illos , Deus.

Decidant a cogitationibus suis , secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos : * quoniam irritaverunt te , Domine.

Et lætentur omnes, qui sperant in te : * in æternum exultabunt , et habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes , qui diligunt nomen tuum : * quoniam tu benedices justo.

Domine , ut scuto bonæ voluntatis tuæ * coronasti nos.

Ant. Intellige clamorem meum, Domine.

Ant. Deus , Deus meus , ad te de luce vigilo. *Psalmus idem , ut supra* p. 13.

Ant. Conversus est.

CANTICUM ISAIÆ PROPHETÆ.

Cap. 12.

CONFITEBOR tibi, Domine quoniam iratus es mihi : * conversus est furor tuus , et consolatus es me.

Ecce Deus salvator meus : * fiducialiter agam , et non timebo.

Quia fortitudo mea, et laus mea Dominus : * et factus est mihi in salutem.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris : * et dicetis in illa die : Confitemini Domino , et invocate nomen ejus.

Notas facite in populis adinventiones ejus: * mementote quoniam excelsum est nomen ejus.

Cantate Domino, quoniam magnifice fecit : * annuntiate hoc in universa terra.

Exulta et lauda , habitatio Sion : *

Digitized by Google

quia magnus in medio tui Sanctus Israel.

Ant. Conversus est furor tuus, Domine, et consolatus es me.

Ant. Laudate Dominum de cœlis. *Psalmus idem*, p. 14.

Capit. sequens dicitur in fer. Offic. ab Oct. Pentec. usque ad Adv., et ab Oct. Epiph. usque ad Dom. I. Quadrag. Aliis temp. habentur propria.

Capitulum. Rom. 13.

NOX præcessit, dies autem appropinquavit: abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis; sicut in die honeste ambulemus.

HYMNUS.

SPLENDOR paternæ gloriæ,
De luce lucem proferens,
Lux lucis, et fons luminis,
Diem dies illuminans:
Verusque sol illabere,
Micans nitore perpeti:
Jubarque sancti Spiritus
Infunde nostris sensibus.
Votis vocemus et Patrem,
Patrem potentis gratiæ,
Patrem perennis gloriæ,
Culpam releget lubricam.
Confirmet actus strenuos,
Dentes retundat invidi,
Casus secundet asperos,
Agenda recte dirigat.
Mentem gubernet et regat,
Sit pura nobis castitas:
Fides calore ferveat,
Fraudis venena nesciat.
Christusque nobis sit cibus,
Potusque noster sit fides:
Læti bibamus sobriam
Profusionem Spiritus.
Lætus dies hic transeat,
Pudor sit ut diluculum,
Fides velut meridies,
Crepusculum mens nesciat.
Aurora lucem provehit,
Cum luce nobis prodeat
In Patre totus Filius
Et totus in Verbo Pater.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

Per Ann. ℣. Repleti sumus mane misericordia tua.

℟. Exultavimus, et delectati sumus.

Ad Bened. Ant. Benedictus Dominus Deus Israel.

In Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum et Vigiliarum quæ jejunantur (exceptis Vigilia Nativitatis Domini, et Vigilia ac Quatuor Temporibus Pentecostes) post Ant. ad Benedictus, *et in Vesperis ad* Magnificat, *dicuntur sequentes Preces flexis genibus. Aliis temporibus non dicuntur.*

KYRIE eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster *totum dicitur clara voce, etiam in Vesperis.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Ego dixi, Domine, miserere mei. ℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi. ℣. Convertere, Domine, usquequo. ℟. Et deprecabilis esto super servos tuos. ℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos. ℟. Quemadmodum speravimus in te. ℣. Sacerdotes tui induantur justitiam. ℟. Et sancti tui exultent. ℣. Domine, salvum fac regem. ℟. Et exaudi nos in die, qua invocaverimus te. ℣. Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ. ℟. Et rege eos, et extolle illos usque in æternum. ℣. Memento congregationis tuæ. ℟. Quam possedisti ab initio. ℣. Fiat pax in virtute tua. ℟. Et abundantia in turribus tuis. ℟. Oremus pro fidelibus defunctis. ℟. Requiem æternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis. ℣. Requiescant in pace. ℟. Amen. ℣. Pro fratribus nostris absentibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te. ℣. Pro afflictis et captivis. ℟. Libera eos, Deus Israel, ex omnibus tribulationibus suis. ℣. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eos. ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Digitized by Google

Deinde dicitur Psalm. De profundis, *qui infra habetur in Vesp. Fer.* iv., *et in fine* Gloria Patri. *In Vesperis ejus loco dicitur Psalm.* Miserere, *p.* 39. *Finito Psalmo, dicitur*

℣. Domine Deus virtutum, convertenos. ℟. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus. ℣. Exurge, Christe, adjuva nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum. ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℣. Et cum spiritu tuo.

Oratio propria.

Deinde, quando in fer. Offic. fiunt Suffragia Sanctorum, præmittitur Comm. de Cruce, ut infra post Vesp. Sabbati.

FERIA TERTIA

AD MATUTINUM

Invit. Jubilemus Deo, * Salutari nostro.

Psalm. Venite, exúltemus, *ut supra*, p. 1.

HYMNUS.

CONSORS paterni luminis,
Lux ipse lucis et dies,
Noctem canendo rumpimus,
Assiste postulantibus.

Aufer tenebras mentium,
Fuga catervas dæmonum,
Expelle somnolentiam,
Ne pigritantes obruat.

Sic, Christe, nobis omnibus
Indulgeas credentibus,
Ut prosit exorantibus,
Quod præcinentes psallimus.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Ut non delinquam.

Temp. Pasch. Ant. Alleluia.

Psalmus 38.

DIXI: Custodiam ℣ vias meas, * ut non delinquam in lingua mea.

Posui ori meo custodiam, * cum consisteret peccator adversum me.

Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis: * et dolor meus renovatus est.

Concaluit cor meum intra me: * et in meditatione mea exardescet ignis.

Locutus sum in lingua mea: * Notum fac mihi, Domine, finem meum:

Et numerum dierum meorum quis est: * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurabiles posuisti dies meos: * et substantia mea tanquam nihilum ante te.

Verumtamen universa vanitas * omnis homo vivens.

Verumtamen in imagine pertransit homo: * sed et frustra conturbatur.

Thesaurizat, * et ignorat cui congregabit ea.

Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus? * et substantia mea apud te est.

Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: * opprobrium insipienti dedisti me.

Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti: * amove a me plagas tuas.

A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus: * propter iniquitatem corripuisti hominem.

Et tabescere fecisti sicut aranéam animam ejus: * verumtamen vane conturbatur omnis homo.

Exaudi orationem meam, Domine, et deprecationem meam. * auribus percipe lacrymas meas.

Ne sileas: quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus, * sicut omnes patres mei.

Remitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam, * et amplius non ero.

Psalmus 39.

EXPECTANS expectavi Dominum, * et intendit mihi.

Et exaudivit preces meas: * et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis.

Et statuit super petram pedes meos: * et direxit gressus meos.

Et immisit in os meum canticum novum, * carmen Deo nostro.

Videbunt multi, et timebunt: * et sperabunt in Domino.

Digitized by Google

Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus: * et non respexit in vanitates, et insanias falsas.

Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua: * et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

Annuntiavi, et locutus sum: * multiplicati sunt super numerum.

Sacrificium et oblationem noluisti: * aures autem perfecisti mihi.

Holocaustum et pro peccato non postulasti: * tunc dixi: Ecce venio.

In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: * Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna: * ecce labia mea non prohibebo: Domine, tu scisti.

Justitiam tuam non abscondi in corde meo: * veritatem tuam, et salutare tuum dixi.

Non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam * a concilio multo.

Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me: * misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus: * comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: * et cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi, Domine, ut eruas me: * Domine, ad adjuvandum me respice.

Confundantur et revereantur simul, qui quærunt animam meam, * ut auferant eam.

Convertantur retrorsum, et revereantur, * qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusionem suam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent, et lætentur super te omnes quærentes te: * et dicant semper: Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare tuum.

Ego autem mendicus sum, et pauper: * Dominus sollicitus est mei.

Adjutor meus, et protector meus tu es: * Deus meus, ne tardaveris.

Ant. Ut non delinquam in lingua mea.

Ant. Sana.

Psalmus 40.

BEATUS qui intelligit super egenum et pauperem: * in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra. * et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: * universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

Ego dixi: Domine, miserere mei: * sana animam meam, quia peccavi tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi: * Quando morietur, et peribit nomen ejus?

Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur: * cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras, * et loquebatur in idipsum.

Adversum me susurrabant omnes inimici mei: * adversum me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum constituerunt adversum me: * Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat.

Etenim homo pacis meæ, in quo speravi: * qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me: * et retribuam eis.

In hoc cognovi, quoniam voluisti me: * quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Me autem propter innocentiam suscepisti: * et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo, et usque in sæculum: * fiat, fiat.

Psalmus 41.

QUEMADMODUM desiderat cervus ad fontes aquarum: * ita desiderat anima mea ad te, Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: * Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?

Digitized by Google

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus ?

Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam : * quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

In voce exultationis, et confessionis,* sonus epulantis.

Quare tristis es, anima mea, * et quare conturbas me ?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : * salutare vultus mei, et Deus meus.

Ad me ipsum anima mea conturbata est: * propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico.

Abyssus abyssum invocat, * in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, et fluctus tui * super me transierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam, * et nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ, * dicam Deo : Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei ? * et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus ?

Dum confringuntur ossa mea, * exprobraverunt mihi, qui tribulant me, inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies : Ubi est Deus tuus ? * quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me ?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : * salutare vultus mei, et Deus meus.

Ant. Sana, Domine, animam meam, quia peccavi tibi.

Ant. Eructavit.

Psalmus 43.

DEUS, auribus nostris audivimus: * patres nostri annuntiaverunt nobis

Opus, quod operatus es in diebus eorum, * et in diebus antiquis.

Manus tua Gentes disperdidit, et plantasti eos : * afflixisti populos, et expulisti eos.

Nec enim in gladio suo possederunt terram : * et brachium eorum non salvavit eos :

Sed dextera tua et brachium tuum et illuminatio vultus tui : * quoniam complacuisti in eis.

Tu es ipse Rex meus, et Deus meus:* qui mandas salutes Jacob.

In te inimicos nostros ventilabimus cornu, * et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.

Non enim in arcu meo sperabo : * et gladius meus non salvabit me.

Salvasti enim nos de affligentibus nos : * et odientes nos confudisti.

In Deo laudabimur tota die : * et in nomine tuo confitebimur in sæculum.

Nunc autem repulisti, et confudisti nos ; * et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris.

Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros : * et qui oderunt nos, diripiebant sibi.

Dedisti nos tanquam oves escarum:* et in Gentibus dispersisti nos.

Vendidisti populum tuum sine pretio : * et non fuit multitudo in commutationibus eorum.

Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, * subsannationem et derisum his, qui sunt in circuitu nostro.

Posuisti nos in similitudinem Gentibus : * commotionem capitis in populis.

Tota die verecundia mea contra me est, * et confusio faciei meæ cooperuit me.

A voce exprobrantis et obloquentis:* a facie inimici et persequentis.

Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te : * et inique non egimus in testamento tuo.

Et non recessit retro cor nostrum:* et declinasti semitas nostras a via tua:

Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, * et cooperuit nos umbra mortis.

Si obliti sumus nomen Dei nostri, * et si expandimus manus nostras ad deum alienum :

Nonne Deus requiret ista ? * ipse enim novit abscondita cordis.

Quoniam propter te mortificamur tota die : * æstimati sumus sicut oves occisionis.

Digitized by Google

Exurge, quare obdormis, Domine? * exurge, et ne repellas in finem.

Quare faciem tuam avertis, * obliviscéris inopiæ nostræ, et tribulationis nostræ?

Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra: * conglutinatus est in terra venter noster.

Exurge, Domine, adjuva nos: * et redime nos propter nomen tuum.

Psalmus 44.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum: * dico ego opera mea Regi.

Lingua mea calamus scribæ * velociter scribentis.

Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: * propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum, * potentissime.

Specie tua, et pulchritudine tua * intende, prospere procede, et regna.

Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * et deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent; * in corda inimicorum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: * virga directionis, virga regni tui.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; * propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis: * ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.

Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, * circumdata varietate.

Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam: * et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum: * quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus * vultum tuum deprecabuntur: omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus: * in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi virgines post eam: * proximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætitia et exultatione: * adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: * constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui, * in omni generatione et generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, * et in sæculum sæculi.

Ant. Eructavit cor meum verbum bonum.

Ant. Adjutor.

Psalmus 45.

DEUS noster refugium et virtus: * adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra, * et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum: * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. * sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus, non commovebitur: * adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: * auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret, et confringet arma: * et scuta comburet igni.

Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: * exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Psalmus 46.

OMNES Gentes, plaudite manibus: * jubilate Deo in voce exultationis.

Quoniam Dominus excelsus, terribilis: * Rex magnus super omnem terram.

Subjecit populos nobis, * et Gentes sub pedibus nostris.

Elegit nobis hæreditatem suam, * speciem Jacob, quam dilexit.

Ascendit Deus in jubilo, * et Dominus in voce tubæ.

Psallite Deo nostro, psallite: * psallite Regi nostro, psallite.

Quoniam Rex omnis terræ Deus: * psallite sapienter.

Regnabit Deus super Gentes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: * quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt.

Ant. Adjutor in tribulationibus.

Ant. Magnus Dominus.

Psalmus 47.

MAGNUS Dominus, et laudabilis nimis * in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, * latera Aquilonis, civitas Regis magni.

Deus in domibus ejus cognoscetur, * cum suscipiet eam.

Quoniam ecce reges terræ congregati sunt: * convenerunt in unum.

Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt * * tremor apprehendit eos.

Ibi dolores ut parturientis: * in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutem, in civitate Dei nostri: * Deus fundavit eam in æternum.

Suscepimus, Deus, misericordiam tuam, * in medio templi tui.

Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ: * justitia plena est dextera tua.

Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Judæ, * propter judicia tua, Domine.

Circumdate Sion, et complectimini eam: * narrate in turribus ejus.

Ponite corda vestra in virtute ejus: * et distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.

Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi: * ipse reget nos in sæcula.

Psalmus 48.

AUDITE hæc, omnes Gentes: * auribus percipite, omnes qui habitatis orbem:

Quique terrigenæ, et filii hominum: * simul in unum dives et pauper.

Os meum loquetur sapientiam: * et meditatio cordis mei prudentiam.

Inclinabo in parabolam aurem meam: * aperiam in psalterio propositionem meam.

Cur timebo in die mala? * iniquitas calcanei mei circumdabit me.

Qui confiduntin virtute sua, * et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.

Frater non redimit, redimet homo? * non dabit Deo placationem suam.

Et pretium redemptionis animæ suæ: * et laborabit in æternum, et vivet adhuc in finem.

Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes: * simul insipiens et stultus peribunt.

Et relinquent alienis divitias suas: * et sepulchra eorum domus illorum in æternum.

Tabernacula eorum in progenie et progenie: * vocaverunt nomina sua in terris suis.

Et homo, cum in honore esset, non intellexit: * comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.

Hæc via illorum scandalum ipsis: * et postea in ore suo complacebunt.

Sicut oves in inferno positi sunt: * mors depascet eos.

Et dominabuntur eorum justi in matutino: * et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum.

Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, * cum acceperit me.

Ne timueris cum dives factus fuerit homo: * et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus.

Quoniam cum interierit, non sumet omnia: * neque descendet cum eo gloria ejus.

Digitized by Google

Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur : * confitebitur tibi cum benefeceris ei.

Introibit usque in progenies patrum suorum : * et usque in æternum non videbit lumen.

Homo, cum in honore esset, non intellexit : * comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.

Ant. Magnus Dominus, et laudabilis nimis.

Ant. Deus deorum.

Psalmus 49.

DEUS deorum Dominus locutus est, * et vocavit terram.

A solis ortu usque ad occasum: * ex Sion species decoris ejus.

Deus manifeste veniet : * Deus noster, et non silebit.

Ignis in conspectu ejus exardescet: * et in circuitu ejus tempestas valida.

Advocabit cœlum desursum, * et terram discernere populum suum.

Congregate illi sanctos ejus : * qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.

Et annuntiabunt cœli justitiam ejus, * quoniam Deus judex est.

Audi, populus meus, et loquar : Israel, et testificabor tibi : * Deus, Deus tuus ego sum.

Non in sacrificiis tuis arguam te ; * holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

Non accipiam de domo tua vitulos; * neque de gregibus tuis hircos.

Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, * jumenta in montibus et boves.

Cognovi omnia volatilia cœli : * et pulchritudo agri mecum est.

Si esuriero, non dicam tibi: * meus est enim orbis terræ, et plenitudo ejus.

Numquid manducabo carnes taurorum? * aut sanguinem hircorum potabo?

Immola Deo sacrificium laudis : * et redde Altissimo vota tua.

Et invoca me in die tribulationis : * eruam te, et honorificabis me.

Peccatori autem dixit Deus : * Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?

Tu vero odisti disciplinam: * et projecisti sermones meos retrorsum.

Si videbas furem, currebas cum eo: * et cum adulteris portionem tuam ponebas.

Os tuum abundavit malitia : * et lingua tua concinnabat dolos.

Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum : * hæc fecisti, et tacui.

Existimasti inique quod ero tui similis : * arguam te, et statuam contra faciem tuam.

Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum : * nequando rapiat, et non sit qui eripiat.

Sacrificium laudis honorificabit me: * et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.

Psalmus 51.

QUID gloriaris in malitia, * qui potens es in iniquitate?

Tota die injustitiam cogitavit lingua tua : * sicut novacula acuta fecisti dolum.

Dilexisti malitiam super benignitatem : * iniquitatem magis, quam loqui æquitatem.

Dilexisti omnia verba præcipitationis, * lingua dolosa.

Propterea Deus destruet te in finem: * evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium.

Videbunt justi, et timebunt, et super eum ridebunt, et dicent : * Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum.

Sed speravit in multitudine divitiarum suarum : * et prævaluit in vanitate sua.

Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, * speravi in misericordia Dei in æternum, et in sæculum sæculi.

Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti : * et expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.

Ant. Deus deorum Dominus locutus est.

Digitized by Google

Per Ann. ℣. Immola Deo sacrificium laudis. ℟. Et redde Altissimo vota tua.

In Adv. ℣. Emitte agnum, Domine, Dominatorem terræ. ℟. De petra deserti ad montem filiæ Sion.

In Quadrag. ℣. Scapulis suis obumbrabit tibi. ℟. Et sub pennis ejus sperabis.

Temp. Pass. ℣. De ore leonis libera me, Domine. ℟. Et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Temp. Pash. Ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

℣. Surrexit Dominus vere, alleluia. ℟. Et apparuit Simoni, alleluia.

Pro uno vel plur. Mart. temp. Pasch. ℣. Lux perpetua lucebit sanctis tuis, Domine, alleluia. ℟. Et æternitas temporum, allel.

Pro uno Mart. extra temp. Pasch. ℣. Posuisti, Domine, super caput ejus ℟. Coronam de lapide pretioso.

Pro plur. Mart. ℣. Exultent justi in conspectu Dei ℟. Et delectentur in lætitia.

Pro Confess. Pont. ℣. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi. ℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Pro Conf. non Pont. ℣. Os justi meditabitur sapientiam. ℟. Et lingua ejus loquetur judicium.

Pro una Sancta. ℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in medio ejus, non commovebitur.

AD LAUDES.

Ant. Dele, Domine, iniquitatem meam.

Psalm. Miserere, *ut supra, p.* 39.

Ant. Salutare.

Psalmus 42.

JUDICA me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta; * ab homine iniquo et doloso erue me.

Quia tu es, Deus, fortitudo mea: * quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam, et veritatem tuam: * ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei: * ad Deum, qui lætificat iuventutem meam.

Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: * quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei, et Deus meus.

Ant. Salutare vultus mei, et Deus meus.

Ant. Ad te de luce vigilo, Deus. *Psalm.* Deus Deus meus, *ut supra*, p. 13.

Ant. Cunctis diebus.

CANTICUM EZECHIÆ.

Isaiæ 38.

EGO dixi: In dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi.

Quæsivi residuum annorum meorum, * dixi: Non videbo Dominum Deum in terra viventium.

Non aspiciam hominem ultra, * et habitatorem quietis.

Generatio mea ablata est, et convoluta est a me, * quasi tabernaculum pastorum.

Præcisa est velut a texente vita mea; dum adhuc ordirer, succidit me: * de mane usque ad vesperam finies me.

Sperabam usque ad mane, * quasi leo sic contrivit omnia ossa mea:

De mane usque ad vesperam finies me: * sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba.

Attenuati sunt oculi mei, * suspicientes in excelsum.

Domine, vim patior, responde pro me. * Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit?

Recogitabo tibi omnes annos meos * in amaritudine animæ meæ.

Domine, si sic vivitur, et in talibus vita spiritus mei, corripies me, et vivificabis me. * Ecce in pace amaritudo mea amarissima.

Tu autem eruisti animam meam, ut non periret: * projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Digitized by Google

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te : * non expectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam.

Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie : * pater filiis notam faciet veritatem tuam.

Domine, salvum me fac, * et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

Ant. Cunctis diebus vitæ nostræ salvos nos fac, Domine.

Ant. Omnes Angeli ejus, laudate Dominum de cœlis.

Psalm. Laudate Dominum de cœlis, *p.* 14.

Capitulum. Rom. 13.

NOX præcessit, dies autem appropinquavit : abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis : sicut in die honeste ambulemus.

HYMNUS.

ALES diei nuntius
Lucem propinquam præcinit:
Nos excitator mentium
Jam Christus ad vitam vocat.

Auferte, clamat, lectulos,
Ægro sopore desides :
Castique, recti, ac sobrii
Vigilate, jam sum proximus.

Jesum ciamus vocibus,
Flentes, precantes, sobrii :
Intenta supplicatio
Dormire cor mundum vetat.

Tu, Christe, somnum discute :
Tu rumpe noctis vincula :
Tu solve peccatum vetus,
Novumque lumen ingere.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Repleti sumus mane misericordia tua. ℟. Exultavimus, et delectati sumus.

Ad Bened. Ant. Erexit nobis Dominus cornu salutis in domo David pueri sui.

Preces quando dicuntur, habentur supra in Fer. ij, p. 41.

FERIA QUARTA

AD MATUTINUM.

Invit. In manu tua, Domine, * omnes fines terræ.

Psalm. Venite exultemus, *p.* 1.

HYMNUS.

RERUM Creator optime,
Rectorque noster, aspice :
Nos a quiete noxia
Mersos sopore libera.

Te, sancte Christe, poscimus,
Ignosce culpis omnibus :
Ad confitendum surgimus,
Morasque noctis rumpimus.

Mentes manusque tollimus,
Propheta sicut noctibus
Nobis gerendum præcipit,
Paulusque gestis censuit.

Vides malum, quod fecimus :
Occulta nostra pandimus :
Preces gementes fundimus,
Dimitte quod peccavimus.

Præsta, Pater piissime
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Avertit Dominus.

Temp. Pasch. Ant. Alleluia.

Psalmus 52.

DIXIT insipiens in corde suo : * Non est Deus.

Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus : * non est qui faciat bonum.

Deus de cœlo prospexit super filios hominum, * ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.

Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : * non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Nunc scient omnes qui operantur iniquitatem, * qui devorant plebem meam ut cibum panis?

Deum non invocaverunt : * illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent: * confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutare Israel? *

Digitized by Google

cum converterit Deus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, et lætabitur Israel.

Psalmus 54.

EXAUDI, Deus, orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam: * intende mihi et exaudi me.

Contristatus sum in exercitatione mea: * et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris.

Quoniam declinaverunt in me iniquitates: * et in ira molesti erant mihi.

Cor meum conturbatum est in me: * et formido mortis cecidit super me.

Timor et tremor venerunt super me: * et contexerunt me tenebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, * et volabo et requiescam?

Ecce elongavi fugiens, * et mansi in solitudine.

Expectabam eum, qui salvum me fecit * a pusillanimitate spiritus et tempestate.

Præcipita, Domine; divide linguas eorum: * quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.

Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas: * et labor in medio ejus, et injustitia.

Et non defecit de plateis ejus * usura et dolus.

Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, * sustinuissem utique.

Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, * abscondissem me forsitan ab eo.

Tu vero, homo unanimis, * dux meus et notus meus:

Qui simul mecum dulces capiebas cibos: * in domo Dei ambulavimus cum consensu.

Veniat mors super illos: * et descendant in infernum viventes.

Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, * in medio eorum.

Ego autem ad Deum clamavi: * et Dominus salvabit me.

Vespere, et mane, et meridie narrabo et annuntiabo: * et exaudiet vocem meam.

Redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi: * quoniam inter multos erant mecum.

Exaudiet Deus, et humiliabit illos: * qui est ante sæcula.

Non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum: * extendit manum suam in retribuendo.

Contaminaverunt testamentum ejus, divisi sunt ab ira vultus ejus, * et appropinquavit cor illius.

Molliti sunt sermones ejus super oleum: * et ipsi sunt jacula.

Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet: * non dabit in æternum fluctuationem justo.

Tu vero, Deus, deduces eos * in puteum interitus.

Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos: * ego autem sperabo in te, Domine.

Ant. Avertit Dominus captivitatem plebis suæ.

Ant. Quoniam.

Psalmus 55.

MISERERE mei, Deus, quoniam conculcavit me homo: * tota die impugnans tribulavit me.

Conculcaverunt me inimici mei tota die: * quoniam multi bellantes adversum me.

Ab altitudine diei timebo: * ego vero in te sperabo.

In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi: * non timebo quid faciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabantur: * adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

Inhabitabunt et abscondent: * ipsi calcaneum meum observabunt.

Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos: * in ira populos confringes.

Deus, vitam meam annuntiavi tibi, * posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Sicut et in promissione tua: * tunc convertentur inimici mei retrorsum.

In quacumque die invocavero te: * ecce cognovi quoniam Deus meus es.

Digitized by Google

In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem : * in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua, * quæ reddam, laudationes tibi.

Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu : * ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Psalmus 56.

MISERERE mei, Deus, miserere mei : * quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo, * donec transeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altissimum : * Deum, qui benefecit mihi.

Misit de cælo, et liberavit me : * dedit in opprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam : * et eripuit animam meam de medio catulorum leonum : dormivi conturbatus.

Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ : * et lingua eorum gladius acutus.

Exaltare super cœlos, Deus : * et in omnem terram gloria tua.

Laqueum paraverunt pedibus meis : * et incurvaverunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foveam : * et inciderunt in eam.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum : * cantabo, et psalmum dicam.

Exurge, gloria mea, exurge, psalterium et cithara : * exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis, Domine : * et psalmum dicam tibi in gentibus.

Quoniam magnificata est usque ad cælos misericordia tua, * et usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super cœlos, Deus : * et super omnem terram gloria tua.

Ant. Quoniam in te confidit anima mea.

Ant. Justa judicate.

Psalmus 57.

SI vere utique justitiam loquimini, * recta judicate, filii hominum.

Etenim in corde iniquitates operamini : * in terra injustitias manus vestræ concinnant.

Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero : * locuti sunt falsa.

Furor illis secundum similitudinem serpentis : * sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas :

Quæ non exaudiet vocem incantantium : * et venefici incantantis sapienter.

Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum : * molas leonum confringet Dominus.

Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens : * intendit arcum suum donec infirmentur.

Sicut cera, quæ fluit, auferentur : * supercecidit ignis, et non viderunt solem.

Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum : * sicut viventes, sic in ira absorbet eos.

Lætabitur justus cum viderit vindictam : * manus suas lavabit in sanguine peccatoris.

Et dicet homo : Si utique est fructus justo : * utique est Deus judicans eos in terra.

Psalmus 58.

ERIPE me de inimicis meis, Deus meus : * et ab insurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem : * et de viris sanguinum salva me.

Quia ecce ceperunt animam meam : * irruerunt in me fortes.

Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine : * sine iniquitate cucurri, et direxi.

Exurge in occursum meum, et vide : * et tu, Domine Deus virtutum, Deus Israel.

Intende ad visitandas omnes Gentes : * non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.

Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes : * et circuibunt civitatem.

Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum : * quoniam quis audivit ?

Et tu, Domine, deridebis eos : * ad nihilum deduces omnes Gentes.

Fortitudinem meam ad te custodiam quia Deus susceptor meus es : * Deus meus misericordia ejus præveniet me.

Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne occidas eos : * nequando obliviscantur populi mei.

Disperge illos in virtute tua.: * et depone eos, protector meus Domine :

Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum : * et comprehendantur in superbia sua.

Et de execratione et mendacio annuntiabuntur in consummatione : * in ira consummationis et non erunt.

Et scient quia Deus dominabitur Jacob, * et finium terræ.

Convertentur ad vesperam , et famem patientur ut canes : * et circuibunt civitatem.

Ipsi dispergentur ad manducandum : * si vero non fuerint saturati, et murmurabunt.

Ego autem cantabo fortitudinem tuam : * et exultabo mane misericordiam tuam.

Quia factus es susceptor meus , * et refugium meum in die tribulationis meæ.

Adjutor meus , tibi psallam , quia Deus susceptor meus es: * Deus meus, misericordia mea.

Ant. Justa judicate, filii hominum.

Ant. Da nobis.

Psalmus 59.

DEUS, repulisti nos, et destruxisti nos : * iratus es, et misertus es nobis.

Commovisti terram , et conturbasti eam : * sana contritiones ejus , quia commota est.

Ostendisti populo tuo dura : * potasti nos vino compunctionis.

Dedisti metuentibus te significationem , * ut fugiant a facie arcus :

Ut liberentur dilecti tui : * salvum fac dextera tua , et exaudi me.

Deus locutus est in sancto suo : * Lætabor, et partibor Sichimam, et convallem tabernaculorum metibor.

Meus est Galaad, et meus est Manasses : * et Ephraim fortitudo capitis mei.

Juda rex meus : * Moab olla spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum : * mihi alienigenæ subditi sunt.

Quis deducet me in civitatem munitam ? * quis deducet me usque in Idumæam ?

Nonne tu, Deus, qui repulisti nos: * et non egredieris , Deus, in virtutibus nostris ?

Da nobis auxilium de tribulatione: * quia vana salus hominis.

In Deo faciemus virtutem : * et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

Psalmus 60.

EXAUDI , Deus , deprecationem meam : * intende orationi meæ.

A finibus terræ ad te clamavi : * dum anxiaretur cor meum , in petra exaltasti me.

Deduxisti me, quia factus es spes mea : * turris fortitudinis a facie inimici.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula : * protegar in velamento alarum tuarum.

Quoniam tu, Deus meus , exaudisti orationem meam : * dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjicies : * annos ejus usque in diem generationis et generationis.

Permanet in æternum in conspectu Dei : * misericordiam et veritatem ejus quis requiret ?

Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi : * ut reddam vota mea de die in diem.

Ant. Da nobis , domine , auxilium de tribulatione.

Ant. Nonne Deo.

Psalmus 61.

NONNE Deo subjecta erit anima mea ? * ab ipso enim salutare meum.

Digitized by Google

Nam et ipse Deus meus, et salutaris meus,* non movebor amplius.

Quousque irruitis in hominem? * interficitis, universi vos, tamquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ?

Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti: * ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.

Verumtamen Deo subjecta esto, anima mea: * quoniam ab ipso patientia mea.

Quia ipse Deus meus et salvator meus: * adjutor meus, non emigrabo.

In Deo salutare meum, et gloria mea: * Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.

Sperate in eo, omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: * Deus adjutor noster in æternum.

Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris: * ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.

Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere: * divitiæ si affluant, nolite cor apponere.

Semel locutus est Deus, duo hæc audivi, quia potestas Dei est; et tibi, Domine, misericordia: * quia tu reddes unicuique juxta opera sua.

Psalmus 63.

EXAUDI, Deus, orationem meam cum deprecor: * a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu malignantium, * a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas: * intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, et non timebunt: * firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt ut absconderent laqueos: * dixerunt: Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates: * defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum: * et exaltabitur Deus.

Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum: * et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.

Conturbati sunt omnes qui videbant eos: * et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt.

Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo: * et laudabuntur omnes recti corde.

Ant. Nonne Deo subjecta erit anima mea?

Ant. Benedicite.

Psalmus 65.

JUBILATE Deo, omnis terra, psalmum dicite nomini ejus: * date gloriam laudi ejus.

Dicite Deo: Quam terribilia sunt opera tua Domine! * in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, et psallat tibi: * psalmum dicat nomini tuo.

Venite et videte opera Dei, * terribilis in consiliis super filios hominum.

Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: * ibi lætabimur in ipso.

Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi ejus super Gentes respiciunt: * qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.

Benedicite, Gentes, Deum nostrum:* et auditam facite vocem laudis ejus.

Qui posuit animam meam ad vitam:* et non dedit in commotionem pedes meos.

Quoniam probasti nos, Deus:* igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: * imposuisti homines super capita nostra.

Transivimus per ignem et aquam:* et eduxisti nos in refrigerium.

Introibo in domum tuam in holocaustis: * reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea,

Et locutum est os meum, * in tribulatione mea.

Holocausta medullata offeram tibi

cum incenso arietum : * offeram tibi boves cum hircis.

Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, * quanta fecit animæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamavi : * et exaltavi sub lingua mea.

Iniquitatem si aspexi in corde meo,* non exaudiet Dominus.

Propterea exaudivit Deus, * et attendit voci deprecationis meæ.

Benedictus Deus, * qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me.

Psalmus. 67.

EXURGAT Deus, et dissipentur inimici ejus : * et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus.

Sicut deficit fumus, deficiant : * sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.

Et justi epulentur, et exultent in conspectu Dei : * et delectentur in lætitia.

Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus : * iter facite ei qui ascendit super occasum : Dominus nomen illi.

Exultate in conspectu ejus : * turbabuntur a facie ejus, patris orphanorum, et judicis viduarum.

Deus in loco sancto suo : * Deus, qui inhabitare facit unius moris in domo :

Qui educit vinctos in fortitudine,* similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris.

Deus, cum egredereris in conspectu populi tui, * cum pertransires in deserto,

Terra mota est; etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, * a facie Dei Israel.

Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ: * et infirmata est, tu vero perfecisti eam.

Animalia tua habitabunt in ea : * parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.

Dominus dabit verbum evangelizantibus, * virtute multa :

Rex virtutum, dilecti, dilecti : * et speciei domus dividere spolia.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, * et posteriora dorsi ejus in pallore auri.

Dum discernit cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon: * mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis : * ut quid suspicamini montes coagulatos ?

Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo : * etenim Dominus habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: * Dominus in eis in Sina in sancto.

Ascendisti in altum, cepisti captivitatem : * accepisti dona in hominibus.

Etenim non credentes, * inhabitare Dominum Deum.

Benedictus Dominus die quotidie:* prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

Deus noster, Deus salvos faciendi:* et Domini Domini exitus mortis

Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum : * verticem capilli perambulantium in delictis suis.

Dixit Dominus : Ex Basan convertam: * convertam in profundum maris.

Ut intingatur pes tuus in sanguine : * lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipso.

Viderunt ingressus tuos, Deus : * ingressus Dei mei, Regis mei, qui est in sancto.

Prævenerunt principes conjuncti psallentibus,* in medio juvenculatarum tympanistriarum.

In ecclesiis benedicite Deo Domino, * de fontibus Israel.

Ibi Beniamin adolescentulus, * in mentis excessu.

Principes Juda, duces eorum:* principes Zabulon, principes Nephthali.

Manda, Deus, virtuti tuæ:* confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Jerusalem, * tibi offerent reges munera.

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum : *

Digitized by Google

ut excludant eos, qui probati sunt argento.

Dissipa gentes, quæ bella volunt: venient legati ex Ægypto: * Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantate Deo: * psallite Domino.

Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli, * ad Orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel, * magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus.

Mirabilis Deus in sanctis suis; Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ: * benedictus Deus.

Ant. Benedicite, Gentes, Deum nostrum.

Per Ann. ℣. Deus, vitam meam annuntiavi tibi ℟. Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

In Adv. ℣. Egredietur Dominus de loco sancto suo. ℟. Veniet ut salvet populum suum.

In Quadrag. ℣. Scuto circumdabit te veritas ejus. ℟. Non timebis a timore nocturno.

Temp. pass. ℣. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam. ℟. Et cum viris sanguinum vitam meam.

Temp. Pasch. Ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

℣. Gavisi sunt discipuli, alleluia. ℟. Viso Domino, alleluia.

Pro uno, vel plur. Mart. temp. Pasch. ℣. Lætitia sempiterna super capita eorum, alleluia. ℟. Gaudium et exultationem obtinebunt, alleluia.

Pro uno Mart. extra temp. Pasch. ℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo. ℟. Gloriam et magnum decorem impones super eum.

Pro plur. Mart. ℣. Justi autem in perpetuum vivent. ℟. Et apud Dominum est merces eorum.

Pro Conf. Pont. ℣. Tu es sacerdos in æternum. ℟. Secundum ordinem Melchisedech.

Pro Conf. non Pont. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsius. ℟. Et non supplantabuntur gressus ejus.

Pro una Sancta ℣. Elegit eam Deus, et prælegit eam. ℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

AD LAUDES.

Ant. Amplius lava me, Domine, ab injustitia mea.

Psalm. Miserere, *ut supra*, p. 39.

Ant. Te decet.

Psalmus 64.

TE decet hymnus, Deus, in Sion: * et tibi reddetur votum in Jerusalem.

Exaudi orationem meam: * ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum prævaluerunt super nos: * et impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus quem elegisti, et assumpsisti: * inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ: * sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, * spes omnium finium terræ, et in mari longe.

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia, * qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.

Turbabuntur Gentes, et timebunt qui habitant terminos a signis tuis: * exitus matutini, et vespere delectabis.

Visitasti terram et inebriasti eam: * multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum: * quoniam ita est præparatio ejus.

Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus: * in stillicidiis ejus lætabitur germinans.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: * et campi tui replebuntur ubertate.

Pinguescent speciosa deserti: * et exultatione colles accingentur.

Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento: * clamabunt, etenim hymnum dicent.

Digitized by Google

Ant. Te decet hymnus, Deus, in Sion.

Ant. Labia mea laudabunt te in vita mea, Deus meus.

Psalm. Deus Deus meus, *ut supra*, p. 13.

Ant. Dominus judicabit.

CANTICUM ANNÆ. I *Reg.* 2.

EXULTAVIT cor meum in Domino: * et exaltatum est cornu meum in Deo meo.

Dilatatum est os meum super inimicos meos: * quia lætata sum in salutari tuo.

Non est sanctus, ut est Dominus; neque enim est alius extra te, * et non est fortis sicut Deus noster.

Nolite multiplicare loqui sublimia, * gloriantes.

Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, * et ipsi præpárantur cogitationes.

Arcus fortium superatus est: * et infirmi accincti sunt robore.

Repleti prius, pro panibus se locaverunt: * et famelici saturati sunt.

Donec sterilis peperit plurimos: * et quæ multos habebat filios, infirmata est.

Dominus mortificat et vivificat: * deducit ad inferos, et reducit.

Dominus pauperem facit, et ditat: * humiliat et sublevat.

Suscitat de pulvere egenum: * et de stercore elevat pauperem.

Ut sedeat cum principibus, * et solium gloriæ teneat.

Domini enim sunt cardines terræ, * et posuit super eos orbem.

Pedes sanctorum suorum servabit, et impii in tenebris conticescent: * quia non in fortitudine sua roborabitur vir.

Dominum formidabunt adversarii ejus: * et super ipsos in cœlis tonabit.

Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium regi suo: * et sublimabit cornu Christi sui.

Ant. Dominus judicabit fines terræ.

Ant. Cœli cœlorum, laudate Deum.

Psalm. Laudate Dominum de cœlis, *ut supra*, p. 14.

Capitulum. Rom. 13.

NOX præcessit, dies autem appropinquavit: abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis: sicut in die honeste ambulemus.

HYMNUS.

NOX et tenebræ et nubila,
Confusa mundi et turbida,
Lux intrat, albescit polus,
Christus venit, discedite.

Caligo terræ scinditur
Percussa solis spiculo,
Rebusque jam color redit,
Vultu nitentis sideris.

Te, Christe, solum novimus:
Te mente pura et simplici,
Flendo et canendo quæsumus,
Intende nostris sensibus.

Sunt multa fucis illita,
Quæ luce purgentur tua:
Tu vera lux cœlestium
Vultu sereno illumina.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Repleti sumus mane misericordia tua. ℟. Exultavimus, et delectati sumus.

Ad Bened. Ant. De manu omnium, qui oderunt nos, libera nos, Domine.

Preces, quando dicuntur, habentur supra in Fer. ij. p. 41.

FERIA QUINTA

AD MATUTINUM.

Invit. Dominum qui fecit nos, * Venite, adoremus.

Psalm. Venite exultemus, *p.* 1.

HYMNUS.

NOX atra rerum contegit
Terræ colores omnium:
Nos confitentes poscimus
Te, juste judex cordium.

Ut auferas piacula,
Sordesque mentis abluas:
Donesque, Christe, gratiam,
Ut arceantur crimina.

Digitized by Google

Mens ecce torpet impia,
Quam culpa mordet noxia:
Obscura gestit tollere,
Et te, Redemptor, quærere.

Repelle tu caliginem
Intrinsecus quam maxime:
Ut in beato gaudeat
Se collocari lumine.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Domine Deus.

Temp. Pasch. Ant. Alleluia.

Psalmus 68.

SALVUM me fac, Deus: * quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.

Infixus sum in limo profundi, * et non est substantia.

Veni in altitudinem maris, * et tempestas demersit me.

Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: * defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, * qui oderunt me gratis.

Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injuste: * quæ non rapui, tunc exolvebam.

Deus, tu scis insipientiam meam: * et delicta mea a te non sunt abscondita.

Non erubescant in me, qui expectant te, Domine, * Domine virtutum.

Non confundantur super me * qui quærunt te, Deus Israel.

Quoniam propter te sustinui opprobrium: * operuit confusio faciem meam.

Extraneus factus sum fratribus meis, * et peregrinus filiis matris meæ.

Quoniam zelus domus tuæ comedit me: * et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

Et operui in jejunio animam meam; * et factum est in opprobrium mihi.

Et posui vestimentum meum cilicium: * et factus sum illis in parabolam.

Adversum me loquebantur qui sedebant in porta: * et in me psallebant qui bibebant vinum.

Ego vero orationem meam ad te, Domine: * tempus beneplaciti, Deus.

In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, * in veritate salutis tuæ:

Eripe me de luto, ut non infigar: * libera me ab iis qui oderunt me, et de profundis aquarum.

Non me demergat tempestas aquæ; neque absorbeat me profundum: * neque urgeat super me puteus os suum.

Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua: * secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.

Et ne avertas faciem tuam a puero tuo: * quoniam tribulor, velociter exaudi me.

Intende animæ meæ, et libera eam: * propter inimicos meos eripe me.

Tu scis improperium meum, et confusionem meam, * et reverentiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me: * improperium expectavit cor meum et miseriam.

Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit: * et qui consolaretur, et non inveni.

Et dederunt in escam meam fel: * et in siti mea potaverunt me aceto.

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, * et in retributiones, et in scandalum.

Obscurentur oculi eorum ne videant: * et dorsum eorum semper incurva.

Effunde super eos iram tuam: * et furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitatio eorum deserta: * et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.

Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: * et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: * et non intrent in justitiam tuam.

Deleantur de libro viventium: * et cum justis non scribantur.

Ego sum pauper et dolens: * salus tua, Deus, suscepit me.

Laudabo nomen Dei cum cantico: * et magnificabo eum in laude:

Digitized by Google

Et placebit Deo super vitulum novellum, * cornua producentem et ungulas.

Videant pauperes, et laetentur : * quærite Deum, et vivet anima vestra.

Quoniam exaudivit pauperes Dominus : * et vinctos suos non despexit.

Laudent illum cœli et terra, * mare, et omnia reptilia in eis.

Quoniam Deus salvum faciet Sion : * et ædificabuntur civitates Juda.

Et inhabitabunt ibi, * et hæreditate acquirent eam.

Et semen servorum ejus possidebit eam : * et qui diligunt nomen ejus habitabunt in ea.

Psalmus 69.

DEUS, in adjutorium meum intende : * Domine, ad adjuvandum me festina.

Confundantur et revereantur, * qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsum, et erubescant, * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exultent et lætentur in te omnes qui quærunt te, * et dicant semper : Magnificetur Dominus : qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum : * Deus, adjuva me.

Adjutor meus, et liberator meus, es tu : * Domine, ne moreris.

Ant. Domine Deus, in adjutorium meum intende.

Ant. Esto mihi.

Psalmus 70.

IN te, Domine, speravi, non confundar in æternum : * in justitia tua libera me, et eripe me.

Inclina ad me aurem tuam, * et salva me.

Esto mihi in Deum protectorem et in locum munitum, * ut salvum me facias.

Quoniam firmamentum meum, * et refugium meum es tu.

Deus meus, eripe me de manu peccatoris, * et de manu contra legem agentis, et iniqui.

Quoniam tu es patientia mea, Domine : * Domine, spes mea a juventute mea.

In te confirmatus sum ex utero : * de ventre matris meæ tu es protector meus.

In te cantatio mea semper : * tanquam prodigium factus sum multis ; et tu adjutor fortis.

Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, * tota die magnitudinem tuam.

Ne projicias me in tempore senectutis : * cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Quia dixerunt inimici mei mihi : * et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum.

Dicentes : Deus dereliquit eum : persequimini, et comprehendite eum : * quia non est qui eripiat.

Deus, ne elongeris a me : * Deus meus, in auxilium meum respice.

Confundantur et deficiant detrahentes animæ meæ : * operiantur confusione et pudore, qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperabo : * et adjiciam super omnem laudem tuam.

Os meum annuntiabit justitiam tuam, * tota die salutare tuum.

Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini : * Domine memorabor justitiæ tuæ solius.

Deus, docuisti me a juventute mea : * et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua :

Et usque in senectam et senium : * Deus ne derelinquas me.

Donec annuntiem brachium tuum * generationi omni, quæ ventura est :

Potentiam tuam, et justitiam tuam, Deus, usque in altissima, quæ fecisti magnalia : * Deus, quis similis tibi ?

Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas : et conversus vivificasti me : * et de abyssis terræ iterum reduxisti me.

Multiplicasti magnificentiam tuam : * et conversus consolatus es me.

Digitized by Google

Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam : * Deus, psallam tibi in cithara, Sanctus Israel.

Exultabunt labia mea cum cantavero tibi, * et anima mea, quam redemisti.

Sed et lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam : * cum confusi et revertiti fuerint, qui quærunt mala mihi.

Psalmus 71.

DEUS, judicium tuum regi da, * et justitiam tuam filio regis :

Judicare populum tuum in justitia, * et pauperes tuos in judicio.

Suscipiant montes pacem populo, * et colles justitiam.

Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum: * et humiliabit calumniatorem.

Et permanebit cum sole, et ante lunam, * in generatione et generationem.

Descendet sicut pluvia in vellus, * et sicut stillicidia stillantia super terram.

Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis, * donec auferatur luna.

Et dominabitur a mari usque ad mare : * et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

Coram illo procident Æthiopes : * et inimici ejus terram lingent.

Reges Tharsis, et insulæ munera offerent : * reges Arabum et Saba dona adducent,

Et adorabunt eum omnes reges terræ : * omnes gentes servient ei :

Quia liberabit pauperem a potente, * et pauperem cui non erat adjutor.

Parcet pauperi et inopi : * et animas pauperum salvas faciet.

Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum : * et honorabile nomen eorum coram illo.

Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ, et adorabunt de ipso semper : * tota die benedicent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus : * et florebunt de civitate sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedictum in sæcula : * ante solem permanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ : * omnes Gentes magnificabunt eum.

Benedictus Dominus Deus Israel, * qui facit mirabilia solus :

Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum: * et replebitur majestate ejus omnis terra : fiat, fiat.

Ant. Esto mihi, Domine, in Deum protectorem.

Ant. Liberasti virgam.

Psalmus 72.

QUAM bonus Israel Deus * his, qui recto sunt corde !

Mei autem pene moti sunt pedes: * pene effusi sunt gressus mei.

Quia zelavi super iniquos, * pacem peccatorum videns.

Quia non est rspectus morti eorum : * et firmamentum in plaga eorum.

In labore hominum non sunt, * et cum hominibus non flagellabuntur.

Ideo tenuit eos superbia, * operti sunt iniquitate et impietate sua.

Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: * transierunt in affectum cordis.

Cogitaverunt et locuti sunt nequitiam : * iniquitatem in excelso locuti sunt.

Posuerunt in cœlum os suum : * et lingua eorum transivit in terra.

Ideo convertetur populus meus hic: * et dies pleni invenientur in eis.

Et dixerunt : Quomodo scit Deus, * et si est scientia in excelso ?

Ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo * obtinuerunt divitias.

Et dixi: Ergo sine causa justificavi cor meum, * et lavi inter innocentes manus meas :

Et fui flagellatus tota die, * et castigatio mea in matutinis.

Si dicebam: Narrabo sic: * ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.

Existimabam ut cognoscerem hoc, * labor est ante me :

Donec intrem in Sanctuarium Dei, *

et intelligam in novissimis eorum

Verumtamen propter dolos posuisti eis: * dejecisti eos, dum allevarentur.

Quomodo facti sunt in desolàtionem? subito defecerunt: * perierunt propter iniquitatem suam.

Velut somnium surgentium, Domine, * in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

Quia inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt: * et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi.

Ut jumentum factus sum apud te: * et ego semper tecum.

Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, * et cum gloria suscepisti me.

Quid enim mihi est in cœlo: * et a te quid volui super terram?

Defecit caro mea, et cor meum: * Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.

Quia ecce, qui elongant se a te, peribunt: * perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.

Mihi autem adhærere Deo bonum est: * ponere in Domino Deo spem meam:

Ut annuntiem omnes prædicationes tuas * in portis filiæ Sion.

Psalmus 73.

UT quid, Deus, repulisti in finem: * iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?

Memor esto congregationis tuæ, * quam possedisti ab initio.

Redemisti virgam hæreditatis tuæ: * mons Sion, in quo habitasti in eo.

Leva manus tuas in superbias eorum in finem: * quanta malignatus est inimicus in sancto!

Et gloriati sunt qui oderunt te, * in medio solemnitatis tuæ.

Posuerunt signa sua, signa: * et non cognoverunt sicut in exitu super summum.

Quasi in silva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum: * in securi et ascia dejecerunt eam.

Incenderunt igni Sanctuarium tuum: * in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.

Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: * Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vidimus, jam non est Propheta: * et nos non cognoscet amplius.

Usquequo, Deus, improperabit inimicus? * irritat adversarius nomen tuum in finem?

Ut quid avertis manum tuam et dexteram tuam, * de medio sinu tuo in finem?

Deus autem Rex noster ante sæcula, * operatus est salutem in medio terræ.

Tu confirmasti in virtute tua mare: * contribulasti capita draconum in aquis.

Tu confregisti capita draconis: * dedisti eum escam populis Æthiopum.

Tu dirupisti fontes et torrentes: * tu siccasti fluvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox: * tu fabricatus es auroram et solem.

Tu fecisti omnes terminos terræ: * æstatem et ver tu plasmasti ea.

Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino: * et populus insipiens incitavit nomen tuum.

Ne tradas bestiis animas confitentes tibi: * et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Respice in testamentum tuum: * quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.

Ne avertatur humilis factus confúsus: * pauper et inops laudabunt nomen tuum.

Exurge, Deus, judica causam tuam: * memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die.

Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum: * superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

Ant. Liberasti virgam hæreditatis tuæ.

Ant. Et invocabimus.

Digitized by Google

Psalmus 74.

CONFITEBIMUR tibi, Deus: * confitebimur, et invocabimus nomen tuum.

Narrabimus mirabilia tua. * cum accepero tempus, ego justitias judicabo.

Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea: * ego confirmavi columnas ejus.

Dixi iniquis: Nolite inique agere:* et delinquentibus: Nolite exaltare cornu.

Nolite extollere in altum cornu vestrum: * nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus:* quoniam Deus judex est.

Hunc humiliat, et hunc exaltat:* quia calix in manu Domini vini meri plenus misto.

Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen fæx ejus non est exinanita: * bibent omnes peccatores terræ.

Ego autem annuntiabo in sæculum:* cantabo Deo Jacob.

Et omnia cornua peccatorum confringam: * et exaltabuntur cornua justi.

Psalmus 75.

NOTUS in Judæa Deus: * in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus:* et habitatio ejus in Sion.

Ibi confregit potentias arcuum, * scutum, gladium, et bellum.

Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis: * turbati sunt omnes insipientes corde.

Dormierunt somnum suum: * et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Ab increpatione tua, Deus Jacob,* dormitaverunt qui ascenderunt equos.

Tu terribilis es, et quis resistet tibi?* ex tunc ira tua.

De cœlo auditum fecisti judicium:* terra tremuit, et quievit,

Cum exurgeret in judicium Deus,* ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: * et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.

Vovete, et reddite Domino Deo vestro, * omnes qui in circuitu ejus affertis munera,

Terribili, et ei qui aufert spiritum principum,* terribili apud reges terræ.

Ant. Et invocabimus nomen tuum, Domine.

Ant. Tu es Deus.

Psalmus 76.

VOCE mea ad Dominum clamavi: * voce mea ad Deum, et intendit mihi.

In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum: * et non sum deceptus.

Renuit consolari anima mea: * memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum, et defecit spiritus meus.

Anticipaverunt vigilias oculi mei: * turbatus sum, et non sum locutus.

Cogitavi dies antiquos: * et annos æternos in mente habui.

Et meditatus sum nocte cum corde meo: * et exercitabar, et scopebam spiritum meum.

Numquid in æternum projiciet Deus? * aut non apponet ut complacitior sit adhuc?

Aut in finem misericordiam suam abscindet, * a generatione in generationem?

Aut obliviscetur misereri Deus? * aut continebit in ira sua misericordias suas?

Et dixi: Nunc cœpi: * hæc mutatio dexteræ Excelsi.

Memor fui operum Domini: * quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.

Et meditabor in omnibus operibus tuis: * et in adinventionibus tuis exercebor.

Deus, in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? * tu es Deus, qui facis mirabilia.

Notam fecisti in populis virtutem tuam: * redemisti in brachio tuo po-

Digitized by Google

pulum tuum, filios Jacob et Joseph.

Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ: * et timuerunt, et turbatæ sunt abyssi.

Multitudo sonitus aquarum, * vocem dederunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ transeunt: * vox tonitrui tui in rota.

Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: * commota est, et contremuit terra.

In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis: * et vestigia tua non cognoscentur.

Deduxisti sicut oves populum tuum, * in manu Moysi et Aaron.

Psalmus 77.

ATTENDITE, populе meus, legem meam: * inclinate aurem vestram in verba oris mei.

Aperiam in parabolis os meum: * loquar propositiones ab initio.

Quanta audivimus, et cognovimus ea: * et patres nostri narraverunt nobis.

Non sunt occultata a filiis eorum, * in generatione altera.

Narrantes laudes Domini, et virtutes ejus: * et mirabilia ejus quæ fecit.

Et suscitavit testimonium in Jacob: * et legem posuit in Israel.

Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, * ut cognoscat generatio altera.

Filii qui nascentur, et exurgent, * et narrabunt filiis suis.

Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei: * et mandata ejus exquirant.

Ne fiant sicut patres eorum, * generatio prava et exasperans.

Generatio, quæ non direxit cor suum: * et non est creditus cum Deo spiritus ejus.

Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum, * conversi sunt in die belli.

Non custodierunt testamentum Dei: * et in lege ejus noluerunt ambulare.

Et obliti sunt benefactorum ejus: * et mirabilium ejus, quæ ostendit eis.

Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti, * in campo Taneos.

Interrupit mare, et perduxit eos: * et statuit aquas quasi in utre.

Et deduxit eos in nube diei: * et tota nocte in illuminatione ignis.

Interrupit petram in eremo: * et adaquavit eos velut in abysso multa.

Et eduxit aquam de petra: * et deduxit tamquam flumina aquas.

Et apposuerunt adhuc peccare ei: * in iram excitaverunt Excelsum in inaquoso.

Et tentaverunt Deum in cordibus suis, * ut peterent escas animabus suis.

Et male locuti sunt de Deo: * dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?

Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, * et torrentes inundaverunt.

Numquid et panem poterit dare, * aut parare mensam populo suo?

Ideo audivit Dominus, et distulit: * et ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israel.

Quia non crediderunt in Deo, * nec speraverunt in salutari ejus:

Et mandavit nubibus desuper, * et januas cœli aperuit.

Et pluit illis manna ad manducandum, * et panem cœli dedit eis.

Panem Angelorum manducavit homo: * cibaria misit eis in abundantia.

Transtulit Austrum de cœlo: * et induxit in virtute sua Africum.

Et pluit super eos sicut pulverem carnes: * et sicut arenam maris volatilia pennata.

Et ceciderunt in medio castrorum eorum, * circa tabernacula eorum.

Et manducaverunt, et saturati sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis: * non sunt fraudati a desiderio suo.

Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum: * et ira Dei ascendit super eos.

Et occidit pingues eorum: * et electos Israel impedivit.

In omnibus his peccaverunt adhuc: * et non crediderunt in mirabilibus ejus.

Digitized by Google

Et defecerunt in vanitate dies eorum : * et anni eorum cum festinatione.

Cum occideret eos, quærebant eum:* et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum.

Et rememorati sunt quia Deus adjutor est eorum : * et Deus excelsus redemptor eorum est.

Et dilexerunt eum in ore suo, * et lingua sua mentiti sunt ei.

Cor autem eorum non erat rectum cum eo : * nec fideles habiti sunt in testamento ejus,

Ipse autem est misericors, et propitius fiet peccatis eorum, * et non disperdet eos.

Et abundavit ut averteret iram suam : * et non accendit omnem iram suam.

Et recordatus est quia caro sunt : * spiritus vadens, et non rediens.

Quoties exacerbaverunt eum in deserto ? * in iram concitaverunt eum in inaquoso ?

Et conversi sunt, et tentaverunt Deum : * et Sanctum Israel exacerbaverunt.

Non sunt recordati manus ejus, * die qua redemit eos de manu tribulantis.

Sicut posuit in Ægypto signa sua : * et prodigia sua in campo Taneos.

Et convertit in sanguinem flumina eorum : * et imbres eorum, ne biberent.

Misit in eos cœnomyam et comedit eos : * et ranam, et disperdidit eos.

Et dedit ærugini fructus eorum, * et labores eorum locustæ.

Et occidit in grandine vineas eorum, * et moros eorum in pruina.

Et tradidit grandini jumenta eorum, * et possessionem eorum igni.

Misit in eos iram indignationis suæ:* indignationem, et iram, et tribulationem, immissiones per angelos malos.

Viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit a morte animabus eorum, * et jumenta eorum in morte conclusit.

Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti : * primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.

Et abstulit sicut oves populum suum : * et perduxit eos tanquam gregem in deserto.

Et deduxit eos in spe, et non timuerunt : * et inimicos eorum operuit mare.

Et induxit eos in montem sanctificationis suæ : * montem, quem acquisivit dextera ejus.

Ejecit a facie eorum Gentes : * et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.

Et habitare fecit in tabernaculis eorum * tribus Israel.

Et tentaverunt, et exacerbaverunt Deum excelsum : * et testimonia ejus non custodierunt.

Et averterunt se, et non servaverunt pactum : * quemadmodum patres eorum, conversi sunt in arcum pravum.

In iram concitaverunt eum in collibus suis : * et in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt.

Audivit Deus et sprevit : * et ad nihilum redegit valde Israel.

Et repulit tabernaculum Silo, * tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus.

Et tradidit in captivitatem virtutem eorum : * et pulchritudinem eorum in manus inimici.

Et conclusit in gladio populum suum : * et hæreditatem suam sprevit.

Juvenes eorum comedit ignis : * et virgines eorum non sunt lamentatæ.

Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt : * et viduæ eorum non plorabantur.

Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, * tamquam potens crapulatus a vino.

Et percussit inimicos suos in posteriora : * opprobrium sempiternum dedit illis.

Et repulit tabernaculum Joseph : * et tribum Ephraim non elegit :

Sed elegit tribum Juda, * montem Sion, quem dilexit.

Et ædificavit sicut unicornium san-

Digitized by Google

etificium suum in terra, * quam fundavit in sæcula.

Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium: * de post fœtantes accepit eum,

Pascere Jacob servum suum, * et Israel hæreditatem suam.

Et pavit eos in innocentia cordis sui: * et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

Ant. Tu es Deus, qui facis mirabilia.

Ant. Propitius esto.

Psalmus 73.

DEUS, venerunt Gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: * posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli: * carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.

Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Jerusalem: * et non erat qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris: * subsannatio et illusio his, qui in circuitu nostro sunt.

Usquequo, Domine, irasceris in finem? * accendetur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt: * et in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt:

Quia comederunt Jacob: * et locum ejus desolaverunt.

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: * quia pauperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos: * et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Ne forte dicant in Gentibus: Ubi est Deus eorum? * et innotescat in nationibus coram oculis nostris.

Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est: * introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachii tui, * posside filios mortificatorum.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: * improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi, Domine.

Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ, * confitebimur tibi in sæculum:

In generationem et generationem * annuntiabimus laudem tuam.

Psalmus 79.

QUI regis Israel, intende: * qui deducis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Cherubim, * manifestare coram Ephraim, Benjamin, et Manasse.

Excita potentiam tuam, et veni, * ut salvos facias nos.

Deus converte nos: * et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Domine Deus virtutum, * quousque irasceris super orationem servi tui?

Cibabis nos pane lacrymarum, * et potum dabis nobis in lacrymis in mensura?

Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris: * et inimici nostri subsannaverunt nos.

Deus virtutum, converte nos: * et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Vineam de Ægypto transtulisti: * ejecisti Gentes, et plantasti eam.

Dux itineris fuisti in conspectu ejus: * plantasti radices ejus, et implevit terram.

Operuit montes umbra ejus: * et arbusta ejus cedros Dei.

Extendit palmites suos usque ad mare: * et usque ad flumen propagines ejus.

Ut quid destruxisti maceriam ejus? * et vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?

Exterminavit eam aper de silva: * et singularis ferus depastus est eam.

Deus virtutum, convertere: * respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam.

Et perfice eam, quam plantavit dextera tua: * et super filium hominis, quem confirmasti tibi.

Incensa igni, et suffossa * ab increpatione vultus tui peribunt.

Digitized by Google

Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ ; * et super filium hominis, quem confirmasti tibi.

Et non discedimus a te, vivificabis nos : * et nomen tuum invocabimus.

Domine Deus virtutum, converte nos : * et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Ant. Propitius esto peccatis nostris, Domine.

Per Ann. ℣. Gaudebunt labia mea, cum cantavero tibi. ℟. Et anima mea, quam redemisti.

In Adv. ℣. Ex Sion species decoris ejus. ℟. Deus noster manifeste veniet.

In Quadrag. ℣. Ipse liberavit me de laqueo venantium. ℟. Et a verbo aspero.

Tem. Pass. ℣. Erue a framea, Deus, animam meam. ℟. Et de manu canis unicam meam.

Temp. Pasch. Ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

℣. Surrexit Dominus de sepulchro, alleluia. ℟. Qui pro nobis pependit in ligno, alleluia.

Pro uno, vel plur. Mart. temp. Pasch. ℣. Sancti et justi, in Domino gaudete, alleluia. ℟. Vos elegit Deus in hæreditatem sibi, alleluia.

Pro uno Mart. extra temp. Pasch. ℟. Gloria et honore coronasti eum, Domine ℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Pro plur. Mart. ℣. Lætamini in Domino, et exultate justi. ℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Pro Conf. Pont. et non Pont. ℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum. ℟. Stolam gloriæ induit eum.

Pro una Sancta. ℣. Specie tua, et pulchritudine tua. ℟. Intende, prospere procede, et regna.

AD LAUDES.

Ant. Tibi soli peccavi, Domine, miserere mei.

Psalm. Miserere, *p.* 39.

Ant. Domine.

Psalmus 89

DOMINE, refugium factus es nobis, * a generatione in generationem.

Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, * a sæculo et usque in sæculum tu es Deus.

Ne avertas hominem in humilitatem : * et dixisti : Convertimini, filii hominum.

Quoniam mille anni ante oculos tuos* tanquam dies hesterna quæ præteriit,

Et custodia in nocte, * quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

Mane sicut herba transeat, mane floreat, et transeat: * vespere decidat, induret, et arescat.

Quia defecimus in ira tua : * et in furore tuo turbati sumus.

Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, * sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.

Quoniam omnes dies nostri defecerunt : * et in ira tua defecimus.

Anni nostri sicut aranea meditabuntur : * dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.

Si autem in potentatibus octoginta anni : * et amplius eorum labor et dolor.

Quoniam supervenit mansuetudo, * et corripiemur.

Quis novit potestatem iræ tuæ, * et præ timore tuo iram tuam dinumerare?

Dexteram tuam sic notam fac, * et eruditos corde in sapientia.

Convertere, Domine ; usquequo? * et deprecabilis esto super servos tuos.

Repleti sumus mane misericordia tua, * et exultavimus, et delectati sumus omnibus diebus nostris.

Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti : * annis, quibus vidimus mala.

Respice in servos tuos, et in opera tua : * et dirige filios eorum.

Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos: * et opus manuum nostrarum dirige.

Digitized by Google

Ant. Domine, refugium factus es nobis.

Ant. In matutinis meditabor in te.

Psalm. Deus Deus meus; *p.* 13.

Ant. Cantemus.

CANTICUM MOYSI *Exod.* 15.

CANTEMUS Domino: gloriose enim magnificatus est; * equum et ascensorem dejecit in mare.

Fortitudo mea, et laus mea Dominus, * et factus est mihi in salutem.

Iste Deus meus, et glorificabo eum:* Deus patris mei, et exaltabo eum.

Dominus quasi vir puguator, omnipotens nomen ejus. * Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare.

Electi principes ejus submersi sunt in mari Rubro * Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis.

Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine, dextera tua, Domine, percussit inimicum. * Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos.

Misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam.* Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ:

Stetit unda fluens,* congregatæ sunt abyssi in medio mari.

Dixit inimicus: Persequar et comprehendam: * dividam spolia, implebitur anima mea.

Evaginabo gladium meum, * interficiet eos manus mea.

Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare: * submersi suntquasi plumbum in aquis vehementibus.

Quis similis tui in fortibus, Domine? * quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?

Extendisti manum tuam, et devoravit eos terra. * Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti:

Et portasti eum in fortitudine tua,* ad habitaculum sanctum tuum.

Ascenderunt populi, et irati sunt:* dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim.

Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor:* obriguerunt omnes habitatores Chanaan.

Irruat super eos formido et pavor,* in magnitudine brachii tui.

Fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus, Domine:* donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.

Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ, * firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine:

Sanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuæ. * Dominus regnabit in æternum et ultra.

Ingressus est enim eques Pharao cum curribus et equitibus ejus in mare: * et reduxit super eos Dominus aquas maris.

Filii autem Israel ambulaverunt per siccum * in medio ejus.

Ant. Cantemus Domino gloriose.

Ant. In sanctis ejus laudate Deum.

Psalm. Laudate Dominum de coelis, *p.* 14.

Capitulum. Rom. 13.

NOX præcessit, dies autem appropinquavit: abjiciamus ergo opera tenebrarum; et induamur arma lucis: sicut in die honeste ambulemus.

HYMNUS.

LUX ecce surgit aurea,
Pallens facessat cæcitas,
Quæ nosmet in præceps diu
Errore traxit devio.

Hæc lux serenum conferat,
Purosque nos præstet sibi:
Nihil loquamur subdolum,
Volvamus obscurum nihil.

Sic tota decurrat dies,
Ne lingua mendax, ne manus
Oculive peccent lubrici,
Ne noxa corpus inquinet.

Speculator adstat desuper,
Qui nos diebus omnibus
Actusque nostros prospicit
A luce prima in vesperum.

Deo patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,

Digitized by Google

Cum Spiritu Paraclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Repleti sumus mane misericordia tua. ℟. Exultavimus, et delectati sumus.

Ad Bened. Ant. In sanctitate serviamus Domino, et liberabit nos ab inimicis nostris.

Preces quando dicendæ sunt, habentur supra in Fer. ij. p. 41.

FERIA SEXTA

AD MATUTINUM.

Invit. Adoremus Dominum, * Quoniam ipse fecit nos.

Psalm. Venite exultemus, *p. 1.*

HYMNUS.

TU, Trinitatis Unitas,
Orbem potenter quæ regis,
Attende laudis canticum
Quod excubantes psallimus.
Nam lectulo consurgimus
Noctis quieto tempore,
Ut flagitemus omnium
A te medelam vulnerum.
Quo fraude quidquid dæmonum
In noctibus deliquimus,
Abstergat illud cœlitus
Tuæ potestas gloriæ.
Ne corpus adstet sordidum,
Nec torpor instet cordium,
Nec criminis contagio
Tepescat ardor spiritus.
Ob hoc, Redemptor, quæsumus,
Reple tuo nos lumine.
Per quod dierum circulis,
Nullis ruamus actibus.
Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Exultate.
Temp. Pasch. Ant. Alleluia.

Psalmus 80.

EXULTATE Deo adjutori nostro: * jubilate Deo Jacob.
Sumite psalmum, et date tympanum, * psalterium jucundum cum cithara.
Buccinate in Neomenia tuba. * in insigni die solemnitatis vestræ.
Quia præceptum in Israel est: * et judicium Deo Jacob.
Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Ægypti: * linguam, quam non noverat, audivit.
Divertit ab oneribus dorsum ejus: * manus ejus in cophino servierunt.
In tribulatione invocasti me, et liberavi te: * exaudivi te in abscondito tempestatis: probavi te apud aquam contradictionis.
Audi, populus meus, et contestabor te: * Israel, si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.
Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: * dilata os tuum, et implebo illud.
Et non audivit populus meus vocem meam: * et Israel non intendit mihi.
Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum: * ibunt in adinventionibus suis.
Si populus meus audisset me: * Israel si in viis meis ambulasset:
Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem: * et super tribulantes eos misissem manum meam.
Inimici Domini mentiti sunt ei: * et erit tempus eorum in sæcula.
Et cibavit eos ex adipe frumenti: * et de petra, melle saturavit eos.

Psalmus 81.

DEUS stetit in synagoga deorum: * in medio autem deos dijudicat.
Usquequo judicatis iniquitatem, * et facies peccatorum sumitis?
Judicate egeno et pupillo: * humilem et pauperem justificate.
Eripite pauperem: * et egenum de manu peccatoris liberate.
Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant: * movebuntur omnia fundamenta terræ.
Ego dixi: Dii estis, * et filii Excelsi omnes.
Vos autem sicut homines moriemini: * et sicut unus de principibus cadetis.

*

Digitized by Google

Surge, Deus, judica terram: * quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.

Ant. Exultate Deo adjutori nostro.

Ant. Tu solus.

Psalmus 82.

DEUS, quis similis erit tibi? * ne taceas, neque compescaris Deus:

Quoniam ecce inimici tui sonuerunt: * et qui oderunt te, extulerunt caput.

Super populum tuum malignaverunt consilium: * et cogitaverunt adversus sanctos tuos.

Dixerunt: Venite, et disperdamus eos de gente: * et non memoretur nomen Israel ultra.

Quoniam cogitaverunt unanimiter: * simul adversum te testamentum disposuerunt, tabernacula Idumæorum et Ismahelitæ:

Moab et Agareni, Gebal et Ammon, et Amalec: * alienigenæ cum habitantibus Tyrum.

Etenim Assur venit cum illis: * facti sunt in adjutorium filiis Lot.

Fac illis sicut Madian, Sisaræ: * sicut Jabin in torrente Cisson.

Disperierunt in Endor: * facti sunt ut stercus terræ.

Pone principes eorum sicut Oreb et Zeb, * et Zebee et Salmana:

Omnes principes eorum, * qui dixerunt: Hæreditate possideamus Sanctuarium Dei.

Deus meus, pone illos ut rotam: * et sicut stipulam ante faciem venti.

Sicut ignis qui comburit silvam: * et sicut flamma comburens montes:

Ita persequeris illos in tempestate tua: * et in ira tua turbabis eos.

Imple facies eorum ignominia: * et quærent nomen tuum, Domine.

Erubescant et conturbentur in sæculum sæculi: * et confundantur et pereant.

Et cognoscant quia nomen tibi Dominus: * tu solus Altissimus in omni terra.

Psalmus 83.

QUAM dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! * concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum, * Rex meus et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine: * in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: * ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: * auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster aspice, Deus: * et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis * super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei, * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: * gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia. * Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Ant. Tu solus Altissimus super omnem terram.

Ant. Benedixisti.

Psalmus 84.

BENEDIXISTI, Domine, terram tuam: * avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ: * operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: * avertisti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos, Deus salutaris noster: * et averte iram tuam a nobis.

Numquid in æternum irasceris nobis? * aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Digitized by Google

Deus, tu conversus vivificabis nos: * et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam: * et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: * quoniam loquetur pacem in plebem suam:

Et super sanctos suos, * et in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: * ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi: * justitia et pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est: * et justitia de cœlo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: * et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: * et ponet in via gressus suos.

Psalmus 85.

INCLINA, Domine, aurem tuam, et exaudi me: * quoniam inops et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die: * lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu, Domine, suavis et mitis, * et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem meam: * et intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te, * quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis, Domine: * et non est secundum opera tua.

Omnes gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine: * et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: * tu es Deus solus.

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua: * lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, * et glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me: * et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quæsierunt animam meam: * et non proposuerunt te in cospectu suo.

Et tu, Domine, Deus miserator et misericors, * patiens, et multæ misericordiæ, et verax.

Respice in me, et miserere mei: * da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur: * quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me.

***Ant.* Benedixisti, Domine, terram tuam.**

***Ant.* Fundamenta ejus.**

Psalmus 86.

FUNDAMENTA ejus in montibus sanctis: * diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te, * civitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylonis * scientium me.

Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, * hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea, * et ipse fundavit eam Altissimus?

Dominus narrabit in scripturis populorum et principum: * horum, qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium * habitatio est in te.

Psalmus 87.

DOMINE, Deus salutis meæ, * in die clamavi et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea: * inclina aurem tuam ad precem meam:

Quia repleta est malis anima mea: * et vita mea inferno appropinquavit.

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: * factus sum sicut homo

Digitized by Google

sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori: * in tenebrosis et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me: * posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar. * oculi mei languerunt præ inopia.

Clamavi ad te, Domine, tota die: * expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia? * aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, * et veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, * et justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te, Domine, clamavi: * et mane oratio mea præveniet te.

Ut quid, Domine, repellis orationem meam, * avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: * exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.

In me transierunt iræ tuæ: * et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die: * circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum et proximum, * et notos meos a miseria.

Ant. Fundamenta ejus in montibus sanctis.

Ant. Benedictus.

Psalmus 88.

MISERICORDIAS Domini * in æternum cantabo.

In generationem et generationem * annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

Quoniam dixisti: In æternum misericordia ædificabitur in cœlis: * præparabitur veritas tua in eis.

Disposui testamentum electis meis, juravi David servo meo: * Usque in æternum præparabo semen tuum.

Et ædificabo in generationem et generationem * sedem tuam.

Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine: * etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum.

Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, * similis erit Deo in filiis Dei?

Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum: * magnus et terribilis super omnes, qui in circuitu ejus sunt.

Domine Deus virtutum, quis similis tibi? * potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo.

Tu dominaris potestati maris: * motum autem fluctuum ejus tu mitigas.

Tu humiliasti, sicut vulneratum, superbum: * in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.

Tui sunt cœli, et tua est terra, orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti: * Aquilonem et mare tu creasti.

Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt: tuum brachium cum potentia.

Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua: * justitia et judicium præparatio sedis tuæ.

Misericordia et veritas præcedent faciem tuam: * beatus populus, qui scit jubilationem.

Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exultabunt tota die: * et in justitia tua exaltabuntur.

Quoniam gloria virtutis eorum tu es: * et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

Quia Domini est assumptio nostra, * et Sancti Israel Regis nostri.

Nunc locutus es in visione sanctis tuis, et dixisti: * Posui adjutorium in potente, et exaltavi electum de plebe mea.

Inveni David servum meum: * oleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliabitur ei: * et brachium meum confortabit eum.

Nihil proficiet inimicus in eo: * et filius iniquitatis non apponet nocere ei.

Digitized by Google

Et concidam a facie ipsius inimicos ejus : * et odientes eum in fugam convertam.

Et veritas mea, et misericordia mea cum ipso : et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, * et in fluminibus dexteram ejus.

Ipse invocabit me : Pater meus es tu : * Deus meus, et susceptor salutis meæ.

Et ego primogenitum ponam illum * excelsum præ regibus terræ.

In æternum servabo illi misericordiam meam, * et testamentum meum fidele ipsi.

Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, * et thronum ejus sicut dies cœli.

Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, * et in judiciis meis non ambulaverint :

Si justitias meas profanaverint, * et mandata mea non custodierint :

Visitabo in virga iniquitates eorum, * et in verberibus peccata eorum.

Misericordiam autem meam non dispergam ab eo : * neque nocebo in veritate mea.

Neque profanabo testamentum meum : * et quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.

Semel juravi in sancto meo, si David mentiar : * semen ejus in æternum manebit.

Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, * et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis.

Tu vero repulisti et despexisti : * distulisti Christum tuum.

Avertisti testamentum servi tui : * profanasti in terra Sanctuarium ejus.

Destruxisti omnes sepes ejus : * posuisti firmamentum ejus formidinem.

Diripuerunt eum omnes transeuntes viam : * factus est opprobrium vicinis suis.

Exaltasti dexteram deprimentium eum : * lætificasti omnes inimicos ejus.

Avertisti adjutorium gladii ejus : * et non es auxiliatus ei in bello.

Destruxisti eum ab emundatione : * et sedem ejus in terram collisisti.

Minorasti dies temporis ejus : * perfudisti eum confusione.

Usquequo, Domine, avertis in finem, * exardescet sicut ignis ira tua ?

Memorare quæ mea substantia : * numquid enim vane constituisti omnes filios hominum ?

Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem : * eruet animam suam de manu inferi ?

Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, * sicut jurasti David in veritate tua ?

Memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum, * (quod continui in sinu meo) multarum gentium :

Quod exprobraverunt inimici tui, Domine : * quod exprobraverunt commutationem Christi tui.

Benedictus Dominus in æternum : * fiat, fiat.

Psalmus 93.

DEUS ultionum Dominus, * Deus ultionum libere egit.

Exaltare, qui judicas terram : * redde retributionem superbis.

Usquequo peccatores, Domine, * usquequo peccatores gloriabuntur ?

Effabuntur, et loquentur iniquitatem : * loquentur omnes, qui operantur injustitiam ?

Populum tuum, Domine, humiliaverunt : * et hæreditatem tuam vexaverunt.

Viduam et advenam interfecerunt : * et pupillos occiderunt.

Et dixerunt : Non videbit Dominus, * nec intelliget Deus Jacob.

Intelligite, insipientes in populo : * et stulti, aliquando sapite.

Qui plantavit aurem, non audiet ? * aut qui finxit oculum, non considerat ?

Qui corripit gentes, non arguet : * qui docet hominem scientiam ?

Dominus scit cogitationes hominum, * quoniam vanæ sunt.

Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, * et de lege tua docueris eum.

Ut mitiges ei a diebus malis, * donec fodiatur peccatori fovea.

Digitized by Google

Quia non repellet Dominus plebem suam : * hæreditatem suam non derelinquet.

Quoadusque justitia convertatur in judicium : * et qui juxta illam, omnes qui recto sunt corde.

Quis consurget mihi adversus malignantes ? * aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem ?

Nisi quia Dominus adjuvit me, * paulo minus habitasset in inferno anima mea.

Si dicebam : Motus est pes meus : * misericordia tua, Domine, adjuvabat me.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, * consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, * qui fingis laborem in præcepto?

Captabunt in animam justi : * et sanguinem innocentem condemnabunt.

Et factus est mihi Dominus in refugium, * et Deus meus in adjutorium spei meæ.

Et reddet illis iniquitatem ipsorum, et in malitia eorum disperdet eos : * disperdet illos Dominus Deus noster.

Ant. Benedictus Dominus in æternum.

Ant. Cantate.

Psalmus 95.

CANTATE Domino canticum novum : * cantate Domino, omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite nomini ejus : * annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter Gentes gloriam ejus, * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: * terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dii Gentium dæmonia : * Dominus autem cœlos fecit.

Confessio et pulchritudo in conspectu ejus : * sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino, patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem: * afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus : * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra : * dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur : * judicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus: * gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit : * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate, * et populos in veritate sua.

Psalmus 96.

DOMINUS regnavit, exultet terra : * lætentur insulæ multæ.

Nubes et caligo in circuitu ejus : * justitia et judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet, * et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: * vidit, et commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, * a facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cœli justitiam ejus: * et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes qui adorant sculptilia : * et qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum, omnes Angeli ejus: * audivit, et lætata est Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ, * propter judicia tua, Domine.

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram : * nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum, * custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætitia.

Lætamini, justi, in Domino : * et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

Digitized by Google

Ant. Cantate Domino, et benedicite nomini ejus.

Per Ann. ℣. Intret oratio mea in conspectu tuo, Domine. ℟. Inclina aurem tuam ad precem meam.

In Adv. ℣. Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ. ℟. De petra deserti ad montem filiæ Sion.

In Quadrag.. ℣. Scapulis suis obumbrabit tibi. ℟. Et sub pennis ejus sperabis.

Temp. Pass. ℣. De ore leonis libera me, Domine. ℟. Et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Temp. Pasch. Ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

℣. Surrexit Dominus vere, alleluia. ℟. Et apparuit Simoni, alleluia.

Pro uno vel plur. Mart. temp. Pasch. ℣. Lux perpetua lucebit sanctis tuis, Domine, alleluia. ℟. Et æternitas temporum, alleluia.

Pro uno Mart. extra temp. Pasch. ℣. Posuisti, Domine, super caput ejus. ℟. Coronam de lapide pretioso.

Pro plur. Mart. ℣. Exultent justi in conspectu Dei. ℟. Et delectentur in lætitia.

Pro Conf. Pont. ℣. Elegit eum Dominus Sacerdotem sibi. ℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Pro Conf. non Pont. ℣. Os justi meditabitur sapientiam. ℟. Et lingua ejus loquetur judicium.

Pro una Sancta. ℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in medio ejus, non commovebitur.

AD LAUDES.

Ant. Spiritu principali confirma cor meum, Deus.

Psalm. Miserere, *p.* 39.

Ant. In veritate.

Psalmus 142.

DOMINE, exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: * exaudi me in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo; * quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: * humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi: * et anxiatus est super me spiritus meus: in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: * in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: * anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me, Domine * defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me: * et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: * quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: * quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi: * doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: * et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: * quoniam ego servus tuus sum.

Ant. In veritate tua exaudi me, Domine.

Ant. Illumina, Domine, vultum tuum super nos.

Psalm. Deus Deus meus, *p.* 13.

Ant. Domine.

CANTICUM HABACUC. *Cap.* 3.

DOMINE, audivi auditionem tuam, * et timui.

Domine, opus tuum * in medio annorum vivifica illud.

In medio annorum notum facies: * cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.

Digitized by Google

Deus ab Austro veniet, * et Sanctus de monte Pharan :

Operuit cœlos gloria ejus: * et laudis ejus plena est terra.

Splendor ejus ut lux erit: * cornua in manibus ejus :

Ibi abscondita est fortitudo ejus: * ante faciem ejus ibit mors.

Et egredietur diabolus ante pedes ejus. * Stetit, et mensus est terram.

Aspexit, et dissolvit Gentes : * et contriti sunt montes sæculi.

Incurvati sunt colles mundi, * ab itineribus æternitatis ejus.

Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ : * turbabuntur pelles terræ Madian.

Numquid in fluminibus iratus es, Domine? * aut in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua?

Qui ascendes super equos tuos : * et quadrigæ tuæ salvatio.

Suscitans suscitabis arcum tuum: * juramenta tribubus, quæ locutus es:

Fluvios scindes terræ: viderunt te, et doluerunt montes : * gurges aquarum transiit.

Dedit abyssus vocem suam : * altitudo manus suas levavit

Sol et luna steterunt in habitaculo suo, * in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.

In fremitu conculcabis terram: * et in furore obstupefacies Gentes.

Egressus es in salutem populi tui: * in salutem cum Christo tuo :

Percussisti caput de domo impii : * denudasti fundamentum ejus usque ad collum.

Maledixisti sceptris ejus capiti bellatorum ejus, * venientibus ut turbo ad dispergendum me.

Exultatio eorum, * sicut ejus, qui devorat pauperem in abscondito.

Viam fecisti in mari equis tuis, * in luto aquarum multarum.

Audivi, et conturbatus est venter meus : * a voce contremuerunt labia mea.

Ingrediatur putredo in ossibus meis, * et subter me scateat.

Ut requiescam in die tribulationis: * ut ascendam ad populum acciuctum nostrum,

Ficus enim non florebit : * et non erit germen in vineis.

Mentietur opus olivæ : * et arva non afferent cibum.

Abscindetur de ovili pecus : * et non erit armentum in præsepibus.

Ego autem in Domino gaudebo : * et exultabo in Deo Jesu meo.

Deus Dominus fortitudo mea : * et ponet pedes meos quasi cervorum.

Et super excelsa mea deducet me victor * in psalmis canentem.

Ant. Domine, audivi auditum tuum, et timui.

Ant. In tympano et choro, in chordis et organo laudate Deum.

Psalm. Laudate Dominum de cœlis, *p.* 14.

Capitulum. Rom. 13.

NOX præcessit, dies autem appropinquavit : abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis : sicut in die honeste ambulemus.

HYMNUS.

ÆTERNA cœli gloria,
Beata spes mortalium,
Summi Tonantis Unice,
Castæque proles Virginis :

Da dexteram surgentibus,
Exurgat et mens sobria,
Flagrans et in laudem Dei
Grates rependat debitas.

Ortus refulget lucifer,
Præitque solem nuntius :
Cadunt tenebræ noctium :
Lux sancta nos illuminet.

Manensque nostris sensibus,
Noctem repellat sæculi ;
Omnique fine temporis
Purgata servet pectora.

Quæsita jam primum Fides,
In corde radices agat,
Secunda Spes congaudeat,
Qua major extat Charitas.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,

Digitized by Google

Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Repleti sumus mane misericordia tua. ℟. Exultavimus, et delectati sumus.

Ad Bened. Ant. Per viscera misericordiæ Dei nostri visitavit nos Oriens ex alto.

Preces quando dicendæ sunt, habentur supra in Feria ij. *p.* 41.

SABATO

AD MATUTINUM.

Invit. Dominum Deum nostrum, * Venite, adoremus.

Psalm. Venite exultemus, p. 1.

HYMNUS.

SUMMÆ Parens clementiæ,
Mundi regis qui machinam,
Unius et substantiæ,
Trinusque personis Deus:
Nostros pius cum canticis
Fletus benigne suscipe,
Ut corde puro sordium
Te perfruamur largius.
Lumbos, jecurque morbidum
Flammis adure congruis,
Accincti ut artus excubent,
Luxu remoto pessimo.
Quicumque ut horas noctium
Nunc concinendo rumpimus,
Ditemur omnes affatim
Donis beatæ patriæ.
Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum. Amen;
Ant. Quia mirabilia.
Temp. Pasch. Ant. Alleluia.

Psalmus 97.

CANTATE Domino canticum novum: * quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus, * et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum: * in conspectu Gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ, * et veritatis suæ domui Israel.

Viderunt omnes termini terræ, * salutare Dei nostri.

Jubilate Deo, omnis terra, * cantate, et exultate, et psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi: * in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.

Jubilate in conspectu Regis Domini: * moveatur mare et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu simul montes exultabunt a conspectu Domini: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia, et populos in æquitate.

Psalmus 98.

DOMINUS regnavit irascantur populi: * qui sedet super Cherubim, moveatur terra.

Dominus in Sion magnus: * et excelsus super omnes populos.

Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile et sanctum est: * et honor regis judicium diligit.

Tu parasti directiones: * judicium et justitiam in Jacob tu fecisti.

Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus: * quoniam sanctum est.

Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus: * et Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus.

Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos: * in columna nubis loquebatur ad eos.

Custodiebant testimonia ejus, * et præceptum quod dedit illis.

Domine Deus noster, tu exaudiebas eos: * Deus, tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum.

Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus: * quoniam sanctus Dominus Deus noster.

Ant. Quia mirabilia fecit Dominus.

Sequens Ant. et Psalm. Jubilate, *hic prætermittitur quando dicitur in Laud. ut in Sabbatis in quibus fit offic. de S. Maria, et in Vig. Nativ. Domini in Sabbato occurrente, et ejus*

Digitized by Google

loco dicitur Ant. et Psalm. Bonum est confiteri Domino, *ut infra.*

Ant. Jubilate.

Psalmus 99.

JUBILATE Deo, omnis terra: * servite Domino in lætitia.

Introite in conspectu ejus,* in exultatione.

Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: * ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Populus ejus, et oves pascuæ ejus, * introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis: confitemini illi.

Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia ejus,* et usque in generationem et generationem veritas ejus.

Vel Ant. Bonum est confiteri Domino. *Idem Psalm. ut infra ad Laudes,* pag. 83.

Psalmus 100.

MISERICORDIAM et judicium* cantabo tibi, Domine:

Psallam, et intelligam in via immaculata, * quando venies ad me.

Perambulabam in innocentia cordis mei, * in medio domus meæ.

Non proponebam ante oculos meos rem injustam: * facientes prævaricationes odivi.

Non adhæsit mihi cor pravum: * declinantem a me malignum non cognoscebam.

Detrahentem secreto proximo suo, * hunc persequebar.

Superbo oculo, et insatiabili corde, * cum hoc non edebam.

Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum: * ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.

Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam: * qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.

In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: * ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.

Ant. Jubilate Deo, omnis terra. *Vel* Bonum est confiteri Domino.

Ant. Clamor meus.

Psalmus 101.

DOMINE, exaudi orationem meam, * et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me: * in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacumque die invocavero te, * velociter exaudi me:

Quia defecerunt sicut fumus dies mei: * et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum: * quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei, * adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum pellicano solitudinis: * factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi, * et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: * et qui laudabant me, adversum me jurabant.

Quia cinerem tamquam panem manducabam, * et potum meum cum fletu miscebam.

A facie iræ et indignationis tuæ: * quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt: * et ego sicut fœnum arui.

Tu autem, Domine, in æternum permanes: * et memoriale tuum in generationem et generationem.

Tu exurgens misereberis Sion: * quia tempus miserendi ejus quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus: * et terræ ejus miserebuntur.

Et timebunt Gentes nomen tuum, Domine, * et omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion, * et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium: * et non sprevit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione alte-

Digitized by Google

ra : * et populus, qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo : * Dominus de cœlo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum: * ut solveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini, * et laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum, * et reges ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suæ : * Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum : * in generationem et generationem anni tui.

Initio tu, Domine, terram fundasti: * et opera manuum tuarum sunt cœli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes : * et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut operiorium mutabis eos, et mutabuntur : * tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt: * et semen eorum in sæculum dirigetur.

Psalmus 102.

BENEDIC, anima mea, Domino: * et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

Benedic, anima mea, Domino: * et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis : * qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam : * qui coronat te in misericordia et miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum : * renovabitur ut aquilæ juventus tua.

Faciens misericordias Dominus : * et judicium omnibus injuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi, * filiis Israel voluntates tuas.

Miserator, et misericors Dominus: * longanimis et multum misericors.

Non in perpetuum irascetur : * neque in æternum comminabitur.

Non secundum peccata nostra fecit nobis : * neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam secundum altitudinem cœli a terra, * corroboravit misericordiam suam super timentes se.

Quantum distat ortus ab occidente : * longe fecit a nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: * quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Recordatus est quoniam pulvis sumus : * homo sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri, sic efflorebit.

Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet : * et non cognoscet amplius locum suum.

Misericordia autem Domini ab æterno, * et usque in æternum super timentes eum.

Et justitia illius in filios filiorum, * his qui servant testamentum ejus :

Et memores sunt mandatorum ipsius, * ad faciendum ea.

Dominus in cœlo paravit sedem suam, * et regnum ipsius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino, omnes Angeli ejus : * potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

Benedicite Domino, omnes virtutes ejus : * ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Domino, omnia opera ejus : * in omni loco dominationis ejus benedic, anima mea, Domino.

Ant. Clamor meus ad te veniat, Deus.

Ant. Benedic.

Psalmus 103.

BENEDIC, anima mea, Domino : * Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.

Confessionem et decorem induisti, * amictus lumine sicut vestimento :

Extendens cœlum sicut pellem, * qui tegis aquis superiora ejus.

Qui ponis nubem ascensum tuum, *

Digitized by Google

qui ambulas super pennas ventorum.

Qui facis angelos tuos, spiritus : * et ministros tuos , ignem urentem.

Qui fundasti terram super stabilitatem suam : * non inclinabitur in sæculum sæculi.

Abyssus, sicut vestimentum , amictus ejus:*super montes stabunt aquæ.

Ab increpatione tua fugient : * a voce tonitrui tui formidabunt.

Ascendunt montes , et descendunt campi * in locum, quem fundasti eis.

Terminum posuisti,quem non transgredientur : * neque convertentur operire terram.

Qui emittis fontes in convallibus: * inter medium montium pertransibunt aquæ.

Potabunt omnes bestiæ agri : * expectabunt onagri in siti sua.

Super ea volucres cœli habitabunt: * de medio petrarum dabunt voces.

Rigans montes de superioribus suis : * de fructu operum tuorum satiabitur terra.

Producens fœnum jumentis , * et herbam servituti hominum :

Ut educas panem de terra , * et vinum lætificet cor hominis :

Ut exhilaret faciem in oleo, * et panis cor hominis confirmet.

Saturabuntur ligna campi, et cedri Libani , quas plantavit : * illic passeres nidificabunt.

Herodii domus dux est eorum : * montes excelsi cervis , petra refugium herinaciis.

Fecit lunam in tempora : * sol cognovit occasum suum.

Posuisti tenebras, et facta est nox: * in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ.

Catuli leonum rugientes, ut rapiant,* et quærant a Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregati sunt : * et in cubilibus suis collocabuntur.

Exibit homo ad opus suum : * et ad operationem suam usque ad vesperum.

Quam magnificata sunt opera tua, Domine : * omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua.

Hoc mare magnum , et spatiosum manibus : * illic reptilia, quorum non est numerus.

Animalia pusilla cum magnis : * illic naves pertransibunt.

Draco iste, quem formasti ad illudendum ei : * omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore.

Dante te illis, colligent : * aperiente te manum tuam , omnia implebuntur bonitate.

Avertente autem te faciem, turbabuntur : * auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur.

Emittes spiritum tuum , et creabuntur : * et renovabis faciem terræ.

Sit gloria Domini in sæculum : * lætabitur Dominus in operibus suis.

Qui respicit terram , et facit eam tremere : * qui tangit montes, et fumigant.

Cantabo Domino in vita mea : * psallam Deo meo quamdiu sum.

Jucundum sit ei eloquium meum : * ego vero delectabor in Domino.

Deficiant peccatores a terra, et iniqui ita ut non sint : * benedic anima mea , Domino.

Psalmus 104.

CONFITEMINI Domino, et invocate nomen ejus : annuntiate inter Gentes opera ejus.

Cantate ei, et psallite ei : * narrate omnia mirabilia ejus.

Laudamini in nomine sancto ejus: * lætetur cor quærentium Dominum.

Quærite Dominum, et confirmamini : * quærite faciem ejus semper.

Mementote mirabilium ejus , quæ fecit , * prodigia ejus , et judicia oris ejus.

Semen Abraham, servi ejus : * filii Jacob , electi ejus.

Ipse Dominus Deus noster : * in universa terra judicia ejus.

Memor fuit in sæculum testamenti sui: * verbi , quod mandavit in mille generationes :

Quod disposuit ad Abraham : * et juramenti sui ad Isaac :

Digitized by Google

Et statuit illud Jacob in præceptum : * et Israël in testamentum æternum :

Dicens: Tibi dabo terram Chanaan, * funiculum hæreditatis vestræ.

Cum essent numero brevi, * paucissimi et incolæ ejus :

Et pertransierunt de gente in gentem, * et de regno ad populum alterum.

Non reliquit hominem nocere eis : * et corripuit pro eis reges.

Nolite tangere christos meos : * et in prophetis meis nolite malignari.

Et vocavit famem super terram : * et omne firmamentum panis contrivit.

Misit ante eos virum : * in servum venundatus est Joseph.

Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus, * donec veniret verbum ejus.

Eloquium Domini inflammavit eum: * misit rex, et solvit eum ; princeps populorum, et dimisit eum.

Constituit eum dominum domus suæ : * et principem omnis possessionis suæ.

Ut erudiret principes ejus sicut semetipsum : * et senes ejus prudentiam doceret.

Et intravit Israel in Ægyptum : * et Jacob accola fuit in terra Cham.

Et auxit populum suum vehementer : * et firmavit eum super inimicos ejus.

Convertit cor eorum ut odirent populum ejus : * et dolum facerent in servos ejus.

Misit Moysen servum suum : * Aaron quem elegit ipsum.

Posuit in eis verba signorum suorum, * et prodigiorum in terra Cham.

Misit tenebras, et obscuravit : * et non exacerbavit sermones suos.

Convertit aquas eorum in sanguinem : * et occidit pisces eorum.

Edidit terra eorum ranas * in penetralibus regum ipsorum.

Dixit, et venit cœnomya, * et cinifes in omnibus finibus eorum.

Posuit pluvias eorum grandinem, * ignem comburentem in terra ipsorum,

Et percussit vineas eorum, et ficulneas eorum : et contrivit lignum finium eorum.

Dixit, et venit locusta, et bruchus, * cujus non erat numerus :

Et comedit omne fœnum in terra eorum : et comedit omnem fructum terræ eorum.

Et percussit omne primogenitum in terra eorum: * primitias omnis laboris eorum.

Et eduxit eos cum argento et auro : * et non erat in tribubus eorum infirmus.

Lætata est Ægyptus in profectione eorum: * quia incubuit timor eorum super eos.

Expandit nubem in protectionem eorum, * et ignem ut luceret eis per noctem.

Petierunt, et venit coturnix : * et pane cæli saturavit eos.

Dirupit petram, et fluxerunt aquæ: * abierunt in sicco flumina :

Quoniam memor fuit verbi sancti sui, * quod habuit ad Abraham puerum suum.

Et eduxit populum suum in exultatione, * et electos suos in lætitia.

Et dedit illis regiones Gentium : * et labores populorum possederunt :

Ut custodiant justificationes ejus, * et legem ejus requirant.

Ant. Benedic, anima mea. Domino.

Ant. Visita nos.

Psalmus 105.

CONFITEMINI Domino quoniam bonus : * quoniam in sæculum misericordia ejus.

Quis loquetur potentias Domini, * auditas faciet omnes laudes ejus?

Beati qui custodiunt judicium : * et faciunt justitiam in omni tempore.

Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui : * visita nos in salutari tuo :

Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ : * ut lauderis cum hæreditate tua.

Peccavimus cum patribus nostris: * injuste egimus, iniquitatem fecimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua : * non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ

Et irritaverunt ascendentes in mare , * mare Rubrum.

Et salvavit eos propter nomen suum , * ut notam faceret potentiam suam.

Et increpuit mare Rubrum, et exsiccatum est : * et deduxit eos in abyssis sicut in deserto.

Et salvavit eos de manu odientium: * et redemit eos de manu inimici.

Et operuit aqua tribulantes eos : * unus ex eis non remansit.

Et crediderunt verbis ejus : * et laudaverunt laudem ejus.

Cito fecerunt , obliti sunt operum ejus : * et non sustinuerunt consilium ejus.

Et concupierunt concupiscentiam in deserto : * et tentaverunt Deum in inaquoso.

Et dedit eis petitionem ipsorum : * et misit saturitatem in animas eorum.

Et irritaverunt Moysen in castris, * Aaron sanctum Domini.

Aperta est terra , et deglutivit Dathan : * et operuit super congregationem Abiron.

Et exarsit ignis in synagoga eorum: * flamma combussit peccatores.

Et fecerunt vitulum in Horeb : * et adoraverunt sculptile.

Et mutaverunt gloriam suam * in similitudinem vituli comedentis fœnum

Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, * qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro.

Et dixit, ut disperderet eos:* si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus :

Ut averteret iram ejus, ne disperderet eos : * et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.

Non crediderunt verbo ejus, et murmuraverunt in tabernaculis suis : * non exaudierunt vocem Domini.

Et elevavit manum suam super eos: * ut prosterneret eos in deserto :

Et ut dejiceret semen eorum in nationibus : * et dispergeret eos in regionibus.

Et initiati sunt Beelphegor : * et comederunt sacrificia mortuorum.

Et irritaverunt eum in adinventionibus suis : * et multiplicata est in eis ruina.

Et stetit Phinees, et placavit : * et cessavit quassatio.

Et reputatum est ei in justitiam, * in generationem et generationem usque in sempiternum.

Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis : * et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus.

Et distinxit in labiis suis: * non disperdiderunt Gentes, quas dixit Dominus illis.

Et commixti sunt inter Gentes , et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum : * et factum est illis in scandalum.

Et immolaverunt filios suos , * et filias suas dæmoniis.

Et effuderunt sanguinem innocentem , * sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.

Et infecta est terra in sanguinibus, et contaminata est in operibus eorum: * et fornicati sunt in adinventionibus suis.

Et iratus est furore Dominus in populum suum : * et abominatus est hæreditatem suam.

Et tradidit eos in manus Gentium : * et dominati sunt eorum, qui oderunt eos.

Et tribulaverunt eos inimici eorum, et humiliati sunt sub manibus eorum:* sæpe liberavit eos.

Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo : * et humiliati sunt in iniquitatibus suis.

Et vidit cum tribularentur : * et audivit orationem eorum.

Et memor fuit testamenti sui : * et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ.

Et dedit eos in misericordias, * in conspectu omnium, qui ceperant eos.

Salvos nos fac , Domine Deus no-

Digitized by Google

ster :* et congrega nos de nationibus,

Ut confiteamur nomini sancto tuo:* et gloriemur in laude tua.

Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo et usque in seculum : * et dicet omnis populus : Fiat , fiat.

Psalmus 106.

CONFITEMINI Domino, quoniam bonus : * quoniam in seculum misericordia ejus.

Dicant qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici: * et de regionibus congregavit eos.

A solis ortu et occasu : * ab Aquilone et mari.

Erraverunt in solitudine in inaquoso :* viam civitatis habitaculi non invenerunt.

Esurientes et sitientes, * anima eorum in ipsis defecit.

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur , * et de necessitatibus eorum eripuit eos.

Et deduxit eos in viam rectam : * ut irent in civitatem habitationis.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus :* et mirabilia ejus filiis hominum.

Quia satiavit animam inanem : * et animam esurientem satiavit bonis :

Sedentes in tenebris et umbra mortis:* vinctos in mendicitate et ferro.

Quia exacerbaverunt eloquia Dei : * et consilium Altissimi irritaverunt.

Et humiliatum est in laboribus cor eorum : * infirmati sunt , nec fuit qui adjuvaret.

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur , * et de necessitatibus eorum liberavit eos.

Et eduxit eos de tenebris , et umbra mortis: * et vincula eorum disrupit.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus : * et mirabilia ejus filiis homi. num.

Quia contrivit portas æreas : * et vectes ferreos confregit.

Suscepit eos de via iniquitatis eorum : * propter injustitias enim suas humiliati sunt.

Omnem escam abominata est anima eorum : * et appropinquaverunt usque ad portas mortis.

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur , * et de necessitatibus eorum liberavit eos.

Misit verbum suum, et sanavit eos: * et eripuit eos de interitionibus eorum.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus : * et mirabilia ejus filiis hominum.

Et sacrificent sacrificium laudis : * et annuntient opera ejus in exultatione.

Qui descendunt mare in navibus, * facientes operationem in aquis multis :

Ipsi viderunt opera Domini , * et mirabilia ejus in profundo.

Dixit, et stetit spiritus procellæ : * et exaltati sunt fluctus ejus.

Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos : * anima eorum in malis tabescebat.

Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius: * et omnis sapientia eorum devorata est.

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur , * et de necessitatibus eorum eduxit eos.

Et statuit procellam ejus in auram: * et siluerunt fluctus ejus.

Et lætati sunt quia siluerunt : * et deduxit eos in portum voluntatis eorum.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus:* et mirabilia ejus filiis hominum.

Et exaltent eum in ecclesia plebis: * et in cathedra seniorum laudent eum.

Posuit flumina in desertum , * et exitus aquarum in sitim :

Terram fructiferam in salsuginem, * a malitia inhabitantium in ea.

Posuit desertum in stagna aquarum : *et terram sine aqua in exitus aquarum.

Et collocavit illic esurientes : * et constituerunt civitatem habitationis.

Et seminaverunt agros , et plantaverunt vineas : * et fecerunt fructum nativitatis.

Et benedixit eis, et multiplicati sunt nimis : * et jumenta eorum non minoravit.

Et pauci facti sunt : * et vexati sunt a tribulatione malorum et dolore.

Digitized by Google

Effusa est contemptio super principes : * et errare fecit eos in invio, et non in via.

Et adjuvit pauperem de inopia : * et posuit sicut oves familias.

Videbunt recti, et lætabuntur : * et omnis iniquitas oppilabit os suum.

Quis sapiens ? et custodiet hæc , * et intelliget misericordias Domini.

Ant. Visita nos, Domine, in salutari tuo.

Ant. Confitebor Domino.

Psalmus 107.

PARATUM cor meum, Deus, paratum cor meum : * cantabo et psallam in gloria mea.

Exurge , gloria mea, exurge, psalterium et cithara : * exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis, Domine: * et psallam tibi in nationibus.

Quia magna est super cœlos misericordia tua : * et usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super cælos, Deus, et super omnem terram gloria tua : * ut liberentur dilecti tui.

Salvum fac dextera tua, et exaudi me : * Deus locutus est in sancto suo :

Exultabo, et dividam Sichimam, * et convallem tabernaculorum dimetiar.

Meus est Galaad, et meus est Manasses : * et Ephraim susceptio capitis mei.

Juda Rex meus : * Moab lebes spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum : * mihi alienigenæ amici facti sunt.

Quis deducet me in civitatem munitam ? * quis deducet me usque in Idumæam ?

Nonne tu, Deus, qui repulisti nos, * et non exibis, Deus, in virtutibus nostris ?

Da nobis auxilium de tribulatione:* quia vana salus hominis.

In Deo faciemus virtutem : * et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.

Psalmus 108.

DEUS , laudem meam ne tacueris : * quia os peccatoris , et os dolosi super me apertum est.

Locuti sunt adversum me lingua dolosa , et sermonibus odii circumdederunt me : * et expugnaverunt me gratis.

Pro eo ut me diligerent , detrahebant mihi : * ego autem orabam.

Et posuerunt adversum me mala pro bonis , * et odium pro dilectione mea.

Constitue super eum peccatorem : * et diabolus stet a dextris ejus.

Cum judicatur , exeat condemnatus : * et oratio ejus fiat in peccatum.

Fiant dies ejus pauci , et episcopatum ejus accipiat alter.

Fiant filii ejus orphani , * et uxor ejus vidua.

Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent : * et ejiciantur de habitationibus suis.

Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus : * et diripiant alieni labores ejus.

Non sit illi adjutor : * nec sit qui misereatur pupillis ejus.

Fiant nati ejus in interitum : * in generatione una deleatur nomen ejus.

In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini : * et peccatum matris ejus non deleatur.

Fiant contra Dominum semper , et dispereat de terra memoria eorum : * pro eo quod non est recordatus facere misericordiam.

Et persecutus est hominem inopem et mendicum , * et compunctum corde mortificare.

Et dilexit maledictionem , et veniet ei : * et noluit benedictionem , et elongabitur ab eo.

Et induit maledictionem sicut vestimentum , * et intravit sicut aqua in interiora ejus , et sicut oleum in ossibus ejus.

Fiat ei sicut vestimentum , quo operitur : * et sicut zona , qua semper præcingitur.

Digitized by Google

Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum: * et qui loquuntur mala adversus animam meam.

Et tu, Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum: * quia suavis est misericordia tua.

Libera me, quia egenus et pauper ego sum: * et cor meum conturbatum est intra me.

Sicut umbra cum declinat, ablatus sum: * et excussus sum sicut locustæ.

Genua mea infirmata sunt a jejunio: * et caro mea immutata est propter oleum.

Et ego factus sum opprobrium illis: * viderunt me, et moverunt capita sua.

Adjuva me, Domine Deus meus: * salvum me fac secundum misericordiam tuam.

Et sciant quia manus tua hæc: * et tu, Domine, fecisti eam.

Maledicent illi, et tu benedices: * qui insurgunt in me confundantur: servus autem tuus lætabitur.

Induantur, qui detrahunt mihi, pudore: * et operiantur sicut diploide confusione sua.

Confitebor Domino nimis in ore meo: * et in medio multorum laudabo eum

Quia astitit a dextris pauperis, * ut salvam faceret a persequentibus animam meam.

Ant. Confitebor Domino nimis in ore meo.

Per Ann. ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

In Adv. ℣. Egredietur Dominus de loco sancto suo. ℟. Veniet ut salvet populum suum.

In Quadrag. ℣. Scuto circumdabit te veritas ejus. ℟. Non timebis a timore nocturno.

Temp. Pass. ℣. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam. ℟. Et cum viris sanguinum vitam meam.

Temp. Pasch. Ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

℣. Gavisi sunt discipuli, alleluia. ℟. Viso Domino, alleluia.

Pro B. Maria. ℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

AD LAUDES.

Ant. Benigne fac in bona voluntate tua, Domine.

Psalm. Miserere, *p.* 39.

Ant. Bonum est.

Psalmus 91.

BONUM est confiteri Domino, * et psallere nomini tuo, Altissime.

Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, * et veritatem tuam per noctem:

In decachordo psalterio * cum cantico in cithara.

Quia delectasti me, Domine, in factura tua: * et in operibus manuum tuarum exultabo.

Quam magnificata sunt opera tua, Domine! * nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

Vir insipiens non cognoscet: * et stultus non intelliget hæc.

Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum: * et apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem:

Ut intereant in sæculum sæculi: * tu autem Altissimus in æternum, Domine.

Quoniam ecce inimici tui, Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt: * et dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem.

Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum: * et senectus mea in misericordia uberi.

Et despexit oculus meus inimicos meos: * et in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.

Justus ut palma florebit: * sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Plantati in domo Domini, * in atriis domus Dei nostri florebunt.

Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi: * et bene patientes erunt, ut annuntient:

Quoniam rectus Dominus Deus noster: * et non est iniquitas in eo.

Digitized by Google

Ant. Bonum est confiteri Domino.

Ant. Metuant Dominum omnes fines terræ.

Psalm. Deus Deus meus, *p.* 13.

Ant. Date magnitudinem.

CANTICUM MOYSI. *Deut.* 32.

AUDITE, cœli, quæ loquor; * audiat terra verba oris mei.

Concrescat ut pluvia doctrina mea; * fluat ut ros eloquium meum,

Quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina. * Quia nomen Domini invocabo:

Date magnificentiam Deo nostro. * Dei perfecta sunt opera, et omnes viæ ejus judicia.

Deus fidelis, et absque ulla iniquitate, justus et rectus. * Peccaverunt ei, et non filii ejus in sordibus:

Generatio prava atque perversa. * Hæccine reddis Domino, populestulte et insipiens?

Numquid non ipse est pater tuus, * qui possedit te, et fecit, et creavit te?

Memento dierum antiquorum, * cogita generationes singulas:

Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; * majores tuos, et dicent tibi.

Quando dividebat Altissimus gentes: * quando separabat filios Adam,

Constituit terminos populorum, * juxta numerum filiorum Israel.

Pars autem Domini populus ejus: * Jacob funiculus hæreditatis ejus.

Invenit eum in terra deserta, * in loco horroris, et vastæ solitudinis:

Circumduxit eum, et docuit: * et custodivit quasi pupillam oculi sui.

Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, * et super eos volitans,

Expandit alas suas, et assumpsit eum, * atque portavit in humeris suis.

Dominus solus dux ejus fuit: * et non erat cum eo deus alienus.

Constituit eum super excelsam terram, * ut comederet fructus agrorum.

Ut sugeret mel de petra, * oleumque de saxo durissimo:

Butyrum de armento, et lac de ovibus * cum adipe agnorum et arietum filiorum Basan:

Et hircos cum medulla tritici, * et sanguinem uvæ biberet meracissimum.

Incrassatus est dilectus, et recalcitravit: * incrassatus, impinguatus, dilatatus,

Dereliquit Deum factorem suum: * et recessit a Deo salutari suo.

Provocaverunt eum in diis alienis, * et in abominationibus ad iracundiam concitaverunt.

Immolaverunt dæmoniis, et non Deo: * diis, quos ignorabant:

Novi recentesque venerunt, * quos non coluerunt patres eorum.

Deum, qui te genuit, dereliquisti, * et oblitus es Domini creatoris tui.

Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est: * quia provocaverunt eum filii sui et filiæ.

Et ait: Abscondam faciem meam ab eis, * et considerabo novissima eorum:

Generatio enim perversa est, * et infideles filii.

Ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat deus, * et irritaverunt in vanitatibus suis:

Et ego provocabo eos in eo, qui non est populus, * et in gente stulta irritabo illos.

Ignis succensus est in furore meo, * et ardebit usque ad inferni novissima.

Devorabitque terram cum germine suo, * et montium fundamenta comburet.

Congregabo super eos mala: * et sagittas meas complebo in eis.

Consumentur fame, * et devorabunt eos aves morsu amarissimo.

Dentes bestiarum immittam in eos * cum furore trahentium super terram, atque serpentium.

Foris vastabit eos gladius, et intus pavor, * juvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene.

Dixi: Ubinam sunt? * cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.

Sed propter iram inimicorum distuli: * ne forte superbirent hostes eorum.

Et dicerent: Manus nostra excel-

Digitized by Google

sa, et non Dominus, * fecit hæc omnia.

Gens absque consilio est, et sine prudentia. * Utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent!

Quomodo persequatur unus mille,* et duo fugent decem millia?

Nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos, * et Dominus conclusit illos?

Non enim est Deus noster ut dii eorum: * et inimici nostri sunt judices.

De vinea Sodomorum, vinea eorum, * et de suburbanis Gomorrhæ:

Uva eorum uva fellis, * et botri amarissimi.

Fel draconum vinum eorum, * et venenum aspidum insanabile.

Nonne hæc condita sunt apud me,* et signata in thesauris meis?

Mea est ultio, et ego retribuam in tempore, * ut labatur pes eorum.

Juxta est dies perditionis, * et adesse festinant tempora.

Judicabit Dominus populum suum * et in servis suis miserebitur.

Videbit quod infirmata sit manus: * et clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt.

Et dicet: Ubi sunt dii eorum, * in quibus habebant fiduciam?

De quorum victimis comedebant adipes, * et bibebant vinum libaminum:

Surgant, et opitulentur vobis, * et in necessitate vos protegant.

Videte quod ego sim solus: * et non sit alius deus præter me:

Ego occidam, et ego vivere faciam: percutiam, et ego sanabo, * et non est qui de manu mea possit eruere.

Levabo ad cœlum manum meam, et dicam: * Vivo ego in æternum.

Si acuero ut fulgur gladium meum, * et arripuerit judicium manus mea:

Reddam ultionem hostibus meis, * et his, qui oderunt me, retribuam.

Inebriabo sagittas meas sanguine, * et gladius meus devorabit carnes.

De cruore occisorum, * et de captivitate, nudati inimicorum capitis.

Laudate, Gentes, populum ejus: * quia sanguinem servorum suorum ulciscetur:

Et vindictam retribuet in hostes eorum, * et propitius erit terræ populi sui.

Ant. Date magnitudinem Deo nostro.

Ant. In cymbalis bene sonantibus laudate Deum.

Psalm. Laudate Dominum de cœlis, *p.* 14.

Capitulum. Rom. 13.

NOX præcessit, dies autem appropinquavit: abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis: sicut in die honeste ambulemus.

HYMNUS.

AURORA jam spargit polum,
Terris dies illabitur,
Lucis resultat spiculum,
Discedat omne lubricum.

Phantasma noctis exulet,
Mentis reatus corruat:
Quidquid tenebris horridum
Nox attulit culpæ, cadat.

Et mane, quod nos ultimum
Hic deprecamur cernui,
Cum luce nobis effluat,
Hoc dum canore concrepat.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Repleti sumus mane misericordia tua. ℟. Exultavimus, et delectati sumus.

Ad Bened. Ant. Illumina, Domine, his qui in tenebris sedent, et dirige pedes nostros in viam pacis, Deus Israel.

Preces quando dicendæ sunt, habentur supra in Feria ij, p. 41.

DOMINICA

AD VESPERAS.

Pater noster. Ave Maria. ℟. Deus in adjutorium.

Ant. Dixit Dominus.

Digitized by Google

Temp. Pasch. Ant. Alleluia, *sub qua sola Ant. dicuntur omnes Psalm. Vesp., tam in Dom., quam in Fer.*

Psalmus 109.

DIXIT Dominus Domino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimicos tuos, * scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion : * dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum : * ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus et non pœnitebit eum : * Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis, * confregit in die iræ suæ reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas : * conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet : * propterea exaltabit caput.

Ant. Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis.

Ant. Fidelia.

Psalmus 110.

CONFITEBOR tibi, Domine, in toto corde meo : * in consilio justorum, et congregatione.

Magna opera Domini : * exquisita in omnes voluntates ejus.

Confessio et magnificentia opus ejus : * et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus : * escam dedit timentibus se.

Memor erit in saeculum testamenti sui : * virtutem operum suorum annuntiabit populo suo :

Ut det illis hæreditatem Gentium : * opera manuum ejus veritas et judicium.

Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in sæculum sæculi, * facta in veritate et æquitate.

Redemptionem misit populo suo : * mandavit in æternum testamentum suum.

Sanctum et terribile nomen ejus : * initium sapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum : * laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

Ant. Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in sæculum sæculi.

Ant. In mandatis.

Psalmus 111.

BEATUS vir, qui timet Dominum : * in mandatis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus, * generatio rectorum benedicetur.

Gloria et divitiæ in domo ejus, * et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Exortum est in tenebris lumen rectis : * misericors, et miserator, et justus.

Jucundus homo, qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio : * quia in æternum non commovebitur.

In memoria æterna erit justus : * ab auditione mala non timebit.

Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus : * non commovebitur donec despiciat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi : * cornu ejus exaltabitur in gloria.

Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet : * desiderium peccatorum peribit.

Ant. In mandatis ejus cupit nimis.

Ant. Sit nomen Domini.

Psalmus 112.

LAUDATE, pueri, Dominum : * laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum, * laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes dominus, * et super cœlos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, * et humilia respicit in cœlo et in terra?

Digitized by Google

Suscitans a terra inopem, * et de stercore erigens pauperem :

Ut collocet eum cum principibus, * cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo, * matrem filiorum lætantem.

Ant. Sit nomen Domini benedictum in sæcula.

Ant. Nos, qui vivimus.

Psalmus 113.

IN exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro :

Facta est Judæa sanctificatio ejus, * Israel potestas ejus.

Mare vidit, et fugit : * Jordanis conversus est retrorsum.

Montes exultaverunt ut arietes : * et colles sicut agni ovium.

Quid est tibi, mare, quod fugisti? * et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum ?

Montes, exultastis sicut arietes? * et colles, sicut agni ovium ?

A facie Domini mota est terra, * a facie Dei jacob :

Qui convertit petram in stagna aquarum, * et rupem in fontes aquarum.

Non nobis, Domine, non nobis, * sed nomini tuo da gloriam :

Super misericordia tua, et veritate tua: * ne quando dicant Gentes : Ubi est Deus eorum ?

Deus autem noster in cœlo : * omnia quæcumque voluit, fecit.

Simulacra Gentium argentum et aurum, * opera manuum hominum.

Os habent, et non loquentur : * oculos habent, et non videbunt.

Aures habent, et non audient : * nares habent, et non odorabunt.

Manus habent, et non palpabunt: pedes habent, et non ambulabunt : * non clamabunt in gutture suo.

Similes illis fiant qui faciunt ea: * et omnes qui confidunt in eis.

Domus Israel speravit in Domino: * adjutor eorum, et protector eorum est.

Domus Aaron speravit in Domino : * adjutor eorum, et protector eorum est.

Qui timent Dominum, speraverunt in Domino : * adjutor eorum, et protector eorum est.

Dominus memor fuit nostri, * et benedixit nobis.

Benedixit domui Israel : * benedixit domui Aaron.

Benedixit omnibus, qui timent Dominum, * pusillis cum majoribus

Adjiciat Dominus super vos : * super vos, et super filios vestros.

Benedicti vos a Domino, * qui fecit cœlum et terram.

Cœlum cæli Domino : * terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt te, Domine: * neque omnes, qui descendunt in infernum,

Sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

Ant. Nos, qui vivimus, benedicimus Domino.

Temp. Pasch. Ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

Capitulum. 2. Cor. I.

BENEDICTUS Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

HYMNUS.

LUCIS Creator optime
Lucem dierum proferens,
Primordiis lucis novæ,
Mundi parans originem.
Qui mane junctum vesperi
Diem vocari præcipis,
Illabitur tetrum chaos,
Audi preces cum fletibus.
Ne mens gravata crimine,
Vitæ sit exul munere,
Dum nil perenne cogitat,
Seseque culpis illigat.
Cœleste pulset ostium,
Vitale tollat præmium,
Vitemus omne noxium,
Purgemus omne pessimum.
Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Digitized by Google

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea. ℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

Prædictus Hymnus cum suo ℣. dicitur a Dom. II. post Epiph. usque ad Dom. I. Quadrag., et a Dom. III. post Pentec. usque ad Adv. Capit. vero prædictum dicitur in eisdem Dom. post Pentec. et Epiph. usque ad Septuag. tantum. Dicitur etiam in fer. Offic. ab Oct. Pentec. usque ad Adv. et ab Oct. Epiph. usque ad Dom. I. Quadrag. Similiter et ℣. Ant. autem cum Psalmis semper dicuntur ut supra, quando fit Offic. de Dom. exceptis Dom. Adv., quæ habent Ant. proprias.

CANTICUM B. M. VIRGINIS.
Luc. I.

MAGNIFICAT * anima mea Dominum:

Et exultavit spiritus meus* in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ:* ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est:* et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progenies* timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo:* dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede,* et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis,* et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum,* recordatus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros,* Abraham, et semini ejus in sæcula.

Gloria Patri, et Filio.

Deinde dicitur Ant. et Oratio propria.

FERIA SECUNDA
AD VESPERAS

Ant. Inclinavit.

Temp. Pasch. Ant. Alleluia.

Psalmus 114.

DILEXI, quoniam exaudiet Dominus* vocem orationis meæ.

Quia inclinavit aurem suam mihi:* et in diebus meis invocabo.

Circumdederunt me dolores mortis:* et pericula inferni invenerunt me.

Tribulationem et dolorem inveni:* et nomen Domini invocavi.

O Domine, libera animam meam:* misericors Dominus et justus, et Deus noster miseretur.

Custodiens parvulos Dominus:* humiliatus sum, et liberavit me.

Convertere, anima mea, in requiem tuam:* quia Dominus benefecit tibi.

Quia eripuit animam meam de morte,* oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.

Placebo Domino* in regione vivorum.

Ant. Inclinavit Dominus aurem suam mihi.

Ant. Credidi.

Psalmus 115.

CREDIDI, propter quod locutus sum:* ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo:* Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino,* pro omnibus quæ retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam,* et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus:* pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus:* ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea:* tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus:* in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem.

Ant. Credidi, propter quod locutus sum.

Ant. Laudate.

Psalmus 116.

LAUDATE Dominum, omnes gentes:* laudate eum, omnes populi:

Digitized by Google

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: * et veritas Domini manet in æternum.

Ant. Laudate Dominum, omnes gentes.

Ant. Clamavi.

Psalmus 119.

AD Dominum, cum tribularer, clamavi: * et exaudivit me.

Domine, libera animam meam a labiis iniquis, * et a lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, * ad linguam dolosam?

Sagittæ potentis acutæ, * cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar: * multum incola fuit anima mea.

Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: * cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Ant. Clamavi, et exaudivit me.

Ant. Unde veniet.

Psalmus 120.

LEVAVI oculos meos in montes, * unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino, * qui fecit cœlum et terram.

Non det in commotionem pedem tuum: * neque dormitet qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet, * qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua * super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: * custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

Ant. Unde veniet auxilium mihi.

Temp. Pasch. Ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

Capitulum. 2. Cor. I.

BENEDICTUS Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

HYMNUS.

IMMENSE cœli Conditor,
Qui mixta ne confunderent,
Aquæ fluenta dividens,
Cœlum dedisti limitem:

Firmans locum cœlestibus,
Simulque terræ rivulis,
Ut unda flammas temperet,
Terræ solum ne dissipent.

Infunde nunc, piissime,
Donum perennis gratiæ,
Fraudis novæ ne casibus
Nos error atterat vetus.

Lucem Fides adaugeat,
Sic luminis jubar ferat:
Hæc vana cuncta proterat,
Hanc falsa nulla comprimant.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.
℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

Ad Magnif. Ant. Magnificat anima mea Dominum, quia respexit Deus humilitatem meam.

Preces, si dicendæ sint, habentur supra in Laud. Fer. ij. p. 41.

Oratio, quando propria non assignatur, dicitur de Dom. præcedenti, ut habetur in Proprio de Temp.

Ant. cum Psalmis semper dicuntur ad Vesp. in Offic. fer. ut hic in Psalt. Hymni vero ab Oct. Pentec. usque ad Adv., et ab Oct. Epiph. usque ad Dom. I. Quadrag. Ant. autem ad Magnificat, eisdem temp. usque ad Septuag.

FERIA TERTIA

AD VESPERAS.

Ant. In domum Domini.

Temp. Pasch. Ant. Alleluia.

Psalmus 121.

LÆTATUS sum in his, quæ dicta sunt mihi: * in domum Domini ibimus.

Digitized by Google

Stantes erant pedes nostri, * in atriis tuis, Jerusalem.

Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas: * cujus participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, * testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in judicio, * sedes super domum David.

Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem, * et abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: * et abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, et proximos meos, * loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei nostri, * quæsivi bona tibi.

Ant. In domum Domini lætantes ibimus.

Ant. Qui habitas.

Psalmus 122.

AD te levavi oculos meos, * qui habitas in cœlis.

Ecce sicut oculi servorum, * in manibus dominorum suorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: * ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri, * quia multum repleti sumus despectione:

Quia multum repleta est anima nostra: * opprobrium abundantibus, et despectio superbis.

Ant. Qui habitas in cœlis, miserere nobis.

Ant. Adjutorium.

Psalmus 123.

NISI quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel: * nisi quia Dominus erat in nobis,

Cum exurgerent homines in nos, * forte vivos deglutissent nos.

Cum irasceretur furor eorum in nos, * forsitan aqua absorbuisset nos.

Torrentem pertransivit anima nostra: * forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

Benedictus Dominus, * qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Anima nostra sicut passer erepta est * de laqueo venantium.

Laqueus contritus est, * et nos liberati sumus.

Adjutorium nostrum in nomine Domini, * qui fecit cœlum et terram.

Ant. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

Ant. Benefac.

Psalmus 124.

QUI confidunt in Domino, sicut mons Sion: * non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem.

Montes in circuitu ejus: * et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum: * ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.

Benefac, Domine, bonis, * et rectis corde.

Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: * pax super Israel.

Ant. Benefac, Domine, bonis et rectis corde.

Ant. Facti sumus.

Psalmus 125.

IN convertendo Dominus captivitatem Sion, * facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum, * et lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter Gentes: * Magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum: * facti sumus lætantes.

Converte, Domine, captivitatem nostram, * sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lacrymis, * in exultatione metent.

Euntes ibant et flebant, * mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione, * portantes manipulos suos.

Ant. Facti sumus sicut consolati.

Digitized by Google

Temp. Pasch. Ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

Capitulum. 2. Cor. 1.

BENEDICTUS Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

HYMNUS.

TELLURIS alme Conditor,
Mundi solum qui separans
Pulsis aquæ molestiis,
Terram dedisti immobilem.

Ut germen aptum proferens,
Fulvis decora floribus,
Fœcunda fructu sisteret,
Pastumque gratum redderet.

Mentis perustæ vulnera
Munda virore gratiæ
Ut facta fletu diluat,
Motusque pravos atterat.

Jussis tuis obtemperet,
Nullis malis approximet,
Bonis repleri gaudeat
Et mortis ictum nesciat.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.
℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

Ad Magnif. Ant. Exultet spiritus meus in Deo salutari meo.

Preces, si dicendæ sint, habentur supra in Laud. Fer. ij. ℣. 41.

FERIA QUARTA.

AD VESPERAS.

Ant. Non confundetur.

Temp. Pasch. Ant. Alleluia.

Psalmus 126.

NISI Dominus ædificaverit domum, * in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem, * frustra vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: * surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum: * ecce hæreditas Domini, filii: merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis, * ita filii excussorum.

Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis: * non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

Ant. Non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

Ant. Beati.

Psalmus 127.

BEATI omnes qui timent Dominum, * qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis: * beatus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans, * in lateribus domus tuæ.

Filii tui sicut novellæ olivarum, * in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo, * qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: * et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum, * pacem super Israel.

Ant. Beati omnes qui timent Dominum.

Ant. Sæpe.

Psalmus 128.

SÆPE expugnaverunt me a juventute mea, * dicat nunc Israel:

Sæpe expugnaverunt me a juventute mea: * etenim non potuerunt mihi.

Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: * prolongaverunt iniquitatem suam

Dominus justus concidit cervices peccatorum: * confundantur et convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectorum, * quod priusquam evellatur exaruit:

De quo non implevit manum suam qui metit, * et sinum suum qui manipulos colligit.

Et non dixerunt, qui præteribant:

Digitized by Google

Benedictio Domini super vos : * benedicimus vobis in nomine Domini.

Ant. Sæpe expugnaverunt me a juventute mea.

Ant. De profundis.

Psalmus 129.

DE profundis clamavi ad te, Domine : * Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, * in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris, Domine : * Domine, quis sustinebit ?

Quia apud te propitiatio est : * et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel, * ex omnibus iniquitatibus ejus.

Ant. De profundis clamavi ad te, Domine.

Ant. Speret.

Psalmus 130.

DOMINE, non est exaltatum cor meum : * neque elati sunt oculi mei.

Neque ambulavi in magnis, * neque in mirabilibus super me :

Si non humiliter sentiebam : * sed exaltavi animam meam.

Sicut ablactatus est super matre sua, * ita retributio in anima mea.

Speret Israel in Domino, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Ant. Speret Israel in Domino.

Temp. Pasch. Ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

Capitulum. 2 Cor. I.

BENEDICTUS Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

HYMNUS.

CŒLI Deus sanctissime,
Qui lucidas mundi plagas
Candore pingis igneo,
Augens decoro lumine.

Quarto die qui flammeam
Dum solis accendis rotam,
Lunæ ministras ordinem,
Vagosque cursus siderum.

Ut noctibus, vel lumini
Diremptionis terminum,
Primordiis et mensium
Signum dares notissimum.

Expelle noctem cordium,
Absterge sordes mentium,
Resolve culpæ vinculum,
Everte moles criminum.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnas per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.
℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

Ad Magnif. Ant. Respexit Dominus humilitatem meam, et fecit in me magna, qui potens est.

Preces, si dicendæ sint, habentur supra in Laud. Fer. ij, *p.* 41.

FERIA QUINTA AD VESPERAS.

Ant. Et omnis.

Temp. Pasch. Ant. Alleluia.

Psalmus 131.

MEMENTO, Domine, David, * et omnis mansuetudinis ejus :

Sicut juravit Domino, * votum vovit Deo Jacob :

Si introiero in tabernaculum domus meæ, * si ascendero in lectum strati mei :

Si dedero somnum oculis meis, * et palpebris meis dormitationem,

Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, * tabernaculum Deo Jacob.

Ecce audivimus eam in Ephrata : * invenimus eam in campis silvæ.

Introibimus in tabernaculum ejus : *

Digitized by Google

adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.

Surge, Domine, in requiem tuam, * tu et arca sanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur justitiam: * et sancti tui exultent

Propter David servum tuum, * non avertas faciem Christi tui.

Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam: * De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filii tui testamentum meum, *et testimonia mea hæc, quæ docebo eos:

Et filii eorum usque in sæculum: * sedebunt super sedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion: * elegit eam in habitationem sibi.

Hæc requies mea in sæculum sæculi: * hic habitabo, quoniam elegi eam.

Viduam ejus benedicens benedicam:* pauperes ejus saturabo panibus.

Sacerdotes ejus induam salutari: * et sancti ejus exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu David: * paravi lucernam Christo meo.

Inimicos ejus induam confusione: * super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

Ant. Et omnis mansuetudinis ejus.

Ant. Ecce.

Psalmus 132.

ECCE quam bonum, et quam jucundum * habitare fratres in unum.

Sicut unguentum in capite, * quod descendit in barbam, barbam Aaron.

Quod descendit in oram vestimenti ejus: * sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, * et vitam usque in sæculum.

Ant. Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum.

Ant. Omnia.

Psalmus 134.

LAUDATE nomen Domini, * laudate, servi Dominum.

Qui statis in domo Domini: * in atriis domus Dei nostri.

Laudate Dominum, quia bonus Dominus: * psallite nomini ejus, quoniam suave.

Quoniam Jacob elegit sibi Dominus,* Israel in possessionem sibi.

Quia ego cognovi quod magnus est Dominus,* et Deus noster præ omnibus diis.

Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in cœlo et in terra,* in mari et in omnibus abyssis.

Educens nubes ab extremo terræ: * fulgura in pluviam fecit.

Qui producit ventos de thesauris suis: * qui percussit primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus.

Et misit signa et prodigia in medio tui, Ægypte, * in Pharaonem et in omnes servos ejus.

Qui percussit gentes multas: * et occidit reges fortes:

Sehon regem Amorrhæorum, et Og regem Basan, * et omnia regna Chanaan.

Et dedit terram eorum hæreditatem, * hæreditatem Israel populo suo.

Domine, nomen tuum in æternum:* Domine, memoriale tuum in generationem et generationem.

Quia judicabit Dominus populum suum: * et in servis suis deprecabitur.

Simulacra Gentium argentum et aurum, * opera manuum hominum.

Os habent, et non loquentur: * oculos habent et non videbunt.

Aures habent, et non audient: * neque enim est spiritus in ore ipsorum.

Similes illis fiant qui faciunt ea, * omnes qui confidunt in eis.

Domus Israel, benedicite Domino:* domus Aaron, benedicite Domino.

Domus Levi, benedicite Domino: * qui timetis Dominum, benedicite Domino.

Benedictus Dominus ex Sion, * qui habitat in Jerusalem.

Ant. Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit.

Ant. Quoniam in æternum.

Digitized by Google

Psalmus 135.

CONFITEMINI Domino quoniam bonus : * quoniam in æternum misericordia ejus.

Confitemini Deo deorum : * quoniam in æternum misericordia ejus.

Confitemini Domino dominorum: * quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui facit mirabilia magna solus: * quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui fecit cœlos in intellectu: * quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui firmavit terram super aquas: * quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui fecit luminaria magna : * quoniam in æternum misericordia ejus.

Solem in potestatem diei : * quoniam in æternum misericordia ejus.

Lunam et stellas in potestatem noctis : * quoniam in æternum misericordia ejus,

Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum : * quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui eduxit Israel de medio eorum : * quoniam in æternum misericordia ejus.

In manu potenti, et brachio excelso : * quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui divisit mare Rubrum in divisiones : * quoniam in æternum misericordia ejus.

Et eduxit Israel per medium ejus: * quoniam in æternum misericordia ejus.

Et excussit Pharaonem, et virtutem ejus in mari Rubro : * quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui traduxit populum suum per desertum : * quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui percussit reges magnos : * quoniam in æternum misericordia ejus.

Et occidit reges fortes : * quoniam in æternum misericordia ejus,

Sehon regem Amorrhæorum: * quoniam in æternum misericordia ejus:

Et Og regem Basan : * quoniam in æternum misericordia ejus.

Et dedit terram eorum hæreditatem : * quoniam in æternum misericordia ejus:

Hæreditatem Israel servo suo: * quoniam in æternum misericordia ejus.

Quia in humilitate nostra memor fuit nostri : * quoniam in æternum misericordia ejus.

Et redemit nos ab inimicis nostris: * quoniam in æternum misericordia ejus.

Qui dat escam omni carni : * quoniam in æternum misericordia ejus.

Confitemini Deo cœli : * quoniam in æternum misericordia ejus.

Confitemini Domino dominorum : * quoniam in æternum misericordia ejus.

Ant. Quoniam in æternum misericordia ejus.

Ant. Hymnum cantate.

Psalmus 136.

SUPER flumina Babilonis, illic sedimus et flevimus, * cum recordaremur Sion.

In salicibus in medio ejus, * suspendimus organa nostra.

Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, * verba cantionum :

Et qui abduxerunt nos : * Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

Quomodo cantabimus canticum Domini * in terra aliena ?

Si oblitus fuero tui, Jerusalem, * oblivioni detur dextera mea.

Adhæreat lingua mea faucibus meis, * si non meminero tui :

Si non proposuero Jerusalem * in principio lætitiæ meæ.

Memor esto, Domine, filiorum Edom, * in die Jerusalem :

Qui dicunt : Exinanite, exinanite * usque ad fundamentum in ea.

Filia Babilonis misera, * beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.

Beatus qui tenebit, * et allidet parvulos tuos ad petram.

Ant. Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

Temp. Pasch. Ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

Capitulum. 2 Cor. 1.

BENEDICTVS Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater

Digitized by Google

misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

HYMNUS.

MAGNÆ Deus potentiæ,
Qui fertili natos aqua
Partim relinquis gurgiti,
Partim levas in aera:
Demersa lymphis imprimens,
Subvecta cœlis erigens,
Ut stirpe ab una prodita
Diversa repleant loca:
Largire cunctis servulis,
Quos mundat unda sanguinis,
Nescire lapsus criminum,
Nec ferre mortis tædium.
Ut culpa nullum deprimat,
Nullum efferat jactantia;
Elisa mens ne concidat,
Elata mens ne corruat.
Præsta, Pater piissime.
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnas per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.
℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

Ad Magnif. Ant. Fac, Deus, potentiam in brachio tuo: disperde superbos, et exalta humiles.

Preces, si dicendæ sint, habentur supra in Laud. Fer. ij. *p.* 41.

FERIA SEXTA.

AD VESPERAS.

Ant. In conspectu.
Tem. Pasch. Ant. Alleluia.

Psalmus 137.

CONFITEBOR tibi, Domine, in toto corde meo: * quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu Angelorum psallam tibi: * adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo:

Super misericordia tua, et veritate tua: * quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum

In quacumque die invocavero te, exaudi me: * multiplicabis in anima mea virtutem.

Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ: * quia audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in viis Domini: * quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit: * et alta a longe cognoscit.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: * et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me: * Domine, misericordia tua in sæculum: opera manuum tuarum ne despicias.

Ant. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus,

Ant. Domine.

Psalmus 138.

DOMINE, probasti me et cognovisti me: * tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.

Intellexisti cogitationes meas de longe: * semitam meam, et funiculum meum investigasti.

Et omnes vias meas prævidisti: * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua: * tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.

Mirabilis facta est scientia tua ex me: * confortata est, et non potero ad eam.

Quo ibo a spiritu tuo? * et quo a facie tua fugiam?

Si ascendero in cœlum, tu illic es: * si descendero in infernum, ades.

Si sumpsero pennas meas diluculo, * et habitavero in extremis maris:

Etenim illuc manus tua deducet me: * et tenebit me dextera tua.

Et dixi: Forsitan tenebræ conculcabunt me, * et nox illuminatio mea in deliciis meis.

Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur: * sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedisti renes meos: * suscepisti me de utero matris meæ.

Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es, * mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis.

Digitized by Google

Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto: * et substantia mea in inferioribus terræ,

Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur: *dies formabuntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus: * nimis confortatus est principiatus eorum.

Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur; * exurrexi, et adhuc sum tecum.

Si occideris, Deus, peccatores: * viri sanguinum, declinate a me:

Quia dicitis in cogitatione: * Accipient in vanitate civitates tuas.

Nonne qui oderunt te, Domine, oderam? * et super inimicos tuos tabescebam?

Perfecto odio oderam illos: * et inimici facti sunt mihi.

Proba me, Deus, et scito cor meum: * interroga me, et cognosce semitas meas.

Et vide si via iniquitatis in me est: * et deduc me in via æterna.

Ant. Domine, probasti me et cognovisti me.

Ant. A viro iniquo.

Psalmus 139.

ERIPE me, Domine, ab homine malo: * a viro iniquo eripe me.

Qui cogitaverunt iniquitates in corde: * tota die constituebant prælia.

Acuerunt linguas suas sicut serpentis: * venenum aspidum sub labiis eorum.

Custodi me, Domine, de manu peccatoris: * et ab hominibus iniquis eripe me.

Qui cogitaverunt supplantare gressus meos: * absconderunt superbi laqueum mihi:

Et funes extenderunt in laqueum: * juxta iter scandalum posuerunt mihi.

Dixi Domino: Deus meus es tu: * exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ.

Domine, Domine, virtus salutis meæ, * obumbrasti super caput meum in die belli.

Ne tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori: * cogitaverunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur.

Caput circuitus eorum: * labor labiorum ipsorum operiet eos.

Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos: * in miseriis non subsistent.

Vir linguosus non dirigetur in terra: * virum injustum mala capient in interitu.

Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis, * et vindictam pauperum.

Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo: * et habitabunt recti cum vultu tuo.

Ant. A viro iniquo libera me, Domine.

Ant. Domine.

Psalmus 140.

DOMINE, clamavi ad te, exaudi me: * intende voci meæ, cum clamavero ad te.

Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: * elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Pone, Domine, custodiam ori meo, * et ostium circumstantiæ labiis meis.

Non declines cor meum in verba malitiæ, * ad excusandas excusationes in peccatis.

Cum hominibus operantibus iniquitatem: * et non communicabo cum electis eorum.

Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me: * oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum: * absorpti sunt juncti petræ judices eorum.

Audient verba mea, quoniam potuerunt: * sicut crassitudo terræ erupta est super terram.

Dissipata sunt ossa nostra secus infernum: * quia ad te, Domine, Domine, oculi mei: in te speravi, non auferas animam meam.

Custodi me a laqueo, quem statue-

Digitized by Google

runt mihi, * et a scandalis operantium iniquitatem.

Cadent in retiaculo ejus peccatores: * singulariter sum ego, donec transeam.

Ant. Domine, clamavi ad te, exaudi me.

Ant. Portio mea.

Psalmus 141.

VOCE mea ad Dominum clamavi: * voce mea ad Dominum deprecatus sum:

Effundo in conspectu ejus orationem meam, * et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

In deficiendo ex me spiritum meum, * et tu cognovisti semitas meas.

In via hac, qua ambulabam, * absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, et videbam: * et non erat qui cognosceret me.

Periit fuga a me, * et non est qui requirat animam meam.

Clamavi ad te, Domine; * dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

Intende ad deprecationem meam: * quia humiliatus sum nimis.

Libera me a persequentibus me: * quia confortati sunt super me.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: * me expectant justi, donec retribuas mihi.

Ant. Portio mea, Domine, sit in terra viventium.

Temp. Pasch. Ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

Capitulum. 2. Cor. I.

BENEDICTUS Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

HYMNUS.

HOMINIS superne Conditor,
Qui cuncta solus ordinans,
Humum jubes producere
Reptantis et feræ genus;
Et magna rerum corpora,
Dictu jubentis vivida,
Per temporum certas vices
Obtemperare servulis:
Repelle quod, cupidinis
Ciente vi, nos impetit,
Aut moribus se suggerit,
Aut actibus se interserit.
Da gaudiorum præmia,
Da gratiarum munera,
Dissolve litis vincula:
Adstringe pacis fœdera.
Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.
℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

Ad Magnif. Ant. Deposuit potentes, sanctos persequentes: et exaltavit humiles, Christum confitentes.

Preces, si dicenda sint, habentur supra in Laud. Fer. ij. p. 41.

SABBATO.

AD VESPERAS.

Ant. Benedictus.

Temp. Pasch. Ant. Alleluia.

Psalmus 143.

BENEDICTUS Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, * et digitos meos ad bellum.

Misericordia mea, et refugium meum: * susceptor meus, et liberator meus:

Protector meus et in ipso speravi: * qui subdit populum meum sub me.

Domine, quid est homo, quia innotuisti ei? * aut filius hominis, quia reputas eum?

Homo vanitati similis factus est: * dies ejus sicut umbra prætereunt.

Domine, inclina cœlos tuos, et descende: * tange montes, et fumigabunt.

Fulgura coruscationem, et dissipabis eos: * emitte sagittas tuas, et conturbabis eos.

Emitte manum tuam de alto, eripe me et libera me de aquis multis, * de manu filiorum alienorum.

Quorum os locutum est vanitatem: *

Digitized by Google

et dextera eorum, dextera iniquitatis.

Deus, canticum novum cantabo tibi : * in psalterio decachordo psallam tibi.

Qui das salutem regibus, * qui redemisti David servum tuum de gladio maligno, eripe me.

Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem : * et dextera eorum, dextera iniquitatis :

Quorum filii sicut novellæ plantationes * in juventute sua.

Filiæ eorum compositæ: * circumornatæ ut similitudo templi.

Promptuaria eorum plena, * eructantia ex hoc in illud.

Oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis: * boves eorum crassæ.

Non est ruina maceriæ, neque transitus. * neque clamor in plateis eorum.

Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt: * beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.

Ant. Benedictus Dominus Deus meus.

Ant. Per singulos dies.

Psalmus 144.

EXALTABO te, Deus meus Rex: * et benedicam nomini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.

Per singulos dies benedicam tibi: * et laudabo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magnus Dominus et laudabilis nimis : * et magnitudinis ejus non est finis.

Generatio et generatio laudabit opera tua : * et potentiam tuam pronuntiabunt.

Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur: * et mirabilia tua narrabunt.

Et virtutem terribilium tuorum dicent : * et magnitudinem tuam narrabunt.

Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt: * et justitia tua exultabunt.

Miserator et misericors Dominus, * patiens, et multum misericors.

Suavis Dominus universis: * et miserationes ejus super omnia opera ejus.

Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua : * et sancti tui benedicant tibi.

Gloriam regni tui dicent : * et potentiam tuam loquentur.

Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam : * et gloriam magnificentiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum omnium sæculorum: et dominatio tua in omni generatione, et generationem.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis : * et sanctus in omnibus operibus suis.

Allevat Dominus omnes qui corruunt : * et erigit omnes elisos.

Oculi omnium in te sperant, Domine : * et tu das escam illorum in tempore opportuno.

Aperis tu manum tuam, * et imples omne animal benedictione.

Justus Dominus in omnibus viis suis ; * et sanctus in omnibus operibus suis.

Prope est Dominus omnibus invocantibus eum : * omnibus invocantibus eum in veritate.

Voluntatem timentium se faciet, * et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos.

Custodit Dominus omnes diligentes se : * et omnes peccatores disperdet.

Laudationem Domini loquetur os meum: * et benedicat omnis caro nomini sancto ejus in sæculum, et in sæculum sæculi.

Ant. Per singulos dies benedicam te, Domine.

Ant. Laudabo.

Psalmus 145.

LAUDA, anima mea, Dominum, laudabo Dominum in vita mea: * psallam Deo meo quamdiu fuero.

Nolite confidere in principibus : * in filiis hominum, in quibus non est salus.

Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam: * in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Digitized by Google

Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius: * **qui fecit cœlum et terram, mare, et omnia, quæ in eis sunt.**

Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam patientibus: * **dat escam esurientibus.**

Dominus solvit compeditos: * **Dominus illuminat cæcos.**

Dominus erigit elisos: * **Dominus diligit justos.**

Dominus custodit advenas, pupillum et viduam suscipiet: * **et vias peccatorum disperdet.**

Regnabit Dominus in sæcula: Deus tuus, Sion, * **in generationem et generationem.**

Ant. **Laudabo Deum meum in vita mea.**

Ant. **Deo nostro.**

Psalmus 146.

LAUDATE Dominum, quoniam bonus est psalmus: * **Deo nostro sit jucunda, decoraque laudatio.**

Ædificans Jerusalem Dominus, * **dispersiones Israelis congregabit.**

Qui sanat contritos corde, * **et alligat contritiones eorum.**

Qui numerat multitudinem stellarum, * **et omnibus eis nomina vocat.**

Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus: * **et sapientiæ ejus non est numerus.**

Suscipiens mansuetos Dominus, * **humilians autem peccatores usque ad terram.**

Præcinite Domino in confessione: * **psallite Deo nostro in cithara.**

Qui operit cœlum nubibus: * **et parat terræ pluviam.**

Qui producit in montibus fœnum, * **et herbam servituti hominum.**

Qui dat jumentis escam ipsorum, * **et pullis corvorum invocantibus eum.**

Non in fortitudine equi voluntatem habebit: * **nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.**

Beneplacitum est Domino super timentes eum: * **et in eis qui sperant super misericordia ejus.**

Ant. **Deo nostro jucunda sit laudatio.**

Ant. **Lauda.**

Psalmus 147.

LAUDA, Jerusalem, Dominum: * **lauda Deum tuum, Sion.**

Quoniam confortavit seras portarum tuarum: * **benedixit filiis tuis in te.**

Qui posuit fines tuos pacem: * **et adipe frumenti satiat te.**

Qui emittit eloquium suum terræ; * **velociter currit sermo ejus.**

Qui dat nivem sicut lanam: * **nebulam sicut cinerem spargit.**

Mittit crystallum suam sicut buccellas: * **ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?**

Emittet verbum suum, et liquefaciet ea: * **flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.**

Qui annuntiat verbum suum Jacob, * **justitias et judicia sua Israel.**

Non fecit taliter omni nationi; * **et judicia sua non manifestavit eis.**

Ant. **Lauda, Jerusalem, Dominum.**

Temp. Pasch. Ant. **Alleluia, alleluia, alleluia.**

Capitulum. **Rom. II.**

O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus?

HYMNUS

JAM sol recedit igneus;
Tu lux perennis, Unitas
Nostris, beata Trinitas,
Infunde lumen cordibus.

Te mane laudum carmine,
Te deprecamur vespere;
Digneris ut te supplices
Laudemus inter Cœlites.

Patri, simulque Filio,
Tibique, sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter
Sæclum per omne gloria. Amen.

℣. **Vespertina oratio ascendat ad te, Domine.** ℟. **Et descendat super nos misericordia tua.**

Ad Magnif. Ant. **Suscepit Deus Israel puerum suum: sicut locutus est ad Abraham, et semen ejus: exaltare humiles usque in sæculum.**

Digitized by Google

Capit. ✠ altitudo *dicitur in Vesp. Sabb. ab Oct. Pentec. usque ad Adv., et ab Oct. Epiph. usque ad Septuag. Hymnus et ℣. etiam usque ad Quadrag. Ant. ad* Magnificat *ab Oct. Epiph usque ad Septuag. tantum. Post Ant. dicitur Oratio propria.*

Deinde fiunt suffragia Sanctorum, quibus præmittitur.

COMMEMORATIO DE CRUCE.

In fer. tantum Offic., etiam quando non dicuntur Preces.

Ad Vesp. et Laud. Ant. Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster.

℣. Omnis terra adoret te, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nomini tuo, Domine.

Oremus. *Oratio.*

PERPETUA nos, quæsumus, Domine, pace custodi, quos per lignum sanctæ Crucis redimere dignatus es.

Temp. autem Pasch. a Feria ij. post Dom. I. Paschæ usque ad Ascens. tam in Offic. de Temp. quam de Sanctis, nisi sit Duplex, aut infra Octavas, fit sequens:

Ad Vesp. Ant. Crucem sanctam subiit qui infernum confregit, accinctus est potentia, surrexit die tertia, alleluia.

Ad Laud. Ant. Crucifixus surrexit a mortuis, et redemit nos, alleluia,

℣. Dicite in nationibus, alleluia. ℟. Quia Dominus regnavit a ligno, alleluia.

Oremus. *Oratio.*

DEUS, qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum subire voluisti, ut inimici a nobis expelleres potestatem: concede nobis famulis tuis, ut resurrectionis gratiam consequamur. Per eumdem Dominum nostrum.

Aliæ comm. de Sanctis non fiunt temp. Pasch.

COMMEMORATIONES COMMUNES, SEU SUFFRAGIA SANCTORUM.

De S. Maria, quando non dicitur ejus Offic. parvum.

Ad Vesp. et Laud. Ant. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei genitrix. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. *Oratio.*

CONCEDE nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa beatæ Mariæ semper virginis intercessione, a presenti liberari tristitia, et æterna perfrui lætitia.

Ab Oct. Epiph. usque ad Purif. dicitur. ℣. Post partum, Virgo, inviolata permansisti. ℟. Dei genitrix, intercede pro nobis.

Oremus. *Oratio.*

DEUS, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fœcunda, humano generi præmia præstitisti: tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

De Apostolis. Ad Vesp. Ant. Petrus Apostolus, et Paulus Doctor Gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam, Domine.

℣. Constitues eos principes super omnem terram. ℟. Memores erunt nominis tui, Domine.

Ad Laud. Ant. Gloriosi principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eorum.

Digitized by Google

Oremus. *Oratio.*

DEUS, cujus dextera beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, et Coapostolum ejus Paulum tertio naufragantem, de profundo pelagi liberavit: exaudi nos propitius, et concede, ut amborum meritis, æternitatis gloriam consequamur.

De Patrono vel Titulari Ecclesiæ fiat Comm. consueta ante vel post Comm. præd. pro dignitate illius, et ultimo loco de Pace.

Ad Vesp. et Laud. Ant. Da pacem Domine, in diebus nostris, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu, Deus noster.

℣. Fiat pax in virtute tua. ℟. Et abundantia in turribus tuis.

Oremus. *Oratio.*

DEUS, a quo sancta desideria, recta consilia et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per Dominum.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.
℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.
℟. Amen.

Deinde dicitur secr. Pater noster.

Sic terminatur Offic., ubi alia non sequatur Hora.

Dictæ comm. seu suffragia dicuntur ab Oct. Pentec. usque ad Adv., et ab Oct. Epiph. usque ad Dom. Pass. exceptis Duplic. et infra Octav.

Quando dicitur Offic. B. Mariæ, non fit alia commemor. de ea.

AD COMPLETORIUM.

Lector incipit. ℣. Jube, domne, benedicere.

Bened. Noctem quietam, et finem perfectum concedat nobis Dominus Omnipotens. ℟. Amen.

Lectio brevis. I. Petri 5.

FRATRES, Sobrii estote et vigilate: quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide. Tu autem, Domine, miserere nobis.

℟. Deo gratias.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum et terram.

Pater, *dicitur totum secreto.*

Deinde fit Confessio communis alternatim, ut supra ad Primam, p. 20.

Et facta Absolutione dicitur ℣.

CONVERTE nos, Deus, salutaris noster. ℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutorium meum intende. ℟. Domine, ad adjuvandum me festina. Gloria Patri, et Filio, etc. Sicut erat, etc.

Ant. Miserere.
Temp. Pasch. Ant. Alleluia.

Psalmus 4.

CUM invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ: * in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, * et exaudi orationem meam.

Filii hominum, usquequo gravi corde? * ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?

Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: * Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare: * quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino. * Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: * dedisti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, et olei sui * multiplicati sunt.

Digitized by Google

In pace in idipsum * dormiam, et requiescam.

Quoniam tu, Domine, singulariter in spe * constituisti me.

Psalmus 30.

IN te, Domine, speravi, non confundar in æternum: * in justitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam: * accelera ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, * ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea, et refugium meum es tu: * et propter nomen tuum deduces me, et enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: * quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum: * redemisti me, Domine, Deus veritatis.

Psalmus 90.

QUI habitat in adjutorio Altissimi, * in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino: Susceptor meus es tu, et refugium meum: * Deus meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, * et a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: * et sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: * non timebis a timore nocturno.

A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: * ab incursu, et dæmonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis: * ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis: * et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es, Domine, spes mea: * Altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: * et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te: * ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te, * ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem et basiliscum ambulabis: * et conculcabis leonem et draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum: * protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, et ego exaudiam eum: * cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: * et ostendam illi salutare meum.

Psalmus 133.

ECCE nunc benedicite Dominum, * omnes servi Domini.

Qui statis in domo Domini, * in atriis domus Dei nostri,

In noctibus extollite manus vestras in sancta, * et benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion, * qui fecit cœlum et terram.

Ant. Miserere mihi, Domine, et exaudi orationem meam.

Temp. Pasch. Ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

HYMNUS.

TE lucis ante terminum,
Rerum Creator, poscimus,
Ut pro tua clementia
Sis præsul et custodia.

Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata;
Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum. Amen

Capitulum. Jerem. 14.

TU autem in nobis es, Domine, et nomen sanctum tuum invocatum est super nos: ne derelinquas nos, Domine Deus noster. ℟. Deo gratias.

℟. *br.* In manus tuas, Domine, * Commendo spiritum meum. In manus- ℣. Redemisti nos, Domine Deus ve.

Digitized by Google

ritatis. Commendo. Gloria. In manus. ℣. Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi. ℟. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

Ant. Salva nos.

CANTICUM SIMEONIS. Luc. 2.

NUNC dimittis servum tuum, Domine, * secundum verbum tuum in pace:

Quia viderunt oculi mei * salutare tuum,

Quod parasti * ante faciem omnium populorum:

Lumen ad revelationem Gentium, * et gloriam plebis tuæ Israel.

Gloria Patri, etc.

Ant. Salva nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes; ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace.

Sequentes Preces semper dicuntur, præterquam in Offic. Dupl. et infra Oct. In fer. Offic. temp. Adv. et Quadrag. et in Quat. Temp., quando dictæ sunt Preces in Vesp., dicuntur flexis genibus.

KYRIE eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, *secreto*. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. Credo in Deum. *secreto*. ℣. Carnis resurrectionem. ℟. Vitam æternam Amen.

℣. Benedictus es, Domine, Deus patrum nostrorum. ℟. Et laudabilis et gloriosus in sæcula. ℣. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu. ℟. Laudemus, et superexaltemus eum in sæcula. ℣. Benedictus es, Domine, in firmamento cœli. ℟. Et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula. ℣. Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen. ℣. Dignare, Domine, nocte ista. ℟. Sine peccato nos custodire. ℣. Miserere nostri, Domine. ℟. Miserere nostri. ℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos. ℟. Quemadmodum speravimus in te. ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Oratio*

VISITA, quæsumus, Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et benedictio tua sit super nos semper. Per Dominum.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. ℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Bened. Benedicat, et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. ℟. Amen.

Et non dicitur Fidelium animæ. *sed immediate dicitur una ex infrascriptis Ant. pro temp.*

A Vesp. Sabbati. ante Dom. I. Adv. usque ad Purif. inclusive, Ant.

ALMA Redemptoris Mater, quæ pervia cœli.
Porta manes, et stella maris, succurre cadenti,
Surgere qui curat, populo: tu quæ genuisti,
Natura mirante, tuum sanctum Genitorem,
Virgo prius ac posterius, Gabrielis ab ore
Sumens illud Ave, peccatorum miserere.

In Adv. ℣. Angelus Domini nuntiavit Mariæ. ℟. Et concepit de Spiritu sancto.

Oremus. *Oratio.*

GRATIAM tuam, quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde, ut qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem, ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

A I. Vesp. Nativ. et deinceps, ℣. Post partum, Virgo, inviolata per-

Digitized by Google

mansisti. ℟. Dei genitrix, intercede pro nobis.

Oremus. *Oratio.*

DEUS, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fœcunda, humano generi præmia præstitisti, tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

℟. Amen.

Post Purif., id est, a fine Complet. illius diei inclusive, usque ad Fer. v. in Cœna Domini exclusive, Ant.

AVE, Regina cœlorum,
Ave, Domina Angelorum:
Salve, radix, salve, porta,
Ex qua mundo lux est orta.
Gaude, Virgo gloriosa,
Super omnes speciosa:
Vale, o valde decora,
Et pro nobis Christum exora.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata. ℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oremus. *Oratio.*

CONCEDE, misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium, ut qui sanctæ Dei Genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio, a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

A Complet. Sabbati sancti usque ad Nonam Sabbati post Pentec. inclusive, Ant.

REGINA cœli, lætare, alleluia,
Quia quem meruisti portare, alleluia,
Resurrexit sicut dixit, alleluia;
Ora pro nobis Deum, alleluia.

℣. Gaude et lætare, virgo Maria, alleluia. ℣. Quia surrexit Dominus vere, alleluia.

Oremus. *Oratio.*

DEUS, qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum lætificare dignatus es, præsta, quæsumus, ut per ejus genitricem virginem Mariam perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

A I. Vesp. fest. Trinit. usque ad Nonam Sabbati ante Adv., Ant.

SALVE, Regina, mater misericordiæ, vita, dulcedo et spes nostra, salve. Ad te clamamus exules filii Evæ. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria!

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. *Oratio.*

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui gloriosæ virginis matris Mariæ corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante, præparasti, da, ut cujus commemoratione lætamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis, et a morte perpetua liberemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. ℟. Amen.

Deinde dicitur secreto Pater noster Ave Maria, *et* Credo.

Sic dicitur Complet. per totum annum, præterquam in triduo majoris Hebd., et per Oct. Paschæ, ut suo loco dicetur.

Si post. Complet. immediate sequatur Matut., tunc bis dicatur Pater noster, Ave Maria, *et* Credo: *quia Complet., quod est finis Offic., sic terminari debet; et ante Matut. iterum repetitur pro principio Offic. sequentis diei.*

Ant. prædictæ dicuntur etiam in fine Laud., quando discedendum est a Choro: sed si immediate post Ma-

Digitized by Google

tul. subsequatur Prima, vel alia Hora dicuntur in fine ultimæ Horæ, ita ut dicantur semper, quando, terminata aliqua Hora, discedendum est a Choro, et tunc post. ℣. Fidelium animæ, *et* Pater noster *secreto, dicitur* ℣. Dominus det nobis suam pacem. ℟. Et vitam æternam. Amen.

Deinde una ex prædictis Ant. et in fine Divinum auxilium maneat semper nobiscum. ℟. Amen.

Extra Chorum autem dicuntur in fine Laud., si tunc terminandum sit Offic.; alioquin in fine ultimæ Horæ. Post alias vero Horas, quando terminatur Offic., dicitur tantum Pater noster *secreto.*

PRO COMMEMORATIONE

FERIARUM.

In Adventu.

AD VESPERAS

℣. Rorate, cœli desuper, et nubes pluant justum. ℟. Aperiatur terra et germinet Salvatorem.

IN LAUDIBUS.

℣. Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini. ℟. Rectas facite semitas ejus.

In Quadragesima.

AD VESP. ET IN LAUD.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te. ℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Tempore Passionis.

AD VESPERAS.

℣. Eripe me, Domine, ab homine malo. ℟. A viro iniquo eripe me.

IN LAUDIBUS.

℣. Eripe me de inimicis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgentibus in me libera me.

Per Annum.

IN LAUDIBUS.

Feria ij.

Ant. Benedictus Dominus Deus Israel.

℣. Repleti sumus mane misericordia tua. ℟. Exultavimus, et delectati sumus.

Feria iij.

Ant. Erexit nobis Dominus cornu salutis in domo David pueri sui.

℣. *et* ℟. *ut supra, et sic in seq.*

Feria iv.

Ant. De manu omnium qui oderunt nos, libera nos, Domine.

Feria v.

Ant. In sanctitate serviamus Domino, et liberabit nos ab inimicis nostris.

Feria vj.

Ant. Per viscera misericordiæ Dei nostri visitavit nos Oriens ex alto.

Sabbato.

Ant. Illuminare, Domine, his qui in tenebris sedent, et dirige pedes nostros in viam pacis, Deus Israel.

AD VESPERAS.

℣. Vespertina oratio ascendat ad te, Domine. ℟. Et descendat super nos misericordia tua.

Digitized by Google

PROPRIUM DE TEMPORE.

SABBATO

ante Dominicam I. Adventus.

Ad Vesperas.

Capitulum. Rom. 13.

FRATRES, Hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. ℟. Deo gratias.

HYMNUS.

CREATOR alme siderum,
Æterna lux credentium,
Jesu Redemptor omnium,
Intende votis supplicum.

Qui dæmonis ne fraudibus
Periret orbis, impetu
Amoris actus, languidi
Mundi medela factus es.

Commune qui mundi nefas
Ut expiares, ad Crucem
E Virginis Sacrario
Intacta prodis victima.

Cujus potestas gloriæ,
Nomenque cum primum sonat:
Et Cœlites et inferi
Tremente curvantur genu.

Te deprecamur ultimæ
Magnum diei Judicem,
Armis supernæ gratiæ
Defende nos ab hostibus.

Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito,
In sæculorum sæcula. Amen.

℣. Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum. ℟. Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.

Ad Magnif. Ant. Ecce nomen Domini venit de longinquo, et claritas ejus replet orbem terrarum.

Oratio.

EXCITA, quæsumus, Domine, potentiam tuam, et veni; ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis, te mereamur protegente eripi, te liberante salvari. Qui vivis.

Comm. seu Suffr. Sanctorum non fiunt per totum Adv., etiam in Offic. de sanctis, nec de Cruce in fer. Offic.

In Adv. non fit de Festo, nisi fuerit Duplex, vel Semiduplex: quod si occurrat in Dom., transfertur in j. *diem simili Festo non impeditam. De Simplici vero fit tantum comm.*

DOM. I. ADVENTUS.

Ad Matutinum.

Invit. Regem venturum Dominum, Venite, adoremus. *Et dicitur etiam in Feriis usque ad Dom.* 3. *Adv. Psalm.* Venite, p. I.

HYMNUS.

VERBUM supernum prodiens
E Patris æterni sinu,
Qui natus orbi subvenis,
Labente cursu temporis.

Illumina nunc pectora,
Tuoque amore concrema,
Ut cor caduca deserens
Cœli voluptas impleat.

Ut, cum tribunal Judicis
Damnabit igni noxios,
Et vox amica debitum
Vocabit ad cœlum pios,

Non esca flammarum nigros
Volvamur inter turbines;
Vultu Dei sed compotes
Cœli fruamur gaudiis.

Patri, simulque Filio,
Tibique, sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter
Sæclum per omne gloria. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. et Psalmi ut in Psalt.

Post ℣. *in quolibet Noct. dicitur* Pater noster. *Deinde Benedictio et Absolutiones ut in Psalt.*

Benedictiones vero in Offic. de San-

Digitized by Google

etis, de S. Maria, vel trium Lect. habentur sub initium Psalt.

Incipit liber Isaiæ Prophetæ.

Lectio j. Cap. 1.

VISIO Isaiæ filii Amos, quam vidit super Judam et Jerusalem in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, et Ezechiæ, regum Juda. Audite, cœli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est: Filios enutrivi, et exaltavi; ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. Tu autem, Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias.

Sic semper terminantur Lectiones, nisi aliter signetur.

℟. Aspiciens a longe, ecce video Dei potentiam venientem, et nebulam totam terram tegentem.* Ite obviam ei, et dicite: * Nuntia nobis si tu es ipse,* Qui regnaturus es in populo Israel. ℣. Quique terrigenæ et filii hominum, simul in unum dives et pauper. Ite obviam ei, et dicite: ℣. Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Joseph: Nuntia nobis si tu es ipse. ℣. Tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ. Qui regnaturus es in populo Israel.

℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. *Deinde repetitur* ℟. Aspiciens a longe, *usque ad* ℣. Quique terrigenæ.

Hoc ℟. *non dicitur per Hebd., sed ejus loco dicitur* ℟. j. *Feriæ* ij. *sequentis.*

Lectio ij.

VÆ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel: abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem? Omne caput languidum, et omne cor mœrens. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas; vulnus, et livor, et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.

℟. Aspiciebam in visu noctis, et ecce in nubibus cœli Filius hominis veniebat: et datum est ei regnum et honor: * Et omnis populus, tribus, et linguæ servient ei. ℣. Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur: et regnum ejus, quod non corrumpetur. Et omnis.

Lectio iij.

TERRA vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni: regionem vestram coram vobis alieni devorant, et desolabitur sicut in vastitate hostili. Et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, et sicut civitas quæ vastatur. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus.

℟. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam virginem desponsatam Joseph, nuntians ei verbum: et expavescit Virgo de lumine. Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Dominum:* Ecce concipies, et paries, et vocabitur Altissimi Filius. ℣. Dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum. Ecce. Gloria. Ecce.

Sic semper dicitur Gloria Patri, *in fine ultimi* ℟. *cujuslibet Nocturni, nisi aliter notetur.*

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Leonis Papæ.

Serm. 8 *de jejunio decimi mensis et eleemosynis.*

Lectio iv.

CUM de adventu regni Dei, et de mundi fine ac temporum discipulos suos Salvator instrueret, totamque Ecclesiam suam in Apostolis erudiret: Cavete, inquit, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et cogitationibus sæcularibus. Quod utique præceptum, dilectissimi, ad nos specialius pertinere cognoscimus, quibus denuntiatus dies,

etiamsi est occultus, non dubitatur esse vicinus.

℣. Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum: * Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. ℣. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei. Spiritus sanctus.

Lectio v.

AD cujus adventum omnem hominem convenit præparari: ne quem aut ventri deditum, aut curis sæcularibus inveniat implicatum. Quotidiano enim, dilectissimi, experimento probatur potus satietate aciem mentis obtundi, et ciborum nimietate vigorem cordis hebetari: ita ut delectatio edendi etiam corporum contraria sit saluti; nisi ratio temperantiæ obsistat illecebræ, et quod futurum est oneri, subtrahat voluptati.

℟. Salvatorem expectamus Dominum Jesum Christum: * Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. ℣. Sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei. Qui.

Lectio vj.

QUAMVIS enim sine anima nihil caro desideret, et inde accipiat sensus, unde sumit et motus: ejusdem tamen est animæ quædam sibi subditæ negare substantiæ, et interiori judicio ab inconvenientibus exteriora frænare; ut a corporeis cupiditatibus sæpius libera, in aula mentis possit divinæ vacare sapientiæ: ubi omni strepitu terrenarum silente curarum, in meditationibus sanctis, et in deliciis lætetur æternis.

℟. Obsecro, Domine, mitte quem missurus es: vide afflictionem populi tui: * Sicut locutus es, veni * Et libera nos. ℣. Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Joseph, qui sedes super Cherubim. Sicut. Gloria. Et libera.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Sic semper præponitur Lectio sancti Evangelii *ante* j. *Lect. de Homilia.*

Lectio vij. Cap. 21.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia I. *in Evangelia.*

DOMINUS ac Redemptor noster paratos nos invenire desiderans, senescentem mundum quæ mala sequantur denuntiat, ut nos ab ejus amore compescat. Appropinquantem ejus terminum quantæ percussiones præveniant, innotescit: ut si Deum metuere in tranquillitate nolumus, saltem vicinum ejus judicium vel percussionibus attriti timeamus.

℟. Ecce virgo concipiet, et pariet filium, dicit Dominus. * Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Deus, Fortis. ℣. Super solium David, et super regnum ejus sedebit in æternum. Et.

Lectio viij.

HUIC etenim lectioni sancti Evangelii, quam modo vestra fraternitas audivit, paulo superius Dominus præmisit, dicens: Exurget gens contra gentem, et regnum adversus regnum, et erunt terræmotus magni per loca, et pestilentiæ, et fames. Et quibusdam interpositis, hoc, quod modo audistis, adjunxit: Erunt signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris, et fluctuum. Ex quibus profecto omnibus alia jam facta cernimus, alia in proximo ventura formidamus.

℟. Audite verbum Domini. gentes, et annuntiate illud in finibus terræ: * Et insulis quæ procul sunt, dicite: Salvator noster adveniet. ℣. Annuntiate, et auditum facite: loquimini et clamate. Et.

Digitized by Google

Lectio ix.

NAM gentem contra gentem exurgere, earumque pressuram terris insistere, plus jam in nostris temporibus cernimus, quam in codicibus legimus. Quod terræmotus urbes innumeras obruat, ex aliis mundi partibus scitis quam frequenter audivimus. Pestilentias sine cessatione patimur. Signa vero in sole, et luna, et stellis adhuc aperte minime vidimus: sed quia et hæc non longe sint, ex ipsa jam aeris immutatione colligimus.

℟. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum: et regnabit Rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra: * Et hoc est nomen quod vocabunt eum: * Dominus justus noster. ℣. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter. Et hoc. Gloria. Dominus.

Ab hac Dom. usque ad Nativ. Domini, et a Dom. Septuag. usque ad Pascha, Dominicis diebus dicitur ix. ℟. *quia* Te Deum *non dicitur, nisi in Festis.*

Ad Laudes.

et per Horas, Antiphonæ.

1. In illa die stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lac et mel, alleluia.

Psalmi de Laud. Dom. p. 13.

2. Jucundare, filia Sion, et exulta satis, filia Jerusalem, alleluia.

3. Ecce Dominus veniet, et omnes Sancti ejus cum eo: et erit in die illa lux magna, alleluia.

4. Omnes sitientes, venite ad aquas: quærite Dominum, dum inveniri potest, alleluia.

5. Ecce veniet Propheta magnus, et ipse renovabit Jerusalem, alleluia.

Capitulum. Rom. 13.

FRATRES, Hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus.

HYMNUS.

EN clara vox redarguit
Obscura quæque personans:
Procul fugentur somnia,
Ab alto Jesus promicat.

Mens jam resurgat torpida,
Non amplius jacens humi:
Sidus refulget jam novum,
Ut tollat omne noxium.

En Agnus ad nos mittitur
Laxare gratis debitum:
Omnes simul cum lacrymis
Precemur indulgentiam:

Ut, cum secundo fulserit,
Metuque mundum cinxerit,
Non pro reatu puniat,
Sed nos pius tunc protegat.

Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito,
In sæculorum sæcula. Amen.

℣. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini. ℟. Rectas facite semitas ejus.

Ad Bened. Ant. Spiritus sanctus in te descendet, Maria: ne timeas, habebis in utero Filium Dei, alleluia.

Oratio.

EXCITA, quæsumus, Domine, potentiam tuam, et veni, ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis, te mereamur protegente eripi, te liberante salvari. Quis vivis.

Ad Primam, Tertiam, Sextam, et Nonam, Ant. de Laud. dicuntur per ordinem, quarta prætermissa. Quod etiam servatur in aliis Dom. Adv..

In ℟. *br. ad primam, loco* Qui sedes, *dicitur* Qui venturus es in mundum.

Sic dicitur quotidie usque ad Nativ. Domini, etiam in Offic. de Sanctis, præterquam in die et infra Oct. Conceptionis B. M.

Deinde Kyrie eleison *cum reliquis, ut in Psalt.*, p. 19.

Ab Absol. Capit. Lectio br. Domine miserere, p. 21. *quæ dicitur in Dom. et Feriis usque ad Vigil. Nativ. Domini exclusive.*

Digitized by Google

Ad Tertiam.

Capit. Fratres Hora est.

℟. *br.* Veni ad liberandum nos, * Domine Deus virtutum. *Et repetitur* Veni ℣. Ostende faciem tuam, et salvi erimus. Domine Deus virtutum. ℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Veni. ℣. Timebunt Gentes nomen tuum, Domine. ℟. Et omnes reges terræ gloriam tuam.

Sic repetuntur ℣℣. *in omnibus* ℟℟. *br. Horarum.*

Ad Sextam.

Capitulum. Rom. 13.

NOX præcessit, dies autem appropinquavit: abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis.

℟. *br.* Ostende nobis, Domine, * Misericordiam tuam. Ostende. ℣. Et salutare tuum da nobis. Misericordiam. Gloria. Ostende. ℣. Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui. ℟. Visita nos in salutari tuo.

Ad Nonam.

Capitulum. Rom. 13.

SICUT in die honeste ambulemus, non in commessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione, sed induimini Dominum Jesum Christum.

℟. *br.* Super te Jerusalem, * Orietur Dominus. Super. ℣. Et gloria ejus in te videbitur. Orietur. Gloria. Super ℣. Domine Deus virtutum, converte nos. ℟. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Ad Vesperas

Ant. de Laud. Psalmi de Dom. Capit. Hymn. et ℣. ut sup. p. 106.

Ad Magnif. Ant. Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum: ecce concipies. et paries filium, alleluia.

Hymni, ℣℣. et ℟℟. br. hujus Dom. dicuntur in aliis Dom. et Feriis Adv.

Post Vesp. diei Vesp. Defunct.

FERIA SECUNDA.

Ad Matutinum,

Invit. et Hymnus, ut in Dom. I. Adv., p. 106.

Ant. et Psalmi Feriæ ij, *p.* 32.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 1.

LAVAMINI, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse, discite benefacere: quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. Et venite, et arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.

℟. Suscipe verbum, Virgo Maria, quod tibi a Domino per Angelum transmissum est: concipies et paries Deum pariter et hominem, * Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres. ℣. Paries quidem filium, et virginitatis non patieris detrimentum: efficieris gravida, et eris mater semper intacta. Ut benedicta.

Lectio ij.

SI volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est. Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii? justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ, Argentum tuum versum est in scoriam; vinum tuum mixtum est aqua. Principes tui infideles, socii furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad illos.

℟. Lætentur cœli, et exultet terra; jubilate, montes, laudem, quia Dominus noster veniet: * Et pauperum suorum miserebitur. ℣. Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis. Et pauperum.

Digitized by Google

Lectio iij.

PROPTER hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Israel : Heu , consolabor super hostibus meis , et vindicabor de inimicis meis. Et convertam manum meam ad te , et excoquam ad purum scoriam tuam, et auferam omne stannum tuum. Et restituam judices tuos ut fuerunt prius: et consiliarios tuos sicut antiquitus, post hæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis. Sion in judicio redimetur, et reducent eam in justitia: et conteret scelestos, et peccatores simul: et qui dereliquerunt Dominum , consumentur.

℟. Alieni non transibunt per Jerusalem amplius; * Nam in illa die stillabunt montes dulcedinem , et colles fluent lac et mel, dicit Dominus. ℣. Deus a libano veniet, et Sanctus de monte umbroso et condenso. Nam. Gloria. Nam.

Ad Laudes.

Ant. et Psalmi Feriæ ij , *p.* 39.

Capitulum. Isaiæ 2.

VENITE, et ascendamus ad montem Domini , et ad domum Dei Jacob ; et docebit nos vias suas , et ambulabimus in semitis ejus , quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.

Hymn. et ℣. ut supra , p. 109.

Ad Bened. Ant. Angelus Domini nuntiavit Mariæ , et concepit de Spiritu sancto , alleluia.

In fer. Offic. per Adv. dicuntur Preces ut in Psalt , p. 41.

Orat. Excita quæsumus, *p.* 109.

Oratio Dom. præteritæ semper dicitur per Hebd. in fer. Officio, quando propria non assignatur.

Hodie dicitur Offic. Defunct.

Ad Horas , Ant. de Laud. Dom. præced. Capit ℟℟. *br. et alia ut in Psalt , nisi quod in* ℟. *br. ad Primam , loco* ℣. Qui sedes *dicitur.* ℣. Qui venturus es in mundum.

Ad Vesperas.

Ant. et Psalmi de Psalt. , p. 88.

Capitulum. Genes. 49.

NON auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est : et ipse erit expectatio gentium.

Hymnus et ℣. ut supra , p. 109.

Ad Magnif. Ant. Leva, Jerusalem, oculos tuos, et vide potentiam Regis: ecce Salvator venit solvere te a vinculo.

Deinde Preces ut in Psalt., p. 41. *et Orat. Dom. præced.*, p. 108.

Capit. prædicta dicuntur in fer. Offic. usque ad Vigil. Nativ. Domini exclusive.

FERIA TERTIA.

De Isaia Propheta.

Lectio j. *Cap.* 2.

VERBUM, quod vidit Isaias filius Amos, super Juda et Jerusalem. Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium , et elevabitur super colles; et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi , et dicent: Venite, et ascendamus ad montem Domini , et ad domum Dei Jacob ; et docebit nos vias suas , et ambulabimus in semitis ejus , quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.

℟. Montes Israel , ramos vestros expandite , et florete , et fructus facite: * Prope est ut veniat dies Domini. ℣. Rorate cœli , desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet Salvatorem. Prope.

Lectio ij.

ET judicabit gentes, et arguet populos multos: et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces : non levabit gens contra gentem gladium , nec exercebuntur ultra ad prælium. Domus Jacob, venite , et ambulemus in lumine Domini. Projecisti enim populum tuum, domum Jacob : quia repleti sunt ut

Digitized by Google

olim, et augures habuerunt ut Philisthiim, et pueris alienis adhæserunt.

℟. Erumpant gentes jucunditatem, et colles justitiam: * Quia lux mundi Dominus cum potentia venit. ℣. De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Quia.

Lectio iij.

REPLETA est terra argento et auro, et non est finis thesaurorum ejus: et repleta est terra ejus equis, et innumerabiles quadrigæ ejus. Et repleta est terra ejus idolis: opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum. Et incurvavit se homo, et humiliatus est vir: ne ergo dimittas eis.

℟. Ecce ab Austro venio ego Dominus Deus vester, * Visitare vos in pace. ℣. Aspiciam vos, et crescere faciam; multiplicabimini, et firmabo pactum meum vobiscum. Visitare. Gloria. Visitare.

Ad Bened. Ant. Antequam convenirent, inventa est Maria habens in utero de Spiritu sancto, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Quærite Dominum, dum inveniri potest: invocate eum, dum prope est, alleluia.

FERIA QUARTA.

De Isaia Propheta.

Lectio j. *Cap.* 3.

ECCE enim dominator Dominus exercituum auferet a Jerusalem et a Juda validum et fortem, omne robur panis, et omne robur aquæ: fortem, et virum bellatorem: judicem, et Prophetam, et ariolum, et senem: principem super quinquaginta, et honorabilem vultu, et consiliarium, et sapientem de architectis, et prudentem eloquii mystici. Et dabo pueros principes eorum: et effeminati dominabuntur eis.

℟. Rex noster adveniet Christus, * Quem Joannes prædicavit Agnum esse venturum. ℣. Super ipsum continebunt reges os suum, ipsum gentes deprecabuntur. Quem.

Lectio ij.

EX irruet populus, vir ad virum, et unusquisque ad proximum suum: tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem. Apprehendet enim vir fratrem suum domesticum patris sui. Vestimentum tibi est, princeps esto noster: ruina autem hæc sub manu tua. Respondebit in die illa, dicens: Non sum medicus, et in domo mea non est panis, neque vestimentum: nolite constituere me principem populi.

℟. Ante multum tempus prophetavit Ezechiel: Vidi portam clausam: ecce Deus ante sæcula ex ea procedebat pro salute mundi. * Et erat iterum clausa, demonstrans virginem, quia post partum permansit virgo. ℣. Porta quam vidisti, Dominus solus transibit per illam. Et erat.

Lectio iij.

RUIT enim Jerusalem, et Judas concidit: quia lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus. Agnitio vultus eorum respondit eis; et peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt. Væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala. Dicite justo quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet. Væ impio in malum: retributio enim manuum ejus fiet ei.

℟. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum: et regnabit Rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra: * Et hoc est nomen quod vocabunt eum: * Dominus justus noster. ℣. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter. Et hoc. Gloria. Dominus.

Ad Bened. Ant. De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.

Ad Magnif. Ant. Veniet fortior me post me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum.

Digitized by Google

FERIA QUINTA

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 4.

ET apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes: Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur; tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum. In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis, et exultatio his qui salvati fuerint de Israel. Et erit: Omnis qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem.

℣. Suscipe verbum, *p.* 110.

Lectio ij. Cap. 5.

CANTABO dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. Et sepivit eam, et lapides elegit ex illa, et plantavit eam electam, et ædificavit turrim in medio ejus, et torcular extruxit in ea: et expectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas. Nunc ergo, habitatores Jerusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? an quod expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas?

℣. Aspiciebam in visu, *p.* 107.

Lectio iij.

ET nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: auferam sepem ejus, et erit in direptionem: diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem. Et ponam eam desertam: non putabitur, et non fodietur, et ascendent vepres et spinæ: et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem. Vinea enim Domini exercituum domus Israel est: et vir Juda germen ejus delectabile: et expectavi ut faceret judicium, et ecce iniquitas: et justitiam, et ecce clamor.

℣. Missus est Gabriel, *p.* 107.

Ad Bened. Ant. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

Ad Magnif. Ant. Expectabo Dominum Salvatorem meum, et præstolabor eum dum prope est, alleluia.

FERIA SEXTA.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 6.

IN anno, quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum; et ea quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, et sex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria ejus.

℣. Ave Maria, *p.* 108.

Lectio ij.

ET commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis, et domus repleta est fumo. Et dixi: Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito, et Regem Dominum exercituum vidi oculis meis. Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, et dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur.

℣. Salvatorem, *p.* 108.

Lectio iij.

ET audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam? et quis ibit nobis? Et dixi; Ecce ego, mitte me. Et dixit; Vade, et dices populo huic: Audite audientes, et nolite intelligere: et videte visionem, et nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.

℣. Obsecro Domine, *p.* 108.

An Bened. Ant. Ecce veniet Deus et homo de domo David sedere in throno, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Ex Ægypto vocavi Filium meum ; veniet ut salvet populum suum.

SABBATO.

De Isaia propheta.

Lectio j. Cap. 7.

ET factum est in diebus Achaz filii Joathan, filii Oziæ regis Juda, ascendit Rasin rex Syriæ, et Phacee filius Romeliæ rex Israel, in Jerusalem, ad præliandum contra eam : et non potuerunt debellare eam. Et nuntiaverunt domui David, dicentes: Requievit Syria super Ephraim , et commotum est cor ejus, et cor populi ejus, sicut moventur ligna silvarum a facie venti. Et dixit Dominus ad Isaiam : Egredere in occursum Achaz, tu et qui derelictus est Jasub filius tuus, ad extremum aquæductus piscinæ superioris in via agri fullonis.

℟. Ecce Virgo, *p.* 108.

Lectio ij.

ET dices ad eum : Vide ut sileas: noli timere; et cor tuum ne formidet a duabus caudis titionum fumigantium istorum in ira furoris Rasin regis Syriæ, et filii Romeliæ: eò quòd consilium inierit contra te Syria in malum , Ephraim, et filius Romeliæ, dicentes : Ascendamus ad Judam, et suscitemus eum, et avellamus eum ad nos, et ponamus regem in medio ejus filium Tabeel.

℟. Audite verbum , *p.* 108.

Lectio iij.

ET adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens : Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.Et dixit Achaz: Non petam, et non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo, domus David: Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet , et pariet filium , et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum , et eligere bonum.

℟. Ecce dies veniunt, *p.* 109.

Ad Bened. Ant. Sion, noli timere, ecce Deus tuus veniet, alleluia.

Ad Vesperas.

Capitulum. Rom. 15.

FRATRES , Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt : ut per patientiam, et consolationem Scripturarum spem habeamus.

Hymnus et ℣. ut supra , p. 105.

Ad Magnif. Ant. Veni , Domine , visitare nos in pace , ut lætemur coram te corde perfecto.

Oratio

EXCITA , Domine , corda nostra ad præparandas Unigeniti tui vias, ut per eius adventum purificatis tibi mentibus servire mereamur : Qui tecum vivit.

DOM. II. ADVENTUS.

Ad Matutinum.

Invit. et Hymnus ut in Dom. I. *Adv.*, p. 105.

IN I. NOCTURNO.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. II.

ET egredietur virga de radice Jesse , et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini: spiritus sapientiæ et intellectus , spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis: et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet : sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ.

℟. Jerusalem, cito veniet salus tua: quare mœrore consumeris? numquid consiliarius non est tibi , quia invavit te dolor ? * Salvabo te , et liberabo te , noli timere. ℣. Ego enim sum Dominus Deus tuus,Sanctus Israel Redemptor tuus. Salvabo te.

Lectio ij.

ET percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum inter-

ficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus. Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit: vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur: simul requiescent catuli eorum, et leo quasi bos comedet paleas.

℣. Ecce Dominus veniet, et omnes sancti ejus cum eo, et erit in die illa lux magna: et exibunt de Jerusalem sicut aqua munda; et regnabit Dominus in æternum, * Super omnes gentes. ℣. Ecce Dominus cum virtute veniet; et regnum in manu ejus, et potestas, et imperium. Super.

Lectio. iij.

ET delectabitur infans ob ubere super foramine aspidis: et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes. In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur: et erit sepulchrum ejus gloriosum.

℣. Civitas Jerusalem, noli flere; quoniam doluit Dominus super te: * Et auferet a te omnem tribulationem. ℣. Ecce Dominus in fortitudine veniet: et brachium ejus dominabitur. Et. Gloria. Et.

IN II. NOCTURNO.

De Expositione S. Hieronymi Presbyteri in Isaiam Prophetam.

Lib. 4. in cap. 2. Isaiæ.

Lectio iv.

ET egredietur virga de radice Jesse. Usque ad principium visionis, vel ponderis Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos, omnis hæc prophetia de Christo est, quam per partes volumus explanare, ne simul proposita atque disserta, lectoris confundat memoriam. Virgam et florem de radice Jesse ipsum Dominum Judæi interpretantur: quod scilicet in virga regnantis potentia, in flore pulchritudo monstretur.

℣. Ecce veniet Dominus protector noster, Sanctus Israel, * Coronam regni habens in capite suo. ℣. Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Coronam.

Lectio. v.

NOS autem virgam de radice Jesse sanctam Mariam virginem intelligamus, quæ nullum habuit sibi fruticem cohærentem, de qua et supra legimus: Ecce virgo concipiet, et pariet filium. Et florem, Dominum Salvatorem, qui dicit in Cantico canticorum: Ego flos campi, et lilium convallium.

℣. Sicut mater consolatur filios suos, ita consolabor vos, dicit Dominus: et de Jerusalem civitate quam elegi, veniet vobis auxilium: * Et videbitis, et gaudebit cor vestrum. ℣. Dabo in Sion salutem, et in Jerusalem gloriam meam. Et videbitis.

Lectio vj.

SUPER hunc igitur florem, qui de trunco et radice Jesse per Mariam virginem repente consurget, requiescet Spiritus Domini: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis habitare corporaliter: nequaquam per partes, ut in cæteris Sanctis: sed iuxta Evangelium eorum, quod Hebræo sermone conscriptum legunt Nazaræi: Descendet super eum omnis fons Spiritus sancti: Dominus autem spiritus est; et ubi Spiritus Domini, ibi libertas.

℣. Jerusalem, plantabis vineam in montibus tuis: exultabis, quoniam dies Domini veniet: surge, Sion, convertere ad Dominum Deum tuum: gaude et lætare, Jacob, * Quia de medio gentium Salvator tuus veniet. ℣. Exulta satis, filia Sion: jubila, filia Jerusalem. Quia. Gloria. Quia.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 3.

IN illo tempore: Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Homil. 6. *in Evang. post init.*

VISIS tot signis, tantisque virtutibus, non scandalizari quisque potuit, sed admirari. Sed infidelium mens grave in illo scandalum pertulit, cum eum post tot miracula morientem vidit. Unde et Paulus dicit: Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Stultum quippe hominibus visum est, ut pro hominibus auctor vitæ moreretur: et inde contra eum homo scandalum sumpsit, unde ei amplius debitor fieri debuit. Nam tanto Deus ab hominibus dignius honorandus est, quanto pro hominibus et indigna suscepit.

℟. Egredietur Dominus de Samaria ad portam, quæ respicit ad Orientem: et veniet in Bethleem, ambulans super aquas redemptionis Judæ: * Tunc salvus erit omnis homo: quia ecce veniet. ℣. Et præparabitur in misericordia solium ejus, et sedebit super illud in veritate. Tunc.

Lectio viij.

QUID est ergo dicere, Beatus qui non fuerit scandalizatus in me, nisi aperta voce abjectionem mortis suæ humilitatemque signare? Ac si patenter dicat: Mira quidem facio, sed abjecta perpeti non dedignor. Quia ergo moriendo te subsequor, cavendum valde est hominibus, ne in me mortem despiciant, qui signa venerantur.

℟. Festina, ne tardaveris, Domine: * Et libera populum tuum. ℣. Veni, Domine, et noli tardare: relaxa facinora plebi tuæ. Et.

Lectio ix.

SED dimissis Joannis discipulis, quid de eodem Joanne turbis dicat, audiamus. Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Quod videlicet non asserendo, sed negando intulit. Arundinem quippe mox ut aura contigerit, in partem alteram inflectit. Et quid per arundinem, nisi carnalis animus designatur, qui mox ut favore, vel detractione tangitur, statim in partem quamlibet inclinatur?

℟. Ecce Dominus veniet cum splendore descendens, et virtus ejus cum eo, * Visitare populum suum in pace, et constituere super eum vitam sempiternam. ℣. Ecce Dominus noster cum virtute veniet. Visitare. Gloria. Visitare.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. ECCE in nubibus cœli Dominus veniet cum potestate magna, alleluia.

2. Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea murus et antemurale: aperite portas, quia nobiscum Deus, alleluia.

3. Ecce apparebit Dominus, et non mentietur: si moram fecerit, expecta eum, quia veniet, et non tardabit, alleluia.

4. Montes et colles cantabunt coram Deo laudem, et omnia ligna silvarum plaudent manibus: quoniam veniet dominator Dominus in regnum æternum, alleluia, alleluia.

5. Ecce Dominus noster cum virtute veniet, et illuminabit oculos servorum suorum, alleluia.

Capitulum. Rom. 15.

FRATRES, Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam, et consolationem Scripturarum spem habeamus.

Hymnus et ℣. *ut supra* p. 109.

Digitized by Google

Ad Bened. Ant. Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos ex discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

Oratio.

EXCITA, Domine, corda nostra ad præparandas Unigeniti tui vias, ut per ejus adventum purificatis tibi mentibus servire mereamur: Qui tecum vivit.

Ad Horas ℣. *br. ut in Dom. I.*

Ad Tertiam.

Capit. Fratres Quæcumque.

Ad Sextam.

Capitulum. Rom. 15.

DEUS autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum: ut unanimes uno ore honorificetis Deum, et Patrem Domini nostri Jesu Christi.

Ad Nonam.

Capitulum. Rom. 15.

DEUS autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo: ut abundetis in spe, et in virtute Spiritus sancti.

Ad Vesperas.

Ant. de Laud. Psalmi de Dom. Capit. Fratres Quæcumque.

Hymnus et ℣. *ut supra*, p. 106.

Ad Magnif. Ant. Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Dicite Joanni quæ vidistis: Ad lumen redeunt cæci, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur, alleluia.

Post Vesp. dici Vesp. Defunct.

FERIA SECUNDA.

De Isaia Propheta.

Lectio. j. Cap. 13

ONUS Babylonis, quod vidit Isaias Filius Amos. Super montem caliginosum levate signum, exaltate vocem, levate manum, et ingrediantur portas duces. Ego mandavi sanctificatis meis, et vocavi fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea. Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium: vox sonitus regum, gentium congregatarum.

℟. Suscipe verbum, *p.* 110.

Lectio ij.

DOMINUS exercituum præcepit militiæ belli, venientibus de terra procul a summitate cœli: Dominus et vasa furoris ejus, ut disperdat omnem terram. Ululate, quia prope est dies Domini: quasi vastitas a Domino veniet. Propter hoc omnes manus dissolventur, et omne cor hominis contabescet, et conteretur. Torsiones et dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt: unusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum.

℟. Lætentur cœli, *p.* 110.

Lectio iij.

ECCE dies Domini veniet crudelis, et indignationis plenus, et iræ furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, et peccatores ejus conterendos de ea. Quoniam stellæ cœli, et splendor earum non expandent lumen suum: obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo. Et visitabo super orbis mala, et contra impios iniquitatem eorum: et quiescere faciam superbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo.

℟. Alieni non transibunt, *p.* 111.

Ad Bened. Ant. De cœlo veniet dominator Dominus, et in manu ejus honor et imperium.

Hodie dicitur Offic. Defunct.

Ad Magnif. Ant. Ecce veniet Rex Dominus terræ, et ipse auferet jugum captivitatis nostræ.

FERIA TERTIA.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 14.

PROPE est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur.

Digitized by Google

Miserebitur enim Dominus Jacob, et eliget adhuc de Israel, et requiescere eos faciet super humum suam: adjungetur advena ad eos, et adhærebit domui Jacob. Et tenebunt eos populi, et adducent eos in locum suum: et possidebit eos domus Israel super terram Domini in servos et ancillas: et erunt capientes eos qui se ceperant, et subjicient exactores suos.

℟. Montes Israël, *p.* 110.

Lectio ij.

ET erit in die illa, cum requiem dederit tibi Deus a labore tuo, et a concussione tua, et a servitute dura, qua ante servisti: sumes parabolam istam contra regem Babilonis, et dices: Quomodo cessavit exactor, quievit tributum? Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione, plaga insanabili, subjicientem in furore gentes, persequentem crudeliter.

℟. Erumpant, *p.* 112.

Lectio iij.

QUOMODO cecidisti de cælo, Lucifer, qui mane oriebaris, corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum lacus.

℟. Ecce ab Austro, *p.* 110.

Ad Bened. Ant. Super te, Jerusalem, orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur.

Ad Magnif. Ant. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri.

FERIA QUARTA.

De Isaia Propheta.

Lectio. j. Cap. 16.

EMITTE Agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion. Et erit: sicut avis fugiens, et pulli de nido avolantes, sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon. Ini consilium, cogé concilium: pone quasi noctem umbram tuam in meridie: absconde fugientes, et vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei: Moab esto latibulum eorum a facie vastatoris.

℟. Rex noster adveniet, *p.* 112.

Lectio ij.

FINITUS est enim pulvis, consummatus est miser, defecit qui conculcabat terram. Et præparabitur in misericordia solium, et sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, judicans et quærens judicium, et velociter reddens quod justum est. Audivimus superbiam Moab, superbus est valde: superbia ejus, et arrogantia ejus, et indignatio ejus plus quam fortitudo ejus.

℟. Ante multum, *p.* 112.

Lectio iij.

IDCIRCO ululabit Moab ad Moab, universus ululabit: his, qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas. Quoniam suburbana Hesebon deserta sunt, et vineam Sabama domini gentium exciderunt: flagella ejus usque ad Jaser pervenerunt, erraverunt in deserto, propagines ejus relictæ sunt, transierunt mare.

℟. Ecce dies, *p.* 112.

Ad Bened. Ant. Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam meam ante faciem tuam.

Ad Magnif. Ant. Sion renovaberis, et videbis justum tuum, qui venturus est in te.

FERIA QUINTA.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 19.

ONUS Ægypti. Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægiptum, et commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus, et cor Ægipti tabescet in medio ejus. Et concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios: et pugnabit vir contra fratrem suum, et

vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem, regnum adversus regnum.

℟. Jerusalem cito, *p.* 113.

Lectio ij.

ET dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus, et consilium ejus præcipitabo: et interrogabunt simulacra sua, et divinos suos, et pythones, et ariolos. Et tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium: et rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum. Et arescet aqua de mari, et fluvius desolabitur, atque siccabitur. Et deficient flumina: attenuabuntur et siccabuntur rivi aggerum.

℟. Ecce Dominus, *p.* 113.

Lectio iij.

STULTI principes Taneos, sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens. Quomodo dicetis Pharaoni: Filius sapientium ego, filius regum antiquorum? Ubi nunc sunt sapientes tui? Annuntient tibi, et indicent quid cogitaverit Dominus exercituum super Ægiptum. Stulti facti sunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos; deceperunt Ægyptum, angulum populorum ejus.

℟. Civitas Jerusalem, *p.* 113.

Ad Bened. Ant. Tu es qui venturus es, Domine, quem expectamus, ut salvum facias populum tuum.

Ad Magnif. Ant. Qui post me veniet, ante me factus est: cujus non sum dignus calceamenta solvere.

FERIA SEXTA.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 24.

ECCE Dominus dissipabit terram, et nudabit eam, et affliget faciem ejus, et disperget habitatores ejus. Et erit sicut populus, sic sacerdos: et sicut servus, sic dominus ejus: sicut ancilla, sic domina ejus: sicut emens, sic ille qui vendit: sicut fœnerator, sic is qui mutuum accipit: sicut qui repetit, sic qui debet. Dissipatione dissipabitur terra, et direptione prædabitur. Dominus enim locutus est verbum hoc.

℟. Ecce veniet, *p.* 115.

Lectio ij.

LUXIT, et defluxit terra, et infirmata est; defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terræ. Et terra infecta est ab habitatoribus suis: quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram, et peccabunt habitatores ejus: ideoque insanient cultores ejus, et relinquentur homines pauci.

℟. Sicut mater, *p.* 115.

Lectio iij.

LUXIT vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes qui lætabantur corde. Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, contiruit dulcedo citharæ. Cum cantico non bibent vinum: amara erit potio bibentibus illam. Attrita est civitas vanitatis, clausa est omnis domus nullo introeunte. Clamor erit super vino in plateis: deserta est omnis lætitia, translatum est gaudium terræ. Relicta est in urbe solitudo, et calamitas opprimet portas. Quia hæc erunt in medio terræ, in medio populorum; quomodo si paucæ olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea: et racemi, cum fuerit finita vindemia. Hi levabunt vocem suam, atque laudabunt: cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari. Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum, in insulis maris nomen Domini Dei Israel. A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi.

℟. Jerusalem plantabis, *p.* 115.

Ad Bened. Ant. Dicite: Pusillanimes, confortamini: Ecce Dominus Deus noster veniet.

Ad Magnif. Ant. Cantate Domi-

Digitized by Google

no canticum novum : laus ejus ab extremis terræ.

SABBATO.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 25.

DOMINE, Deus meus es tu, exaltabo te, et confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen. Quia posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum: ut non sit civitas, et in sempiternum non ædificetur. Super hoc laudabit te populus fortis, civitas gentium robustarum timebit te. Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua: spes a turbine, umbraculum ab æstu.

℟. Egredietur, *p.* 116.

Lectio ij.

SPIRITUS enim robustorum quasi turbo impellens parietem. Sicut æstus in siti, tumultum alienorum humiliabis: et quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere facies. Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et telam quam orditus est super omnes nationes.

℟. Festina, *p.* 116.

Lectio iij.

PRÆCIPITABIT mortem in sempiternum: et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universa terra: quia Dominus locutus est. Et dicet in die illa: Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, et salvabit nos: iste Dominus, sustinuimus eum, exultavimus et lætabimur in salutari ejus. Quia requiescet manus Domini in monte isto, et triturabitur Moab sub eo, sicuti teruntur palcæ in plaustro. Et extendet manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natandum: et humiliabit gloriam ejus cum allisione manuum ejus. Et munimenta sublimium murorum tuorum concident, et humiliabuntur, et detrahentur in terram usque ad pulverem.

℟. Ecce Dominus veniet, *p.* 116.

Ad Bened. Ant. Levabit Dominus signum in nationibus, et congregabit dispersos Israel.

Ad Vesperas.

Capitulum. Philip. 4.

FRATRES, Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus enim prope est.

Hymnus et ℟. *ut supra*, p. 106.

Ad Magnif. Ant. Ante me non est formatus Deus, et post me non erit: quia mihi curvabitur omne genu, et confitebitur omnis lingua.

Oratio.

AUREM tuam, quæsumus, Domine, precibus nostris accommoda, et mentis nostræ tenebras gratia tuæ visitationis illustra: Qui vivis.

DOM. III. ADVENTUS.

Ad Matutinum.

Invit. Prope est jam Dominus: Venite, adoremus.

Et dicitur quotidie usque ad Vigil. Nativ. Domini exclusive.

Psalm. Venite, *p.* 1.

Hymnus ut supra p. 106.

IN I. NOCTURNO.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 25.

IN die illa cantabitur canticum istud in terra Juda: Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea murus et antemurale. Aperite portas, et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem. Vetus error abiit: servabis pacem: pacem, quia in te spe-

Digitized by Google

ravimus. Sperastis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. Quia incurvabit habitantes in excelso, civitatem sublimem humiliabit: humiliabit eam usque ad terram, detrahet eam usque ad pulverem. Conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum.

℟. Ecce apparebit Dominus super nubem candidam, * Et cum eo Sanctorum millia: et habebit in vestimento, et in femore suo scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium. ℣. Apparebit in finem, et non mentietur: si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet. Et cum eo.

Lectio ij.

SEMITA justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum. Et in semita judiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te: nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte; sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Cum feceris judicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis. Misereamur impio, et non discet justitiam: in terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini.

℟. Bethlehem civitas Dei summi, ex te exiet dominator Israel; et egressus ejus sicut a principio dierum æternitatis, et magnificabitur in medio universæ terræ: * Et pax erit in terra nostra, cum venerit. ℣. Loquetur pacem in gentibus, et potestas ejus a mari usque ad mare. Et pax.

Lectio iij.

DOMINE, exaltetur manus tua, et non videant: videant et confundantur zelantes populi: et ignis hostes tuos devoret. Domine, dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis. Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te: tantum in te recordemur nominis tui. Morientes non vivant, gigantes non resurgant. Propterea visitasti et contristi eos, et perdidisti omnem memoriam eorum.

℟. Qui venturus est, veniet, et non tardabit: et jam non erit timor in finibus nostris: * Quoniam ipse est Salvator noster. ℣. Deponet omnes iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Quoniam. Gloria. Quoniam.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Leonis Papæ.

Serm. 2. de jejunio decimi mensis et collecta.

Lectio iv.

QUOD temporis ratio, et devotionis nostræ admonet consuetudo, pastorali vobis, dilectissimi, sollicitudine prædicamus, decimi mensis celebrandum esse jejunium, quo pro consummata perceptione omnium fructuum, dignissime largitori eorum Deo continentiæ libamen offertur. Quid enim potest efficacius esse jejunio, cujus observantia appropinquamus Deo, et resistentes Diabolo, vitia blanda superamus?

℟. Ægypte, noli flere, quia dominator tuus veniet tibi, ante cujus conspectum movebuntur abyssi, * Liberare populum suum de manu potentiæ. ℣. Ecce veniet Dominus, exercituum, Deus tuus cum potestate magna. Liberare.

Lectio v.

SEMPER enim virtuti cibus jejunium fuit. De abstinentia denique prodeunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubria consilia: et per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innovatur. Sed quia non solo jejunio animarum nostrarum salus acquiritur, jejunium nostrum misericordiis pauperum suppleamus. Impendamus virtuti, quod subtrahimus voluptati. Fiat refectio pauperis abstinentia jejunantis.

℟. Prope est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur: * Miserebitur Dominus Jacob, et Israel.

Digitized by Google

salvabitur. ℣. Revertere, virgo Israel, revertere ad civitates tuas. Miserebitur.

Lectio vi.

STUDEAMUS viduarum defensioni, pupillorum utilitati, lugentium consolationi, dissidentium paci. Suscipiatur peregrinus, adjuvetur oppressus, vestiatur nudus, foveatur ægrotus: ut quicumque nostrum de justis laboribus auctori bonorum omnium Deo sacrificium hujus pietatis obtulerit, ab eodem regni cœlestis præmium percipere mereatur. Quarta igitur et sexta feria jejunemus. Sabbato autem apud beatum Petrum Apostolum pariter vigilemus, cujus suffragantibus meritis, quæ poscimus, impetrare possimus, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et sancto Spiritu vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

℟. Descendet Dominus sicut pluvia in vellus: * Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis. ℣. Et adorabunt eum omnes reges, omnes Gentes servient ei. Orietur. Gloria. Orietur.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 1.

IN illo tempore: Miserunt Judæi ab Jerosolymis Sacerdotes et Levitas ad Joannem, ut interrogarent eum: Tu quis es? Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homil. 7. *in Evangelia.*

EX hujus nobis lectionis verbis, fratres charissimi, Joannis humilitas commendatur: qui cum tantæ virtutis esset, ut Christus credi potuisset, elegit solide subsistere in se, ne humana opinione raperetur inaniter super se. Nam confessus est, et non negavit: et confessus est, Quia non sum ego Christus. Sed qui dixit, Non sum; negavit plane quod non erat, sed non negavit quod erat; ut veritatem loquens, ejus membrum fieret, cujus sibi nomen fallaciter non usurparet. Cum ergo non vult appetere nomen Christi, factus est membrum Christi: quia dum infirmitatem suam studuit humiliter agnoscere, illius celsitudinem meruit veraciter obtinere.

℣. Veni, Domine, et noli tardare: relaxa facinora plebi tuæ, * Et revoca dispersos in terram suam. ℣. Excita, Domine, potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos. Et revoca.

Lectio viij.

SED cum ex lectione alia, Redemptoris nostri sententia ad mentem reducitur, ex hujus lectionis verbis nobis quæstio valde implexa generatur. Alio quippe in loco inquisitus a discipulis Dominus de Eliæ adventu, respondit: Elias jam venit et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eum quæcumque voluerunt: et, si vultis scire, Joannes ipse est Elias. Requisitus autem Joannes dicit: Non sum Elias. Quid est hoc, fratres charissimi, quia quod Veritas affirmat, hoc Propheta Veritatis negat? Valde namque inter se diversa sunt. Ipse est: et, Non sum. Quomodo ergo Propheta Veritatis est, si ejusdem Veritatis sermonibus concors non est?

℟. Ecce radix Jesse descendet in salutem populorum, ipsum gentes deprecabuntur: * Et erit nomen ejus gloriosum. ℣. Dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum. Et erit.

Lectio vij

SED si subtiliter veritas ipsa requiratur, hoc quod inter se contrarium sonat, quomodo contrarium non sit, invenitur. Ad Zachariam namque de Joanne Angelus dicit: Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ. Qui ideirco venturus in spiritu et virtute Eliæ dicitur, quia sicut Elias secundum Domini adventum præveniet, ita Joannes prævenit primum. Sicut ille præcursor

venturus est Judicis, ita iste præcursor factus est Redemptoris. Joannes igitur in spiritu Elias erat, in persona Elias non erat. Quod ergo Dominus fatetur de spiritu, hoc Joannes denegat de persona.

℟. Docebit nos Dominus vias suas, et ambulabimus in semitis ejus: * Quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. ℣. Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob. Quia. Gloria. Quia.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. VENIET Dominus, et non tardabit, et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit se ad omnes gentes, alleluia.

2. Jerusalem, gaude gaudio magno, quia veniet tibi Salvator, alleluia.

3. Dabo in Sion salutem, et in Jerusalem gloriam meam, alleluia.

4. Montes et omnes colles humiliabuntur: et erunt prava in directa, et aspera in vias planas: veni, Domine, et noli tardare, alleluia.

5. Juste et pie vivamus, expectantes beatam spem, et adventum Domini.

Capitulum. Philip. 4.

FRATRES, Gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus enim prope est.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 109.

Ad Bened. Ant. Super solium David, et super regnum ejus sedebit in æternum, alleluia.

Oratio.

AUREM tuam, quæsumus, Domine, precibus nostris accommoda, et mentis nostræ tenebras gratia tuæ visitationis illustra: Qui vivis.

Ad Horas ℟℟. br. ut in Dom I.

Ad Tertiam.

Capit. Fratres, Gaudete, *ut sup.*

Ad Sextam.

Capitulum. Philip. 4.

NIHIL solliciti sitis, sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.

Ad Nonam.

Capitulum. Philip. 4.

ET pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras, in Christo Jesu Domino nostro.

Ad Vesperas.

Ant. de Laud. Psalmi de Dom.

Capit: Fratres Gaudete, *ut sup.*

Hymnus et ℣. ut supra, p. 106.

Ad Magnif. Ant. Beata es, Maria, quæ credidisti Domino: perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino, alleluia.

Post Vesp. diei Vesp. Defunct.

Ant. Beata es *prætermittitur, si hodie ejus loco ponenda sit una ex Ant. majoribus, ut infra: quibus semper cedunt Ant. propriæ aliis diebus ad* Magnificat *assignatæ.*

Sequentes Ant. majores ad Magnificat *inchoantur die* xvij *Decembris, et singulæ ante et post* Magnificat *integræ sicut in Dupl. dicuntur per ordinem usque ad diem ante Vigil. Nativ. Si vero festum fuerit, dicuntur post Orationem Festi pro comm. Adv.*

Die 17. *Dec. Ant.* O Sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiisti, attingens a fine usque ad finem fortiter, suaviterque disponens omnia: veni ad docendum nos viam prudentiæ.

18. *Ant.* O Adonai, et dux domus Israel, qui Moysi in igne flammæ rubi apparuisti, et ei in Sina legem dedisti: veni ad redimendum nos in brachio extento.

19. *Ant.* O radix Jesse, qui stas in signum populorum, super quem continebunt reges os suum, quem gentes deprecabuntur: veni ad liberandum nos, jam noli tardare.

20. *Ant.* O clavis David, et scep-

Digitized by Google

trum domus Israel : qui aperis, et nemo claudit ; claudis , et nemo aperit : veni , et educ vinctum de domo carceris , sedentem in tenebris, et umbra mortis.

21. *Ant.* O oriens , splendor lucis æternæ , et sol justitiæ : veni , et illumina sedentes in tenebris , et umbra mortis.

22. *Ant.* O Rex gentium , et desideratus earum , lapisque angularis , qui facis utraque unum : veni, et salva hominem , quem de limo formasti.

23. *Ant.* O Emmanuel , Rex et legifer noster , expectatio gentium , et Salvator earum : veni ad salvandum nos , Domine Deus noster.

Sequentes Ant. ad Laud. et per Horas dicuntur in sex Feriis ante Vigil. Nativ., incipiendo die XVIJ *Decembris , ab Ant. quæ Feriæ illius diei assignantur. Similiter et aliæ dicuntur in propriis Feriis.*

Quod si dies XVIJ *fuerit Dom., Ant. inchoantur seq. Feria* IJ , *quæ erit dies* XVIIJ *Quæ autem dicendæ essent die , in quo occurrit festum S. Thomæ , dicuntur in Sabbato cum Psalmis Sabbati ,* IV *Ant. prætermissa: cujus loco dicitur Ant.* Expectetur, *nisi Vigil. Nativ. venerit in Dom. : tunc enim in Sabbato dicuntur Ant. de Laud. Dom. ,* IV *prætermissa ; cujus loco dicitur Ant.* Expectetur. *Ant. ad* Benedictus , *et Oratio dicitur ut in Sabbato quatuor Temp. ponitur. Ant. vero de Laud. quæ occurrunt in die S. Thomæ , eo anno prætermittuntur : et in Dom. tunc dicuntur Ant. de Vigil. Similiter omittitur Ant.* Expectetur , *quando illud Festum in Sabbato venerit.*

FERIA SECUNDA.

Ad Laudes

et per Horas , Antiphonæ.

1. **ECCE** veniet Dominus, princeps regum terræ : beati qui parati sunt occurrere illi.

2. Cum venerit Filius hominis, putas inveniet fidem super terram ?

3. Ecce jam venit plenitudo temporis , in quo misit Deus Filum suum in terras.

4. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

5. Egredietur Dominus de loco sancto suo : veniet ut salvet populum suum.

FERIA TERTIA.

Ad Laudes

et per Horas , Antiphonæ.

1. **RORATE** , cœli , desuper , et nubes pluant justum : aperiatur terra , et germinet Salvatorem.

2. Emitte Agnum , Domine , dominatorem terræ , de petra deserti ad montem filiæ Sion.

3. Ut cognoscamus , Domine , in terra viam tuam , in omnibus gentibus salutare tuum.

4. Da mercedem , Domine , sustinentibus te , ut Prophetæ tui fideles inveniantur.

5. Lex per Moysen data est , gratia et veritas per Jesum Christum facta est.

FERIA QUARTA.

Ad Laudes

et per Horas , Antiphonæ.

1. **PROPHETÆ** prædicaverunt nasci Salvatorem de Virgine Maria.

2. Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me.

3. Propter Sion non tacebo , donec egrediatur ut splendor justus ejus.

4. Ecce veniet Dominus, ut sedeat cum principibus , et solium gloriæ teneat.

5. Annuntiate populis , et dicite : Ecce Deus Salvator noster veniet.

FERIA QUINTA.

Ad Laudes

et per Horas , Antiphonæ.

1. **DE** Sion veniet Dominus omnipotens , ut salvum faciat populum suum.

2. Converte , Domine , aliquantu-

Digitized by Google

lum, et ne tardes venire ad servos tuos.

3. De Sion veniet, qui regnaturus est Dominus, Emmanuel magnum nomen ejus.

4. Ecce Deus meus, et honorabo eum: Deus patris mei, et exaltabo eum.

5. Dominus legifer noster, Dominus Rex noster, ipse veniet, et salvabit nos.

FERIA SEXTA.

Ad Laudes.

et per Horas, Antiphonæ.

1. **CONSTANTES** estote, videbitis auxilium Domini super vos.

2. Ad te, Domine, levavi animam meam: veni, et eripe me, Domine, ad te confugi.

3. Veni, Domine, et noli tardare: relaxa facinora plebi tuæ Israel.

4. Deus a Libano veniet, et splendor ejus sicut lumen erit.

5. Ego autem ad Dominum aspiciam, et expectabo Deum Salvatorem meum.

SABBATO.

Antiphonæ secundum superiorem Rubricam, p. 124.

Ad Canticum vero, Ant. Expectetur sicut pluvia eloquium meum: et descendat super nos sicut ros Deus noster.

In Festo S. Thomæ pro comm. Adv., ad Benedictus, *Ant.* Nolite timere; quinta enim die veniet ad vos Dominus noster.

Si vero contingat Festum S. Thomæ transferri in ij *Feriam, Ant. prædicta dicitur ad* Benedictus, *in Dom., loco Ant.* Ave Maria.

Ultimo die ante Vigil. Nativ., ad Benedictus, *Ant.* Ecce completa sunt omnia, quæ dicta sunt per Angelum de Virgine Maria.

Quibus Ant. cedunt aliæ Ant. in propriis locis ad Benedictus *assignatæ.*

FERIA SECUNDA.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 28.

VÆ corona superbiæ, ebriis Ephraim, et flori decidenti, gloriæ exultationis ejus, qui erant in vertice vallis pinguissimæ, errantes a vino. Ecce validus et fortis Dominus sicut impetus grandinis, turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium, et emissarum super terram spatiosam. Pedibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum Ephraim.

℟. Ecce apparebit, *p.* 121.

Lectio ij.

ET erit flos decidens gloriæ exultationis ejus, qui est super verticem vallis pinguium, quasi temporaneum ante maturitatem autumni: quod cum aspexerit videns, statim ut manu tenuerit, devorabit illud. In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, et sertum exultationis residuo populi sui: et spiritus judicii sedenti super judicium, et fortitudo revertentibus de bello ad portam. Verum hi quoque præ vino nescierunt, et præ ebrietate erraverunt: sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino.

℟. Bethlehem civitas Dei, *p.* 121.

Lectio iij.

IDCIRCO hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum. Qui crediderit, non festinet. Et ponam in pondere judicium, et justitiam in mensura: et subvertet grando spem mendacii, et protectionem aquæ inundabunt. Et delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit.

℟. Qui venturus es, *p.* 121.

Ad Laudes Ant.ª de Psalt., nisi dicendæ sint Ant. secundum superiorem Rubricam, p. 124.

Ad Bened. Ant. Egredietur virga de

Digitized by Google

radice Jesse, et replebitur omnis terra gloria Domini: et videbit omnis caro salutare Dei.

Oratio. Aurem tuam, *p.* 123.

Hodie dicitur offic. Defunt.

Ad Magnif. Ant. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus.

Nisi dicenda sit Ant. ❶

FERIA TERTIA.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 30.

EXPECTAT Dominus ut misereatur vestri: et ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus judicii Dominus: beati omnes qui expectant eum. Populus enim Sion habitabit in Jerusalem: plorans nequaquam plorabis, miserans miserebitur tui: ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi. Et dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem: et non faciet avolare a te ultra doctorem tuum: et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.

℟. Ægypte noli flere, *p.* 121.

Lectio ij.

EGREDERE, dices ei, et dabitur pluvia semini tuo, ubicumque seminaveris in terra: et panis frugum terræ erit uberrimus et pinguis. Pascetur in possessione tua in die illo agnus spatiose: et tauri tui, et pulli asinorum, qui operantur terram, commixtum migma comedent sicut in area ventilatum est. Et erunt super omnem montem excelsum, et super omnem collem elevatum rivi currentium aquarum, in die interfectionis multorum, cum ceciderint turres.

℟. Prope est, *p.* 121.

Lectio iij.

ET erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagæ ejus sanaverit. Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus; et gravis ad portandum: labia ejus repleta sunt indignatione, et lingua ejus quasi ignis devorans. Spiritus ejus velut torrens inundans usque ad medium colli ad perdendas gentes in nihilum, et frænum erroris quod erat in maxillis populorum.

℟. Descendet Dominus, *p.* 122.

Ad Bened Ant. Tu Bethlehem, terra Juda, non eris minima: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel.

Ad Magnif. Ant. Elevare, elevare, consurge, Jerusalem: solve vincula colli tui, captiva filia Sion.

Nisi dicenda sit Ant. ❶.

FERIA QUARTA.

Quatuor Temporum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio j. Cap. I.

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David: et nomen virginis Maria. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 2. in Lucam.

LATENT quidem divina mysteria, nec facilè, juxta propheticum dictum, quisquam hominum potest scire consilium Dei. Sed tamen ex cæteris factis atque præceptis Domini Salvatoris possumus intelligere et hoc propensioris fuisse consilii, quòd ea potissimum electa est ut Dominum pareret, quæ erat desponsata viro. Cur autem non antequam desponsaretur, impleta est? Fortasse ne diceretur, quod conceperat ex adulterio.

℟. Clama in fortitudine, qui annuntias pacem in Jerusalem: * Dic civitatibus Judæ, et habitatoribus Sion: Ecce Deus noster, quem expectabamus, adveniet. ℣. Supra montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam. Dic.

Digitized by Google

Lectio ij.

ET ingressus ad eam Angelus. Discce virginem moribus, disce virginem verecundia, disce oraculo, discce mysterio. Trepidare virginum est, et ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri. Discant mulieres propositum pudoris imitari. Sola in penetralibus, quam nemo virorum viderit, solus Angelus repererit: sola sine comite, sola sine teste, ne quo degenere depravaretur affatu ab Angelo salutatur.

℟. Orietur stella ex Jacob, et exurget homo de Israel, et confringet omnes duces alienigenarum: * Et erit omnis terra possessio ejus. ℣. Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei. Et erit.

Lectio iij.

TANTI namque mandati mysterium non hominis fuit, sed Angeli ore promendum. Hodie primum auditur: Spiritus sanctus superveniet in te. Et auditur, et creditur. Denique, Ecce, inquit, ancilla Domini: contingat mihi secundum verbum tuum. Vide humilitatem, vide devotionem. Ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est.

℟. Modo veniet dominator Dominus: * Et nomen ejus Emmanuel vocabitur. ℣. Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis, Et. Gloria. Et.

Ad Bened. Ant. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam virginem desponsatam Joseph.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut redemptionis nostræ ventura solemnitas et præsentis nobis vitæ subsidia conferat, et æternæ beatitudinis præmia largiatur. Per Dominum.

Et dicitur ad omnes Horas, præterquam in Vesp.

Ad Magnif. Ant. Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum.

Nisi dicenda sit Ant. O.

Post Preces dicitur Oratio Dom. præced. Aurem tuam, *p.* 123.

Feria quinta.

De Isaia propheta.

Lectio j. Cap. 33.

VÆ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis? et qui spernis, nonne et ipse sperneris? cum consummaveris deprædationem, deprædaberis: cum fatigatus desieris contemnere, contemneris. Domine, miserere nostri: te enim expectavimus: esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis.

℟. Egredietur Dominus, et prælibitur contra Gentes: * Et stabunt pedes ejus supra montes Olivarum ad Orientem. ℣. Et elevabitur supra omnes colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et.

Lectio ij.

A voce Angeli fugerunt populi, et ab exaltatione tua dispersæ sunt Gentes. Et congregabuntur spolia vestra sicut colligitur bruchus, velut cum fossæ plenæ fuerint de eo. Magnificatus est Dominus, quoniam habitavit in excelso: implevit Sion judicio et justitia. Et erit fides in temporibus tuis: divitiæ salutis, sapientia et scientia: timor Domini ipse est thesaurus ejus.

℟. Præcursor pro nobis ingreditur Agnus sine macula, * Secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum, et in sæculum sæculi. ℣. Ipse est Rex justitiæ, cujus generatio non habet finem. Secundum.

Lectio iij.

CONTERRITI sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas. Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Qui ambulat in justitiis, et loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex ei-

Digitized by Google

lumnia, et excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum. Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus: panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longe.

℟. Videbunt gentes justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum: * Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. ℣. Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. Et. Gloria. Et.

Ad Bened. Ant. Vigilate animo, in proximo est Dominus Deus noster.

Nisi occurrat Festum S. Thomæ: quia tunc ea prætermissa, dicitur Ant. Nolite timere, *p.* 125, *quod etiam servatur in seq. diebus, quando illud Festum occurrit.*

Ad Magnif. Ant. Lætamini cum Jerusalem, et exultate in ea, omnes qui diligitis eam in æternum.

Nisi dicenda sit Ant. O.

FERIA SEXTA

Quatuor Temporum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio j. Cap. i.

IN illo tempore: Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda, et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 2. in Luc. cap. I. post initium.

MORALE est omnibus, ut qui fidem exigunt, fidem astruant. Et ideo Angelus, cum abscondita nuntiaret, ut fidem astrueret exemplo, senioris feminæ sterilisque conceptum virgini Mariæ nuntiavit, ut possibile Deo omne quod ei placuerit, assereret. Ubi audivit hoc Maria, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perrexit. Quo enim jam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione contenderet? Nescit tarda molimina sancti Spiritus gratia.

℟. Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ, * De petra deserti ad montem filiæ Sion. ℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis. De petra.

Lectio ij.

DISCITE et vos, sanctæ mulieres, sedulitatem, quam prægnantibus debeatis exhibere cognatis. Mariam, quæ ante sola in intimis penetralibus versabatur, non a publico virginitatis pudor, non ab studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardavit. In montana virgo cum festinatione, virgo officii memor, injuriæ immemor, affectu urgente, non sexu, relicta perrexit domo. Discite, virgines, non circumcursare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo sera, festina in publico, mansit apud cognatam suam tribus mensibus.

℟. Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum: * Aperiatur terra, et germinet Salvatorem. ℣. Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion. Aperiatur.

Lectio iij.

DIDICISTIS, virgines, pudorem Mariæ, discite humilitatem. Venit propinqua ad proximam, junior ad seniorem: nec solum venit, sed etiam prior salutavit. Decet enim, ut quanto castior virgo, tanto humilior sit. Noverit deferre senioribus. Sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis. Est et causa pietatis, est etiam norma doctrinæ. Contuendum est enim quia superior venit ad inferiorem, ut inferior adjuvetur: Maria ad Elisabeth, Christus ad Joannem.

℟. Germinaverunt campi eremi germen odoris Israel: quia ecce Deus noster cum virtute veniet; * Et splendor ejus cum eo. ℣. Ex Sion species

Digitized by Google

decoris ejus : Deus noster manifeste veniet. Et splendor. Gloria. Et splendor.

Ad Bened. Ant. Ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo, alleluia.

Oratio.

EXCITA, quæsumus, Domine, potentiam tuam, et veni : ut hi, qui in tua pietate confidunt, ab omni citius adversitate liberentur : Qui vivis.

Et dicitur ad omnes Horas, præterquam in Vesp.

Ad Magnif. Ant. Hoc est testimonium, quod perhibuit Joannes : Qui post me venit, ante me factus est.

Nisi dicenda sit Ant. O.

Oratio Dom. præced., p. 123.

SABBATO.

Quatuor Temporum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio j. Cap. 3.

ANNO quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Homil. 20. *in Evang.*

REDEMPTORIS nostri Præcursor, quo tempore prædicationis officium acceperit, memorato Romanæ Reipubblicæ principe, et Judææ regibus, designatur. Quia enim illum prædicare veniebat, qui et ex Judæa quosdam, et multos ex Gentibus redempturus erat : per regem Gentium et principes Judæorum, prædicationis ejus tempora designantur. Quia autem Gentilitas colligenda erat, et Judæa pro culpa perfidiæ dispergenda, ipsa quoque descriptio terreni principatus ostendit : quoniam et in Romana Republica unus præfuisse describitur, et in Judææ regno per quartam partem plurimi principabantur.

℟. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet:* Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus. ℣. Et requiescet super eum Spiritus Domini : spiritus sapientiæ, et intellectûs : spiritus consilii, et fortitudinis. Et.

Lectio ij.

VOCE etenim nostri Redemptoris dicitur: Omne regnum in seipsum divisum desolabitur. Liquet ergo quod ad finem regni Judæa pervenerat, quæ tot regibus divisa subjacebat. Apte quoque non solum quibus regibus, sed etiam quibus sacerdotibus actum sit, demonstratur : et quia illum Joannes Baptista prædicaret, qui simul rex et sacerdos existeret, Lucas Evangelista prædicationis ejus tempora per regnum et sacerdotium designavit.

℟. Radix Jesse qui exurget judicare gentes, in eum gentes sperabunt :* Et erit nomen ejus benedictum in sæcula. ℣. Super ipsum continebunt reges os suum, ipsum gentes deprecabuntur. Et.

Lectio iij.

ET venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Cunctis legentibus liquet quia Joannes non solum baptismum pœnitentiæ prædicavit, verum etiam quibusdam dedit : sed tamen baptismum suum in remissionem peccatorum dare non potuit. Remissio etenim peccatorum in solo nobis baptismo Christi tribuitur. Notandum itaque quod dicitur, Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum: quoniam baptismum, quod peccata solveret, quia dare non poterat, prædicabat: ut sicut incarnatum Verbum Patris præcurrebat verbo prædicationis, ita baptismum pœnitentiæ, quo peccata solvuntur, præcurreret suo baptismate, quo peccata solvi non possunt.

℟. Veni, Domine, et noli tardare: relaxa facinora plebi tuæ:* Et revoca dispersos in terram suam. ℣. Excita,

Digitized by Google

Domine, potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos. Et revoca. Gloria. Et revoca.

Ad Bened. Ant. Quomodo fiet istud, Angele Dei, quoniam virum non cognosco? Audi, Maria virgo: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

Nisi dicenda sit Ant. Nolite timere, *p.* 125, *et nisi hæc fuerit dies ante Vigil. Nativitatis: quia tunc ea prætermissa, dicitur Ant.* Ecce completa, *p.* 125. *Quod etiam servatur (si idem contingat) in sequentibus diebus.*

Oratio.

DEUS, qui conspicis quia ex nostra pravitate affligimur, concede propitius, ut ex tua visitatione consolemur: Qui vivis et regnas.

Et dicitur per omnes Horas.

Ad Vesperas.

Capitulum. I. Cor. 4.

FRATRES, Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 106.

Ant. ad Magnif., una ex majoribus ✠.

Oratio.

EXCITA, quæsumus, Domine, potentiam tuam, et veni, et magna nobis virtute succure, ut per auxilium gratiæ tuæ, quod nostra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret: Qui vivis.

DOM. IV. ADVENTUS.

Ad Matutinum.

Invit, et Hymnus, ut in Dom. præced., p. 120.

IN I. NOCTURNO.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 35.

LÆTABITUR deserta et invia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium. Germinans germinabit, et exultabit lætabunda et laudans. Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron: ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri. Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate. Dicite pusillanimis: Confortamini, et nolite timere, ecce Deus vester ultionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, et salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum: quia scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine. Et quæ erat arida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum.

℟. Canite tuba in Sion, vocate gentes, annuntiate populis, et dicite: * Ecce Deus Salvator noster adveniet. ℣. Annuntiate, et auditum facite; loquimini, et clamate. Ecce.

Lectio ij.

IN cubilibus, in quibis prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci. Et erit ibi semita et via, et via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus, et hæc erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam. Non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam, nec invenietur ibi: et ambulabunt qui liberati fuerint. Et redempti a Domino convertentur, et venient in Sion cum laude: et lætitia sempiterna super caput eorum; gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.

℟. Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est: * Et ipse erit expectatio gentium. ℣. Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores. Et.

Lectio iij Cap. 41.

TACEANT ad me insulæ, et gentes mutent fortitudinem: accedant, et tunc loquantur, simul ad judicium propinquemus. Quis suscita-

Digitized by Google

vit ab Oriente justum, vocavit eum ut sequeretur se? Dabit in conspectu ejus gentes, et reges obtinebit: dabit quasi pulverem gladio ejus, sicut stipulam vento raptam arcui ejus. Persequetur eos, transibit in pace, semita in pedibus ejus non apparebit. Quis hæc operatus est, et fecit, vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, primus et novissimus ego sum.

℟. Me oportet minui, illum autem crescere: qui autem post me venit, ante me factus est: * Cujus non sum dignus corrigiam calceamentorum solvere. ℣. Ego baptizavi vos aqua: ille autem baptizabit vos Spiritu sancto. Cujus. Gloria. Cujus.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Leonis Papæ.

Sermo I. *de jejunio decimi mensis, et collectis.*

Lectio iv.

SI fideliter, dilectissimi, atque sapienter creationis nostræ intelligamus exordium, inveniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset auctoris et hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis, quasi in quodam speculo, divinæ benignitatis forma resplendeat. Ad quam quotidie nos utique reparat gratia Salvatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo.

℟. Nascetur nobis parvulus, et vocabitur Deus, Fortis: * Ipse sedebit super thronum David patris sui, et imperabit: cujus potestas super humerum ejus. ℣. In ipso benedicentur omnes tribus terræ, omnes gentes servient ei. Ipse.

Lectio v.

CAUSA autem reparationionis nostræ non est, nisi misericordia Dei: quem non diligeremus, nisi prius nos ipse diligeret, et tenebras ignorantiæ nostræ, suæ veritatis luce discuteret. Quod per sanctum Isaiam Dominus denuntians, ait: Adducam cæcos in viam quam ignorabant, et semitas quas nesciebant, faciam illos calcare: faciam illis tenebras in lucem, et prava in directa. Hæc verba faciam illis, et non relinquam eos. Et iterum: Inventus sum, inquit, a non quærentibus me, et palam apparui iis qui me non interrogabant.

℟. Ecce jam venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum in terras, natum de Virgine, factum sub lege: * Ut eos qui sub lege erant, redimeret. ℣. Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus, Filium suum misit in similitudinem carnis peccati. Ut eos.

Lectio vj.

QUOD quomodo impletum sit, Joannes Apostolus docet, dicens: Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum, et simus in vero Filio ejus. Et iterum: Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Diligendo itaque nos Deus, ad imaginem suam nos reparat: et ut in nobis formam suæ bonitatis inveniat, dat unde ipsi quoque quod operatur, operemur, accendens scilicet mentium nostrarum lucernas, et igne nos suæ charitatis inflammans, ut non solum ipsum, sed etiam quidquid diligit, diligamus.

℟. Virgo Israel, revertere ad civitates tuas: * Usquequo dolens averteris? generabis Dominum Salvatorem, oblationem novam in terra: * Ambulabunt homines in salvationem. ℣. In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miserans tui. Usquequo. Gloria. Ambulabunt.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 3.

ANNO quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Papæ.

Digitized by Google

Ex Homil. 20. *in Evang. ante med.*

DICEBAT Ioannes ad turbas, quæ exibant ut baptizarentur ab eo: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Ventura enim ira est animadversio ultionis extremæ: quam tunc fugere peccator non valet, qui nunc ad lamenta pœnitentiæ non recurrit. Et notandum quod malæ soboles, malorum parentum actionem imitantes, genimina viperarum vocantur: quia per hoc quod bonis invident, eosque persequuntur, quod quibusdam mala retribuunt, quod læsiones proximis exquirunt, quoniam in his omnibus patrum suorum carnalium vias sequuntur, quasi venenati filii de venenatis parentibus nati sunt.

℟. Juravi, dicit Dominus, ut ultra jam non irascar super terram: montes enim et colles suscipient justitiam meam, * Et testamentum pacis erit in Jerusalem. ℣. Juxta est salus mea, ut veniat: et justitia mea ut reveletur. Et.

Lectio viij.

SED quia jam peccavimus, quia usu malæ consuetudinis involuti sumus: dicat quid nobis faciendum sit, ut fugere a ventura ira valeamus. Sequitur: Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. In quibus verbis notandum est quod amicus sponsi non solum fructus pœnitentiæ, sed dignos pœnitentiæ admonet esse faciendos. Aliud namque est fructum facere pœnitentiæ, aliud dignum pœnitentiæ fructum facere. Ut enim secundum dignos pœnitentiæ fructus loquamur, sciendum est quia quisquis illicita nulla commisit, huic jure conceditur, ut licitis utatur: sicque pietatis opera faciat, ut tamen si voluerit, ea quæ mundi sunt, non relinquat.

℟. Non discedimus a te, vivificabis nos, Domine, et nomen tuum invocabimus: * Ostende nobis faciem tuam, et salvi erimus.

℣. Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo. Ostende.

Lectio ix.

AT si quis in fornicationis culpam, vel fortasse, quod est gravius, in adulterium lapsus est, tanto a se licita debet abscindere, quanto se meminit et illicita perpetrasse. Neque enim par fructus boni operis esse debet ejus qui minus, et ejus qui amplius deliquit: aut ejus qui in nullis, et ejus qui in quibusdam facinoribus cecidit, et ejus qui in multis est lapsus. Per hoc ergo quod dicitur: Facite fructus dignos pœnitentiæ: uniuscujusque conscientia convenitur, ut tanto majora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam.

℟. Intuemini quantus sit iste, qui ingreditur ad salvandas gentes: ipse est Rex justitiæ, * Cujus generatio non habet finem. ℣. Præcursor pro nobis ingreditur, secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum. Cujus. Gloria. Cujus.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. CANITE tuba in Sion, quia prope est dies Domini: ecce veniet, ad salvandum nos, alleluia, alleluia

2. Ecce veniet desideratus cunctis gentibus: et replebitur gloria domus Domini, alleluia.

3. Erunt prava * in directa, et aspera in vias planas. Veni, Domine, et noli tardare, alleluia.

4. Dominus venit, occurrite illi, dicentes: Magnum principium, et regni ejus non erit finis: Deus, Fortis, Dominator, Princeps pacis alleluia, alleluia.

5. Omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus veniet, alleluia.

Capitulum 1. Cor. 4.

FRATRES, Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam

Digitized by Google

quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 109.

Ad Bened. Ant. Ave, Maria, gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus, alleluia.

Nisi dicenda sit Ant. Nolite timere, *vel Ant.* Ecce completa, p. 125.

Oratio.

EXCITA, quæsumus, Domine, potentiam tuam, et veni, et magna nobis virtute succurre, ut per auxilium gratiæ tuæ, quod nostra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret: Qui vivis.

Ad horas ℟℟. br. ut in Dom. I.

Ad Tertiam.

Capit. Fratres Sic nos, *ut sup.*

Ad Sextam.

Capitulum. I. Cor. 4.

MIHI autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die: sed neque meipsum judico.

Ad Nonam.

Capitulum. I. Cor. 4.

ITAQUE nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium: et tunc laus erit unicuique a Deo.

Ad Vesperas.

Ant. de Laud. Psalmi de Dom.

Capit. Fratres. Sic nos. *Hymnus et ℣. ut supra*, p. 106.

Ad Magnif. Ant. O.

Post Vesp. diei Vesp. Defunct.

FERIA SECUNDA.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 41. 6.

ET tu, Israel serve meus, Jacob, quem elegi, semen Abraham amici mei: in quo apprehendi te ab extremis terræ, et a longinquis ejus vocavi te, et dixi tibi: Servus meus es tu, elegi te, et non abjeci te. Ne timeas, quia ego tecum sum: ne declines, quia ego Deus tuus: confortavi te, et auxiliatus sum tibi, et suscepit te dextera justi mei.

℟. Canite tuba in Sion, *p.* 130.

Lectio ij.

ECCE confundentur et erubescent omnes, qui pugnant adversum te: erunt quasi non sint, et peribunt viri, qui contradicunt tibi. Quæres eos, et non invenies viros rebelles tuos: erunt quasi non sint; et veluti consumptio homines bellantes adversum te. Quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensque tibi: Ne timeas, ego adjuvi te.

℟. Non auferetur, *p.* 130.

Lectio iij.

NOLI timere, vermis Jacob, qui mortui estis ex Israel: ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus, et Redemptor tuus sanctus Israel. Ego posui te quasi plaustrum triturans novum, habens rostra serrantia; triturabis montes, et comminues, et colles quasi pulverem pones. Ventilabis eos, et ventus tollet, et turbo disperget eos: et tu exultabis in Domino, in sancto Israel lætaberis.

℣. Me oportet minui, *p.* 131.

Ad Laudes Ant. Secundum superiorem Rubricam, p. 124.

Ad Bened. Ant. Dicit Dominus: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum, allel.

Hodie dicitur Offic. Defunct.

Ad Magnif. Ant. O.

FERIA TERTIA.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 42.

ECCE servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet: in veritate educet judicium. Non erit tristis, neque turbulentus,

Digitized by Google

donec ponat in terra judicium : et legem ejus insulæ expectabunt.

℟. Nascetur nobis, *p.* 131.

Lectio ij.

HÆC dicit Dominus Deus creans cœlos, et extendens eos, firmans terram, et quæ germinant ex ea : dans flatum populo, qui est super eam, et spiritum calcantibus eam. Ego Dominus vocavi te in justitia ; et apprehendi manum tuam, et servavi te. Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium : ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.

℟. Ecce jam venit, *p.* 131.

Lectio iij.

CANTATE Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ : qui descenditis in mare, et plenitudo ejus, insulæ, et habitatores earum. Sublevetur desertum, et civitates ejus : in domibus habitabit Cedar ; laudate habitatores petræ, de vertice montium clamabunt. Ponent Domino gloriam, et laudem ejus in insulis nuntiabunt. Dominus sicut fortis egredietur : sicut vir præliator suscitabit zelum : vociferabitur, et clamabit : super inimicos suos confortabitur.

℟. Virgo Israel, *p.* 131.

Ad Bened. Ant. Consurge, consurge : induere fortitudinem brachium Domini.

Nisi dicenda sit Ant. Noli timere, *vel Ant.* Ecce completa, *p.* 125.

Ad Magnf. Ant. O.

FERIA QUARTA.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 51.

AUDITE me, qui sequimini quod justum est, et quæritis Dominum : attendite ad petram unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram quæ peperit vos : quia unum vocavi eum, et benedixi ei, et multiplicavi eum. Consolabitur ergo Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus : et ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini. Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis.

℟. Juravi dicit Dominus, *p.* 132.

Lectio ij.

ATTENDITE ad me, populus meus, et tribus mea, me audite : quia lex a me exiet, et judicium meum in lucem populorum requiescet. Prope est justus meus, egressus est Salvator meus, et brachia mea populos judicabunt : me insulæ expectabunt, et brachium meum sustinebunt. Levate in cœlum oculos vestros, et videte sub terra deorsum : quia cœli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores ejus sicut hæc interibunt : salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet.

℟. Non discedimus, *p.* 132.

Lectio iij.

AUDITE me, qui scitis justum, populus meus, lex mea in corde eorum : nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis : et sicut lanam, sic devorabit eos tinea : salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea in generationes generationum.

℟. Intuemini quantus, *p.* 132.

Ad Bened. Ant. Ponam in Sion salutem, et in Jerusalem gloriam meam, alleluia.

Nisi dicenda sit Ant. Nolite timere, *vel Ant.* Ecce completa, *p.* 125.

Ad Magnif. Ant. O.

FERIA QUINTA.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 64.

UTINAM dirumperes cœlos, et descenderes : a facie tua montes

Digitized by Google

defluerent. Sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis: a facie tua gentes turbarentur. Cum feceris mirabilia, non sustinebimus: descendisti, et a facie tua montes defluxerunt. A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te.

℟. Canite tuba in Sion, *p.* 130.

Lectio ii.

OCCURRISTI lætanti, et facienti justitiam: in viis tuis recordabuntur tui: ecce tu iratus es, et peccavimus: in ipsis fuimus semper, et salvabimur. Et facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ: et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat, et teneat te: abscondisti faciem tuam a nobis, et allisisti nos in manu iniquitatis nostræ.

℟. Non auferetur, *p.* 130.

Lectio iii.

ET nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum: et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris, Domine, satis, et ne ultra memineris iniquitatis nostræ: ecce respice, populus tuus omnes nos. Civitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Jerusalem desolata est. Domus sanctificationis nostræ, et gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, et omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas.

℟. Me oportet minui, *p.* 131.

Ad Bened. Ant. Consolamini, consolamini, populo meus, dicit Dominus Deus vester.

Nisi dicenda sit Ant. Ecce completa, *p.* 125.

Ad Magnif. Ant. O.

FERIA SEXTA.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 66.

AUDITE verbum Domini, qui tremitis ad verbum ejus: dixerunt fratres vestri odientes vos, et abjicientes propter nomen meum: Glorificetur Dominus, et videbimus in lætitia vestra: ipsi autem confundentur. Vox populi de civitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis. Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit unquam tale? et quis vidit huic simile? Numquid parturiet terra in die una? aut parietur gens simul, quia parturivit et peperit Sion filios suos?

℟. Nascetur nobis, *p.* 131.

Lectio ij.

NUMQUID ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus? Lætamini cum Jerusalem, et exultate in ea, omnes qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio, universi qui lugetis super eam, ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis ejus: ut mulgeatis, et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus. Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis: ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis.

℟. Ecce jam venit, *p.* 131.

Lectio iij.

QUOMODO si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini. Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt: et cognoscetur manus Domini servis ejus, et indignabitur inimicis suis. Quia ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ ejus: reddere in in-

Digitized by Google

dignatione furorem suum, et increpationem suam in flamma ignis: quia in igne Dominus dijudicabit, et in gladio suo ad omnem carnem, et multiplicabuntur interfecti a Domino.

℟. Virgo Israel, *p.* 131.

Ad Bened. Ant. Ecce completa sunt omnia, quæ dicta sunt per Angelum de Virgine Maria.

Ad Magnif. Ant. O Emmanuel, *ut supra*, p. 124.

Si Vigil. Nativ. Domini venerit in Dominica, Offic. fit hoc modo.

Ad Matut. Invit. de Vigil. Hodie scietis. *ut infra.*

Hymn. de Adv. Verbum *p.* 106. *Ant. Psalmi, ℣. ℣. Lect. et ℟. ℟. in* j *et* ij *Noct. dicuntur de Dom.* iv. *In* iij *Noct. Ant. et Psalmi de Dom., ℣. de Vigil., tres Lect. de Homil. Vigil. cum suis ℟. ℟. et non legitur Homil. Dom. pro ultima Lect. Laudes de Vigil. cum comm. de Dom. Similiter et per Horas celebratur Offic. de Vigilia.*

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

Ad Matutinum.

Invit. Hodie scietis quia veniet Dominus: * Et mane videbitis gloriam ejus.

Hymnus. Verbum, *p.* 106 *Ant. et Psalmi de Feria occurrente.*

℣. Hodie scietis, quia veniet Dominus. ℟. Et mane videbitis gloriam ejus.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio i. Cap. I.

CUM esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Libro I. *Comment. in cap.* I, *Matthæi.*

QUARE non de simplici virgine, sed de desponsata concipitur? Primum, ut per generationem Joseph origo Mariæ monstraretur: secundo, ne lapidaretur a Judæis ut adultera: tertio, ut in Ægyptum fugiens haberet solatium. Martyr Ignatius etiam quartam addidit causam, cur a desponsata conceptus sit: Ut partus, inquiens, ejus celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, sed de uxore generatum.

℟. Sanctificamini hodie, et estote parati: quia die crastina videbitis * Majestatem Dei in vobis. ℣. Hodie scietis, quia veniet Dominus, et mane videbitis. Majestatem.

Lectio ij.

ANTEQUAM convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Non ab alio inventa est, nisi a Joseph, qui pene licentia maritali futuræ uxoris omnia noverat. Quod autem dicitur, Antequam convenirent, non sequitur ut postea convenerint: sed Scriptura quod factum non sit, ostendit.

℟. Constantes estote, videbitis auxilium Domini super vos: Judæa et Jerusalem, nolite timere: * Cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum. ℣. Sanctificamini, filii Israel, et estote parati. Cras.

Lectio iii.

JOSEPH autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Si quis fornicariæ conjungitur, unum corpus efficitur: et in lege præceptum est non solum reos, sed et conscios criminum obnoxios esse peccati: quomodo Joseph, cum crimen celaret uxoris, justus scribitur? Sed hoc testimonium Mariæ est, quod Joseph sciens illius castitatem, et admirans quod evenerat, celat silentio, cujus mysterium nesciebat.

℟. Sanctificamini, filii Israel, dicit Dominus: die enim crastina descendet Dominus, * Et auferet a vobis omnem languorem.

℣. Crastina die delebitur iniquitas terræ, et regnabit super nos Salva-

Digitized by Google

tor mundi. Et auferet. Gloria. Et auferet.

Deinceps Officium fit duplex.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. **JUDÆA** et Jerusalem, nolite timere : cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum, alleluia.

Psalm. de Laud. Dom., p. 13.

2. Hodie scietis quia veniet Dominus, et mane videbitis gloriam ejus.

3. Crastina die delebitur iniquitas terræ, et regnabit super nos Salvator mundi.

4. Dominus veniet, occurrite illi, dicentes : Magnum principium, et regni ejus non erit finis : Deus, Fortis, Dominator, Princeps pacis, alleluia.

5. Crastina erit vobis salus, dicit Dominus Deus exercituum.

Capitulum. Rom. I.

PAULUS servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.

Hymnus En clara vox, p. 109.

℣. Crastina die delebitur iniquitas terræ. ℟. Et regnabit super nos Salvator mundi.

Ad Bened. Ant. Orietur sicut sol Salvator mundi, et descendet in uterum Virginis sicut imber super gramen, alleluia.

Oratio.

DEUS, qui nos redemptionis nostræ annua expectatione lætificas, presta, ut Unigenitum tuum, quem Redemptorem læti suscipimus, venientem quoque judicem securi videamus, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Et dicitur per Horas diei.

Prima dicitur, sicut in Dupl. et ad Absol. Capit. dicitur Capit. Nonæ.

Ad Tertiam.

Capit. Paulus servus.

℟. *br.* Hodie scietis: * Quia veniet Dominus. Hodie. ℣. Et mane videbitis gloriam ejus. Quia. Gloria. Hodie. ℣. Constantes estote. ℟. Videbitis auxilium Domini super vos.

Ad Sextam.

Capitulum. Rom. I.

QUI prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri.

℟. *br.* Crastina die * Delebitur iniquitas terræ. Crastina. ℣. Et regnabit super nos Salvator mundi. Delebitur. Gloria. Crastina. ℣. Crastina erit vobis salus. ℟. Dicit Dominus Deus exercituum.

Ad Nonam.

Capitulum. Rom. 1.

PER quem accepimus gratiam et Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus, in quibus estis et vos vocati Jesu Christi Domini nostri.

℟. *br.* Crastina * Erit vobis salus. Crastina. ℣. Dicit Dominus Deus exercituum. Erit. Gloria. Crastina. ℣. Crastina die delebitur iniquitas terræ. ℟. Et regnabit super nos Salvator mundi.

Digitized by Google

IN NATIVITATE DOMINI.

In I. Vesperis.

Ant. I. **REX** pacificus magnificatus est, cujus vultum desiderat universa terra.

Psalmi de Dom. loco ult. Laudate Dominum omnes gentes.

2. Magnificatus est Rex pacificus super omnes reges universæ terræ.

3. Completi sunt dies Mariæ, ut pareret filium suum primogenitum.

4. Scitote quia prope est regnum Dei: amen dico vobis, quia non tardabit.

5. Levate capita vestra: ecce appropinquat redemptio vestra.

Capitulum. Tit. 3.

APPARUIT benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.

HYMNUS.

JESU Redemptor omnium,
Quem lucis ante originem
Parem Paternæ gloriæ
Pater supremus edidit.

Tu lumen et splendor Patris,
Tu spes perennis omnium,
Intende quas funduut preces
Tui per orbem servuli.

Memento, rerum Conditor,
Nostri quod olim corporis,
Sacrata ab alvo Virginis
Nascendo, formam sumpseris.

Testatur hoc præsens dies
Currens per anni circulum,
Quod solus è sinu Patris
Mundi salus adveneris.

Hunc astra, tellus, æquora,
Hunc omne, quod cœlo subest,
Salutis auctorem novæ
Novo salutat cantico.

Et nos beata quos sacri
Rigavit unda Sanguinis,
Natalis ob diem tui
Hymni tributum solvimus.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

Sic terminantur omnes Hymni ejusdem metri, usque ad Epiph.

℣. Crastina die delebitur iniquitas terræ. ℟. Et regnabit super nos Salvator mundi.

Ad Magnif. Ant. Cum ortus fuerit sol de cælo, videbitis Regem regum procedentem a Patre, tanquam sponsum de thalamo suo.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut nos Unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet, quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet. Per eumdem.

Ad Matutinum.

Invit. Christus natus est nobis: * Venite, adoremus.

Hymnus Jesu Redemptor.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Psalmus 2.

QUARE fremuerunt gentes, * et populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum * adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum: * et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in cœlis, irridebit eos: * et Dominus subsannabit eos.

Digitized by Google

Tunc loquetur ad eos in ira sua:* et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus:* prædicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, * et possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea,* et tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc, reges, intelligite:* erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore: * et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, * et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus,* beati omnes qui confidunt in eo.

Ant. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Ant. Tamquam sponsus Dominus procedens de thalamo suo.

Psalmus 18.

CŒLI enarrant gloriam Dei, * et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum, * et nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelæ, neque sermones, * quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit sonus eorum: * et in fines orbis terræ verba eorum.

In sole posuit tabernaculum suum:* et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.

Exultavit ut gigas ad currendam viam; * a summo cœlo egressio ejus.

Et occursus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscondat a calore ejus.

Lex Domini immaculata, convertens animas: * testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi: * judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum: * et dulciora super mel et favum.

Etenim servus tuus custodit ea:* in custodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me: * et ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: * et emundabor a delicto maximo.

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei: * et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine adjutor meus, et redemptor meus.

Ant. Tanquam sponsus Dominus procedens de thalamo suo.

Ant. Diffusa est gratia in labiis: propterea benedixit te Deus in æternum.

Psalmus 44.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum: * dico ego opera mea Regi.

Lingua mea calamus scribæ * velociter scribentis.

Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: * propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum, * potentissime.

Specie tua, et pulchritudine tua * intende, prospere procede, et regna.

Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * et deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent: * in corda inimicorum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: * virga directionis, virga regni tui.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; * propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis:* ex

Digitized by Google

quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.

Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, * circumdata varietate.

Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam : * et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum: * quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus * vultum tuum deprecabuntur : omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus, * in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi virgines post eam: * proximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætitia et exultatione: * adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii : * constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui, * in omni generatione et generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, * et in sæculum sæculi.

Ant. Diffusa est gratia in labiis tui : propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Tanquam sponsus. ℟. Dominus procedens de thalamo suo.

Tres seq. Lect. Isaiæ leguntur sine titulo.

Lectio j. Cap. 9.

PRIMO tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephthali : et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Multiplicasti gentem, et non magnificasti lætitiam. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia. Jugum enim oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti sicut in die Madian. Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, et vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, et cibus ignis. Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis : et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis.

℟. Hodie nobis cœlorum Rex de Virgine nasci dignatus est, ut hominem perditum ad cælestia regna revocaret. * Gaudet exercitus Angelorum, quia salus æterna humano generi apparuit. ℟. Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Gaudet. Gloria. *Et repetitur* ℟. Hodie nobis, *usque ad* ℣. Gloria in excelsis.

Lectio ij. Cap. 40.

CONSOLAMINI, consolamini, populo meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam, quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius: suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur: et erunt prava in directa, et aspera in vias planas. Et revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est. Vox dicentis, Clama. Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo. Vere fœnum est populus ; exsiccatum est fœnum, et cecidit flos. Verbum autem Domini nostri manet in æternum.

℟. Hodie nobis de cœlo pax vera descendit : * Hodie per totum mundum melliflui facti sunt cœli. ℣. Hodie illuxit nobis dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Hodie.

Lectio iii. Cap. 52.

CONSURGE, consurge, induere fortitudine tua, Sion: induere vestimentis gloriæ tuæ, Jerusalem civitas sancti: quia non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus et immundus. Excutere de pulvere, consurge, sede, Jerusalem: solve vincula colli tui, captiva filia Sion. Quia hæc dicit Dominus: Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini. Quia hæc dicit Dominus Deus: In Ægyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi: et Assur absque ulla causa calumniatus est eum. Et nunc quid mihi est hic, dicit Dominus, quoniam ablatus est populus meus gratis? Dominatores ejus iniique agunt, dicit Dominus, et jugiter tota die nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.

℣. Quem vidistis pastores, dicite, annuntiate nobis, in terris quis apparuit? ℟ Natum vidimus, et choros Angelorum collaudantes Dominum. ℣. Dicite, quidnam vidistis? et annuntiate Christi nativitatem. Natum. Gloria. Natum.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.

Psalmus 47.

MAGNUS, Dominus, et laudabilis nimis * in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, * latera Aquilonis, civitas Regis magni.

Deus in domibus ejus cognoscetur, * cum suscipiet eam.

Quoniam ecce reges terræ congregati sunt: * convenerunt in unum.

Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: * tremor apprehendit eos.

Ibi dolores ut parturientis: * in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri: * Deus fundavit eam in æternum.

Suscepimus, Deus, misericordiam tuam, * in medio templi tui.

Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ: * justitia plena est dextera tua.

Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Judæ, * propter judicia tua, Domine.

Circumdate Sion, et complectimini eam: * narrate in turribus ejus.

Ponite corda vestra in virtute ejus: * et distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.

Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi: * ipse reget nos in sæcula.

Ant. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.

Ant. Orietur in diebus Domini abundantia pacis, et dominabitur.

Psalmus 71.

DEUS, judicium tuum regi da, * et justitiam tuam filio regis:

Judicare populum tuum in justitia, * et pauperes tuos in judicio.

Suscipiant montes pacem populo, * et colles justitiam.

Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum: * et humiliabit calumniatorem.

Et permanebit cum sole, et ante lunam, * in generatione et generationem.

Descendet sicut pluvia in vellus, * et sicut stillicidia stillantia super terram.

Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis, * donec auferatur luna.

Et dominabitur a mari usque ad mare: * et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

Coram illo procident Æthiopes: * et inimici ejus terram lingent.

Reges Tharsis, et insulæ munera offerent: * reges Arabum et Saba dona adducent,

Et adorabunt eum omnes reges terræ: * omnes gentes servient ei:

Digitized by Google

Quia liberabit pauperem a potente, * et pauperem cui non erat adjutor.

Parcet pauperi et inopi: * et animas pauperum salvas faciet.

Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum: et honorabile nomen eorum coram illo.

Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ, et adorabunt de ipso semper: * tota die benedicent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus: * et florebunt de civitate sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedictum in sæcula: * ante solem permanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: * omnes Gentes magnificabunt eum.

Benedictus Dominus Deus Israel, * qui facit mirabilia solus:

Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum: * et replebitur majestatis ejus omnis terra: fiat, fiat.

Ant. Orietur in diebus Domini abundantia pacis, et dominabitur.

Ant. Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit.

Psalmus 84.

BENEDIXISTI, Domine, terram tuam: * avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ: * operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: * avertisti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos, Deus salutaris noster: * et averte iram tuam a nobis.

Numquid in æternum irasceris nobis? * aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus, tu conversus vivificabis nos: * et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam: * et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: * quoniam loquetur pacem in plebem suam:

Et super sanctos suos, * et in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi: * justitia et pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est: * et justitia de cœlo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: * et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: * et ponet in via gressus suos.

Ant. Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit.

℣. Speciosus forma præ filiis hominum. ℟. Diffusa est gratia in labiis tuis.

Sermo sancti Leonis Papæ.

Serm. I. *de Nativitate Domini.*

Lectio IV.

SALVATOR noster, dilectissimi hodie natus est, gaudeamus. Neque enim fas est locum esse tristitiæ, ubi natalis est vitæ: quæ consumpto mortalitatis timore, nobis ingerit de promissa æternitate lætitiam. Nemo ab hujus alacritatis participatione secernitur. Una cunctis lætitiæ communis est ratio, quia Dominus noster peccati mortisque destructor, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit. Exultet sanctus, quia appropinquat ad palmam: gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam: animetur Gentilis, quia vocatur ad vitam. Dei namque Filius secundum plenitudinem temporis, quam divini consilii inscrutabilis altitudo disposuit, reconciliandam auctori suo naturam generis assumpsit humani, ut inventor mortis diabolus, per ipsam, quam vicerat, vinceretur.

℟. O magnum mysterium, et admirabile sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum, jacentem in præsepio! * Beata Virgo, cujus viscera meruerunt portare Dominum

Digitized by Google

Christum. ℣. Ave, Maria, plena : Dominus tecum. Beata.

Lectio v.

IN quo conflictu pro nobis inito, magno et mirabili æquitatis jure certatum est, dum omnipotens Dominus cum sævissimo hoste non in sua majestate, sed in nostra congreditur humilitate : objiciens ei eamdem formam, eamdemque naturam, mortalitatis quidem nostræ participem, sed peccati totius expertem. Alienum quippe ab hac nativitate est, quod de omnibus legitur: Nemo mundus a sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram. Nihil ergo in istam singularem nativitatem de carnis concupiscentia transivit, nihil de peccati lege manavit. Virgo regia Davidicæ stirpis eligitur, quæ sacro gravidanda fœtu, divinam humanamque prolem prius conciperet mente, quam corpore. Et ne superni ignara consilii ad inusitatos paveret affatus, quod in ea operandum erat a Spiritu sancto, colloquio discit Angelico : nec damnum credit pudoris, Dei genetrix mox futura.

℟. Beata Dei genitrix Maria, cujus viscera intacta permanent :* Hodie genuit Salvatorem sæculi. ℣. Beata quæ credidit; quoniam perfecta sunt omnia, quæ dicta sunt ei a Domino. Hodie.

Lectio vi.

AGAMUS ergo, dilectissimi, gratias Deo Patri per Filium ejus in Spiritu sancto : qui propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, misertus est nostri : et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, ut essemus in ipso nova creatura, novumque figmentum. Deponamus ergo veterem hominem cum actibus suis : et adepti participationem generationis Christi, carnis renuntiemus operibus. Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis et cujus corporis sis membrum. Reminiscere quia erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum.

℟. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio :* Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia. Gloria. Quia.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Ipse invocabit me, alleluia : Pater meus es tu, alleluia.

Psalmus 88.

MISERICORDIAS Domini * in æternum cantabo.

In generationem et generationem * annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

Quoniam dixisti : In æternum misericordia ædificabitur in cœlis: * præparabitur veritas tua in eis.

Disposui testamentum electis meis, juravi David servo meo : * Usque in æternum præparabo semen tuum.

Et ædificabo in generationem et generationem * sedem tuam.

Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine : * etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum.

Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, * similis erit Deo in filiis Dei?

Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum : * magnus et terribilis super omnes, qui in circuitu ejus sunt.

Domine Deus virtutum, quis similis tibi? * potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo.

Tu dominaris potestati maris : * motum autem fluctuum ejus tu mitigas.

Tu humiliasti, sicut vulneratum, superbum : * in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.

Tui sunt cœli, et tua est terra, orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti : * Aquilonem et mare tu creasti.

Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt : tuum brachium cum potentia.

Firmetur manus tua, et exaltetur

Digitized by Google

dextera tua : * justitia et judicium præparatio sedis tuæ.

Misericordia et veritas præcedent faciem tuam : * beatus populus, qui scit jubilationem.

Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exultabunt tota die : * et in justitia tua exaltabuntur.

Quoniam gloria virtutis eorum tu es : * et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

Quia Domini est assumptio nostra, * et Sancti Israel Regis nostri.

Tunc locutus es in visione sanctis tuis, et dixisti : * Posui adjutorium in potente, et exaltavi electum de plebe mea.

Inveni David servum meum : * oleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliabitur ei:* et brachium meum confortabit eum.

Nihil proficiet inimicus in eo : * et filius iniquitatis non appouet nocere ei.

Et concidam a facie ipsius inimicos ejus : * et odientes eum in fugam convertam.

Et veritas mea, et misericordia mea cum ipso : et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, * et in fluminibus dexteram ejus.

Ipse invocabit me : Pater meus es tu : * Deus meus, et susceptor salutis meæ.

Et ego primogenitum ponam illum * excelsum præ regibus terræ.

In æternum servabo illi misericordiam meam, * et testamentum meum fidele ipsi.

Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, * et thronum ejus sicut dies cœli.

Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, * et in judiciis meis non ambulaverint :

Si justitias meas profanaverint, * et mandata mea non custodierint :

Visitabo in virga iniquitates eorum, * et in verberibus peccata eorum.

Misericordiam autem meam non dispergam ab eo : * neque nocebo in veritate mea.

Neque profanabo testamentum meum : * et quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.

Semel juravi in sancto meo, si David mentiar : * semen ejus in æternum manebit.

Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, * et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis.

Tu vero repulisti et despexisti : * distulisti Christum tuum.

Avertisti testamentum servi tui: * profanasti in terra Sanctuarium ejus.

Destruxisti omnes sepes ejus : * posuisti firmamentum ejus formidinem.

Diripuerunt eum omnes transeuntes viam : * factus est opprobrium vicinis suis.

Exaltasti dexteram deprimentium eum : * lætificasti omnes inimicos ejus.

Avertisti adjutorium gladii ejus : * et non es auxiliatus ei in bello.

Destruxisti eum ab emundatione: * et sedem ejus in terram collisisti.

Minorasti dies temporis ejus :* perfudisti eum confusione.

Usquequo, Domine, avertis in finem, * exardescat sicut ignis ira tua?

Memorare quæ mea substantia : * numquid enim vane constituisti omnes filios hominum?

Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem : * eruet animam suam de manu inferi?

Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, * sicut jurasti David in veritate tua?

Memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum, * (quod continui in sinu meo) multarum gentium :

Quod exprobraverunt inimici tui, Domine: * quod exprobraverunt commutationem Christi tui.

Benedictus Dominus in æternum : * fiat, fiat.

Ant. Ipse invocabit me, alleluia : Pater meus es tu, alleluia.

Ant. Lætentur cœli, et exultet

terra ante faciem Domini, quoniam venit.

Psalmus 95.

CANTATE Domino canticum novum : * cantate Domino, omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite nomini ejus:* annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter Gentes gloriam ejus, * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: * terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dii Gentium dæmonia : * Dominus autem cœlos fecit.

Confessio et pulchritudo in conspectu ejus : * sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino, patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem:* afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus :* adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra : * dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur : * judicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus : * gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit : * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate,* et populos in veritate sua.

Ant. Lætentur cœli, et exultet terra ante faciem Domini, quoniam venit.

Ant. Notum fecit Dominus, alleluia, salutare suum, alleluia.

Psalmus 97.

CANTATE Domino canticum novum:* quia mirabilia fecit.

Salvabit sibi dextera ejus,* et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum : * in conspectu Gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ,* et veritatis suæ domui Israel.

Viderunt omnes termini terræ* salutare Dei nostri.

Jubilate Deo, omnis terra,* cantate, et exultate, et psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi : * in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.

Jubilate in conspectu Regis Domini : * moveatur mare et plenitudo ejus : orbis terrarum, et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exaltabunt a conspectu Domini, * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia, * et populos in æquitate.

Ant. Notum fecit Dominus, alleluia, salutare suum, alleluia.

℣. Ipse invocabit me, alleluia.
℟. Pater meus es tu, alleluia.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii. Cap. 2.

IN illo tempore : Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 8. *in Evangelia.*

QUIA, largiente Domino, Missarum solemnia ter hodie celebraturi sumus, loqui diu de Evangelica lectione non possumus : sed nos aliquid vel breviter dicere, Redemptoris nostri nativitas ipsa compellit. Quid est enim quod nascituro Domino mundus describitur, nisi hoc quod aperte monstratur, quia ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitate? Quo contra de reprobis per Prophetam dicitur : Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur. Qui bene etiam in Bethlehem nascitur. Bethlehem quippe do-

Digitized by Google

mus panis interpretatur. Ipse namque est qui ait : Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. Locus ergo, in quo Dominus nascitur, domus panis antea vocatus est : quia futurum profecto erat, ut ille ibi per materiam carnis appareret, qui electorum mentes interna satietate reficeret. Qui non in parentum domo, sed in via nascitur : ut profecto ostenderet, quia per humanitatem suam, quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur.

℟. Beata viscera Mariæ virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium: et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum : * Qui hodie pro salute mundi de Virgine nasci dignatus est. ℣. Dies sanctificatus illuxit nobis: venite, Gentes, et adorate Dominum. —Qui.

Bened. Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio viij. *Cap.* 2.

IN illo tempore : Pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 2. *in cap.* 2. *Lucæ, circa med.*

VIDETE Ecclesiæ surgentis exordium. Christus nascitur, et pastores vigilare cœperunt : qui Gentium greges, pecudum modo ante viventes, in caulam Domini congregarent, ne quos spiritalium bestiarum, per offusas noctium tenebras paterentur incursus. Et bene pastores vigilant, quos bonus pastor informat. Grex igitur populus, nox sæculum, pastores sunt sacerdotes. Aut fortasse etiam ille sit pastor, cui dicitur : Esto vigilans, et confirma. Quia non solum Episcopos ad tuendum gregem Dominus ordinavit, sed etiam Angelos destinavit.

℟. Verbum caro factum est, et habitavit in nobis : * Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis. ℣. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Et. Gloria. Et.

Bened. Verba sancti Evangelii doceat nos Christus Filius Dei. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio ix. Cap. I.

IN principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. I. *in Joann. circa med.*

NE vile aliquid putares, quale consuevisti cogitare, cum verba humana soleres audire, audi quid cogites. Deus erat Verbum. Exeat nunc nescio quis infidelis Arianus, et dicat, quia Verbum Dei factum est. Quomodo potest fieri ut Verbum Dei factum sit, quando Deus per Verbum fecit omnia? Si et Verbum Dei ipsum factum est, per quod aliud verbum factum est? Si hoc dicis, quia hoc est verbum Verbi, per quod factum est illud : ipsum dico ego unicum Filium Dei. Si autem non dicis verbum Verbi, concede non factum, per quod facta sunt omnia. Non enim per seipsum fieri potuit, per quod facta sunt omnia. Crede ergo Evangelistæ.

Deinde dicitur Hymn. Te Deum. *p.* 12., *quo finito dicitur* ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Oratio* Concede, *ut infra ad Laud. Et dicto* Benedicamus Domino, *celebratur prima Missa post mediam noctem, ut in Ordinario : qua finita, dicuntur Laud.*

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. QUEM vidistis, pastores, dicite, annuntiate nobis, in terris quis apparuit? Natum vidimus, et choros Angelorum collaudantes Dominum, alleluia, alleluia.

2. Genuit puerpera Regem, cui nomen æternum, et gaudia matris habens cum virginitatis honore nec pri-

Digitized by Google

mam similem visa est, nec habere sequentem, alleluia.

3. Angelus ad pastores ait: Annuntio vobis gaudium magnum: quia natus est vobis hodie Salvator mundi, alleluia.

4. Facta est cum Angelo multitudo cœlestis exercitus laudantium Deum, et dicentium: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, alleluia.

5. Parvulus Filius hodie natus est nobis, et vocabitur Deus, Fortis, alleluia, alleluia.

Capitulum. Heb. I.

MULTIFARIAM, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula.

HYMNUS.

A SOLIS ortus cardine
Ad usque terræ limitem,
Christum canamus Principem
Natum Maria virgine.

Beatus auctor sæculi
Servile corpus induit:
Ut carne carnem liberans,
Ne perderet quos condidit.

Castæ Parentis viscera
Cœlestis intrat gratia:
Venter Puellæ bajulat
Secreta, quæ non noverat.

Domus pudici pectoris
Templum repente fit Dei:
Intacta nesciens virum,
Concepit alvo Filium.

Enititur puerpera,
Quem Gabriel prædixerat,
Quem ventre Matris gestiens
Baptista clausum senserat.

Fœno jacere pertulit:
Præsepe non abhorruit:
Et lacte modico pastus est
Per quem nec ales esurit.

Gaudet chorus cælestium,
Et Angeli canunt Deo:
Palamque fit Pastoribus
Pastor, Creator omnium.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Notum fecit Dominus, alleluia.
℟. Salutare suum, alleluia.

Ad Bened. Ant. Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, alleluia, alleluia.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut nos Unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet, quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet. Per eumdem.

Summo mane dicitur Prima, qua finita, celebratur 2. *Missa in aurora, et in ea fit comm. de S. Anastasia Mart.*

Ad Primam in ℟. br. ℣. Qui natus es de Maria Virgine. *Et sic dicitur quotidie usque ad Epiph.*

Tertia dicitur hora sua, qua finita celebratur tertia Missa de die Nativ.

Ad Tertiam.

Capit. Multifariam.

℟. *br.* Verbum caro factum est. * Alleluia, alleluia. Verbum. ℣. Et habitavit in nobis. Alleluia, allel. Gloria. Verbum. ℣. Ipse invocabit me, alleluia. ℟. Pater meus es tu, allel.

Ad Sextam.

Capitulum. Hebr. I.

ET: Tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli.

℟. *br.* Notum fecit Dominus, * Alleluia, alleluia. Notum. ℣. Salutare suum. Alleluia, alleluia. Gloria. Notum. ℣. Viderunt omnes fines terræ, alleluia. ℟. Salutare Dei nostri, allel.

Ad Nonam.

Capitulum. Hebr. I.

IPSI peribunt, tu autem permanebis, et omnes sicut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur: tu autem i-

Digitized by Google

dem ipse es, et anni tui non deficient.

℟. *br.* Viderunt omnes fines terræ, * Alleluia, alleluia. Viderunt. ℣. Salutare Dei nostri. Alleluia, alleluia. Gloria. Viderunt. ℣. Verbum caro factum est, allel. ℟. Et habitavit in nobis, allel.

In II. Vesperis.

Ant. 1. **TECUM** principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.

Psalmi de Dom. loco quarti. De profundis, *p.* 92. *et ult.* Memento Domine David, *p.* 92.

2. Redemptionem misit Dominus populo suo, mandavit in æternum testamentum suum.

3. Exortum est in tenebris lumen rectis corde: misericors, et miserator, et justus Dominus.

4. Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

5. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Capit. Multifariam, *ut supra.*

Hymn. Jesu Redemptor, *p.* 138.

℣. Notum fecit Dominus, alleluia. ℟. Salutare suum, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Hodie Christus natus est: hodie Salvator apparuit: hodie in terra canunt Angeli, lætantur Archangeli: hodie exultant justi, dicentes: Gloria in excelsis Deo, alleluia.

Deinde pro S. Stephano.

Ant. Stephanus autem plenus gratia et fortitudine, faciebat signa magna in populo.

℣. Gloria et honore coronasti eum, Domine. ℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Domine, imitari quod colimus, ut discamus et inimicos diligere: quia ejus natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

IN FESTO S. STEPHANI,

Protomart. Dupl. 2. class.

Ad Matutinum.

Invit. Christum natum, qui beatum hodie coronavit Stephanum, * Venite, adoremus.

Hymnus, Ant. Psalmi et ℣℣. de Com. unius Martyris.

IN I. NOCTURNO.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. 6.

IN diebus illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi, et ministerio verbi instantes erimus.

℟. Stephanus autem plenus gratia et fortitudine, * Faciebat prodigia et signa magna in populo. ℣. Surrexerunt quidam de synagoga disputantes cum Stephano, et non poterant resistere sapientiæ, et spiritui qui loquebatur. Faciebat.

Lectio ij.

ET placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu sancto, et Philippum, et Prochorum, et Nicanorem, et Timonem, et Parmenam, et Nicolaum advenam Antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum: et orantes imposuerunt eis manus. Et verbum Domini crescebat, et multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem valde: multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei. Stephanus au-

Digitized by Google

tem plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo.

℟. Videbant omnes Stephanum, qui erant in concilio. * Et intuebantur vultum ejus tamquam vultum Angeli stantis inter illos. ℣. Plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo. Et.

Lectio iij.

SURREXERUNT autem quidam de synagoga, quæ appellatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et eorum qui erant a Cilicia et Asia, disputantes cum Stephano: et non poterant resistere sapientiæ, et Spiritui qui loquebatur. Tunc submiserunt viros, qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen, et in Deum. Commoverunt itaque plebem, et seniores, et Scribas: et concurrentes rapuerunt eum, et adduxerunt in concilium, et statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum, et legem.

℟. Intuens in cœlum beatus Stephanus vidit gloriam Dei, et ait: * Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei. ℣. Cum autem esset Stephanus plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum vidit gloriam Dei, et ait: Ecce. Gloria. Ecce.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Fulgentii Episcopi.

Serm. de S. Steph. circa init.

Lectio iv.

HERI celebravimus temporalem sempiterni Regis nostri natalem: hodie celebramus triumphalem militis passionem. Heri enim Rex noster trabea carnis indutus, de aula uteri virginalis egrediens, visitare dignatus est mundum; hodie miles de tabernaculo corporis exiens, triumphator migravit ad cælum. Ille, sempiternæ Deitatis majestate servata, servile cinctorium carnis assumens, in hujus sæculi campum pugnaturus intravit: Iste, depositis corruptibilibus corporis indumentis, ad cœli palatium perenniter regnaturus ascendit. Ille descendit carne velatus, iste ascendit sanguine laureatus.

℟. Lapidabant Stephanum invocantem et dicentem: * Domine Jesu Christe, accipe spiritum meum; et ne statuas illis hoc peccatum. ℣. Positis autem genibus clamavit voce magna, dicens. Domine.

Lectio v.

ASCENDIT iste lapidantibus Judæis, quia ille descendit lætantibus Angelis. Gloria in excelsis Deo, heri sancti Angeli exultantes cantaverunt: hodie Stephanum lætantes in suum consortium susceperunt. Heri Dominus exivit de utero Virginis: hodie miles egressus est de ergastulo carnis. Heri Christus pro nobis pannis est involutus: hodie Stephanus stola est ab eo immortalitatis indutus. Heri præsepis angustia Christum portavit infantem: hodie immensitas cœli suscepit Stephanum triumphantem. Solus Dominus descendit, ut multos elevaret: humiliavit se Rex noster, ut suos milites exaltaret.

℟. Impetum fecerunt unanimiter in eum, et ejecerunt eum extra civitatem, invocantem et dicentem: * Domine Jesu, accipe spiritum meum ℣. Et testes deposuèruut vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus: et lapidabant Stephanum invocantem et dicentem. Domine.

Lectio vi.

NECESSARIUM tamen nobis est, fratres, agnoscere quibus armis præcinctus Stephanus sævitiam Judæorum potuit superare, ut ita meruisset feliciter triumphare. Stephanus ergo, ut nominis sui coronam meruisset accipere, charitatem pro armis habebat, et per ipsam utique

Digitized by Google

vincebat. Per charitatem Dei, sævientibus Judæis non cessit: per charitatem proximi, pro lapidantibus intercessit. Per charitatem arguebat errantes, ut corrigerentur: per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur. Charitatis virtute subnixus vicit Saulum crudeliter sævientem: et quem habuit in terra persecutorem, in cœlo meruit habere consortem.

℟. Impii super justum jacturam fecerunt, ut eum morti traderent: * At ille gaudens suscepit lapides, ut mereretur accipere coronam gloriæ. ℣. Continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum. At. Gloria. At.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 23.

IN illo tempore: Dicebat Jesus Scribis et Pharisæis: Ecce ego mitto ad vos Prophetas, et sapientes, et Scribas: et ex illis occidetis, et crucifigetis. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 4. Comment. in cap. 23.

Matthæi.

HOC quod antea dixeramus, Implete mensuram patrum vestrorum, ad personam Domini pertinere, eo quod occidendus esset ab eis, potest et ad discipulos ejus referri, de quibus nunc dicit: Ecce ego mitto ad vos Prophetas, et Sapientes, et Scribas. Simulque observa, juxta Apostolum scribentem ad Corinthios, varia esse dona discipulorum Christi: alios Prophetas, qui ventura prædicent; alios sapientes, qui noverunt quando debeant proferre sermonem: alios Scribas in lege doctissimos, ex quibus lapidatus est Stephanus, Paulus occisus, crucifixus Petrus, flagellati in Actibus Apostolorum discipuli.

℟. Stephanus servus Dei, quem lapidabant Judæi, vidit cœlos apertos; vidit et introivit: * Beatus homo, cui cœli patebant. ℣. Cum igitur saxorum crepitantium turbine quateretur, inter æthereos aulæ cœlestis sinus divina ei claritas fulsit. Beatus.

Lectio viij.

QUÆRIMUS quis iste sit Zacharias filius Barachiæ: quia multos legimus Zacharias. Et ne libera nobis tribueretur erroris facultas, additum est: Quem occidistis inter templum et altare. In diversis diversa legi, et debeo singulorum opiniones ponere. Alii Zachariam filium Barachiæ dicunt, qui in duodecim Prophetis undecimus est; patrisque in eo nomen consentit: sed ubi occisus sit inter templum et altare, Scriptura non loquitur: maxime cum temporibus ejus vix ruinæ templi fuerint. Alii Zachariam patrem Joannis intelligi volunt, ex quibusdam apocryphorum somniis approbantes, quod propterea occisus sit, quia Salvatoris prædicaverit adventum.

℟. Patefactæ sunt januæ cœli Christi martyri beato Stephano, qui in numero martyrum inventus est primus: * Et ideo triumphat in cœlis coronatus. ℣. Mortem enim, quam Salvator noster dignatus est pro nobis pati, hanc ille primus reddidit Salvatori. Et. Gloria. Et.

Lectio ix.

ALII istum volunt esse Zachariam, qui occisus est a Joas rege Judæ inter templum et altare, sicut Regum narrat historia. Sed observandum quod ille Zacharias non sit filius Barachiæ, sed filius Joiadæ sacerdotis: unde et Scriptura refert: Non fuit recordatus Joas patris ejus Joiadæ, quia sibi fecisset bona. Cum ergo et Zachariam teneamus, et occisionis consentiat locus: quærimus quare Barachiæ dicatur filius, et non Joiadæ? Barachia lingua nostra Benedictus Domini dicitur, et sacerdo-

Digitized by Google

tis Joiadæ justitia Hebræo nomine demonstratur. In Evangelio quo utuntur Nazareni, pro filio Barachiæ, filium Joiadæ reperimus scriptum.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. **LAPIDAVERUNT** Stephanum, et ipse invocabat Dominum, dicens: Ne statuas illis hoc peccatum.

2. Lapides torrentis illi dulces fuerunt: ipsum sequuntur omnes animæ justæ.

3. Adhæsit anima mea post te, quia caro mea lapidata est pro te, Deus meus.

4. Stephanus vidit cœlos apertos; vidit et introivit: beatus homo cui cœli patebant.

5. Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei.

Capitulum. Act. 6.

STEPHANUS autem plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo.

Hymn. Invicte Martyr, *de Com.*

℣. Sepelierunt Stephanum viri timorati. ℟. Et fecerunt planctum magnum super eum.

Ad Bened. Ant. Stephanus autem plenus gratia et fortitudine, faciebat signa magna in populo.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Domine, imitari quod colimus, ut discamus et inimicos diligere: quia ejus natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum Qui tecum.

Deinde fit comm. de Nativ.

Ad Tertiam.

Capit. Stephanus nutem, *ut sup.*

℟. *br.* Gloria et honore. ℣. Posuisti, Domine.

Ad Sextam.

Capitulum. Act. 6.

SURREXERUNT autem quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et eorum qui erant a Cilicia et Asia, disputantes cum Stephano, et non poterant resistere sapientiæ, et Spiritui qui loquebatur.

℟. *br.* Posuisti, Domine. ℣. Magna est gloria.

Ad Nonam.

Capitulum. Act. 7.

POSITIS autem genibus, clamavit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino.

℟. *br.* Magna est gloria. ℣. Justus ut palma.

Ad Vesperas.

Ant. et Psalmi de Nativ., p. 148.

Capit. Stephanus autem.

Hymn. Deus tuorum, *de Com.*

℣. Stephanus vidit cœlos apertos. ℟. Vidit et introivit: beatus homo, cui cœli patebant.

Ad Magnif. Ant. Sepelierunt Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum.

Deinde pro S. Joanne.

Ant. Iste est Joannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit: beatus Apostolus, cui revelata sunt secreta cœlestia.

℣. Valde honorandus est beatus Joannes. ℟. Qui supra pectus Domini in cœna recubuit.

Oratio.

ECCLESIAM tuam, Domine, benignus illustra: ut beati Joannis Apostoli tui et Evangelistæ illuminata doctrinis, ad dona perveniat sempiterna.

Postea fit comm. de Nativ.

IN FESTO S. JOANNIS,

Apostoli et Evangel. Duplex.

Ad Matutinum.

Invit. Hymnus, Ant. Psalmi, et ℣℣. de Com. Apostolorum.

Digitized by Google

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epistola prima beati Joannis Apostoli.

Lectio j. *Cap.* 1.

QUOD fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ: et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis: quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo. Et hæc scribimus vobis, ut gaudeatis, et gaudium vestrum sit plenum. Et hæc est annuntiatio, quam audivimus ab eo, et annuntiamus vobis: Quoniam Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ.

℟. Valde honorandus est beatus Joannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit: * Cui Christus in cruce matrem virginem virgini commendavit. ℣. Virgo est electus a Domino, atque inter cæteros magis dilectus. Cui.

Lectio ij.

SI dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur, et veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, sicut et ipse est in luce: societatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis.

℟. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc: * Et scimus quia verum est testimonium ejus. ℣. Fluenta Evangelii de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit. Et.

Lectio iij. Cap. 2.

FILIOLI mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum: et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Et in hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. Qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est. Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est.

℟. Hic est beatissimus Evangelista et Apostolus Joannes, * Qui privilegio amoris præcipui, cæteris altius a Domino meruit honorari. ℣. Hic est discipulus ille, quem diligebat Jesus, qui supra pectus Domini in cœna recubuit. Qui. Gloria. Qui.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro S. Hieronymi Presbyteri de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Lectio iv.

JOANNES Apostolus, quem Jesus amavit plurimum, filius Zebedæi frater Jacobi Apostoli, quem Herodes post passionem Domini decollavit, novissimus omnium scripsit Evangelium, rogatus ab Asiæ Episcopis, adversus Cerinthum, aliosque hæreticos, et maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse: unde et compulsus est divinam ejus nativitatem edicere.

℟. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo meo, dicit Dominus: * Et scribam super eum nomen meum, et nomen civitatis novæ Jerusalem. ℣. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. Et.

Lectio v.

QUARTODECIMO igitur anno, secundam post Neronem perse-

Digitized by Google

cutionem movente Domitiano, in Patmos insulam relegatus, scripsit Apocalypsim, quam interpretatur Justinus martyr, et Irenæus. Interfecto autem Domitiano, et actis ejus ob nimiam crudelitatem a Senatu rescissis, sub Nerva principe rediit Ephesum: ibique usque ad Trajanum principem perseveraus, totas Asiæ fundavit rexitque Ecclesias. Et confectus senio, sexagesimo octavo post passionem Domini anno mortuus, juxta eamdem urbem sepultus est.

℟. Diligebat autem eum Jesus, quoniam specialis prærogativa castitatis, ampliori dilectione fecerat dignum: * Quia virgo electus ab ipso, virgo in ævum permansit. ℣. In cruce denique moriturus, huic matrem suam virginem virgini commendavit. Quia.

Ex Commentariis ejusdem in Epistolam ad Galatas.

Lectio vj. *Lib* 3. *cap.* 6.

BEATUS Joannes Evangelista, cum Ephesi moraretur usque ad ultimam senectutem, et vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura verba vocem contexere; nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: Filioli, diligite alterutrum. Tandem discipuli, et fratres, qui aderant, tædio affecti quod eadem semper audirent, dixerunt: Magister, quare semper hoc loqueris? Qui respondit dignam Joanne sententiam: Quia præceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit.

℟. In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, * Et implevit eum Dominus spiritu sapientiæ et intellectus. ℣. Jucunditatem et exultationem thesaurizavit super eum. Et. Gloria. Et.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 21.

IN illo tempore: Dixit Jesus Petro: Sequere me. Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 124. *in Ioan. post med.*

DUAS vitas sibi divinitus prædicatas et commendatas novit Ecclesia: quarum una est in fide, altera in specie: una in tempore peregrinationis, altera in æternitate mansionis: una in labore, altera in requie: una in via, altera in patria: una in opere actionis, altera in mercede contemplationis. Una declinat a malo, et facit bonum: altera nullum habet, a quo declinet, malum; et magnum habet, quo fruatur, bonum. Una cum hoste pugnat, altera sine hoste regnat.

℟. In illum diem suscipiam te servum meum, et ponam te sicut signaculum in conspectu meo: * Quoniam ego elegi te, dicit Dominus. ℣. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Quoniam.

Lectio viij.

UNA subvenit indigenti, altera ibi est, ubi nullum invenit indigentem. Una aliena peccata, ut sua sibi ignoscantur, ignoscit: altera nec patitur quod ignoscat, nec facit quod sibi poscat ignosci. Una flagellatur malis, ne extollatur in bonis: altera tanta plenitudine gratiæ caret omni malo, ut sine ulla tentatione superbiæ cohæreat summo bono.

℟. Iste est Joannes qui supra pectus Domini in cœna recubuit: * Beatus Apostolus, cui revelata sunt secreta cœlestia ℣. Fluenta Evangelii de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit. Beatus. Gloria. Beatus.

Lectio ix.

ERGO una bona est, sed adhuc misera: altera melior, et beata. Ista significata est per Apostolum Petrum, illa per Joannem. Tota hic agitur ista usque in hujus sæculi finem, et illic invenit finem: differtur illa complenda post hujus sæculi finem, sed in futuro sæculo non ha-

itized by Google

bet finem. Ideo dicitur huic: Sequere me. De illo autem: Sic eum volo manere, donec veniam: quid ad te? tu me sequere. Quid enim est hoc? Quantum sapio, quantum capio, quid est hoc? nisi tu me sequere per imitationem perferendi temporalia mala: ille maneat, donec sempiterna venio redditurus bona.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. **VALDE** honorandus est beatus Joannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit.

2. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scimus quia verum est testimonium ejus.

3. Hic est discipulus meus: sic eum volo manere, donec veniam.

4. Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis in regno suo.

5. Ecce puer meus electus, quem elegi, posui supereum spiritum meum.

Capitulum. Eccli. 15.

QUI timet Deum, faciet bona: et qui continens est justitiæ, apprehendet illam, et obviabit illi quasi mater honorificata.

Hymn. Exultet, *de Com. Apost.*

℣. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his. ℟. Et scimus quia verum est testimonium ejus.

Ad Bened. Ant. Iste est Joannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit: beatus Apostolus, cui revelata sunt secreta cœlestia.

Oratio.

ECCLESIAM tuam, Domine, benignus illustra, ut beati Joannis Apostoli tui et Evangelistæ illuminata doctrinis, ad dona perveniat sempiterna. Per Dominum.

Deinde fit comm. de Nativ. et S. Stephano, ut infra, p. 158.

Ad Tertiam.

Capit. Qui timet Deum.

℟. *br.* In omnem terram. ℣. Constitues eos.

Ad Sextam.

Capitulum. Eccli. 15.

CIBAVIT illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit illum Dominus Deus noster.

℟. *br.* Constitues eos. ℣. Nimis honorati sunt.

Ad Nonam.

Capitulum. Eccli. 15.

IN medio Ecclesiæ aperuit os ejus, et implevit illum Dominus spiritus sapientiæ et intellectus, et stolam gloriæ induit eum.

℟. *br.* Nimis honorati sunt. ℣. Annuntiaverunt opera.

Ad Vesperas.

Ant. et Psalmi de Nativ., p. 148.

Capit. Qui timet Deum.

Hymn. Exultet, *de Com. Apost.*

℣. Valde honorandus est beatus Joannes. ℟. Qui supra pectus Domini in cœna recubuit.

Ant. Magnif. Ant. Exiit sermo inter fratres quod discipulus ille non moritur: et non dixit Jesus, Non moritur; sed, Sic eum volo manere, donec veniam.

Deinde pro SS. Innocentibus.

Ant. Hi sunt. ℣. Herodes iratus. *Oratio* Deus cujus, *ut infra in Laud.*, p. 158.

Postea fit comm. de Nativ. et S. Stephano, ut infra, p. 158.

IN FESTO SS. INNOCENTIUM.

Duplex.

Ad Matutinum.

Invit. Ant. Psalmi et ℣℣. de Com. plur. Martyrum.

HYMNUS.

AUDIT tyrannus anxius
Adesse regum Principem

Qui nomen Israel regat,
Teneatque David regiam.
Exclamat amens nuntio:
Successor instat, pellimur;
Satelles, i, ferrum rape:
Perfunde cunas sanguine.
Quid proficit tantum nefas?
Quid crimen Herodem juvat?
Unus tot inter funera
Impune Christus tollitur.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

De Jeremia Propheta.

Lectio j. Cap. 31.

HÆC dicit Dominus: Vox in excelso audita est lamentationis, luctus, et fletus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non sunt. Hæc dicit Dominus: quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis: quia est merces operi tuo, ait Dominus, et revertentur de terra inimici. Et est spes novissimis tuis, ait Dominus: et revertentur filii ad terminos suos.

℟. Centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra, hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: * Virgines enim permanserunt, ideo regnant cum Deo, et Agnus Dei cum illis. ℣. Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine Agni. Virgines.

Lectio ij.

AUDIENS audivi Ephraim transmigrantem: Castigasti me, et eruditus sum, quasi juvenculus indomitus. Converte me, et convertar: quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam: et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum, et erubui: quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus: quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor ejus.

℟. Sub altare Dei audivi voces occisorum dicentium: * Quare non defendis sanguinem nostrum? Et acceperunt divinum responsum: Adhuc sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum. ℣. Vidi sub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium quod habebant, et clamabant voce magna, dicentes. Quare.

Lectio iij.

STATUE tibi speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti: revertere, virgo Israel, revertere ad civitates tuas istas. Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga? quia creavit Dominus novum super terram: Femina circumdabit virum. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Adhuc dicent verbum istud in terra Juda, et in urbibus ejus, cum convertero captivitatem eorum: Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ, mons sanctus.

℟. Adoraverunt viventem in sæcula sæculorum, * Mittentes coronas suas ante thronum Domini Dei sui. ℣. Et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et benedixerunt viventem in sæcula sæculorum. Mittentes. Gloria. Mittentes.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

Sermo 10. de Sanctis.

Lectio iv.

HODIE, fratres charissimi, natalem illorum infantium colimus, quos ab Herode crudelissimo rege interfectos esse Evangelii textus eloquitur. Et ideo cum summa exultatione gaudeat terra, cœlestium militum, et tantarum parens fœcunda virtutum. Ecce profanus hostis nunquam beatis parvulis tantum prodesse potuisset obsequio, quantum profuit odio. Nam sicut sacratissimum præsentis diei festum manifestat, quantum in beatos parvulos iniquitas abundavit, tantum

Digitized by

in eis gratia benedictionis refudit.

℟. Effuderunt sanguinem sanctorum velut aquam in circuitu Jerusalem: * Et non erat qui sepeliret. ℣. Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. Et non.

Lectio v.

BEATA es, o Bethlehem terra Juda, quæ Herodis regis immanitatem in puerorum extinctione perpessa es: quæ sub uno tempore candidatam plebem imbellis infantiæ Deo offerre meruisti. Digne tamen natalem illorum colimus, quos beatius æternæ vitæ mundus edidit, quam quos maternorum viscerum partus effudit. Siquidem ante vitæ perpetuæ adepti sunt dignitatem, quam usuram præsentis acceperint.

℟. Isti sunt sancti qui passi sunt propter te, Domine, vindica eos, * Quia clamant ad te quotidie. ℣. Vindica, Domine, sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est. Quia.

Lectio vj.

ALIORUM quidem pretiosa mors martyrum laudem in confessione promeruit: horum in consummatione complacuit. Quia incipientis vitæ primordiis ipse eis occasus initium gloriæ dedit, qui præsentis terminum imposuit. Quos Herodis impietas lactentes matrum uberibus abstraxit, qui jure dicuntur Martyrum flores, quos in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Ecclesiæ gemmas, quædam persecutionis pruina decoxit.

℟. Isti sunt qui non inquinaverunt vestimenta sua: * Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. ℣. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Ambulabunt. Gloria. Ambulabunt.

IN III. NOCTURNO.

Loco ij *Ant. de Com. dicitur seq.*

Ant. Isti sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo tempore: Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum: et esto ibi usque dum dicam tibi. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. I. Comm. in cap. 2. Matth.

QUANDO tulit puerum, et matrem ejus, ut in Ægyptum transeat, nocte tulit, et in tenebris: quia noctem ignorantiæ his, a quibus ipse recessit, reliquit incredulis. Quando vero revertitur in Judæam, nec nox, nec tenebræ ponuntur in Evangelio: quia in fine mundi Judæi fidem, tanquam Christum ab Ægypto revertentem suscipientes, illuminabuntur.

℟. Cantabant Sancti canticum novum ante sedem Dei et Agni: * Et resonabat terra in voces eorum. ℣. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno, et in ore ipsorum non est inventum mendacium. Et.

Lectio viij.

UT adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam, dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum. Respondeant, qui Hebræorum voluminum denegant veritatem, ubi hoc in Septuaginta legatur interpretibus. Quod cum non invenerint, nos eis dicemus, in Osee Propheta scriptum, sicut et exemplaria probare possunt, quæ nuper edidimus.

℟. Vidi sub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei quod habebant, et clara voce dicebant: * Vindica, Domine, Sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est. ℣. Sub throno Dei omnes Sancti clamant. Vindica.

Si hoc Festum venerit in Dom. additur Gloria. Vindica. *Et post Lect.* ix *dicitur* Te Deum. *Aliis diebus, ut infra.*

Lectio IX.

TUNC adimpletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam, dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos. De Rachel natus est Benjamin, in cujus tribu non est Bethlehem. Quæritur ergo quomodo Rachel filios Judæ, id est Bethlehem, quasi suos ploret. Respondebimus breviter quia sepulta sit juxta Bethléhem in Ephrata: et ex materno corpusculi hospitio matris nomen acceperit. Sive quoniam Juda et Benjamin duæ tribus junctæ erant: et Herodes præceperat non solum in Bethlehem interfici pueros, sed et in omnibus finibus ejus.

℟. Isti qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, et unde venerunt? Et dixit mihi: * Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. ℣. Vidi sub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium quod habebant. Hi sunt. Gloria. Hi sunt.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. HERODES iratus occidit multos pueros in Bethlehem Judæ civitate David.

2. A bimatu et infra occidit multos pueros Herodes propter Dominum.

3. Angeli eorum semper vident faciem Patris.

4. Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus, Rachel plorans filios suos.

5. Sub throno Dei omnes sancti clamant: Vindica sanguinem nostrum, Deus noster.

Capitulum. Apoc. 14.

VIDI supra montem Sion Agnum stantem, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis.

HYMNUS.

SALVETE, flores Martyrum,
Quos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas.

Vos prima Christi victima,
Grex immolatorum tener,
Aram sub ipsam simplices
Palma et coronis luditis.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Herodes iratus occidit multos pueros. ℟. In Bethlehem Judæ, civitate David.

Ad Bened. Ant. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt, et sequuntur Agnum quocumque ierit.

Oratio.

DEUS, cujus hodierna die præconium innocentes martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt omnia in nobis vitiorum mala mortifica, ut fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Per Dominum.

Et fit comm. de Nativ., S. Stephano, et S. Joanne ut infra.

Ad Tertiam.

Capit. Vidi supra montem.

℟. *br.* Lætamini. ℣. Exultent justi.

Ad Sextam.

Capitulum. Apoc. 14.

HI sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit.

℟. *br.* Exultent justi. ℣. Justi autem.

Ad Nonam.

Capitulum. Apoc. 14.

HI empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno, et in ore ipsorum non est inventum menda-

Digitized by Google

cium : sine macula enim sunt ante thronum Dei.

℟. *br.* Justi autem. ℣. Exultabunt sancti.

Ad Vesperas.

Ant. et Psalmi de Nativ., p. 148. *Capit. et Hymnus, ut in Laud.*

℣. Sub throno Dei omnes sancti clamant. ℟. Vindica sanguinem nostrum, Deus noster.

Ad Magnif. Ant. Innocentes pro Christo infantes occisi sunt, ab iniquo rege lactentes interfecti sunt : ipsum sequuntur Agnum sine macula, et dicunt semper : Gloria tibi, Domine.

Et fit commem. S. Thomæ, nisi fuerit Sabbatum. Ant. Iste sanctus. ℣. Gloria et honore. *Oratio* Deus pro cujus, *p.* 159. *Postea*

De Nativitate.

Ad Vesp. Ant. Hodie Christus natus est : hodie Salvator apparuit, hodie in terra canunt Angeli, lætantur Archangeli: hodie exultant justi, dicentes: Gloria in excelsis Deo, alleluia.

℣. Notum fecit Dominus, alleluia. ℟. Salutare suum, alleluia.

Ad Laud. Ant. Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, alleluia, allel.

℣. Notum fecit Dominus, alleluia. ℟. Salutare suum, alleluia.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut nos Unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet, quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet.

De Sancto Stephano.

Ad Vesp. Ant. Sepelierunt Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum.

℣. Stephanus vidit cœlos apertos. ℟. Vidit et introivit : beatus homo, cui cæli patebant.

Ad Laud. Ant. Stephanus autem plenus gratia et fortitudine, faciebat signa magna in populo.

℣. Sepelierunt Stephanum viri timorati. ℟. Et fecerunt planctum magnum super eum.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Domine, imitari quod colimus, ut discamus et inimicos diligere, quia ejus natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

De Sancto Joanne.

Ad Vesp. Ant. Exiit sermo inter fratres quod discipulus ille non moritur: et non dixit Jesus, non moritur: sed, Sic eum volo manere, donec veniam.

℣. Valde honorandus est beatus Joannes. ℟. Qui supra pectus Domini in cœna recubuit.

Ad Laud. Ant. Iste est Joannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit : beatus Apostolus, cui revelata sunt secreta cœlestia.

℣. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his. ℟. Et scimus quia verum est testimonium ejus.

Oratio.

ECCLESIAM tuam, Domine, benignus illustra : ut beati Joannis Apostoli tui et Evangelistæ illuminata doctrinis, ad dona perveniat sempiterna. Per Dominum.

Infra Oct. SS. Innocentium.

Ad Vesp. Ant. Innocentes pro Christo infantes occisi sunt, ab iniquo rege lactentes interfecti sunt : ipsum sequuntur Agnum sine macula, et dicunt semper : Gloria tibi, Domine.

℣. Sub throno Dei omnes sancti clamant. ℟. Vindica sanguinem nostrum, Deus noster.

Ad Laud. Ant. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt, et sequuntur Agnum quocumque ierit.

℣. Herodes iratus occidit multos pueros. ℟. In Bethlehem Judæ, civitate David.

Digitized by Google

Oratio.

DEUS, cujus hodierna die præconium innocentes martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt, omnia in nobis vitiorum mala mortifica, ut fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Per.

Si Festum Nativ. Domini, S. Stephani, S. Joannis Evang., SS. Innocentium, et eorum dies Octavæ venerint in Dom., ipso die nihil fit de Dom., sed die proximo post Festum S. Thomæ, fit de ea, ut infra.

Si Festum S. Thomæ venerit in Dom., transfertur in ij. *Feriam; et in Sabbato post Orationem SS. Innocentium dicitur Ant.* ℣. *et Oratio Dominicæ, quæ paulo infra habetur; deinde fit comm. Octavar., et in* j *Vesp. Dom. fit commem. S. Thomæ, et Octavar. in* ij *Vesp. S. Thomæ, Ant. et Psalmi de Nativ.,* p. 148. *quæ duplicantur: Capit. et alia de S. Silvestro, cum comm. S. Thomæ et Octavarum.*

IN FESTO S. THOMÆ,

Episcopi et Martyris. Semiduplex.

Oratio.

DEUS, pro cujus Ecclesia gloriosus pontifex Thomas gladiis impiorum occubuit, præsta, quæsumus, ut omnes, qui ejus implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum. Per Dominum.

Lect. I. *Noct.* A Mileto.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

THOMAS, Londini in Anglia natus, Theobaldo successit Cantuariensi Episcopo: et qui antea in administrando Cancellariæ munere præclare se gesserat, in Episcopali officio fortis et invictus fuit. Cum enim Henricus Secundus Angliæ Rex, convocatis ad se Episcopis et proceribus regni, leges ferret utilitati ac dignitati Ecclesiasticæ repugnantes, adeo constanter obstitit regiæ cupiditati, ut neque pollicitationibus, neque terroribus de sententia decedens, proxime conjiciendus in carcerem clam recesserit. Inde propinqui ejus omnis ætatis ejecti, amici, fautores omnes, iis, quibus per ætatem liceret, jurejurando adstrictis, universos Thomam adituros, si fortasse miserabili suorum calamitatis aspectu moveretur, qui a sancto proposito privatis incommodis deterreri minime potuisset. Non respexit carnem aut sanguinem, neque ullus in eo humanitatis sensus pastoralis officii constantiam labefactavit.

Lectio. v.

CONTULIT igitur se ad Alexandrum Tertium Pontificem, a quo benigne acceptus est: et inde profectus, monachis Pontiniacensis monasterii, Cisterciensis Ordinis, ab eodem commendatus. Quod ut cognovit Henricus, missis ad Conventum Fratrum Cisterciensium minacibus litteris, Thomam e Pontiniaco manasterio exturbare conatur. Quare vir sanctus, veritus ne sua causa mali aliquid Cisterciensis familia pateretur, sponte discessit, et Ludovicum Galliæ regem, ejus invitatu convenit; ubi tamdiu fuit, quoad Pontifice Maximo, et ipso rege agentibus, ab exilio summa totius regni gratulatione revocatur. Qui dum boni pastoris officium securus exequitur, ecce calumniatores ad regem deferunt, eum multa contra regnum et publicam quietem moliri, ut propterea sæpius conquereretur rex, se in suo regno cum uno sacerdote pacem habere non posse.

Lectio vj.

EX qua regis voce nefarii satellites, sperantes gratum se regi facturos, si Thomam e medio tollerent, clam convenientes Cantuariam, Episcopum in templo Vespertinis horis operam dantem aggrediuntur. Qui clericis templi aditus præcludere conantibus accurrens, ostium aperuit,

illis usus verbis ad suos : Non est Dei Ecclesia custodienda more castrorum, et ego pro Ecclesia Dei libenter mortem subibo. Tum ad milites : Vos Dei jussu cavete ne cuipiam meorum noceatis. Deinde flexis genibus, Deo, beatæ Mariæ, sancto Dionisio, et reliquis Sanctis ejus Ecclesiæ Patronis, Ecclesiam et seipsum commendans, sacrum caput eadem constantia, qua iniquissimi regis legibus restiterat, impio ferro præcidendum obtulit, quarto Kalendas Januarii, anno Domini millesimo centesimo septuagesimo primo : cujus cerebro respersum est totius templi pavimentum. Quem multis postea illustrem miraculis idem Alexander Pontifex retulit in Sanctorum numerum.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo tempore : Dixit Jesus Pharisæis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homilia 59. *in Joannem.*

MAGNUM quiddam, dilectissimi, magnum, inquam, est Ecclesiæ prælatio, et quæ multa indiget sapientia et fortitudine, qualem Christus proposuit : ut animam pro ovibus ponamus, et nunquam illas deseramus : ut lupo generose resistamus. Hæc enim inter pastorem et mercenarium est differentia. Alter propriæ, contemptis ovibus, alter sua contempta, ovium semper saluti invigilat. Pastoris ergo exemplo demonstrato, deceptores duos meminit ; furem mactantem et rapientem oves, et mercenarium permittentem, neque defendentem commissas.

Lectio viij.

QUOD superiori tempore Ezechiel his verbis insectatus est : Væ pastoribus Israel : nonne pascebant semetipsos ? nonne greges pascuntur a pastoribus ? sed illi contrarium faciebant, quod maximæ malitiæ genus est, et plurimorum causa malorum. Idcirco, inquit, neque quod abjectum erat, reducebant : neque quod perierat, quærebant : neque confractum alligabant, neque infirmum consolidabant : quoniam se, non gregem, pascebant. Idem et Paulus aliis verbis significat : Omnes quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi.

Lectio ix.

VERUM ab utroque se dissidere ostendit Christus : ab illis quidem, qui in aliorum perniciem veniunt cum dicat, se propterea venisse, ut vitam haberent, et abundantius haberent : ab his autem, qui oves a lupis rapi negligebant, dicendo se propter eas animam ponere, ne oves perirent. Nam cum Judæi ipsum interimere vellent, non propterea destitit a doctrina, neque credentes tradidit, sed perstitit, et pertulit mortem : ideo frequenter inquit: Ego sum pastor bonus. Quæ cum nullo niti testimonio viderentur (quod enim poneret animam suam, non multo post re monstratum est : quod autem vitam haberent, et abundantius haberent, eventurum erat in futuro sæculo) alterum ab altero confirmat.

In Laud. fit comm. de Nativ. et aliis Octavis, ut supra, p. 138.

Si Festum S. Thomæ non venerit in Dom., Offic. Dominicæ fit die immediate sequenti Festum ipsius, nisi fuerit Sabbatum : quia tunc de Dom. fit tantum comm. in die S. Silvestri ; et in Sabbato fit Offic. de Oct. Nativ., ut inferius ponitur.

DOM. INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

In ij *Vesp. S. Thomæ, quando non venerit in Dom., Ant. et Psalmi de Nativ.*, p. 148.

Capit. Fratres Quanto, *de Laud. Hymn.* Jesu Redemptor, *p.* 138.

Vers. Verbum caro. *Ant. ad Ma-*

Digitized by Google

gnif. Dum medium *et Oratio, ut infra in Laud.*

Deinde fit comm. S. Thomæ. Ant. Qui vult. ℣. Justus. *Oratio* Deus pro cujus, *ut supra*, p. 159.

Postea Octavar., ut sup., p. 188.

Ad Matut. omnia dicuntur sicut in die Nativitatis, præter sequentia.

Hac nocte ponitur Epistola B. Pauli ad Romanos, et de ea, et aliis ejus Epistolis legitur usque ad Sept.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epistola beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Lectio j. Cap. I.

PAULUS servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri: per quem accepimus gratiam et Apostolatum, ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus, in quibus estis et vos vocati Jesu Christi: omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.

℟. Hodie nobis de cælo pax vera descendit: * Hodie per totum mundum melliflui facti sunt cœli. ℣. Hodie illuxit nobis dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Hodie.

Lectio ij.

PRIMUM quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo. Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis: obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos: id est simul consolari in vobis per eam, quæ invicem est, fidem vestram, atque meam.

℟. Quem vidistis, pastores, dicite, annuntiate nobis, in terris quis apparuit? * Natum vidimus, et choros Angelorum collaudantes Dominum. ℣. Dicite quidnam vidistis? et annuntiate Christi nativitatem. Natum.

Lectio iij.

NOLO autem vos ignorare, fratres: quia sæpe proposui venire ad vos (et prohibitus sum usque adhuc) ut aliquem fructum habeam et in vobis, sicut et in cæteris gentibus. Græcis ac Barbaris, sapientibus, et insipientibus debitor sum: ita (quod in me) promptum est et vobis, qui Romæ estis, evangelizare. Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum, et Græco. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Justus autem ex fide vivit. Revelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in justitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit.

℟. O magnum mysterium, et admirabile sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum, jacentem in præsepio! * Beata Virgo, cujus viscera meruerunt portare Dominum Christum. ℣. Ave, Maria, gratia plena: Dominus tecum. Beata. Gloria. Beata.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Leonis Papæ.

Sermo 9. de Nativitate Domini.

Lectio iv.

EXCEDIT quidem, dilectissimi, multumque supereminet humani eloquii facultatem divini operis magnitudo: et inde oritur difficultas fandi, unde adest ratio non tacendi. Quia in Christo Jesu Filio Dei non solum

Digitized by Google

ad divinam essentiam, sed etiam ad humanam spectat naturam, quod dictum est per Prophetam: Generationem ejus quis enarrabit? Utramque enim substantiam in unam convenisse personam, nisi fides credat, sermo non explicat. Et ideo nunquam materia deficit laudis, quia numquam sufficit copia laudatoris.

℟. Beata Dei genitrix Maria, cujus viscera intacta permanent: * Hodie genuit Salvatorem sæculi. ℣. Beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt omnia quæ dicta sunt ei a Domino. Hodie.

Lectio v.

GAUDEAMUS igitur, quod ad eloquendum tantæ misericordiæ sacramentum impares sumus: et cum salutis nostræ altitudinem promere non valeamus, sentiamus nobis bonum esse, quod vincimur. Nemo enim ad cognitionem veritatis magis propinquat, quam qui intelligit, in rebus divinis, etiam si multum proficiat, semper sibi superesse quod quærat. Nam qui se ad id, in quod tendit, pervenisse præsumit, non quæsita reperit, sed in inquisitione deficit.

℟. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio: * Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia.

Lectio vj.

NE autem infirmitatis nostræ perturbemur angustiis, Evangelicæ nos et Propheticæ adjuvant voces: quibus ita accendimur et docemur, ut nos Nativitatem Domini, qua Verbum caro factum est, non tam præteritam recolere, quam præsentem videamur inspicere. Quod enim pastoribus pro gregum suorum custodia vigilantibus nuntiavit Angelus, etiam nostrum implevit auditum: et ideo Dominicis ovibus præsumus, quia verba divinitus edita cordis aure servamus: tanquam et in hodierna festivitate dicatur: Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.

℟. Beata viscera Mariæ virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium: et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum: * Qui hodie pro salute mundi de Virgine nasci dignatus est. ℣. Dies sanctificatus illuxit nobis: venite, Gentes, et adorate Dominum. Qui. Gloria. Qui.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo tempore: Erat Joseph, et Maria mater Jesu, mirantes super his quæ dicebantur de illo: Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 2. in cap. 2. Luc. prope fin.

VIDES uberem in omnes gratiam Domini generatione diffusam, et prophetiam incredulis negatam esse non justis. Ecce et Simeon prophetat, in ruinam et resurrectionem plurimorum venisse Dominum Jesum Christum, ut justorum iniquorumque merita discernat, et pro nostrorum qualitate factorum, judex verus et justus aut supplicia decernat, aut præmia.

℟. Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: * Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis. ℣. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Et.

Lectio viij.

ET tuam ipsius animam pertransibit gladius. Nec littera, nec historia docet ex hac vita Mariam corporalis necis passione migrasse. Non enim anima, sed corpus materiali gladio transverberatur. Et ideo prudentiam Mariæ haud ignaram mysterii cœlestis ostendit. Vivum enim

Digitized by Google

verbum Dei, et validum, et acutius omni gladio acutissimo, penetrans usque ad divisionem animæ et spiritus, artuum quoque et medullarum, cogitationes cordis, et secreta scrutatur animorum: quia nuda et aperta sunt omnia Dei Filio, quem conscientiæ secreta non fallunt.

℟. O Regem cœli, cui talia famulantur obsequia! stabulo ponitur, qui continet mundum:* Jacet in præsepio, et in cœlis regnat. ℣. Natus est nobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Jacet. Gloria. Jacet.

Lectio IX.

PROPHETAVIT itaque Simeon, prophetaverat virgo, prophetaverat copulata conjugio: prophetare debuit etiam vidua, ne qua aut professio deesset, aut sexus. Et ideo Anna et stipendiis viduitatis, et moribus talis inducitur, ut digna plane fuisse credatur, quæ Redemptorem omnium venisse nuntiaret. Cujus merita cum alibi descripserimus, cum viduas hortaremur, hoc loco, quoniam ad alia properamus, non putamus iteranda.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. QUEM vidistis, pastores, dicite, annuntiate nobis, in terris quis apparuit? Natum vidimus, et choros Angelorum collaudantes Dominum, alleluia, alleluia.

2. Genuit puerpera Regem, cui nomen æternum, et gaudia matris habens cum virginitatis honore: nec primam similem visa est, nec habere sequentem, alleluia.

3. Angelus ad pastores ait: Annuntio vobis gaudium magnum: quia natus est vobis hodie Salvator mundi, alleluia.

4. Facta est cum Angelo multitudo cœlestis exercitus laudantium Deum, et dicentium: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis alleluia.

5. Parvulus filius hodie natus est nobis, et vocabitur Deus, Fortis, alleluia, alleluia.

Capitulum. Galat. 4.

FRATRES, Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium: sed sub tutoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus a patre.

Hymnus A solis ortus, *p.* 147.

℣. Verbum caro factum est, allel. ℟. Et habitavit in nobis, alleluia.

Ad Bened. Ant. Dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter perageret, omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit, alleluia.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare: Qui tecum.

Et fit comm. de Nativ., et aliis Oct. ut supra, p. 158.

Ad Tertium.

Capit. Fratres, Quanto, *ut sup.*

℟. *br.* Verbum caro factum est, * Alleluia, alleluia Verbum. ℣. Et habitavit in nobis. Alleluia, allel. Gloria. Verbum. ℣. Ipse invocabit me, alleluia. ℟. Pater meus es tu, alleluia.

Ad Sextum.

Capitulum. Galat. 4.

AT ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

℟. *br.* Notum fecit Dominus, * Alleluia, alleluia. Notum. ℣. Salutare suum. Alleluia, alleluia. Gloria. Notum. ℣. Viderunt omnes fines terræ, alleluia. ℟. Salutare Dei nostri, alleluia.

Ad Nonam.

Capitulum. Galat. 4.

Digitized by Google

ITAQUE jam non est servus, sed filius. Quod si filius, et hæres per Deum.

℟. *br.* Viderunt omnes fines terræ, * Alleluia, alleluia. Viderunt. ℣. Salutare Dei nostri. Alleluia, alleluia. Gloria. Viderunt. ℣. Verbum caro factum est, alleluia. ℟. Et habitavit in nobis, alleluia.

Ad Vesperas.

Ant. et Psalmi de Nativ., p. 148. *Capit. de Laud. Hymn.* Jesu Redemptor, *p.* 138.

℣. Verbum caro factum est, allel. ℟. Et habitavit in nobis, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Puer Jesus proficiebat ætate et sapientia coram Deo et hominibus.

Si dies post Festum S. Thomæ fuerit Sabbatum, Offic. fit de Oct. Nativit. hoc modo. In II. Vesp. S. Thomæ omnia dicuntur sicut in II. Vesp. Nativ., sed non duplicantur Ant. et post Orationem Nativ. fit comm. S. Thomæ, deinde S. Stephani, et aliarum Oct. ut supra, p. 158. *Ad Matut. omnia dicuntur sicut in die Nativ., præter Lect.* j. *et* ij. *Noct., et* ℟℟. *quæ dicuntur ut supra in Dom., et Lect.* iij. *Noct. quæ dicuntur ut infra.*

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo tempore: Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 2. in cap. 2. Lucæ, circa med.

VIDES festinare pastores. Nemo enim cum desidia Christum requirit. Vides pastores Angelo credidisse: et tu Patri, Filio, et Spiritui sancto, Angelis, Prophetis, et Apostolis credere non vis? Vide quam siguanter Scriptura singulorum libret momenta verborum. Festinant, inquit, Verbum videre. Etenim cum caro Domini videtur, Verbum videtur, quod est Filius.

℟. Verbum caro, *p.* 162.

Lectio. viij.

NON mediocre fidei tibi hoc videatur exemplum, quod vilis sit persona pastorum. Certe quo vilior ad prudentiam, eo pretiosior ad fidem. Non gymnasia choris referta sapientum, sed plebem Dominus simplicem requisivit, quæ phalerare audita, et fucare nesciret. Simplicitas enim quæritur, non ambitio desideratur.

℟. O Regem cœli, *p.* 163.

Lectio ix.

NEC contemnenda putes quasi vilia verba pastorum. A pastoribus enim Maria fidem colligit: a pastoribus populus ad Dei reverentiam congregatur. Mirati etiam sunt omnes qui audierunt, de iis quæ dicebantur a pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Discamus sanctæ Virginis in omnibus castitatem, quæ non minus ore pudica, quam corpore, argumenta fidei conferebat in corde.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

Ad Laudes omnia dicuntur sicut in Nativ., p. 146. *Et post Orationem fit comm. de S. Stephano, et reliq. Oct., ut supra*, p. 158.

Ad Horas omnia dicuntur sicut in Nativitate Domini, p. 147.

Ad Vesp., Ant. et Psalmi de Nativitate, p. 148. *et Ant. duplicantur. Capit. et reliqua de S. Silvestro.*

Si Festum S. Silvestri venerit in Dom., agitur de Festo cum comm. Dominicæ in I. Vesp., et Laud. ante comm. omnium Octavar., et ix. *Lectio erit de Homilia Dom.*

IN FESTO S. SILVESTRI,

Papæ et Confess. Duplex.

A Capit. omnia de Communi.

Digitized by Google

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut B. Silvestri Confessoris tui atque Pontificis veneranda solemnitas, et devotionem nobis augeat, et salutem. Per Dominum.

Et fit comm. de Octavis, p. 158.

IN I. NOCTURNO.

De Epistola ad Romanos.

Lectio j. Cap. 2.

PROPTER quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas. Scimus enim quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. Existimas autem hoc, o homo, qui judicas eos qui talia agunt, et facis ea, quia tu effugies judicium Dei? An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?

Lectio ij.

SECUNDUM autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus: iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem, qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio.

Lectio iij.

TRIBULATIO et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum, et Græci: gloria autem et honor et pax omni operanti bonum, Judæo primum, et Græco: non enim est acceptio personarum apud Deum. Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt: et quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

SILVESTER Romanus, patre Rufino, a prima ætate operam dedit Cyrino presbytero: cujus doctrinam et mores egregie imitatus, trigesimum annum agens, presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ a Marcellino Pontifice creatur. Quo in munere, cum omni laude clericis aliis antecelleret, in Melchiadis postea locum successit, Imperatore Constantino. Cui Imperatori, cum lepræ curandæ causa, sibi ex infantium sanguine, medicorum consilio, balneum parari jussisset, sancti Apostoli Petrus et Paulus in quiete apparuerunt, præcipientes ei, ut si ex lepra liberari vellet, omissa impii balnei immanitate, Silvestrum in Soracte monte latitantem accerseret: a quo salutari lavacro recreatus, in omni ditione Romani Imperii templa Christiano more ædificari imperaret, sublatisque inanium deorum simulacris, vero Deo cultum adhiberet. Constantinus igitur, cœlestibus monitis obtemperans: Silvestrum diligentissime conquisitum vocat: a quo, Apostolorum imagines recognoscens, baptismo sanatur, et ad tuendam propagandamque Christi religionem inflammatur.

Lectio v.

ITAQUE auctore Silvestro multas Basilicas ædificavit, quas sacris imaginibus, donisque ac muneribus magnificentissimis exornavit: facultate etiam data Christianis, quod antea negatum erat, publice templa extruendi. Hoc Pontifice habita sunt duo Concilia; Nicænum, ubi præsidentibus ejus legatis, præsenteque Constantino, et trecentis decem et octo Episcopis; sancta et Catholica Fides explicata est, Ario, ejusque sectatoribus condemnatis; quam etiam Synodum confirmavit, petentibus Concilii Patribus universis: et Romanum,

Digitized by Google

in quo interfuere ducenti octoginta quatuor Episcopi, ubi iterum Arius condemnatus est.

Lectio vj.

MULTA item decreta fecit Ecclesiæ Dei utilia : in his, Ut a solo Episcopo Chrisma conficeretur : Ut presbyter chrismate baptizati summum liniret verticem : Ut Diaconi dalmaticis in Ecclesia, et palla linostima ad lævam uterentur : Ut in lineo tantum velo sacrificium altaris conficeretur. Præscripsit tempus omnibus, qui Ordinibus initiati essent, exercendi singulos Ordines in Ecclesia, antequam quisque ad altiorem gradum ascenderet : Ut laicus clerico non inferret crimen : Ne clericus apud profanum judicem causam diceret. Sabbati et Dominici diei nomine retento, reliquos hebdomadæ dies Feriarum nomine distinctos, ut jam ante in Ecclesia vocari cœperant, appellari voluit : quo significaretur, quotidie clericos, abjecta cæterarum rerum cura, uni Deo prorsus vacare debere. Huic cœlesti prudentiæ, qua Ecclesiam administrabat, insignis vitæ sanctitas, et benignitas in pauperes perpetuo respondit. Quo in genere providit, ut clericis copiosis egentes conjungeret, et sacris virginibus quæ ad victum necessaria essent, suppeditarentur. Vixit in Pontificatu annos viginti unum, menses decem, diem unum. Sepultus est in cœmeterio Priscillæ, via Salaria. Fecit Ordinationes septem mense Decembri, quibus creavit Presbyteros quadraginta duos, Diaconos viginti quinque, Episcopos per diversa loca sexaginta quinque.

In iij. *Noct. Homilia* Sancti Evangelii fratres *de Com. Conf. non Pontif.* 1. *loco, cum* ℟℟. *de Com. Conf. Pont.*

Reliqua omnia usque ad Vesp. sumuntur de Com. Conf. Pont. Et in fine Laud. fit comm. de Octavis, ut supra, p. 188.

IN CIRCUMCISIONE DOMINI

e Octava Nativitatis.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. Psalmi ut in Festis B. M. V., p. 92*.

Hymnus Jesu Redemptor, *p.* 138.

℣. Verbum caro factum est, allel. ℟. Et habitavit in nobis, allel.

Ad Magnif. Ant. Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus, Filium suum misit in similitudinem carnis peccati, alleluia.

Oratio ut infra in Laudibus.

Et nulla fit commemoratio.

Ad Matut. Invit. et Hymnus ut in Nativ., p. 138.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Psalmus 2.

QUARE fremuerunt gentes, * et populi meditati sunt inania ?

Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum * adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum : * et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in cœlis, irridebit eos: * et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua: * et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, * et possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea, * et tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc, reges, intelligite : * erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore : * et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, * et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus,* beati omnes qui confidunt in eo.

Ant. Dominus dixit ad me; Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Ant. In sole posuit tabernaculum suum: et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.

Psalmus 18.

CŒLI enarrant gloriam Dei, * et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum, * et nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelæ, neque sermones, * quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit sonus eorum: * et in fines orbis terræ verba eorum.

In sole posuit tabernaculum suum:* et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.

Exultavit ut gigas ad currendam viam; * a summo cœlo egressio ejus.

Et occursus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscondat a calore ejus.

Lex Domini immaculata, convertens animas: * testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi: * judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum: * et dulciora super mel et favum.

Etenim servus tuus custodit ea:* in custodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me: * et ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: * et emundabor a delicto maximo.

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei: * et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine adjutor meus, * et redemptor meus.

Ant. In sole posuit tabernaculum suum: et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.

Ant. Elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitudo ejus: * orbis terrarum et universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum:* et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini?* aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum,* quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales: *. et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales: * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.

Ant. Elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ.

℣. Tamquam sponsus. ℟. Dominus procedens de thalamo suo.

De Epistoli beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Lectio j. Cap. 3. et 4.

QUID ergo amplius Judæo est? aut quæ utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei. Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit. Est autem Deus verax:

Digitized by Google

omnis autem homo mendax, sicut scriptum est : Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est Deus, qui infert iram? (secundum hominem dico.) Absit. Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum?

℟. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi : ecce de quo dicebam vobis : Qui post me venit, ante me factus est: * Cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere. ℣. Qui de terra est, de terra loquitur: qui de cœlo venit, super omnes est. Cujus.

Lectio ij.

AN Judæorum Deus tantum? Nonne et Gentium? Imo et Gentium. Quoniam quidem unus est Deus qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem. Legem ergo destruimus per fidem? Absit : sed legem statuimus. Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei. Sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus. Beati quorum remissæ sunt iniquitates,et quorum tecta sunt peccata:

℟. Dies sanctificatus illuxit nobis: venite, gentes, et adorate Dominum: * Quia hodie descendit lux magna in terris. ℣. Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea. Quia.

Lectio iii.

BEATITUDO ergo hæc in circumcisione tantum manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam. Quomodo ergo reputata est? In circumcisione, an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio. Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio : ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur et illis ad justitiam : et sit pater circumcisionis, non iis tantum qui sunt ex circumcisione, sed et iis qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ.

℟. Benedictus qui venit in nomine Domini : Deus Dominus, et illuxit nobis. * Alleluia, alleluia. ℣. Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus in lætemur in ea. Alleluia. Gloria. Alleluia.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.

Psalmus 44.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum : * dico ego opera mea Regi.

Lingua mea calamus scribæ * velociter scribentis.

Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: * propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum, * potentissime,

Specie tua, et pulchritudine tua * intende, prospere procede, et regna.

Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam : * et deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent: * in corda inimicorum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : * virga directionis, virga regni tui.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem ; * propterea unxit, te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Myrrha, et gutta, et casia a vesti-

Digitized by Google

mentis tuis, a domibus eburneis: * ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.

Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, * circumdata varietate.

Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam: * et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum:* quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus * vultum tuum deprecabuntur: omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus:* in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi virgines post eam: * proximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætitia et exultatione: * adducentur in Templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: * constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui, * in omni generatione et generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, et in sæculum sæculi.

Ant. Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.

Ant. Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.

Psalmus 86.

FUNDAMENTA ejus in montibus sanctis: * diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te, * civitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylonis * scientium me.

Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, * hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea, * et ipse fundavit eam Altissimus?

Dominus narrabit in scripturis populorum et principum: * horum, qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium * habitatio est in te.

Ant. Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.

Ant. Exultabunt omnia ligna silvarum ante faciem Domini, quoniam venit.

Psalmus 95.

CANTATE Domino canticum novum:*cantate Domino, omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite nomini ejus: * annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter Gentes gloriam ejus, * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis:* terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dii Gentium dæmonia: * Dominus autem cœlos fecit.

Confessio et pulchritudo in conspectu ejus: * sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino, patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem:* afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus: * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra: * dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur: * judicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus:* gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate,* et populos in veritate sua.

Ant. Exultabunt omnia ligna silvarum ante faciem Domini, quoniam venit.

℣. Speciosus forma præ filiis hominum. ℟. Diffusa est gratia in labiis tuis.

Digitized by Google

Sermo sancti Leonis Papæ.

Sermo 7. de Nativitate Domini.

Lectio iv.

FESTIVITATIS hodiernæ, dilectissimi, verus venerator est, et pius cultor, qui nec de incarnatione Domini aliquid falsum, nec de Deitate aliquid sentit indignum. Paris enim periculi malum est, si illi aut naturæ nostræ veritas, aut paternæ gloriæ negatur æqualitas. Cum ergo ad intelligendum sacramentum nativitatis Christi, qua de matre virgine est ortus, accedimus, abigatur procul terrenarum caligo rationum, et ab illuminatæ fidei oculo mundanæ sapientiæ fumus abscedat.

℟. Congratulamini mihi, omnes qui diligitis Dominum: * Quia cum essem parvula, placui Altissimo, et de meis visceribus genui Deum et hominem. ℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Quia.

Lectio v.

DIVINA est enim auctoritas cui credimus: divina est doctrina quam sequimur. Quoniam sive legis testificationi, sive oraculis Prophetarum, sive Evangelicæ tubæ interiorem admoveamus auditum, verum est quod Joannes plenus Spiritu sancto intonuit: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Et similiter verum est quod idem prædicator adjecit: Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.

℟. Confirmatum est cor Virginis, in quo divina mysteria Angelo nuntiante concepit: tunc speciosum forma præ filiis hominum castis suscepit visceribus: * Et benedicta in æternum Deum nobis protulit et hominem. ℣. Domus pudici pectoris templum repente fit Dei: intacta nesciens virum, verbo concepit filium. Et.

Lectio vi.

IN utraque ergo natura idem est Dei Filius, nostra suscipiens, et propria non amittens: in homine hominem renovans, in se incommutabilis perseverans. Deitas enim quæ illi cum Patre communis est, nullum detrimentum omnipotentiæ subiit, nec Dei formam servi forma violavit, quia summa et sempiterna essentia, quæ se ad humani generis inclinavit salutem, nos quidem in suam gloriam transtulit, sed quod erat, esse non destitit. Unde cum Unigenitus Dei minorem se Patre confitetur, cui se dicit æqualem, veritatem in se formæ utriusque demonstrat, ut et humanam probet imparilitas, et divinam declaret æqualitas.

℟. Benedicta et venerabilis es, Virgo Maria, quæ sine tactu pudoris inventa es mater Salvatoris: * Jacebat in præsepio, et fulgebat in cœlo. ℣. Domine, audivi auditum tuum, et timui: consideravi opera tua, et expavi: in medio duorum animalium. Jacebat. Gloria. Jacebat.

IN III. NOCTURNO.

Ant. In principio, et ante sæcula Deus erat Verbum, et ipse natus est hodie Salvator mundi.

Psalmus 96.

DOMINUS regnavit, exultet terra: * lætentur insulæ multæ.

Nubes et caligo in circuitu ejus: * justitia et judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet, * et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: * vidit, et commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, * a facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cœli justitiam ejus: * et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Digitized by Google

Confundantur omnes qui adorant sculptilia : * et qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum, omnes Angeli ejus: * audivit, et lætata est Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ, * propter judicia tua, Domine.

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: * nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum, * custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætitia.

Lætamini, justi, in Domino: * et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

Ant. In principio, et ante sæcula Deus erat Verbum, et ipse natus est hodie Salvator mundi.

Ant. Ante luciferum genitus, et ante sæcula, Dominus Salvator noster hodie nasci dignatus est.

Psalmus 97.

CANTATE Domino canticum novum: * quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus, * et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum: * in conspectu Gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ, * et veritatis suæ domui Israel.

Viderunt omnes termini terræ * salutare Dei nostri.

Jubilate Deo, omnis terra, * cantate, et exultate, et psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi: * in tubis ductilibus, et voce tubæ cornææ.

Jubilate in conspectu Regis Domini: * moveatur mare et plenitudo ejus, orbis terrarum, et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia, * et populos in æquitate.

Ant. Ante luciferum genitus, et ante sæcula, Dominus Salvator noster hodie nasci dignatus est.

Ant. Nato Domino Angelorum chorus canebat, dicens: Salus Deo nostro, sedenti super thronum, et Agno.

Psalmus 98.

DOMINUS regnavit, irascantur populi: * qui sedet super Cherubim, moveatur terra.

Dominus in Sion magnus: * et excelsus super omnes populos.

Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile, et sanctum est: * et honor regis judicium diligit.

Tu parasti directiones: * judicium et justitiam in Jacob tu fecisti.

Exaltate Dominum Deum nostrum: et adorate scabellum pedum ejus: * quoniam sanctum est.

Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, * et Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus.

Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos: * in columna nubis loquebatur ad eos.

Custodiebant testimonia ejus: et præceptum quod dedit illis.

Domine Deus noster, tu exaudiebat eos. * Deus tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum.

Exaltate Dominum Deum nostrum et adorate in monte sancto ejus: * quoniam sanctus Dominus Deus noster.

Ant. Nato Domino Angelorum chorus canebat, dicens: Salus Deo nostro, sedenti super thronum, et Agno.

℣. Notum fecit Dominus, alleluia.
℟. Salutare suum, alleluia.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. ij.

IN illo tempore: Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus. Et reliqua.

Digitized by Google

Homilia S. Ambrosii Episc.

Lib. 2. in cap. 2. Lucæ, circa med.

CIRCUMCIDITUR itaque puer. Quis est iste puer, nisi ille de quo dictum est: Puer natus est nobis, filius datus est nobis? Factus est enim sub lege, ut eos qui sub lege essent, lucrifaceret. Ut sisterent eum Domino. Quid sit autem in Jerusalem sisti Domino dicerem, nisi in Isaiæ commentis ante dixissem. Circumcisus enim vitiis Dominico dignus judicatur obtutu: quia oculi Domini super justos. Vides omnem legis veteris seriem fuisse typum futuri: nam et circumcisio purgationem significat delictorum.

℟. Sancta et immaculata virginitas, qnibus te laudibus efferam, nescio: *Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia.

Benedictio. Divinum auxilium.

Lectio viij.

SED quoniam prona quadam cupiditate peccandi, humanæ carnis et mentis fragilitas inextricabilibus vitiis implicatur, eo per octavum circumcisionis diem, culpæ totius futura purgatio resurrectionis præfigurabatur ætate. Hoc est enim illud: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. Verbis enim legis promittebatur Virginis partus. Et vere sanctus, quia immaculatus. Denique ipsum esse, qui lege signetur, in eumdem modum ab Angelo repetita verba declarant: Quod nascetur, inquit, Sanctum, vocabitur Filius Dei:

℟. Nesciens mater virgo virum peperit sine dolore: * Salvatorem sæculorum, ipsum Regem Angelorum sola virgo lactabat ubere de cælo pleno. ℣. Domus pudici pectoris templum repente fit Dei: intacta nesciens virum, verbo concepit filium. Salvatorem. Gloria. Salvatorem.

Lectio ix.

SOLUS enim per omnia ex natis de femina sanctus Dominus Jesus, qui terrenæ contagia corruptelæ, immaculati partus novitate non senserit, et cœlesti majestate depulerit. Nam si litteram sequamur: quomodo sanctus omnis masculus, cum multos sceleratissimos fuisse non lateat? Numquid sanctus Achab? numquid sancti Pseudoprophetæ, quos ad Eliæ preces ultor cœlestis injuriæ ignis absumpsit? Sed ille sanctus, quem in figura futuri mysterii pia legis divinæ præscripta signabant; eo quod solus sanctæ Ecclesiæ virginis ad generandos populos Dei, immaculatæ fœcunditatis aperiret genitale secretum.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

Ad Laudes

et per Horas Antiphonæ.

1. O admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens de Virgine nasci dignatus est: et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem.

2. Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ: sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum: te laudamus, Deus noster.

3. Rubum quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem: Dei genitrix, intercede pro nobis.

4. Germinavit radix Jesse: orta est stella ex Jacob; Virgo peperit Salvatorem: te laudamus, Deus noster.

5. Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns exclamavit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, alleluia.

Capitulum. Tit. 2.

APPARUIT gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo.

Hymnus A solis ortus, *p.* 147.

Digitized by Google

℣. Verbum caro factum est, alleluia. ℟. Et habitavit in nobis, alleluia.

Ad Bened. Ant. Mirabile mysterium declaratur hodie: innovantur naturæ, Deus homo factus est: id quod fuit permansit, et quod non erat assumpsit, non commixtionem passus, neque divisionem.

Oratio.

DEUS, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fœcunda, humano generi præmia præstitisti: tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum.

Ad Tertiam.

Capit. Apparuit gratia.

℟. *br.* Verbum caro factum est, * Alleluia, alleluia. Verbum. ℣. Et habitavit in nobis. Alleluia, alleluia. Gloria. Verbum. ℣. Ipse invocabit me. alleluia. ℟. Pater meus es tu, alleluia.

Ad Sextam.

Capitulum. Heb. I.

ET: Tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli.

℟. *br.* Notum fecit Dominus, * Alleluia, alleluia. Notum. ℣. Salutare suum. Alleluia, alleluia. Gloria. Notum. ℣. Viderunt omnes fines terræ, alleluia. ℟. Salutare Dei nostri, alleluia.

Ad Nonam.

Capitulum. Hebr. I.

IPSI peribunt: tu autem permanebis: et omnes sicut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

℟. *br.* Viderunt omnes fines terræ, * Alleluia, alleluia. Viderunt. ℣. Salutare Dei nostri. Alleluia, alleluia. Gloria. Viderunt. ℣. Verbum caro factum est, alleluia. ℟. Et habitavit in nobis, alleluia.

Ad II. Vesperas.

Omnia dicuntur ut in I. præter

℣. Notum fecit Dominus, alleluia. ℟. Salutare suum, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Magnum hæreditatis mysterium: templum Dei factus est uterus nescientis virum; non est pollutus ex ea carnem assumens: omnes Gentes venient, dicentes: Gloria tibi, Domine.

Deinde pro S. Stephano.

Ant. Stephanus autem plenus gratia et fortitudine, faciebat signa magna in populo. ℣. Stephanus vidit cœlos apertos. ℟. Vidit et introivit: beatus homo, cui cœli patebant.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui primitias martyrum in beati Levitæ Stephani sanguine dedicasti, tribue, quæsumus, ut pro nobis intercessor existat, qui pro suis etiam persecutoribus exoravit Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum.

De aliis octavis nihil fit.

IN OCTAVA SANCTI STEPHANI.

Duplex.

Omnia dicuntur ut in die Festi, p. 148, *præter Lect. et Orationem.*

IN I. NOCTURNO.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. 7. et 8.

DURA cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita et vos. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis: qui accepistis legem in dispositione Angelorum, et non custodistis. Audientes autem hæc, dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum.

Digitized by Google

℟. Stephanus autem plenus gratia et fortitudine, * Faciebat prodigia et signa magna in populo. ℣. Surrexerunt quidam de synagoga disputantes cum Stephano, et non poterant resistere sapientiæ, et spiritui qui loquebatur. Faciebat.

Lectio ij.

CUM autem esset plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei. Et ait: Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei. Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum. Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant: et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. Et lapidabant Stephanum invocantem, et dicentem: Domine Jesu, suscipe spiritum meum.

℟. Videbant omnes Stephanum, qui erant in concilio: * Et intuebantur vultum ejus tanquam vultum Angeli stantis inter illos. ℣. Plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo. Et.

Lectio iij.

POSITIS autem genibus, clamavit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino. Saulus autem erat consentiens neci ejus. Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Jerosolymis: et omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ, præter Apostolos. Curaverunt autem Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum.

℟. Intuens in cœlum beatus Stephanus vidit gloriam Dei, et ait: * Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei. ℣. Cum autem esset Stephanus plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum vidit gloriam Dei, et ait. Ecce. Gloria. Ecce.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 3. de S. Stephano.

Lectio iv.

POST hesternum festivissimum diem, quo Salvatoris nostri Christi nobis nativitas illuxit, etiam hodiernus dies beati martyris Stephani corona illustratur. Martyris illius merita nulla pars orbis ignorat: passus enim est in ipso principio Ecclesiæ, id est, in ipsa urbe Jerosolyma. Ib. enim Diaconus ministravit: et in ipso juventutis flore decorem ætatis suæ sanguine purpuravit. Passio ejus insignis est, multumque mirabilis. Hanc modo de libro Actuum Apostolorum, cum legeretur, non solum audivimus, sed etiam oculis spectavimus.

Lectio v.

CHRISTUS ergo caput Martyrum prior passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Cujus passionis vestigia prosecutus beatissimus Stephanus, confitendo Christum lapidatus a Judæis, coronam meruit tanquam suo sibi nomine positam. Stephanus enim græce, latine corona appellatur. Jam corona nomen habebat, et ideo palmam martyrii suo nomine præferebat.

Lectio vj.

QUI cum lapidaretur, non solum non expectabat de persecutoribus reportare vindictam, sed eis potius a Deo veniam postulabat. Meminerat enim dixisse Dominum: Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus. Et iterum: Ne dixeris, Ulciscar me de inimicis meis; sed expecta Dominum, ut tibi auxilio sit. Expectare nos jubet Dominus Deus, ut in die futuræ retributionis cum sanctis Martyribus vindicemur.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 23.

IN illo tempore: Dicebat Jesus Scribis et Pharisæis: Ecce ego mit-

Digitized by Google

to ad vos Prophetas, et sapientes, et Scribas : et ex illis occidetis, et crucifigetis. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 4. Comm. in cap. 23. Matth.

JERUSALEM, Jerusalem, quæ occidis Prophetas. Jerusalem, non saxa et ædificia civitatis, sed habitatores vocat : quam plangit patris affectu, sicut et in alio loco legimus quod videns eam, fleverit. In eo autem quod dicit : Quoties volui congregare filios tuos, omnes retro Prophetas a se missos esse testatur. Gallinæ quoque similitudinem congreganti sub alas pullos suos, in cantico Deuteronomii legimus : Sicut aquila protegit nidum suum, et super pullos suos desideravit. expandens alas suas, suscepit eos, et tulit super pennas suas.

Lectio viij.

ECCE relinquetur vobis domus vestra deserta. Hoc ipsum ex persona Jeremiæ jam ante dixerat : Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam : facta est mihi hæreditas mea quasi spelunca hyænæ. Desertam Judæorum domum, id est, templum illud, quod fulgebat augustius, oculis comprobamus, quia habitatorem Christum perdidit, et hæreditatem præripere gestiens occidit hæredem.

Lectio ix.

DICO enim vobis, Non me videbitis amodo, donec dicatis : Benedictus qui venit in nomine Domini. Ad Jerusalem loquitur, et ad populum Judæorum. Versiculum autem istum (quo et parvuli atque lactentes in ingressu Jerusalem Domini Salvatoris usi sunt, quando dixerunt : Benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis) sumpsit de centesimo decimo septimo psalmo, qui manifeste de adventu Domini scriptus est.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

In Laud. fit comm. S. Joannis et SS. Innocentium ut supra, p. 158.

In II. Vesp. Ant. de Laud., p. 151. *Psalmi de Dom. loco ult.* Credidi, *p.* 88.

Deinde fit de sancto Joanne.

Capitulum. Eccli. 15.

QUI timet Deum, faciet bona et qui continens est justitiæ, apprehendet illam, et obviabit illi quasi mater honorificata.

Hymn. Exultet, *de Com. Apost.*

℣. Valde honorandus est beatus Joannes. ℟. Qui supra pectus Domini in cœna recubuit.

Ad Magnif. Ant. Iste et Joannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit : beatus Apostolus, cui revelata sunt secreta cœlestia.

Oratio. Ecclesiam tuam, *p.* 151.

Pro S. Stephano.

Ant. Sepelierunt Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum.

℣. Stephanus vidit cœlos apertos. ℟. Vidit et introivit : beatus homo, cui cœli patebant.

Oratio Omnipotens, *p.* 173.

Pro SS. Innocentibus, ut supra, p. 158.

IN OCTAVA SANCTI JOANNIS.

Duplex.

Omnia dicuntur ut in die Festi, p. 151, *præter Lectiones.*

IN I. NOCTURNO.

De libro Apocalypsis beati Joannis Apostoli.

Lectio j. Cap. 4.

POST hæc vidi : et ecce ostium apertum in cœlo ; et vox prima quam audivi, tanquam tubæ loquentis mecum, dicens : Ascende huc, et ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc. Et statim fui in spiritu : et ecce sedes posita erat in cœlo, et supra sedem sedens. Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis jaspidis et sardinis : et iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ. Et in

Digitized by Google

circuitu sedis sedilia viginti quatuor : et super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronæ aureæ.

Lectio ij.

ET de throno procedebant fulgura, et voces, et tonitrua : et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei. Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo : et in medio sedis, et in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante et retro. Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti. Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas : et in circuitu, et intus plena sunt oculis.

Lectio iij.

ET requiem non habebant die ac nocte, dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est. Et cum darent illa animalia gloriam, et honorem, et benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum, procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum, et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes : Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem : quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.

IN II. NOCTURNO.

Ex Tractatu sancti Augustini Episcopi in Joannem.

Lectio iv. *Tract.* 36.

IN quatuor Evangeliis, vel potius quatuor libris unius Evangelii, sanctus Joannes Apostolus non immerito secundum intelligentiam spiritalem aquilæ comparatus, altius multoque sublimius aliis tribus erexit prædicationem suam : et in ejus erectione etiam corda nostra erigi voluit. Nam cæteri tres Evangelistæ tanquam cum homine Domino in terra ambulant, et de divinitate ejus pauca dixerunt : istum autem quasi piguerit in terra ambulare, sicut ipso exordio sui sermonis intonuit, erexit se non solum super terram, et super omnem ambitum aeris et cœli, sed super omnem etiam exercitum Angelorum, omnemque constitutionem invisibilium potestatum : et pervenit ad eum per quem facta sunt omnia, dicendo : In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.

Lectio v.

HUIC tantæ sublimitati principii etiam cætera congrua prædicavit, et de Domini divinitate, quomodo nullus alius est locutus : hoc ructabat, quod biberat. Non enim sine causa de illo in isto ipso Evangelio narratur, quia et in convivio super pectus Domini discumbebat. De illo ergo pectore in secreto bibebat ; sed quod in secreto bibit, in manifesto eructavit : ut perveniat ad omnes gentes non solum incarnatio Filii Dei, passio, et resurrectio, sed etiam quod erat ante incarnationem unicus Patri, Verbum Patris, coæternus generanti, æqualis ei a quo missus est.

Lectio vj.

AQUILA ipse est Joannes, sublimium prædicator, et lucis internæ atque æternæ fixis oculis contemplator. Dicuntur enim et pulli aquilarum a parentibus sic probari, patris scilicet ungue suspendi, et radiis solis opponi. Qui firme contemplatus fuerit, filius agnoscitur : si acie palpitaverit, tanquam adulterinus ab ungue dimittitur. Jam ergo videte, quam sublimia loqui debuit, qui est aquilæ comparatus : et tamen etiam nos humi repentes, infirmi, et vix ullius momenti inter homines, audemus tractare ista, et ista exponere : et putamus nos aut capere posse cum cogitamus, aut capi dum dicimus.

Digitized by Google

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 21.

IN illo tempore : Dixit Jesus Petro: Sequere me. Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysost.

Homil. 87. *in Joannem, circa med.*

CUM magna Christus Petro communicasset, orbis terrarum curam demandasset, martyrium prædixisset, et majorem erga eum dilectionem testatus esset : cum vellet Petrus Joannem socium et collegam, inquit: Hic autem quid ? Numquid eamdem viam aggredietur ? Et quemadmodum in cœna interrogare non ausus, Joannem suffecit ; ita nunc vicem reddit, arbitratus eum velle, sed non audere de se sciscitari. Tum Christus: Si eum volo manere donec veniam, quid ad te ?

Lectio viij.

NAM cum nimia id charitate diceret Petrus, nec ab eo dividi vellet, ostendens Christus, quod quantavis eum dilectione prosequeretur, suam assequi non posset, inquit : Si eum volo manere, quid ad te ? His verbis nos erudiens, neque dolendum, neque curiosius præter divinam voluntatem investigandum. Nam cum Petrus semper in hujusmodi interrogationes ferventius prosiliret, iterum ejus fervorem retundens, quod non sit ulterius inquirendum, in hunc modum respondit.

Lectio ix.

EXIIT ergo sermo iste inter fratres, quod discipulus ille non moritur : et non dixit ei Jesus, quia non moritur ; sed, Si eum volo manere donec veniam, quid ad te ? Noli arbitrari, inquit, eodem modo me de vobis disposuisse. Hoc autem dixit, ut intempestivum affectum, et consuetudinis desiderium tolleret. Cum enim essent orbis terrarum curam suscepturi, simul amplius esse non oportebat : magnum enim fuisset mundo detrimentum. Idcirco, inquit : Opus suscepisti, id considera, perfice, labora, et te certaminibus expone. Quid ad te, si volo eum manere hic ? Tu officium tuum cura, et exequere.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

In Laud. comm. SS. Innocentium, ut supra, p. 138.

Ad Vesp. Ant. de Laud., p. 134. *Psalmi ut in II. Vesp. Apost.*

Capit. et alia ut in die, p. 134.

Et fit comm. SS. Innocentium. Ant. Hi sunt. ℣. Herodes, *ut ad Laudes*, p. 158.

IN OCTAVA SS. INNOCENTIUM.

Duplex.

Omnia ut in Festo, p. 134, *præter Lect. et omittitur* ℟. ix, *cujus loco dicitur* Te Deum.

IN I. NOCTURNO.

De Epistola ad Romanos.

Lectio j. Cap. 5.

JUSTIFICATI ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum : per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus : scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem ; spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Lectio. ii.

UT quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est ? Vix enim pro justo quis moritur : nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis : quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.

Digitized by Google

multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.

Lectio iij.

SI enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus: multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. Non solum autem, sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Sermo I. *de Innocentibus.*

Lectio iv.

NASCENTE Domino luctus cœpit, non cœlo, sed mundo: indicitur matribus lamentatio, Angelis exultatio, infantibus transmigratio. Deus est, qui natus est: Innocentes illi debentur victima, qui venit damnare mundi malitiam. Agnelli debent immolari, quia Agnus futurus est crucifigi, qui tollit peccata mundi. Sed oves ululant matres, quia agnos perdunt sine voce balantes. Grande martyrium, crudele spectaculum! Eximitur machæra, et nulla intervenit causa: sola stridet invidia, cum qui natus est nulli faciat violentiam. Sed oves cernimus matres, quæ super agnos lugent. Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus magnus. Pignora sunt, non credita, sed creata: non deposita, sed exposita.

Lectio. v.

TESTIS est ipsa natura, quæ pugnabat in martyres, cum tyrannus jactaret infantes. Mater crines capitis dissipabat, quæ ornamentum capitis amittebat. Quantis modis infantem volebat absconderc, et ipse se infantulus publicabat! Nesciebat tacere, quia necdum didicerat formidare. Pugnabat mater, et carnifex: ille trahebat, illa tenebat. Ad carnificem mater clamabat: Quid separas a me, quem genui ex me? Uterus genuit, non mansit ille, cum vixit, ubera mea frustra lacte contorquens. Caute portavi, quem a te video manu crudeli jactari. Modo eum effuderunt viscera mea et tu elidis ad terram.

Lectio. vj.

ALIA acclamabat mater, cum exactor latro non compelleret simul occidi cum parvulo matrem: Ut quid me dimittis inanem? Si culpa est, mea est: si non est crimen, junge mortem, et libera matrem. Alia dicebat: Quid quæritis? Unum quæritis, et multos occiditis; et ad unum, qui unus est, attingere non potestis. Alia contra clamabat: Veni jam, veni, Salvator mundi; quamdiu quæreris? Nullum times: videat te miles, et nostros non occidat infantes. Miscebatur lamentatio matrum, et ad cœlum transibat oblatio parvulorum.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo tempore: Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum: et esto ibi, usque dum dicam tibi. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Ex Homil. 8. *in Matth. ante med.*

QUÆ cum audisset Joseph, nequaquam passus est scandalum, neque dixit. Incerta ista res est, ac prorsus ambigua. Tu paulo ante dicebas, quia salvabit populum suum, et nunc seipsum quidem non potest de periculis liberare; sed fuga nobis est necessaria, et peregrinatio, ac transmigratio longinqua. Contraria omnino sunt facta promissis. Sed horum nihil prorsus opponit: vir enim erat fidelis; neque reversionis tempus curiose inquirit, quod utique

ab Angelo non signate fuerat expressum: sed, Esto ibi, inquit, usquequo dicam tibi.

Lectio viij.

VERUM ille nec per ista quidem factus est segnior, sed obedivit libenter et credidit, omnes prorsus tribulationes cum gaudio sustinendo. Enimvero misericors Deus mœstis rebus quædam etiam jucunda permiscuit. Quod certe in sanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neque jucunditates sinit habere continuas: sed tum de adversis, tum ex prosperis justorum vitam quasi admirabili varietate contexit. Quod hic quoque eum fecisse considera.

Lectio ix.

VIDENDO quippe sanctus Joseph gravidam Virginem, in conturbationem incidit maximam: sed adfuit repente Angelus timorem prorsus extinguens. Deinde videns puerum natum, maxima exultatione repletus est: sed rursus huic etiam gaudio periculum grande successit, cum tota utique civitas turbaretur, ipse rex fureret, et ad necem puerum quæreret. Sed et hunc mœrorem alia rursus lætitia subsecuta est, apparitio videlicet stellæ, et adoratio Magorum. Post hanc quoque jucunditatem iterum periculum, iterumque formido. Quærit, inquit, Herodes animam pueri, et fugere necesse est, et in longinqua transire.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

In II. Vesp. Ant. de Laud., p. 187. *Psalmi de Dom. loco ult.* Credidi, p. 88, *et reliqua ut in die.*

Post Orat. SS. Innocentium fit comm. de Vigil. Epiph. Ant. Puer Jesus proficiebat ætate et sapientia coram Deo et hominibus.

℣. Notum fecit Dominus, allel.

℟. Salutare suum, alleluia.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare.

Deinde S. Telesphori, Papæ et Mart. Ant. Iste sanctus. ℣. Gloria et honore.

Oratio. Deus, qui nos beati, *de Communi unius Martyris.*

IN VIGILIA EPIPHANIÆ.

Officium fit semiduplex.

Ad Matut. Invit. Hymn. Ant. et Psalmi dicuntur ut in Oct. Nativ. p. 166. *Lect. vero ut infra.*

IN I. NOCTURNO.

De Epistola ad Romanos.

Lectio j. *Cap.* 7,

AN ignoratis, fratres, (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit? Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri: ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.

Lectio. ij.

ITAQUE, fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi: ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo. Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ.

Lectio iij.

QUID ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem vi-

Digitized by Google

vebam sine lege aliquando : sed cum venisset mandatum, peccatum revixit.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Sermo 13. de Tempore.

Lectio iv.

DOMINUS noster Jesus Christus, fratres charissimi, qui in æternum est cunctorum creator, hodie de matre nascendo factus est nobis Salvator. Natus est nobis hodie in tempore per voluntatem, ut nos perducat ad Patris æternitatem. Factus est Deus homo, ut homo fieret Deus: ut panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum hodie factus est homo.

Lectio v.

HODIE impleta est prophetia illa, quæ dicit : Rorate, cæli, desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet Salvatorem. Factus est igitur qui fecerat, ut inveniretur qui perierat. Sic enim in psalmis homo confitetur : Priusquam humiliarer, ego peccavi. Peccavit homo, et factus est reus: natus est homo Deus, ut liberaretur reus. Homo igitur cecidit, sed Deus descendit. Cecidit homo miserabiliter, descendit Deus misericorditer. Cecidit homo per superbiam, descendit Deus cum gratia.

Lectio vj.

O MIRACULA, o prodigia, fratres mei ! Naturæ jura mutantur in homine : Deus nascitur ; virgo sine viro gravidatur; viri nesciam sermo Dei maritat : simul facta est mater et virgo ; mater facta, sed incorrupta ; virgo habens filium, nesciens virum : semper clausa, sed non infœcunda. Solus enim sine peccato est natus, quem sine virili complexu non concupiscentia carnis, sed obedientia genuit mentis.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo tempore : Defuncto Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens : Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et vade in terram Israel. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 1. Comment. in cap. 2. Matth.

EX hoc loco intelligimus, non solum Herodem, sed et sacerdotes et Scribas eodem tempore necem Domini fuisse meditatos. Qui surgens accepit puerum, et matrem ejus. Non dixit, Accepit filium suum, et uxorem suam : sed puerum, et matrem ejus ; quasi nutritius, non maritus.

Lectio viij.

AUDIENS autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire. Multi labuntur errore propter ignorantiam historiæ, putantes eumdem esse Herodem, a quo in passione sua Dominus irridetur, et qui nunc mortuus esse referatur. Ergo Herodes ille, qui cumPilato postea amicitias fecit, hujus Herodis filius est, frater Archelai.

Lectio ix.

QUONIAM Nazaræus vocabitur. Si fixum de Scripturis posuisset exemplum, numquam diceret, Quod dictum est per Prophetas ; sed simpliciter, Quod dictum est per Prophetam ; nunc autem pluraliter Prophetas vocans, ostendit se non verba de Scripturis sumpsisse, sed sensum. Nazaræus sanctus interpretatur : Sanctum autem Dominum futurum omnis Scriptura commemorat.

Te Deum laudamus, p. 12.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. O Admirabile commercium ! Creator generis humani, animatum corpus sumens de Virgine nasci di-

Digitized by Google

gnatus est : et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem.

2. Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ · sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum : te laudamus, Deus noster.

3. Rubum quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem : Dei genitrix, intercede pro nobis.

4. Germinavit radix Jesse : orta est stella ex Jacob ; Virgo peperit Salvatorem: te laudamus, Deus noster.

5. Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns exclamavit, dicens : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, alleluia.

Capit. Hymnus. ℣. *Ant. ad Bened. et Oratio, ut in Laud. Dom. infra Oct. Nativ.*, p. 163.

Et fit comm. S. Telesphori.

Ad Horas Ant. ut supra in Laud. Capit. autem et ℟℟. *br. ut in dicta Dom.*, p. 163.

Vesperæ de Epiphania. Duplex.

IN EPIPHANIA DOMINI.

In I. Vesperis.

Ant. de Laud. Psalmi de Dom. loco ult. Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. Isaiæ 60.

SURGE, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est.

HYMNUS.

CRUDELIS Herodes, Deum
Regem venire quid times ?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cœlestia :
Ibant Magi, quam viderant,
Stellam sequentes præviam :
Lumen requirunt lumine :
Deum fatentur munere.
Lavacra puri gurgitis
Cœlestis Agnus attigit :
Peccata, quæ non detulit,
Nos abluendo sustulit.
Novum genus potentiæ :
Aquæ rubescunt hydriæ,
Vinumque jussa fundere,
Mutavit unda originem.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui apparuisti Gentibus,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

Sic terminantur Hymni per totam Oct.

℣. Reges Tharsis et insulæ munera offerent. ℟. Reges Arabum et Saba dona adducent.

Ad Magnif. Ant. Magi videntes stellam, dixerunt ad invicem : Hoc signum magni Regis est ; eamus et inquiramus eum, et offeramus ei munera, aurum, thus, et myrrham. alleluia.

Oratio.

DEUS, qui hodierna die Unigenitum tuum Gentibus stella duce revelasti, concede propitius, ut qui jam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur. Per eumdem Dominum.

Ad Matutinum.

Dicto Pater noster, Ave Maria, et Credo, *omissis* ℣. Domine labia, *Invit. cum Psalmo* Venite *et Hymno, incipitur ab Ant.* Afferte Domino.

Infra Oct. vero dicitur ℣. Domine labia.

Invit. Christus apparuit nobis, * Venite, adoremus.

Psal. Venite exultemus, *p.* 1.

Hymnus Crudelis Herodes.

Digitized by Google

IN I. NOCTURNO.

Ant. Afferte Domino, filii Dei; adorate Dominum in aula sancta ejus.

Psalmus 28.

AFFERTE Domino, filii Dei: * afferte Domino filios arietum.

Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus: * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit: * Dominus super aquas multas.

Vox Domini in virtute: * vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringentis cedros: * et confringet Dominus cedros Libani:

Et comminuet eas tanquam vitulum Libani: * et dilectus quemadmodum filius unicornium.

Vox Domini intercidentis flammam ignis: * vox Domini concutientis desertum, et commovebit Dominus desertum Cades.

Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa: * et in templo ejus omnes dicent gloriam.

Dominus diluvium inhabitare facit: * et sedebit Dominus Rex in æternum.

Dominus virtutem populo suo dabit: * Dominus benedicet populo suo in pace.

Ant. Afferte Domino, filii Dei; adorate Dominum in aula sancta ejus.

Ant. Fluminis impetus lætificat, alleluia: civitatem Dei, alleluia.

Psalmus 45.

DEUS noster refugium et virtus: * adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra: * et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum: * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: * sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus, non commovebitur: * adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: * auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret, et confringet arma: * et scuta comburet igni.

Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: * exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Ant. Fluminis impetus lætificat, alleluia: civitatem Dei, alleluia.

Ant. Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite sapienter.

Psalmus 46.

OMNES gentes, plaudite manibus: * jubilate Deo in voce exultationis.

Quoniam Dominus excelsus, terribilis: * Rex magnus super omnem terram.

Subjecit populos nobis, * et gentes sub pedibus nostris.

Elegit nobis hæreditatem suam, * speciem Jacob, quam dilexit.

Ascendit Deus in jubilo, * et Dominus in voce tubæ.

Psallite Deo nostro, psallite: * psallite Regi nostro, psallite.

Quoniam Rex omnis terræ Deus: * psallite sapienter.

Regnabit Deus super Gentes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: * quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt.

Ant. Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite sapienter.

℣. Omnis terra adoret te, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nomini tuo, Domine.

Digitized by Google

De Isaia Propheta.

Lectio j. Isaiæ 55.

OMNES sitientes, venite ad aquas; et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite: venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac. Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram, et venite ad me: audite, et vivet anima vestra: et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus.

℟. Hodie in Jordane baptizato Domino, aperti sunt cœli, et sicut columba super eum Spiritus mansit, et vox Patris intonuit: * Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. ℣. Descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, et vox de cœlo facta est. Hic est.

Prædictum ℟. *dicitur hac die, et in Dom. infra Oct. et in die Oct. tantum: aliis vero diebus infra Oct. ejus loco dicitur sequens*

℟. Tria sunt munera pretiosa, quæ obtulerunt Magi Domino in die ista, et habent in se divina mysteria: * In auro, ut ostendatur Regis potentia; in thure, Sacerdotem magnum considera, et in myrrha, Dominicam sepulturam. ℣. Salutis nostræ auctorem Magi venerati sunt in cunabulis, et de thesauris suis mysticas ei munerum species obtulerunt. In auro.

Lectio ij. Isaiæ 60.

SURGE, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos; super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi; filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis, et affluues; et mirabitur, et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha: omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes.

℟. In columbæ specie Spiritus sanctus visus est, Paterna vox audita est; * Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. ℣. Cœli aperti sunt super eum, et vox Patris intonuit. Hic est.

Lectio iij. Isaiæ 61. et 62.

GAUDENS gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis. Sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit justitiam et laudem coram universis Gentibus. Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur.

℟. Reges Tharsis et insulæ munera offerent: * Reges Arabum et Saba dona Domino Deo adducent. ℣. Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes. Reges. Gloria. Reges.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Omnis terra adoret te, et psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo, Domine.

Psalmus 65.

JUBILATE Deo, omnis terra, psalmum dicite nomini ejus: * date gloriam laudi ejus.

Dicite Deo: Quam terribilia sunt opera tua, Domine! * in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, et psallat

Digitized by Google

tibi : * psalmum dicat nomini tuo.

Venite, et videte opera Dei, * terribilis in consiliis super filios hominum.

Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede : * ibi laetabimur in ipso.

Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi ejus super Gentes respiciunt : * qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.

Benedicite, Gentes, Deum nostrum:* et auditam facite vocem laudis ejus.

Qui posuit animam meam ad vitam:* et non dedit in commotionem pedes meos.

Quoniam probasti nos, Deus: * igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: * imposuisti homines super capita nostra.

Transivimus per ignem et aquam:* et eduxisti nos in refrigerium.

Introibo in domum tuam in holocaustis: * reddam tibi tota mea, quæ distinxerunt labia mea,

Et locutum est os meum * in tribulatione mea.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum : * offeram tibi boves cum hircis.

Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, * quanta fecit animæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamavi, * et exaltavi sub lingua mea.

Iniquitatem si aspexi in corde meo,* non exaudiet Dominus.

Propterea exaudivit Deus, * et attendit voci deprecationis meæ.

Benedictus Deus, * qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me.

Ant. Omnis terra adoret te, et psallat tibi : psalmum dicat nomini tuo, Domine.

Ant. Reges Tharsis et insulæ munera offerent Regi Domino.

Psalmus 71.

DEUS, judicium tuum regi da, * et justitiam tuam filio regis :

Judicare populum tuum in justitia, * et pauperes tuos in judicio.

Suscipiant montes pacem populo, * et colles justitiam.

Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum: * et humiliabit calumniatorem.

Et permanebit cum sole, et ante lunam, * in generatione et generationem.

Descendet sicut pluvia in vellus, * et sicut stillicidia stillantia super terram.

Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis, * donec auferatur luna.

Et dominabitur a mari usque ad mare : * et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

Coram illo procident Æthiopes : * et inimici ejus terram lingent.

Reges Tharsis et insulæ munera offerent : * reges Arabum et Saba dona adducent.

Et adorabunt eum omnes reges terræ : * omnes gentes servient ei:

Quia liberabit pauperem a potente: * et pauperem cui non erat adjutor.

Parcet pauperi et inopi : * et animas pauperum salvas faciet.

Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum :* et honorabile nomen eorum coram illo.

Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ, et adorabunt de ipso semper : * tota die benedicent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus : * et florebunt de civitate sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedictum in sæcula : * ante solem permanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ : * omnes Gentes magnificabunt eum.

Benedictus Dominus Deus Israel, * qui facit mirabilia solus:

Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum: * et replebitur majestate ejus omnis terra : fiat, fiat.

Ant. Reges Tharsis et insulæ munera offerent Regi Domino.

Ant. Omnes gentes quascumque fe-

Digitized by Google

cisti, venient, et adorabunt coram te, Domine.

Psalmus 85.

INCLINA, Domine, aurem tuam, et exaudi me: * quoniam inops et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die: * lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu, Domine, suavis et mitis: * et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem meam: * et intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te, * quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis, Domine: * et non est secundum opera tua.

Omnes gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine: * et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: * tu es Deus solus.

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua: * lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, * et glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me: * et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quæsierunt animam meam: * et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu, Domine Deus, miserator et misericors, * patiens, et multæ misericordiæ, et verax.

Respice in me, et miserere mei: * da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur: * quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me.

Ant. Omnes gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine.

℣. Reges Tharsis et insulæ munera offerent. ℟. Reges Arabum et Saba dona adducent.

Sermo sancti Leonis Papæ.

Serm. 1. de Epiphania.

Lectio iv.

GAUDETE in Domino, dilectissimi; iterum dico, gaudete: quoniam brevi intervallo temporis, post solemnitatem Nativitatis Christi festivitas declarationis ejus illuxit: et quem in illo die Virgo peperit, in hoc mundus agnovit. Verbum enim caro factum sic susceptionis nostræ temperavit exordia, ut natus Jesus et credentibus manifestus, et persequentibus esset occultus. Jam tunc ergo cœli enarraverunt gloriam Dei, et in omnem terram sonus veritatis exivit, quando et pastoribus exercitus Angelorum Salvatoris editi annuntiator apparuit, et Magos ad eum adorandum prævia stella perduxit: ut a solis ortu usque ad occasum veri regis generatio coruscaret, cum rerum fidem et regna Orientis per Magos discerent, et Romanum imperium non lateret.

℟. Illuminare, illuminare, Jerusalem, quia venit lux tua: * Et gloria Domini super te orta est. ℣. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Et.

Lectio v.

NAM et sævitia Herodis volens primordia suspecti sibi Regis extinguere, huic dispensationi nesciens serviebat: ut dum atroci intentus facinori, ignotum sibi puerum indiscreta infantium cæde persequitur, annuntiatum cœlitus dominatoris ortum insignior ubique fama loqueretur: quam promptiorem ad narrandum dilingentioremque faciebat et supernæ significationis novitas, et cruentissimi persecutoris impietas. Tunc autem etiam Ægypto Salvator illatus est, ut gens antiquis erroribus dedita, jam ad vi-

Digitized by Google

cinam salutem per occultam gratiam signaretur, et quæ nondum ejecerat ab animo superstitionem, jam hospitio reciperet veritatem.

℟. Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes: * Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Reges Tharsis et insulæ munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent. Alleluia.

Lectio vj.

AGNOSCAMUS ergo, dilectissimi, in Magis adoratoribus Christi vocationis nostræ fideique primitias: et exultantibus animis beatæ spei initia celebremus. Exinde enim in æternam hæreditatem cœpimus introire: exinde nobis Christum loquentia Scripturarum arcana patuerunt, et veritas, quam Judæorum obcæcatio non recipit, omnibus nationibus lumen suum invexit. Honoretur itaque a nobis sacratissimus dies, in quo salutis nostræ auctor apparuit, et quem Magi infantem venerati sunt in cunabulis, nos omnipotentem adoremus in cœlis. Ac sicut illi de thesauris suis mysticas Domino munerum species obtulerunt, ita et nos de cordibus nostris, quæ Deo sunt digna, promamus.

℟. Magi veniunt ab Oriente Jerosolymam, quærentes et dicentes: Ubi est qui natus est, cujus stellam vidimus? * Et venimus adorare Dominum. ℣. Vidimus stellam ejus in Oriente. Et. Gloria Et.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Venite, adoremus eum: quia ipse est Dominus Deus noster.

Hæc Ant. repetitur in psalmo ordine infrascripto.

Psalmus 94.

VENITE, exultemus Domino: * jubilemus Deo salutari nostro.

Præoccupemus faciem ejus in confessione, * et in psalmis jubilemus ei.

Ant. Venite, adoremus eum: quia ipse est Dominus Deus noster.

Quoniam Deus magnus Dominus, * et Rex magnus super omnes deos.

Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ: * et altitudines montium ipsius sunt.

Ant. Venite, adoremus eum: quia ipse est Dominus Deus noster.

Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, * et siccam manus ejus formaverunt.

Ant. Venite, adoremus eum: quia ipse est Dominus Deus noster.

Et nos populus pascuæ ejus, et oves manus ejus. * Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.

Sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto, * ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt me, et viderunt opera mea.

Ant. Venite, adoremus eum: quia ipse est Dominus Deus noster.

Quadraginta annis offensus fui generationi illi, * et dixi: Semper hi errant corde.

Et isti non cognoverunt vias meas, ut juravi in ira mea: * Si introibunt in requiem meam.

Ant. Venite, adoremus eum: quia ipse est Dominus Deus noster.

Gloria Patri. Sicut erat.

Ant. Venite, adoremus eum: quia ipse est Dominus Deus noster.

Ant. prædicta cum suo psalmo dicitur tantum hac nocte; per Oct. vero loco hujus dicitur:

Ant. Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.

Psalmus 86.

FUNDAMENTA ejus in montibus sanctis: * diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te, * civitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylonis * scientium me.

Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, * hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea, * et ipse fundavit eam Altissimus?

Dominus narrabit in scripturis po-

pulorum et principum : * horum, qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium * habitatio est in te.

Ant. Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.

Ant. Adorate Dominum, alleluia, in aula sancta ejus, alleluia.

Psalmus 95.

CANTATE Domino canticum novum : * cantate Domino, omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite nomini ejus:* annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter Gentes gloriam ejus, * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: * terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dii Gentium dæmonia : * Dominus autem cœlos fecit.

Confessio et pulchritudo in conspectu ejus : * sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino, patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem:* afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus :* adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra : * dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur : * judicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus : * gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit : * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate,* et populos in veritate sua.

Ant. Adorate Dominum, alleluia, in aula sancta ejus, alleluia.

Ant. Adorate Deum, alleluia, omnes Angeli ejus, alleluia.

Psalmus 96.

DOMINUS regnavit, exultet terra : * lætentur insulæ multæ.

Nubes et caligo in circuitu ejus:* justitia et judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet, * et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ : * vidit, et commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, * a facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cœli justitiam ejus : * et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes qui adorant sculptilia : * et qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum, omnes Angeli ejus:* audivit, et lætata est Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ, * propter judicia tua, Domine.

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram : * nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite * malum : * custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætitia.

Lætamini, justi, in Domino: * et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

Ant. Adorate Deum, alleluia, omnes Angeli ejus, alleluia.

℣. Adorate Dominum, alleluia.

℟. In aula sancta ejus, alleluia.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 2.

CUM natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes: Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 10. *in Evangelia.*

Digitized by Google

SICUT in lectione Evangelica, fratres charissimi, audistis, cœli Rege nato, rex terræ turbatus est: quia nimirum terrena altitudo confunditur, cum celsitudo cœlestis aperitur. Sed quærendum nobis est quidnam sit, quod, Redemptore nato, pastoribus in Judœa Angelus apparuit, atque ad adorandum hunc ab Oriente Magos non Angelus, sed stella perduxit. Quia videlicet Judæis, tanquam ratione utentibus, rationale animal, id est, Angelus, prædicare debuit: Gentiles vero, quia uti ratione nesciebant, ad cognoscendum Dominum non per vocem, sed per signa perducuntur. Unde etiam per Paulum dicitur: Prophetiæ fidelibus datæ sunt, non infidelibus: signa autem infidelibus, non fidelibus. Quia et illis prophetiæ tanquam fidelibus, non infidelibus: et istis signa tanquam infidelibus, non fidelibus data sunt.

℟. Stella, quam viderant Magi in Oriente, antecedebat eos, donec venirent ad locum, ubi puer erat. * Videntes autem eam, gavisi sunt gaudio magno. ℣. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum. Videntes.

Bened. Divinum auxilium.

Lectio viij.

ET notandum quod Redemptorem nostrum, cum jam perfectæ esset ætatis, eisdem Gentilibus Apostoli prædicant, eumque parvulum, et necdum per humani corporis officium loquentem, stella Gentibus denuntiat: quia nimirum rationis ordo poscebat, ut et loquentem jam Dominum loquentes nobis prædicatores innotescerent, et necdum loquentem elementa muta prædicarent. Sed in omnibus signis, quæ, vel nascente Domino, vel moriente eo, monstrata sunt, considerandum nobis est, quanta fuerit in quorumdam Judæorum corde duritia, qui hunc nec per prophetiæ donum, nec per miracula agnoverunt.

℟. Videntes stellam Magi, gavisi sunt gaudio magno: * Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum: * Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham. ℣. Stella, quam viderant Magi in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi erat puer. Et intrantes. Gloria. Et apertis.

Lectio ix.

OMNIA quippe elementa auctorem suum venisse testata sunt. Ut enim de eis quiddam usu humano loquar, Deum hunc cœli esse cognoverunt, quia protinus stellam miserunt. Mare cognovit, quia sub plantis ejus se calcabile præbuit. Terra cognovit, quia eo moriente contremuit. Sol cognovit, quia lucis suæ radios abscondit. Saxa et parietes cognoverunt, quia tempore mortis ejus scissa sunt. Infernus agnovit, quia hos, quos tenebat mortuos, reddidit. Et tamen hunc, quem Dominum omnia insensibilia elementa senserunt, adhuc infidelium Judæorum corda Deum esse minime cognoscunt, et duriora saxis scindi ad pœnitendum nolunt.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. ANTE luciferum genitus, et ante sæcula, Dominus Salvator noster hodie mundo apparuit.

2. Venit lumen tuum, Jerusalem, et gloria Domini super te orta est, et ambulabunt Gentes in lumine tuo, alleluia.

3. Apertis thesauris suis, obtulerunt Magi Domino, aurum, thus, et myrrham, alleluia.

4. Maria et flumina, benedicite Domino: hymnum dicite, fontes, Domino, alleluia.

5. Stella ista sicut flamma coruscat, et Regem regum Deum demonstrat:

Digitized by Google

Magi eam viderunt, et magno Regi munera obtulerunt.

Capitulum. Isaiæ 60.

SURGE, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est.

HYMNUS.

O SOLA magnarum urbium
Major Bethlem, cui contigit
Ducem salutis cœlitus
Incorporatum gignere:
Quem stella, quæ solis rotam
Vincit decore ac lumine,
Venisse terris nuntiat
Cum carne terrestri Deum.
Videre postquam illum Magi,
Eoa promunt munera,
Stratique votis offerunt
Thus, myrrham, et aurum regium.
Regem Deumque annuntiant
Thesaurus et fragrans odor
Thuris Sabæi, ac myrrheus
Pulvis sepulchrum prædocet.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui apparuisti Gentibus,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Adorate Deum, alleluia.

℟. Omnes Angeli ejus, alleluia.

Ad Bened. Ant. Hodie cœlesti sponso juncta est Ecclesia, quoniam in Jordane lavit Christus ejus crimina: currunt cum muneribus Magi ad regales nuptias, et ex aqua facto vino lætantur convivæ, alleluia.

Oratio.

DEUS, qui hodierna die Unigenitum tuum Gentibus stella duce revelasti, concede propitius, ut qui jam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur. Per eumdem Dominum.

Ad Primam in ℟. *br.* ℣. Qui apparuisti hodie. *Et sic dicitur per totam Octavam.*

Ad Tertiam.

Capit. Surge illuminare.

℟. *br.* Reges Tharsis et insulæ munera offerent, * Alleluia, alleluia. Reges. ℣. Reges Arabum et Saba dona adducent. Alleluia, alleluia. Gloria. Reges. ℣. Omnes de Saba venient, alleluia. ℟. Aurum et thus deferentes, alleluia,

Ad Sextam.

Capitulum. Isaiæ 60.

LEVA in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent.

℟. *br.* Omnes de Saba venient, * Alleluia, alleluia. Omnes. ℣. Aurum et thus deferentes. Alleluia, alleluia. Gloria. Omnes. ℣. Adorate Dominum, alleluia. ℟. In aula sancta ejus, allel.

Ad Nonam.

Capitulum. Isaiæ 60.

OMNES de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes.

℟. *br.* Adorate Dominum, * Alleluia, alleluia. Adorate. ℣. In aula sancta ejus. Alleluia, alleluia. Gloria. Adorate. ℣. Adorate Deum, alleluia, ℟. Omnes Angeli ejus, alleluia.

In II. Vesperis.

Ant. de Laud. Psalmi de Dom. Et sic dicitur per totam Octav. Capit. Hymn. et ℣. *ut in I. Vesp. Ad Magnif. Ant.* Tribus miraculis ornatum diem sanctum colimus: hodie stella Magos duxit ad præsepium: hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias: hodie in Jordane a Joanne Christus baptizari voluit, ut salvaret nos, alleluia.

Si Epiph. venerit in Sabb., in ij. Vesp. fit comm. Dom. infra Oct. Ant. Remansit. ℣. Omnes de Saba.

Oratio. Vota, quæsumus, *p.* 200.

Infra Oct. Epiph. si occurrat Festum duplex, vel semiduplex, transfertur post Oct. nisi fuerit Patroni vel titularis Ecclesiæ, vel Dedicatio ejusdem. De Simplicibus vero fit comm.

Ad Matut. ℣. Domine labia, *Invit. et Hymnus, ut supra in Rubrica Festi ponitur*, p. 181. *Reliq. ut in die*

Digitized by Google

Festi, præter Lect. et Ant. ad Bened. *et* Magnif., *quæ singulis diebus habentur propriæ, ut sequitur.*

De Dom. infra Oct., in quamcumque diem Oct. inciderit, fit Offic. ut infra ordinatur, p. 198. *Et in ea ponitur Epistola prima ad Corinthios, omissis Lect. de Epistola ad Romanos.*

Post Dom. vero continuantur dies Oct. eodem numero, quo notantur, perinde ac si Dom. non intercessisset. Exempli gratia: Si Dom. venerit in tertia die infra Oct., prima die post Dom. Lect. ij. *et* iij. *Noct. et Ant. ad* Bened. *et* Magnif. *dicentur de tertia die infra Oct. et sic deinceps de aliis. Lect. tamen I. Noct. de Epistola ad Romanos omittuntur, et pro iis sumuntur de Epistola prima ad Corinthios, quæ sequuntur post Dom., et de ea legitur etiam post Oct. usque ad Dom. seq.*

DIE 2. INFRA OCTAVAM.

IN I. NOCTURNO.

De Epistola ad Romanos.

Lectio j. Cap. 9.

VERITATEM dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto: quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa: quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

Lectio ij.

NON autem quod exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel sunt, hi sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii; sed in Isaac vocabitur tibi semen: id est, non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine. Promissionis enim verbum hoc est: Secundum hoc tempus veniam, et erit Saræ filius. Non solum autem illa, sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri.

Lectio iij.

CUM enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor cujus misereor, et misericordiam præstabo, cujus miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Sermo 2. de Epiph. 30. de Temp.

Lectio iv.

AD partum Virginis adorandum Magi ab Oriente venerunt. Hunc diem hodie celebramus: huic debitum solemnitatis sermonem persolvimus. Illis dies iste primus illuxit, anniversaria nobis festivitate rediit. Illi erant primitiæ Gentium: nos populus Gentium. Nobis hoc lingua nuntiavit Apostolorum, stella illis tanquam lingua cœlorum: et nobis iidem Apostoli, tanquam alii cœli, enarraverunt gloriam Dei.

Lectio v.

MAGNUM sacramentum! in præsepi jacebat, et Magos ab Oriente ducebat: abscondebatur in stabulo, et agnoscebatur in cœlo: ut agnitus in cœlo manifestaretur in stabulo, et appellaretur Epiphania dies iste, quod latine manifestatio dici potest: simul ejus celestitudinem humilitatemque commendans, ut qui in aperto cœlo signis sidereis monstrabatur magnus, in angusto diversorio quæsitus inveniretur invalidus, infantilibus in membris natus, infantilibus-

Digitized by Google

que pannis involutus, adoraretur a Magis, timeretur a malis.

Lectio vj.

TIMUIT enim eum rex Herodes, eisdem sibi Magis nuntiantibus, cum adhuc quærerent parvulum, quem cognoverant cœlo teste jam natum. Quid erit tribunal judicantis, quando superbos reges cunabula terrebant infantis? Quanto consultius reges, non sicut Herodes, interficere quærant, sed sicut Magi, potius adorare delectentur, jam præsertim eum, qui et ipsam mortem, quam cupiebat inimicus inferre, etiam pro ipsis inimicis ab inimicis sustinuit, eamque in suo corpore occisus occidit! Pie timeant reges ad Patris dexteram jam sedentem, quem rex impius timuit adhuc matris ubera lambentem.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 2.

CUM natus esset Jesus in Bethlehem Juda, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes: Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Papæ.

Ex Homil. 10. in Evangel.

NATIVITATE Regis nostri cognita, Herodes ad callida argumenta convertitur: et ne terreno regno privaretur, renuntiari sibi ubi puer inveniatur, postulat. Adorare cum velle se simulat, ut hunc, si inveniri possit, extinguat. Sed quanta est humana malitia contra consilium divinitatis? Scriptum quippe est: Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Nam ea quæ apparuit stella, Magos perducit: natum Regem reperiunt, munera deferunt: et ne redire ad Herodem debeant, in somnis admonentur. Sicque fit, ut Jesum, quem quærit Herodes, invenire non possit. Cujus persona qui alii quam hypocritæ designantur, qui dum ficte quærunt, invenire Dominum nunquam merentur?

Lectio viij.

SED inter hæc sciendum quod Priscillianistæ hæretici nasci unumquemque hominem sub constitutionibus stellarum putant: et hoc in adjutorium sui erroris assumunt, quod nova stella exiit, cum Dominus in carne apparuit: cujus fuisse fatum eamdem, quæ apparuit, stellam putant. Sed si Evangelii verba pensamus, quibus de eadem stella dicitur: Usque dum veniens staret supra ubi erat puer: dum non puer ad stellam, sed stella ad puerum cucurrit, si dici liceat; non stella fatum pueri, sed fatum stellæ is, qui apparuit, puer fuit.

Lectio ix.

SED a fidelium cordibus absit, ut aliquid esse fatum dicant. Vitam quippe hominum solus hic conditor qui creavit, administrat. Neque enim propter stellas homo, sed stellæ propter hominem factæ sunt: et si stella fatum hominis dicitur, ipsis suis ministeriis subesse homo perhibetur. Certe cum Jacob de utero egrediens, prioris fratris plantam teneret manu, prior perfecte nequaquam egredi potuit, nisi subsequens inchoasset: et tamen cum uno tempore, eodemque momento utrumque mater fuderit, non una utriusque vitæ æqualitas fuit.

Ad Bened. Ant. Ab Oriente venerunt Magi in Bethlehem adorare Dominum: et apertis thesauris suis, pretiosa munera obtulerunt; aurum, sicut Regi magno: thus, sicut Deo vero; myrrham sepulturæ ejus, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Videntes stellam Magi, gavisi sunt gaudio magno; et intrantes domum, obtulerunt Domino aurum, thus, et myrrham, alleluia.

DIE 3. INFRA OCTAVAM.

IN I. NOCTURNO.

De Epistola ad Romanos.

Lectio j. Cap. 12.

OBSECRO itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis

Digitized by Google

corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri: ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta. Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos: Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem; et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.

Lectio ij.

SICUT enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes, secundum gratiam quæ data est nobis, differentes: sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate.

Lectio iij.

DILECTIO sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono; charitate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes; sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes: spe gaudentes, in tribulatione patientes: orationi instantes; necessitatibus sanctorum communicantes; hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus vos: benedicite, et nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus: idipsum invicem sentientes; non alta sapientes, sed humilibus consentientes.

IN II. NOCTURNO.

De Sermone S. Augustini Episc.

Sermo 2. de Epiphania.

Lectio iv.

CUM tam multi jam nati, atque defuncti essent reges Judæorum, nunquid quemquam eorum adorandum Magi quæsierunt? Non, quia nec quemquam eorum cælo loquente didicerunt. Verumtamen, quod prætereundum non est, hæc Magorum illuminatio magnum testimonium cæcitatis extitit Judæorum. In terra eorum isti requirebant, quem illi in sua non agnoscebant.

Lectio v.

APUD eos isti infantem invenerunt, quem illi apud se negaverunt. In his terris de longinquo isti et peregrini puerum Christum nondum verba promentem adoraverunt, ubi cives illi juvenem miracula facientem crucifixerunt. Isti in membris parvis Deum adoraverunt, illi in magnis factis nec tamquam homini pepercerunt; quasi plus fuerit videre novam stellam in ejus nativitate fulgentem, quam solem ejus in morte lugentem.

Lectio vj.

JAM vero quod eadem stella, quæ Magos perduxit ad locum ubi erat cum matre virgine Deus infans, quæ utique poterat eos ad ipsam perducere civitatem, se tamen subtraxit, nec eis prorsus apparuit donec de civitate in qua Christus nasceretur, iidem ipsi interrogarentur Judæi, et ipsi eam secundum divinæ Scripturæ testimonium nominarent, ipsi dicerent: In Bethlehem Judæ. Sic enim scriptum est: Et tu Bethlehem terra Juda, non es minima in principibus Juda; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Quid aliud hic significavit divina providentia, nisi apud Judæos solas divinas litteras remansuras, quibus Gentes instruerentur, illi excæcarentur?

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 2.

CUM natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis

Digitized by Google

regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes: Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Ex Homil. 10. in Evangelia.

MAGI vero aurum, thus, et myrrham deferunt. Aurum quippe Regi congruit, thus vero in Dei sacrificium ponitur, myrrha autem mortuorum corpora condiuntur. Eum ergo Magi, quem adorant, etiam mysticis muneribus prædicant: auro Regem, thure Deum, myrrha mortalem. Sunt vero nonnulli hæretici, qui hunc Deum credunt, sed ubique regnare nequaquam credunt. Hi profecto ei thus offerunt, sed offerre etiam aurum nolunt. Et sunt nonnulli, qui hunc Regem existimant, sed Deum negant. Hi videlicet ei aurum offerunt, sed offerre thus nolunt.

Lectio viij.

ET sunt nonnulli, qui hunc et Deum et Regem fatentur, sed assumpsisse carnem mortalem negant. Hi nimirum ei aurum et thus offerunt, sed offerre myrram assumptæ mortalitatis nolunt. Nos itaque nato Domino offeramus aurum, ut hunc ubique regnare fateamur: offeramus thus, ut credamus quod is qui in tempore apparuit, Deus ante tempora extitit: offeramus myrrham, ut eum, quem credimus in sua divinitate impassibilem, credamus etiam in nostra fuisse carne mortalem.

Lectio ix.

QUAMVIS in auro, thure, et myrrha intelligi et aliud potest. Auro namque sapientia designatur. Salomone attestante, qui ait: Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis. Thure autem, quod Deo incenditur, virtus orationis exprimitur, Psalmista testante, qui dicit: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Per myrrham vero carnis nostræ mortificatio figuratur. Unde sancta Ecclesia de suis operariis usque ad mortem pro Deo certantibus dicit: Manus meæ distillaverunt myrrham.

Ad Bened. Ant. Tria sunt munera, quæ obtulerunt Magi Domino, aurum, thus, et myrrham, Filio Dei, Regi magno, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Lux de luce apparuisti, Christe, cui Magi munera offerunt, allel. allel. allel.

DIE 4 INFRA OCTAVAM.

IN I. NOCTURNO.

De Epistola ad Romanos.

Lectio j. Cap. 13.

OMNIS anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum.

Lectio ij.

SI autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim et tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

Lectio iij.

NEMINI quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam, Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces; et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio

Digitized by Google

proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Leonis Papæ.

Sermo 1. de Epiphania.

Lectio iv.

CELEBRATO proximo die, quo intemerata virginitas humani generis edidit Salvatorem, Epiphaniæ nobis, dilectissimi, veneranda festivitas dat perseverantiam gaudiorum: ut inter cognatarum solemnitatum vicina sacramenta, exultationis vigor, et fervor fidei non tepescat. Ad omnium enim hominum spectat salutem, quod infantia Mediatoris Dei et hominum, jam universo declarabatur mundo, cum adhuc exiguo detineretur oppidulo.

Lectio v.

QUAMVIS enim Israeliticam gentem, et ipsius gentis unam familiam delegisset, de qua naturam universæ humanitatis assumeret; noluit tamen intra maternæ habitationis angustias ortus sui latere primordia: sed mox ab omnibus voluit agnosci, qui dignatus est pro omnibus nasci. Tribus igitur Magis in regione Orientis stella novæ claritatis apparuit, quæ illustrior cæteris pulchriorque sideribus, facile in se intuentium oculos animosque converteret: ut confestim adverteretur, non esse otiosum, quod tam insolitum videbatur.

Lectio vj.

DEDIT ergo aspicientibus intellectum, qui præstitit signum, et quod fecit intelligi, fecit inquiri, et se inveniendum obtulit requisitus. Sequuntur tres viri superni luminis ductum, et prævii fulgoris indicium intenta contemplatione comitantes, ad agnitionem veritatis, gratiæ splendore ducuntur: qui humano sensu significatum sibi Regis ortum æstimaverunt in civitate regia esse quærendum. Sed qui servi susceperat formam, et non judicare venerat, sed judicari, Bethlehem prælegit nativitati, Jerosolymam passioni.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 2.

CUM natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes: Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Papæ.

Ex Homil. 10. in Evangelia.

MAGNUM vero nobis aliquid Magi innuunt, quod in regionem suam per aliam viam revertuntur. In eo namque quod admoniti faciunt, nobis profecto insinuant quid faciamus. Regio quippe nostra paradisus est: ad quam, Jesu cognito, redire per viam qua venimus, prohibemur. A regione etenim nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando, discessimus; sed ad eam necesse est, ut flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrænando, redeamus.

Lectio viij.

PER aliam ergo viam ad regionem nostram regredimur: quoniam qui a paradisi gaudiis per delectamenta discessimus, ad hæc per lamenta revocamur. Unde necesse est, fratres charissimi, ut semper pavidi, semperque suspecti, ponamus ante oculos cordis, hinc culpas operis, illinc judicium extremæ districtionis. Pensemus quam districtus judex veniat, qui judicium minatur, et latet; terrores peccatoribus intentat, et tamen adhuc sustinet: et idcirco venire citius differt, ut minus inveniat quod condemnet.

Lectio ix.

PUNIAMUS fletibus culpas, et cum Psalmistæ voce, præveniamus faciem ejus in confessione. Vo-

luptatum nos ergo fallacia nulla decipiat, nulla vana lætitia seducat. In proximo namque est judex, qui dixit: Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis. Hinc enim Salomon ait: Risus dolori miscebitur; et, Extrema gaudi luctus occupat. Hinc iterum dicit: Risum deputavi errorem, et gaudio dixi: quid frustra deciperis? Hinc rursus ait: Cor sapientium ubi tristitia est, et cor stultorum ubi lætitia.

Ad Bened. Ant. Vidimus stellam ejus in Oriente, et venimus cum muneribus adorare Dominum.

Ad Magnif. Ant. Interrogabat Magos Herodes: Quod signum vidistis super natum Regem? Stellam vidimus fulgentem, cujus splendor illuminat mundum.

DIE 5. INFRA OCTAVAM.

IN I. NOCTURNO.

De Epistola ad Romanos.

Lectio j. Cap. 14.

INFIRMUM autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. Alius enim credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet. Is qui manducat, non manducantem non spernat: et qui non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit: stabit autem; potens est enim Deus statuere illum.

Lectio ij.

NAM alius judicat diem inter diem, alius autem judicat omnem diem: unusquisque in suo sensu abundet. Qui sapit diem, Domino sapit; et qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo. Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.

Lectio iij.

IN hoc enim Christus mortuus est et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur. Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius invicem judicemus.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Maximi Episcopi.

Homilia 1. de Epiphania.

Lectio iv.

IN hac, dilectissimi, celebritate, sicut relatu paternæ traditionis instruimur, multiplici nobis est festivitate lætandum. Ferunt enim hodie Christum Dominum nostrum vel stella duce a Gentibus adoratum; vel invitatum ad nuptias aquas in vina vertisse; vel suscepto a Joanne baptismate, consecrasse fluenta Jordanis, suumque simul purificasse Baptistam.

Lectio v.

SED quid potissimum præsenti hoc factum sit die, noverit ipse qui fecit; nos tamen credere, nec dubitare debemus, quidquid illud est, factum esse pro nobis. Nam quod eum fulgentioris stellæ radiis incitati adoravere Chaldæi, Deum verum Gentibus spes data est adorandi. Quod aquæ novo sunt ordine in vina mutatæ, novi nobis poculi prælibatum est sacramentum. Quod autem baptizatus est Agnus Dei, regenerantis baptismi salutare nobis munus est dedicatum.

Lectio vi.

OPORTET itaque nos, fratres, ad honorem Salvatoris nostri, cujus nativitatem debita nuper cum exultatione transegimus, omni cum devotione etiam hunc virtutum ejus celebrare natalem. Et quam recte tria

Digitized by Google

hæc nobis uno acta in die mysteria prædicantur, qui ineffabilis Trinitatis arcanum uno Dei sub nomine confitemur! Per hæc ergo miracula Christus Dominus Redemptor noster oculis se voluit revelare mortalium, quatenus invisibilis ejus divinitas, quæ latebat in homine, in opere non lateret.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 2.

CUM natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes: Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 1, Comm. in cap. 2. Matth.

VIDIMUS enim stellam ejus in Oriente. Ad confusionem Judæorum, ut nativitatem Christi a Gentibus discerent, oritur in Oriente stella; quam futuram Balaam, cujus successores erant, vaticinio noverant. Lege Numerorum librum. Deferuntur autem Magi stellæ indicio in Judæam, ut sacerdotes a Magis interrogati ubi Christus nasceretur, inexcusabiles fierent de adventu ejus.

Lectio viij.

AT illi dixerunt ei: In Bethlehem Judææ. Librariorum hic error est. Putamus enim ab Evangelista primum editum, sicut in ipso Hebraico legimus, Judæ, non Judææ. Quæ est enim aliarum Gentium Bethlehem, ut ad distinctionem ejus, hic Judææ poneretur? Judæ autem idcirco scribitur, quia est et alia Bethlehem in Galilæa. Lege librum Jesu filii Nave. Denique et in ipso testimonio, quod de Michææ prophetia sumptum est, ita habetur: Et tu, Bethlehem, terra Juda.

Lectio ix.

ET apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham. Pulcherrime munerum sacramenta Juvencus presbyter uno versiculo comprehendit: Thus, aurum, myrrham, Regique, homini que, Deoque dona ferunt. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Qui munera obtulerant Domino, consequenter responsum accipiunt, non per Angelum, sed per ipsum Dominum, ut meritorum Joseph privilegium demonstraretur. Revertuntur autem per aliam viam, quia infidelitati miscendi non erant Judæorum.

Ad Bened. Ant. Omnes nationes venient a longe, portantes munera sua, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, alleluia, alleluia.

DIE 6 INFRA OCTAVAM.

IN I. NOCTURNO.

De Epistola ad Romanos.

Lectio j. Cap. 15.

DEBEMUS autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: Improperia improperantium tibi ceciderunt super me. Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, et consolationem Scripturarum spem habeamus.

Lectio ij.

DEUS autem patientiæ et solatii, det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum, ut unanimes, uno ore honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi. Propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei. Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum: Gentes autem super misericordia honorare De-

um, sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in Gentibus, Domine, et nomini tuo cantabo. Et iterum dicit: Lætamini, Gentes, cum plebe ejus. Et iterum: Laudate, omnes gentes, Dominum, et magnificate eum, omnes populi.

Lectio iij.

ET rursus Isaias ait: Erit radix Jesse, et qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt. Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus sancti. Certus sum autem, fratres mei, et ego ipse de vobis, quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere. Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte, tanquam in memoriam vos reducens: propter gratiam quæ data est mihi a Deo, ut sim minister Christi Jesu in Gentibus, sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta et sanctificata in Spiritu sancto.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Fulgentii Episcopi.

Ex Serm. 5. de Epiph. sub init.

Lectio iv.

IPSE Deus, qui sibi in veteri testamento primitias offerri mandavit, homo natus gentium primitias suo cultui dedicavit. Pastores fuerunt primitiæ Judæorum: Magi facti sunt primitiæ Gentium. Illi de proximo adducti, isti de longinquo reducti. Ubi est, inquiunt, qui natus est Rex Judæorum? De Herode rege Judæorum filii jam fuerant nati. Archelaus natus est in palatio, Christus in diversorio. Archelaus natus, est in lecto argenteo positus; Christus autem natus, in præsepio est brevissimo collocatus: et tamen ille natus in palatio contemnitur, iste natus in diversorio quæritur: ille a Magis nullatenus nominatur, iste inventus suppliciter adoratur.

Lectio v.

QUIS est iste Rex Judæorum? pauper et dives, humilis et sublimis. Quis est iste Rex Judæorum, qui portatur ut parvulus, adoratur ut Deus? parvus in præsepio, immensus in cœlo; vilis in pannis, pretiosus in stellis. Quid est quod sic turbaris, Herodes? Rex iste qui natus est, non venit reges pugnando superare, sed moriendo mirabiliter subjugare. Nec ideo natus est ut tibi succedat, sed ut in eum mundus fideliter credat. Venit ergo non ut pugnet vivus, sed ut triumphet occisus.

Lectio vj.

PUER iste, qui nunc a Magis dicitur Rex Judæorum, idem Creator est et Dominus Angelorum. Quapropter cujus times infantiam nascentis, magis timere debes omnipotentiam judicantis. Noli eum timere regni tui successorem, sed time infidelitatis tuæ justissimum damnatorem. Ite, inquit, et renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum. O calliditas ficta, o incredulitas impia, o nequitia fraudulenta! Sanguis innocentium, quem crudeliter effudisti, attestatur quid de hoc puero voluisti.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 2.

CUM natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes: Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 2. in Luc. cap. 2. post init.

QUÆ sunt ista veræ fidei munera? Aurum Regi, thus Deo, myrrha defuncto. Aliud enim Regis insigne, aliud divinæ sacramentum potestatis, aliud honor est sepulturæ, quæ non corrumpat corpus mortui, sed reservet. Nos quoque, qui hæc audimus et legimus, de thesauris nostris

Digitized by Google

talia, fratres, munera proferamus. Habemus enim thesaurum in vasis fictilibus. Si igitur in te ipso quod es, non ex te debes æstimare, sed ex Christo; quanto magis in Christo non tua debes æstimare, sed Christi!

Lectio viij.

ERGO Magi de thesauris suis obtulerunt munera. Vultis scire quam bonum meritum habeant? Stella ab his videtur; et ubi Herodes est, non videtur: ubi Christus est, rursus videtur, et viam demonstrat. Ergo stella hæc via est, et via Christus: quia secundum incarnationis mysterium Christus est stella. Orietur enim stella ex Jacob, et exurget homo ex Israel. Denique ubi Christus, et stella est. Ipse enim est stella splendida, et matutina. Sua igitur ipse luce se signat.

Lectio ix.

ACCIPE aliud documentum. Alia venerunt via Magi, alia redeunt. Qui enim Christum viderant, Christum intellexerant; meliores utique, quam venerant, revertuntur. Duæ quippe sunt viæ: una, quæ ducit ad interitum; alia quæ ducit ad regnum. Illa peccatorum est, quæ ducit ad Herodem: hæc Christna est, qua reditur ad patriam. Hic enim temporalis est incolatus, sicut scriptum est: Multum incola facta est anima mea.

Ad Bened. Ant. Venient ad te, qui detrahebant tibi, et adorabunt vestigia pedum tuorum.

Ad Magnif. Ant. Admoniti Magi in somnis, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

SAB. INFRA OCTAVAM.

Ad Vesperas.

Capitulum. Rom. 12.

FRATRES, Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.

Hymnus et ℣. ut in Festo, p. 181.

Ad Magnif. Ant. Remansit. *Oratio* Vota quæsumus, *ut infra in Laudibus.*

Deinde fit comm. Epiph. per Ant. quæ occurrit secundum ordinem dierum infra Oct.

℣. Omnes de Saba venient, allel.

℟. Aurum et thus deferentes, allel.

Nisi dicta sit Ant. Omnes de Saba, *tunc enim dicitur* ℣. Adorate Deum, alleluia. ℟. Omnes Angeli ejus, alleluia. *Oratio* Deus qui hodierna die, p. 181.

DOM. INFRA OCTAVAM.

Totum Offic. dicitur de Epiph., præter Lect. Capit. Ant. ad Bened. *et ad* Magnif. *et Orat.*

In I. Noct. ponitur Epistola I. ad Corinth. quæ inferius post Oct. habetur, p. 202, *et legitur de ea seq. diebus. Lect. vero quæ aliquando supersunt de Epist. ad Romanos, eo anno omittuntur.*

Quando Epiph. incidit in Dom., Sabbato seq. fit Offic. de Dom., et Feria vj. *Vesp. a Capit. de Dom. cum comm. Oct. In I. Noct. leguntur Lect. de Epist. ad Romanos, ut infra. Epist. vero ad Corinth. tunc ponitur ipsa die Dom. in Offic. Oct.*

IN I. NOCTURNO.

De Epistola ad Romanos.

Lectio j. Cap. 16.

COMMENDO autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ quæ est in Cenchris ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis, et assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit: etenim ipsa quoque astitit multis, et mihi ipsi. Salutate Priscam et Aquilam adjutores meos in Christo Jesu (qui pro anima mea suas cervices supposuerunt: quibus non solus ego gratias ago, sed et cunctæ Ecclesiæ Gentium) et domesticam Ecclesiam eorum.

Lectio ij.

ROGO autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissentiones et

Digitized by Google

offendicula præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt; et declinate ab illis. Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri: et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium. Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo.

Lectio iij.

SALUTAT vos Timotheus adjutor meus, et Lucius, et Jason, et Sosipater, cognati mei. Saluto vos ego Tertius qui scripsi Epistolam, in Domino. Salutat vos Caius hospes meus, et universa Ecclesia. Salutat vos Erastus arcarius civitatis, et Quartus frater. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Leonis Papæ.

Sermo 5. de Epiphania.

Lectio iv.

JUSTUM et rationabile, dilectissimi, veræ pietatis obsequium est, in diebus qui divinæ opera misericordiæ protestantur, toto corde gaudere, et honorifice ea quæ ad salutem nostram gesta sunt celebrare, vocante nos ad hanc devotionem ipsa recurrentium temporum lege, quæ nobis post diem in quo cæternus Patri Filius Dei natus ex Virgine est, brevi intervallo Epiphaniæ intulit festum, ex apparitione Domini consecratum.

Lectio v.

IN quo fidei nostræ magnum præsidium providentia divina constituit: ut, dum solemni veneratione recolitur adorata in exordiis suis Salvatoris infantia, per ipsa originalia documenta probaretur veri hominis in Christo orta natura. Hoc enim est quod justificat impios; hoc est quod ex peccatoribus facit sanctos, si in uno eodemque Domino nostro Jesu Christo et vera Deitas, et vera credatur humanitas: Deitas, qua ante omnia sæcula in forma Dei æqualis est Patri; humanitas, qua novissimis diebus in forma servi unitus est homini.

Lectio vj.

AD roborandum ergo hanc fidem, quæ contra omnes pronuntiabatur errores, ex magna gestum est divini pietate consilii, ut gens in longinqua Orientalis plagæ regione consistens, quæ spectandorum siderum arte pollebat, signum nati pueri, qui supra omnem Israel esset regnaturus, acciperet. Nova etenim claritas apud Magos stellæ illustrioris apparuit, et intuentium animos ita admiratione sui splendoris implevit, ut nequaquam sibi crederent negligendum, quod tanto nuntiabatur indicio.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

CUM factus esset Jesus annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 2. in cap. 2. Luc. in fin.

A DUODECIMO anno, ut legimus, Dominicæ sumitur disputationis exordium. Hic enim prædicandæ fidei evangelizantium numerus debebatur. Nec otiose immemor suorum secundum carnem parentum, qui secundum carnem utique sapientia Dei implebatur et gratia, post triduum reperitur in templo: ut esset indicio, quia post triduum triumphalis illius passionis, in sede cœlesti et honore divino, fidei nostræ se suscitatus offerret, qui mortuus credebatur.

Lectio viij.

QUID est quod me quærebatis? Duæ sunt in Christo generationes: una est paterna, materna altera. Paterna illa divinior, materna vero quæ in nostrum laborem usumque descendit. Et ideo quæ supra naturam,

Digitized by Google

supra ætatem, supra consuetudinem fiunt, non humanis assignanda virtutibus, sed divinis referenda sunt potestatibus. Alibi eum ad ministerium mater impellit, hic mater arguitur, quia adhuc quæ humana sunt, exigat. Sed cum hic duodecim describatur annorum, illic discipulos habere dicatur; vides matrem didicisse a Filio, ne exigeret a validiore ministerium, quæ stupebat in juniore miraculum.

Lectio IX.

ET venit Nazareth, et erat subditus illis. Quid enim magister virtutis, nisi officium pietatis impleret? Et miramur, si patri defert, qui subditur matri? Non utique infirmitatis, sed pietatis ista subjectio est: attollat licet sævis emissus latebris coluber perfidiæ caput, et serpentinis evomat venena pectoribus. Cum dicit se Filius missum, majorem hæreticus appellet Patrem, ut imperfectum Filium dicat, qui potest habere majorem, ut alienis auxiliis asserat eum, qui mittitur, indigere. Numquid et humano egebat auxilio, ut materno serviret imperio?

Ad Laudes.

Ant. ut in die Festi, p. 188.

Capitulum. Rom. 12.

FRATRES, Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.

Hymnus. O sola, *p.* 189.

℣. Adorate Deum, allel. ℟. Omnes Angeli ejus, alleluia.

Ad Bened. Ant. Remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus, existimantes illum esse in comitatu: et requirebant eum inter cognatos et notos.

Oratio.

VOTA, quæsumus, Domine, supplicantis populi cœlesti pietate prosequere; ut et quæ agenda sunt, videant, et ad implenda quæ viderint convalescant. Per Dominum.

Et fit comm. de Epiph. Ant. Hodie cœlesti sponso, *p.* 189.

℣. Omnes de Saba venient, allel.

℟. Aurum et thus deferentes, allel.

Orat. Deus qui hodierna, *p.* 189.

Ad Horas Ant. et ℟℟. *br. ut in die Festi* p. 189.

Ad Tertiam.

Capit. Fratres Obsecro, *ut sup.*

Ad Sextam.

Capitulum. Rom. 12.

DICO enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere, quam oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem.

Ad Nonam.

Capitulum. Rom. 12.

SICUT enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, in Christo Jesu Domino nostro.

In II. Vesp. Ant. de Laud. Epiphan., p. 188. *Psalmi de Dom. Capit.* Fratres Obsecro vos, *ut supra. Hymn. et* ℣. *ut in I. Vesp. Epiph.*, p. 181.

Ad Magnif. Ant. Filii, quid fecisti nobis sic? ego et pater tuus dolentes quærebamus te. Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in iis, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

Et fit comm. de Epiph. Ant. Tribus miraculis, *p.* 189.

℣. Omnes de Saba venient, allel.

℟. Aurum et thus deferentes, allel.

Orat. Deus qui odierna, *p.* 189.

Si Oct. Epiph. venerit in Dom., nihil fit de Dom. in ipsa die Oct., sed tantum in I. Vesp. diei oct. fit comm. pro II. Vesp. Dom. infra Oct. de qua celebratum est Offic. eo die. Ant. Filii quid fecisti. ℣. Omnes de Saba. *Qui* ℣. *etiam dicitur, quando*

Digitized by Google

Oct. Epiph. venerit in Feria II. pro comm. Dom. in I. Vesp. diei Oct.

IN DIE OCTAVA EPIPHANIÆ.

Duplex.

In I. Vesp. omnia dicuntur ut in I. Vesp. Epiph., p. 181, *præter Orationem.*

Oratio.

DEUS, cujus Unigenitus in substantia nostræ carnis apparuit, præsta, quæsumus, ut per eum quem similem nobis foris agnovimus, intus reformari mereamur: Qui tecum vivit.

Ad Matut. Invit. Hymn. et Psalmi ut infra Oct. Cætera dicuntur sicut in die Epiph. præter Lect.

In I. Noct. leguntur Lect. de Epistola I. ad Corinth. quæ occurrunt secundum superiorem Rubricam, p. 190.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Gregorii Nazianzeni.

Oratione in sancta lumina.

Lectio iv.

NON possum cohibere lætitiæ voluptatem, sed mente extollor et afficior; et propriæ pusillitatis oblitus, officium magni Joannis, imo potius famulatum subire contendo ac gestio: et licet non sim præcursor, de eremo tamen venio. Christus ergo illuminatur, imo potius fulgore suo nos illuminat; Christus baptizatur, simul et nos descendamus, ut cum ipso pariter ascendamus.

Lectio v.

JOANNES baptizat, et accedit Jesus, sanctificans quidem et ipsum qui baptizat, præcipue tamen ut et veterem Adam sepeliat in aquis, et ante omnia, ut per hæc sanctificentur aquæ Jordanis; ut sicut erat spiritus et caro; ita et his, qui baptizandi erant, in spiritu et aqua sanctificationis successio traderetur. Non suscipit Baptista, contendit Jesus. Ego, inquit, opus habeo a te baptizari. Lucerna dicit ad Solem, et vox loquitur ad Verbum.

Lectio vj.

ASCENDIT Jesus de aqua, secum quodammodo demersum educens et elevans mundum; et vidit non divisi cœlum, sed aperiri, quod sibi ac nobis post se aliquando Adam ille concluserat, sicut et igneo gladio paradisus fuerat conclusus. Spiritus sanctus testimonium perhibet: similia namque sibi ipsa concurrunt. De cœlo testimonium defertur: inde enim erat ille, cui testimonium perhibetur.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 1.

IN illo tempore: Vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 6. in Joan. ante medium.

ANTEQUAM veniret Dominus ut baptizaretur a Joanne in Jordane, noverat eum illis vocibus, ubi ait: Tu ad me venis baptizari? ego a te debeo baptizari. Sed ecce Dominum noverat, noverat Filium Dei. Unde probamus quod jam noverat, quia ipse baptizaret in Spiritu sancto? Antequam veniret ad fluvium, cum multi ad Joannem currerent baptizari, ait illis: Ego quidem baptizo vos in aqua: qui autem post me venit, major me est; cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni. Jam et hoc noverat.

Lectio viij.

QUID ergo per columbam didicit, ne mendax postea inveniatur, (quod avertat a nobis Deus opinari) nisi quamdam proprietatem in Christo talem futuram, ut quamvis multi ministri baptizaturi essent, sive justi, sive injusti, non tribueretur sanctitas baptismi, nisi illi, super quem descendit columba, de quo dictum est: Hic est qui baptizat in Spiritu san-

Digitized by Google

cto ? Petrus baptizet , hic est qui baptizat : Paulus baptizet , hic est qui baptizat : Judas baptizet , hic est qui baptizat. Nam si pro diversitate meritorum baptisma sanctum est , quia diversa sunt merita , diversa erunt baptismata , et tanto quisque aliquid melius putatur accipere , quanto a meliore videtur accepisse.

Lectio ix.

IPSI sancti , (intelligite , fratres) boni pertinentes ad columbam, pertinentes ad fortem civitatis illius Jerusalem , ipsi boni in Ecclesia , de quibus dicit Apostolus : Novit Dominus qui sunt ejus , diversarum gratiarum sunt , non omnes paria merita habent. Sunt alii aliis sanctiores , sunt alii aliis meliores. Quare ergo si unus ab illo, verbi gratia , justo, sancto baptizetur , alius ab alio inferioris meriti apud Deum , inferioris gradus, inferioris continentiæ, inferioris vitæ ; unum tamen et par et æquale est quod acceperunt , nisi quia hic est qui baptizat ?

Ad Laudes , et per Horas , et ad Vesp. omnia dicuntur sicut in die Epiph. præter Orationem.

Si Oct. Epiph. venerit in Sabbato in II. Vesp. Oct. fit comm. Dom. II. post Epiph. Quando autem Septuag. venerit in I. Dom. post Oct. Epiph., tunc in I. Sabbat. post Oct. non impedito Festo ix. *Lect., alioquin* j. *die post Oct., fiat Offic. de Feria, in qua ponuntur* ℟℟. *I. Noct. Dom. II. post Epiph., et tres Lect. leguntur de Homilia ejusdem Dom. cum ejus Ant. ad* Bened. *et Oratione. Festum vero Semiduplex in ea occurrens transfertur in* j. *diem similiter non impeditam.*

DOM. I. POST. EPIPH.

quæ est infra Oct. Epiph.

In I. Noct. legitur Epistola I. ad Corinth. secundum Rubr., p. 198.

Incipit Epistola prima B. Pauli Apostoli ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 1.

PAULUS vocatus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei , et Sosthenes frater, Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi , sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis , cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi , in omni loco ipsorum , et nostro. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro , et Domino Jesu Christo.

Lectio ij.

GRATIAS ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei , quæ data est vobis in Christo Jesu , quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo , et in omni scientia : sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis ; ita ut nihil vobis desit in ulla gratia , expectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi , qui et confirmabit vos usque in finem sine crimine , in die adventus Domini nostri Jesu Christi. Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri.

Lectio iij.

OBSECRO autem vos , fratres , per nomen Domini nostri Jesu Christi , ut idipsum dicatis omnes , et non sint in vobis schismata : sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia. Significatum est enim mihi de vobis , fratres mei , ab iis qui sunt Chloes , quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit : Ego quidem sum Pauli : ego autem Apollo , ego vero Cephæ : ego autem Christi , Divisus est Christus ? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis ? aut in nomine Pauli baptizati estis?

In II. et III. Noct. leguntur Lect. Dom. infra Oct., p. 199. *Si vero dies Oct. venerit in Dom. dicuntur de die Oct.* p. 201.

FERIA SECUNDA.

De Epistola prima ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 2.

ET ego , cum venissem ad vos, fratres , veni non in sublimitate ser-

monis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Et ego in infirmitate, et timore, et tremore multo fui apud vos: et sermo meus, et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.

Lectio ij.

SAPIENTIAM autem loquimur inter perfectos: sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus sæculi cognovit: si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed sicut scriptum est. Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus iis qui diligunt illum.

Lectio iij.

NOBIS autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis: quæ et loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes.

FERIA TERTIA.

De Epistola prima ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 5.

OMNINO auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis: et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu, tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.

Lectio ij.

NON est bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.

Lectio iij.

SCRIPSI vobis in epistola: Ne commisceamini fornicariis. Non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiisse. Nunc autem scripsi vobis, non commisceri: si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum hujusmodi nec cibum sumere.

FERIA QUARTA.

De Epistola prima ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 6.

AUDET aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, et non apud sanctos? An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis? Nescitis quoniam angelos judicabimus? quanto magis sæcularia? Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. Ad verecundiam vestram dico.

Digitized by Google

Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum? Sed frater cum fratre judicio contendit, et hoc apud infideles.

Lectio ij.

JAM quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis et fraudatis, et hoc fratribus. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. Et hæc quidam fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.

Lectio iij.

OMNIA mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri, et venter escis: Deus autem et hunc et has destruet. Corpus autem non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori. Deus vero et Dominum suscitavit: et nos suscitabit per virtutem suam. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. Fugite fornicationem.

FERIA QUINTA.

De Epistola prima ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 7.

DE quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere; propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat: similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

Lectio ij.

NOLITE fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus ut vacetis orationi, et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Volo enim omnes vos esse sicut meipsum. Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic. Dico autem non nuptis et viduis, bonum est illis si sic permaneant sicut et ego. Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere quam uri.

Lectio iij.

IIS autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. Nam cæteris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.

FERIA SEXTA.

De Epistola prima ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 13.

SI linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam; et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in

Digitized by Google

cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

Lectio ij.

CHARITAS patiens est, benigna est: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas numquam excidit, sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.

Lectio iij.

CUM essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli. Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.

SABBATO.

De Dpistola prima ad Corinthios.

Lectio i. Cap. 16.

DE collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite. Per unam sabbati unusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit, ut non, cum venero, tunc collectæ fiant. Cum autem præsens fuero, quos probaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem. Quod si dignum fuerit ut et ego eam, mecum ibunt.

Lectio ij.

VENIAM autem ad vos, cum Macedoniam pertransiero; nam Macedoniam pertransibo. Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo, ut vos me deducatis quocumque iero. Nolo enim vos modo in transitu videre; spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit. Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten. Ostium enim mihi apertum est magnum et evidens, et adversarii multi.

Lectio iii.

SI autem venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos: opus enim Domini operatur, sicut et ego. Ne quis ergo illum spernat; deducite autem illum in pace, ut veniat ad me: expecto enim illum cum fratribus. De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multum rogavi eum ut veniret ad vos cum fratribus; et utique non fuit voluntas ut nunc veniret: veniet autem, cum ei vacuum fuerit. Vigilate, state in fide, viriliter agite, et confortamini. Omnia vestra in charitate fiant.

SABBATO PRIMO

post Octavam Epiphaniæ

Ad Vesp. omnia præter Orationem, ut in Psalt., p. 97, *quod servatur in aliis Sabbatis usque ad Septuag.*

Oratio ut infra in Laudibus.

Deinde fiunt commem. ibidem positæ in Psalt., p. 100.

DOM. II. POST EPIPH.

Omnia ut in Psalt., præter ea quæ hic sunt propria.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epistola secunda B. Pauli Apostoli ad Corinthios.

Lectio i. Cap. I.

PAULUS Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater, Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis qui sunt in universa Achaia. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Benedictus Deus et

Digitized by Google

Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolatonis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua exhortamur et ipsi a Deo. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita et per Christum abundat consolatio nostra.

℟. Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me: * Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum. ℣. Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ. Miserere.

Lectio ij.

SIVE autem tribulamur pro vestra exhortatione et salute, sive consolamur pro vestra consolatione, sive exhortamur pro vestra exhortatione et salute, quæ operatur tolerantiam earundem passionum, quas et nos patimur, ut spes nostra firma sit pro vobis: scientes, quod sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis.

℟. Deus, qui sedes super thronum, et judicas æquitatem, esto refugium pauperum in tribulatione: * Quia tu solus laborem et dolorem considéras. ℣. Tibi enim derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor. Quia.

Lectio iij.

NON enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit, et eruit; in quem speramus quoniam et adhuc eripiet, adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis: ut ex multorum personis, ejus quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.

℟. A dextris est mihi Dominus ne commovear: * Propter hoc dilatatum est cor meum, et exultavit lingua mea. ℣. Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei. Propter. Gloria. Propter.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Ex præfatione in Epist. B. Pauli.

Lectio iv.

BEATI Pauli Epistolarum lectionem dum assidue ausculto, perque hebdomadas singulas bis sæpe, et ter, et quater quotiescumque sanctorum Martyrum memorias celebramus, gaudio exulto, tuba illa spiritali perfruens, et excitor, ac desiderio incalesco, vocem mihi amicam agnoscens, et fere præsentem ipsum intueri, et disserentem audire videor. Sed tamen doleo et moleste fero, quod virum hunc non omnes, sicut par est, cognoscunt: verum ita illum nonnulli ignorant, ut ne Epistolarum quidem ejus numerum plane sciant. Hoc vero non imperitia facit: sed quod nolint beati hujus viri scripta assidue in manibus habere.

℟. Notas mihi fecisti, Domine, vias vitæ: * Adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem. ℣. Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. Adimplebis.

Lectio v.

NEQUE enim nos quæ scimus, si quid scimus, ab ingenii bonitate atque acumine scimus: sed quod erga hunc virum impense affecti, ab illius lectione numquam discedimus: si quidem qui amant, ii plus quam cæteri omnes eorum facta norunt, quos amant, ut qui de iis ipsis sint solliciti. Id quod beatus hic veluti ostendens, ad Philippenses ait: Sicut est mihi justum, ut hoc de vobis omnibus sentiam, eo quod habeam vos in corde, et in vinculis meis, et in defensione et confirmatione Evangelii.

Digitized by Google

℟. Diligam te, Domine, virtus mea: Dominus firmamentum meum * Et refugium meum. ℣. Liberator meus, Deus meus, adjutor meus. Et.

Lectio vj.

QUAPROPTER si et vos quoque lectioni diligenter attendere voluèritis, nihil aliud vobis erit requirendum. Verax est enim Christi sermo dicentis: Quærite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. Cæterum, quandoquidem complures ex iis qui huc nobiscum conveniunt, et liberorum educationem, et uxoris curam, et familiæ providentiam suscepere, ob idque totos sese huic labori dare non sustinent, at certe ipsi vos excitate ad ea saltem capienda, quæ alii collegerint, studii tantumdem iis, quæ dicta fuerint, auscultandis, quantum pecuniis colligendis impertientes. Nam etsi turpe sit non nisi tantum studii a vobis exigere, optabile tamen erit, si tantum saltem tribuatis.

℟. Domìni est terra, et plenitudo ejus: * Orbis terrarum, et universi qui habitant in eo. ℣. Ipse super maria fundavit eam, et super flumina præparavit illam. Orbis. Gloria. Orbis.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus ad nuptias. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 9. in Ioan. post initium.

QUOD Dominus invitatus venit ad nuptias, etiam excepta mystica significatione, confirmare voluit quod ipse fecit nuptias. Futuri enim erant, de quibus dixit Apostolus, prohibentes nubere, et dicentes quod malum essent nuptiæ, et quod diabolus eas fecisset: cum idem Dominus dicat in Evangelio, interrogatus utrum liceat homini dimittere uxorem suam ex qualibet causa, non licere, excepta causa fornicationis. In qua responsione, si meministis, hoc ait: Quod Deus conjunxit, homo non separet.

℟. Ad te, Domine, levavi animam meam: * Deus meus, in te confido, non erubescam. ℣. Custodi animam meam, et eripe me. Deus.

Lectio viij.

ET qui bene eruditi sunt in fide Catholica, noverunt quod Deus fecerit nuptias: et sicut conjunctio a Deo, ita divortium a diabolo sit. Sed propterea in causa fornicationis licet uxorem dimittere, quia ipsa esse uxor prior voluit, quæ fidem conjugalem marito non servavit. Nec illæ, quæ virginitatem Deo vovent, quanquam ampliorem gradum honoris et sanctitatis in Ecclesia teneant, sine nuptiis sunt: nam et ipsæ pertinent ad nuptias cum tota Ecclesia, in quibus nuptiis sponsus est Christus.

℟. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: * Plena est omnis terra gloria ejus. ℣. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus: et hi tres unum sunt. Sanctus. Gloria. Plena est.

Hoc ℟. semper dicitur post viij. *Lect. ab hac Dom. usque ad Septuag., et a III. Dom. post Pentec. usque ad Adv. in Dom. tantum.*

Lectio ix.

AC per hoc ergo Dominus invitatus venit ad nuptias, ut conjugalis castitas firmaretur, et ostenderetur sacramentum nuptiarum: quia et illarum nuptiarum sponsus personam Domini figurabat, cui dictum est: Servasti vinum bonum usque adhuc. Bonum enim vinum Christus servavit usque adhuc, id est, Evangelium suum.

Google

Ad Laud. omnia ut in Psalt.

Ad Bened. Ant. Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat ibi Jesus cum Maria matre sua.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui cœlestia simul et terrena moderaris, supplicationes populi tui clementer exaudi, et pacem tuam nostris concede temporibus. Per Dominum.

Deinde fiunt comm. ut supra in Vesp. Sabbati, p. 100.

Ad Horas et Vesp., omnia ut in Psalt. de Dom.

Ad Magnif. Ant. Deficiente vino, jussit Jesus impleri hydrias aqua, quæ in vinum conversa est, alleluia.

Deinde fiunt comm. ut supra.

Post Oct. Epiph. usque ad Quadrag., quando occurrit fieri de Feria, fit Offic. ut in Psalt., exceptis iis, quæ sunt propria. Oratio vero dicitur de Dom. præced.

FERIA SECUNDA.

De Episiola II. ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 3.

INCIPIMUS iterum nosmetipsos commendare? aut numquid egemus (sicut quidam) commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis? Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur et legitur ab omnibus hominibus: manifestati quod epistola estis Christi, ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.

℟. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, * Quam abscondisti timentibus te! ℣. Et perfecisti eis qui sperant in te, Domine, in conspectu filiorum hominum. Quam.

Lectio ij.

FIDUCIAM autem talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis; quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, non littera, sed Spiritu: littera enim occidit, Spiritus autem vivificat. Quod si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur: quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria?

℟. Adjutor meus esto Deus: * Ne derelinquas me. ℣. Neque despicias me, Deus salutaris meus. Ne.

Lectio iij.

NAM si ministratio damnationis gloria est, multo magis abundat ministerium justitiæ in gloria. Nam nec glorificatum est quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. Si enim quod evacuatur, per gloriam est; multo magis quod manet, in gloria est. Habentes igitur talem spem, multa fiducia utimur; et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam; ut non intenderent filii Israel in faciem ejus, quod evacuatur, sed obtusi sunt sensus eorum. Usque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non revelatum, quoniam in Christo evacuatur.

℟. Benedicam Dominum in omni tempore: * Semper laus ejus in ore meo. ℣. In Domino laudabitur anima mea; audiant mansueti, et lætentur. Semper. Gloria. Semper.

℟℟. *in hac et seq. Feriis posita repetuntur in Feriis sequentium Hebd., usque ad Septuag.*

FERIA TERTIA.

De Epistoia II. ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 5.

SCIMUS enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nam et in hoc ingemiscimus, habitatio-

Digitized by Google

nem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes: si tamen vestiti, non nudi inveniamur. Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita.

℣. Auribus percipe, Deus, lacrymas meas; ne sileas a me, remitte mihi: * Quoniam incola ego sum apud te et peregrinus. ℟. Complaceat tibi ut eripias me: Domine, ad adjuvandum me festina. Quoniam.

Lectio ij.

AUDENTES igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (per fidem enim ambulamus, et non per speciem): audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum. Et ideo contendimus sive absentes, sive præsentes, placere illi. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.

℣. Statuit Dominus supra petram pedes meos, et direxit gressus meos Deus: * Et misit in os meum canticum novum. ℟. Exaudivit preces meas, et eduxit me de lacu miseriæ. Et.

Lectio iij.

SCIENTES ergo timorem Domini hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Spero autem et in conscientiis vestris manifestos nos esse. Non iterum commendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis; ut habeatis ad eos qui in facie gloriantur, et non in corde. Sive enim mente excedimus, Deo: sive sobrii sumus, vobis. Charitas enim Christi urget nos; æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: et pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.

℣. Ego dixi, Domine, miserere mei: * Sana animam meam, quia peccavi tibi. ℟. Ab omnibus iniquitatibus meis eripe me, Domine. Sana. Gloria. Sana.

FERIA QUARTA.

De Epistola II. ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 7.

HAS ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei. Capite nos. Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus. Non ad condemnationem vestram dico: prædiximus enim quod in cordibus nostris estis, ad commoriendum et ad convivendum.

℣. Ne perdideris me cum iniquitatibus meis: * Neque in finem iratus reserves mala mea. ℟. Non intres in judicium cum servo tuo, Domine. Neque.

Lectio ij.

MULTA mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis: repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Nam et cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnæ, intus timores. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi. Non solum autem in adventu ejus, sed etiam in consolatione qua consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me, ita ut magis gauderem.

℣. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: * Cantabo, et psalmum dicam Domino. ℟. Exurge, gloria mea, exurge, psalterium et cithara: exurgam diluculo. Cantabo.

Digitized by Google

Lectio iij.

QUONIAM etsi contristavi vos in epistola, non me pœnitet: et si pœniteret, videns quod epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit, nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia, contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur.

℣. **Adjutor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es:** * **Deus meus, misericordia mea.** ℣. **Lætabor et exultabo in te, psallam nomini tuo, Altissime. Deus. Gloria. Deus.**

FERIA QUINTA.

De Epistola II. ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 10.

IPSE autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem et modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis. Rogo autem vos, ne præsens audeam per eam confidentiam, qua existimor audere in quosdam, qui arbitrantur nos tamquam secundum carnem ambulemus. In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus.

℣. **Deus, in te speravi: Domine, non confundar in æternum: in justitia tua libera me:** * **Et eripe me.** ℣. **Inclina ad me aurem tuam, et salva me. Et.**

Lectio ij.

NAM arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia. Quæ secundum faciem sunt, videte. Si quis confidit sibi Christi se esse, hoc cogitet iterum apud se, quia sicut ipse, Christi est, ita et nos.

℣. **Repleatur os meum laude tua, et hymnum dicam gloriæ tuæ, tota die magnitudinem tuam: noli me projicere in tempore senectutis:** * **Dum defecerit in me virtus mea, ne derelinquas me.** ℣. **Gaudebunt labia mea cum cantavero tibi. Dum.**

Lectio iij.

NAM et si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, et non in destructionem, vestram, non erubescam. Ut autem non existimer tanquam terrere vos per epistolas, quoniam quidem epistolæ inquiunt, graves sunt et fortes, præsentia autem corporis infirma, et sermo contemptibilis: hoc cogitet qui ejusmodi est, quia quales sumus verbo per epistolas absentes, tales et præsentes in facto. Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam qui seipsos commendant, sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, et comparantes nosmetipsos nobis.

℣. **Gaudebunt labia mea cum cantavero tibi: Et anima mea quam redemisti, Domine.** ℣. **Sed et lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam. Et. Gloria. Et.**

FERIA SEXTA.

De Epistola II. ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 11.

SI gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad visiones et revelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum. Et scio hujusmodi hominem, (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit) quoniam raptus est in paradisum, et audivit arcana verba quæ non licet homini loqui.

Digitized by Google

℟. Confitebor tibi, Domine Deus, in toto corde meo, et honorificabo nomen tuum in æternum: * Quia misericordia tua, Domine, magna est super me. ℣. Deus meus es tu, et confitebor tibi: Deus meus es tu, et exaltabo te. Quia.

Lectio ij.

PRO hujusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. Nam et si voluero gloriari, non ero insipiens; veritatem enim dicam: parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me. Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.

℟. Misericordia tua, Domine, magna est super me: * Et liberasti animam meam ex inferno inferiori. ℣. In die tribulationis meæ clamavi ad te, quia exaudisti me. Et.

Lectio iij.

LIBENTER igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum. Factus sum insipiens, vos me coegistis. Ego enim a vobis debui commendari: nihil enim minus fui ab iis qui sunt supra modum Apostoli, tametsi nihil sum.

℟. Factus est mihi Dominus in refugium: * Et Deus meus in auxilium spei meæ. ℣. Eripuit me de inimicis meis fortissimis; et factus est Dominus protector meus. Et. Gloria. Et.

SABBATO.

De Epistola II. ad Corinthios:

Lectio j. Cap. 13.

ECCE tertio hoc venio ad vos. In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Prædixi, et prædico, ut præsens, et nunc absens, iis qui ante peccaverunt, et cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam. An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis? Nam et si crucifixus est ex infirmitate; sed vivit ex virtute Dei. Nam et nos infirmi sumus in illo, sed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis.

℟. Ne perdideris, *p.* 209.

Lectio ij.

VOSMETIPSOS tentate si estis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte reprobi estis. Spero autem quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi. Oramus autem Deum, ut nihil mali faciatis; non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis; nos autem ut reprobi simus. Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. Gaudemus enim quoniam nos infirmi sumus, vos autem potentes estis. Hoc et oramus vestram consummationem.

℟. Paratum cor, *p.* 209.

Lectio iij.

IDEO hæc absens scribo, ut non præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, et non in destructionem. De cætero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes sancti. Gratia Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

℟. Adjutor meus, *p.* 210.

Digitized by Google

Ad Vesp. Orat. ut infra in Laud.

DOM. III. POST. EPIPH.

Ad Matut. omnia ut in Psalt.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epistola B. Pauli Apostoli ad Galatas.

Lectio j. Cap. 1.

PAULUS Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis: et qui mecum sunt omnes fratres, Ecclesiis Galatiæ. Gratia vobis et pax a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam, secundum voluntatem Dei et Patris nostri, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

℟. Domine ne in ira, *p.* 206.

Lectio ij.

MIROR quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium: quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi. Sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, et nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit. Modo enim hominibus suadeo, an Deo? An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.

℟. Deus qui sedes, *p.* 206.

Lectio iij.

NOTUM enim vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi. Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo: quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam, et proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos genere meo, abundantius æmulator, existens paternarum mearum traditionum.

℟. A dextris est mihi, *p.* 206.

IN II. NOCTURNO.

De expositione S. Augustini Episcopi in Epistolam ad Galatas.

In prefatione, tom. 4.

Lectio iv.

CAUSA propter quam scribit Apostolus ad Galatas, hæc est: ut intelligant gratiam Dei id secum agere, ut sub lege jam non sint. Cum enim prædicata eis esset Evangelii gratia, non defuerunt quidam ex circumcisione, quamvis Christiani nomine, nondum tamen tenentes ipsum gratiæ beneficium, et adhuc volentes esse sub oneribus legis, quæ Dominus Deus imposuerat non justitiæ servientibus, sed peccato, justam scilicet legem injustis hominibus dando ad demonstranda peccata eorum, non auferenda. Non enim aufert peccata, nisi gratia fidei, quæ per dilectionem operatur.

℟. Notas mihi fecisti, *p.* 206.

Lectio v.

SUB hac ergo gratia jam Galatas constitutos illi volebant constituere sub oneribus legis, asseverantes nihil eis prodesse Evangelium, nisi circumciderentur, et cæteras carnales Judaici ritus observationes subirent. Et ideo Paulum Apostolum suspectum habere cœperant, a quo illis Evangelium prædicatum erat, tamquam non tenentem disciplinam cæterorum Apostolorum, qui Gentes cogebant judaizare.

℟. Diligam te Domine, *p.* 207.

Lectio vj.

TALIS quidem quæstio est et in Epistola ad Romanos: verumtamen videtur aliquid interesse, quod ibi contentionem ipsam dirimit, litemque componit, quæ inter eos qui

Digitized by Google

ex Judæis' et eos qui ex Gentibus crediderant, orta erat: cum illi tamquam ex meritis operum legis sibi redditum Evangelii præmium arbitrarentur quod premium incircumcisis tanquam immeritis nolebant dari: illi contra Judæis se præferre gestirent tamquam interfectoribus Domini. In hac vero Epistola ad eos scribit, qui jam commoti erant auctoritate illorum qui ex Judæis erant, et ad observationes legis cogebant.

℣. Domini est terra, *p.* 207.

IN III. NOCTURNO,

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 8.

IN illo tempore: Cum descendisset Jesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ; et ecce leprosus veniens, adorabat eum. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 1. Comm. in cap. 8. Matth.

DE monte Domino descendente, occurrunt turbæ, quia ad altiora ascendere non valuerunt. Et primus ei occurrit leprosus; necdum enim poterat cum lepra tam multiplicem in monte Salvatoris audire sermonem. Et notandum quod hic primus specialiter curatus sit: secundo, puer Centurionis: tertio, socrus Petri. febriens in Capharnaum: quarto loco, qui oblati sunt ei a dæmonio vexati: quorum spiritus verbo ejiciebat, quando et omnes male habentes curavit.

℣. Ad te Domine, *p.* 207.

Lectio viij.

ET ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens. Recte post prædicationem atque doctrinam, signi offertur occasio, ut per virtutem miraculi præteritus apud audientes sermo firmetur. Domine, si vis, potes me mundare. Qui voluntatem rogat, de virtute non dubitat. Et extendens Jesus manum tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Extendente manum Domino, statim lepra fugit. Simulque considera quam humilis et sine jactantia responsio. Ille dixerat, Si vis, Dominus respondit, Volo. Ille præmiserat, Potes me mundare; Dominus jungit, et dicit, Mundare. Non ergo, ut plerique Latinorum putant, jungendum est, et legendum, Volo mundare, sed separatim, ut primum dicat, Volo; deinde imperet, Mundare.

℣. Duo Seraphim, *p.* 207.

Lectio ix.

ET ait illi Jesus: Vide, nemini dixeris. Et revera quid erat necesse ut sermone jactaret, quod corpore præferebat? Sed vade, ostende te sacerdoti. Varias ob causas mittit eum ad sacerdotem: primum propter, humilitatem, ut sacerdotibus deferre honorem videatur. Erat enim lege præceptum, ut qui mundati fuerant a lepra, offerrent munera sacerdotibus. Deinde, ut mundatum videntes leprosum, aut crederent Salvatori, aut non crederent: si crederent, salvarentur: si non crederent, inexcusabiles forent. Et simul, ne, quod in eo sæpissime criminabantur, legem videretur infringere.

Ad Laud. omnia ut in Psalt.

Ad Bened. Ant. Cum descendisset Jesus de monte, ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare: et extendens manum tetigit eum, dicens: Volo, mundare.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus infirmitatem nostram propitius respice, atque ad protegendum nos, dexteram tuæ majestatis extende. Per Dominum.

Ad Magnif. Ant. Domine, si vis, potes me mundare: et ait Jesus: Volo, mundare.

FERIA SECUNDA.

De Epistola ad Galatas.

Lectio j. Cap. 3.

O INSENSATI Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati,

Digitized by Google

ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus? Hoc solum a vobis volo discere: Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei? Sic stulti estis, ut cum Spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa. Qui ergo tribuit vobis Spiritum, et operatur virtutes in vobis; ex operibus legis, an ex auditu fidei? Sicut scriptum est: Abraham credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam.

℣. Quam magna, *p.* 208.

Lectio ij.

COGNOSCITE ergo quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ. Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ: Quia benedicentur in te omnes Gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.

℣. Adjutor meus, *p.* 208.

Lectio iij.

QUONIAM autem in lege nemo justificatur apud Deum manifestum est, quia justus ex fide vivit. Lex autem non est ex fide; sed, Qui fecerit ea, vivet in illis. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno: ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.

℣. Benedicam Dominum, *p.* 208.

FERIA TERTIA.

De Epistola ad Galatas.

Lectio j. Cap. 5.

STATE, et nolite iterum jugo servitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ. Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini; a gratia excidistis. Nos enim spiritu ex fide spem justitiæ expectamus.

℣. Auribus percipe, *p.* 209.

Lectio ij.

NAM in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides, quæ per charitatem operatur. Currebatis bene: quis vos impedivit veritati non obedire? Persuasio hæc non est ex eo qui vocat vos. Modicum fermentum totam massam corrumpit. Ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis. Qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicumque est ille.

℣. Statuit Dominus, *p.* 209.

Lectio iij.

EGO autem, fratres, si circumcisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior? Ergo evacuatum est scandalum crucis. Utinam et abscindantur qui vos conturbant. Vos enim in libertatem vocati estis, fratres: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem spiritus servite invicem. Omnis enim lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quod si invicem mordetis et comedetis, videte ne ab invicem consumamini. Dico autem: Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.

℣. Ego dixi Domine, *p.* 209.

FERIA QUARTA.

Incipit Epistola B. Pauli Apostoli ad Ephesios.

Lectio j. Cap. 1.

PAULUS Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, omnibus sanctis qui sunt Ephesi, et fidelibus in Christo Jesu. Gratia vobis et pax

Digitized by Google

a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate.

℟. Ne perdideris, *p.* 209.

Lectio ij.

QUI prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis, in omni sapientia et prudentia: ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt, in ipso.

℟. Paratum cor, *p.* 209.

Lectio iij.

IN quo etiam et nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante speravimus in Christo. In quo et vos, cum audissetis verbum veritatis (Evangelium salutis vestræ), in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius.

℟. Adjutor meus, *p.* 210.

FERIA QUINTA.

De Epistola ad Ephesios.

Lectio j. Cap. 4.

OBSECRO itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis.

℟. Deus in te, *p.* 210.

Lectio ij.

UNICUIQUE autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit: Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.

℟. Repleatur os meum, *p.* 210.

Lectio iij.

ET ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.

℟. Gaudebunt labia, *p.* 210.

FERIA SEXTA.

De Epistola ad Ephesios.

Lectio j. Cap. 5.

ESTOTE ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Fornicatio autem,

Digitized by Google

et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio.

℟. Confitebor tibi, *p.* 211.

Lectio ij.

HOC enim scitote intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate.

℟. Misericordia tua, *p.* 211.

Lectio iij.

FRUCTUS enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate: probantes quid sit beneplacitum Deo. Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere. Omnia autem quæ arguuntur, a lumine manifestantur: omne enim quod manifestatur, lumen est. Propter quod dicit: Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus.

℟. Factus est mihi, *p.* 211.

SABBATO.

De Epistola ad Ephesios.

Lectio j. Cap. 6.

FILII, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est. Honora patrem tuum et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi, et sis longævus super terram. Et vos patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini.

℟. Ne perdideris, *p.* 209.

Lectio ij.

SERVI, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino, et non hominibus: scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber. Et vos domini, eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia et illorum et vester Dominus est in cœlis, et personarum acceptio non est apud eum.

℟. Paratum cor, *p.* 209.

Lectio iij.

DE cætero, fratres, confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare.

℟. Adjutor meus, *p.* 210.

Ad Vesp. Orat. ut infra in Laud.

DOM. IV POST. EPIPH.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epistola B. Pauli Apostoli ad Philippenses.

Lectio j. Cap 1.

PAULUS et Timotheus servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis et Diaconibus. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens, super communicatione vestra in Evangelio Christi a prima die usque nunc. Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. Sicut est mihi justum hoc sentire pro omnibus vobis, eo quod habeam vos in corde,

Digitized by Google

et in vinculis meis, et in defensione, et confirmatione Evangelii, socios gaudii mei omnes vos esse.

℟. Domine ne in ira, *p.* 206.

Lectio ij.

TESTIS enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi. Et hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, et in omni sensu: ut probetis potiora, ut sitis sinceri, et sine offensa in diem Christi, repleti fructu justitiæ per Jesum Christum, in gloriam et laudem Dei. Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii; ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio et in cæteris omnibus, et plures e fratribus in Domino, confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.

℟. Deus qui sedes, *p.* 206.

Lectio iij.

QUIDAM quidem et propter invidiam et contentionem, quidam autem et propter bonam voluntatem Christum prædicant, quidam ex charitate, scientes quoniam in defensionem Evangelii positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim? Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur; et in hoc gaudeo, sed et gaudebo.

℟. A dextris est mihi, *p.* 206.

IN II. NOCTURNO.

Ex lib. Moral. S. Gregorii Papæ.

Lectio iv. *lib.* 4. *Cap.* 30.

REPLEMUS refectionibus corpus, ne extenuatum deficiat; extenuamus abstinentia, ne nos repletum premat: vegetamus hoc motibus, ne situ immobilitatis intereat, sed citius hoc collocando sistimus, ne ipsa sua vegetatione succumbat: adjumentis hoc vestium tegimus, ne frigus interimat; et quæsita adjumenta projicimus, ne calor exurat. Tot igitur diversitatibus occurrentes, quid agimus, nisi corruptibilitati servimus, ut saltem multiplicitas impensi obsequii corpus sustineat, quod anxietas infirmæ mutabilitatis gravat?

℟. Notas mihi fecisti, *p.* 206.

Lectio v.

UNDE bene per Paulum dicitur: Vanitati enim subjecta est creatura non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe: quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Vanitati quippe creatura non volens subditur: quia homo, qui ingenitæ constantiæ statum volens deseruit, pressus justæ mortalitatis pondere, nolens mutabilitatis suæ corruptioni servit. Sed creatura hæc tunc a servitute corruptionis eripitur, cum ad filiorum Dei gloriam incorrupta resurgendo sublevatur.

℟. Diligam te Domine, *p.* 207.

Lectio vi.

HIC itaque electi molestia vincti sunt, quia adhuc corruptionis suæ pœna deprimuntur: sed cum corruptabili carne exuimur, quasi ab his quibus nunc adstringimur, molestiæ vinculis relaxamur. Præsentari namque jam Deo cupimus, sed adhuc mortalis corporis obligatione præpedimur. Jure ergo vincti dicimur, quia adhuc incessum nostri desiderii ad Deum liberum non habemus. Unde bene Paulus, æterna desiderans, sed tamen adhuc corruptionis suæ sarcinam portans, vinctus clamat: Cupio dissolvi, et esse cum Christo. Dissolvi enim non quæreret, nisi se procul dubio vinctum videret.

℟. Domini est terra, *p.* 207.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 8.

IN illo tempore: Ascendente Jesu in naviculam, secuti sunt eum di-

Digitized by Google

scipuli ejus; et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus: ipse vero dormiebat. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. I. comm. in cap. 8. Matth.

QUINTUM signum fecit, quando ascendens navem de Capharnaum, ventis imperavit et mari. Sextum, quando in regione Gerasenorum dedit potestatem dæmonibus in porcos. Septimum, quando ingrediens civitatem suam, paralyticum secundum curavit in lectulo. Primus enim paralyticus, est puer Centurionis.

℣. Ad te Domine, *p.* 207.

Lectio viij.

IPSE vero dormiebat: et accesserunt ad eum, et suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos. Hujus signi typum in Jona legimus, quando cæteris periclitantibus, ipse securus est, et dormit, et suscitatur: et imperio ac sacramento passionis suæ liberat suscitantes. Tunc surgens imperavit ventis et mari. Ex hoc loco intelligimus, quod omnes creaturæ sentiant Creatorem. Quas enim increpavit, et quibus imperavit, sentiunt imperantem: non errore hæreticorum qui omnia putant animantia, sed majestate Conditoris, quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt.

℣. Duo Seraphim, *p.* 207.

Lectio ix.

PORRO homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei? Non discipuli, sed nautæ et cæteri qui in navi erant, mirabantur. Sin autem quis contentiose voluerit, eos qui mirabantur, fuisse discipulos, respondebimus, recte homines appellatos, qui necdum noverant potentiam Salvatoris.

Ad Laud. omnia ut in Psalt.

Ad Bened. Ant. Ascendente Jesu in naviculam, ecce motus magnus factus est in mari: et susitaverunt eum discipuli ejus, dicentes: Domine, salva nos, perimus.

Oratio.

DEUS, qui nos in tantis periculis constitutos, pro humana scis fragilitate non posse subsistere, da nobis salutem mentis et corporis, ut ea, quæ pro peccatis nostris patimur, te adjuvante vincamus. Per Dominum.

Ad Magnif. Ant. Domine, salva nos, perimus: impera, et fac, Deus, tranquillitatem.

FERIA SECUNDA.

De Epistola ad Philippenses.

Lectio j. Cap. 4.

ITAQUE, fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum, et corona mea: sic state in Domino, charissimi. Evodiam rogo, et Syntichen deprecor idipsum sapere in Domino. Etiam rogo et te, germane compar, adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio, cum Clemente et cæteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ.

℣. Quam magna, *p.* 208.

Lectio ij.

GAUDETE in Domino semper; iterum dico, gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus enim prope est. Nihil solliciti sitis; sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu.

℣. Adjutor meus, *p.* 208.

Lectio iij.

DE cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. Quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, hæc agite, et Deus pacis erit vobiscum. Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire, sicut et sentiebatis: occupati autem eratis.

Digitized by Google

℣. Benedicam Dominum, *p.* 208.

FERIA TERTIA.

Incipit Epistola B. Pauli Apostoli ad Colossenses.

Lectio j. Cap. 1.

PAULUS Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater, eis qui sunt Colossis, sanctis et fidelibus fratribus in Christo Jesu. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Gratias agimus Deo et Patri Domini nostri Jesu Christi semper pro vobis orantes: audientes fidem vestram in Christo Jesu, et dilectionem quam habetis in sanctos omnes, propter spem quæ reposita est vobis in cœlis, quam audistis in verbo veritatis Evangelii, quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit sicut in vobis, ex ea die qua audistis, et cognovistis gratiam Dei in veritate, sicut didicistis ab Epaphra charissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu, qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu.

℣. Auribus percipe, *p.* 209.

Lectio ij.

IDEO et nos ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes, et postulantes ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia et intellectu spiritali: ut ambuletis digne Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei: in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus, in omni patientia et longanimitate, cum gaudio gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.

℣. Statuit Dominus, *p.* 209.

Lectio iij.

QUI eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum: qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ; quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis.

℣. Ego dixi Domine, *p.* 209.

FERIA QUARTA.

De Epistola ad Colossenses.

Lectio j. Cap. 3. et 4.

INDUITE vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera, misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam; sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore: et grati estote.

℣. Ne perdideris, *p.* 209.

Lectio ij.

VERBUM Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino. Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas. Filii, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino. Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.

℣. Paratum cor meum, *p.* 209.

Lectio iij.

SERVI, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes sed in simplicitate cordis, timentes

Digitized by Google

Deum. Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino, et non hominibus, scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Christo servite. Qui enim injuriam facit, recipiet id quod inique gessit: et non est personarum acceptio apud Deum. Domini quod justum est et æquum, servis præstate, scientes quod et vos Dominum habetis in cœlo. Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione.

℣. Adjutor meus, *p.* 210.

FERIA QUINTA.

Incipit Epistola prima beati Pauli Apostoli ad Thessalonicenses.

Lectio j. Cap. 1.

PAULUS, et Silvanus, et Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre, et Domino Jesu Christo. Gratia vobis et Pax. Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione, memores operis fidei vestræ, et laboris, et charitatis, et sustinentiæ spei Domini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum: scientes, fratres dilecti a Deo, electionem vestram; quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu sancto, et in plenitudine multa, sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos.

℣. Deus in te speravi, *p.* 210.

Lectio ij.

ET vos imitatores nostri facti estis et Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus sancti: ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia et in Achaia. A vobis enim diffamatus est sermo Domini, non solum in Macedonia et in Achaia, sed et in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profecta est, ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui. Ipsi enim de nobis annuntiant, qualem introitum habuerimus ad vos, et quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo et vero, et expectare Filium ejus de cœlis (quem suscitavit ex mortuis) Jesum, qui eripuit nos ab ira ventura.

℣. Repleatur os meum, *p.* 210.

Lectio iij. Cap. 2.

NAM ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit; sed ante passi et contumeliis affecti, sicut scitis, in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro loqui ad vos Evangelium Dei in multa sollicitudine. Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo: sed sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis Evangelium, ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione avaritiæ, Deus testis est; nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis.

℣. Gaudebunt labia, *p.* 210.

FERIA SEXTA.

De Epistola I. ad Thessalonicenses.

Lectio j. Cap. 4.

DE cætero ergo, fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra; ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore; non in passione desiderii, sicut et Gentes, quæ ignorant Deum.

℣. Confitebor, *p.* 211.

Lectio ij.

ET ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, et testificati sumus. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed

Digitized by Google

in sanctificationem. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis.

℟. Misericordia tua, *p.* 211.

Lectio. iij.

DE charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis: ipsi enim vos a Deo didicistis, ut diligatis invicem. Etenim illud facitis in omnes fratres in universa Macedonia. Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis, et operam detis, ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis; et ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis.

℟. Factus est mihi, *p.* 211.

SABBATO.

Incipit Epistola secunda ad Thessalonicenses.

Lectio j. Cap. 1.

PAULUS, et Silvanus, et Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, et abundat charitas uniuscujusque vestrum in invicem: ita ut et nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra et fide, et in omnibus persecutionibus vestris et tribulationibus, quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini.

℟. Ne perdideris, *p.* 209.

Lectio ij.

SI tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant: et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de cœlo cum Angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi. Qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus, cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt, quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo. In quo etiam oramus semper pro vobis, ut dignetur vos vocatione sua Deus noster, et impleat omnem voluntatem bonitatis, et opus fidei in virtute, ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo, secundum gratiam Dei nostri, et Domini Jesu Christi.

℟. Paratum cor meum, *p.* 209.

Lectio iij. Cap. 2.

ROGAMUS autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, et nostræ congregationis in ipsum, ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam, tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.

℟. Adjutor meus, *p.* 210.

Ad Vesp. Orat. ut infra in Laud.

DOM. V. POST EPIPH.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epistola prima B. Pauli Apostoli ad Timotheum.

Lectio j. Cap. 1.

PAULUS Apostolus Jesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri, et Christi Jesu spei nostræ, Timotheo dilecto filio in fide. Gratia, misericordia, et pax a Deo Patre, et Christo Jesu Domino nostro. Sicut rogavi te ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis, et genealogiis interminatis, quæ quæstiones præstant

Digitized by Google

magis quam ædificationem Dei, quæ est in fide.

℟. Domine ne in ira, *p.* 206.

Lectio ij.

FINIS autem præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis Doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitime utatur: sciens hoc, quia lex justo non est posita, sed injustis et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis et contaminatis, parricidis et matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus et perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi.

℟. Deus qui sedes, *p.* 206.

Lectio iij.

GRATIAS ago ei, qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me extimavit, ponens in ministerio: qui prius blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus, sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide et dilectione, quæ est in Christo Jesu. Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui crediturí sunt illi, in vitam æternam.

℟. A dextris est mihi, *p.* 206.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Augustini Episcopi.

De Verb. Apost. Serm. 8. sub init.

Lectio iv.

HUMANUS sermo, et omnia acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos fecere. Attende Evangelium: Venit enim Filius hominis quærere et salvare quod perierat. Si homo non periisset, Filius hominis non venisset. Ergo perierat homo; venit Deus homo, et inventus est homo. Perierat homo per liberam voluntatem: venit Deus homo per gratiam liberatricem.

℟. Notas mihi fecisti, *p.* 206.

Lectio v.

QUÆRIS quid valeat ad malum liberum arbitrium? Recole hominem peccantem. Quæris quid valeat ad auxilium Deus et homo? Attende in eo gratiam liberantem. Nusquam potuit sic ostendi quantum valeat voluntas hominis usurpata per superbiam, ad utendum sine adjutorio Dei: malum non potuit plus et manifestius exprimi, quam in homine primo. Ecce perit primus homo: et ubi esset, nisi venisset secundus homo? quia et ille homo, ideo et iste homo, et ideo humanus sermo.

℟. Diligam te Domine, *p.* 207.

Lectio vj.

PRORSUS nusquam sic apparet benignitas gratiæ, et liberalitas omnipotentiæ Dei, quam in homine mediatore Dei et hominum, homine Christo Jesu. Quid enim dicimus, fratres mei? In fide Catholica nutritis loquor, vel in pacem Catholicam lucratis. Novimus et tenemus mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum, in quantum homo erat, ejus esse naturæ cujus et nos sumus. Non enim alterius naturæ caro nostra et caro illius, nec alterius naturæ anima nostra et anima illius. Hanc suscepit naturam, quam salvandam esse judicavit.

℟. Domini est terra, *p.* 207.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo tempore: Dixit Jesus turbis parabolam hanc: Simile factum est

Digitized by Google

regnum cœlorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Lib. quaest. Evang. in Matth. cap. II. t. 4.

CUM negligentius agerent Præpositi Ecclesiæ, aut cum dormitionem mortis acciperent Apostoli, venit diabolus et superseminavit eos, quos malos filios Dominus interpretatur. Sed quæritur utrum hæretici sint, an male viventes Catholici? Possunt enim dici filii mali etiam hæretici, quia ex eodem Evangelii semine, et Christi nomine procreati, pravis opinionibus ab falsa dogmata convertuntur.

℟. Ad te Domine, p. 207.

Lectio viij.

SED quod dicit eos in medio tritici seminatos, quasi videntur illi significari, qui unius communionis sunt. Verumtamen quoniam Dominus agrum ipsum, non Ecclesiam, sed hunc mundum interpretatus est, bene intelliguntur hæretici quia non societate unius Ecclesiæ, vel unius fidei, sed societate solius nominis Christiani in hoc mundo permiscentur bonis. At illi qui in eadem fide mali sunt palea potius quam zizania reputantur: quia palea etiam fundamentum ipsum habet cum frumento, radicemque communem.

℟. Duo Seraphim; *p.* 207.

Lectio ix.

IN illa plane sagena, qua concluduntur et mali et boni pisces, non absurde mali Catholici intelliguntur. Aliud est enim mare, quod magis mundum istum significat: aliud sagena, quæ unius fidei, vel unius Ecclesiæ communionem videtur ostendere. Inter hæreticos et malos catholicos hoc interest, quod hæretici falsa credunt: illi autem vera credentes, non vivunt ita ut credunt.

Ad Laud. omnia ut in Psalt.

Ad Bened. Ant. Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? et ait illis: Hoc fecit inimicus homo.

Oratio.

FAMILIAM tuam quæsumus, Domine, continua pietate custodi, ut quæ in sola spe gratiæ cœlestis innititur, tua semper protectione muniatur. Per Dominum.

Ad Magnif. Ant. Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum, dicit Dominus.

FERIA SECUNDA.

De Epistola prima ad Timotheum.

Lectio j. Cap. 3. et 4.

FIDELIS sermo: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum: non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli. Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli.

℟. Quam magna, *p.* 208.

Lectio ij.

DIACONOS similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum et sic ministrent, nullum crimen habentes. Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. Diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene præsint, et suis domibus. Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, et multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu.

℟. Adjutor meus, *p.* 208.

Digitized by Google

Lectio iij.

HÆC tibi scribo, sperans me ad te venire cito; si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum.

℣. Benedicam Dominum, *p.* 208.

FERIA TERTIA.

Incipit Epistola II. B. Pauli Apostoli ad Timotheum.

Lectio j. Cap. 1.

PAULUS Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, secundum promissionem vitæ quæ est in Christo Jesu, Timotheo charissimo filio, gratia, misericordia, pax a Deo Patre, et Christo Jesu Domino nostro. Gratias ago Deo, cui servio a progenitoribus in conscientia pura, quod sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die desiderans te videre, memor lacrymarum tuarum, ut gaudio implear, recordationem accipiens ejus fidei quæ est in eo non ficta, quæ et habitavit primum in avia tua Loide, et matre tua Eunice; certus sum autem quod et in te.

℣. Auribus percipe, *p.* 209.

Lectio ij.

PROPTER quam causam admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus; sed collabora Evangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberavit, et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia.

℣. Statuit Dominus, *p.* 209.

Lectio iij.

MANIFESTATA est autem nunc per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam et incorruptionem per Evangelium in quo positus sum ego prædicator, et Apostolus, et magister Gentium. Ob quam causam etiam hæc patior, sed non confundor. Scio enim cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem. Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti, in fide et in dilectione in Christo Jesu.

℣. Ego dixi Domine, *p.* 209.

FERIA QUARTA.

De Epistola II. ad Timotheum.

Lectio j. Cap. 3.

HOC autem scito quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, et voluptatum amatores magis quam Dei: habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita.

℣. Ne perdideris, *p.* 209.

Lectio ij.

EX his enim sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas onoratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis: semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Quemadmodum autem Joannes et Mambres restituerunt Moysi, ita et hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem: sed ultra non proficient; insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit.

Digit

℣. Paratum cor, *p.* 209.

Lectio iij.

TU autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones, qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii et Lystris, quales persecutiones sustinui: et ex omnibus eripuit me Dominus. Et omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Mali autem homines et seductores proficient in pejus, errantes, et in errorem mittentes.

℣. Adjutor meus, *p.* 210.

FERIA QUINTA

Incipit Epistola B. Pauli Apostoli ad Titum.

Lectio i. Cap. I.

PAULUS servus Dei, Apostolus autem Jesu Christi secundum fidem electorum Dei, et agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est, in spem vitæ æternæ quam promisit qui non mentitur Deus ante tempora sæcularia: manifestavit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundum præceptum Salvatoris nostri Dei, Tito dilecto filio secundum communem fidem, gratia et pax a Deo Patre et Christo Jesu Salvatore nostro.

℣. Deus in te speravi, *p.* 210.

Lectio ij.

HUJUS rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates Presbyteros, sicut et ego disposui tibi. Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere.

℣. Repleatur os meum, *p.* 210.

Lectio iij.

SUNT enim multi etiam inobedientes, vaniloqui et seductores, maxime qui de circumcisione sunt; quos oportet redargui: qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide, non intendentes judaicis fabulis, et mandatis hominum aversantium se a veritate. Omnia munda mundis: coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum.

℣. Gaudebunt labia, *p.* 210.

FERIA SEXTA

De Epistola ad Titum.

Lectio j. Cap. 2. et 3.

HÆC loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio. Nemo te contemnat. Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse, neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.

℣. Confitebor tibi, *p.* 210.

Lectio ij.

ERAMUS enim aliquando et nos insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem. Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum: ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.

℟. Misericordia tua , *p.* 211.

Lectio iij.

FIDELIS sermo est , et de his volo te confirmare , ut curent bonis operibus præesse qui credunt Deo. Hæc sunt bona et utilia hominibus. Stultas autem quæstiones , et genealogias, et contentiones , et pugnas legis devita : sunt enim inutiles et vanæ. Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita , sciens quia subversus est qui ejusmodi est, et delinquit , cum sit proprio judicio condemnatus.

℟. Factus est mihi , *p.* 211.

SABBATO.

Incipit Epistola B. Pauli Apostoli ad Philemonem.

Lectio j. Cap. I.

PAULUS vinctus Christi Jesu, et Timotheus frater , Philemoni dilecto , et adjutori nostro , et Appiæ sorori charissimæ , et Archippo commilitoni nostro , et Ecclesiæ quæ in domo tua est. Gratia vobis , et pax a Deo patre nostro , et Domino Jesu Christo. Gratias ago Deo meo , semper memoriam tui faciens in orationibus meis , audiens charitatem tuam, et fidem quam habes in Domino Jesu, et in omnes sanctos : ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis operis boni , quod est in vobis in Christo Jesu.

℟. Ne perdideris , *p.* 209.

Lectio ij.

GAUDIUM enim magnum habui et consolationem in charitate tua, quia viscera sanctorum requieverunt per te , frater. Propter quod multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet ; propter charitatem magis obsecro , cum sis talis , ut Paulus senex , nunc autem et vinctus Jesu Christi : obsecro te pro meo filio , quem genui in vinculis , Onesimo , qui tibi aliquando inutilis fuit , nunc autem et mihi et tibi utilis , quem remisi tibi.

℟. Paratum cor , *p.* 209.

Lectio iij.

TU autem illum ut mea viscera suscipe , quem ego volueram mecum detinere , ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii : sine consilio autem tuo nihil volui facere, ut ne velut ex necessitate bonum tuum esset , sed voluntarium. Forsitan enim ideo discessit ad horam a te ut æternum illum reciperes jam non ut servum , sed pro servo charissimum fratrem , maxime mihi ; quanto autem magis tibi et in carne , et in Domino ? Si ergo habes me socium , suscipe illum sicut me. Si autem aliquid nocuit tibi , aut debet , hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi mea manu.

℟. Adjutor meus , *p.* 210.

Ad Vesp. Orat. ut infr. in Laud.

DOM. VI. POST. EPIPH.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epistola B. Pauli Apostoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. I.

MULTIFARIAM multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis , novissime diebus istis locutus est nobis in Filio , quem constituit hæredem universorum , per quem fecit et sæcula. Qui cum sit splendor gloriæ , et figura substantiæ ejus , portansque omnia verbo virtutis suæ , purgationem peccatorum faciens , sedet ad dexteram majestatis in excelsis : tanto melior Angelis effectus , quanto differentius præ illis nomen hæreditavit.

℟. Domine, ne in ira , *p.* 206.

Lectio ij.

CUI enim dixit aliquando Angelorum : Filius meus es tu , ego hodie genui te ? Et rursum : Ego ero illi in patrem , et ipse erit mihi in filium ? Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ , dicit : Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit : Qui facit Angelos suos spiritus , et ministros suos flammam ignis. Ad filium autem :

Digitized by Google

Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi: virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.

℣. Deus qui sedes, *p.* 206.

Lectio iij.

ET: Tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis; et omnes ut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis?

℣. A dextris est mihi, *p.* 206.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Athanasii Episcopi.

Orat. 2. contra Arianos post med.

Lectio iv.

SI personam, rem, tempus Apostolici dicti cognoscerent hæretici, nunquam humana in Deitatem transferentes, tam impie et stulte adversus Christum sese habuissent. Id intueri licebit, si initium lectionis denuo repetitum probe excipias. Dicit enim Apostolus: Multifariam multisque modis olim Deus locutus est patribus nostris per Prophetas: ultimis autem diebus locutus est nobis in Filio. Atque ita paulo post dicit: Perfecta ab eo nostrorum peccatorum purificatione, ipsum sedere ad dexteram majestatis in excelsis, tanto meliorem Angelis factum, quanto præstantius nomen præ illis sortitus est. De eo igitur tempore, quo nobis per Filium locutus est, cum peccatorum purgatio fieret, Apostolicum dictum mentionem facit. Quando autem nobis locutus est in Filio, aut quando purgatio peccatorum facta, aut quando natus est homo, nisi post Prophetas, idque in ultimis diebus?

℣. Notas mihi fecisti, *p.* 206.

Lectio v.

DEINDE cum narratio instituta esset de humana Verbi dispensatione, deque ultimis temporibus, consequenter commemoravit Deum neque superioribus ætatibus tacuisse, sed locutum esse per Prophetas: et postquam Prophetæ suo officio perfuncti sunt, et lex per Angelos pronuntiata est, et Filius etiam ad nos descendit, et ad ministrandum accessit; tunc demum necessario subintulit: Tanto melior Angelis factus: ostendere volens, quanto Filius præ servo excellit, tanto functione officioque servorum Filii administrationem meliorem fuisse.

℣. Diligam te Domine, *p.* 207.

Lectio vj.

FUNCTIONEM igitur discernens Apostolus tum veterem, tum novam, magna dicendi libertate utitur ad Judæos scribens et loquens. Propter hoc igitur non in universum ex propria comparationis ratione dixit quod major aut honoratior esset; ne quis quasi de ejusdem generis, et cum eo communibus rebus hæc verba intelligeret; sed ideo meliorem illum dixit, ut discrimen naturæ Filii ad res creatas indicaret.

℣. Domini est terra, *p.* 207.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo tempore: Dixit Jesus turbis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib 2. *Comment. in cap.* 13. *Matth.*

REGNUM cœlorum prædicatio Evangelii est, et notitia Scripturarum, quæ ducit ad vitam, et de

Digitized by Google

qua dicitur ad Judæos: Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. Simile est ergo hujuscemodi regnum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo. Homo qui seminat in agro suo a plerisque Salvator intelligitur, quod in animis credentium seminet; ab aliis ipse homo seminans in agro suo, hoc est in semetipso et in corde suo.

℟. Ad te Domine, *p.* 207.

Lectio viij.

QUIS est iste qui seminat, nisi sensus noster et animus, qui suscipiens granum prædicationis, et fovens sementem, humore fidei facit in agro sui pectoris pullulare? Prædicatio Evangelii minima est omnibus disciplinis. Ad primam quippe doctrinam, fidem non habet veritatis, hominem Deum, Christum mortuum, et scandalum crucis prædicans. Confer hujuscemodi doctrinam dogmatibus Philosophorum, et libris eorum, et splendori eloquentiæ, et compositioni sermonum: et videbis quanto minor sit cæteris seminibus sementis Evangelii.

℟. Duo Seraphim, *p.* 207.

Lectio ix.

SED illa cum creverint, nihil mordax, nihil vividum, nihil vitale demonstrant; sed totum flaccidum marcidumque et mollitum ebullit in olera et in herbas, quæ cito arescunt et corruunt. Hæc autem prædicatio, quæ parva videbatur in principio, cum vel in anima credentis, vel in toto mundo sata fuerit, non exurgit in olera, sed crescit in arborem: ita ut volucres cœli (quas vel animas credentium vel fortitudines Dei servitio mancipatas sentire debemus) veniant et habitent in ramis ejus. Ramos puto Evangelicæ arboris, quæ de grano sinapis creverit, dogmatum esse diversitates in quibus supradictarum volucrum unaquæque requiescit.

Ad Laud. omnia ut in Psalt.

Ad Bened. Ant. Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod minimum est omnibus seminibus, cum autem creverit, majus est omnibus oleribus.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut semper rationabilia meditantes, quæ tibi sunt placita et dictis exequamur, et factis. Per Dominum.

Ad Magnif. Ant. Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.

FERIA SECUNDA.

De Epistola ad Hæbræos.

Lectio j. Cap. 3.

UNDE, fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum et Pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est ei qui fecit illum, sicut et Moyses in omni domo ejus. Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit, Deus est.

℟. Quam magna, *p.* 208.

Lectio ij.

ET Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant: Christus vero tamquam Filius in domo sua; quæ domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus. Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto.

℟. Adjutor meus, *p.* 208.

Lectio iij.

VIDETE, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum in-

Digitized by Google

credulitatis discedendi a Deo vivo; sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Participes enim Christi effecti sumus: si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus. Dum dicitur: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione. Quidam enim audientes exarcerbaverunt, sed non universi qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen.

℟. Benedicam Dominum, *p.* 208.

FERIA TERTIA.

De Epistola ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 4.

TIMEAMUS ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex nobis deesse. Etenim et nobis nuntiatum est, quemadmodum et illis. Sed non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei ex iis quæ audierunt. Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus, quemadmodum dixit: Sicut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam: et quidem operibus ab institutione mundi perfectis.

℟. Auribus percipe, *p.* 209.

Lectio ij.

DIXIT enim in quodam loco de die septima sic: Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis. Et in isto rursum: Si introibunt in requiem meam. Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, et ii, quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem: iterum terminat diem quemdam, Hodie, in David dicendo, post tantum temporis, sicut supra dictum est: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.

℟. Statuit Dominus, *p.* 209.

Lectio iij.

NAM si eis Jesus requiem præstitisset, nunquam de alia loqueretur posthac die. Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus. Festinemus ergo ingredi in illam requiem, ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti; et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis.

℟. Ego dixi Domine, *p.* 209,

FERIA QUARTA.

De Epistola ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 6.

QUAPROPTER intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, et fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, et judicii æterni. Et hoc faciemus, si quidem permiserit Deus.

℟. Ne perdideris, *p.* 209,

Lectio ij.

IMPOSSIBILE est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, rursum renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes.

℟. Paratum cor, *p.* 209.

Lectio iij,

TERRA enim sæpe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam iis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo. Proferens autem spinas ac tri-

Digitized by Google

bulos, reproba est et maledicto proxima: cujus consummatio in conbustionem. Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora et viciniora saluti, tametsi ita loquimur. Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, et ministratis.

℟. Adjutor meus, *p.* 208.

FERIA QUINTA.

De Epistola ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 7.

HIC enim Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso a cæde regum, et benedixit ei, cui et decimas omnium divisit Abraham: primum quidem qui interpretatur rex justitiæ; deinde autem et rex Salem, quod est, rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.

℟. Deus in te speravi, *p.* 210.

Lectio ij.

INTUEMINI autem quantus sit hic, cui et decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha? Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere a populo secundum legem, id est, a fratribus suis, quamquam et ipsi exierunt de lumbis Abrahæ. Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, et hunc, qui habebat repromissiones, benedixit.

℟. Repleatur os meum, *p.* 210.

Lectio iij.

SINE ulla autem contradictione, quod minus est a meliore benedicitur. Et hic quidem decimas morientes homines accipiunt: ibi autem contestatur, quia vivit. Et (ut ita dictum sit) per Abraham et Levi, qui decimas accepit, decimatus est: adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech. Si ergo consummatio per sacerdotium leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, et non secundum ordinem Aaron dici? Translato enim sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat.

℟. Gaudebunt labia, *p.* 210.

FERIA SEXTA

De Epistola ad Hebræos.

Lectio j. *Cap.* 11.

EST autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. In hac enim testimonium consecuti sunt senes. Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent. Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain, obtulit Deo: per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo, et per illam defunctus adhuc loquitur.

℟. Confitebor tibi, *p.* 210.

Lectio ij.

FIDE Henoch translatus est ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo. Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit. Fide Noe, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit mundum: et justitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus.

℟. Misericordia tua, *p.* 211.

Lectio iij.

FIDE qui vocatur Abraham, obedivit in locum exire, quem acceperus erat in hæreditatem, et exiit, nesciens quo iret. Fide demoratus est in Terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando

Digitized by Google

cum Isaac et Jacob cohæredibus repromissionis ejusdem. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus.

℟. Factus est mihi, *p.* 211.

SABBATO.

De Epistola ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 13.

CHARITAS fraternitatis maneat in vobis. Et hospitalitatem nolite oblivisci: per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis. Mementote vinctorum, tanquam simul vincti: et laborantium, tanquam et ipsi in corpore morantes. Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus. Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus.

℟. Ne perdideris, *p.* 209.

Lectio ij.

SINT mores sine avaritia, contenti præsentibus. Ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam; ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. Jesus Christus heri et hodie: ipse et in sæcula.

℟. Paratum cor meum, *p.* 209.

Lectio iij.

DOCTRINIS variis et peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.

℟. Adjutor meus, *p*, 210.

Si aliquod Festum Duplex celebretur in Sabbato ante Septuagesimam. in II. Vesp. post Orat. Festi, fit comm· de Dom., et in fine dicitur Benedicamus Domino, alleluia, allel., etc. *ut infra.*

SABBATO

Ante Septuagesimam.

Ad Vesperas.

Capitulum. I. Cor. 9.

FRATRES, Nescitis quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? sic currite ut comprehendatis.

Hymnus et ℣. de Psalt., p, 99.

Ad Magnif. Ant. Dixit Dominus ad Adam: De ligno quod est in medio paradisi, ne comedas: in qua hora comederis, morte morieris.

Oratio.

PRECES populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi, ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, pro tui nominis gloria misericorditer liberemur. Per Dominum.

℣. Benedicamus Domino, alleluia, alleluia. ℟. Deo gratias, alleluia, alleluia.

Et deinceps non dicitur Allel. *usque ad Sabb. sanctum. Sed post* Deus in adjutorium, *ubi dicebatur* Alleluia, *dicitur* Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

Si in Dominicis a Septuag. usque ad Dom. in Albis occurrat Festum Duplex, vel Semiduplex, transfertur in primam diem similiter non impeditam.

DOM. IN SEPTUAGES.

Ad Matutinum.

Invit. Præoccupemus faciem Domini: * Et in psalmis jubilemus ei.

Psalm. Venite exultemus, *p.* 1.

In j. *versu Psalmi omittitur*, Præoccupemus faciem, etc. *et ejus loco repetitur a Choro Invit.*

Hymnus Primo die quo, *p.* 2.

Ant. Psalmi et ℣℣. de Psalt.

Digitized by Google

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Genesis.

Lectio j. Cap. 1.

IN principio creavit Deus cœlum et terram. Terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi: et Spiritus Dei ferebatur super aquas. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona, et divisit lucem a tenebris. Appellavitque lucem Diem, et tenebras Noctem: factumque est vespere et mane, dies unus. Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Et factum est ita. Vocavitque Deus firmamentum Cœlum: et factum est vespere et mane, dies secundus.

℟. In principio creavit Deus cœlum et terram, et fecit in ea hominem, * Ad imaginem, et similitudinem suam. ℣. Formavit igitur Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. Ad imaginem.

Lectio ij.

DIXIT vero Deus: Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum unum, et appareat arida. Et factum est ita. Et vocavit Deus aridam, Terram: congregationesque aquarum appellavit Maria. Et vidit Deus quod esset bonum, et ait: Germinet terra herbam virentem et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem et facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum: et factum est vespere et mane dies tertius. Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem: et sint in signa et tempora, et dies et annos, ut luceant in firmamento cœli, et illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti, et stellas. Et posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram, et præessent diei ac nocti, et dividerent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quod esset bonum: et factum est vespere et mane, dies quartus.

℟. In principio creavit Deus cœlum et terram, et Spiritus Dei ferebatur super aquas: * Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona. ℣. Igitur perfecti sunt cœli et terra, et omnis ornatus eorum. Et.

Lectio iij.

DIXIT etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cœli. Creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum; benedixitque eis, dicens: Crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris; avesque multiplicentur super terram. Et factum est vespere et mane, dies quintus. Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terræ secundum species suas. Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, et jumenta, et omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum, et ait: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra.

℟. Formavit Dominus hominem de limo terræ, * Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem. ℣. In prin-

Digitized by Google

cipio fecit Deus cœlum et terram, et plasmavit in ea hominem Et. Gloria. Et.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro Enchiridii sancti Augustini Episcopi.

Cap. 25. 26. et 27. tom. 3.

Lectio iv.

MORTIS supplicium Dominus homini comminatus fuerat, si peccaret, sic eum muneraus libero arbitrio; ut tamen regeret imperio, terreret exitio, atque in paradisi felicitate, tanquam in umbra vitæ, unde, justitia custodita, in meliora conscenderet, collocavit. Hinc post peccatum exul effectus, stirpem quoque suam, quam peccando in se tanquam in radice vitiaverat, pœna mortis et damnatione obstrinxit: ut quidquid prolis ex illo et simul damnata, per quam peccaverat, conjuge, per carnalem concupiscentiam, in qua inobedientiæ pœna similis retributa est, nasceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur per errores doloresque diversos ad illud extremum cum desertoribus angelis, vitiatoribus et possessoribus et consortibus suis, sine fine supplicium.

℣. Tulit Dominus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, * Ut operaretur et custodiret illum. ℣. Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat. Ut.

Lectio v.

SIC per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors: et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Mundum quippe appellavit eo loco Apostolus universum genus humanum. Ita ergo res se habebant. Jacebat in malis vel etiam volvebatur, et de malis in mala præcipitabatur totius humani generis massa damnata, et adjuncta parti eorum, qui peccaverant, angelorum, luebat impiæ desertionis dignissimas pœnas.

℣. Dixit Dominus Deus: Non est bonum hominem esse solum: * Faciamus ei adjutorium simile sibi. ℣. Adæ vero non inveniebatur adjutor similis sibi: dixit vero Deus. Faciamus.

Lectio vj.

AD iram quippe Dei pertinet justam, quidquid cæca et indomita concupiscientia faciunt libenter mali, et quidquid manifestis opertisque pœnis patiuntur inviti; non sane Creatoris desistente bonitate et malis angelis subministrare vitam, vivacemque potentiam, (quæ subministratio si auferatur, interibunt) et hominum, quamvis de propagine vitiata damnataque nascentium, formare semina, et animare, et ordinare membra per temporum ætates, per locorum spatia vegetare sensus, alimenta donare. Melius enim judicavit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere.

℣. Immisit Dominus soporem in Adam, et tulit unam de costis ejus: * Et ædificavit costam, quam tulerat Dominus de Adam, in mulierem, et adduxit eam ad Adam, ut videret quid vocaret eam. * Et vocavit nomen ejus Virago, quia de viro sumpta est. ℣. Cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. Et adificavit. Gloria. Et vocavit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 20.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Homil. 19. in Evangel. post. princip.

REGNUM cœlorum homini patrifamilias simile dicitur, qui ad excolendam vineam suam operarios conducit. Quis vero patrisfamilias si-

Digitized by Google

militudinem rectius tenet, quam conditor noster, qui regit quos condidit, et electos suos sic in hoc mundo possidet, quasi subjectos dominus in domo? Qui habet vineam, universalem scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel justo usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit.

℟. Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio: * In quo posuit hominem, quem formaverat. ℣. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave; lignum etiam vitæ in medio paradisi. In quo.

Lectio viij.

HIC itaque paterfamilias ad excolendam vineam suam, mane, hora tertia, sexta, nona et undecima operarios conducit, quia a mundi hujus initio usque in finem, ad erudiendam plebem fidelium prædicatores congregare non desistit. Manc etenim mundi fuit ab Adam usque ad Noe: hora vero tertia a Noe usque ad Abraham: sexta quoque ab Abraham usque ad adventum Domini: undecima vero ab adventu Domini usque ad finem mundi. In qua prædicatores sancti Apostoli missi sunt, qui mercedem plenam et tarde venientes acceperunt.

℟. Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum: * Videte ne forte sumat de ligno vitæ, et vivat in æternum. ℣. Fecit quoque Dominus Deus Adæ tunicam pelliceam, et induit eum, et dixit. Videte.

Lectio ix.

AD erudiendam ergo Dominus plebem suam, quasi ad excolendam vineam suam, nullo tempore destitit operarios mittere; quia et prius per Patres, et postmodum per legis Doctores et Prophetas, ad extremum vero per Apostolos, dum plebis suæ mores excoluit, quasi per operarios in vineæ cultura laboravit: quamvis in quolibet modulo vel mensura, quisquis cum fide recta bonæ prædicator actionis extitit, hujus vineæ operarius fuit. Operator ergo mane, hora tertia, sexta, et nona, antiquus ille Hebraicus populus designatur, qui in electis suis ac ipso mundi exordio, dum recta fide Deum studuit colere, quasi non destitit in vineæ cultura laborare. Ad undecimam vero Gentiles vocantur, quibus et dicitur: Quid hic statis tota die otiosi?

℟. Ubi est Abel frater tuus? dixit Dominus ad Cain. Nescio, Domine: numquid custos fratris mei sum ego? Et dixit ad eum: Quid fecisti? * Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. ℣. Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Ecce. Gloria. Ecce.

Nonum ℟. *dicitur in Dom. usque ad Pascha, loco Hymni* Te Deum, *qui non dicitur hoc temp. nisi in Festis.*

Ad Laudes

Ant. 1. Miserere mei Deus, et a delicto meo munda me: quia tibi soli peccavi.

Psalm. Miserere mei, *p.* 39.

2. Confitebor tibi, quoniam exaudisti me.

Psalm. Confitemini, *p.* 17.

3. Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo, quia factus es adjutor meus.

Psalm. Deus Deus meus *p.* 13.

4. Benedictus es in firmamento cœli, et laudabilis in sæcula Deus noster.

Cant. Benedicite, *p.* 14.

5. Laudate Dominum de cœlis.

Psalm. Laudate Dominum de cœlis, *p.* 14.

Capitulum. 1. *Cor.* 9.

FRATRES, Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis.

Hymnus. Æterne rerum, *p.* 15.

℣. Domine refugium factus es nobis. ℟. A generatione et progenie.

Ad Bened. Ant. Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam, dicit Dominus.

Digitized by Google

Oratio.

PRECES populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi, ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, pro tui nominis gloria misericorditer liberemur. Per Dominum.

Ad Primam.

Ant. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.

Ad Absol. Capit. Dominus autem dirigat, *p.* 21.

Ad Tertiam.

Ant. Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit, dabo vobis.

Capit. Fratres Nescitis.

℟. *br.* Inclina cor meum, Deus, * In testimonia tua. Inclina. ℣. Averte oculos meos, ne videant vanitatem, in via tua vivifica me. In testimonia tua. Gloria. Inclina. ℣. Ego dixi, Domine, miserere mei. ℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

Ad Sextam.

Ant. Quid hic statis tota die otiosi? respondérunt, et dixerunt: Quia nemo nos conduxit.

Capitulum. I. Cor. 9.

OMNIS autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.

℟. *br.* In æternum, Domine, * Permanet verbum tuum. In æternum. ℣. In sæculum sæculi veritas tua. Permanet. Gloria. In æternum. ℣. Dominus regit me, et nihil mihi deerit. ℟. In loco pascuæ ibi me collocavit.

Ad Nonam.

Ant. Voca operarios, et redde illis mercedem suam, dicit Dominus.

Capitulum. I. Cor. 10.

BIBEBANT autem de spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus; sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo.

℟. *br.* Clamavi in toto corde meo, * Exaudi me, Domine. Clamavi. ℣. Justificationes tuas requiram. Exaudi. Gloria. Clamavi. ℣. Ab occultis meis munda me, Domine. ℟. Et ab alienis parce servo tuo.

Ad Vesperas.

Ant. et Psalmi de Dominica.

Capit. Fratres Nescitis, *ut sup.*

Hymnus et ℣. *in Psalt.*

Ad Magnif. Ant. Dixit paterfamilias operariis suis: Quid hic statis tota die otiosi? At illi respondentes dixerunt: Quia nemo nos conduxit. Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit, dabo vobis.

FERIA SECUNDA

De libro Genesis.

Lectio j. Cap. 1.

ET creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum: masculum et feminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, et ait: Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus, quæ moventur super terram. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam, et cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, et universis quæ moventur in terra, et in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum. Et factum est ita. Viditque Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona. Et factum est vespere et mane, dies sextus.

℟. Dum deambularet Dominus in paradiso ad auram post meridiem, clamavit et dixit: Adam ubi es? Audivi, Domine, vocem tuam, * Et abscondi me. ℣. Vocem tuam audivi in paradiso, et timui, eo quod nudus essem. Et.

Lectio ij. Cap. 2.

IGITUR perfecti sunt cœli et terra, et omnis ornatus eorum. Com-

plevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat. Et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus ut faceret. Istæ sunt generationes cœli et terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus cœlum et terram, et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis prius quam germinaret: non enim pluerat Dominus Deus super terram, et homo non erat qui operaretur terram; sed fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terræ.

℟. In sudore vultus tui vescēris pane tuo, dixit Dominus ad Adam: cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos; * Sed spinas et tribulos germinabit tibi. ℣. Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo. Sed.

Lectio iij.

FORMAVIT igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem. Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave: lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni et mali. Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.

℟. Formavit Dominus hominem de limo terræ, * Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem. ℣. In principio fecit Deus cœlum et terram, et plasmavit in ea hominem. Et. Gloria. Et.

Ad Magnif. Ant. Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus.

FERIA TERTIA.

De libro Genesis.

Lectio j. *Cap.* 2.

TULIT ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum; præcepitque ei, dicens: Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adjutorium simile sibi.

℟. Tulit Dominus, *p.* 233.

Lectio ij.

FORMATIS igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, et universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia cœli, et omnes bestias terræ. Adæ vero non inveniabatur adjutor similis ejus.

℟. Dixit Dominus, *p.* 233.

Lectio iij.

IMMISIT ergo Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una.

℟. Immisit Dominus, *p.* 233.

Ad Magnif. Ant. Dixit autem paterfamilias: Amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum? tolle quod tuum est, et vade.

Digitized by Google

FERIA QUARTA.

De libro Genesis.

Lectio j. Cap. 3.

SED et serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi? Cui respondit mulier: De fructu liguorum, quæ sunt in paradiso, vescimur: de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, et ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum. Vidit igitur mulier quod bonum esset liguum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile: et tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo, qui comedit. Et aperti sunt oculi amborum.

℣. Plantaverat autem, *p.* 234.

Lectio ii.

CUMQUE cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata. Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam et uxor ejus a facie Domini Dei in medio ligni paradisi. Vocavitque Dominus Deus Adam, et dixit ei: Ubi es? Qui ait: Vocem tuam audivi in paradiso, et timui eo quod nudus essem, et abscondi me. Cui dixit: Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? Dixitque Adam: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi. Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Quæ respondit: Serpens decepit me, et comedi.

℣. Ecce Adam quasi, *p.* 234.

Lectio iii.

ET ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, et bestias terræ; super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus. Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos: in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. Adæ vero dixit: Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris. Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Eva, eo quod mater esset cunctorum viventium.

℣. Ubi est Abel, *p.* 234.

Ad Magnif. Ant. Tolle quod tuum est, et vade: quia ego bonus sum, dicit dominus.

FERIA QUINTA.

De libro Genesis.

Lectio j. Cap. 4.

ADAM vero cognovit uxorem suam Evam, quæ concepit et peperit Cain, dicens: Possedi hominem per Deum. Rursumque peperit fratrem ejus Abel. Fuit autem Abel pastor ovium, et Cain agricola. Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum: et respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus. Ad Cain vero et ad munera illius non respexit: iratusque est Cain vehementer, et concidit vultus ejus. Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es? et cur con-

Digitized by Google

cidit facies tua? Nonne, si bene egeris, recipies? sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius.

℣. In principio, *p.* 232.

Lectio ij.

DIXITQUE Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, et interfecit eum. Et ait Dominus ad Cain: Ubi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio; num custos fratris mei sum ego? Dixitque ad eum: Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus et profugus eris super terram.

℣. In principio, *p.* 232.

Lectio iii.

DIXITQUE Cain ad Dominum: Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. Ecce ejicis me hodie a facie terræ, et a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra. Omnis igitur qui invenerit me, occidet me. Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita fiet: sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur. Posuitque Dominus Cain signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum. Egressusque Cain a facie Domini, habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden.

℣. Formavit Dominus, *p.* 232.

Ad Magnif. Ant. Non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum, dicit Dominus?

FERIA SEXTA.

De libro Genesis.

Lectio j. Cap. 4.

COGNOVIT autem Cain uxorem suam, quæ concepit et peperit Enoch: et ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui, Enoch. Porro Enoch genuit Irad, et Irad genuit Maviael, et Maviael genuit Mathusael, et Mathusael genuit Lamech. Qui accepit duas uxores: nomen uni Ada, et nomen alteri Sella. Genuitque Ada Jabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum. Et nomen fratris ejus Jubal; ipse fuit pater canentium cithara et organo. Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator et faber in cuncta opera æris et ferri. Soror vero Tubalcain, Noema.

℣. Tulit Dominus, *p.* 233.

Lectio ij.

DIXITQUE Lamech uxoribus suis Adæ et Sellæ: Audite vocem meam, uxores Lamech, auscultate sermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, et adolescentulum in livorem meum, septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies. Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam, et peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. Sed et Seth natus est filius, quem vocavit Enos: iste cœpit invocare nomen Domini.

℣. Dixit Dominus, *p.* 233.

Lectio iij. Cap. 5.

HIC est liber generationis Adam in die, qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum. Masculum et feminam creavit eos, et benedixit illis, et vocavit nomen eorum Adam in die quo creati sunt. Vixit autem Adam centum triginta annis, et genuit ad imaginem et similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth. Et facti sunt dies Adam, postquam genuit Seth, octingenti anni, genuitque filios et filias. Et factum est omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta, et mortuus est.

℣. Immisit Dominus, *p.* 233.

Digitized by Google

SABBATO.

De libro Genesis.

Lectio j. Cap. 5.

VIXIT autem Malaleel sexaginta quinque annis, et genuit Jared. Et vixit Malaleel postquam genuit Jared, octingentis triginta annis: et genuit filios et filias. Et facti sunt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta quinque anni, et mortuus est. Vixitque Jared centum sexaginta duobus annis, et genuit Enoch. Et vixit Jared postquam genuit Enoch, octingentis annis, et genuit filios et filias. Et facti sunt omnes dies Jared nongenti sexaginta duo anni, et mortuus est. Porro Enoch vixit sexaginta quinque annis, et genuit Mathusalam.

℟. Plantaverat autem, *p.* 234.

Lectio ij.

ET ambulavit Enoch cum Deo: et vixit postquam genuit Mathusalam, trecentis annis, et genuit filios et filias. Et facti sunt omnes dies Enoch trecenti sexaginta quinque anni. Ambulavitque cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus. Vixit quoque Mathusala centum octoginta septem annis, et genuit Lamech. Et vixit Mathusala postquam genuit Lamech, septingentis octoginta duobus annis, et genuit filios et filias. Et facti sunt omnes dies Mathusala nongenti sexaginta novem anni, et mortuus est.

℟. Ecce Adam quasi, *p.* 234.

Lectio iij.

VIXIT autem Lamech centum octoginta duobus annis, et genuit filium, vocavitque nomen ejus Noe, dicens: iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra cui maledixit Dominus. Vixitque Lamech postquam genuit Noe, quingentis nonaginta quinque annis: et genuit filios et filias. Et facti sunt omnes dies Lamech, septingenti septuaginta septem anni, et mortuus est.

℟. Ubi est Abel, *p.* 234.

SABBATO

ante Sexagesimam.

Ad Vesperas.

Capitulum. 2. Cor. 11.

FRATRES, Libenter sufferti insipientes, cum sitis ipsi sapientes: sustinetis enim si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit.

Hymnus et ℣. *de Psalt.*, p. 99.

Ad Magnif. Ant. **Dixit Dominus ad Noe: Finis universæ carnis venit coram me: fac tibi arcam de lignis lævigatis, ut salvetur universum semen in ea.**

Orat. ut infra in Laudibus.

DOM. IN SEXAGES.

Ad Matutinum.

Invit. **Præoccupemus faciem Domini: * Et in psalmis jubilemus ei.**

Psalm. **Venite exultemus,** *p.* **1.**

In j. *versu Psalm. omittitur* Præoccupemus faciem, etc., *et ejus loco repetitur a Choro Invit.*

Hymnus **Primo die quo,** *p.* **2.**

Ant. Psalmi et ℣℣. *de Psalt.*

IN I. NOCTURNO.

De libro Genesis.

Lectio j. Cap. 5. et 6.

NOE vero cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham et Japheth. Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, et filias procreassent, videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant. Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum. Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes a sæculo viri famosi.

℟. Dixit Dominus ad Noe: Finis

Digitized by Google

universæ carnis venit coram me : repleta est terra iniquitate eorum : * Et ego disperdam eos cum terra. ℣. Fac tibi arcam de lignis lævigatis, mansiunculas in ea facies. Et.

Lectio ij.

VIDENS autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus : Delebo, inquit, hominem quem creavi, a facie terræ, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cœli : pœnitet enim me fecisse eos. Noe vero invenit gratiam coram Domino.

℣. Noe vir justus atque perfectus cum Deo ambulavit : * Et fecit omnia quæcumque præcepit ei Deus. ℣. Fecit sibi arcam, ut salvaretur universum semen. Et.

Lectio iij.

HÆ sunt generationes Noe : Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis; cum Deo ambulavit. Et genuit tres filios Sem, Cham et Japheth. Corrupta est autem terra coram Deo, et repleta est iniquitate. Cumque vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram) dixit ad Noe : Finis universæ carnis venit coram me : repleta est terra iniquitate a facie eorum, et ego disperdam eos cum terra. Fac tibi arcam de lignis lævigatis : mansiunculas in arca facies, et bitumine linies intrinsecus et extrinsecus. Et sic facies eam : Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, et triginta cubitorum altitudo illius.

℣. Quadraginta dies et noctes aperti sunt cæli, et ex omni carne habente spiritum vitæ ingressa sunt in arcam : * Et clausit a foris ostium Dominus. ℣. In articulo diei illius ingressus est Noe in arcam, et filii ejus, et uxor illius, et uxores filiorum ejus. Et. Gloria. Et.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Ambrosii Episcopi de Noe et Arca.

Cap. 4. circa medium.

Lectio iv.

HABES quia iratus Dominus est: quoniam quamvis cogitaret, hoc est, sciret quia homo positus in terræ regione, carnem portans, sine peccato esse non possit, (terra enim velut quidam tentationum locus est, caroque corruptelæ illecebra) tamen cum haberent mentem rationis capacem, virtutemque animæ infusam corpori, sine consideratione aliqua in lapsum ruerunt, ex quo revocare se nollent. Neque enim Deus cogitat sicut homines, ut aliqua ei nova succedat sententia, neque irascitur quasi mutabilis : sed ideo hæc leguntur, ut exprimatur peccatorum nostrorum acerbitas, quæ divinam meruerit offensam: tanquam eo usque increverit culpa, ut etiam Deus, qui naturaliter non movetur aut ira, aut odio, aut passione ulla, provocatus videatur ad iracundiam.

℣. Ædificavit Noe altare Domino, offerens super illud holocaustum, odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et benedixit ei, dicens : * Crescite, et multiplicamini, et replete terram. ℣. Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, et cum semine vestro post vos. Crescite.

Lectio v.

MINITATUS est præterea quod deleret hominem. Ab homine, inquit, usque ad pecus, et a reptilibus usque ad volatilia delebo. Quid læserant irrationabilia ? Sed quia propter hominem illa facta erant, eo utique deleto propter quem facta sunt, consequens erat ut etiam illa delerentur, quia non erat qui his uteretur. Sensu autem altiore illud manifestatur, quia homo mens est, quæ est rationis capax. Homo enim definitur animal vivum, mortale, rationabile. Principali igitur extincto, e-

Digitized by Google

tiam sensus omnis extinguitur, eo quod nihil reliqui ad salutem supersit, cum salutis fundamentum virtus defecerit.

℟. Ponam arcum meum in nubibus cœli, dixit Dominus ad Noe: * Et recordabor fœderis mei quod pepigi tecum. ℣. Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus. Et.

Lectio vj.

AD condemnationem autem cæterorum, et ad expressionem pietatis divinæ, dicitur Noe apud Deum gratiam invenisse. Simul ostenditur quod hominem justum non obumbret aliorum offensio, quando ipse ad totius generis reservatur seminarium. Qui non generationis nobilitate, sed justitiæ et perfectionis merito laudàtur. Probati enim viri genus virtutis prosapia est, quia sicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes sunt. Etenim familiæ hominum splendore generis nobilitantur, animarum autem clarificatur gratia splendore virtutis.

℟. Per memetipsum juravi, dicit Dominus, non adjiciam ultra aquas diluvii super terram: pacti mei recordabor, * Ut non perdam aquis diluvii omnem carnem. ℣. Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum fœderis inter me et inter terram. Ut. Gloria. Ut.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 8.

IN illo tempore: Cum turba plurima convenirent, et de civitatibus properarent ad Jesum, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat seminare semen suum. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homil. 15. *in Evangelia.*

LECTIO sancti Evangelii, quam modo, fratres charissimi, audistis, expositione non indiget, sed admonitione. Quam enim per semetipsam veritas exposuit, hanc discutere humana fragilitas non præsumat. Sed est quod sollicite in hac ipsa expositione Dominica pensare debeamus: quia si nos vobis semen verbum, agrum mundum, volucres dæmonia, spinas divitias significare diceremus, ad credendum nobis mens forsitan vestra dubitaret. Unde et idem Dominus per semetipsum dignatus est exponere quod dicebat, ut sciatis rerum significationes quærere in iis etiam quæ per semetipsum noluit explanare.

℟. Benedixit Deus Noe et filiis ejus, et dixit ad eos. * Crescite, et multiplicamini, et replete terram. ℣. Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, et cum semine vestro post vos. Crescite.

Lectio viij

EXPONENDO ergo quod dixit, figurate se loqui innotuit: quatenus certos nos redderet, cum vobis nostra fragilitas verborum illius figuras aperiret. Quis enim mihi unquam crederet, si spinas divitias interpretari voluissem? maxime cum illæ pungant, istæ delectent. Et tamen spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, et cum usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant. Quas bene hoc in loco, alio Evangelista testante, nequaquam Dominus divitias, sed fallaces divitias appellat.

℟. Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, et cum semine vestro post vos: * Neque erit deinceps diluvium dissipans terram. ℣. Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum fœderis inter me et inter terram. Neque.

Lectio. ix.

FALLACES enim sunt, quæ nobiscum diu permanere non possunt: fallaces sunt, quæ mentis nostræ inopiam non expellunt. Solæ autem divitiæ veræ sunt, quæ nos divites virtutibus faciunt. Si ergo,

Digitized by Google

fratres charissimi, esse divites cupitis, veras divitias amate. Si culmen veri honoris quæritis, ad cœleste regnum tendite. Si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna Angelorum curia adscribi festinate. Verba Domini quæ aure percipitis, mente retinete. Cibus enim mentis est sermo Dei: et quasi acceptus cibus stomacho languente rejicitur, quando auditus seruno in ventre memoriæ non tenetur. Sed quisquis alimenta non retinet, hujus profecto vita desperatur.

℟. Cum turba plurima convenirent ad Jesum, et de civitatibus properarent ad eum, divit per similitudinem: * Exiit qui seminat seminare semen suum. ℣. Et dum seminat, aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum. Exiit. Gloria. Exiit.

Infra Hebd. Feria iv, *et Sabbato, loco hujus* ℟. *dicitur* ℟. j. *Feriæ* ij. *seq.*

Ad Laudes

Ant. 1. Secundum magnam misericordiam tuam miserere mei, Deus.

Psalm, Miserere mei Deus, *p.* 39.

2. Si mihi Dominus Salvator fuerit, non timebo quid faciat mihi homo.

Psalm. Confitemini, *p.* 17.

3. In velamento clamavi valde diluculo: Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.

Psalm. Deus Deus meus, *p.* 13,

4. Hymnum dicamus Domino Deo nostro.

Cant. Benedicite, *p.* 14.

5. In tympano et choro, in chordis et organo laudate Deum.

Psalm. Laudate Domino de cœlis, *p.* 14.

Capitulum. 2. Cor. 11.

FRATRES, Libenter suffertis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes: sustinetis enim si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit.

Hymnus Æterne rerum, p. 15.

℣. Domine, refugium factus es nobis. ℟. A generatione et progenie.

Ad Bened. Ant. Cum turba plurima convenirent ad Jesum, et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat seminare semen suum.

Oratio.

DEUS, qui conspicis quia ex nulla nostra actione confidimus, concede propitius, ut contra adversa omnia Doctoris Gentium protectione muniamur. Per Domin.

Ad Horas ℟℟. *br. ut. in Psalt.*

Ad Primam.

Ant. Semen cecidit in terram bonam, et attulit fructum in patientia.

Ad Tertiam.

Ant. Qui verbum Dei retinent corde perfecto et optimo, fructum afferunt in patientia.

Capit. Fratres Libenter.

Ad Sextam.

Ant. Semen cecidit in terram bonam, et attulit fructum, aliud centesimum, et aliud sexagesimum.

Capitulum. 2. Cor. 11.

TER virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui.

Ad Nonam.

Ant. Si vere, fratres, divites esse cupitis, veras divitias amate.

Capitulum. 2. Cor. 12.

LIBENTER igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.

Ad Vesperas.

Ant. et Psalmi de Dominica.

Capit. Fratres Libenter, *ut sup.*

Hymnus et ℣. *ut in Psalt.*

Ad Magnif. Ant. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris

Digitized by Google

autem in parabolis, dixit Jesus discipulis suis.

FERIA SECUNDA.

De libro Genesis.

Lectio j. Cap. 7.

DIXIT Dominus ad Noe: Ingredere tu, et omnis domus tua in arcam: te enim vidi justum coram me in generatione hac. Ex omnibus animantibus mundis tolles septena et septena, masculum et feminam; de animantibus vero immundis duo et duo, masculum et feminam. Sed et de volatilibus cœli, septena et septena, masculum et feminam, ut salvetur semen super faciem universæ terræ. Adhuc enim et post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et delebo omnem substantiam quam feci de superficie terræ.

℟. In articulo diei illius ingressus est Noe in arcam, et filii ejus, * Uxor illius, et uxores filiorum ejus. ℣. Deleta sunt universa de terra, remansit autem solus Noe, et qui cum eo erant in arca. Uxor.

Lectio ij.

FECIT ergo Noe omnia quæ mandaverat ei Dominus. Cumque transissent septem dies, aquæ diluvii inundaverunt super terram. Anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimo decimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cœli apertæ sunt: et facta est pluvia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus.

℟. Recordatus Dominus Noe, adduxit spiritum super terram, et imminutæ sunt aquæ; * Et prohibitæ sunt pluviæ de cœlis. ℣. Reversæque sunt aquæ de terra euntes et redeuntes cœperunt minui post centum quinquaginta dies. Et.

Lectio iij.

IN articulo diei illius ingressus est Noe, et Sem, et Cham, et Japheth filii ejus, uxor illius, et tres uxores filiorum ejus cum eis in arcam: ipsi et omne animal secundum genus suum, universaque jumenta in genere suo, et omne quod movetur super terram in genere suo; cunctumque volatile secundum genus suum. Factumque est diluvium quadraginta diebus super terram, et multiplicatæ sunt aquæ, et elevaverunt arcam in sublime a terra.

℟. Quadraginta dies et noctes apertí sunt cœli, et ex omni carne habente spiritum vitae ingressa sunt in arcam: * Et clausit a foris ostium Dominus. ℣. In articulo diei illius ingressus est Noe in arcam, et filii ejus, et uxor illius, et uxores filiorum ejus. Et. Gloria. Et.

Ad Magnif, Ant. Si culmen veri honoris quæritis, ad illam cœlestem patriam quantocyus properate.

FERIA TERTIA.

De libro Genesis.

Lectio j. Cap. 8.

RECORDATUS autem Deus Noe, cunctorumque animantium, et omnium jumentorum, quae erant cum eo in arca, adduxit spiritum super terram, et imminutæ sunt aquæ. Et clausi sunt fontes abyssi, et cataractæ cœli, et prohibitæ sunt pluviæ de cœlo. Reversæque sunt aquæ de terra euntes et redeuntes, et cœperunt minui post centum quinquaginta dies. Requievitque arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis, super montes Armeniæ.

℟. Ædificavit Noe, *p.* 240.

Lectio ij.

AT vero aquæ ibant et decrescebant usque ad decimum mensem: decimo enim mense, prima die mensis, apparuerunt cacumina montium. Cumque transissent quadraginta dies, aperiens Noe fenestram arcæ quam fecerat, dimisit corvum; qui egrediebatur, et non revertebatur, donec siccarentur aquæ super terram. Dimisit quoque columbam post eum, ut

Digitized by Google

videret si jam cessassent aquæ super faciem terræ. Quæ cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam.

℟. Ponam arcum, *p.* 241.

Lectio iij.

EXPECTATIS autem ultra septem diebus aliis, rursum dimisit columbam ex arca. At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. Intellexit ergo Noe quod cessassent aquæ super terram. Expectavitque nihilominus septem alios dies, et emisit columbam, quae non est reversa ultra ad eum. Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis imminutæ sunt aquæ super terram.

℟. Per memetipsum, *p.* 241.

Ad Magnif. Ant. Semen est verbum Dei, sator autem Christus: omnis qui invenit eum, manebit in æternum.

FERIA QUARTA.

De libro Genesis.

Lectio j. Cap. 8.

LOCUTUS est autem Deus ad Noe, dicens: Egredere de arca tu et uxor tua, filii tui et uxores filiorum tuorum tecum. Cuncta animantia quæ sunt apud te, ex omni carne, tam in volatilibus, quam in bestiis, et universis reptilibus quæ reptant super terram, educ tecum, et ingredimini super terram; crescite et multiplicamini super eam. Egressus est ergo Noe et filii ejus, uxor illius et uxores filiorum ejus cum eo. Sed et omnia animantia, jumenta, et reptilia quæ reptant super terram secundum genus suum, egressa sunt de arca.

℟. Benedixit Deus, *p.* 241.

Lectio ij.

ÆDIFICAVIT autem Noe altare Domino, et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et ait: Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines: sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, sicut feci. Cunctis diebus terræ, sementis et messis, frigus et æstus, æstas et hiems, nox et dies, non requiescent.

℟. Ecce ego statuam, *p.* 241.

Lectio iij. Cap. 9.

BENEDIXITQUE Deus Noe et filiis ejus, et dixit ad eos: Crescite, et multiplicamini, et replete terram. Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, et super omnes volucres cœli, cum universis quae moventur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt. Et omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum; quasi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum: et de manu hominis, de manu viri et fratris ejus, requiram animam hominis. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo.

℣. In articulo dici illius ingressus est Noe in arcam, et filii ejus, * Uxor illius, et uxores filiorum ejus. ℟. Deleta sunt universa de terra, remansit autem solus Noe, et qui cum eo erant in arca. Uxor. Gloria. Uxor.

Ad Magnif. Ant. Quod autem cecidit in terram bonam, hi sunt qui in corde bono et optimo fructum afferunt in patientia.

Si prædictæ Ant. ad Magnif. *non potuerint dici in præced. Feriis; et in seq. Feria* v. *occurrat fieri Offic. de Feria, dicatur ultima ex iis prætermissa: alioquin, expletis omnibus, sumantur de Psalt.*

FERIA QUINTA.

De libro Genesis.

Digitized by Google

Lectio j. Cap. 9.

DIXITQUE Deus : Hoc signum fœderis quod do inter me et vos, et ad omnem animam viventem quæ est vobiscum, in generationes sempiternas : Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum fœderis inter me et inter terram. Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus ; et recordabor fœderis mei vobiscum, et cum omni anima vivente, quæ carnem vegetat : et non erunt ultra aquæ diluvii ad delendum universam carnem.

℟. Dixit Dominus, *p.* 234.

Lectio ii.

COEPITQUE Noe vir agricola exercere terram, et plantavit vineam. Bibensque vinum inebriatus est, et nudatus in tabernaculo suo. Quod cum vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis foras. At vero Sem et Japheth pallium imposuerunt humeris suis, et incedentes retrorsum operuerunt verenda patris sui ; faciesque eorum aversæ erant, et patris virilia non viderunt.

℟. Noe vir justus, *p.* 240.

Lectio iij.

EVIGILANS autem Noe ex vino, cum didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, ait : Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis. Dixitque : Benedictus Dominus Deus Sem ; sit Chanaan servus ejus. Dilatet Deus Japheth, et habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus. Vixit autem Noe post diluvium trecentis quinquaginta annis. Et impleti sunt omnes dies ejus nongentorum quinquaginta annorum, et mortuus est.

℟. Quadraginta dies, *p.* 240.

FERIA SEXTA

De libro Genesis.

Lectio j. Cap. 10.

HÆ sunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham, et Japhet : natique sunt eis filii post diluvium. Filii Japheth Gomer, et Magog, et Madai, et Javan, et Thubal, et Mosoch, et Thiras. Porro filii Gomer Ascenez, et Riphath, et Thogorma. Filii autem Javan Elisa et Tharsis, Cethim et Dodanim. Ab his divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam, et familias suas in nationibus suis. Filii autem Cham, Chus, et Mesraim, et Phuth, et Chanaan.

℟. Ædificavit Noe, *p.* 240.

Lectio ij. Cap. 11.

ERAT autem terra labii unius et sermonum eorumdem. Cumque proficiscerentur de Oriente, invenerunt campum in terra Sennaar, et habitaverunt in eo. Dixitque alter ad proximum suum : Venite, faciamus lateres, et coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis, et bitumen pro cæmento, et dixerunt : Venite, faciamus nobis civitatem, et turrim, cujus culmen pertingat ad cælum : et celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras.

℟. Ponam arcum, *p.* 241.

Lectio iij.

DESCENDIT autem Dominus ut videret civitatem et turrim, quam ædificabant filii Adam, et dixit : Ecce unus est populus, et unum labium omnibus, cœperuntque hoc facere nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus, et confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, et cessaverunt ædificare civitatem.

℟. Per memetipsum, *p.* 241.

SABBATO.

De libro Genesis.

Lectio j. Cap. 11.

HÆ sunt generationes Sem. Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio post di-

luvium. Vixitque Sem postquam genuit Arphaxad, quingentis annis, et genuit filios et filias. Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, et genuit Sale. Vixitque Arphaxad postquam genuit Sale, trecentis tribus annis, et genuit filios et filias. Sale quoque vixit triginta annis, et genuit Heber. Vixitque Sale postquam genuit Heber, quadringentis tribus annis, et genuit filios et filias.

℟. Benedixit Deus, *p.* 241.

Lectio ij.

VIXIT autem Heber triginta quatuor annis, et genuit Phaleg. Et vixit Heber postquam genuit Phaleg, quadringentis triginta annis, et genuit filios et filias. Vixit quoque Phaleg triginta annis, et genuit Reu. Vixitque Phaleg postquam genuit Reu, ducentis novem annis, et genuit filios et filias. Vixit autem Reu triginta duobus annis, et genuit Sarug. Vixit quoque Reu postquam genuit Sarug, ducentis septem annis, et genuit filios et filias. Vixit vero Sarug triginta annis, et genuit Nachor. Vixitque Sarug postquam genuit Nachor, ducentis annis, et genuit filios et filias.

℟. Ecce ego statuam, *p.* 241.

Lectio iij.

VIXIT autem Nachor viginti novem annis, et genuit Thare. Vixitque Nachor postquam genuit Thare, centum decem et novem annis, et genuit filios et filias. Vixitque Thare septuaginta annis, et genuit Abram, et Nachor, et Aran. Hæ sunt autem generationes Thare: Thare genuit Abram, Nachor, et Aran. Porro Aran genuit Lot. Mortuusque est Aran ante Thare patrem suum, in terra nativitatis suæ in Ur Chaldæorum. Duxerunt autem Abram et Nachor uxores: nomen uxoris Abram, Sarai; et nomen uxoris Nachor, Melcha filia Aran patris Melchæ, et patris Jeschæ. Erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos.

℟. In articulo diei, *p.* 243.

SABBATO

ante Quinquagesimam.

Capitulum. 1. Cor. 13.

FRATRES, Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.

Hymnus et ℣. de Psalt., p. 99.

Ad magnif. Ant. Pater fidei nostræ Abraham summus obtulit holocaustum super altare pro filio.

Oratio ut infra in Laudibus.

DOM. IN QUINQUAG.

Ad Matutinum.

Invit. Præoccupemus faciem Domini: * Et in psalmis jubilemus ei.

Psalm. Venite exultemus, *p.* 1.

In j *versu Psalmi omittitur* Præoccupemus faciem, etc. *et ejus loco repetitur a Choro Invit.*

Hymnus Primo die quo, *p.* 2,

Ant. Psalmi et ℣℣. de Psalt.

IN I. NOCTURNO.

De libro Genesis.

Lectio i. Cap. 12.

DIXIT autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui et veni in terram quam monstrabo tibi: faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ. Egressus est itaque Abram, sicut præceperat ei Dominus, et ivit cum eo Lot. Septuaginta quinque annorum erat Abram, cum egrederetur de Haran. Tulitque Sarai uxorem suam, et Lot filium fratris sui, universamque substantiam quam possederant, et animas quas fecerant in Haran; et egressi sunt ut irent in terram Chanaan. Cumque venissent in eam, pertransivit Abram terram usque ad locum Sichem, usque ad convallem il-

Digitized by Google

lustrem : Chananæus autem tunc erat in terra.

℟. Locutus est Dominus ad Abram, dicens : Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram quam monstravero tibi : * Et faciam te in gentem magnam. ℣. Benedicens benedicam tibi et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Et.

Lectio ij.

APPARUIT autem Dominus Abram, et dixit ei : Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificavit ibi altare Domino, qui apparuerat ei. Et inde transgrediens ad montem, qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ab occidente habens Bethel, et ab oriente Hai. Ædificavit quoque ibi altare Domino, et invocavit nomen ejus. Perrexitque Abram vadens, et ultra progrediens ad meridiem. Facta est autem fames in terra, descenditque Abram in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi : prævaluerat enim fames in terra. Cumque prope esset ut ingrederetur Ægyptum, dixit Sarai uxori suæ : Novi quod pulchra sis mulier, et quod cum viderint te Ægyptii, dicturi sunt : Uxor ipsius est ; et interficient me, et te reservabunt. Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis, ut bene sit mihi propter te et vivat anima mea ob gratiam tui.

℟. Dum staret Abraham ad ilicem Mambre, vidit tres viros ascendentes per viam : * Tres vidit, et unum adoravit. ℣. Ecce Sara uxor tua pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Isaac. Tres.

Lectio iij.

CUM itaque ingressus esset Abram Ægyptum, viderunt Ægyptii mulierem quod esset pulchra nimis. Et nuntiaverunt principes Pharaoni, et laudaverunt eam apud illum ; et sublata est mulier in domum Pharaonis. Abram vero bene usi sunt propter illam : fueruntque ei oves et boves, et asini, et servi, et famulæ, et asinæ, et cameli. Flagellavit autem Dominus Pharaonem plagis maximis. et domum ejus, propter Sarai uxorem Abram. Vocavitque Pharao Abram, et dixit ei : Quidnam est hoc quod fecisti mihi ? Quare non indicasti quod uxor tua esset ? Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, ut tollerem eam mihi in uxorem ? Nunc igitur ecce conjux tua, accipe eam, et vade.

℟. Tentavit Dominus Abraham, et dixit ad eum : * Tolle filium tuum, quem diligis, Isaac, et offer illum ibi in holocaustum super unum montium, quem dixero tibi. ℣. Vocatus quoque a Domino, respondit, Adsum : et ait ei Dominus. Tolle. Gloria. Tolle.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro S. Ambrosii Episcopi de Abraham Patriarcha.

Lectio iv. Lib. I. Cap. 2.

MAGNUS plane vir Abraham, et multarum virtutum clarus insignibus, quem votis suis Philosophia non potuit æquare : denique minus est quod illa finxit, quam quod iste gessit, majorque ambitioso eloquentiæ mendacio simplex veritatis fides. Itaque cujusmodi fuerit in eo viro devotio, consideremus. Ea enim virtus ordine prima est, quæ est fundamentum cæterarum : meritoque hanc ab eo primam exegit Deus, dicens : Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui. Satis fuerat dixisse, De terra tua; ibi enim erat exire de cognatione, exire de paterna domo.

℟. Angelus Domini vocavit Abraham, dicens : * Ne extendas manum tuam super puerum, eo quod timeas Dominum. ℣. Cumque extendisset manum ut immolaret filium, ecce Angelus Domini de cœlo clamavit, dicens. Ne.

Lectio v.

SED ideo addidit singula, ut ejus affectum probaret : ne forte aut imprudenter cœpisse videretur, aut fraus aliqua mandatis cœlestibus pararetur. Sed sicut concervanda fuerunt præcepta, ne quid lateret ; ita etiam proponenda præmia, ne forte despe-

Digitized by Google

raret. Tentatur ut fortis, incitatur ut fidelis, provocatur ut justus, meritoque exivit, quemadmodum locutus est illi Dominus. Et exivit cum eo Lot. Hoc autem, quod pro magno inter septem Sapientum dicta celebratur, Sequere Deum, perfecit Abraham, factoque Sapientum dicta prævenit, et secutus Deum exivit de terra sua.

℟. Vocavit Angelus Domini Abraham de cœlo secundo, dicens: Benedicam tibi, * Et multiplicabo te sicut stellas cœli. ℣. Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum, et benedicentur in semine tuo omnes tribus terræ. Et.

Lectio vj.

SED quia ante terra ei fuerat alia, hoc est, regio Chaldæorum, de qua exivit Thare pater Abrahæ, et in Charran demigravit; et quia secum eduxit nepotem suum, cui dictum fuerat: Exi de cognatione tua, consideremus ne forte hoc sit exire de terra sua, de hujus terræ, hoc est, de corporis nostri quadam commoratione egredi, de qua exiit Paulus, qui dixit: Nostra autem conversatio in cœlis est.

℟. Deus domini mei Abraham, dirige viam meam, * Ut cum salute revertar in domum domini mei. ℣. Obsecro, Domine, fac misericordiam cum servo tuo, Ut. Gloria. Ut.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 18.

IN illo tempore: Assumpsit Jesus duodecim, et ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homil 2. *in Evangelia.*

REDEMPTOR noster prævidens ex passione sua discipulorum animos perturbandos, eis longe ante et ejusdem passionis pœnam, et resurrectionis suæ gloriam prædixit: ut cum eum morientem, sicut prædictum est, cernerent, etiam resurrecturum non dubitarent. Sed quia carnales adhuc discipuli nullo modo valebant capere verba mysterii, venitur ad miraculum. Ante eorum oculos cæcus lumen recepit, ut qui cœlestis mysterii verba non caperent, eos ad fidem cœlestia facta solidarent.

℟. Veni hodie ad fontem aquæ, et oravi Dominum, dicens: * Domine Deus Abraham, tu prosperum fecisti desiderium meum. ℣. Igitur puella, cui dixero: Da mihi aquam de hydria tua ut bibam, et illa dixerit: Bibe, domine, et camelis tuis potum tribuam: ipsa est quam præparavit Dominus filio domini mei. Domine.

Lectio viij.

SED miracula Domini et Salvatoris nostri sic accipienda sunt, fratres charissimi, ut et in veritate credantur facta, et tamen per significationem nobis aliquid innuant. Opera quippe ejus et per potentiam aliud ostendunt, et per mysterium aliud loquuntur. Ecce enim quis juxta historiam cæcus iste fuerit, ignoramus: sed tamen quid per mysterium significet, novimus. Cæcum quippe est genus humanum, quod in parente primo a paradisi gaudiis expulsum, claritatem supernæ lucis ignorans damnationis suæ tenebras patitur. Sed tamen per Redemptoris sui præsentiam illuminatur, ut internæ lucis gaudia jam per desiderium videat, atque in via vitæ boni operis gressus ponat.

℟. Factus est sermo Domini ad Abram dicens: * Noli timere, Abram: ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis. ℣. Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum. Noli.

Lectio ix.

NOTANDUM vero est quod cum Jesus Jericho appropinquare dicitur, cæcus illuminatur. Jericho quippe luna interpretatur: luna autem in

Digitized by Google

sacro eloquio pro defectu carnis ponitur, quia dum menstruis momentis decrescit, defectum nostræ mortalitatis designat. Dum igitur Conditor noster appropinquat Jericho, cæcus ad lumen redit: quia dum divinitas defectum nostræ carnis suscepit, humanum genus lumen, quod amiserat, recepit. Unde enim Deus humana patitur, inde homo ad divina sublevatur. Qui videlicet cæcus recte et juxta viam sedere, et mendicans esse describitur. Ipsa enim veritas dicit: Ego sum via.

℟. Cæcus sedebat secus viam, transeunte Domino, et clamavit ad eum. Et ait illi Dominus: * Quid vis ut faciam tibi? * Domine, ut videam lumen. ℣. Stans autem Jesus jussit illum duci ad se, et cum appropinquasset, interrogavit eum, dicens. Quid vis. Gloria. Domine.

Infra Hebd. Feria iv. *et Sabbato, loco hujus* ℟. *dicitur* ℟. j. *Feriæ* ij. *seq.*

Ad Laudes

Ant. 1. Secundum multitudinem miserationum tuarum, Domine, dele iniquitatem meam.

Psalm. Miserere mei, *p.* 39.

2. Deus meus es tu, et confitebor tibi: Deus meus es tu, et exaltabo te.

Psalm. Confitemini, *p.* 17.

3. Ad te de luce vigilo, Deus, ut videam virtutem tuam.

Psalm. Deus Deus meus, *p.* 13.

4. Hymnum dicite, et superexaltate eum in sæcula.

Cant. Benedicite, *p.* 14.

5. Omnes Angeli ejus, laudate Dominum de cœlis.

Psalm: Laudate Dominum de cœlis, *p.* 14.

Capitulum. I. Cor. 13.

FRATRES, Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.

Hymnus Æterne rerum *p.* 15.

℣. Domine refugium factus es nobis. ℟. A generatione et progenie.

Ad Bened. Ant. Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt de Filio hominis: tradetur enim Gentibus, et illudetur, et conspuetur; et postquam flagellaverint, occident eum, et tertia die resurget.

Oratio.

PRECES nostras, quæsumus, Domine, clementer exaudi, atque a peccatorum vinculis absolutos ab omni nos adversitate custodi. Per Dominum.

Ad Horas ℟℟. *br. ut in Psalt.*

Ad Primam.

Ant. Iter faciente Jesu, dum appropinquaret Jericho, cæcus clamabat ad eum, ut lumen recipere mereretur.

Ad Tertiam.

Ant. Transeunte Domino, clamabat cæcus ad eum: Miserere mei fili David.

Capit. Fratres si linguis.

Ad Sextam.

Ant. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret: ipse vero multo magis clamabat: Miserere mei, fili David.

Capitulum. I. Cor. 13.

CHARITAS nunquam excidit; sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus.

Ad Nonam.

Ant. Cæcus magis ac magis clamabat, ut eum Dominus illuminaret.

Capitulum. I. Cor. 13.

NUNC autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.

Ad Vesperas.

Ant. et Psalmi de Dominica.

Capit. Fratres si linguis.

Digitized by Google

Hymnus et ℣. ut in Psalt.

Ad Magnif. Ant. Stans autem Jesus jussit cæcum adduci ad se, et ait illi: Quid vis ut faciam tibi? Domine, ut videam. Et Jesus ait illi: Respice, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, et sequebatur illum, magnificans Deum.

FERIA SECUNDA.

De libro Genesis.

Lectio j. Cap. 13.

ASCENDIT ergo Abram de Ægypto ipse et uxor ejus, et omnia quæ habebat, et Lot cum eo, ad australem plagam. Erat autem dives valde in possessione auri et argenti. Reversusque est per iter quo venerat, a Meridie in Bethel, usque ad locum ubi prius fixerat tabernaculum inter Bethel et Hai, in loco altaris quod fecerat prius, et invocavit ibi nomen Domini. Sed et Lot, qui erat cum Abram, fuerunt greges ovium, et armenta, et tabernacula. Nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul: erat quippe substantia eorum multa, et nequibant habitare communiter.

℟. Movens Abram tabernaculum suum, venit et habitavit juxta convallem Mambre: * Ædificavitque ibi altare Domino. ℣. Dixit autem Dominus ad eum: Leva oculos tuos, et vide: omnem terram quam conspicis, tibi dabo, et semini tuo in sempiternum. Ædificavitque.

Lectio ij.

UNDE et facta est rixa inter pastores gregum Abram et Lot. Eo autem tempore Chananæus et Pherezæus habitabant in terra illa. Dixit ergo Abram ad Lot: Ne, quæso, sit jurgium inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos; fratres enim sumus. Ecce universa terra coram te est; recede a me obsecro. Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. Elevatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur, antequam subverteret Dominus Sodomam et Gomorrham, sicut paradisus Domini et sicut Ægyptus venientibus in Segor. Elegitque sibi Lot regionem circa Jordanem, et recessit ab Oriente.

℟. Credidit Abram Deo, et reputatum est ei ad justitiam: * Et ideo amicus Dei factus est. ℣. Fuit autem justus coram Domino, et ambulavit in viis ejus. Et.

Lectio iij.

DIVISIQUE sunt alterutrum a fratre suo. Abram habitavit in terra Chanaan; Lot vero moratus est in oppidis quæ erant circa Jordanem, et habitavit in Sodomis. Homines autem Sodomitæ pessimi erant, et peccatores coram Domino nimis. Dixitque Dominus ad Abram postquam divisus est ab eo Lot: Leva oculos tuos, et vide a loco in quo nunc es, ad Aquilonem et Meridiem, ad Orientem et Occidentem: omnem terram quam conspicis, tibi dabo, et semini tuo usque in sempiternum. Faciamque semen tuum sicut pulverem terræ.

℟. Tentavit Dominus Abraham, et dixit ad eum: * Tolle filium tuum, quem diligis, Isaac, et offer illum ibi in holocaustum super unum montium, quem dixero tibi. ℣. Vocatus quoque a Domino, respondit, Adsum: et ait ei Dominus. Tolle. Gloria. Tolle.

Ad Magnif. Ant. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret; ipse vero multo magis clamabat: Miserere mei, fili David.

FERIA TERTIA.

De libro Genesis.

Lectio j. Cap. 14.

ET egressi sunt rex Sodomorum, et rex Gomorrhæ, rexque Admæ, et rex Seboim, nec non et rex Balæ, quæ est Segor: et direxerunt aciem contra eos in valle silvestri, scilicet adversus Chodorlahomor regem Elamitarum, et Thadal regem Gentium, et Amraphel regem Sennaar, et Arioch regem Ponti: qua-

Digitized by Google

tuor reges adversus quinque. Vallis autem silvestris habebat puteos multos bituminis. Itaque rex Sodomorum et Gomorrhæ terga verterunt, ceciderunt que ibi : et qui remanserant, fugerunt ad montem. Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum et Gomorrhæ, et universa quæ ad cibum pertinent, et abierunt; nec non et Lot, et substantiam ejus, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis.

℣. Angelus Domini, *p.* 247.

Lectio ij.

ET ecce unus qui evaserat, nuntiavit Abram Hebræo, qui habitabat in convalle Mambre Amorrhæi fratris Escol, et fratris Aner; hi enim pepigerant fœdus cum Abram. Quod cum audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum, numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem et octo, et persecutus est usque Dan. Et divisis sociis, irruit super eos nocte, percussitque eos, et persecutus est eos usque Hoba quæ est ad lævam Damasci. Reduxitque omnem substantiam, et Lot fratrem suum cum substantia illius; mulieres quoque et populum.

℟. Vocavit Angelus, *p.* 248.

Lectio iij.

EGRESSUS est autem rex Sodomorum in occursum ejus, postquam reversus est a cæde Chodorlahomor, et regum qui cum eo erant in valle Save, quæ est vallis regis. At vero Melchisedech rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei, et ait : Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit cœlum et terram; et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus.

℟. Deus domini mei, *p.* 248.

Ad Magnif. Ant. Miserere mei, fili David. Quid vis ut faciam tibi? Domine, ut videam.

FERIA QUARTA

CINERUM.

Si hac die et in Dom. Quadrag., occurrat Festum Duplex, transfertur in seq. diem similiter non impeditam. Aliis diebus Quadrag. usque ad majorem Hebd., si occurrat Festum Duplex vel Semidupl., fit de eo cum comm. et ix *Lect. de Homilia Feriæ. De simplicibus fit tantum comm.*

Per totam Quadrag. in Feriali Offic., Feria ij. *dicitur Offic. Defunctor. Feria* iv. *dicuntur Psalmi Graduales. Feria* vj. *septem Psalmi Pœnit. cum Litaniis, præterquam in Feriis majoris Hebd.: quæ omnia habentur in fine Breviarii.*

In hac et sequentibus Feriis usque ad Vesp. Sabbat., Hymni, Capitula et alia omnia dicuntur ut in Psalt. per Annum, exceptis Ant. ad Bened. *et* Magnif., *et post Laudes, Horas, Vesp. et Complet. dicuntur Preces flexis genibus, ut ibidem in Psalt.*

Hodie ante Matut. in Choro dicuntur Psalmi Graduales.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio j. Cap. 6.

IN illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Lib. 2. *de Serm. Domini in monte cap.* 12. *tom.* 4.

MANIFESTUM est his præceptis omnem nostram intentionem in interiora gaudia dirigi, ne foris quærentes mercedem, huic sæculo conformemur, et amittamus promissionem tanto solidioris atque firmioris, quanto interioris beatitudinis, qua nos elegit Deus conformes fieri imagini Filii sui. In hoc autem capitulo maxime advertendum est, non in solo rerum corporearum

Digitized by Google

nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse jactantiam; et eo periculosiorem, quo sub nomine servitutis Dei decipit.

℟. Veni hodie, *p.* 248.

Lectio ij.

QUI ergo immoderato cultu corporis atque vestitu, vel cæterarum rerum nitore præfulget, facile convincitur rebus ipsis pomparum sæculi esse sectator, nec quemquam fallit dolosa imagine sanctitatis. Qui autem in professione Christianatis, inusitato squalore ac sordibus intentos in se oculos hominum facit, cum id voluntate faciat, non necessitate patiatur, ex cæteris ejus operibus potest conjici utrum hoc contemptu superflui cultus, an ambitione aliqua faciat: quia et sub ovina pelle cavendos lupos Dominus præcepit: sed ex fructibus, inquit, eorum cognoscetis eos.

℟. Factus est sermo, *p.* 248.

Lectio iij.

CUM enim cœperint aliquibus tentationibus ea ipsa scilicet illis subtrahi vel negari, quæ isto velamine vel consecuti sunt vel consequi cupiunt, tunc necesse est ut appareat utrum lupus in ovina pelle sit, an ovis in sua. Non tamen propterea ornatu superfluo debet aspectus hominum mulcere Christianus, quia illum parcum habitum ac necessarium etiam simulatores sæpius usurpant, ut incautos decipiant: quia et illæ oves non debent pelles suas deponere, si aliquando eis lupi se contegant.

℟. Movens Abram tabernaculum suum, venit et habitavit juxta convallem Mambre: * Ædificavitque ibi altare Domino: ℣. Dixit autem Dominus ad eum: Leva oculos tuos, et vide: omnem terram quam conspicis, tibi dabo, et semini tuo in sempiternum. Ædificavitque. Gloria. Ædificavitque.

Ad Laud. et Horas, ut in Psalt.

Ad Bened. Ant. Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.

Ante Orat. in feriali Offic. per Quadrag. dicuntur Preces flexis genibus, ut in Psalt., p. 41,

Oratio.

PRÆSTA, Domine, fidelibus tuis ut jejuniorum veneranda solemnia et congrua pietate suscipiant, et secura devotione percurrant. Per Dominum.

Hodie et duobus seq. diebus dicuntur Vesp. hora consueta, Sabbato vero et deinceps usque ad Pascha dicuntur ante comestionem, tam in Festis quam in Feriis, exceptis Dom. in quibus dicuntur hora consueta.

Ad Magnif. Ant. Thesaurizate vobis thesauros in cælo, ubi nec ærugo nec tinea demolitur,

Ante Orat. in feriali Offic. per Quadrag. dicuntur Preces flexis genibus, ut in Psalt., P. 41.

Oratio.

INCLINANTES se, Domine, majestati tuæ propitiatus intende, ut qui divino munere sunt refecti, cœlestibus semper nutriantur auxiliis. Per Dominum.

FERIA QUINTA.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio j. Cap. 4.

IN illo tempore: Cum introisset Jesus Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episc.

Lib. 3. de cons. Evang. c. 20. t. 1.

VIDEAMUS utrum sibi de hoc servo Centurionis Matthæus Lucasque consentiant. Matthæus enim dicit: Accessit ad eum Centurio, rogans eum et dicens: Puer meus jacet in domo paralyticus. Cui videtur repugnare quod ait Lucas: Et cum audisset de Jesu, misit ad eum se-

Digitized by Google

niores Judæorum, rogans eum ut veniret, et sanaret servum ejus. At illi cum venissent ad Jesum, rogabant eum sollicite, dicentes ei: Quia dignus est ut hoc illi præstes; diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis, Jesus autem ibat cum illis, et cum jam non longe esset a domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine, noli vexari: non enim dignus sum ut sub tectum meum intres.

℟. Domine: puer meus jacet paralyticus in domo; et male torquetur. * Amen dico tibi, ego veniam, et curabo eum. ℣. Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo et sanabitur puer meus. Amen.

Lectio ij.

SI enim hoc ita gestum est, quomodo erit verum quod Matthæus narrat, Accessit ad eum quidam Centurio, cum ipse non accesserit, sed amicos miserit: nisi diligenter adver-tentes intelligamus, Matthæum non omnimodo deseruisse usitatum morem loquendi? Non solum enim dicere solemus accessisse aliquem, etiam antequam perveniat illuc quo dicitur accessisse: unde etiam dicimus, parum accessit, vel multum accessit eo, quo appetit pervenire: verum etiam ipsam perventionem, cujus adipiscendi causa acceditur, dicimus plerumque factam: etsi eum, ad quem pervenit, non videat ille qui pervenit, cum per amicum pervenit ad aliquem, cujus ei favor est necessarius. Quod ita tenuit consuetudo, ut jam etiam vulgo perventores appellentur, qui potentium quorumlibet tanquam inaccessibiles animos, per convenientium personarum interpositionem, ambitionis arte pertingunt.

℟. Dum staret Abraham, *p.* 247.

Lectio iij.

NON ergo absurde Matthæus, etiam quod vulgo possit intelligi, per alios facto accessu Centurionis ad Dominum, compendio dicere voluit: Accessit ad eum Centurio. Verumtamen non negligenter intuenda est etiam sancti Evangelistæ altitudo mysticæ locutionis, secundum quam scriptum est in psalmo: Accedite ad eum, et illuminamini. Proinde quia fidem Centurionis, qua vere acceditur ad Jesum, ipse ita laudavit ut diceret, Non inveni tantam fidem in Israel: ipsum potius accessisse ad Christum dicere voluit prudens Evangelista, quam illos per quos verba sua miserat.

℟. Tentavit Dominus, *p.* 247.

Ad Bened. Ant. Domine, puer meus jacet paralyticus in domo, et male torquetur. Amen dico tibi, ego veniam, et curabo eum.

Oratio.

DEUS, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice et flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte. Per Dominum.

Ad Magnif. Ant. Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.

Oratio.

PARCE, Domine, parce populo tuo, ut dignis flagellationibus castigatus, in tua miseratione respiret. Per Dominum.

FERIA SEXTA.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio j. Cap. 5.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. i. *Comment. in cap.* 5. *et* 6. *Matth.*

EGO autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Multi præcepta Dei imbecillitate sua, non sanctorum vi-

Digitized by Google

ribus æstimantes, putant esse impossibilia quæ præcepta sunt, et dicunt sufficere virtutibus non odisse inimicos, cæterum diligere, plus præcipi, quam humana natura patiatur. Sciendum est ergo Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta. Quæ fecit David in Saul, et in Absalom Stephanus quoque martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus est, et Paulus anathema cupit esse pro persecutoribus suis. Hæc autem Jesus et docuit et fecit, dicens: Pater, ignosce illis: quod enim faciunt, nesciunt.

℟. Angelus Domini, *p.* 247.

Lectio ij.

UT sitis filii Patris vestri qui in cœlis est. Si Dei præcepta custodiens, filius quis efficitur Dei, ergo non est natura filius, sed arbitrio suo. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Qui tuba canit eleemosynam faciens, hypocrita est. Qui jejunans demolitur faciem suam, ut ventris inanitatem monstret in vultu, et hic hypocrita est. Qui in synagogis et in angulis platearum orat, ut videatur ab hominibus, hypocrita est.

℟. Vocavit Angelus, *p.* 248.

Lectio iij.

EX quibus omnibus colligitur hypocritas esse, qui quodlibet faciunt, ut ab hominibus glorificentur. Mihi videtur et ille, qui dicit fratri suo: Dimitte ut tollam festucam de oculo tuo: nam propter gloriam hoc facere videtur, ut ipse justus esse videatur. Unde dicitur ei a Domino: Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo. Non itaque virtus, sed causa virtutis, apud Deum mercedem habet: et si a recta via paululum declinaveris, non interest utrum ad dexteram vadas, an ad sinistram, cum verum iter amiseris.

℟. Deus Domini mei, *p.* 248.

Ad Bened. Ant. Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.

Oratio.

INCHOATA jejunia, quæsumus, Domine, benigno favore prosequere, ut observantiam, quam corporaliter exhibemus, mentibus etiam sinceris exercere valeamus. Per Dominum.

Hodie post Laudes dicuntur Psalmi Pœnitentiales.

Ad Magnif. Ant. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum: et clauso ostio ora Patrem tuum.

Oratio.

TUERE, Domine, populum tuum, et ab omnibus peccatis clementer emunda, quia nulla ei nocebit adversitas, si nulla ei dominetur iniquitas. Per Dominum.

SABBATO

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio j. Cap. 6.

IN illo tempore: Cum sero esset, erat navis in medio mari, et Jesus solus in terra. Et reliqua.

Homilia ven. Bedæ Presbyteri.

Lib. 2. *c.* 28. *in c.* 6. *Marci, t.* 5.

LABOR discipulorum in remigando, et contrarius eis ventus, labores sanctæ Ecclesiæ varios designat, quæ inter undas sæculi adversantis, et immundorum flatus spirituum, ad quietem patriæ cœlestis, quasi ad fidam littoris stationem, pervenire conatur. Ubi bene dicitur quia navis erat in medio mari, et ipse solus in terra: quia nonnunquam Ecclesia tantis Gentilium pressuris non solum afflicta, sed et fœdata est, ut, si fieri posset, Redemptor ipsius eam prorsus deseruisse ad tempus videretur.

℟. Veni hodie, *p.* 248.

Lectio ij.

UNDE est illa vox ejus inter undas procellasque tentationum

Digitized by Google

irruentium deprehensæ, atque auxilium protectionis illius gemebundo clamore quærentis: Ut quid, Domine, recessisti longe, despicis in opportunitatibus, in tribulatione? Quæ pariter vocem inimici persequentis exponit in sequentibus psalmis, subjiciens: Dixit enim in corde suo: Oblitus est Deus: avertit faciem suam, ne videat usque in finem.

℣. Factus est sermo, *p.* 248.

Lectio iij.

VERUM ille non obliviscitur orationem pauperum, neque avertit faciem suam a sperantibus in se: quin potius et certantes cum hostibus, ut vincant, adjuvat, et victores in æternum coronat. Unde hic quoque aperte dicitur, quia vidit eos laborantes in remigando. Videt quippe Dominus laborantes in mari, quamvis ipse positus in terra: quia etsi ad horam differre videatur auxilium tribulatis impendere, nihilominus eos, ne in tribulationibus deficiant, suæ respectu pietatis corroborat: et aliquando etiam manifesto adjutorio, victis adversitatibus, quasi calcatis sedatisque fluctuum voluminibus, liberat.

℟. Movens Abram, *p.* 250.

Ad Bened. Ant. Me etenim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt.

Oratio

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris: et concede ut hoc solemne jejunium, quod animabus corporibusque curandis salubriter institutum est, devoto servitio celebremus. Per Dominum.

SABBATO PRIMO

Quadragesimæ.

Ad Vesperas.

Capitulum. 2. Cor. 6.

FRATRES: Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te.

HYMNUS.

AUDI, benigne Conditor,
Nostras preces cum fletibus
In hoc sacro jejunio
Fusas quadragenario.
Scrutator alme cordium,
Infirma tu scis virium:
Ad te reversis exhibe
Remissionis gratiam.
Multum quidem peccavimus;
Sed parce confitentibus:
Ad nominis laudem tui
Confer medelam languidis.
Concede nostrum conteri
Corpus per abstinentiam,
Culpæ ut relinquant pabulum
Jejuna corda criminum.
Præsta, beata Trinitas,
Concede, simplex Unitas,
Ut fructuosa sint tuis
Jejuniorum munera. Amen.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te. ℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Ad Magnif. Ant. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet: clamabis, et dicet, Ecce adsum.

Oratio ut infra in Laudibus.

DOM. I. QUADRAG.

Ad Matutinum.

Invit. Non sit vobis vanum mane surgere ante lucem: * Quia promisit Dominus coronam vigilantibus.

Psalm. Venite exultemus, p. I.

HYMNUS.

EX more docti mystico
Servemus hoc jejunium,
Deno dierum circulo
Ducto quater notissimo.
Lex et Prophetæ primitus
Hoc prætulerunt, postmodum
Christus sacravit, omnium
Rex atque Factor temporum.
Utamur ergo parcius
Verbis, cibis, et potibus,
Somno, jocis, et arctius
Perstemus in Custodia.
Vitemus autem noxia,
Quæ subruunt mentes vagas,
Nullumque demus callidi

Digitized by Google

Hostis locum tyrannidi.
Flectamus iram vindicem,
Ploremus ante Judicem,
Clamemus ore supplici,
Dicamus omnes cernui:
Nostris malis offendimus
Tuam, Deus, clementiam:
Effunde nobis desuper
Remissor indulgentiam.
Memento quod sumus tui,
Licet caduci, plasmatis:
Ne des honorem nominis
Tui, precamur, alteri.
Laxa malum quod fecimus,
Auge bonum quod poscimus;
Placere quo tandem tibi
Possimus hic et perpetim.
Præsta, beata Trinitas,
Concede, simplex Unitas,
Ut fructuosa sint tuis
Jejuniorum munera. Amen.

Ant. Psalmi et ℣℣. de Psalt.

IN I. NOCTURNO.

De Epistola II. B. Pauli Apostoli ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 6.

ADJUVANTES autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus: in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei: per arma justitiæ a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem: per infamiam et bonam famam: ut seductores, et veraces: sicut qui ignoti, et cogniti: quasi morientes, et ecce vivimus, ut castigati, et non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes.

℟. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: commendemus nosmetipsos in multa patientia, in jejuniis multis: * Per arma justitiæ virtutis Dei. ℣. In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in jejuniis multis. Per.

Lectio ij.

OS nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis; angustiamini autem in visceribus vestris, eamdem autem habentes remunerationem, tanquam filiis dico, dilatamini et vos. Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus.

℟. In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia: * Ut non vituperetur ministerium nostrum. ℣. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: commendemus nosmetipsos in multa patientia. Ut.

Lectio iij. Cap. 7.

REPLETUS sum consolotione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Nam et cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnæ, intus timores. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi. Non solum autem in adventu ejus, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram

Digitized by Google

emulationem pro me, ita ut magis gauderem. Quoniam etsi contristavi vos in epistola, non me pœnitet: et si pœniteret, videns quod epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit, nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.

℣. In jejunio et fletu orabunt sacerdotes, dicentes: * Parce, Domine, parce populo tuo: et ne des hereditatem tuam in perditionem. ℣. Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes, dicentes. Parce. Gloria. Parce.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Leonis Papæ.

Serm. 4. de Quadragesima.

Lectio iv.

PRÆDICATURUS vobis, dilectissimi, sacratissimum maximumque jejunium, quo aptius utar exordio, quam ut verbis Apostoli, in quo Christus loquebatur, incipiam, dicamque quod lectum est: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis? Quamvis enim nulla sint tempora, quæ divinis non sint plena muneribus, et semper nobis ad misericordiam Dei per ipsius gratiam præstetur accessus, nunc tamen omnium mentes majori studio ad spiritales profectus moveri, et ampliori fiducia oportet animari, quando ad universa pietatis officia, illius nos diei in quo redempti sumus, recursus invitat, ut excellens super omnia passionis Dominicæ sacramentum purificatis et corporibus et animis celebremus.

℟. Emendemus in melius quæ ignoranter peccavimus, ne subito præoccupati die mortis, quæramus spatium pœnitentiæ, et invenire non possimus. * Attende, Domine, et miserere, quia peccavimus tibi. ℣. Adjuva nos, Deus salutaris noster, et propter honorem nominis tui, Domine, libera nos. Attende.

Lectio v.

DEBEBATUR quidem tantis mysteriis ita incessabilis devotio et continuata reverentia, ut tales permaneremus in conspectu Dei, quales nos in ipso Paschali festo dignum est inveniri. Sed quia hæc fortitudo paucorum est, et dum carnis fragilitate austerior observantia relaxatur, dumque per varias actiones vitæ hujus sollicitudo distenditur, necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere; magna divinæ institutionis salubritate provisum est, ut ad reparandam mentium - ritatem quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas et pia opera redimerent, et jejunia casta decoquerent.

℟. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus: * Quia benignus et misericors est, et præstabilis super malitia Dominus Deus noster. ℣. Non vult Dominus mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Quia.

Lectio vj.

INGRESSURI igitur, dilectissimi, dies mysticos, et purificandis animis atque corporibus sacratius institutos, præceptis Apostolicis obedire curemus, emundantes nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus; ut castigatis colluctationibus quæ sunt inter utramque substantiam, animus, quem sub Dei gubernaculis constitutum corporis sui decet esse rectorem, dominationis suæ obtineat dignitatem: ut nemini dantes ullam offensionem vituperationibus obloquentium non simus obnoxii. Digna enim ab infidelibus reprehensione carpemur, et nostro vitio linguæ impiæ in injuriam. se religionis armabunt, si jejunantium mores a puritate perfectæ continentiæ discreparint. Non enim in sola abstinentia cibi stat nostri summa jejunii, aut fructuose corpori esca sub-

Digitized by Google

trahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur.

℟. Paradisi portas aperuit nobis jejunii tempus: suscipiamus illud orantes et deprecantes, * Ut in die resurrectionis cum Domino gloriemur. ℣. In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia. Ut. Gloria. Ut.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 4.

IN illo tempore: Ductus est Jesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo; et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Homil. 16. in Evangelia.

DUBITARI a quibusdam solet a quo spiritu sit Jesus ductus in desertum, propter hoc quod subditur, Assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem; et rursum, Assumpsit eum in montem excelsum valde. Sed vere et absque ulla quæstione convenienter accipitur, ut a sancto Spiritu in desertum ductus credatur: ut illuc eum suus Spiritus duceret, ubi hunc ad tentandum maliguus spiritus inveniret. Sed ecce, cum dicitur Deus homo vel in excelsum montem, vel in sanctam civitatem a diabolo assumptus, mens refugit credere, humanæ hoc audire aures expavescunt. Qui tamen non esse incredibilia ista cognoscimus, si in illo et alia facta pensamus.

℟. Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra; et convertimini ad Dominum Deum vestrum: * Quia benignus et misericors est. ℣. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus. Quia.

Lectio viij.

CERTE iniquorum omnium caput diabolus est, et hujus capitis membra sunt omnes iniqui. An non diaboli membrum fuit Pilatus? an non diaboli membra Judæi persequentes, et milites crucifigentes Christum fuerunt? Quid ergo mirum si se ab illo permisit in montem duci, qui se pertulit etiam a membris illius crucifigi? Non est ergo indignum Redemptori nostro quod tentari voluit, qui venerat occidi. Justum quippe erat ut sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut mortem nostram venerat sua morte superare.

℟. Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam: * Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et anteibit faciem tuam justitia tua. ℣. Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Tunc.

Lectio ix.

SED sciendum nobis est quia tribus modis tentatio agitur, suggestione, delectatione et consensu. Et nos cum tentamur, plerumquq in delectationem aut etiam in consensum labimur, quia de carnis peccato propagati, in nobis ipsis etiam gerimus unde certamina toleramus. Deus vero, qui in utero Virginis incarnatus in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit, sed ejus mentem peccati delectatio non momordit. Atque ideo omnis diabolica illa tentatio foris, non intus fuit.

℟. Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. * In manibus portabunt te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum. ℣. Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculabis leonem et draconem. In. Gloria. In.

Per Hebd. ejus loco dicitur:

℟. Abscondite eleemosynam in sinu pauperum, et ipsa orabit pro vobis ad Dominum: * Quia sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. ℣. Date eleemosynam,

Digitized by Google

et ecce omnia munda sunt vobis. Quia. Gloria. Quia.

Ad Laudes.

Ant. 1. Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Psalm. Miserere mei, *p.* 39.

2. O Domine, salvum me fac: o Domine, bene prosperare.

Psalm. Confitemini, *p.* 17.

3. Sic benedicam te in vita mea, Domine: et in nomine tuo levabo manus meas.

Psalm. Deus Deus meus, *p.* 13.

4. In spiritu humilitatis, et in animo contrito suscipiamur, Domine, a te: et sic fiat sacrificium nostrum, ut a te suscipiatur hodie, et placeat tibi, Domine Deus.

Cant. Benedicite, *p.* 14.

5. Laudate Deum cœli cœlorum et aquæ omnes.

Psalm. Laudate Dominum de cœlis, *p.* 14.

Capitulum. 2. Cor. 6.

FRATRES, Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te.

HYMNUS.

O SOL salutis, intimis,
Jesu, refulge mentibus,
Dum nocte pulsa gratior
Orbi dies renascitur.

Dans tempus acceptabile,
Da lacrymarum rivulis
Lavare cordis victimam,
Quam læta adurat charitas.

Quo fonte manavit nefas,
Fluent perennes lacrymæ,
Si virga pœnitentiæ
Cordis rigorem conterat.

Dies venit, dies tua,
In qua reflorent omnia:
Lætemur et nos in viam
Tua reducti dextera.

Te prona mundi machina,
Clemens, adoret, Trinitas,
Et nos novi per gratiam
Novum canamus canticum. Amen.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te ℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Ad Bened. Ant. Ductus est Jesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo: et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit.

Oratio.

DEUS, qui Ecclesiam tuam annua Quadragesimali observatione purificas, præsta familiæ tuæ, ut quod a te obtinere abstinendo nititur, hoc bonis operibus exequatur. Per Dominum.

Ad Primam.

Ant. Jesus autem cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit.

Lectio br. Quærite Dominum, *ut in Psalt.*, p. 21.

Et dicitur in Dom. et Feriis usque ad Dom. Pass. exclusive.

Ad Tertiam.

Ant. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum supra pinnaculum templi, et dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum.

Capit. Fratres Hortamur.

℟. *br.* Ipse liberavit me * De laqueo venantium. Ipse. ℣. Et a verbo aspero. De laqueo. Gloria. Ipse. ℣. Scapulis suis obumbrabit tibi. ℟. Et sub pennis ejus sperabis.

Ad Sextam.

Ant. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

Capitulum. 2. Cor. 6.

ECCE nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum.

℟. *br.* Scapulis suis * Obumbrabit tibi. Scapulis. ℣. Et sub pennis ejus sperabis. Obumbrabit tibi. Gloria. Scapulis. ℣. Scuto circumdabit te veritas ejus. ℟. Non timebis a timore nocturno.

Digitized by Google

Ad Nonam.

Ant. Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.

Capitulum 2. Cor. 6.

UT castigati, et non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, et omnia possidentes.

℟. *br.* Scuto circumdabit te * Veritas ejus. Scuto, ℣. Non timebis a timore nocturno. Veritas ejus. Gloria. Scuto. ℣. Angelis suis Deus mandavit de te. ℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Ad Vesperas

Ant. et Psalmi de Dominica.

Capit. Fratres Hortamur.

Hymnus ℣. *ut supra*, p. 255.

Ad Magnif. Ant. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, in his ergo diebus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in jejuniis, in vigiliis et in charitate non ficta.

Post Vesp. dici Vesp. Defunct.

FERIA SECUNDA.

Ad Matut. Invit. de Psalt., p. 32.

Hymnus Ex more, *p.* 255.

Ant. Psalmi et. ℣. *de Psalt.*

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio j. Cap. 25.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis. Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Lib. de fide et operib. c. 25. tom. 4.

SI mandatis non servatis, ad vitam veniri potest per solam fidem, quæ sine operibus murtua est, illud deinde quomodo verum erit quod eis, quos ad sinistram positurus est, dicet: Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo, et angelis ejus? Nec increpat quia in eum non crediderunt, sed quia bona opera non fecerunt. Nam profecto ne sibi quisquam de fide, quæ sine operibus mortua est, promittat æternam vitam, propterea omnes gentes segregaturum se dixit, quæ permixtæ eisdem pascuis utebantur: ut appareat eos illi dicturos; Domine, quando te vidimus illa et illa patientem, et non ministravimus tibi? qui in eum crediderant, sed bona operari non curaverant, tanquam de ipsa fide mortua ad vitam perveniretur æternam.

℟. Ecce nunc tempus, *p.* 256.

Lectio ij.

AN forte ibunt in ignem æternum qui opera misericordiæ non fecerunt, et non ibunt qui aliena rapuerunt? vel corrumpendo in se templum Dei, in se ipsos immisericordes fuerunt: quasi opera misericordiæ prosint aliquid sine dilectione, dicente Apostolo: Si distribuam omnia mea pauperibus, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest? Aut diligat quisquam proximum sicut seipsum, qui non diligit seipsum? Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam.

℟. In omnibus, *p.* 256.

Lectio iij.

NEQUE illud dici hic poterit, in quo nonnulli seipsos seducunt, ignem æternum dictum, non ipsam combustionem æternam. Per ignem quippe, qui æternus erit, transituros arbitrantur eos quibus propter fidem mortuam per iguem promittunt salutem: ut videlicet ipse ignis æternus sit, combustio vero eorum, hoc est, operatio ignis, non sit in eos æterna: cum et hoc prævidens Dominus sententiam suam conclusit, ita dicens: Sic ibunt illi in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam. Erit ergo æterna combustio sicut ignis, et eos in illam ituros Veritas dicit,

Digitized by Google

quorum non fidem, sed bona opera defuisse declaravit.

℟. In jejunio et fletu, *p.* 257.

Ad Laudes

Ant. et Psalmi de Psalt., p. 39.

Capitulum. Isaiæ 58.

CLAMA, ne cesses? quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 250.

Ad Bened. Ant. Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.

Oratio.

CONVERTE nos, Deus salutaris noster, et ut nobis jejunium Quadragesimale proficiat, mentes nostras cœlestibus instrue disciplinis. Per Dominum.

Post Laud. dicitur Offic. Def.

Ad Horas, Ant. Capit. ℟℟. *br. Preces, ut in Psalt.*

Ad Vesperas.

Ant. et Psalmi de Psalt., p. 88.

Capitulum. Joel. 2.

INTER vestibulum et altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, et dicent: Parce, Domine, parce populo tuo; et ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes.

Hymnus et ℣. ut supra, *p.* 253.

Capit. supradicta in Laud. et Vesp. dicuntur in fer. Offic. usque ad Dom. Pass.

Ad Magnif. Ant. Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, dicit Dominus.

Oratio.

ABSOLVE, quæsumus, Domine, nostrorum vincula peccatorum, et quidquid pro eis meremur, propitiatus averte. Per Dominum.

FERIA TERTIA.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio j. Cap. 21.

IN illo tempore: Cum intrasset Jesus Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens: Quis est hic? Et reliqua.

Homilia ven. Bedæ Presbyteri.

Hom. 7. in Quadragesim. tom. 7.

QUOD maledicendo ficum infructuosam per figuram fecit Dominus, hoc idem mox apertius ostendit, ejiciendo improbos e templo. Neque enim aliquid peccavit arbor, quod esuriente Domino poma non habuit, quorum necdum tempus advenerat; sed peccavere sacerdotes, qui in domo Domini negotia sæcularia gerebant, et fructum pietatis, quem debuerant, quemque in eis Dominus esuriebat, ferre supersederant. Arefecit Dominus arborem maledicto, ut homines hæc videntes, sive audientes, multo magis intelligerent sese divino condemnandos esse judicio, si absque operum fructu de plausu tantum sibi religiosi sermonis, velut de sonitu et tegumento blandirentur viridantium foliorum.

℟. Emendemus, *p.* 257.

Lectio ij.

VERUM quia non intellexerunt, in ipsos consequenter districtionem meritæ ultionis exercuit, et ejecit commercia rerum humanarum de domo illa, in qua divinas tantum res agi, hostias et orationes Deo offerri, verbum Dei legi, audiri et decantari præceptum erat. Et quidem credendum est, quia ea tantum vendi vel emi repererit in templo, quæ ad ministerium necessaria essent ejusdem templi, juxta hoc quod alias factum legimus, cum idem templum ingrediens, invenit in eo vendentes et ementes oves, et boves, et columbas: quia nimirum hæc omnia, non nisi ut offerrentur in domo Domini, eos qui de longe venerant, ab indigenis comparare credendum est.

℟. Derelinquat impius, *p.* 257.

Digitized by Google

Lectio iij.

SI ergo Dominus nec ea volebat venumdari in templo, quæ in templo volebat offerri, videlicet propter studium avaritiæ, sive fraudis, quod proprium solet esse negotiantium facinus; quanta, putas, animadversione puniret, si invenisset ibi aliquos risui vel vaniloquio vacantes, aut alii cuilibet vitio mancipatos? Si enim ea quæ alibi libere geri poterant, Dominus in domo sua temporalia negotia geri non patitur, quanto magis ea quæ nusquam fieri licet, plus cœlestis iræ merentur, si in ædibus Deo sacratis aguntur? Verum quia Spiritus sanctus in columba super Dominum apparuit, recte per columbas sancti Spiritus charismata signantur. Qui autem sunt in templo Dei hodie qui columbas vendunt, nisi qui in Ecclesia pretium de impositione manus accipiunt, per quam videlicet impositionem Spiritus sanctus cœlitus datur?

℟. Paradisi portas, *p.* 258.

Ad Bened. Ant. Intravit Jesus in templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes et ementes; et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit.

Oratio.

RESPICE, Domine, familiam tuam, et præsta ut apud te mens nostra tuo desiderio fulgeat, quæ se carnis maceratione castigat. Per Dominum.

Ad Magnif. Ant. Scriptum est enim quia domus mea domus orationis est cunctis gentibus; vos autem fecistis illam speluncam latronum: et erat quotidie docens in templo.

Oratio.

ASCENDANT ad te, Domine, preces nostræ, et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam. Per Dominum.

FERIA QUARTA

Quatuor Temporum.

Hodie dicuntur Psalmi Gradual

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio j. Cap. 12.

IN illo tempore: Responderunt Jesu quidam de Scribis et Pharisæis, dicentes: Magister, volumus a te signum videre. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 7. in Luc. cap. 12.

JUDÆORUM plebe damnata, Ecclesiæ mysterium evidenter exprimitur, quæ in Ninivitis per pœnitentiam, et in Regina Austri per studium percipiendæ sapientiæ, de totius orbis finibus congregatur, ut pacifici Salomonis verba cognoscat. Regina plane, cujus regnum est indivisum, de diversis et distantibus populis in unum corpus assurgens.

℟. Scindite corda, *p.* 258.

Lectio. ij.

ITAQUE sacramentum illud magnum est de Christo et Ecclesia. Sed tamen hoc majus est, quia illud in figura ante præcessit, nunc autem plenum in veritate mysterium est. Illic enim Salamon typus, hic autem Christus in suo corpore est. Ex duobus igitur constat Ecclesia: ut aut peccare nesciat, aut peccare desinat. Pœnitentia enim delictum abolet, sapientia cavet.

℟. Frange esurienti, *p.* 258.

Lectio iij.

CÆTERUM Jonæ signum, ut typus Dominicæ passionis, ita etiam gravium, quæ Judæi commiserint, testificatio peccatorum est. Simul advertere licet et majestatis oraculum, et pietatis indicium. Namque Ninivitarum exemplo et denuntiatur supplicium, et remedium demonstratur. Unde etiam Judæi debent non desperare indulgentiam, si velint agere pœnitentiam.

℟. Abscondite, *p.* 258.

Ad Bened. Ant. Generatio hæc prava et perversa signum quærit et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ.

Digitized by Google

Oratio.

PRECES nostras, quæsumus, Domine clementer exaudi, et contra cuncta nobis adversantia, dexteram tuæ majestatis extende. Per Dominum.

Ad Magnif. Ant. Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ.

Oratio.

MENTES nostras, quæsumus, Domine, lumine tuæ claritatis illustra, ut videre possimus quæ agenda sunt; et quæ recta sunt, agere valeamus. Per Dominum.

FERIA QUINTA.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio j. Cap. 15.

IN illo tempore: Egressus Jesus secessit in partes Tyri et Sidonis. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbiteri.
Lib. 3. Comm. in cap. 15. Matth.

SCRIBIS et Pharisæis calumniatoribus derelictis, transgreditur in partes Tyri et Sidonis, ut Tyrios Sidoniosque curaret. Mulier autem Chananæa egreditur de finibus pristinis, ut clamans filiæ impetret sanitatem. Observa quod in quintodecimo loco filia Chananææ sanetur. Miserere mei, Domine, fili David. Inde novit vocare filium David, quia egressa jam fuerat de finibus suis, et errorem Tyriorum ac Sidoniorum loci ac fidei commutatione dimiserat.

℟. Tribularer, si nescirem misericordias tuas, Domine: tu dixisti, Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat: * Qui Chananæam et Pubblicanum vocasti ad pœnitentiam. ℣. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Qui.

Lectio ij.

FILIA mea male a dæmonio vexatur. Ego filiam Chananææ putato animas esse credentium, quæ male a dæmonio vexabantur, ignorantes Creatorem, et adorantes lapidem. Qui non respondit ei verbum, non de superbia pharisaica, nec de Scribarum supercilio; sed ne ipse sententiæ suæ videretur esse contrarius, per quam jusserat: in viam Gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis. Nolebat enim occasionem calumniatoribus dare, perfectamque salutem Gentium passionis et resurrectionis tempori reservabat.

℟. In omnibus, *p.* 256.

Lectio iij.

ET accedentes discipuli ejus rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Discipuli illo adhuc tempore mysteria Domini nescientes, vel misericordia commoti, rogabant pro Chananæa muliere, quam alter Evangelista Syrophœnissam appellat: vel importunitate ejus carere cupientes, quia non ut clementem, sed ut durum medicum crebrius inclamaret. Ipse autem respondens ait: Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. Non quod et ad Gentes non missus sit, sed quod primum missus sit ad Israel; ut illis non recipientibus Evangelium, justa fieret ad Gentes transmigratio.

℟. In jejunio et fletu, *p.* 257.

Ad Bened. Ant. Egressus Jesus secessit in partes Tyri et Sidonis. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa clamabat dicens: miserere mei, fili David.

Oratio.

DEVOTIONEM populi tui, quæsumus, Domine, benignus intende, ut qui per abstinentiam macerantur in corpore, per fructum boni operis reficiantur in mente. Per Dominum.

Ad Magnif. Ant. O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut petisti.

Oratio.

DA quæsumus, Domine, populis Christianis et quæ profitentur

Digitized by Google

agnoscere, et cœleste munus diligere, quod frequentant. Per Dominum.

FERIA SEXTA

Quatuor Temporum.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 5.

IN illo tempore: Erat dies festus Judæorum: et ascendit Jesus Jerosolymam. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Tract. 17. in Joann. post. init.

VIDEAMUS quid voluerit significare in illo uno, quem etiam ipse servans unitatis mysterium, de tot languentibus unum sanare dignatus est. Invenit in annis ejus numerum quemdam languoris. Triginta et octo annos habebat in infirmitate. Hic numerus quomodo magis ad languorem pertineat, quam ad sanitatem, paulo diligentius exponendum est. Intentos vos volo: aderit Dominus, ut congrue loquar, et sufficienter audiatis. Quadragenarius numerus sacratus nobis in quadam perfectione commendatur; notum esse arbitror charitati vestræ: testantur sæpissime divinæ Scripturæ: jejunium hoc numero consecratum esse bene nostis. Nam et Moyses quadraginta diebus jejunavit, et Elias totidem: et ipse Dominus noster et Salvator Jesus Christus hunc jejunii numerum implevit. Per Moysen significatur Lex, per Eliam significantur Prophetæ, per Dominum significatur Evangelium. Ideo in illo monte tres apparuerunt, ubi se discipulis ostendit in claritate vultus et vestis suæ: apparuit enim medius inter Moysen et Eliam, tanquam Evangelium testimonium haberet a lege et Prophetis.

℟. Emendemus, *p.* 257.

Lectio ij.

SIVE ergo in Lege, sive in Prophetis, sive in Evangelio, quadragenarius numerus nobis in jejunio commendatur. Jejunium autem magnum et generale est, abstinere ab iniquitatibus et illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum jejunium: ut abnegantes impietatem et sæculares cupiditates, temperanter, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo. Huic jejunio quam mercedem addit Apostolus? Sequitur, et dicit: Expectantes illam beatam spem, et manifestationem gloriæ beati Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. In hoc ergo sæculo quasi Quadragesimam abstinentiæ celebramus, cum bene vivimus, cum ab iniquitatibus et ab illicitis voluptatibus abstinemus: sed quia hæc abstinentia sine mercede non erit, expectamus beatam illam spem, et revelationem gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. In illa spe, cum fuerit de spe facta res, accepturi sumus mercedem denarium. Ipsa enim merces redditur operariis in vinea laborantibus, secundum Evangelium, quod vos credo reminisci; neque enim omnia commemoranda sunt, tanquam rudibus et imperitis. Denarius ergo, qui accepit nomen a numero decem, redditur, et conjunctus quadragenario fit quinquagenarius: unde cum labore celebramus Quadragesimam ante Pascha; cum lætitia vero, tanquam accepta mercede, Quinquagesimam post Pascha.

℟. Derelinquat impius, *p.* 257.

Lectio iij.

MEMENTOTE quod proposuerim numerum triginta octo annorum in illo languido. Volo exponere quare numerus ille trigesimus et octavus languoris sit potius quam sanitatis. Ergo, ut dicebam, charitas implet legem: ad plenitudinem legis in omnibus operibus pertinet quadragenarius numerus. In charitate autem duo præcepta nobis commendantur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua et ex tota mente tua: et, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus præceptis tota lex pendet, et Prophetæ. Merito et illa vidua omnes facul-

Digitized by Google

tates suas, duo minuta misit in dona Dei: merito et pro illo languido a latronibus sauciato stabularius duos nummos accepit unde sanaretur: merito apud Samaritanos biduum fecit Jesus, ut eos charitate firmaret. Binario ergo isto numero cum aliquid boni significatur, maxime bipartita charitas commendatur. Si ergo quadragenarius numerus habet perfectionem legis, et lex non impletur nisi in gemino præcepto charitatis: quid miraris quia languebat, qui ad quadraginta duo minus habebat?

℟. Paradisi portas, *p.* 258.

Ad Bened. Ant. Angelus Domini descendebat de cœlo, et movebatur aqua, et sanabatur unus.

Oratio.

ESTO, Domine, propitius plebi tuæ, et quam tibi facis esse devotam, benigno refove miseratus auxilio. Per Dominum.

Hodie dicuntur Psalmi Pœnit.

Ad Magnif. Ant. Qui me sanum fecit, ille mihi præcepit: Tolle grabatum tuum, et ambula in pace.

Oratio.

EXAUDI nos, misericors Deus, et mentibus nostris gratiæ tuæ lumen ostende. Per Dominum.

SABBATO

Quatuor Temporum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio j Cap. 17.

IN illo tempore: Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos. Et reliqua.

Homilia S. Leonis Papæ.

Homil. de Transfig. Domini.

EVANGELICA lectio, dilectissimi, quæ per aures corporis interiorem mentium nostrarum pulsavit auditum ad magni sacramenti nos intelligentiam vocat; quam, aspirante gratia Dei, facilius assequemur, si considerationem nostram ad ea, quæ paulo superius sunt narrata, referamus. Salvator enim humani generis Jesus Christus, condens eam fidem quæ et impios ad justitiam, et mortuos revocat ad vitam, ad hoc discipulos suos doctrinæ monitis et operum miraculis imbuebat, ut idem Christus et Unigenitus Dei, et hominis filius crederetur. Nam unum horum sine altero non proderat ad salutem, et æqualis erat periculi Dominum Jesum Christum aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo solum hominem credidisse, cum utrumque esset pariter confitendum; quia sicut Deo vera humanitas, ita homini inerat vera divinitas.

℟. Scindite corda, *p.* 258.

Lectio ij.

AD confirmandam ergo hujus fidei saluberrimam cognitionem, interrogaverat discipulos suos Dominus, inter diversas aliorum opiniones quid ipsi de eo crederent, quidve sentirent. Ubi Petrus Apostolus, per revelationem summi Patris corporea seperans, et humana transcendens, vidit mentis oculis Filium Dei vivi, et confessus est gloriam Deitatis, quia non ad solam respexit substantiam carnis et sanguinis, tantumque in hac fidei sublimitate complacuit, ut beatitudinis felicitate donatus, sacram inviolabilis petræ acciperet firmitatem, super quam fundata Ecclesia portis inferi et mortis legibus prævaleret: nec in solvendis aut ligaudis quorumcumque causis aliud ratum esset in cœlis, quam quod Petri sedisset arbitrio.

℟. Frange esurienti, *p.* 258.

Lectio iij.

HÆC autem, dilectissimi laudatæ intelligentiæ celsitudo instruenda erat de inferioris substantiae sacramento, ne Apostolica fides ad gloriam confitendæ in Christo Deitatis evecta, infirmitatis nostræ receptionem indignam impassibili Deo atque incongruam judicaret: et ita jam in Christo humanam crederet glorificatam

Digitized by Google

esse naturam, ut nec supplicio posset affici, nec morte dissolvi. Et ideo dicente Domino quòd operteret eum ire Jerosolymam, et multa pati a senioribus, et Scribis, ac principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere: cum beatus Petrus, qui superno illustratus lumine de ardentissima Filii Dei confessione fervebat, contumelias illusionum et crudelissimæ mortis opprobrium religioso, ut putabat, et libero fastidio respuisset, benigna a Jesu increpatione correptus, et ad cupiditatem participandæ cum eo passionis animatus est.

℟. Abscondite, *p.* 258.

Ad Bened. Ant. Assumpsit Jesus discipulos suos, et ascendit in montem, et transfiguratus est ante eos.

Oratio.

POPULUM tuum, quæsumus, Domine, propitius respice, atque ab eo flagella tuæ iracundiæ clementer averte. Per Dominum.

ad Vesperas.

Capitulum. I. Thess. 4.

FRATRES, Rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo vos oporteat ambulare et placere Deo sic et ambuletis, ut abundetis magis.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 253.

Ad Magnif. Ant. Visionem quam vidistis nemini dixeritis, donec a mortuis resurgat filius hominis.

Oratio ut infra in Laudibus

DOM. II. QUADRAG.

Ad Matut. Invit. Hymnus ut in Dom. I. p. 253.

IN I. NOCTURNO.

De libro Genesis.

Lectio j. Cap. 27.

SENUIT autem Isaac, et caligaverunt oculi ejus, et videre non poterat: vocavitque Esau filium suum majorem, et dixit ei: Fili mi? Qui respondit: Adsum. Cui pater: Vides, inquit: quod, senuerim, et ignorem diem mortis meæ. Sume arma tua, pharetram et arcum, et egredere foras; cùmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum sicut velle me nosti, et affer ut comedam, et benedicat tibi anima mea antequam moriar. Quod cum audisset Rebecca, et ille abiisset in agrum ut jussionem patris impleret, dixit filio suo Jacob: Audivi patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, et dicentem ei: Affer mihi de venatione tua, et fac cibos ut comedam, et benedicam tibi coram Domino antequam moriar. Nunc ergo, fili mi, acquiesce consiliis meis, et pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, ut faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur: quas cum intuleris et comederit, benedicat tibi priusquam moriatur.

℟. Tolle arma tua, pharetram et arcum, et affer de venatione tua, ut comedam, * Et benedicat tibi anima mea. ℣. Cumque venatu aliquid attuleris, fac mihi inde pulmentum, ut comedam. Et.

Lectio ij.

CUI ille respondit: Nosti quod Esau frater meus homo pilosus sit, et ego lenis; si attrectaverit me pater meus et senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, et inducam super me maledictionem pro benedictione. Ad quem mulier: In me sit, ait, ista maledictio, fili mi: tantum audi vocem meam, et pergens affer quæ dixi. Abiit, et attulit, deditque matri. Paravit illa cibos, sicut velle noverat patrem illius. Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum: pelliculasque hœdorum circumdedit manibus, et colli nuda protexit, deditque pulmentum, et panes, quos coxerat, tradidit. Quibus illatis, dixit: pater mi? At ille respondit: Audio. Quis es tu, fili mi? Dixitque Jacob: Ego sum primogenitus tuus Esau; feci sicut præcepisti mihi. Surge, sede, et comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua. Rursumque Isaac ad filium

Digitized by Google

suum : quomodo, inquit, tam cito invenire potuisti, fili mi? Qui respondit : Voluntas Dei fuit, ut cito occurrere mihi quod volebam.

℟. Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus : crescere te faciat Deus meus sicut arenam maris, * Et donet tibi de rore cœli benedictionem. ℣. Deus autem omnipotens benedicat tibi, atque multiplicet. Et.

Lectio iij.

DIXITQUE Isaac: Accede huc ut tangam te, fili mi, et probem utrum tu sis filius meus Esau, an non. Accessit ille ad patrem, et palpato eo, dixit Isaac : Vox quidem, vox Jacob est : sed manus, manus sunt Esau. Et non cognovit eum, quia pilosæ manus similitudinem majoris expresserant. Benedicens ergo illi, ait : Tu es filius meus Esau? Respondit : Ego sum. At ille, Affer mihi, inquit, cibos de venatione tua, fili mi, ut benedicat tibi anima mea. Quos cum oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum. Quo hausto, dixit ad eum : Accede ad me, et da mihi osculum, fili mi. Accessit, et osculatus est eum. Statimque ut sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait : Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cœli et de pinguedine terræ abundatiam frumenti et vini, et serviant tibi populi, et adorent te tribus : esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.

℟. Det tibi Deus de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam; serviant tibi tribus et populi : * Esto dominus fratrum tuorum. ℣. Et incurventur ante te filii matris tuæ. Esto. Gloria. Esto.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Augustini Episcopi contra mendacium.

Lectio iv. *Cap.* 10. *tom.* 4.

JACOB quod matre fecit auctore, ut patrem fallere videretur, si diligenter et fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium. Quæ si mendacia dixerimus, omnes etiam parabolæ ac figuræ significandarum quarumcumque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ sunt, sed in eis aliud ex alio est intelligendum, dicentur esse mendacia : quod absit omnino. Nam qui hoc putat, tropicis etiam tam multis locutionibus omnibus potest hanc importare calumniam: ita ut hæc ipsa, quæ appellatur metaphora, hoc est, de re propria ad rem non propriam verbi alicujus usurpata translatio, possit ista ratione mendacium nuncupari.

℟. Dum exiret Jacob de terra sua, vidit gloriam Dei, et ait : Quam terribilis est locus iste! * Non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli. ℣. Vere Deus est in loco isto, et ego nesciebam. Non.

Lectio v.

QUÆ significantur enim, utique ipsa dicuntur : putantur autem mendacia, quoniam non ea quæ vere significantur, dicta intelliguntur, sed ea quæ falsa sunt, dicta esse creduntur. Hoc ut exemplis fiat planius, id ipsum quod Jacob fecit, attende. Hœdinis certe pellibus membra contexit. Causam proximam requiramus, mentitum putabimus : hoc enim fecit, ut putaretur esse qui non erat : Si autem hoc factum ad illud propter quod significandum revera factum est, referatur, per hœdinas pelles, peccata : per eum vero qui eis se operuit, ille significatus est qui non sua, sed aliena peccata portavit.

℟. Si Dominus Deus meus fuerit mecum in via ista, per quam ego ambulo, et custodierit me, et dederit mihi panem ad edendum, et vestimentum quo operiar, et revocaverit me cum salute : * Erit mihi Dominus in refugium, et lapis iste in signum. ℣. Surgens ergo mane Jacob. tulit la-

Digitized by Google

pidem quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum, fundensque oleum desuper, dixit. Erit.

Lectio iv.

VERAX ergo significatio nullo modo mendacium recte dici potest: ut autem in facto, ita et in verbo. Nam cum ei pater dixisset: Quis es tu, fili? Ille respondit: Ego sum Esau primogenitus tuus. Hoc si referatur ad duos illos geminos, mendacium videbitur: si autem ad illud propter quod significandum ista gesta dictaque conscripta sunt, ille est hic intelligendus in corpore suo, quod est ejus Ecclesia, qui de hac re loquens, ait: Cum videritis Abram, et Isaac, et Iacob, et omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. Et, Venient ab Oriente, et Occidente, et Aquilone, et Austro, et accumbent in regno Dei. Et, Ecce sunt novissimi, qui erant primi: et sunt primi, qui erant novissimi. Sic enim quodammodo minor majoris primatum frater abstulit, atque in se transtulit fratris.

℟. Erit mihi Dominus in Deum et lapis iste quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: et de universis quæ dederis mihi, * Decimas et hostias pacificas offeram tibi. ℣. Si reversus fuero prospere ad domum patris mei. Decimas. Gloria. Decimas.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 17.

IN illo tempore: Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos. Et reliqua.

De Homilia sancti Leonis Papæ.

Ex Hom. de Transfig. Domini.

ASSUMPSIT Jesus Petrum, et Jacobum, et fratrem ejus Joannem, et conscenso cum eis seorsum monte præcelso, claritatem suæ gloriæ demonstravit: quia licet intellexissent in eo majestatem Dei, ipsius tamen corporis, quo divinitas tegebatur, potentiam nesciebant. Et ideo proprie signanterque promiserat quosdam de astantibus discipulis non prius gustare mortem, quam viderent filium hominis venientem in regno suo, id est, in regia claritate, quam spiritaliter ad naturam suscepti hominis pertinentem, his tribus viris voluit esse conspicuam. Nam illam ipsius Deitatis ineffabilem et inaccessibilem visionem, quæ in æternam vitam mundis corde servatur, nullo modo mortali adhuc carne circumdati intueri poterant et videre.

℟. Dixit Angelus ad Jacob: * Dimitte me, aurora est. Respondit ei: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et benedixit ei in eodem loco. ℣. Cumque surrexisset Jacob, ecce vir luctabatur cum eo usque mane: et cum videret quod eum superare non posset, dixit ad eum. Dimitte.

Lectio iij.

DICENTE Patre: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite: nonne evidenter auditum est, Hic est Filius meus, cui ex me et mecum esse sine tempore est: quia nec genitor genito prior, nec genitus est genitore posterior. Hic est Filius meus, quem a me non separat Deitas, non dividit potestas, non discernit æternitas. Hic est Filius meus, non adoptivus, sed proprius: non aliunde creatus, sed ex me genitus: nec de alia natura mihi factus comparabilis, sed de mea essentia mihi natus æqualis.

℟. Vidi Dominum facie ad faciem; * Et salva facta est anima mea. ℣. Et dixit mihi: Nequaquam vocaberis Jacob, sed Israel erit nomen tuum. Et.

Lectio ix.

HIC est Filius meus, per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil; qui omnia quæ facio, similiter facit: et quidquid operor, inseparabiliter mecum atque in-

Digitized by Google

differenter operatur. Hic est Filius meus, qui eam quam mecum habet æqualitatem, non rapina appetiit, nec usurpatione præsumpsit: sed manens in forma gloriæ meæ ut ad reparandum genus humanum exequeretur commune consilium, usque ad formam servilem inclinavit incommutabilem Deitatem. Hunc ergo in quo mihi per omnia bene complaceo, et cujus prædicatione manifestor, cujus humilitate clarificor, incunctanter audite: quia ipse est veritas et vita; ipse virtus mea atque sapientia.

℣. Cum audisset Jacob quod Esau veniret contra eum, divisit filios suos et uxores, dicens: Si percusserit Esau unam turmam, salvabitur altera. * Libera me, Domine, qui dixisti mihi: * Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest. ℣. Domine, qui dixisti mihi: Revertere in terram nativitatis tuæ: Domine, qui pascis me a juventute mea. Libera. Gloria. Multiplicabo.

Ad Laudes

Ant. 1. Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.

Psalm. Miserere mei, *p.* 39.

2. Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltavit me.

Psalm. Confitemini, *p.* 17.

3. Factus est adjutor meus Deus mèus.

Psalm. Deus Deus meus, *p.* 13.

4. Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant in camino ignis, benedicentes Dominum.

Cant. Benedicte, *p.* 14.

5. Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi: præceptum posuit, et non præteribit.

Psalm. Laudate Dominum de cœlis, *p.* 14.

Capitulum 1. Thess. 4.

FRATRES, Rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo vos oporteat ambulare et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 259.

Ad Bened. Ant. Assumpsit Jesus discipulos suos, et ascendit in montem, et transfiguratus est ante eos.

Oratio.

DEUS, qui conspicis omni nos virtute destitui, interius exteriusque custodi, ut ab omnibus adversitatibus muniamur in corpore, et a pravis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum.

Ad Horas ℣℣. *br. ut in Psalt.*

Ad Primam

Ant. Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.

Ad Tertiam.

Ant. Domine, *ut ad Primam.*

Capit. Fratres Rogamus, *ut sup.*

Ad Sextam.

Ant. Faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.

Capitulum. 1. Thess. 4.

HÆC est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore.

Ad Nonam.

Ant. Visionem quam vidistis nemini dixeritis, donec a mortuis resurgat filius hominis.

Capitulum. 1. Thess. 4.

NON enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem in Christo Iesu Domino nostro.

Ad Vesperas.

Ant. et Psalmi de Dominica.

Capit. Fratres Rogamus.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 253.

Ad Magnif. Ant. Visionem quam

Digitized by Google

vidistis nemini dixeritis, donec a mortuis resurgat filius hominis.

Deinde dicuntur Vesp. Defunct.

FERIA SECUNDA.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 8.

IN illo tempore : Dixit Jesus turbis Judæorum : Ego vado, et quæretis me, et in peccato vestro moriemini. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 38. *in Joan. post initium.*

LOCUTUS est Dominus Judæis, dicens : Ego vado. Christo enim Domino mors profectio fuit illo, unde venerat, et unde non discesserat. Ego, inquit, vado, et quæretis me, non desiderio, sed odio. Nam illum, posteaquam abscessit ab oculis hominum, inquisierunt et qui oderant, et qui amabant : illi persequendo, isti habere cupiendo. In psalmis ait ipse Dominus per Prophetam : Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam. Et iterum ait alio loco in psalmo : Confundantur et revereantur requirentes animam meam.

℟. Dum iret Jacob de Bersabee, et pergeret Haran, locutus est ei Dominus, dicens : * Terram, in qua dormis, tibi dabo, et semini tuo. ℣. Ædificavit ex lapidibus altare in honorem Domini, fundens oleum desuper, et benedixit eum Deus, dicens. Terram.

Lectio. ij.

CULPAVIT qui non requirerent, damnavit requirentes. Bonum est enim quærere animam Christi ; sed quo modo eam quæsierunt discipuli ; et malum est quærere animam Christi, sed quo modo eam Judæi quæsierunt : illi enim ut haberent, isti ut perderent. Denique istis, quia sic quærebant more malo, corde perverso, quid secutus adjunxit ? Quæretis me ; et ne putetis quia bene me quæretis, in peccato vestro moriemini. Hoc est Christum male quærere, in peccato suo mori : hoc est illum odisse, per quem possit solum salvus esse.

℟. Apparuit Deus Jacob, et benedixit eum, et dixit : Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, et votum vovisti mihi : * Crescere te faciam, et multiplicabo te. ℣. Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Crescere.

Lectio iij.

CUM enim homines, quorum spes in Deo est, non debeant mala reddere nec pro malis, reddebant isti mala pro bonis. Prænuntiavit ergo illis Dominus, dixitque sententiam præscius quod in suo peccato morerentur. Deinde adjunxit : Quo ego vado, vos non potestis venire. Hoc et discipulis suis alio loco dixit ; nec tamen eis dixit, In peccato vestro moriemini. Quid autem dixit ? Quod et istis, Quo ego vado, vos non potestis venire. Non abstulit spem, sed prædixit dilationem. Quando enim hoc discipulis Dominus loquebatur, tunc non poterant venire quo ille ibat, sed postea venturi erant : isti autem nunquam, quibus præscius dixit : In peccato vestro moriemini.

℟. Det tibi Deus de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam ; serviant tibi tribus et populi : * Esto dominus fratrum tuorum. ℣. Et incurventur ante te filii matris tuæ. Esto. Gloria. Esto.

Ad Bened. Ant. Ego principium, qui et loquor vobis.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipoteus Deus, ut familia tua, quæ se, affligendo carnem, ab alimentis abstinet, sectando justitiam, a culpa jejunet. Per Dominum.

Hodie dicitur Offic. Defunct.

Ad Magnif. Ant. Qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei, facio semper.

Digitized by Google

Oratio.

ADESTO supplicationibus nostris, omnipotens Deus, et quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per Domin.

FERIA TERTIA.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio j. Cap. 23.

IN illo tempore: Locutus est Jesus ad turbas et ad discipulos suos, dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite; secundum opera vero eorum nolite facere. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 4. Comm. in c. 23. Matth.

QUID mansuetius, quid benignius Domino? Tentatur a Pharisæis, confringuntur insidiæ eorum, et secundum Psalmistam: Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, et nihilominus propter sacerdotii et nominis dignitatem, hortatur populos ut subjiciantur eis, non opera, sed doctrinam considerantes. Quod autem ait: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi, per cathedram, doctrinam legis ostendit. Ergo et illud quod dicitur in psalmo: In cathedra pestilentiæ non sedit: et, Cathedras vendentium columbas evertit, doctrinam debemus accipere.

℣. Dum exiret Jacob, *p.* 267.

Lectio ij.

ALLIGANT enim onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere. Hoc generaliter adversus omnes magistros, qui gravia jubent, et minora non faciunt. Notandum autem quod et humeri, et digitus, et onera, et vincula quibus alligantur onera, spiritualiter intelligenda sunt. Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. Quicumque igitur ita facit quodlibet, ut videatur ab hominibus, Scriba et Pharisæus est.

℣. Si Dominus Deus, *p.* 267.

Lectio iij.

DILATANT enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias. Amant quoque primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi. Væ nobis miseris, ad quos Pharisæorum vitia transierunt. Dominus cum dedisset mandata legis per Moysen, ad extremum intulit: Ligabis ea in manu tua, et erunt immota ante oculos tuos. Et est sensus; Præcepta mea sint in manu tua, ut opere compleantur: sint ante oculos tuos, ut die ac nocte mediteris in eis. Hoc Pharisæi male interpretantes, scribebant in membranis Decalogum Moysi; id est, decem verba legis, complicantes ea, et ligantes in fronte, et quasi coronam capiti facientes, ut semper ante oculos moverentur.

℣. Erit mihi Dominus, *p.* 268.

Ad Bened. Ant. Unus est enim magister vester, qui in cœlis est, Christus Dominus.

Oratio.

PERFICE, quæsumus, Domine, benignus in nobis observantiæ sanctæ subsidium, ut, quæ te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus. Per Domin.

Ad Magnif. Ant. Omnes autem vos fratres estis, et patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim Pater vester, qui in cœlis est: nec vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus.

Oratio.

PROPITIARE, Domine, supplicationibus nostris, et animarum nostrarum medere languoribus, ut, remissione percepta, in tua semper benedictione lætemur. Per Domin.

FERIA QUARTA.

Hodie dicuntur Psalmi Grad.

Digitized by Google

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio j. Cap. 20.

IN illo tempore : Ascendens Jesus Jerosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto , et ait illis : Ecce ascendimus Jerosolymam, et filius hominis tradetur principibus sacerdotum et Scribis, et condemnabunt eum morte. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 5. de fide ad Gratian c. 2.

CONSIDERATE quæ mater filiorum Zebedæi cum filiis et pro filiis petat. Mater est utique , cui pro filiorum honore sollicitæ , immoderatior quidem , sed tamen ignoscenda mensura votorum est. Atque mater ætate longæva , studio religiosa , solatio destituta, quæ tunc temporis , quando vel juvanda, vel alenda foret validæ prolis auxilio , abesse sibi liberos patiebatur , et voluptati suæ mercedem sequentium Christum prætulerat filiorum ; qui prima voce vocati a Domino (ut legimus) relictis retibus et patre , secuti sunt eum.

℟. Dixit Angelus , *p.* 268.

Lectio ii.

HÆC igitur studio maternæ sedulitatis indulgentior obsecrabat Salvatorem , dicens : Ut sedeant hi duo filii mei , unus ad dexteram tuam , et alter ad sinistram in regno tuo. Etsi error pietatis, tamen error est. Nesciunt enim materna viscera patientiam. Etsi voti avara , tamen veniabilis cupiditas , quæ non pecuniæ est avida , sed gratiæ : nec inverecunda petitio , quæ non sibi , sed liberis consulebat. Matrem considerate , matrem cogitate.

℟. Vidi Dominum , *p.* 268.

Lectio iij.

CONSIDERABAT Christus matris dilectionem , quæ filiorum mercede grandævam solabatur senectam, et desideriis licet fessa maternis , charissimorum pignorum tolerabat absentiam. Considerate etiam feminam , hoc est , sexum fragiliorem , quem Dominus propria nondum confirmaverat passione. Considerate , inquam , Hevæ illius primæ mulieris hæredem , transfusa in omnes immoderatæ cupiditatis successione labentem , quam Dominus adhuc proprio sanguine non redemerat, nondum inolitam affectibus omnium immodici contra fas honoris appetentiam suo Christus cruore diluerat. Hæreditario igitur mulier delinquebat errore.

℟. Cum audisset , *p.* 269.

Ad Bened. Ant. Ecce ascendimus Jerosolymam , et filius hominis tradetur ad crucifigendum.

Oratio.

POPULUM tuum , quæsumus , Domine , propitius respice , et quos ab escis carnalibus præcipis abstinere , a noxiis quoque vitiis cessare concede. Per Dominum.

Ad Magnif. Ant. Tradetur enim Gentibus ad illudendum, et flagellandum , et crucifigendum.

Oratio.

DEUS innocentiæ restitutor et amator , dirige ad te tuorum corda servorum , ut , Spiritus tui fervore concepto , et in fide inveniantur stabiles, et in opere efficaces. Per... in unitate ejusdem.

FERIA QUINTA

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio j. Cap. 16.

IN illo tempore : Dixit Jesus Pharisæis : Homo quidam erat dives. qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 40. in Evangelia.

QUEM, fratres charissimi , quem dives iste , qui induebatur pur-

Digitized by Google

pura et bysso, et epulabatur quotidie splendide, nisi Judaicum populum signat, qui cultum vitæ exterius habuit, qui acceptæ legis deliciis ad nitorem usus est, non ad utilitatem? Quem vero Lazarus ulceribus plenus, nisi Gentilem populum figuraliter exprimit? Qui dum conversus ad Deum peccata confiteri sua non erubuit, huic vulnus in cute fuit. In cutis quippe vulnere virus a visceribus trahitur, et forma erumpit.

℟. Tolle arma tua, *p.* 266.

Lectio ij.

QUID ergo est peccatorum confessio, nisi quædam vulnerum ruptio? Quia peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestifere latebat in mente. Vulnera etenim cutis in superficiem trahunt humorem putredinis. Et confitendo peccata, quid aliud agimus, nisi malum quod in nobis latebat, aperimus? Sed Lazarus vulneratus cupiebat saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat, quia Gentilium quemque ad cognitionem legis admittere superbus ille populus despiciebat.

℟. Ecce odor, *p.* 267.

Lectio iij.

QUI dum doctrinam legis non ad charitatem habuit, sed ad elationem, quasi de acceptis opibus tumuit: et quia ei verba defluebant de scientia, quasi micæ cadebant de mensa. At contra jacentis pauperis vulnera lingebant canes. Nonnunquam solent in sacro eloquio per canes prædicatores intelligi. Canum etenim lingua, vulnus dum lingit, curat: quia et doctores sancti, dum in confessione peccati nostri nos instruunt, quasi vulnus mentis per linguam tangunt.

℟. Det tibi Deus, *p.* 267.

Ad Benedictus Ant. Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala.

Oratio.

PRÆSTA nobis, quæsumus, Domine, auxilium gratiæ tuæ, ut jejuniis et orationibus convenienter intenti, liberemur ab hostibus mentis et corporis. Per Dominum.

Ad Magnif. Ant. Dives ille guttam aquæ petiit, qui micas panis Lazaro negavit.

Oratio.

ADESTO, Domine, famulis tuis, et perpetuam benignitatem largire poscentibus, ut iis, qui te auctore et gubernatore gloriantur, et congregata restaures, et restaurata conserves. Per Dominum.

FERIA SEXTA

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio j. Cap. 21.

IN illo tempore: Dixit Jesus turbis Judæorum et principibus sacerdotum parabolam hanc: Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 9. in cap. 20. Lucæ.

PLERIQUE varias significationes de vineæ appellatione derivant; sed evidenter Isaias vineam Domini Sabaoth, domum Israel esse memoravit. Hanc vineam quis alius, nisi Deus, condidit? Hic est ergo qui eam locavit colonis, et ipse peregre fuit: non quia ex loco ad locum profectus est Dominus, qui ubique semper præsens est: sed quia est præsentior diligentibus, negligentibus abest. Multis temporibus abfuit, ne præpropera videretur exactio. Nam quo indulgentior liberalitas, eo inexcusabilior pervicacia.

℟. Dum exiret Jacob, *p.* 267.

Lectio ij.

UNDE bene secundum Matthæum habes, quia et sepem circumdedit: hoc est, divinæ custodiæ muni-

Digitized by Google

tione vallavit, ne facile spiritalium pateret incursibus bestiarum. Et fodit in ea torcular. Quomodo intelligimus quid sit torcular, nisi forte quia psalmi pro torcularibus inscribuntur; eo quod in his mysteria Dominicæ passionis, modo musti sancto ferventis Spiritu, redundantius æstuaverint? Undè ebrii putabantur, quibus Spiritus sanctus inundabat. Ergo et hic fodit torcular, in quod uvæ rationabilis fructus interior spiritali infusione defluueret.

℟. Si Dominus Deus, *p.* 267.

Lectio iij.

ÆDIFICAVIT turrim, verticem scilicet legis attollens: atque ita hanc vineam munitam, instructam, ornatam, locavit Judæis, et tempore fructuum servulos misit. Bene tempus fructuum posuit, non proventum. Nullus enim fructus extitit Judæorum, nullius vineæ hujus proventus, de qua Dominus ait: Expectavi ut faceret uvas, fecit autem spinas. Itaque non lætitiæ vino, non spiritali musto, sed cruento Prophetarum sanguine torcularia redundarunt.

℟. Erit mihi Dominus, *p.* 268.

Ad Bened. Ant. Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut sacro nos purificante jejunio, sinceris mentibus ad sancta ventura facias pervenire. Per Dominum.

Hodie dicuntur Psalmi Pœnit.

Ad Magnif. Ant. Quærentes eum tenere timuerunt turbam: quia sicut Prophetam eum habebant.

Oratio.

DA, quæsumus, Domine, populo tuo salutem mentis et corporis, ut bonis operibus inhærendo, tuæ semper virtutis mereatur protectione defendi. Per Dominum.

SABBATO

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio j. Cap. 15.

IN illo tempore: Dixit Jesus Pharisæis et Scribis parabolam istam: Homo quidam habuit duos filios; et dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 7. *Com. in c.* 15 *Lucæ.*

VIDES quod divinum patrimonium petentibus datur. Nec putes culpam patris, quod adoloscentiori dedit. Nulla Dei regno infirma ætas, nec fides gravatur annis. Ipse certe se judicavit idoneum, qui poposcit. Atque utinam non recessisset a patre! impedimentum nescisset ætatis. Sed posteaquam domum patriam derelinquens, peregre profectus est, cœpit egere. Merito ergo prodegit patrimonium, qui recessit ab Ecclesia.

℟. Pater, peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus: * Fac me sicut unum ex mercenariis tuis. ℣. Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus! ego autem hic fame pereo. Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei. Fac.

Lectio ij.

PEREGRE profectus est in regionem longinquam. Quid longinquius quam a se recedere; nec regionibus, sed moribus separari; studiis discretum esse, non terris; et quasi interfuso luxuriæ sæcularis æstu, divortia habere sanctorum? Etenim qui se a Christo separat, exul est patriæ, civis est mundi. Sed nos non sumus advenæ atque peregrini, sed cives sumus sanctorum, et domestici Dei. Qui enim eramus longe, facti sumus prope in sanguine Christi. Non invideamus de longinqua regione remeantibus, quia et nos fuimus

Digitized by Google

in regione longinqua, sicut Isaias docet. Sic enim habet : Qui sedebant in regione umbræ mortis, lux orta est illis. Regio ergo longinqua, umbra est mortis.

℟. Vidi Dominum, *p.* 268.

Lectio iij.

NOS autem, quibus spiritus ante faciem Christus est Dominus, in umbra vivimus Christi. Et ideo dicit Ecclesia : In umbra ejus concupivi, et sedi. Ille igitur vivendo luxuriose, consumpsit omnia ornamenta naturæ. Unde tu qui accepisti imaginem Dei : qui habes similitudinem ejus, noli eam irrationabili fœditate consumere. Opus Dei es ; noli ligno dicere. Pater meus es tu: ne accipias similitudinem ligni, quia scriptum est : Similes illis fiant qui faciunt ea.

℟. Cum audisset, *p.* 269.

Ad Bened. Ant. Vadam ad patrem meum, et dicam ei : Pater, fac me sicut unum ex mercenariis tuis.

Oratio.

DA, quæsumus, Domine, nostris effectum jejuniis salutarem, ut castigatio carnis assumpta ad nostrarum vegetationem transeat animarum. Per Dominum.

Ad Vesperas.

Capitulum. Ephes. 5.

FRATRES, Estote imitatores Dei sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.

Hymn. et ℣. ut supra, p. 235.

Ad Magnif. Ant. Dixit autem pater ad servos suos : Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manu ejus, et calceamenta in pedibus ejus.

Oratio ut infra in Laudibus.

DOM. III. QUADRAG.

Ad Matut. Invit. Hymnus, ut in Dom. 1. p. 235.

IN I. NOCTURNO.

De libro Genesis.

Lectio j. Cap. 37.

JOSEPH cum sexdecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer ; et erat cum filiis Balæ et Zelphæ uxorum patris sui, accusavitque fratres suos apud patrem crimine pessimo. Israel autem diligebat Joseph super omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eum, fecitque ei tunicam polymitam. Videntes autem fratres ejus quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui. Accidit quoque ut visum somnium referret fratribus suis : quæ causa majoris odii seminarium fuit. Dixitque ad eos : Audite somnium meum quod vidi : Putabam nos ligare manipulos in agro, et quasi consurgere manipulum meum, et stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum. Respouderunt fratres ejus : Numquid rex noster eris ? aut subjiciemur ditioni tuæ ? Hæc ergo causa somniorum atque sermonum, invidiæ et odii fomitem ministravit. Aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus, ait : Vidi per somnium quasi solem, et lunam, et stellas undecim adorare me. Quod cum patri suo et fratribus retulisset, increpavit eum pater suus, et dixit : Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti ? Num ego, et mater tua, et fratres tui adorabimus te super terram ?

℟. Videntes Joseph a longe loquebantur mutuo fratres dicentes : Ecce somniator venit : * Venite, occidamus eum, et videamus si prosint illi somnia sua. ℣. Cumque vidissent Joseph fratres sui quod a patre cunctis fratribus plus amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui, unde et dicebant. Venite.

Lectio ij.

INVIDEBANT ei igitur fratres sui; pater vero rem tacitus considera-

Digitized by Google

bat. Cumque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Israel: Fratres tui pascunt oves in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo respondente, Præsto sum, ait ei: Vade, et vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos et pecora, et renuntia mihi quid agatur. Missus de valle Hebron venit in Sichem, invenitque eum vir errantem in agro, et interrogavit quid quæreret. At ille respondit: Fratres meos quæro; indica mihi, ubi pascant greges. Dixitque ei vir: Recesserunt de loco isto: audivi autem eos dicentes: Eamus in Dothain. Perrexit ergo Joseph post fratres suos, et invenit eos in Dothain. Qui cum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere, et mutuo loquebantur: Ecce somniator venit: venite, occidamus eum, et mittamus in cisternam veterem, dicemusque; Fera pessima devoravit eum; et tunc apparebit quid illi prosint somnia sua.

℟. Dixit Judas fratribus suis: Ecce Ismahelitæ transeunt: venite, venumdetur, et manus nostræ non polluantur: * Caro enim et frater noster est. ℣. Quid enim prodest, si occiderimus fratrem nostrum et celaverimus sanguinem ipsius? melius est ut venumdetur. Caro.

Lectio iij.

AUDIENS autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum, et dicebat: Non interficiatis animam ejus, nec effundatis sanguinem, sed projicite eum in cisternam hanc quæ est in solitudine, manusque vestras servate innoxias. Hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, et reddere patri suo. Confestim igitur ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunica talari et polymita, miseruntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam. Et sedentes ut comederent panem, viderunt Ismahelitas viatores venire de Galaad, et camelos eorum portantes aromata, et resinam, et stacten in Ægyptum. Dixit ergo Judas fratribus suis: Quid nobis prodest si occiderimus fratrem nostrum, et celaverimus sanguinem ipsius? Melius est ut venumdetur Ismahelitis, et manus nostræ non polluantur: frater enim et caro nostra est. Acquieverunt fratres sermonibus illius. Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismahelitis viginti argenteis: qui duxerunt eum in Ægyptum.

℟. Estrahentes Joseph de lacu, vendiderunt Ismahelitis viginti argenteis: * Reversusque Ruben ad puteum, cum non invenisset eum, scidit vestimenta sua cum fletu, et dixit: * Puer non comparet, et ego quo ibo? ℣. At illi, intincta tunica Joseph in sanguine hœdi, miserunt qui ferret eam ad patrem, et diceret: Vide, si tunica filii tui sit, an non. Reversusque. Gloria. Puer.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Ambrosii Episcopi de sancto Joseph.

Lectio iv. Cap. i.

SANCTORUM vita cæteris norma vivendi est. Ideoque digestam plenius accepimus seriem scripturarum, ut dum Abraham, Isaac, et Jacob, cæterosque justos legendo cognoscimus, velut quemdam nobis innocentiæ tramitem virtute eorum reseratum imitantibus vestigiis persequamur. De quibus mihi cum frequens tractatus fuerit, hodie sancti Joseph historia occurrit, in quo cum plurima fuerint genera virtutum, præcipue tamen insigne effulsit castimoniæ. Justum est igitur ut cum in Abraham didiceritis impigram fidei devotionem, in Isaac sinceræ mentis puritatem, in Jacob singularem animi laborumque patientiam, ex illa generalitate virtutum in ipsas species disciplinarum intendatis animum.

℟. Videns Jacob vestimenta Joseph

Digitized by Google

scidit vestimenta sua cum fletu, et dixit: * Fera pessima devoravit filium meum Joseph. ℣. Tulerunt autem fratres ejus tunicam illius, mittentes ad patrem: quam cum cognovisset pater, ait. Fera.

Lectio v.

SIT igitur nobis propositus sanctus Joseph tanquam speculum castitatis. In ejus enim moribus, in in ejus actibus lucet pudicitia, et quidam splendet castimoniæ comes nitor gratiæ. Unde etiam a parentibus plus quam cæteri filii diligebatur. Sed ea res invidiæ fuit; quod silentio prætereundum non fuit: hinc enim argumentum totius historiæ processit: simul ut cognoscamus perfectum virum non moveri ulciscendi doloris invidia, nec malorum rependere vicem. Unde et David ait: Si reddidi retribuentibus mihi mala.

℟. Joseph dum intraret in terram Ægypti, linguam quam non noverat, audivit: manus ejus in laboribus servierunt: * Et lingua ejus inter principes loquebatur sapientiam. ℣. Humiliaverunt in compedibus pedes ejus: ferrum pertransiit animam ejus, donec veniret verbum ejus. Et.

Lectio vj.

QUID autem esset quod præferri Joseph mereretur cæteris, si aut lædentes læsisset, aut diligentes dilexisset? Hoc enim plerique faciunt. Sed illud mirabile, si diligas inimicum tuum: quod Salvator docet. Jure ergo mirandus qui hoc fecit ante Evangelium, ut læsus parceret, appetitus ignosceret, venditus non referret injuriam, sed gratiam pro contumelia solveret: quod post Evangelium omnes didicimus, et servare non possumus. Discamus ergo et sanctorum invidiam, ut imitemur patientiam: et cognoscamus illos non naturæ præstantioris fuisse, sed observantioris, nec vitia nescisse, sed emendasse. Quod si invidia etiam sanctos adussit, quanto magis cavendum est ne inflammet peccatores?

℟. Memento mei dum bene tibi fuerit: * Ut suggeras Pharaoni, ut educat me de isto carcere, * Quia furtim sublatus sum, et hic innocens in lacum missus sum. ℣. Tres enim adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerii tui, et restituet te in gradum pristinum: tunc memento mei. Ut. Gloria. Quia.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore, Erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum. Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ. Et reliqua.

Homilia ven. Bedæ Presbyteri.
Lib. 4. cap. 48. in cap. 11. Luc.

DÆMONIACUS iste apud Matthæum non solum mutus, sed et cæcus fuisse narratur: curatusque dicitur a Domino, ita ut loqueretur et videret. Tria ergo signa simul in uno homine perpetrata sunt: cæcus videt, mutus loquitur, possessus a dæmone liberatur. Quod et tunc quidem carnaliter factum est, sed et quotidie completur in conversione credentium: ut expulso primum dæmone, fidei lumen aspiciant, deinde ad laudes Dei tacentia prius ora laxentur. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Non hæc aliqui de turba, sed Pharisæi calumniabantur et Scribæ, sicut alii Evangelistæ testantur.

℟. Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustias animæ ejus, dum deprecaretur nos, et non audivimus. * Idcirco venit super nos tribulatio. ℣. Dixit Ruben fratribus suis: Numquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum: et non audistis me? Idcirco.

Lectio viij.

TURBIS quippe, quæ minus eruditæ videbantur, Domini sem-

Digitized by Google

per facta mirantibus, illi contra vel negare hæc, vel quæ negare nequiverant, sinistra interpretatione pervertere laborabant: quasi non hæc divinitatis, sed immundi spiritus opera fuissent. Et alii tentantes signum de cœlo quærebant ab eo: vel in morem Eliæ ignem de sublimi venire cupiebant, vel in similitudinem Samuelis tempore æstivo mugire tonitrua, coruscare fulgura, imbres ruere: quasi non possent et illa calumniari et dicere, ex occultis et variis aëris passionibus accidisse. At tu, qui calumniaris ea quæ oculis vides, manu tenes, utilitate sentis, quid feceris de iis quæ de cœlo venerint? Utique respondebis et magos in Ægypto multa signa fecisse de cœlo.

℟. Dixit Ruben fratribus suis: Numquid non dixi vobis, Nolite peccare in puerum, et non audistis me? * En sanguis ejus exquiritur. ℣. Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustias animæ ejus, dum deprecaretur nos, et non audivimus. En sanguis.

Lectio IX.

IPSE autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet. Non ad dicta, sed ad cogitata respondit, ut vel sic compellerentur credere potentiæ ejus, qui cordis videbat occulta. Si autem omne regnum in seipsum divisum desolatur, ergo Patris et Filii et Spiritus sancti regnum non est divisum, quod sine ulla contradictione non aliquo impulsu desolandum, sed æterna est stabilitate mansurum. Si autem satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ipsius, quia dicitis in Beelzebub ejicere me dæmonia? Hoc dicens, ex ipsorum confessione volebat intelligi, quod in eum non credendo, in regno diaboli esse elegissent, quod utique adversum se divisum stare non posset.

℟. Lamentabatur Jacob de duobus filiis suis: Heu me, dolens sum de Joseph perdito, et tristis nimis de Benjamin ducto pro alimoniis! * Precor cœlestem Regem, ut me dolentem nimium faciat eos cernere. ℣. Prosternens se Jacob vehementer cum lacrymis, pronus in terram et adorans, ait. Precor. Gloria. Precor.

Ad Laudes.

Ant. 1. Fac benigne in bona voluntate tua, ut ædificentur, Domine, muri Jerusalem.

Psalm. Miserere mei, *p.* 39.

2. Dominus mihi adjutor est, non timebo quid faciat mihi homo.

Psalm. Confitemini, *p.* 17.

3. Deus misereatur nostri, et benedicat nos.

Psalm. Deus Deus meus, *p.* 13.

4. Vim virtutis suæ oblitus est ignis, ut pueri tui liberarentur illæsi.

Cant. Benedicite, *p.* 14.

5. Sol et luna, laudate Deum: quia exaltatum est nomen ejus solius.

Psalm. Laudate Dominum de cœlis, *p.* 14.

Capitulum. Ephes. 5.

FRATRES, Estote imitatores Dei sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.

Hymnus et ℣. *ut supra*, p. 289.

Ad Bened. Ant. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet.

Oratio.

QUÆSUMUS, omnipotens Deus, vota humilium respice, atque ad defensionem nostram dexteram tuæ majestatis extende. Per Dominum.

Ad Horas ℟℟. *br. ut in Psalt.*

Ad Primam.

Ant. Et cum ejecisset Jesus dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ.

Ad Tertiam.

Ant. Si in digito Dei ejicio dæmo-

Digitized by Google

nia, profecto pervenit in vos regnum Dei.

Capit. Fratres, Estote.

Ad Sextam.

Ant. Qui non colligit mecum, dispergit; et qui non est mecum, contra me est.

Capitulum. Ephes. 5.

HOC enim scitote intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei.

Ad Nonam.

Ant. Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, et non invenit.

Capitulum. Ephes. 5.

ERATIS enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate: fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate.

Ad Vesperas.

Ant. et Psalmi de Dominica.

Capit. Fratres Estote.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 253.

Ad Magnif. Ant. Extollens vocem quædam mulier de turba, dixit: Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. At Jesus ait illi: Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

Deinde dicuntur Vesp. Defunct.

FERIA SECUNDA

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio j. Cap. 4.

IN illo tempore: Dixit Jesus Pharisæis: Utique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice, cura te ipsum: quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 4. in cap. 4. Lucæ, post. med.

NON mediocris invidia proditur, quæ civicæ charitatis oblita, in acerba odia causas amoris inflectit. Simul hoc exemplo pariter et oraculo declaratur quod frustra opem misericordiæ cœlestis expectas, si alienæ fructibus virtutis invideas. Aspernator enim Dominus invidorum est, et ab iis qui divina beneficia in aliis persequuntur, miracula suæ potestatis avertit. Dominicæ quippe carnis actus, divinitatis exemplum est: et invisibilia nobis ejus per ea, quæ sunt visibilia, demonstrantur.

℟. Tollite hinc vobiscum munera, et ite ad Dominum terræ; et cum inveneritis, adorate eum super terram: * Deus autem meus faciat eum vobis placabilem, et remittat et hunc fratrem vestrum vobiscum, et eum quem tenet in vinculis. ℣. Sumite de optimis terræ frugibus in vasis vestris, et deferte viro munera. Deus.

Lectio ij.

NON otiose itaque Salvator excusat quod nulla in patria sua miracula virtutis operatus sit: ne fortassis aliquis viliorem patriæ nobis esse debere putaret affectum. Neque enim cives poterat non amare, qui amaret omnes; sed ipsi se charitate patriæ, dum invident, abdicarunt. In veritate dico vobis: Multæ viduæ fuerunt in diebus Eliæ. Non quia Eliæ dies fuerunt, sed in quibus Elias operatus est: aut quia Elias dies faciebat illis, qui in ejus operibus lucem videbant gratiæ spiritalis, et convertebantur ad Dominum. Et ideo aperiebatur cœlum videntibus æterna et divina mysteria: claudebatur, et fames erat, quando nulla erat cognoscendæ divinitatis ubertas. Sed de hoc plenius diximus, cum de viduis scriberemus.

℟. Iste est frater vester minimus, de quo dixeratis mihi? Deus misereatur tibi, fili mi. * Festinavitque in domum, et ploravit: quia erumpebant lacrymæ, et non poterat se continere. ℣. Attollens autem Joseph e-

Digitized by Google

culos, vidit Benjamin stantem, et commota sunt omnia viscera ejus super fratre suo. Festinavitque.

Lectio iij.

ET multi leprosi erant in Judæa temporibus Elisæi Prophetæ et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. Evidenter hic sermo nos Domini salutaris informat, et ad studium venerandæ divinitatis hortatur, quod nemo sanatus ostenditur, et maculosi morbo corporis absolutus, nisi qui religioso officio studuit sanitati. Non enim dormientibus divina beneficia, sed observantibus deferuntur. Diximus in libro alio in vidua illa, ad quam Elias directus est, typum Ecclesiæ præmissum. Populus Ecclesiam congregavit, ut sequatur populus ille ex alienigenis congregatus. Populus ille ante leprosus, populus ille ante maculosus, priusquam mystico baptizaretur in flumine, idem post sacramenta baptismatis maculis corporis et mentis ablutus, jam non leprosa, sed immaculata virgo cœpit esse sine ruga.

℣. Dixit Joseph undecim fratribus suis: Ego sum Joseph, quem vendidistis in Ægyptum. Adhuc vivit pater noster senior, de quo dixeratis mihi? * Ite, adducite eum ad me, ut possit vivere. ℣. Biennium enim est quod cœpit esse fames in terra, et adhuc restant anni quinque, quibus nec arari poterit, nec meti. Ite. Gloria. Ite.

Ad Bened. Ant. Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua.

Oratio.

CORDIBUS nostris, quæsumus, Domine, gratiam tuam benignus infunde, ut sicut ab escis carnalibus abstinemus, ita sensus quoque nostros a noxiis retrahamus excessibus. Per Dominum.

Hodie dicitur Offic. Defunct.

Ad Magnif. Ant. Jesus autem transiens per medium illorum ibat.

Oratio.

SUBVENIAT nobis, Domine, misericordia tua, ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis, te meramur protegente eripi, te liberante salvari. Per Domin.

FERIA TERTIA

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum

Lectio j. Cap. 18.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Serm. 16. de verbis Domini t. 10.

QUARE illum corripis? Quia tu doles quod peccaverit in te? Absit. Si amore tui id facis, nihil facis: si amore illius facis, optime facis. Denique in ipsis verbis attende, cujus amore id facere debeas, utrum tui, an illius. Si te audierit, inquit, lucratus es fratrem tuum. Ergo propter illum fac, ut lucreris illum. Sic faciendo lucraris: nisi fecisses, perierat. Quid est ergo quod plerique homines ista peccata contemnunt, et dicunt: Quid magnum feci? in hominem peccavi. Noli contemnere quod in hominem peccasti.

℟. Nuntiaverunt Jacob dicentes: Joseph filius tuus vivit, et ipse dominatur in tota terra Ægypti. Quo audito revixit spiritus ejus, et dixit: * Sufficit mihi, vadam, et videbo eum antequam moriar. ℣. Cumque audisset Jacob quod filius ejus viveret, quasi de gravi somno evigilans, ait. Sufficit.

Lectio ij.

VIS nosse quia in hominem peccando periisti? Si te ille, in quem peccasti, corripuerit inter te et ipsum solum, et audieris illum, lucratus est te. Quid est, Lucratus est te, nisi quia perieras, si non lucraretur te? Nam si non perieras, quomodo te lucratus est? Nemo ergo contemnat,

Digitized by Google

quando peccat in fratrem. Ait enim quodam loco Apostolus : Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis: ideo quia membra Christi omnes facti sumus. Quomodo non peccas in Christum, qui peccas in membrum Christi ?

℟. Joseph dum intraret, *p.* 277.

Lectio iij.

NEMO ergo dicat, quia non peccavi in Deum, sed peccavi in fratrem. In hominem peccavi, leve, vel nullum peccatum est. Forte inde dicis, Leve est, quia cito curatur. Peccasti in fratrem; fac satis, et sanatus es. Cito fecisti rem mortiferam, sed remedium cito invenisti. Quis nostrum speret regnum cœlorum, fratres mei, quando dicit Evangelium : Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis ? Magnus terror : sed vide ibi remedium. Si obtuleris munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare. Non irascitur Deus quia differs imponere munus tuum : te quærit Deus magis quam munus tuum.

℟. Memento mei, *p.* 277.

Ad Bened. Ant. Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, dicit Dominus.

Oratio.

EXAUDI nos, omnipotens et misericors Deus, et continentiæ salutaris propitius nobis dona concede. Per Dominum.

Ad Magnif. Ant. Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum, dicit Dominus.

Oratio.

TUA nos, Domine, protectione defende, et ab omni semper iniquitate custodi. Per Dominum.

FERIA QUARTA.

Hodie dicuntur Psalmi Grad.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio. j Cap. 15.

IN illo tempore : Accesserunt ad Jesum ab Jerosolymis Scribæ et Pharisæi, dicentes : Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum ? Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 2. *Com. in c.* 15. *Matth.*

MIRA Pharisæorum Scribarumque stultitia ! Dei Filium arguunt, quare hominum traditiones et præcepta non servet : Non enim lavant manus suas, cum panem manducant. Manus, id est opera, non corporis utique, sed animæ lavandæ sunt, ut fiat in illis verbum Dei. Ipse autem respondens ait illis : Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram ? Falsam calumniam vera responsione confutat. Cum, inquit, vos propter traditionem hominum præcepta Domini negligatis, quare discipulos meos arguendos putatis, quod seniorum jussa parvipendant, ut Dei scita custodiant ?

℟. Merito hæc, *p.* 277.

Lectio ij.

NAM Deus dixit, Honora patrem et matrem : et, Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Quicumque dixerit patri aut matri : Munus quodcumque est ex me, tibi proderit : et non honorificabit patrem suum aut matrem suam. Honor in Scripturis non tantum in salutationibus et officiis deferendis, quantum in eleemosynis ac munerum oblatione sentitur. Honora, inquit Apostolus, viduas, quæ vere viduæ sunt. Hic honor donum intelligitur. Et in alio loco : Presbyteri duplici honore honorandi sunt, maxime qui laborant in verbo et doctrina Dei. Et per hoc mandatum jubemur bovi trituranti os non claudere : et dignus sit operarius mercede sua.

℟. Dixit Ruben, *p.* 278.

Digitized by Google

Lectio. iij.

PRÆCEPERAT Dominus, vel imbecillitates, vel ætates, vel penurias parentum considerans, ut filii honorarent, etiam in vitæ necessariis ministrandis, parentes suos. Hanc providentissimam Dei legem volentes Scribæ et Pharisæi subvertere, ut impietatem sub nomine pietatis inducerent, docuerunt pessimos filios, ut si quis ea quæ parentibus offerenda sunt, Deo vóvere voluerit, qui verus est pater, oblatio Domini præponatur parentum muneribus, vel certe ipsi parentes, quæ Deo consecrata cernebant, ne sacrilegii crimen incurrerent, declinantes, egestate conficiebantur. Atque ita fiebat, ut oblatio liberorum sub occasione templi et Dei, in sacerdotum lucra cederet.

℟. Lamentabatur. *p.* 278.

Ad Bened. Ant. Audite et intelligite traditiones, quas Dominus dedit nobis.

Oratio.

PRÆSTA nobis, quæsumus, Domine, ut salutaribus jejuniis eruditi, a noxiis quoque vitiis abstinentes, propitiationem tuam facilius impetremus. Per Dominum.

Ad. Magnif. Ant. Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati a malis omnibus, secura tibi mente serviamus. Per Dominum.

FERIA QUINTA.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio j. Cap. 4.

IN illo tempore: Surgens Jesus de synagoga, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 4. in Luca cap. 4. circa fin.

VIDE clementiam Domini Salvatoris. Nec indignatione commotus, nec scelere offensus, nec injuria violatus, Judæam deserit: quin etiam immemor injuriæ, memor clementiæ, nunc docendo, nunc liberando, nunc sanando, infidæ plebis corda demulcet. Et bene sanctus Lucas virum ab spiritu nequitiæ liberatum ante præmisit, et subdit feminæ sanitatem. Utrumque enim sexum Dominus curaturus advenerat: sed prior sanari debuit, qui prior creatus est, nec prætermitti illa, quæ mobilitate magis animi, quam pravitate peccaverat.

℟. Videntes Joseph, *p.* 273.

Lectio ij.

SABBATO medicinæ Dominicæ opera cœpta significat, ut inde nova creatura cœperit, ubi vetus creatura ante desivit: nec sub lege esse Dei Filium, sed supra legem in ipso principio designaret: nec solvi legem, sed impleri. Neque enim per legem, sed verbo factus est mundus, sicut legimus: Verbo Domini cœli firmati sunt. Non solvitur ergo lex, sed impletur, ut fiat renovatio hominis jam labentis. Unde et Apostolus ait: Expoliantes vos veterem hominem, induite novum, qui secundum Deum creatus est.

℟. Dixit Judas, *p.* 276.

Lectio iij.

ET bene sabbato cœpit, ut ipsum se ostenderet Creatorem, qui opera operibus intexeret, et prosequeretur opus, quod ipse jam cœperat: ut si domum faber renovare disponat, non a fundamentis, sed a culminibus incipit solvere vetustatem. Itaque ibi prius manum admovet, ubi ante desierat, deinde a minoribus incipit, ut ad majora perveniat. Liberare a dæmone et homines, sed in verbo Dei, possunt: resurrectionem mortuis imperare, divinæ solius est potestatis. Fortassis

Digitized by Google

etiam in typo mulieris illius socrus Simonis et Andreæ, variis criminum febribus caro nostra languebat, et diversarum cupiditatum immodicis æstuabat illecebris. Nec minorem febrem amoris esse dixerim, quam caloris. Itaque illa animum, hæc corpus inflammat. Febris enim nostra, avaritia est: febris nostra, libido est: febris nostra, luxuria est; febris nostra, ambitio est: febris nostra, iracundia est.

℣. Extrahentes Joseph, *p.* 276.

Ad Bened. Ant. Exibant autem dæmonia a multis clamantia, et dicentia: Quia tu es Christus Filius Dei: et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.

Oratio.

MAGNIFICET te, Domine, sanctorum tuorum Cosmæ et Damiani beata solemnitas, qua et illis gloriam sempiternam, et opem nobis ineffabili providentia contulisti. Per Dominum.

Ad Magnif. Ant. Omnes qui habebant infirmos, ducebant illos ad Jesum, et sanabantur.

Oratio.

SUBJECTUM tibi populum, quæsumus, Domine, propitiatio cœlestis amplificet, et tuis semper faciat servire mandatis. Per Dominum nostrum.

FERIA SEXTA

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 4.

IN illo tempore: Venit Jesus in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, juxta prædium, quod dedit Jacob Joseph filio suo. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 15. *in Joan. post initium.*

JAM incipiunt mysteria. Non enim frustra fatigatur Jesus: non enim frustra fatigatur virtus Dei: non enim frustra fatigatur, per quem fatigati recreantur: non enim frustra fatigatur, quo deserente fatigamur, quo præsente firmamur. Fatigatur tamen Jesus, et fatigatur ab itinere, et sedet, et juxta puteum sedet, et hora sexta fatigatus sedet. Omnia ista innuunt aliquid, indicare volunt aliquid, intentos nos faciunt; ut pulsemus, hortantur. Ipse ergo aperiat et nobis et vobis, qui dignatus est ita hortari, ut diceret: Pulsate, et aperietur vobis.

℣. Videns Jacob, *p.* 276.

Lectio ij.

TIBI fatigatus est ab itinere Jesus. Invenimus virtutem Jesum, et invenimus infirmum Jesum: fortem, et infirmum. Fortem, quia in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Vis videre quam iste Filius Dei fortis sit? Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil; et sine labore facta sunt. Quid ergo illo fortius, per quem sine labore facta sunt omnia? Infirmum vis nosse? Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Fortitudo Christi te creavit, infirmitas Christi te recreavit. Fortitudo Christi fecit, ut quod non erat, esset: infirmitas Christi fecit, ut quod erat, non periret. Condidit nos fortitudine sua, quæsivit nos infirmitate sua.

℣. Joseph dum intraret, *p.* 277.

Lectio iii.

NUTRIT ergo ipse infirmus infirmos tanquam gallina pullos suos: huic enim se similem fecit. Quoties volui, inquit ad Jerusalem, congregare filios tuos sub alas tanquam gallina pullos suos sub alis suis, et noluisti! Videtis autem, fratres, quemadmodum gallina infirmetur cum pullis suis. Nulla enim alia avis, quod sit mater agnoscitur. Videmus nidificare passeres quoslibet ante oculos nostros: hirundines, ciconias, columbas quotidie videmus nidificare: quos, nisi quando in nidis videmus,

Digitized by Google

parentes esse non agnoscimus. Gallina vero sic infirmatur in pullis suis, ut etiamsi ipsi pulli non sequantur, filios non videas, matrem tamen intelligas.

℟. Memento mei, *p.* 277.

Ad Bened. Ant. Aquam quam ego dedero, si quis biberit ex ea, non sitiet in æternum.

Oratio.

JEJUNIA nostra, quæsumus, Domine, benigno favore prosequere, ut sicut ab alimentis abstinemus in corpore, ita a vitiis jejunemus in mente. Per Dominum.

Hodie dicuntur Psalmi Penit.

Ad Magnif. Ant. Domine, ut video, Propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adoraverunt.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens, Deus, ut qui in tua protectione confidimus, cuncta nobis adversantia te adjuvante vincamus. Per Dominum.

SABBATO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 8.

IN illo tempore: Perrexit Jesus in montem Oliveti, et diluculo iterum venit in templum. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 34. *in Joan. post initium.*

JESUS perrexit in montem Oliveti, in montem fructuosum, in montem unguenti, in montem chrismatis. Ubi enim decebat docere Christum, nisi in monte Oliveti? Christi enim nomen a chrismate dictum est: chrisma autem græce, latine unctio nominatur. Ideo autem nos unxit, quia luctatores contra diabolum fecit. Et diluculo iterum venit in templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos, et non tenebatur, quia nondum pati dignabatur. Nunc jam attendite ubi ab inimicis tentata sit Domini mansuetudo.

℟. Merito hæc, *p.* 277.

Lectio ij.

ADDUCUNT autem illi Scribæ et Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, et statuerunt eam in medio, et dixerunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio: in lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare: tu ergo quid dicis? Hæc autem dicebant, tentantes eum, ut possent accusare eum. Unde accusare? Numquid ipsum in aliquo facinore deprehenderant? aut illa mulier ad eum aliquo modo pertinuisse dicebatur?

℟. Dixit Ruben, *p.* 278.

Lectio iij.

INTELLIGAMUS, fratres, admirabilem mansuetudinem in Domino fuisse. Animadverterunt eum nimium esse mitem, nimium esse mansuetum. De illo quippe fuerat ante prædictum: Accingere gladio tuo circa femur tuum, potentissime. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Ergo attulit veritatem ut doctor, mansuetudinem ut liberator, justitiam ut cognitor. Propter hæc eum esse regnaturum in Spiritu sancto Propheta prædixerat. Cum loqueretur, veritas agnoscebatur: cum adversus inimicos non moveretur, mansuetudo laudabatur. Cum ergo de duobus istis, id est, de veritate et mansuetudine ejus, inimici livore et invidia torquerentur, in tertio, id est justitia, scandalum posuerunt.

℟. Lamentabatur, *p.* 278.

Ad Bened. Ant. Inclinavit se Jesus, et scribebat in terra: Si quis sine peccato est, mittat in eam lapidem.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui se, affligendo carnem, ab alimentis abstinent, sectando justitiam, a culpa jejunent. Per Dominum.

Digitized by Google

Ad Vesperas.

Capitulum. Galat. 4.

FRATRES, Scriptum est quoniam Abraham duos filios habuit : unum de ancilla, et unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est ; qui autem de libera, per repromissionem : quæ sunt per allegoriam dicta.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 255.

Ad Magnif. Ant. Nemo te condemnavit, mulier ? Nemo, Domine. Nec ego te condemnabo : jam amplius noli peccare.

Oratio ut infra in Laudibus.

DOM. IV. QUADRAG.

Ad Matut. Invit. et Hymnus, ut in Dom. I. p. 255.

IN I. NOCTURNO.

De libro Exodi.

Lectio j. Cap. 3.

MOYSES autem pascebat oves Jethro soceri sui sacerdotis Madian ; cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi : et videbat quod rubus arderet, et non combureretur. Dixit ergo Moyses: Vadam, et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi : et ait : Moyses, Moyses. Qui respondit : Adsum. At ille : Ne appropies, inquit, huc : solve calceamentum de pedibus tuis : locus enim in quo stas, terra sancta est. Et ait : Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. Abscondit Moyses faciem suam: non enim audebat aspicere contra Deum.

℟. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Descende in Ægyptum et dic Pharaoni. * Ut dimittat populum meum ; induratum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum meum, nisi in manu forti. ℣. Clamor filiorum Israel venit ad me, vidique afflictionem eorum : sed veni, mittam te ad Pharaonem. Ut.

Lectio ij.

CUI ait Dominus : Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, et clamorem ejus audivi propter duritiam eorum, qui præsunt operibus. Et sciens dolorem ejus, descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, et educam de terra illa in terram bonam et spatiosam, in terram quæ fluit lacte et melle, ad loca Chananæi, et Hæthæi, et Amorrhæi, et Phærezæi, et Hevæi, et Jebusæi. Clamor ergo filiorum Israel venit ad me, vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur. Sed veni, et mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Israel de Ægypto.

℟. Stetit Moyses coram Pharaone, et dixit : Hæc dicit Dominus. * Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto. ℣. Dominus Deus Hebræorum misit me ad te, dicens. Dimitte.

Lectio iij.

DIXITQUE Moyses ad Deum : Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israel de Ægypto ? Qui dixit ei : Ego ero tecum ; et hoc habebis signum quod miserim te, Cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum. Ait Moyses ad Deum : Ecce ego vadam ad filios Israel, et dicam eis : Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi : Quod est nomen ejus ? quid dicam eis ? Dixit Deus ad Moysen : Ego sum qui sum. Ait : Sic dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos. Dixitque iterum Deus ad Moysen : Hæc dices filiis Israel : Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in æternum, et hoc memoriale meum in generationem et generationem.

℟. Cantemus Domino: gloriose enim

Digitized by Google

honorificatus est ; equum et ascensorem projecit in mare. * Adjutor et protector factus est mihi Dominus in salutem. ℣. Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus. Adjutor. Gloria. Adjutor.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Basilii Magni.

Homil 1. de jejunio ante medium.

Lectio iv.

MOYSEN per jejunium novimus in montem ascendisse : neque enim aliter ausus esset verticem fumantem adire, atque in caliginem ingredi, nisi jejunio munitus. Per jejunium mandata digito Dei in tabulis conscripta suscepit. Item supra montem jejunium legis latæ conciliator fuit : inferius vero, gula ad idololatriam populum deduxit, ac contaminavit. Sedit, inquit, populus manducare et bibere, et sorrexerunt ludere. Quadraginta dierum laborem ac perseverantiam, Dei servo continuo jejunante ac orante, una tantum populi ebrietas cassam irritamque reddidit. Quas enim tabulas Dei digito conscriptas jejunium accepit, has ebrietas contrivit, Propheta sanctissimo indignum existimante vinolentum populum a Deo legem accipere.

℟. In mari viæ tuæ, et semitæ tuæ in aquis multis : * Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi et Aaron. ℣. Transtulisti illos per mare Rubrum, et transvexisti eos per aquam nimiam. Deduxisti.

Lectio v.

UNO temporis momento ob gulam populus ille per maxima prodigia Dei cultum edoctus, in Ægyptiacam idololatriam turpissime devolutus est, Ex quo si utrumque simul conferas, videre licet jejunium ad Deum ducere, delicias vero salutem perdere. Quid Esau inquinavit, servumque fratris reddidit ? nonne esca una, propter quam primogenita vendidit ? Samuelem vero nonne per jejunium oratio largita est matri ? Quid fortissimum Samsonem inexpugnabilem reddidit ? nonne jejunium, cum quo in matris ventre conceptus est ? Jejunium concepit, jejunium nutrivit, jejunium virum effecit. Quod sane Angelus matri præcepit, monens, quæcumque ex vite procederent, ne attingeret, non vinum, non siceram biberet. Jejunium Prophetas genuit, potentes confirmat atque roborat.

℟. Qui persequebantur populum tuum, Domine, demersisti eos in profundum : * Et in columna nubis ductor eorum fuisti. ℣. Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi et Aaron. Et.

Lectio vj.

JEJUNIUM legislatores sapientes facit, animæ optima custodia, corporis socius securus, fortibus viris munimentum et arma, athletis et certantibus exercitatio. Hoc præterea tentationes propulsat, ad pietatem armat, cum sobrietate habitat, temperantiæ opifex est : in bellis fortitudinem affert, in pace quietem docet: Nazaræum sanctificat, sacerdotem perficit : neque enim fas est sine jejunio sacrificium attingere, non solum in mystica nunc et vera Dei adoratione, sed nec in illa, in qua sacrificium secundum legem in figura offerebatur. Jejunium Eliam magnæ visionis spectatorem fecit. Quadraginta namque dierum jejunio cum animam purgasset, in speluuca meruit, quantum fas est homini, Deum videre. Moyses iterum legem accipiens, iterum jejunia secutus est. Ninivitæ, nisi cum illis et bruta jejunassent, ruinæ minas nequaquam evasissent. In deserto autem quorumnam membra ceciderunt ? nonne illorum qui carnes appetivere ?

℟. Moyses famulus Dei jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus: * Ut legem Domini mereretur accipere. ℣. Ascendens Moyses in montem Sinai ad Dominum, fuit ibi

Digitized by Google

quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Ut. Gloria. Ut.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo tempore : Abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis, et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 24. in Joannem.

MIRACULA quæ fecit Dominus noster Jesus Christus, sunt quidem divina opera, et ad intelligendum Deum de visibilibus admonent humanam mentem. Quia enim ille non est talis substantia quæ videri oculis possit ; et miracula ejus, quibus totum mundum regit, universamque creaturam administrat, assiduitate vilnerunt, ita ut pene nemo dignetur attendere opera Dei mira et stupenda in quolibet seminis grano ; secundum ipsam suam misericordiam servavit sibi quædam, quæ faceret opportuno tempore præter usitatum cursum ordinemque naturæ : ut non majora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana vilnerant.

℣. Splendida facta est facies Moysi, dum respiceret in eum Dominus. * Videntes seniores claritatem vultus ejus, admirantes timuerunt valde. ℣. Cumque descendisset de monte Sinai, portabat duas tabulas testimonii, ignorans quod cornuta esset facies ejus ex consortio sermonis Dei. Videntes.

Lectio viij.

MAJUS enim miraculum est guberuatio totius mundi, quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus, et tamen hoc nemo miratur. Illud mirantur homines, non quia majus est, sed quia rarum est. Quis enim et nunc pascit universum mundum, nisi ille qui de paucis granis segetes creat ? Fecit ergo quo modo Deus. Unde enim multiplicat de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicavit quinque panes : potestas enim erat in manibus Christi. Panes autem illi quinque quasi semina erant, non quidem terræ mandata, sed ab eo, qui terram fecit, multiplicata.

℣. Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te, et custodiat semper. * Observa et audi vocem meam, et inimicus ero inimicis tuis, et affligentes te affligam: et præcedet te Angelus meus. ℣. Israel, si me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum : ego enim Dominus. Observa.

Lectio ix.

HOC ergo admotum est sensibus, quo erigeretur mens : et exhibitum oculis, ubi exerceretur intellectus : ut invisibilem Deum per visibilia opera miraremur, et erecti ad fidem et purgati per fidem, etiam ipsum invisibilem videre cuperemus, quem de rebus visibilibus invisibilem nosceremus. Nec tamen sufficit hæc intueri in miraculis Christi. Interrogemus ipsa miracula quid nobis loquantur de Christo : habent enim, si intelligantur, linguam suam. Nam quia ipse Christus Verbum Dei est, etiam factum Verbi verbum nobis est.

℣. Attendite, populo meus, legem meam : * Inclinate aurem vestram in verba oris mei ℣. Aperiam in parabolis os meum : loquar propositiones ab initio sæculi. Inclinate. Gloria. Inclinate.

Ad Laudes

Ant. 1. Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, si avverteris faciem tuam a peccatis meis.

Psalm. Miserere mei, *p.* 39.

2. Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.

Psalm. Confitemini, *p*, 17.

3. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.

Digitized by Google

Psalm. Deus Deus meus, *p.* 13.

4. Potens es, Domine, eripere nos de manu forti: libera nos, Deus noster.

Cant. Benedicite, *p.* 14.

5. Reges terræ et omnes populi, laudate Deum.

Psalm. Laudate Dominum de cælis, *p.* 14.

Capitulum. Galat. 4.

FRATRES, Scriptum est quoniam Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, et unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem: quæ sunt per allegoriam dicta.

Hymnus et ℣. ut supra, *p.* 259.

Ad Bened. Ant. Cum sublevasset oculos Jesus, et vidisset maximam multitudinem venientem ad se, dixit ad Philippum: Unde ememus panes ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid essset facturus.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui ex merito nostræ actionis affligimur, tuæ gratiæ consolatione respiremus. Per Dominum.

Ad Horas ℟℟. br. ut in Psalt.

Ad Primam.

Ant. Accepit ergo Jesus panes, et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.

Ad Tertiam.

Ant. De quinque panibus et duobus piscibus satiavit Dominus quinque millia hominum.

Capit. Fratres Scriptum est.

Ad Sextam.

Ant. Satiavit Dominus quinque millia hominum de quinque panibus et duobus piscibus.

Capitulum. Galat. 4.

LÆTARE, sterilis, quæ non paris; erumpe et clama, quæ non parturis, quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum.

Ad Nonam.

Ant. Illi ergo homines cum vidissent quod fecerat Jesus signum, intra se dicebant: Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.

Capitulum. Galat. 4.

ITAQUE, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberavit.

Ad Vesperas.

Ant. et Psalmi de Dominica.

Capit. Fratres Scriptum est.

Hymnus et. ℣. ut supra, p. 255.

Ad Magnif. Ant. Subiit ergo in montem Jesus, et ibi sedebat cum discipulis suis.

Deinde dicuntur Vesp. Defunct.

FERIA SECUNDA.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 2.

IN illo tempore: Prope erat Pascha Judæorum et ascendit Jesus Jerosolymam: et invenit in templo vendentes boves, et oves, et columbas. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 10. in Ioan. post init.

QUID audivimus, fratres? Ecce templum illud figura adhuc erat, et ejecit inde Dominus omnes qui sua quærebant, qui ad nundinas venerant. Et quæ ibi vendebant illi? Quæ opus habebant homines in sacrificiis illius temporis. Novit enim charitas vestra quod sacrificia illi populo pro ejus carnalitate, et corde adhuc lapideo, talia data sunt, quibus teneretur, ne in idola defluereet: et immolabant ibi sacrificia, boves, oves, et columbas.

℟. Vos qui transituri estis Jordanem, ædificate altare Domino * De lapidibus, quos ferrum non tetigit,

Digitized by Google

et offerte super illud holocausta et hostias pacificas Deo vestro. ℣. Cumque intraveritis terram quam Dominus daturus est vobis, ædificate ibi altare Domino. Deo.

Lectio ij.

NON ergo magnum peccatum, si hoc vendebant in templo, quod emebatur ut offerretur in templo, et tamen ejecit inde illos. Quid si ibi ebriosos inveniret, quid faceret Dominus, si vendentes ea, quæ licita sunt, et contra justitiam non sunt (quæ enim honeste emuntur, non illicite venduntur) expulit tamen, et non est passus domum orationis fieri domum negotiationis?

℟. Audi, Israel, præcepta Domini, et ea in corde tuo quasi in libro scribe: * Et dabo tibi terram fluentem lac et mel. ℣. Observa igitur et audi vocem meam, et inimicus ero inimicis tuis. Et.

Lectio iij.

SI negotiationis domus non debet fieri domus Dei, potationis debet fieri? Nos autem quando ista dicimus, strident dentibus suis adversus nos; et consolatur nos psalmus quem audistis: Strideruut super me dentibus suis. Novimus et nos audire unde curemur, etsi ingeminantur flagella Christo: quia flagellatur sermo ipsius. Congregata sunt, inquit, in me flagella, et nesciebant. Flagellatus est flagellis Judæorum, flagellatur blasphemiis falsorum Christianorum: multiplicant flagella Domino Deo suo, et nesciunt. Faciamus nos quantum ipse adjuvat. Ego autem, cum mihi molesti essent, induebam me cilicio, et humiliabam in jejunio animam meam.

℟. Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum, dicit Dominus. * Confortare, et esto robustus: introduces populum meum ad terram lacte et melle manantem. ℣. Noli timere, quoniam tecum sum: ad quæcumque perrexeris non dimittam te, neque derelinquam. Confortare. Gloria. Confortare.

Ad Bened. Ant. Auferte sta hinc, dicit Dominus; et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut observationes sacras annua devotione recolentes, et corpore tibi placeamus et mente. Per Dominum.

Hodie dicitur Offic. Defunct.

Ad Magnif. Ant. Solvite templum hoc, dicit Dominus, et post triduum reædificabo illud. Hoc autem dicebat de templo corporis sui.

Oratio.

DEPRECATIONEM nostram, quæsumus, Domine, benignus exaudi, et quibus supplicandi præstas affectum, tribue defensionis auxilium. Per Dominum.

FERIA TERTIA.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 7.

IN illo tempore: Jam die festo mediante, ascendit Jesus in templum, et docebat. Et mirabantur Judæi, Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 29. in Joan. sub init.

ILLE qui latebat, docebat, et palam loquebatur, et non tenebatur. Illud enim ut lateret, erat causa exempli, hoc potestatis. Sed cum doceret, mirabantur Judæi. Omnes quidem, quantum arbitror, mirabantur, sed non omnes convertebantur. Et unde admiratio? Quia multi noverant ubi natus, quemadmodum fuerit educatus. Nunquam eum viderant litteras discentem: audiebant autem de lege disputantem, legis testimonia proferentem, quæ nemo posset proferre, nisi legisset; nemo legere, nisi litteras didicisset; et ideo mirabantur. Eorum autem admiratio magistro facta est insinuandæ altius veritatis occasio.

Digitized by Google

℟. Quid me quæritis interficere, hominem qui vera locutus sum vobis? * Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, cur me cædis? ℣. Multa bona opera operatus sum vobis: propter quod opus vultis me occidere? Si.

Lectio ij.

EX eorum quippe admiratione et verbis, dixit Dominus profundum aliquid, et diligentius inspici et discuti dignum. Quid ergo Dominus respondit eis admirantibus quomodo sciret litteras, quas non didicerat? Mea, inquit, doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. Hæc est profunditas prima; videtur enim paucis verbis quasi contraria locutus. Non enim ait: Ista doctrina non est mea: sed, Mea doctrina non est mea. Si non tua, quomodo tua? si tua, quomodo non tua? Tu enim dicis utrumque, Et mea doctrina, et non mea.

℟. Adduxi vos per desertum quadraginta annis ego Dominus, et non sunt attrita vestimenta vestra: * Manna de cælo plui vobis, et obliti estis me, dicit Dominus. ℣. Ego eduxi vos de terra Ægypti, et de domo servitutis liberavi vos. Manna.

Lectio iij.

SI ergo intueamur diligenter quod ipse in exordio dicit sanctus Evangelista: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: inde pendet hujus solutio quæstionis. Quæ est doctrina Patris, nisi Verbum Patris? Ipse ergo Christus doctrina Patris, si Verbum Patris. Sed quia verbum non potest esse nullius, sed alicujus, et suam doctrinam dixit ipsum, et non suam, quia Patris est Verbum. Quid enim tam tuum, quam tu? et quid tam non tuum, quam tu, si alicujus est, quod es?

℟. Moyses famulus Dei jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus, * Ut legem Domini mereretur accipere. ℣. Ascendens Moyses in montem Sinai ad Dominum, fuit ibi quadraginta diebus, et quadraginta noctibus. Ut. Gloria. Ut.

Ad Bened. Ant. Quid me quæritis interficere, hominem qui vera locutus sum vobis?

Oratio.

SACRÆ nobis, quæsumus, Domine, observationis jejunia, et piæ conversationis augmentum, et tuæ propitiationis continuum præstent auxilium. Per Domin.

Ad Magnif. Ant. Nemo in eum misit manum; quia nondum venerat hora ejus.

Oratio.

MISERERE, Domine populo tuo, et continuis tribulationibus laborantem propitius respirare concede. Per Dominum.

FERIA QUARTA.

Hodie dicuntur Psalmi Grad.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 9.

IN illo tempore: Præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate. Et interrogaverunt eum discipuli ejus: Rabbi, quis peccavit hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 44. in Joan. circa init.

EA quæ fecit Dominus noster Jesus Christus stupenda atque miranda, et opera et verba sunt: opera, quia facta sunt; verba, quia signa sunt. Si ergo quid significet hoc quod factum est, cogitemus, genus humanum est iste cæcus. Hæc enim cæcitas contigit in primo homine per peccatum, de quo omnes originem duximus: non solum mortis, sed etiam iniquitatis. Si enim cæcitas est infidelitas, et illuminatio fides; quem fidelem, quando venit Christus, invenit? Quandoquidem Apostolus natus

Digitized by Google

in gente Prophetarum dicit : Fuimus et nos aliquando natura filii iræ, sicut et cæteri. Si filii iræ, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ. Quomodo natura, nisi quia peccante primo homine, vitium pro natura inolevit ? Si vitium pro natura inolevit, secundum mentem omnis homo cæcus natus est.

℣. Splendida facta, *p.* 287.

Lectio ij.

VENIT Dominus : quid fecit ? Magnum mysterium commendavit. Expuit in terram, de saliva sua lutum fecit, quia Verbum caro factum est; et inunxit oculos cæci. Inunctus erat, et nondum videbat. Misit illum ad piscinam, quæ vocatur Siloe. Pertinuit autem ad Evangelistam commendare nobis nomen hujus piscinæ, et ait : Quod interpretatur Missus. Jam quis sit Missus agnoscitis. Nisi enim ille fuisset missus, nemo nostrum esset ab iniquitate dimissus. Lavit ergo oculos in ea piscina quæ interpretatur Missus; baptizatus est in Christo. Si ergo quando eum in seipso quodammodo baptizavit, tunc illuminavit : quando inunxit, fortasse catechumenum fecit.

℣. Ecce mitto, *p.* 287.

Lectio iij.

AUDISTIS grande mysterium. Interroga hominem : Christianus es? Respondet tibi : Non sum. Si paganus es aut Judæus ? Si autem dixerit, Non sum ; adhuc quæris ab eo : Catechumenus, an fidelis ? Si responderit tibi, Catechumenus : inunctus est, nondum lotus. Sed unde inunctus ? Quære, et respondet. Quære ab illo in quem credat ; eo ipso quo catechumenus est, dicit, in Christum. Ecce modo loquor et fidelibus et catechumenis. Quid dixi de sputo et luto ? Quia Verbum caro factum est, hoc catechumeni audiunt : sed non eis sufficit ad quod inuncti sunt ; festinent ad lavacrum, si lumen inquirunt.

℣. Attendite, *p.* 287.

Ad Bened. Ant. Rabbi, quid peccavit homo iste, quod cæcus natus est ? Respondit Jesus, et dixit : Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.

Oratio.

DEUS, qui et justis præmia meritorum, et peccatoribus per jejunium veniam præbes, miserere supplicibus tuis, ut reatus nostri confessio indulgentiam valeat percipere delictorum. Per Domin

Ad Magnif. Ant. Ille homo qui dicitur Jesus, lutum fecit ex sputo, et linivit oculos meos, et modo video.

Oratio.

PATEANT aures misericordiæ tuæ, Domine, precibus supplicantium ; et ut petentibus desiderata concedas, fac eos quæ tibi sunt placita postulare. Per Domin.

FERIA QUINTA

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio j. Cap. 7.

IN illo tempore : Ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur Naim : et ibant cum eo discipuli ejus, et turba copiosa. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 5. Comment. in Lucæ cap. 7.

ET hic locus ad utramque redundat gratiam, et ut cito flecti divinam misericordiam matris viduæ lamentatione credamus, ejus præcipue, quæ unici filii vel labore vel morte frangatur ; cui tamen viduæ gravitatis meritum exequiarum turba conciliet : et ut hanc viduam populorum turba septam, plus videri esse quam feminam, quæ resurrectionem unici et adoloscentis filii suis lacrymis meruerit impetrare : eo quod sancta Ecclesia populum juniorem a pompa funeris, atque a supremis sepulchri, suarum revocet ad vitam contemplatione lacrymarum, quæ flere prohibetur eum, cui resurrectio debebatur.

Digitized by Google

℟. Locutus est Dominus, *p.* 286.

Lectio ij.

QUI quidem mortuus in loculo materialibus quatuor ad sepulchrum ferebatur elementis; sed spem resurgendi habebat, quia ferebatur in ligno. Quod etsi nobis ante non proderat, tamen posteaquam Jesus id tetigit, proficere cœpit ad vitam, ut esset indicio salutem populo per crucis patibulum refundendam. Audito igitur Dei verbo, steterunt acerbi illi funeris portitores, qui corpus humanum lethali fluxu naturæ materialis urgebant. Quid enim aliud, nisi quasi in quodam feretro, hoc est, supremi funeris instrumento, jacemus exanimes, cum vel iguis immodicæ cupiditatis exæstuat, vel frigidus humor exundat, vel pigra quadam terreni corporis habitudine vigor hebetatur animorum; vel concreta noster spiritus labe, puræ lucis vacuus, mentem alit? Hi sunt nostri funeris portitores.

℟. Stetit Moyses, *p.* 285.

Lectio iij.

SED quamvis suprema mortis spem vitæ omnis aboleverint, et tumulo proxima corpora jaceant defunctorum; verbo tamen Dei jam mortua resurgunt cadavera, vox redit, redditur filius matri, revocatur a tumulo, eripitur a sepulchro. Quis iste est tumulus tuus, nisi mali mores? Tumulus tuus perfidia est, sepulchrum tuum guttur est. Sepulchrum enim patens est guttur eorum, unde verba mortua proferuntur. Ab hoc sepulchro te liberat Christus; ab hoc tumulo surges, si audias verbum Dei. Et si grave peccatum est, quod pœnitentiæ lacrymis ipse lavare non possis, fleat pro te mater Ecclesia, quæ pro singulis tanquam pro unicis filiis vidua mater intervenit. Compatitur enim quodam spiritali dolore naturæ, cum suos liberos lethalibus vitiis ad mortem cernit urgeri.

℟. Cantemus Domino, *p.* 285.

Ad Bened. Ant. Ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur Naim: et ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ.

Oratio.

PRESTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut quos jejunia votiva castigant, ipsa quoque devotio sancta lætificet; ut terrenis affectibus mitigatis, facilius cœlestia capiamus. Per Dominum.

Ad Magnif. Ant. Propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam.

Oratio.

POPULI tui, Deus, institutor et rector, peccata, quibus impugnatur, expelle; ut semper tibi placitus, et tuo munimine sit securus. Per Dominum.

FERIA SEXTA

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. II.

IN illo tempore: Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariæ, et Marthæ sororis ejus. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 49. *in Joan. post. init.*

IN superiori lectione meminist s quod Dominus exiit de manibus eorum qui lapidare illum voluerant, et discessit trans Jordanem, ubi Joannes baptizabat. Ibi ergo Domino constituto, infirmabatur in Bethania Lazarus: quod castellum erat proximum Jerosolymis. Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur. Miserunt ergo sorores ejus ad eum. Jam intelligimus quo miserunt; ubi erat Jesus: quoniam absens erat, trans Jordanem scilicet. Miserunt ad Dominum, nuntiantes quod ægrotaret frater earum, ut, si dignaretur, veniret, et eum ab ægritudine liberaret. Ille distulit sanare ut posset resuscitare.

℟. In mari viæ tuæ, *p.* 286.

Digitized by Google

Lectio ij.

QUID ergo nuntiaverunt sorores ejus? Domine, ecce quem amas infirmatur. Non dixerunt, Veni: amanti enim tantummodo nuntiandum fuit. Non ausæ sunt dicere, Veni, et sana: non ausæ sunt dicere, Ibi jube, et hic fiet. Cur enim non et istæ, si fides illius Centurionis inde laudatur? Ait enim: Non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. Nihil horum istæ, sed tantummodo: Domine, ecce quem amas infirmatur. Sufficit ut noveris: non enim amas, et deseris.

℟. Qui persequebantur, *p.* 286.

Lectio iij.

DICIT aliquis: Quomodo per Lazarum peccator significabatur, et a Domino sic amabatur? Audiat eum dicentem: Non veni vocare justos, sed peccatores. Si enim peccatores Deus non amaret, de cœlo ad terram non descenderet. Audiens autem Jesus, dixit eis: infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei. Talis glorificatio ipsius non ipsum auxit, sed nobis profuit. Hoc est ergo quod ait, Non est ad mortem; quia et ipsa mors non erat ad mortem, sed potius ad miraculum: quo facto crederent homines in Christum, et vitarent veram mortem. Sane videte quemadmodum tanquam ex obliquo Dominus Deum se dixit, propter quosdam qui negant Filium Dei Deum esse.

℟. Moyses famulus, *p.* 286.

Ad Bened. Ant. Lazarus amicus noster dormit: eamus, et a somno excitemus eum.

Oratio.

DEUS, qui ineffabilibus mundum renovas sacramentis, præsta, quæsumus, ut Ecclesia tua et æternis proficiat institutis, et temporalibus non destituatur auxiliis. Per Dominum.

Hodie dicuntur Psalmi Pœnit.

Ad Magnif. Ant. Domine, si fuisses hic, Lazarus non esset mortuus: ecce jam fœtet quatriduanus in monumento.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui infirmitatis nostræ conscii de tua virtute confidimus, sub tua semper pietate gaudeamus. Per Dominum.

SABBATO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio i. Cap. 8.

IN illo tempore: Locutus est Jesus turbis Judæorum, dicens: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris; sed habebit lumen vitæ. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 34. *in Joan post. init.*

QUOD ait Dominus, Ego sum lux mundi, clarum puto esse eis qui habent oculos, unde hujus lucis participes fiant: qui autem non habent oculos, nisi in sola carne mirantur quod dictum est a Domino Jesu Christo, Ego sum lux mundi. Et forte non desit qui dicat apud semetipsum: Numquid forte Dominus Christus est sol iste, qui ortu et occasu peragit diem? Non enim defuerunt hæretici, qui ista senserunt. Manichæi solem istum oculis carneis visibilem, expositum et publicum non tantum hominibus, sed etiam pecoribus, ad videndum, Christum Dominum esse putaverunt.

℟. Splendida facta, *p.* 287.

Lectio ij.

SED Catholicæ Ecclesiæ recta fides improbat tale commentum, et diabolicam doctrinam esse cognoscit: nec solum agnoscit credendo, sed in quibus potest convincit etiam disputando. Improbemus itaque hujsmodi errorem, quem sancta ab initio anathematizavit Ecclesia. Non arbitremur Dominum Jesum Christum hunc esse solem quem videmus oriri ab Oriente,

Digitized by Google

occidere in Occidente: cujus cursui nox succedit, cujus radii nube obumbrantur: qui certa de loco in locum motione commigrat. Non est hoc Dominus Christus. Non est Dominus Christus sol factus, sed per quem sol factus est. Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.

℟. Ecce mitto, *p.* 287.

Lectio iij.

EST ergo lux, quæ fecit hanc lucem. Hanc amemus, hanc intelligere cupiamus, ipsam sitiamus, ut ad ipsam duce ipsa aliquando veniamus, et in illa ita vivamus, ut nunquam omnino moriamur. Ista enim lux est, de qua Prophetia olim præmissa ita in psalmo cecinit: Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. Advertite quid de tali luce antiquus sanctorum hominum Dei sermo præmiserit: Homines inquit, et jumenta salvos facies, Domine: sicut multiplicata est misericordia tua, Deus.

℟. Attendite, *p.* 287.

Ad Bened. Ant. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris; sed habebit lumen vitæ, dicit Dominus.

Oratio.

FIAT, Domine, quæsumus, per gratiam tuam fructuosus nostræ devotionis affectus, quia tunc nobis proderunt suscepta jejunia, si tuæ sint placita pietati. Per Domin.

Ad Vesperas.

Capitulum. Hebr. 9.

FRATRES, Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manu factum, id est non hujus creationis; neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.

HYMNUS.

VEXILLA Regis prodeunt,
Fulget Crucis mysterium,
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.

Quæ vulnerata lanceæ
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit unda et sanguine.

Impleta sunt quæ concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus;
Regnavit a ligno Deus.

Arbor decora et fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.

Beata cujus brachiis
Pretium pependit sæculi,
Statera facta corporis,
Tulitque prædam tartari.

O Crux, ave, spes unica,
Hoc passionis tempore
Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.

Te, fons salutis Trinitas,
Collaudet omnis spiritus;
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde præmium. Amen.

℣. Eripe me, Domine, ab homine malo. ℟ A viro iniquo eripe me.

Ad Magnif. Ant. Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso; et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.

Oratio ut infra in Laudibus.

Ad hoc Sabb. usque ad Feriam ij. *post Oct. Pentec., non fiunt comm. consuetæ de Cruce, de S. Maria, et aliæ in Psalt. positæ.*

Ad Complet. in ℟*, br. non dicitur* Gloria Patri *in Offic. fer. usque ad Feriam* v. *in Cœna Domini.*

DOM. DE PASSIONE.

Ad Matutinum.

Invit. Hodie si vocem Domini audieritis, * Nolite obdurare corda vestra.

Psalm. Venite exultemus, *p.* I.

Hoc Invit. dicitur usque ad Feriam v. *in Cœna Domini, etiam in fer. Offic. In Psalmo* Hodie si vocem *omittitur, et repetitur a Choro Invit,. deinde sequitur* Sicut in exacerbatione.

In fine hujus Psalmi non dicitur

Digitized by Google

Gloria Patri *hoc temp. Pass. nisi in Festis : sed repetitur Invit. ut alias, in fine. Quod etiam servatur in* ℟℟. *ad Matut. et in* ℟℟. *br. Horar, ubi similiter repetitur* ℟.

HYMNUS.

PANGE, lingua, gloriosi
Lauream certaminis,
Et super Crucis trophæo
Dic triumphum nobilem :
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit.

De parentis protoplasti
Fraude Factor condolens,
Quando pomi noxialis
In necem morsu ruit :
Ipse lignum tunc notavit,
Damna ligni ut solveret.

Hoc opus nostræ salutis
Ordo depoposcerat :
Multiformis proditoris
Ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde,
Hostis unde læserat.

Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis,
Missus est ab arce Patris
Natus, orbis Conditor;
Atque ventre Virginali
Carne amictus prodiit.

Vagit infans inter arcta
Conditus præsepia,
Membra pannis involuta
Virgo Mater alligat,
Et Dei manus pedesque
Stricta cingit fascia.

Sempiterna sit beatæ
Trinitati gloria,
Æqua Patri Filioque,
Par decus Paraclito :
Unius Trinique nomen
Laudet universitas. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Jeremiæ Prophetæ.

Lectio j. Cap. 1.

VERBA Jeremiæ filii Helciæ, de sacerdotibus qui fuerunt in Anathoth, in terra Benjamin. Quod factum est verbum Domini ad eum in diebus Josiæ filii Amon regis Judæ, in tertiodecimo anno regni ejus. Et factum est in diebus Joakim filii Josiæ regis Juda, usque ad consummationem undecimi anni Sedeciæ filii Josiæ regis Juda, usque ad transmigrationem Jerusalem, in mense quinto. Et factum est verbum Domini ad me, dicens : Priusquam te formarem in utero, novi te; et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et Prophetam in Gentibus dedi te. Et dixi, A a a, Domine Deus : ecce nescio loqui, quia puer ego sum.

℟. Isti sunt dies quos observare debetis temporibus suis : * Quartadecima die ad vesperum Pascha Domini est, et in quintadecima solemnitatem celebrabitis altissimo Domino ℣. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israel, et dices ad eos. Quartadecima.

Hoc ℟. *non dicitur infra Hebd.*

Lectio ij.

ET dixit Dominus ad me : Noli dicere, Puer sum, quoniam ad omnia quæ mittam te, ibis, et universa quæcumque mandavero tibi, loqueris. Ne timeas a facie eorum, quia tecum ego sum, ut eruam te, dicit Dominus. Et misit Dominus manum suam, et tetigit os meum, et dixit Dominus ad me : Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te hodie super Gentes et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes. Et factum est verbum Domini ad me dicens : Quid tu vides, Jeremia ? Et dixi : Virgam vigilantem ego video. Et dixit Dominus ad me : Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud. Et factum est verbum Domini secundo ad me, dicens : Quid tu vides ? Et dixi : Ollam succensam ego video, et faciem ejus a facie Aquilonis.

℟. Multiplicati sunt qui tribulant me, et dicunt : Non est salus illi in Deo ejus. * Exurge, Domine, salvum me fac, Deus meus. ℣. Nequando di-

Digitized by Google

cat inimicus meus, Prævalui adversus eum. Exurge.

Lectio iij.

ET dixit Dominus ad me : Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ. Quia ecce ego convocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, ait Dominus : et venient, et ponent unusquisque solium suum in introitu portarum Jerusalem, et super omnes muros ejus in circuitu, et super universas urbes Juda. Et loquar judicia mea cum eis super omnem malitiam eorum qui dereliquerunt me, et libaverunt diis alienis, et adoraverunt opus manuum suarum. Tu ergo accinge lumbos tuos, et surge, et loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi. Ne formides a facie eorum ; nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum super omnem terram, regibus Juda, principibus ejus, et sacerdotibus et populo terræ. Et bellabunt adversum te, et non prævalebunt ; quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.

℟. Usquequo exaltabitur inimicus meus super me ? * Respice et exaudi me, Domine, Deus meus. ℣. Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero : ego autem in misericordia tua sperabo. Respice. Usquequo.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Leonis Papæ.

Sermo 9. de Quadrag.

Lectio iv.

IN omnibus, dilectissimi, solemnitatibus Christianis non ignoramus Paschale sacramentum esse præcipuum, cui condigne et congrue suscipiendo totius quidem nos temporis instituta reformant : sed devotionem nostram præsentes vel maxime dies exigunt, quos illi sublimissimo divinæ misericordiæ sacramento scimus esse contiguos. In quibus merito a sanctis Apostolis per doctrinam Spiritus sancti majora sunt ordinata jejunia, ut per commune consortium crucis Christi, etiam nos aliquid in eo quod propter nos gessit, ageremus, sicut Apostolus ait : Si compatimur, et conglorificabimur. Certa atque secura est expectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ passionis.

℟. Deus meus es tu, ne discedas a me : * Quoniam tribulatio proxima est, et non est qui adjuvet. ℣. Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me : ad defensionem meam aspice. Quoniam.

Lectio v.

NEMO est, dilectissimi, cui per conditionem temporis societas hujus gloriæ denegetur, tanquam tranquillitas pacis vacua sit occasione virtutis. Apostolus enim prædicat, dicens : Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur : et ideo nunquam deest tribulatio persecutionis, si nunquam desit observantia pietatis. Dominus enim in exhortationibus suis dicit : Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. Nec dubitare debemus hanc vocem non solum ad discipulos Christi, sed ad cunctos fideles, totamque Ecclesiam pertinere, quæ salutare suum in his qui aderant, universaliter audiebat.

℟. In te jactatus sum ex utero, de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discedas a me : * Quoniam tribulatio proxima est, et non est qui adjuvet. ℣. Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam. Quoniam.

Lectio vj.

SICUT ergo totius est corporis pie vivere, ita totius est temporis crucem ferre : quæ merito ferri unicuique suadetur, quia propriis modis atque mensuris ab unoquoque toleratur Unum nomen est persecutionis, sed non una est causa certaminis ; et plus plerumque periculi est in insidiatore occulto, quam in hoste manifesto. Beatus Job alternantibus bonis ac ma-

Digitized by Google

lis mundi hujus eruditus, pie veraciterque dicebat : Nonne tentatio est vita hominis super terram ? Quoniam non solis doloribus corporis atque suppliciis anima fidelis impetitur, verum etiam, salva incolumitate membrorum, gravi morbo urgetur, si carnis voluptate mollitur. Sed cum caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, præsidio crucis Christi mens rationalis instruitur, nec cupiditatibus noxiis illecta consentit, quoniam continentiæ clavis et Dei timore transfigitur.

℟. In proximo est tribulatio mea, Domine, et non est qui adjuvet : ut fodiant manus meas et pedes meos : libera me de ore leonis, * Ut enarrem nomen tuum fratribus meis. ℣. Erue a framea, Deus, animam meam et de manu canis unicam meam. Ut. In.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 8.

IN illo tempore : Dicebat Jesus turbis Judæorum : Quis ex vobis arguet me de peccato ? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi ? Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 18. *in Evangelia.*

PENSATE, fratres charissimi, mansuetudinem Dei. Relaxare peccata venerat, et dicebat : Quis ex vobis arguet me de peccato ? Non dedignatur ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute divinitatis poterat peccatores justificare. Sed terribile est valde quod subditur, Qui ex Deo est, verba Dei audit : propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Si enim ipse verba Dei audit qui ex Deo est, et audire verba ejus non potest quisquis ex illo non est, interroget se unusquisque si verba Dei in aure cordis percipit, et intelliget unde sit. Cœlestem patriam desiderare Veritas jubet, carnis desiderio conteri, mundi gloriam declinare, aliena non appetere, propria largiri.

℟. Tota die contristatus ingrediebar, Domine, quoniam anima mea completa est illusionibus : * Et vim faciebant, qui quærebant animam meam. ℣. Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et stetêrunt, et qui juxta me erant, de longe steterunt. Et.

Lectio viij.

PENSET ergo apud se unusquisque vestrum si hæc vox Dei in cordis ejus aure convaluit, et quia jam ex Deo sit agnoscit. Nam sunt nonnulli qui præcepta Dei nec aure corporis percipere dignantur. Et sunt nonnulli qui hæc quidem corporis aure percipiunt, sed nullo ea mentis desiderio complectuntur. Et sunt nonnulli qui libenter verba Dei suscipiunt, ita ut etiam in fletibus compungantur ; sed post lacrymarum tempus ad iniquitatem redeunt. Hi profecto verba Dei non audiunt, qui hæc exercere in opere contemnunt. Vitam ergo vestram, fratres charissimi, ante mentis oculos revocate, et alta consideratione pertimescite hoc quod ex ore Veritatis sonat : Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

℟. Ne avertas faciem tuam a puero tuo, Domine : * Quoniam tribulor, velociter exaudi me. ℣. Intende animæ meæ, et libera eam : propter inimicos meos eripe me. Quoniam.

Lectio ix.

SED hoc quod de reprobis Veritas loquitur, ipsi hoc de semetipsis reprobi iniquis suis operibus ostendunt. Nam sequitur : Responderunt igitur Judæi, et dixerunt ei : Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes ? Accepta autem tanta contumelia, quid Dominus respondeat, audiamus. Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me. Quia enim Samaritanus interpretatur

Digitized by Google

custos, et ipse veraciter custos est, de quo Psalmista ait : Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam, et cui per Isaiam dicitur : Custos quid de nocte? custos, quid de nocte ? respondere noluit Dominus, Samaritanus non sum; sed, Ego dæmonium non habeo. Duo quippe ei illata fuerunt : unum negavit, aliud tacendo consensit.

℟. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo die ac nocte? quia frater propinquus supplantavit me, * Et omnis amicus fraudolenter incessit in me. ℟. Fiant viæ eorum tenebræ et lubricum, et Angelus Domini persequens eos. Et omnis. Quis dabit.

Ad Laudes

Ant. 1. Vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erèctus est inimicus meus.

Psalm. Miserere mei, *p.* 39.

2. In tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine.

Psalm. Confitemini, *p.* 17.

3. Judicasti, Domine, causam animæ meæ, defensor vitæ meæ, Domine Deus meus.

Psalm. Deus Deus meus, *p.* 13.

4. Populo meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui? responde mihi.

Cant. Benedicite, *p.* 14.

5. Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ?

Psalm. Laudate Dominum de cœlis, *p.* 14.

Capitulum. Hebr. 9.

FRATRES, Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per ampliuset perfectius tabernaculum non manu factum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.

HYMNUS.

LUSTRA sex qui jam peregit,
Tempus implens corporis,
Sponte libera Redemptor
Passioni deditus,
Agnus in Crucis levatur
Immolandus stipite.

Felle potus ecce languet;
Spina, clavi, lancea
Mite corpus perforarunt :
Unda manat, et cruor,
Terra, pontus, astra, mundus
Quo lavantur flumine.

Crux fidelis, inter omnes
Arbor una nobilis,
Silva talem nulla profert
Fronde, flore, germine :
Dulce ferrum, dulce lignum,
Dulce pondus sustinent.

Flecte ramos, arbor alta,
Tensa laxa viscera,
Et rigor lentescat ille,
Quem dedit nativitas;
Et superni membra Regis
Tende miti stipite.

Sola digna tu fuisti
Ferre mundi victimam;
Atque portum præparare
Arca mundo naufrago,
Quam sacer cruor perunxit,
Fusus Agni corpore.

Sempiterna sit beatæ
Trinitati gloria,
Æqua Patri Filioque,
Par decus Paraclito :
Unius Trinique nomen
Laudet universitas. Amen.

℣. Eripe me de inimicis meis Deus meus. ℟. Et ab insurgentibus in me libera me.

Ad Bened. Ant. Dicebat Jesus turbis Judæorum et principibus sacerdotum : Qui ex Deo est, verba Dei audit : propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

Oratio.

QUÆSUMUS, omnipotens Deus, familiam tuam propitius respice, ut, te largiente regatur in corpore, et te servante custodiatur in mente. Per Dominum.

Ad Primam.

Ant. Ego dæmonium non habeo,

Digitized by Google

sed honorifico Patrem meum, dicit Dominus.

In ℟. *br. omittitur* Gloria Patri.

Lectio br. Faciem meam, *p.* 21.

Ad Tertiam.

Ant. Ego gloriam meam non quæro : est qui quærat, et judicet.

Capit. Fratres Christus.

℟. *br.* Erue a framea, * Deus, animam meam. Erue. ℣. Et de manu canis unicam meam. Deus. Erue. ℣. De ore leonis libera me, Domine. ℟. Et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Ad Sextam.

Ant. Amen, amen dico vobis : si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum.

Capitulum Hebr. 9.

SI enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi ?

℟. *br.* De ore leonis * Libera me, Domine. De ore. ℣. Et a cornibus unicornium humilitatem meam. Libera. De ore. ℣. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam. ℟. Et cum viris sanguinum vitam meam.

Ad Nonam.

Ant. Tulerunt lapides Judæi, ut jacerent in eum : Jesus autem abscondit se, et exivit de templo.

Capitulum. Hebr. 9.

ET ideo novi Testamenti mediator est, ut, morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis, in Christo Jesu Domino nostro.

℟. *br.* Ne perdas cum impiis, * Deus, animam meam. Ne perdas. ℣. Et cum viris sanguinum vitam meam. Deus. Ne perdas. ℣. Eripe me, Domine, ab homine malo. ℟. A viro iniquo eripe me.

Ad Vesperas.

Ant. et Psalmi de Dominica.

Capit Fratres Christus, ut *sup.*

Hymnus et ℣. *ut supra*, p. 294.

Ad Magnif. Ant. Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum : vidit et gavisus est.

Deinde dicuntur Vesp. Defunct.

FERIA SECUNDA

Invit. et Hymnus ut sup., p. 294.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 7.

IN illo tempore : Miserunt principes et pharisæi ministros ut apprehenderent Jesum. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 13. *in Joannem.*

QUOMODO apprehenderent adhuc nolentem ? Quia ergo non poterant apprehendere nolentem, missi sunt ut audirent docentem. Quid docentem ? Dicit ergo Jesus : Adhuc modicum tempus vobiscum sum. Quod modo vultis facere, facturi estis ; sed non modo, quia modo nolo. Quare adhuc modo nolo ? Quia adhuc modicum tempus vobiscum sum, et tunc vado ad eum qui me misit. Implere debeo dispensationem meam, et sic pervenire ad passionem meam.

℟. Deus meus, eripe me de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis, et iniqui : * Quoniam tu es patientia mea. ℣. Deus meus, ne elongeris a me : Deus meus, in auxilium meum respice. Quoniam.

Lectio ij.

QUÆRETIS me, et non invenietis, et ubi sum ego, vos non potestis venire. Hic jam resurrectionem suam prædixit. Noluerunt enim eum agnoscere præsentem, et postea quæsierunt, cum viderent in eum multitudinem jam credentem. Magna enim signa facta sunt etiam cum Do-

Digitized by

minus resurrexit, et ascendit in cœlum. Tunc per discipulos facta sunt magna; sed ille per illos, qui et per seipsum. Ipse quippe illis dixerat: Sine me nihil potestis facere. Quando claudus ille qui sedebat ad portam, ad vocem Petri surrexit, et suis pedibus ambulavit, ita ut homines mirarentur, sic eos allocutus est Petrus, quia non in sua potestate ista fecit, sed in virtute illius, quem ipsi occiderunt. Multi compuncti dixerunt: Quid faciemus?

℟. Qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes: Deus dereliquit eum; * Persequimini et comprehendite eum, quia non est qui liberet eum. Deus meus, ne elongeris a me: Deus meus, in adjutorium meum intende. ℣. Omnes inimici mei adversum me cogitabant mala mihi: verbum iniquum mandaverunt adversum me dicentes. Persequimini.

Lectio iij.

VIDERUNT enim se ingenti crimine impietatis astrictos, quando illum occiderunt, quem venerari et adorare debuerant: et hoc putabant esse inexpiabile. Magnum enim facinus erat, cujus consideratio illos faceret desperare. Sed non debebant desperare, pro quibus in cruce pendens Dominus est dignatus orare. Dixerat enim: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Videbat quosdam suos inter multos alienos. Illis jam petebat veniam, a quibus adhuc accipiebat injuriam. Non enim attendebat quod ab ipsis moriebatur, sed quia pro ipsis moriebatur.

℟. Pacifice loquebantur mihi inimici mei, et in ira molesti erant mihi: * Vidisti, Domine, ne sileas: ne discedas a me. ℣. Ego autem cum mihi molesti essent, induebam me cilicio, et humiliabam in jejunio animam meam. Vidisti. Pacifice.

Ad Laudes.

Ant. et Psalmi de Psalt., p. 39.

Capitulum. Jerem. 11.

VENITE, mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 298.

Ad Bened. Ant. In die magno festivitatis stabat Jesus, et clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.

SANCTIFICA: quæsumus, Domine, nostra jejunia, et cunctarum nobis indulgentiam propitius largire culparum. Per Dominum.

Hodie dicitur Offic. Defunct.

Ad Horas. Ant. Capit. ℣. br. Preces, ut in Psalt.

Ad Vesperas.

Ant. et Psalmi de Psalt., p. 88.

Capitulum. Jerem. 11.

TU autem, Domine Sabaoth, qui judicas juste, et probas renes et corda, videam ultionem tuam ex eis: tibi enim revelavi causam meam, Domine Deus meus.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 291.

Ad Magnif. Ant. Si quis sitit, veniat ad me, et bibat: et de ventre ejus fluent aquæ vivæ, dicit Dominus.

Oratio.

DA, quæsumus, Domine, populo tuo salutem mentis et corporis, ut bonis operibus inhærendo, tua semper mereatur protectione defendi. Per Dominum.

Capit. prædicta in Laud. et Vesp. dicuntur in fer. Offic. usque ad Feriam iv. *majoris Hebd.*

FERIA TERTIA.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 7.

IN illo tempore: Ambulabat Jesus in Galilæam: non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere. Et reliqua.

Digitized by Google

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tractat. 28. in Joannem.

IN isto Evangelii capitulo, fratres, Dominus noster Jesus Christus secundum hominem se plurimum commendavit fidei nostræ. Etenim semper hoc egit et dictis et factis suis, ut Deus credatur et homo, Deus qui nos fecit, homo qui nos quæsivit: Deus cum Patre semper, homo nobiscum ex tempore. Non enim quæreret quem fecerat, nisi fieret ipse quod fecerat. Verum hoc mementote, et de cordibus vestris nolite dimittere, sic esse Christum hominem factum ut non destiterit Deus esse. Manens Deus accepit hominem, qui fecit hominem.

℟. Adjutor et susceptor meus es tu, Domine, et in verbum tuum speravi: * Declinate a me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei. ℣. Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi. Declinate.

Lectio ij.

QUANDO ergo latuit ut homo, non potentiam perdidisse putandus est, sed exemplum infirmitati præbuisse. Ille enim quando voluit, detentus est: quando voluit, occisus est. Sed quoniam futura erant membra ejus, id est fideles ejus, qui non haberent illam potestatem, quam habebat ipse Deus noster: quod latebat, quod se, tamquam ne occideretur, occultabat, hoc indicabat factura esse membra sua, in quibus utique membris suis ipse erat.

℟. Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur. * Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ. ℣. Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. Libera.

Lectio iij.

NON enim Christus in capite, et non in corpore; sed Christus totus in capite, et in corpore. Quod ergo membra ejus, ipse; quod autem ipse, non continuo membra ejus. Nam si non ipsi essent membra ejus, non diceret Saulo: Quid me persequeris? Non enim Saulus ipsum, sed membra ejus, id est, fideles ejus, in terra persequebatur. Noluit tamen dicere, sanctos meos, servos meos, posremo honorabilius, fratres meos; sed me, hoc est, membra mea, quibus ego sum caput.

℟. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam: * Redime me, Domine. ℣. Eripe me, Domine, ab homine malo, a viro iniquo libera me. Redime. Ne perdas.

Ad Bened. Ant. Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum.

Oratio.

NOSTRA tibi, Domine, quæsumus, sint accepta jejunia, quæ os et expiando, gratia tua dignos efficiant, et ad remedia perducant æterna. Per Dominum.

Ad Magnif. Ant. Vos ascendite ad diem festum hunc: ego autem non ascendam, quia tempus meum nondum advenit.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Domine, perseverantem in tua voluntate famulatum, ut in diebus nostris et merito et numero populus tibi serviens augeatur. Per Dominum.

FERIA QUARTA.

Hodie dicuntur Psalmi Grad.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 10.

IN illo tempore: Facta sunt encænia in Jerosolymis, et hiems erat. Et ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 48. in Joannem.

ENCÆNIA festivitas erat dedicationis templi. Græce enim cænon dicitur novum. Quandocumque

novum aliquid fuerit dedicatum, encænia vocantur. Jam et usus habet hoc verbum. Si quis nova tunica induatur, encæniare dicitur. Illum enim diem, quo templum dedicatum est, Judæi solemniter celebrabant: ipse dies festus agebatur, cum ea quæ lecta sunt, locutus est Dominus.

℟. Tota die, *p.* 297.

Lectio ij.

HIEMS erat, et ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis. Circumdederunt ergo eum Judæi, et dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Non veritatem desiderabant, sed calumniam præparabant. Hiems erat, et frigidi erant: ad illum enim divinum ignem accedere pigri erant. Si accedere est credere, qui credit, accedit: qui negat, recedit. Non movetur anima pedibus, sed affectibus.

℟. Ne avertas, *p.* 297,

Lectio iij.

FRIGUERANT diligendi charitate, et ardebant docendi cupiditate. Longe aberant, et ibi erant: non accedebant credendo, et premebant persequendo. Quærebant audire a Domino, Ego sum Christus: et fortasse de Christo secundum hominem sapiebant. Prædicaverunt enim Prophetæ Christum: sed divinitatem Christi et in prophetis et in ipso Evangelio nec hæretici intelligunt: quanto minus Judæi, quamdiu velamen est super cor eorum?

℟. Quis dabit, *p.* 298.

Ad Bened. Ant. Oves meæ vocem meam audiunt, et ego Dominus agnosco eas.

Oratio.

SANCTIFICATO hoc jejunio, Deus, tuorum corda fidelium miserator illustra, et quibus devotionis præstas affectum, præbe supplicantibus pium benignus auditum. Per Dominum.

Ad Magnif. Ant. Multa bona operatus sum vobis: propter quod opus vultis me occidere?

Oratio.

ADESTO supplicationibus nostris, omnipotens Deus, et quibus fiduciam speranda pietatis indulges, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum.

FERIA QUINTA

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio j. Cap. 7.

IN illo tempore: Rogabat Jesum quidam de Pharisæis ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi, discubuit. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Homilia 33. *in Evangelia.*

COGITANTI mihi de Mariæ Magdalenæ pœnitentia, flere magis libet, quam aliquid dicere. Cujus enim vel saxeum pectus illæ hujus peccatricis lacrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant? Consideravit namque quid fecit, et noluit moderari quid faceret. Super convivantes ingressa est, non jussa venit, inter epulas lacrymas obtulit. Discite quo dolore ardet, quæ flere et inter epulas non erubescit.

℟. Deus meus, eripe, *p.* 299.

Lectio ij.

HANC vero, quam Lucas peccatricem mulierem, Joannes Mariam nominat, illam esse Mariam credimus, de qua Marcus septem dæmonia ejecta fuisse testatur. Et quid per septem dæmonia, nisi universa vitia designantur? Quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, recte septenario numero universitas figuratur. Septem ergo dæmonia Maria habuit, quæ universis vitiis plena fuit.

℟. Multiplicati sunt, *p.* 295.

Lectio iij.

SED ecce quia turpitudinis suæ maculas aspexit, lavanda ad fon-

Digitized by Google

tem misericordiæ cucurrit, convivantes non erubuit. Nam quia semetipsam graviter erubescebat intus, nihil esse credit, quod verecundaretur foris. Quid ergo miramur, fratres? Mariam venientem, an Dominum suscipientem? Suscipientem dicam, an trahentem? Sed melius trahentem dicam et suscipientem: quia nimirum ipse eam per misericordiam traxit intus, qui per mansuetudinem suscepit foris.

℟. Usquequo exaltabitur, *p.* 296.

Ad Bened. Ant. Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut dignitas conditionis humanæ per immoderantiam sauciata, medicinalis parcimoniæ studio reformetur. Per Dominum.

Ad Magnif. Ant. Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar.

Oratio.

ESTO, quæsumus, Domine, propitius plebi tuæ, ut, quæ tibi non placent, respuentes, tuorum potius repleantur delectationibus mandatorum. Per Dominum.

FERIA SEXTA

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 11.

IN illo tempore: Collegerunt Pontifices et Pharisæi concilium adversus Jesum, et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 94. in Joannem.

PONTIFICES et Pharisæi sibi consulebant, nec tamen dicebant, Credamus. Plus enim perditi homines cogitabant quomodo nocerent, ut perderent, quam quomodo sibi consulerent, ne perirent. Et tamen timebant, et quasi consulebant. Dicebant enim: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem. Temporalia perdere timuerunt, et vitam æternam non cogitaverunt, ac sic utrumque amiserunt.

℟. Deus meus es tu, *p.* 296.

Lectio ij.

NAM et Romani post Domini passionem et glorificationem tulerunt eis et locum et gentem, expugnando et transferendo: et illud eos sequitur, quod alibi dictum est: Filii autem regni hujus ibunt in tenebras exteriores. Hoc autem timuerunt, ne, si omnes in Christum crederent, nemo remaneret qui adversus Romanos civitatem Dei tem plumquè defenderet: quoniam contra ipsum templum, et contra suas paternas leges doctrinam Christi esse sentiebant.

℟. In te jactatus, *p.* 296.

Lectio iii.

UNUS autem ex ipsis Caiphas, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem a semetipso non dixit: sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit. Hic docemur etiam homines malos prophetiæ spiritu futura prædicere. Quod tamen Evangelista divino tribuit sacramento, quia Pontifex fuit, id est, summus sacerdos.

℟. In proximo, *p.* 297.

Ad Bened. Ant. Appropinquabat autem dies festus Judæorum, et quærebant principes sacerdotum quomodo Jesum interficerent, sed timebant plebem.

Oratio.

CORDIBUS nostris, quæsumus, Domine, gratiam tuam benignus infunde, ut peccata nostra castigatione voluntaria cohibentes, tempo-

Digitized by Google

raliter potius maceremur, quam suppliciis deputemur æternis. Per Dominum.

Hodie dicuntur Psalmi Pœnit.

Ad Magnif. Ant. Principes sacerdotum consilium fecerunt ut Jesum occiderent: dicebant autem, Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati a malis omnibus, secura tibi mente serviamus. Per Dominum.

SABBATO

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 11.

IN illo tempore: Cogitaverunt principes sacerdotum, ut et Lazarum interficerent: quia multi propter illum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 50. *in Joannem.*

VISO Lazaro resuscitato, quia tantum miraculum Domini tanta erat evidentia diffamatum, tanta manifestatione declaratum, ut non possent vel occultare quod factum est, vel negare; quid invenerunt, videte. Cogitaverunt autem principes sacerdotum ut et Lazarum interficerent. O stulta cogitatio, et cæca sævitia! Dominus Christus, qui suscitare potuit mortuum, non posset occisum? Quando Lazaro inferebatis necem, numquid auferebatis Domino potestatem? Si aliud vobis videtur mortuus, aliud occisus, ecce Dominus utrumque fecit, et Lazarum mortuum, et seipsum suscitavit occisum.

℟. Tota die, *p.* 297.

Lectio ij. *Tract.* 51.

IN crastinum autem turba multa quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Jesus Jerosolimam, acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel. Rami palmarum laudes sunt, significantes victoriam: quia erat Dominus mortem moriendo superaturus, et trophæo crucis de diabolo mortis principe triumphaturus. Vox autem obsecrantis est, Hosanna, sicut nonnulli dicunt: qui Hebræam linguam noverunt, magis affectum indicans, quam rem aliquam significans, sicut sunt in lingua latina, quas interjectiones vocant, velut cum dolentes dicimus, heu, vel cum delectamur, vah dicimus.

℟. Ne avertas, *p.* 297.

Lectio iij.

HAS ei laudes turba dicebat: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel. Quam crucem mentis invidentia principum Judæorum perpeti potuerat, quando regem suum Christum tanta multitudo clamabat? Sed quid fuit Domino regem esse Israel? Quid magnum fuit regi sæculorum regem fieri hominum? Non enim rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesque visibiliter debellandos: sed rex Israel, quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in regnum cœlorum credentes, sperantes, amantesque perducat.

℟. Quis dabit, *p.* 298.

Ad Bened. Ant. Clarifica me Pater apud temetipsum claritate, quam habui priusquam mundus fieret.

Oratio.

PROFICIAT, quæsumus, Domine, plebs tibi dicata piæ devotionis affectu, ut sacris actionibus erudita, quanto majestati tuæ fit gratior, tanto donis potioribus augeatur. Per Dominum.

Ad Vesperas.

Capitulum. Philip. 2.

Digitized by Google

FRATRES, Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit; formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 294.

Ad Magnif. Ant. Pater juste, mundus te non cognovit: ego autem novi te, quia tu me misisti.

Oratio ut infra in Laudibus.

DOM. IN PALMIS.

Ad Matut. Invit. et Hymn. ut in Dom. Pass. p. 295.

IN I. NOCTURNO.

De Jeremia Propheta.

Lectio j. Cap. 2.

OBSTUPESCITE, cœli, super hoc, et portæ ejus, desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Numquid servus est Israel, aut vernaculus? Quare ergo factus est in prædam? Super eum rugierunt leones, et dederunt vocem suam, posuerunt terram ejus in solitudinem, civitates ejus exustæ sunt, et non est qui habitet in eis. Filii quoque Mempheos et Taphnes constupraverunt te usque ad verticem. Numquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam?

℟. In die qua invocavi te, Domine, dixisti: Noli timere: * Judicasti causam meam, et liberasti me, Domine, Deus meus. ℣. In die tribulationis meæ clamavi ad te, quia exaudisti me. Judicasti.

Lectio ij.

ET nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis? Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te. Scito, et vide quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum. A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti: Non serviam. In omni enim colle sublimi, et sub omni ligno frondoso, tu prosternebaris meretrix. Ego autem plantavi te vineam electam, omne semen verum: quomodo ergo conversa es mihi in pravum, vinea aliena? Si laveris te nitro, et multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus.

℟. Fratres mei elongaverunt se a me: et noti mei, * Quasi alieni recesserunt a me. ℣. Dereliquerunt me proximi mei, et qui me noverunt. Quasi.

Lectio iij.

QUID vultis mecum judicio contendere? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus. Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt, devoravit gladius vester Prophetas vestros, quasi leo vastator generatio vestra. Videte verbum Domini: Numquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina? Quare ergo dixit populus meus: Recessimus, non veniemus ultra ad te? Numquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? Populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris.

℟. Attende, Domine, ad me, et audi voces adversariorum meorum: * Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ? ℣. Recordare quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum; et averterem indignationem tuam ab eis. Numquid. Attende.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Leonis Papæ.

Serm. II. de Passione Domini.

Digitized by Google

Lectio iv.

DESIDERATA nobis, dilectissimi, et universo optabilis mundo adest festivitas Dominicæ passionis, quæ nos inter exultationes spiritalium gaudiorum silere non patitur. Quia etsi difficile est de eadem solemnitate sæpius digne apteque disserere, non est tamen liberum sacerdoti in tanto divinæ misericordiæ sacramento fidelibus populis subtrahere sermonis officium: cum ipsa materia ex eo quod est ineffabilis, fandi tribuat facultatem, nec possit deficere quod dicatur, dum nunquam potest satis esse quod dicitur. Succumbat ergo humana infirmitas gloriæ Dei, et in explicandis operibus misericordiæ ejus, imparem se semper inveniat. Laboremus sensu, hæreamus ingenio, deficiamus eloquio: bonum est ut nobis parum sit, quod etiam recte de Domini majestate sentimus.

℣. Conclusit vias meas inimicus, insidiator factus est mihi sicut leo in abscondito, replevit et inebriavit me amaritudine: deduxerunt in lacum mortis vitam meam, et posuerunt lapidem contra me. * Vide, Domine, iniquitates illorum, et judica causam animæ meæ, defensor vitæ meæ. ℣. Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die. Vide.

Lectio v.

DICENTE enim Propheta. Quærite Dominum, et confirmamini quærite faciem ejus semper, nemini præsumendum est quod totum quod quærit, invenerit, ne desinat propinquare, qui cessarit accedere. Quid autem inter omnia opera Dei, in quibus humanæ admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis nostræ et oblectat et superat, sicut passio Salvatoris? Qui ut humanum genus vinculis mortiferæ prævaricationis absolveret, et sævienti diabolo potentiam suæ majestatis occuluit, et infirmitatem nostræ humilitatis objecit. Si enim crudelis et superbus inimicus consilium misericordiæ Dei nosse potuisset, Judæorum animos mansuetudine potius temperare, quam injustis odiis studuisset accendere; ne omnium captivorum amitteret servitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem.

℣. Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animem meam: ne avertas faciem tuam a me: * Quoniam tribulor, exaudi me, Domine Deus meus. ℣. Intende animæ meæ, et libera eam: propter inimicos meos eripe me. Quoniam.

Lectio vj.

FEFELLIT ergo illum malignitas sua: intulit supplicium Filio Dei, quod cunctis filiis hominum in remedium verteretur. Fudit sanguinem justum, qui reconciliando mundo et pretium esset et poculum. Suscepit Dominus quod secundum propositum suæ voluntatis elegit. Admisit in se impias manus furentium: quæ dum proprio incumbunt sceleri famulatæ sunt Redemptori. Cujus etiam circa interfectores suos tanta erat pietatis affectio, ut de cruce supplicans Patri, non se vindicari, sed illis postularet ignosci.

℣. Noli esse mihi, Domine, alienus: parce mihi in die mala; confundantur omnes qui me persequuntur, * Et non confundar ego. ℣. Confundantur omnes inimici mei, qui quærunt animam meam. Et. Noli. i

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 21.

IN illo temqore: Cum appropinquasset Iesus Jerosolymis, et venisset Bethphage ad montem Oliveti, tunc misit duos discipulos, dicens eis. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 9. in Lucam.

PULCHRE relictis Judæis, habitaturus in affectibus Gentium, templum Dominus ascendit. Hoc e-

Digitized by Google

nim templum est verum, in quo non in littera, sed in spiritu Dominus adoratur. Hoc Dei templum est, quod fidei series, non lapidum structura fundavit. Deseruntur ergo qui oderant, eliguntur qui amaturi erant. Et ideo ad montem venit Oliveti, ut novellas oleas in sublimi virtute plantaret, quarum mater est illa, quæ sursum est, Jerusalem. In hoc monte est ille cœlestis agricola, ut plantati omnes in domo Dei possint viritim dicere: Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini.

℟. Dominus mecum est tanquam bellator fortis: propterea persecuti sunt me, et intelligere non potuerunt. Domine, probas renes et corda: * Tibi revelavi causam meam. ℣. Vidisti, Domine, iniquitates eorum adversum me: judica judicium meum. Tibi.

Lectio viij.

ET fortasse ipse mons Christus est. Quis enim alius tales fructus ferret olearum, non curvescentium ubertate baccarum, sed spiritus plenitudine Gentium fœcundarum? Ipse est per quem ascendimus, et ad quem ascendimus: ipse est janua, ipse est via, qui aperitur, et qui aperit; qui pulsatur ab ingredientibus, et ab emeritis adoratur. Ergo in castello erat, et ligatus erat pullus cum asina: non poterat solvi nisi jussu Domini. Solvit eum manus Apostolica. Talis actus, talis vita, talis gratia. Esto talis et tu, ut possis ligatos solvere.

℟. Dixerunt impii apud se, non recte cogitantes: Circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris: promittit se scientiam Dei habere, Filium Dei se nominat, et gloriatur Patrem se habere Deum. * Videamus si sermones illius veri sunt, et si est vere Filius Dei, liberet eum de manibus nostris: morte turpissima condemnemus eum. ℣. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo et abstinet se a viis nostris tanquam ab immunditiis, et præfert novissima justorum. Videamus.

Lectio ix.

NUNC consideremus qui fuerint illi, qui errore detecto, de paradiso ejecti, in castellum sint relegati. Et vides quemadmodum quos mors expulerat, vita revocaverit. Et ideo secundum Matthæum, et asinam et pullum legimus: ut quia in duobus hominibus uterque fuerat sexus expulsus, in duobus animalibus sexus uterque revocetur. Ergo illic in asina matrem quasi Hevam figuravit erroris; hic autem in pullo generalitatem populi Gentilis expressit: et ideo pullo sedetur asinæ. Et bene, in quo nemo sedit, quia nullus, antequam Christus, nationum populos vocavit ad Ecclesiam. Denique secundum Marcum sic habes: Quem nemo adhuc sedit hominum.

℟. Circumdederunt me viri mendaces, sine causa flagellis ceciderunt me: * Sed tu, Domine defensor, vindica me. ℣. Quoniam tribulatio proxima est, et non est qui adjuvet. Sed tu. Circumdederunt.

Ad Laudes

Ant. 1. Dominus Deus auxiliator meus: et ideo non sum confusus.

Psalm. Miserere mei, *p.* 39.

2. Circumdantes circumdederunt me: et in nomine Domini vindicabor in eis.

Psalm. Confitemini, *p.* 17.

3. Judica causam meam, defende, quia potens es, Domine.

Psalm. Deus Deus meus, *p.* 13.

4. Cum Angelis et pueris fideles inveniamur, triumphatori mortis clamantes, Hosanna in excelsis.

Cant. Benedicite, *p.* 14.

5. Confundantur qui me persequuntur, et non confundar ego, Domine Deus meus.

Psalm. Laudate Dominum de cœlis, *p.* 14.

Capitulum. Philip. 2.

FRATRES, Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Jesu,

Digitized by Google

qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 208.

Ad Bened. Ant. Turba multa quæ convenerat ad diem festum, clamabat Domino : Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum carnem sumere et crucem subire fecisti ; concede propitius, ut et patientiæ ipsius habere documenta, et resurrectionis consortia mereamur. Per eumdem.

Ad Horas ℣℟. *br. ut in Psalt.*

Ad Prostesibi.

Ant. Pueri hebræorum tollentes ramos olivarum obviaverunt Domino, clamantes et dicentes : Hosanna in excelsis.

Ad Tertiam.

Ant. Pueri Hebræorum vestimenta prosternebant in via, et clamabant. dicentes : Hosanna filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini.

Capit. Fratres: Hoc enim.

Ad Sextam.

Ant. Tibi revelavi causam, meam defensor vitæ meæ, Domine Deus meus.

Capitulum. Philip. 2.

HUMILIAVIT semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen.

Ad Nonam.

Ant. Invocabo nomen tuum, Domine : ne avertas faciem tuam a clamore meo.

Capitulum. Philip. 2.

IN nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum : et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

Ad Vesperas

Ant. et Psalmi de Dominica.

Capit. Fratres hoc enim.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 294.

Ad Magnif. Ant. Scriptum est enim : percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis : postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam; ibi me videbitis, dicit Dominus.

Ab hac die usque ad Oct. Paschæ, si occurrat aliquod Festum ix. *Lect. transfertur post Oct.; Festi vero trium Lect. a Feria* v. *in Cœna Domini usque ad Feriam* iij. *Paschæ, nulla fit comm.*

FERIA SECUNDA.

Invit. et Hymn. ut supra, 295.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 12.

ANTE sex dies Paschæ venit Jesus Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 50. in Joannem.

NE putarent homines phantasma esse factum, quia mortuus resurrexit, Lazarus unus erat ex recumbentibus : vivebat, loquebatur, epulabatur ; veritas ostendebatur, infidelitas Judæorum confundebatur. Discumbebat ergo Jesus cum Lazaro et cæteris : ministrabat Martha, una ex sororibus Lazari. Maria vero, altera soror Lazari, accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxit pedes Jesu, et extersit capillis suis pedes ejus, et domus impleta est ex odore unguenti. Factum audivimus : mysterium requiramus.

℟. Viri impii dixerunt : Opprima-

Digitized by Google

mus virum justum injuste, et deglutiamus eum tanquam infernus vivum: auferamus memoriam illius de terra, et de spoliis ejus sortem mittamus inter nos : ipsi enim homicidæ thesaurizaverunt sibi mala. * Insipientes et maligni oderunt sapientiam , et rei facti sunt in cogitationibus suis. ℣. Hæc cogitaverunt , et erraverunt , et excæcavit illos malitia eorum. Insipientes.

Lectio ij.

QUÆCUMQUE anima fidelis vis esse , cum Maria unge pedes Domini pretioso unguento. Unguentum illud justitia fuit , ideo libra fuit. Erat autem unguentum nardi pistici pretiosi. Quod ait , pistici, locum aliquem credere debemus , unde hoc erat unguentum pretiosum. Nec tamen hoc vacat , et sacramento optime consonat. Pistis græce , fides latine dicitur. Quærebas operari justitiam : Justus ex fide vivit. Unge pedes Jesu bene vivendo , Dominica sectare vestigia. Capillis terge : si habes superflua, da pauperibus , ot Domini pedes tersisti : capilli enim superflua corporis videntur. Habes quod agas de superfluis tuis. Tibi superflua sunt , sed Domini pedibus necessaria sunt. Forte in terra Domini pedes indigent.

℟. Opprobrium factus sum omnis inimicis meis : viderunt me , et moverunt capita sua : * Adjuva me, Domine Deus meus. ℣. Locuti sunt adversum me lingua dolosa , et sermonibus odii circumdederunt me. Adjuva.

Lectio iij.

DE quibus enim nisi de membris suis in fine dicturus est : Cum uni ex minimis meis fecistis , mihi fecistis ? Superflua vestra impendistis : sed pedibus meis obsecuti estis. Domus autem impleta est odore ; mundus impletus est fama bona : nam odor bonus fama bona est. Qui male vivunt, et Christiani vocantur , injuriam Christo faciunt: de qualibus dictum est, quod per eos nomen Domini blasphematur. Si per tales nomen Dei blasphematur , per bonos nomen Domini laudatur. Audi Apostolum : Christi bonus odor sumus, inquit, in omni loco.

℟. Insurrexerunt in me viri iniqui absque misericordia ; quæsierunt me interficere , et non pepercerunt in faciem meam spuere ; et lanceis suis vulneraverunt me , et concussa sunt omnia ossa mea. * Ego autem existimabam me tanquam mortuum super terram. ℣. Effuderunt furorem suum in me , fremuerunt contra me dentibus suis. Ego. Insurrexerunt.

Ad Laudes

et per Horas , Antiphonæ.

1. Faciem meam non averti ab increpantibus , et conspuentibus in me. *Psalm. de Laud: Feriæ* ij.

2. Framea , suscitare adversus eos qui dispergunt gregem meum.

3. Appenderunt mercedem meam triginta argenteis , quibus appretiatus sum ab eis.

4. Inundaverunt aquæ super caput meum : dixi , Perii ; invocabo nomen tuum , Domine Deus.

5. Labia insurgentium , et cogitationes eorum vide , Domine.

Capitulum. Jerem. II:

VENITE, mittamus lignum in panem ejus , et eradamus eum de terra viventium , et nomen ejus non memoretur amplius.

Hymnus et ℣. ut supra , p. 298.

Ad Bened. Ant. Clarifica me , Pater , apud temetipsum claritate, quam habui priusquam mundus fieret.

Oratio.

DA , quæsumus , omnipotens Deus , ut qui in tot adversis ex nostra infirmitate deficimus , intercedente unigeniti Filii tui passione, respiremus : Qui tecum vivit.

Ad Horas Ant. de Laud. Capit. autem et ℟. br. ut in Psalt.

Ad Vesperas.

Ant. et Psalmi de Psalt. p. 88.

Digitized by Google

Capitulum. Jer. II.

TU autem, Domine Sabaoth, qui judicas juste, et probas renes et corda, videam ultionem tuam ex eis: tibi enim revelavi causam meam, Domine Deus meus.

Hymnus et ỳ. ut supra, p. 298.

Ad Magnif. Ant. Non haberes in me potestatem, nisi desuper tibi datum fuisset.

Oratio.

ADJUVA nos, Deus salutaris noster, et ad beneficia recolenda, quibus nos instaurare dignatus es, tribue venire gaudentes. Per Dom.

FERIA TERTIA.

De Jeremia Propheta.

Lectio j. Cap. 11.

QUID est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es? Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum, ad vocem loquelæ, grandis exarsit ignis in ea, et combusta sunt fruteta ejus. Et Dominus exercituum qui plantavit te, locutus est super te malum, pro malis domus Israel, et domus Juda, quæ fecerunt sibi ad irritandum me, libantes Baalim. Tu autem, Domine, demonstrasti mihi, et cognovi: tunc ostendisti mihi studia eorum. Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: et non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius. Tu autem, Domine Sabaoth, qui judicas juste, et probas renes et corda, videam ultionem tuam ex eis: tibi enim revelavi causam meam.

℣. Contumelias et terrores passus sum ab eis, qui erant pacifici mei, et custodientes latus meum, dicentes: Decipiamus eum, et prævaleamus illi: sed tu, Domine, mecum es tanquam bellator fortis. * Cadant in opprobrium sempiternum, ut videam vindictam in eis, quia tibi revelavi causam meam. ỳ. Judica, Domine, causam animæ meæ, defensor vitæ meæ. Cadant.

Lectio ij. Cap. 12.

JUSTUS quidem tu es, Domine, si disputem tecum; verumtamen justa loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur; bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt? Plantasti eos, et radicem miserunt: proficiunt et faciunt fructum. Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum. Et tu, Domine, nosti me, vidisti me, et probasti cor meum tecum. Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis. Usquequo lugebit terra, et herba omnis regionis siccabitur propter malitiam habitantium in ea? Consumptum est animal et volucre, quoniam dixerunt: Non videbit novissima nostra.

℣. Deus Israel, propter te sustinui improperium, operuit reverentia faciem meam, extraneus factus sum fratribus meis, et hospes filiis matris meæ: * Quoniam zelus domus tuæ comedit me. ỳ. Intende animæ meæ, et libera eam, propter inimicos meos eripe me. Quoniam.

Lectio iij.

RELIQUI domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam in manu inimicorum ejus. Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva: dedit contra me vocem, ideo odivi eam. Numquid avis discolor hæreditas mea mihi? numquid avis tincta per totum? Venite congregamini, omnes bestiæ terræ, properate ad devorandum. Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem meam, dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis. Posuerunt eam in dissipationem, luxitque super me; desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde.

℣. Sinagoga populorum circumde-

Digitized by Google

derunt me, et non reddidi retribuentibus mihi mala. * Consumetur, Domine, nequitia peccatorum, et dirriges justum. ℣. Judica me, Domine, secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam super me. Consumetur. Synagoga.

Ad Laudes

et per Horas Antiphonæ.

1. Vide, Domine, et considera quoniam tribulor: velociter exaudi me.

2. Discerne causam meam, Domine: ab homine iniquo et doloso eripe me.

3. Dum tribularer, clamavi ad Dominum de ventre inferi, et exaudivit me.

4. Domine, vim patior, responde pro me: quia nescio quid dicam inimicis meis.

5. Dixerunt impii: Opprimamus virum justum, quoniam contrarius est operibus nostris.

Ad Bened. Ant. Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, da nobis ita Dominicæ passionis sacramenta peragere, ut indulgentiam percipere mereamur. Per eumdem.

Ad Magnif. Ant. Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam.

Oratio.

TUA nos misericordia, Deus, et ab omni subreptione vetustatis expurget, et capaces sanctæ novitatis efficiat. Per Dominum.

FERIA QUARTA.

De Jeremia Propheta.

Lectio i. Cap. 17.

EXPECTATIO Israel Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes a te, in terra scribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. Sana me, Domine, et sanabor: salvum me fac, et salvus ero, quoniam laus mea tu es. Ecce ipsi dicunt ad me: Ubi est verbum Domini? veniat. Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens: et diem hominis non desideravi, tu scis. Quod egressum est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit. Non sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis. Confundantur qui me persequuntur, et non confundar ego: paveant illi, et non paveam ego: induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos.

℣. Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me: pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: * Ego autem orabam, et exaudisti me, Domine Deus meus. ℣. Et posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea. Ego.

Lectio ij. Cap. 18.

QUIS audivit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Israel? Numquid deficiet de petra agri nix Libani? aut evelli possunt aquæ erumpentes frigidæ, et defluentes? Quia oblitus est mei populus meus, frusta libantes et impingentes in viis suis, in semitis sæculi, ut ambularent per eas in itinere non trito: ut fieret terra eorum in desolationem, et in sibilum sempiternum. Omnis qui præterierit per eam obstupescet, et movebit caput suum. Sicut ventus urens dispergam eos coram inimico: dorsum, et non faciem ostendam eis in die perditionis eorum. Et dixerunt: Venite, et cogitemus contra Jeremiam cogitationes: non enim peribit lex a sacerdote, neque consilium a sapiente, nec sermo a Propheta. Venite, et percutiamus eum lingua, et non attendamus ad universos sermones ejus.

℣. Dixerunt impii, *p.* 307.

Lectio iij.

ATTENDE, Domine, ad me, et audi vocem adversariorum meorum. Numquid redditur pro bono

malum, quia foderunt foveam animæ meæ? Recordare quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, et averterem indignationem tuam ab eis. Propterea da filios eorum in famem, et deduc eos in manus gladii: fiant uxores eorum absque liberis et viduæ, et viri earum interficiantur morte: juvenes eorum confodiantur gladio in prælio. Audiatur clamor de domibus eorum: adduces enim super eos latronem repente, quia foderunt foveam ut caperent me, et laqueos absconderunt pedibus meis. Tu autem, Domine, scis omne consilium eorum adversum me in mortem: ne propitieris iniquitati eorum, et peccatum eorum a facie tua non deleatur: fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis.

℟. Circumdederunt me, *p.* 307.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Libera me de sanguinibus, Deus, Deus meus, et exultabit lingua mea justitiam tuam.

2. Contumelias et terrores passus sum ab eis: et Dominus mecum est tanquam bellator fortis.

3. Ipsi vero in vanum quæsierunt, animam meam, introibunt in inferiora terræ.

4. Omnes inimici mei audierunt malum meum: Domine, lætati sunt quoniam tu fecisti.

5. Alliga, Domine, in vinculis nationes gentium, et reges earum in compedibus.

Ad Bened. Ant. Simon, dormis? non potuisti una hora vigilare mecum?

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui nostris excessibus incessanter affligimur, per unigeniti Filii tui passionem liberemur. Qui tecum vivit.

Ad Magnif. Ant. Ancilla dixit Petro: vere tu ex illis es; nam et loquela tua manifestum te facit.

Oratio.

RESPICE, quæsumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum. Qui tecum vivit.

Tribus seq. diebus, dicto secreto Pater noster, Ave Maria, *et ad Matut. et in principio Primæ* Credo, *omnibus aliis prætermissis, absolute incipitur Offic. ad Matut. et Vesp. ab Ant. Psalmi* j, *et Ant. duplicantur sicut in Festo duplici. In fine Psalm. non dicitur* Gloria Patri *per omnes Horas, nec in* ℟℟., *et in fine cujuslibet Psalmi ad Matut. extinguitur una ex 15. candelis positis in candelabro triangulari ante Altare.*

FERIA QUINTA.
IN CŒNA DOMINI

Ad Matutinum.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Zelus domus tuæ comedit me, et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

Psalmus 68.

SALVUM me fac, Deus: * quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.

Infixus sum in limo profundi, * et non est substantia.

Veni in altitudinem maris, * et tempestas demersit me.

Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: * defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, * qui oderunt me gratis.

Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injuste: * quæ non rapui, tunc exolvebam.

Deus, tu scis insipientiam meam: * et delicta mea a te non sunt abscondita.

Non erubescant in me, qui expectant te, Domine, * Domine virtutum.

Non confundantur super me * qui quærunt te, Deus Israel.

Digitized by Google

Quoniam propter te sustinui opprobrium: * operuit confusio faciem meam.

Extraneus factus sum fratribus meis, * et peregrinus filiis matris meæ.

Quoniam zelus domus tuæ comedit me, * et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

Et operui in jejunio animam meam: * et factum est in opprobrium mihi.

Et posui vestimentum meum cilicium: * et factus sum illis in parabolam.

Adversum me loquebantur qui sedebant in porta: * et in me psallebant qui bibebant vinum.

Ego vero orationem meam ad te, Domine: * tempus beneplaciti, Deus.

In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, * in veritate salutis tuæ:

Eripe me de luto, ut non infigar: * libera me ab iis qui oderunt me, et de profundis aquarum.

Non me demergat tempestas aquæ: neque absorbeat me profundum: * neque urgeat super me puteus os suum.

Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua: * secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.

Et ne avertas faciem tuam a puero tuo: * quoniam tribulor, velociter exaudi me.

Intende animæ meæ, et libera eam: * propter inimicos meos eripe me.

Tu scis improperium meum, et confusionem meam, * et reverentiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me: * improprium expectavit cor meum et miseriam.

Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit: * et qui consolaretur, et non inveni.

Et dederunt in escam meam fel: * et in siti mea potaverunt me aceto.

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, * et in retributiones, et in scandalum.

Obscurentur oculi eorum ne videant: * et dorsum eorum semper incurva.

Effunde super eos iram tuam: * et furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitatio eorum deserta: * et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.

Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: * et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: * et non intrent in justitiam tuam.

Deleantur de libro viventium: * et cum justis non scribantur.

Ego sum pauper et dolens: * salus tua, Deus, suscepit me.

Laudabo nomen Dei cum cantico: * et magnificabo eum in laude:

Et placebit Deo super vitulum novellum, * cornua producentem et ungulas.

Videant pauperes, et lætentur: * quærite Deum, et vivet anima vestra.

Quoniam exaudivit pauperes Dominus: * et vinctos suos non despexit.

Laudent illum cœli et terra, * mare, et omnia reptilia in eis.

Quoniam Deus salvam faciet Sion: * et ædificabuntur civitates Juda.

Et inhabitabunt ibi, * et hæreditate acquirent eam.

Et semen servorum ejus possidebit eam: * et qui diligunt nomen ejus habitabunt in ea.

Ant. Zelus domus tuæ comedit me, et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

Ant. Avertantur retrorsum, et erubescant, qui cogitant mihi mala.

Psalmus 69.

DEUS, in adjutorium meum intende: * Domine, ad adjuvandum me festina.

Confundantur et revereantur, * qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsum, et erubescant, * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent et lætentur in te omnes qui quærunt te, * et dicant semper: Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare tuum.

Digitized by Google

Ego vero egenus et pauper sum :* Deus , adjuva me.

Adjutor meus , et liberator meus es tu : * Domine , ne moreris.

Ant. Avertantur retrorsum , et erubescant , qui cogitant mihi mala.

Ant. Deus meus, eripe me de manu peccatoris.

Psalmus 70.

IN te , Domine , speravi, non confundar in æternum : * in justitia tua libera me , et eripe me.

Inclina ad me aurem tuam , * et salva me.

Esto mihi in Deum protectorem et in locum munitum , * ut salvum me facias.

Quoniam firmamentum meum, * et refugium meum es tu.

Deus meus, eripe me de manu peccatoris , * et de manu contra legem agentis , et iniqui.

Quoniam tu es patientia mea, Domine : * Domine , spes mea a juventute mea.

In te confirmatus sum ex utero :* de ventre matris meæ tu es protector meus.

In te cantatio mea semper:* tanquam prodigium factus sum multis; et tu adjutor fortis.

Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, * tota die magnitudinem tuam.

Ne projicias me in tempore senectutis : * cum defecerit virtus mea , ne derelinquas me.

Quia dixerunt inimici mei mihi : * et qui custodiebant animam meam , consilium fecerunt in unum.

Dicentes : Deus dereliquit eum : presequimini, ut comprehendite eum:* quia non est qui eripiat.

Deus , ne elongeris a me : * Deus meus , in auxilium meum respice.

Confundantur et deficiant detrahentes animæ meæ : * operiantur confusione et pudore , qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperabo : * et adjiciam super omnem laudem tuam.

Os meum annuntiabit justitiam tuam , * tota die salutare tuum.

Quoniam non cognovi litteraturam , introibo in potentias Domini: * Domine memorabor justitiæ tuæ solius.

Deus, docuisti me a juventute mea:* et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua :

Et usque in senectam et senium:* Deus ne derelinquas me.

Donec annuntiem brachium tuum* generationi omni , quæ ventura est :

Potentiam tuam , et justitiam tuam , Deus, usque in altissima , quæ fecisti magnalia : * Deus , quis similis tibi.

Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas : et conversus vivificasti me : * et de abyssis terræ iterum reduxisti me.

Multiplicasti magnificentiam tuam:* et conversus consolatus es me.

Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam : * Deus, psallam tibi in cithara, Sanctus Israel.

Exultabunt labia mea cum cantavero tibi, * et anima mea , quam redemisti.

Sed et lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam : * cum confusi et reveriti fuerint, qui quærunt mala mihi.

Ant. Deus meus , eripe me de manu peccatoris.

℣. Avertantur retrorsum , et erubescant, * qui cogitant mihi mala,

Hoc triduo post ℣. *Noct. dicitur secreto* Pater noster, *nec pronuntiatur* Et ne nos , *nec dicitur Absol.*; *neque dantur Bened. ante Lect. In fine Lect. non dicitur* Tu autem, *sed primæ tres Lect. Jeremiæ terminantur ut infra.*

Incipit Lamentatio Jeremiæ Prophetæ.

Lectio j. Cap. 1. *Aleph.*

QUOMODO sedet sola civitas plena populo : facta est quasi vidua domina gentium : princeps provinciarum facta est sub tributo.

Digitized by Google

Beth. Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus: non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus: omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici.

Ghimel. Migravit Judas propter afflictionem, et multitudinem servitutis: habitavit inter gentes, nec invenit requiem: omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias.

Daleth. Viæ Sion lugent eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem: omnes portæ ejus destructæ, sacerdotes ejus gementes, virgines ejus squalidæ, et ipsa oppressa amaritudine,

He. Facti sunt hostes ejus in capite, inimici ejus locupletati sunt, quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum ejus. Parvuli ejus ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis.

Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.

Sic terminantur Lect. de Lamentat. in hoc triduo.

℣. In monte Oliveti oravit ad Patrem: Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste: * Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. ℣. Vigilate et orate: ut non intretis in tentationem. Spiritus.

Lectio ij. *Vau.*

ET egressus est a filia Sion omnis decor ejus: facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua, et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.

Zain. Recordata est Jerusalem dierum afflictionis suæ et prævaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat a diebus antiquis, cum caderet populus ejus in manu hostili, et non esset auxiliator: viderunt eam hostes. et deriserunt sabbata ejus.

Heth. Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est. Omnes qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus. Ipsa autem gemens conversa est retrorsum.

Teth. Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui: deposita est vehementer, non habens consolatorem. Vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.

Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.

℣. Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic et vigilate mecum: nunc videbitis turbam, quæ circumdabit me: * Vos fugam capietis, et ego vadam immolari pro vobis ℣. Ecce appropinquat hora, et filius hominis tradetur in manus peccatorum. Vos fugam.

Lectio iij. *Iod.*

MANUM suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus: quia vidit gentes ingressas Sanctuarium suum, de quibus præceperas ne intrarent in Ecclesiam tuam.

Caph. Omnis populus ejus gemens, et quærens panem: dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam. Vide, Domine, et considera, quoniam facta sum vilis.

Lamed. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus, quoniam vindemiavit me, ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui.

Mem. De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me: expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum: posuit me desolatam, tota die mœrore confectam.

Nun. Vigilavit jugum iniquitatum mearum; in manu ejus convolutæ sunt, et impositæ collo meo: infirmata est virtus mea: dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere.

Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.

℣. Ecce vidimus eum non habentem speciem; neque decorem: aspectus ejus in eo non est: hic peccata

Digitized by Google

nostra portavit, et pro nobis dolet: ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras,* Cujus livore sanati sumus. ℣. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Cujus. Ecce.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Liberavit Dominus pauperem a potente, et inopem, cui non erat adjutor.

Psalmus 71.

DEUS, judicium tuum regi da, * et justitiam tuam filio regis:

Judicare populum tuum in justitia, * et pauperes tuos in judicio.

Suscipiant montes pacem populo,* et colles justitiam.

Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum: * et humiliabit calumniatorem.

Et permanebit cum sole, et ante lunam, * in generatione et generationem.

Descendet sicut pluvia in vellus, * et sicut stillicidia stillantia super terram.

Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis, * donec auferatur luna.

Et dominabitur a mari usque ad mare: * et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

Coram illo procident Æthiopes: * et inimici ejus terram lingent.

Reges Tharsis, et insulæ munera offerent: * reges Arabum et Saba dona adducent.

Et adorabunt eum omnes reges terræ: * omnes gentes servient ei.

Quia liberabit pauperem a potente, * et pauperem cui non erat adjutor.

Parcet pauperi et inopi: * et animas pauperum salvas faciet.

Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum, et honorabile nomen eorum coram illo.

Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ, et adorabunt de ipso semper: * tota die benedicent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis montium: superextolletur super Libanum fructus ejus: * et florebunt de civitate sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedictum in sæcula: * ante solem permanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ; * omnes Gentes magnificabunt eum.

Benedictus Dominus Deus Israel, * qui facit mirabilia solus.

Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum: * et replebitur majestate ejus omnis terra: fiat, fiat.

Ant. Liberavit Dominus pauperem a potente; et inopem, cui non erat adjutor.

Ant. Cogitaverunt impii, et locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt.

Psalmus 72.

QUAM bonus Israel Deus * his, qui recto sunt corde!

Mei autem pene moti sunt pedes: * pene effusi sunt gressus mei.

Quia zelavi super iniquos, * pacem peccatorum videns.

Quia non est respectus morti eorum * et firmamentum in plaga eorum.

In labore hominum non sunt, * et cum hominibus non flagellabuntur.

Ideo tenuit eos superbia, * operti sunt iniquitate et impietate sua.

Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: * transierunt in affectum cordis.

Cogitaverunt et locuti sunt nequitiam: * iniquitatem in excelso locuti sunt.

Posuerunt in cœlum os suum: * et lingua eorum transivit in terra.

Ideo convertetur populus meus hic: * et dies pleni inveniantur in eis.

Et dixerunt: Quomodo scit Deus,* et si est scientia in excelso?

Ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo * obtinuerunt divitias.

Et dixi: Ergo sine causa justificavi

Digitized by Google

cor meum, * et lavi inter innocentes manus meas :

Et fui flagellatus tota die, * et castigatio mea in matutinis.

Si dicebam : Narrabo sic:* ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.

Existimabam ut cognoscerem hoc,* labor est ante me.

Donec intrem in Sanctuarium Dei,* et intelligam in novissimis eorum.

Verumtamen propter dolos posuisti eis : * dejecisti eos, dum allevarentur.

Quomodo facti sunt in desolationem ? subito defecerunt : * perierunt propter iniquitatem suam.

Velut somnium surgentium, Domine, * in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

Quia inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt:* et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi.

Ut jumentum factus sum apud te:* et ego semper tecum.

Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me,* et cum gloria suscepisti me.

Quid enim mihi est in cælo : * et a te quid volui super terram ?

Defecit caro mea, et cor meum:* Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.

Quia ecce, qui elongant se a te, peribunt:* perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.

Mihi autem adhærere Deo bonum est :* ponere in Domino Deo spem meam.

Ut annuntiem omnes prædicationes tuas * in portis filiæ Sion.

Ant. Cogitaverunt impii, et locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso lucuti sunt.

Ant. Exurge, Domine, et judica causam meam.

Psalmus 73.

UT quid, Deus, repulisti in finem:* iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ ?

Memor esto congregationis tuæ, * quam possedisti ab initio.

Redemisti virgam hæreditatis tuæ:* mons Sion, in quo habitasti in eo.

Leva manus tuas in superbias eorum in finem : * quanta malignatus est inimicus in sancto!

Et gloriati sunt qui oderunt te,* in medio solemnitatis tuæ.

Posuerunt signa sua, signa : * et non cognoverunt sicut in exitu super summum.

Quasi in silva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum: * in securi et ascia dejecerunt eam.

Incenderunt igni Sanctuarium tuum: * in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.

Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul : * Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vidimus, jam non est Propheta: * et nos non cognoscet amplius.

Usquequo, Deus, improperabit inimicus ? * irritat adversarius nomen tuum in finem ?

Ut quid avertis manum tuam et dexteram tuam,* de medio sinu tuo in finem?

Deus autem Rex noster ante sæcula, * operatus est salutem in medio terræ.

Tu confirmasti in virtute tua mare : * contribulasti capita draconum in aquis.

Tu confregisti capita draconis : * dedisti eum escam populis Æthiopum.

Tu dirupisti fontes et torrentes,* tu siccasti fluvios Ethan.

Tuus est dies, et tua ex nox: * tu fabricatus es auroram et solem.

Tu fecisti omnes terminos terræ: * æstatem et ver tu plasmasti ea.

Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino:* et populus insipiens incitavit nomen tuum.

Ne tradas bestiis animas confitentes tibi:* et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Respice in testamentum tuum. * quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.

Digitized by Google

Ne avertatur humilis factus confusus:* pauper et inops laudabunt nomen tuum.

Exurge, Deus, judica causam tuam:* memor esto improperiorum tuorum: eorum quæ ab insipiente sunt tota die.

Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum: * superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

Ant. Exurge, Domine, et judica causam meam.

℣. Deus meus, eripe me de manu peccatoris. ℟. Et de manu contra legem agentis et iniqui.

Ex Tractatu S. Augustini Episcopi super Psalmos.

In Psalmum 54. ad I. vers.

Lectio iv.

EXAUDI, Deus, orationem meam: et ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, et exaudi me. Satagentis, solliciti, in tribulatione positi verba sunt ista. Orat multa patiens, de malo liberari desiderans. Superest ut videamus in quo malo sit, et cum dicere cœperit, aguoscamus ibi nos esse: ut communicata tribulatioue conjungamus orationem. Contristatus sum, inquit, in exercitatione mea, et conturbatus sum. Ubi contristatus? ubi conturbatus? in exercitatione mea, inquit. Homines malos, quos patitur, commemoratus est; eamdemque passionem malorum hominum exercitationem suam dixit. Ne putetis gratis esse malos in hoc mundo, et nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideo vivit ut per illum bonus exerceatur.

℟. Amicus meus osculi me tradidit signo: Quem osculatus fuero, ipse est, tenete eum; hoc malum fecit signum, qui per osculum adimplevit homicidium. * Infelix prætermisit pretium sanguinis, et in fine laqueo se suspendit. ℣. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Infelix.

Lectio v.

UTINAM ergo qui nos modo exercent, convertantur, et nobiscum exerceantur: tamen quamdiu ita sunt ut exerceant nos, non eos oderimus: quia in eo quod malus est quis eorum, utrum usque in finem perseveraturus sit, ignoramus. Et plerumque cum tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti, et neseis. Diabolus et angeli ejus in Scripturis sanctis manifestati sunt nobis, quod ad ignem æternum sunt destinati. Ipsorum tantum desperanda est correctio, contra quos habemus occultam luctam: ad quam luctam nos armat Apostolus, dicens: Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, id est, non adversus homines quos videtis, sed adversus principes et potestates et rectores mundi, tenebrarum harum. Ne forte eum dixisset, mundi, intelligeres dæmones esse rectores cœli et terræ, mundi dixit, tenebrarum harum: mundi dixit, amatorum mundi: mundi dixit, impiorum et iniquorum: mundi dixit, de quo dicit Evangelium: Et mundus eum non cognovit.

℟. Judas mercator pessimus osculo petiit Dominum: ille ut agnus innocens non negavit Judæ osculum. * Denariorum numero Christum Judæis tradidit. ℣. Melius illi erat, si natus non fuisset. Denariorum.

Lectio vj.

QUONIAM vidi iniquitatem et contradictionem in civitate. Attende gloriam crucis ipsius. Jam in fronte regum crux illa fixa est, cui inimici insultaverunt. Effectus probavit virtutem: domuit orbem non ferro, sed ligno. Lignum crucis contumeliis dignum visum est inimicis, et ante ipsum lignum stantes caput agitabant, et dicebant: Si Filius Dei est, descendat de cruce. Extendebat ille manus suas ad populum non credentem et contradicentem. Si enim justus est qui ex fide vivit, iniquus est qui non habet fidem. Quod ergo hic ait iniquitatem, perfidiam intellige. Videbat ergo

Digitized by Google

Dominus in civitate iniquitatem et contradictionem, et extendebat manus suas ad populum non credentem et contradicentem; et tamen et ipsos expectans dicebat: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.

℣. Unus ex discipulis meis tradet me hodie: Væ illi per quem tradar ego: * Melius illi erat, si natus non fuisset. ℣. Qui intingit mecum manum in paropside, hic me traditurus est in manus peccatorum. Melius. Vers.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Dixi iniquis: Nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

Psalmus 74.

CONFITEBIMUR tibi, Deus: * confitebimur, et invocabimus nomen tuum.

Narrabimus mirabilia tua: * cum accepero tempus, ego justitias judicabo.

Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea: * ego confirmavi columnas ejus.

Dixi iniquis: Nolite inique agere: * et delinquentibus: Nolite exaltare cornu.

Nolite extollere in altum cornu vestrum: * nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus: * quoniam Deus judex est.

Hunc humiliat, et hunc exaltat: * quia calix in manu Domini vini meri plenus misto.

Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen fæx ejus non est exinanita: * bibent omnes peccatores terræ.

Ego autem annuntiabo in sæculum: * cantabo Deo Jacob.

Et omnia cornua peccatorum confringam: * et exaltabuntur cornua justi.

Ant. Dixi iniquis: Nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

Ant. Terra tremuit et quievit, dum exurgeret in judicio Deus.

Psalmus 75.

NOTUS in Judæa Deus: * in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus: * et habitatio ejus in Sion.

Ibi confregit potentias arcuum, * scutum, gladium, et bellum.

Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis: * turbati sunt omnes insipientes corde.

Dormierunt somnum suum: * et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Ab increpatione tua, Deus Jacob, * dormitaverunt qui ascenderunt equos.

Tu terribilis es, et quis resistet tibi? * ex tunc ira tua.

De cœlo auditum fecisti judicium: * terra tremuit, et quievit.

Cum exurgeret in judicium Deus, * ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: * et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.

Vovete, et reddite Domino Deo vestro, * omnes qui in circuitu ejus affertis munera.

Terribili, et ei qui aufert spiritum principum, * terribili apud reges terræ.

Ant. Terra tremuit et quievit, dum exurgeret in judicio Deus.

Ant. In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis.

Psalmus 76.

VOCE mea ad Dominum clamavi; * voce mea ad Deum, et intendit mihi.

In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum: * et non sum deceptus.

Renuit consolari anima mea: * memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum, et defecit spiritus meus.

Anticipaverunt vigilias oculi mei: * turbatus sum, et non sum locutus.

Cogitavi dies antiquos: * et annos æternos in mente habui.

Et meditatus sum nocte cum corde meo: * et exercitabar, et scopebam spiritum meum.

Digitized by Google

Numquid in æternum projiciet Deus? * aut non apponet ut complacitior sit adhuc?

Aut in finem misericordiam suam abscindet, * a generatione in generationem?

Aut obliviscetur misereri Deus? * aut continebit in ira sua misericordias suas?

Et dixi: Nunc cœpi: * hæc mutatio dexteræ Excelsi.

Memor fui operum Domini: * quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.

Et meditabor in omnibus operibus tuis: * et in adinventionibus tuis exercebor.

Deus, in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? * tu es Deus, qui facis mirabilia.

Notam fecisti in populis virtutem tuam: * redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob et Joseph.

Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ: * et timuerunt, et turbatæ sunt abyssi.

Multitudo sonitus aquarum, * vocem dederunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ transeunt: * vox tonitrui tui in rota.

Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: * commota est, et contremuit terra.

In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis: * et vestigia tua non cognoscentur.

Deduxisti sicut oves populum tuum, * in manu Moysi et Aaron.

Ant. In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis.

℣. Exurge, Domine. ℟. Et judica causam meam.

De Epistola prima B. Pauli Apostoli ad Corinthios.

Lectio vij. Cap. xi.

HOC autem præcipio, non laudans quod non in melius, sed in deterius convenitis. Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, et ex parte credo. Nam oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo.

℟. Eram quasi agnus innocens; ductus sum ad immolandum, et nesciebam: consilium fecerunt inimici mei adversum me dicentes: * Venite, mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium. ℣. Omnes inimici mei adversum me cogitabant mala mihi: verbum iniquum mandaverunt adversum me, dicentes. Venite.

Lectio viij.

EGO enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit et dixit: Accipite et manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.

℟. Una hora non potuistis vigilare mecum, qui exhortabamini mori pro me? * Vel Judam non videtis, quomodo non dormit, sed festinat tradere me Judæis? ℣. Quid dormitis? surgite et orate, ne intretis in tentationem. Vel.

Lectio ix.

ITAQUE quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat,

et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi. Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Itaque, fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem expectate. Si quis esurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis. Cætera autem, cum venero, disponam.

℟. Seniores populi consilium fecerunt, * Ut Jesum dolo tenerent, et occiderent: cum gladiis et fustibus exierunt tanquam ad latronem. ℣. Collegerunt Pontifices et Pharisæi concilium. Ut. Seniores.

Ad Laudes.

Ant. Justificeris, Domine, in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

Psalm. Miserere mei. *p.* 39.

Ant. Dominus tanquam ovis ad victimam ductus est et non aperuit os suum.

Psalmus 89.

DOMINE, refugium factus es nobis, * a generatione in generationem.

Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, * a sæculo et usque in sæculum tu es Deus.

Ne avertas hominem in humilitatem: * et dixisti: Convertimini, filii hominum.

Quoniam mille anni ante oculos tuos * tanquam dies hesterna quæ præteriit.

Et custodia in nocte, * quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

Mane sicut herba transeat, mane floreat, et transeat: * vespere decidat, induret, et arescat.

Quia defecimus in ira tua: * et in furore tuo turbati sumus.

Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, * sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.

Quoniam omnes dies nostri defecerunt: * et in ira tua defecimus.

Anni nostri sicut aranea meditabuntur: * dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.

Si autem in potentatibus octoginta anni: * et amplius eorum labor et dolor.

Quoniam supervenit mansuetudo, * et corripiemur.

Quis novit potestatem iræ tuæ, * et præ timore tuo iram tuam dinumerare?

Dexteram tuam sic notam fac, * et eruditos corde in sapientia.

Convertere, Domine; usquequo? * et deprecabilis esto super servos tuos.

Repleti sumus mane misericordia tua, * et exultavimus, et delectati sumus omnibus diebus nostris.

Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: * annis, quibus vidimus mala.

Respice in servos tuos, et in opera tua: * et dirige filios eorum.

Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos: * et opus manuum nostrarum dirige.

Ant. Dominus tanquam ovis ad victimam ductus est et non aperuit os suum.

Ant. Contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt omnia ossa mea.

Psalmus 62.

DEUS, Deus meus, ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.

In terra deserta, et invia, et inaquosa: sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas: * labia me laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea: * et in nomine tuo levabo manus meas.

Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, * et labiis exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui super stratum me-

Digitized by Google

um, in matutinis meditabor in te: * quia fuisti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te: * me suscepit dextera tua.

Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: * tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui jurant in eo: * quia obstructum est os loquentium iniqua.

Psalmus 66.

DEUS misereatur nostri, et benedicat nobis: * illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam * in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi, Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur et exultent gentes: * quoniam judicas populos in æquitate, et gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: * et metuant eum omnes fines terræ.

Ant. Contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt omnia ossa mea.

Ant. Exhortatus es in virtute tua, et in refectione sancta tua, Domine.

CANTICUM MOYSI *Exod.* 15.

CANTEMUS Domino: gloriose enim magnificatus est; * equum et ascensorem dejecit in mare.

Fortitudo mea, et laus mea Dominus, * et factus est mihi in salutem.

Iste Deus meus, et glorificabo eum: * Deus patris mei, et exaltabo eum.

Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus. * Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare.

Electi principes ejus submersi sunt in mari Rubro: * Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis.

Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine: dextera tua, Domine, percussit inimicum: * Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos.

Misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam: * Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ:

Stetit unda fluens, * congregatæ sunt abyssi in medio mari.

Dixit inimicus: persequar et comprehendam: * dividam spolia, implebitur anima mea.

Evaginabo gladium meum, * interficiet eos manus mea.

Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare: * submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.

Quis similis tui in fortibus, Domine? * quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?

Extendisti manum tuam, et devoravit eos terra. * Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti:

Et portasti eum in fortitudine tua, * ad habitaculum sanctum tuum.

Ascenderunt populi, et irati sunt: * dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim.

Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor: * obriguerunt omnes habitatores Chanaan.

Irruat super eos formido et pavor, * in magnitudine brachii tui.

Fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus, Domine: * donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.

Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ, * firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine:

Sanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuæ. * Dominus regnabit in æternum et ultra.

Ingressus est enim eques Pharao cum curribus et equitibus ejus in mare: * et reduxit super eos Dominus aquas maris.

Digitized by Google

Filii autem Israel ambulaverunt per siccum * in medio ejus.

Ant. Exhortatus es in virtute tua, et in refectione sancta tua, Domine.

Ant. Oblatus est quia ipse voluit, et peccata nostra ipse portavit.

Psalm. Laudate Dominum de cœlis, *p.* 14.

Capit. et Hymn. non dicuntur.

℣. Homo pacis meæ, in quo speravi. ℟. Qui edebat panes meos, amplavit adversum me supplantationem.

Ad Bened. Ant. Traditor autem dedit eis signum, dicens: Quem osculatus fuero, ipse est, tenete eum.

Interim dum dicitur Cant. Benedictus, *extinctis prius omnibus candelis in candelabro triangulari præter unam, quæ posita est in summitate candelabri, extinguuntur paulatim sex candelæ positæ a principio supra Altare, ita ut in ultimo versu extinguantur lampades et luminaria per Ecclesiam. Cum repetitur Ant.* Traditor, *accipitur suprema candela ex candelabro, et absconditur sub Altari in cornu Epistolæ. Repetita Ant. post* Benedictus, *dicitur* ℣. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem. *Secunda nocte additur* mortem autem crucis. *Tertia nocte additur* Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

Et sic dicitur etiam per omnes Horas diei. Cum incipitur ℣. Christus factus est, *omnes genuflectunt, et eo finito, dicitur* Pater noster, *totum sub silentio. Postea Psalm.* Miserere mei, *p.* 39. *aliquantulum altius: quo finito, sine Oremus dicitur simili voce.*

Oratio.

RESPICE, quæsumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum. *Sed* Qui tecum vivit, *dicitur sub silentio.*

Finita Oratione, fit fragor et strepitus aliquantulum: mox profertur candela accensa de sub Altari, et omnes surgunt, et cum silentio discedunt.

AD HORAS.

Prima, Tertia, Sexta et Nona, dictis secreto Pater noster, Ave Maria, *et ad Primam* Credo, *absolute inchoantur a Psalmis consuetis, qui ad Primam sunt ut in Festis: quibus finitis; dicitur* ℣. Christus factus est pro nobis, *flexis genibus: et dicitur secreto* Pater noster, *Psalm.* Miserere, *Oratio* Respice quæsumus, *sicut in Laudibus.*

In hoc triduo non annuntiatur aliquid de Martyrologio, nec dicitur Pretiosa.

Ad Vesperas.

Dicto secreto Pater noster, Ave Maria, *Vesp. inchoantur absolute a j. Ant. sine cantu.*

Ant. Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

Psalmus 115.

CREDIDI, propter quod locutus sum: * ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, * pro omnibus quæ retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam, * et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: * pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea: * tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: * in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem.

Ant. Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

Ant. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: dum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Digitized by Google

Psalmus 119.

AD Dominum, cum tribularer, clamavi: * et exaudivit me.

Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, * ad linguam dolosam?

Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar: * multum incola fuit anima mea.

Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: * cum loquebar illis impugnabant me gratis.

Ant. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: dum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Ant. Ab hominibus iniquis libera me, Domine.

Psalmus 139.

ERIPE me, Domine, ab homine malo, * a viro iniquo eripe me.

Qui cogitaverunt iniquitates in corde: * tota die constituebant prælia.

Acuerunt linguas suas sicut serpentis: * venenum aspidum sub labiis eorum.

Custodi me, Domine, de manu peccatoris: * et ab hominibus iniquis eripe me.

Qui cogitaverunt supplantare gressus meos: * absconderunt superbi laqueum mihi:

Et funes extenderunt in laqueum: * juxta iter scandalum posuerunt mihi.

Dixi Domino: Deus meus es tu: * exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ.

Domine, Domine, virtus salutis meæ, * obumbrasti super caput meum in die belli.

Ne tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori: * cogitaverunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur.

Caput circuitus eorum: * labor labiorum ipsorum operiet eos.

Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos: * in miseriis non subsistent.

Vir linguosus non dirigetur in terra: * virum injustum mala capient in interitu.

Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis, * et vindictam pauperum.

Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo: * et habitabunt recti cum vultu tuo.

Ant. Ab hominibus iniquis libera me, Domine.

Ant. Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem.

Psalmus 140.

DOMINE, clamavi ad te, exaudi me: * intende voci meæ, cum clamavero ad te.

Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: * elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Pone, Domine, custodiam ori meo, * et ostium circumstantiæ labiis meis.

Non declines cor meum in verba malitiæ, * ad excusandas excusationes in peccatis.

Cum hominibus operantibus iniquitatem: * et non communicabo cum electis eorum.

Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me: * oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum: * absorpti sunt juncti petræ judices eorum.

Audient verba mea, quoniam potuerunt: * sicut crassitudo terræ erupta est super terram.

Dissipata sunt ossa nostra secus infernum: * quia ad te Domine, Domine, oculi mei: in te speravi, non auferas animam meam.

Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, * et a scandalis operantium iniquitatem.

Cadent in retiaculo ejus peccatores: * singulariter sum ego, donec transeam.

Digitized by Google

Ant. Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem.

Ant. Considerabam ad dexteram, et videbam: et non erat qui cognosceret me.

Psalmus 141.

VOCE mea ad Dominum clamavi: * voce mea ad Dominum deprecatus sum:

Effundo in conspectu ejus orationem meam, * et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

In deficiendo ex me spiritum meum, * et tu cognovisti semitas meas.

In via hac, qua ambulabam, * absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, et videbam: * et non erat qui cognosceret me.

Periit fuga a me, * et non est qui requirat animam meam.

Clamavi ad te, Domine, * dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

Intende ad deprecationem meam: * quia humiliatus sum nimis.

Libera me a persequentibus me: * quia confortati sunt super me.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: * me expectant justi, donec retribuas mihi.

Ant. Considerabam ad dexteram, et videbam: et non erat qui cognosceret me.

Capit. Hymnus et ℣. non dicuntur in hoc triduo.

Ad Magnif. Ant. Cœnantibus autem illis accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis.

℣. Christus factus est *cum reliquis, ut supra in Laudibus.*

Ad Completorium, omissis aliis, fit confessio, et data Absol., dicuntur Psalmi consueti cum Nunc dimittis, *deinde* ℣. Christus factus est *et reliqua, ut supra.*

Sic terminantur omnes Horæ in hoc triduo, usque ad Vesp. Sabb. sancti.

FERIA SEXTA IN PARASCEVE.

Ad Matutinum.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Psalmus 2.

QUARE fremuerunt gentes, * et populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum * adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum: * et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in cœlis, irridebit eos: * et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua: * et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus: * prædicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, * et possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea, * et tanquam vas figuli confringes eos.

Et nunc, reges, intelligite: * erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore: * et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, * et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus, * beati omnes qui confidunt in eo.

Ant. Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Ant. Diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem.

Psalmus 21.

DEUS, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? * longe a salute mea verba delictorum meorum.

Digitized by Google

Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies : * et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, * Laus Israel.

In te speraverunt patres nostri : * speraverunt, et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt:* in te speraverunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, et non homo : * opprobrium hominum, et abjectio plebis.

Omnes videntes me deriserunt me:* locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum, * salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre : * spes mea ab uberibus matris meæ. In te projectus sum ex utero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu, * ne discesseris a me.

Quoniam tribulatio proxima est ; * quoniam non est qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi:* tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum, * sicut leo rapiens et rugiens.

Sicut aqua effusus sum : * et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquescens * in medio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis : * et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi : * concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas et pedes meos : * dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me : * diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me : * ad defensionem meam conspice.

Erue a framea, Deus, animam meam : * et de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis : * et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis : * in medio ecclesiæ laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum:* universum semen Jacob, glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel:* quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis :

Nec avertit faciem suam a me : * et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in ecclesia magna : * vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum : * vivent corda eorum in sæculum sæculi.

Reminiscentur, et convertentur ad Dominum * universi fines terræ.

Et adorabunt in conspectu ejus * universæ familiæ Gentium.

Quoniam Domini est regnum, * et ipse dominabitur Gentium.

Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terræ : * in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet : * et semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura : * et annuntiabunt cæli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

Ant. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Ant. Insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

Psalmus 26.

DOMINUS illuminatio mea et salus mea, * quem timebo ?

Dominus protector vitæ meæ : * a quo trepidabo ?

Dum appropiant super me nocentes, * ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei, * ipsi infirmati sunt et ceciderunt.

Si consistant adversum me castra, * non timebit cor meum.

Si exurgat adversum me prælium, * in hoc ego sperabo.

Unam petii a Domino, hanc requi-

ram, * ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Ut videam voluptatem Domini, * et visitem templum ejus.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: * in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petra exaltavit me: * et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos:

Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: * cantabo, et psalmum dicam Domino.

Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te: * miserere mei, et exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: * faciem tuam, Domine, requiram.

Ne avertas faciem tuam a me: * ne declines in ira a servo tuo.

Adjutor meus esto: * ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me: * Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Domine, in via tua: * et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me: * quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini * in terra viventium.

Expecta Dominum, viriliter age: * et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

Ant. Insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

℣. Diviserunt sibi vestimenta mea. ℟. Et super vestem meam miserunt sortem.

De Lamentatione Jeremiæ Prophetæ.

Lectio j. *Cap.* 2. *Heth.*

COGITAVIT Dominus dissipare murum filiæ Sion: tetendit funiculum suum, et non avertit manum suam a perditione; luxitque antemurale, et murus pariter dissipatus est.

Teth. Defixæ sunt in terra portæ ejus: perdidit et contrivit vectes ejus; regem ejus et principes ejus in gentibus. Non est lex, et Prophetæ ejus non invenerunt visionem a Domino.

Iod. Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion: consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis: abjecerunt in terram capita sua virgines Jerusalem.

Caph. Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra jecur meum super contritione filiæ populi mei, cum deficeret parvulus et lactens in plateis oppidi.

Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.

℣. Omnes amici mei dereliquerunt me, et prævaluerunt insidiantes mihi: tradidit me quem diligebam, * Et terribilibus oculis plaga crudeli percutientes, aceto potabant me. ℣. Inter iniquos projecerunt me, et non pepercerunt animæ meæ. Et.

Lectio ij. *Lamed.*

MATRIBUS suis dixerunt: Ubi est triticum et vinum, cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum?

Mem. Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? cui exæquabo te, et consolabor te, virgo filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui?

Nun. Prophetæ tui viderunt tibi falsa et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent. Viderunt autem tibi assumptiones falsas et ejectiones.

Samech. Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilaverunt, et moverunt caput suum super filiam Jerusalem: Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ?

Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.

℟. Velum templi scissum est, * Et omnis terra tremuit: latro de cruce clamabat, dicens: Memento mei, Do-

Digitized by Google

mine, dum veneris in regnum tuum ℣. Petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et.

Lectio iij. Cap. 3. *Aleph.*

EGO vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus.

Aleph. Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem.

Aleph. Tantum in me vertit, et convertit manum suam tota die.

Beth. Vetustam fecit pellem meam et carnem meam, contrivit ossa mea.

Beth. Ædificavit in gyro meo, et circumdedit me felle et labore.

Beth. In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos.

Ghimel. Circumædificavit adversum me, ut non egrediar: aggravavit compedem meum.

Ghimel. Sed et cum clamavero et rogavero, exclusit orationem meam.

Ghimel. Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit.

Jerusalem, Jerusalem; convertere ad Dominum Deum tuum,

℟. Vinea mea electa, ego te plantavi: * Quomodo conversa es in amaritudinem: ut me crucifigeres, et Barabbam dimitteres? ℣. Sepivi te, et lapides elegi ex te, et ædificavi turrim. Quomodo. Vinea.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Vim faciebant, * qui quærebant animam meam.

Psalmus 37.

DOMINE, ne in furore tuo arguas me, * neque in ira tua corripias ma.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: * et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ: * non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: * et sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ, * a facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem: * tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: * et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, et humiliatus sum nimis: * rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum: * et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: * et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

Amici mei, et proximi mei * adversum me appropinquaverunt, et steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt: * et vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: * et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tamquam surdus non audiebam: * et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens: * et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te, Domine, speravi: * tu exaudies me, Domine Deus meus.

Quia dixi: ne quando supergaudeant mihi inimici mei: * et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum: * et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: * et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me, * et multiplicati sunt qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: * quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me, Domine Deus meus: * ne discesseris a me.

Intende in adjutorium meum, * Domine, Deus salutis mea.

Ant. Vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Ant. Confundantur et revereantur qui quærunt animam meam, ut auferant eam.

Psalmus 39.

EXPECTANS expectavi Dominum, * et intendit mihi.

Et exaudivit preces meas: * et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fœcis.

Et statuit super petram pedes meos: * et direxit gressus meos.

Et immisit in os meum canticum novum, * carmen Deo nostro.

Videbunt multi, et timebunt: * et sperabunt in Domino.

Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, * et non respexit in vanitates; et insanias falsas.

Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua: * et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

Annuntiavi, et locutus sum: * multiplicati sunt super numerum.

Sacrificium et oblationem noluisti: * aures autem perfecisti mihi.

Holocaustum et pro peccato non postulasti: * tunc dixi: Ecce venio.

In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: * Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna: * ecce labia mea non prohibebo: Domine, tu scisti.

Justitiam tuam non abscondi in corde meo: * veritatem tuam, et salutare tuum dixi.

Non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam * a concilio multo.

Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me: * misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus: * comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: * et cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi, Domine, ut eruas me: * Domine, ad adjuvandum me respice.

Confundantur et revereantur simul, qui quærunt animam meam, * ut auferant eam.

Convertantur retrorsum, et revereantur, qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusionem suam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent, et lætentur super te omnes quærentes te: * et dicant semper: Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare tuum.

Ego autem mendicus sum, et pauper: * Dominus sollicitus est mei.

Adjutor meus, et protector meus tu es: * Deus meus, ne tardaveris.

Ant. Confundantur et revereantur qui quærunt animam meam, ut auferant eam.

Ant. Alieni insurrexerunt in me, et fortes quæsierunt animam meam.

Psalmus 53.

DEUS, in nomine tuo salvum me fac: * et in virtute tua judica me.

Deus exaudi orationem meam: * auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam: * et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me: * et Dominus susceptor est animæ meæ.

Averte mala inimicis meis: * et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine: * quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me. * et super inimicos meos despexit oculus meus.

Ant. Alieni insurrexerunt in me, et fortes quæsierunt animam meam.

℣. Insurrexerunt in me testes ini-

Digitized by Google

qui. ℟. Et mentita est iniquitas sibi.

Ex Tractatu S. Augustini Episcopi super Psalmos.

In Psalmum 63. *ad* 2. *vers.*

Lectio iv.

PROTEXISTI me, Deus, a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem. Jam ipsum caput nostrum intueamur. Multi martyres talia passi sunt, sed nihil sic elucet quo modo caput martyrum: ibi melius intuemur quod illi experti sunt. Protectus est a multitudine malignantium, protegente se Deo, protegente carnem suam ipso Filio, et homine quem gerebat: quia filius hominis est, et Filius Dei est: Filius Dei, propter formam Dei: filius hominis, propter formam servi, habens in potestate ponere animam suam, et recipere eam. Quid ei potuerunt facere inimici? Occiderunt corpus, animam non occiderunt. Intendite. Parum ergo erat Dominum hortari martyres verbo, nisi firmaret exemplo.

℟. Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me: ? Quotidie apud vos eram in templo docens, et non me tenuistis: et ecce flagellatum ducitis ad crucifigendum. ℣. Cumque injecissent manus in Jesum, et tenuissent eum, dixit ad eos. Quotidie.

Lectio v.

NOSTIS qui conventus erat malignantium Judæorum, et quæ multitudo erat operantium iniquitatem. Quam iniquitatem? Quia voluerunt occidere Dominum Jesum Christum. Tanta opera bona, inquit, ostendi vobis: propter quod horum me vultis occidere? Pertulit omnes infirmos eorum, curavit omnes languidos eorum, prædicavit regnum cœlorum, non tacuit vitia eorum, ut ipsa potius eis displicerent, non medicus a quo sanabantur. His omnibus curationibus ejus ingrati, tanquam multa febre phrenetici, insanientes in medicum qui venerat curare eos, excogitaverunt consilium perdendi eum, tanquam ibi volentes probare, utrum vere homo sit qui mori possit, an aliquid super homines sit, et mori se non permittat. Verbum ipsorum agnoscimus in Sapientia Salomonis: Morte turpissima, inquiunt condemnemus eum. Interrogemus eum, erit enim respectus in sermonibus illius. Si enim vere Filius Dei est, liberet eum.

℟. Tenebræ factæ sunt, dum crucifixissent Jesum Judæi, et circa horam nonam exclamavit Jesus voce magna: Deus meus, ut quid me dereliquisti? * Et inclinato capite, emisit spiritum. ℣. Exclamans Jesus voce magna, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et.

Lectio vj.

EXACUERUNT tanquam gladium linguas suas. Non dicant Judæi: non occidimus Christum. Etenim propterea eum dederunt judici Pilato, ut quasi ipsi a morte ejus viderentur immunes. Nam cum dixisset eis Pilatus, vos eum occidite, responderunt: Nobis non licet occidere quemquam. Iniquitatem facinoris sui in judicem hominem refundere volebant: sed numquid Deum Judicem fallebant? Quod fecit Pilatus, in eo ipso quod fecit, aliquantum particeps fuit, sed in comparatione illorum multo ipse innocentior. Institit enim quantum potuit, ut illum ex eorum manibus liberaret: nam propterea flagellatum produxit ad eos. Non persequendo Dominum flagellavit, sed eorum furori satisfacere volens: ut vel sic jam mitescerent, et desinerent velle occidere, cum flagellatum viderent. Fecit et hoc. At ubi perseveraverunt, nostis illum lavisse manus, et dixisse, quod ipse non fecisset, mundum se esse a morte illius. Fecit tamen. Sed si reus quia fecit vel invitus, illi innocentes qui coegerunt ut faceret? Nullo modo. Sed ille dixit in eum sententiam, et

Digitized by Google

jussit eum crucifigi, et quasi ipse occidit: et vos, o Judæi, occidistis. Unde occidistis? Gladio linguæ: acuistis enim linguas vestras. Et quando percussistis, nisi quando clamastis: Crucifige, crucifige?

℣. Animam meam dilectam tradidi in manus iniquorum, et facta est mihi hæreditas mea sicut leo in silva: dedit contra me voces adversarius, dicens: Congregamini, et properate ad devorandum illum: posuerunt me in deserto solitudinis: et luxit super me omnis terra: * Quia non est inventus qui me agnosceret, et faceret bene. ℣. Insurrexerunt in me viri absque misericordia, et non pepercerunt animæ meæ. Quia. Animam.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Ab insurgentibus in me libera me, Domine, quia occupaverunt animam meam.

Psalmus 58.

ERIPE me de inimicis meis, Deus meus: * et ab insurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem: * et de viris sanguinum salva me.

Quia ecce ceperunt animam meam:* irruerunt in me fortes.

Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine:* sine iniquitate cucurri, et direxi.

Exurge in occursum meum, et vide: * et tu, Domine Deus virtutum, Deus Israel.

Intende ad visitandas omnes Gentes: * non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.

Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes: * et circuibunt civitatem.

Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum: * quoniam quis audivit?

Et tu, Domine, deridebis eos: * ad nihilum deduces omnes Gentes.

Fortitudinem meam ad te custodiam quia Deus susceptor meus es.* Deus meus misericordia ejus præveniet me.

Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne occidas eos: * nequando obliviscantur populi mei.

Disperge illos in virtute tua: * et depone eos, protector meus Domine.

Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum: * et comprehendantur in superbia sua.

Et de exercratione et mendacio annuntiabuntur in consummatione: * in ira consummationis et non erunt.

Et scient quia Deus dominabitur Jacob, * et finium terræ.

Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes: * et circuibunt civitatem.

Ipsi dispergentur ad manducandum: * si vero non fuerint saturati, et murmurabunt.

Ego autem cantabo fortitudinem tuam: * et exultabo mane misericordiam tuam,

Quia factus es susceptor meus, * et refugium meum in die tribulationis meæ.

Adjutor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es:* Deus meus, misericordia mea.

Ant. Ab insurgentibus in me libera me, Domine; quia occupaverunt animam meam.

Ant. Longe fecisti notos meos a me: traditus sum, et non egrediebar.

Psalmus 87.

DOMINE, Deus salutis meæ, * in die clamavi et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea: * inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea: * et vita mea inferno appropinquavit.

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Digitized by Google

Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius: * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori: * in tenebrosis et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me: * posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar, * oculi mei languerunt præ inopia.

Clamavi ad te, Domine, tota die: * expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia? * aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, * et veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, * et justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te, Domine, clamavi: * et mane oratio mea præveniet te.

Ut quid, Domine, repellis orationem meam, * avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: * exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.

In me transierunt iræ tuæ, * et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die: * circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum et proximum, * et notos meos a miseria.

Ant. Longe fecisti notos meos a me: traditus sum, et non egrediebar.

Ant. Captabunt in animam justi, et sanguinem innocentem condemnabunt.

Psalmus 93.

DEUS ultionum Dominus, * Deus ultionum libere egit.

Exaltare, qui judicas terram: * redde retributionem superbis.

Usquequo peccatores, Domine: * usquequo peccatores gloriabuntur?

Effabuntur, et loquentur iniquitatem: * loquentur omnes, qui operantur injustitiam?

Populum tuum Domine, humiliaverunt: * et hæreditatem tuam vexaverunt.

Viduam et advenam interfecerunt: * et pupillos occiderunt.

Et dixerunt: Non videbit Dominus, * nec intelliget Deus Jacob.

Intelligite insipientes in populo: * et stulti aliquando sapite.

Qui plantavit aurem, non audiet? * aut qui finxit oculum, non considerat?

Qui corripit gentes, non arguet: * qui docet hominem scientiam?

Dominus scit cogitationes hominum, * quoniam vanæ sunt.

Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, * et de lege tua docueris eum.

Ut mitiges ei a diebus malis, * donec fodiatur peccatori fovea.

Quia non repellet Dominus plebem suam: * et hæreditatem suam non derelinquet.

Quoadusque justitia convertatur in judicium: * et qui juxta illam, omnes qui recto sunt corde.

Quis consurget mihi adversus malignantes? * aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?

Nisi quia Dominus adjuvit me, * paulo minus habitasset in inferno anima mea.

Si dicebam: Motus est pes meus: * misericordia tua, Domine, adjuvabat me.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, * consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, * qui fingis laborem in præcepto?

Captabunt in animam justi: * et sanguinem innocentem condemnabunt.

Et factus est mihi Dominus in refugium: * et Deus meus in adjutorium spei meæ.

Et reddet illis iniquitatem ipsorum,

Digitized by Google

et in malitia eorum disperdet eos, * disperdet illos Dominus Deus noster.

Ant. Captabunt in animam justi: et sanguinem innocentem condemnabunt.

℣. Locuti sunt adversum me lingua dolosa. ℟. Et sermonibus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

Lectio vij. Cap. 4.

FESTINEMUS ingredi in illam requiem, ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo. Habentes ergo Pontificem magnum qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei, teneamus confessionem. Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.

℟. Tradiderunt me in manus impiorum, et inter iniquos projecerunt me, et non pepercerunt animæ meæ: congregati sunt adversum me fortes: * Et sicut gigantes steterunt contra me. ℣. Alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam. Et.

Lectio viij

ADEAMUS ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate. Et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.

℟. Jesum tradidit impius summis principibus sacerdotum, et senioribus populi: * Petrus autem sequebatur eum a longe, ut videret finem. ℣. Adduxerunt autem eum ad Caipham principem sacerdotum, ubi Scribæ et Pharisæi convenerant. Petrus.

Lectio. ix.

NEC quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est, obedientiam: et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech.

℟. Caligaverunt oculi mei a fletu meo, quia elongatus est a me qui consolabatur me. Videte omnes populi, * Si est dolor similis sicut dolor meus. ℣. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte. Si. Caligaverunt.

Ad Laudes.

Ant. 1. Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Psalm. Miserere mei, p. 39.

Ant. Anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Digitized by Google

Psalmus 142.

DOMINE, exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: * exaudi me in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo; * quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: * humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi: * et auxiatus est super me spiritus meus: in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: * in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: * anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me, Domine * defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me: * et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: * quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: * quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi: * doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: * et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: * quoniam ego servus tuus sum.

Ant. Auxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Ant. Ait latro ad latronem: Nos quidem digna factis recipimus, hic autem quid fecit? Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.

Psalm. Deus Deus meus, p. 321.

Ant. Cum conturbata fuerit anima mea: Domine, misericordiæ memor eris.

CANTICUM HABACUC. *Cap.* 3.

DOMINE audivi auditionem tuam, * et timui.

Domine, opus tuum * in medio annorum vivifica illud,

In medio annorum notum facies: * cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis,

Deus ab Austro veniet, * et Sanctus de monte Pharan.

Operuit cœlos gloria ejus: * et laudis ejus plena est terra.

Splendor ejus ut lux erit: * cornua in manibus ejus.

Ibi abscondita est fortitudo ejus: * ante faciem ejus ibit mors.

Et egredietur diabolus ante pedes ejus: * Stetit, et mensus est terram.

Aspexit, et dissolvit Gentes: * et contriti sunt montes sæculi.

Incurvati sunt colles mundi; * ab itineribus æternitatis ejus.

Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ: * turbabuntur pelles terræ Madian.

Numquid in fluminibus iratus es, Domine? * aut in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua?

Qui ascendes super equos tuos: * et quadrigæ tuæ salvatio

Suscitans suscitabis arcum tuum: * juramenta tribubus, quæ locutus es.

Fluvios scindes terræ, viderunt te, et doluerunt montes: * gurges aquarum transiit.

Dedit abyssus vocem suam: * altitudo manus suas levavit.

Sol et luna steteruut in habitaculo suo, * in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.

In fremitu conculcabis terram: * et in furore obstupefacies Gentes.

Egressus es in salutem populi tui: * in salutem cum Christo tuo.

Digitized by Google

Percussisti caput de domo impii: * denudasti fundamentum ejus usque ad collum.

Maledixisti sceptris ejus capiti bellatorum ejus, * venientibus ut turbo ad dispergendum me.

Exultatio eorum, * sicut ejus, qui devorat pauperem in abscondito.

Viam fecisti in mari equis tuis, * in luto aquarum multarum.

Audivi, et conturbatus est venter meus: * a voce contremuerunt labia mea.

Ingrediatur putredo in ossibus meis, * et subter me scateat.

Ut requiescam in die tribulationis: * ut ascendam ad populum accinctum nostrum.

Ficus enim non florebit: * et non erit germen in vineis.

Mentietur opus olivæ: * et arva non afferent cibum.

Abscindetur de ovili pecus: * et non erit armentum in præsepibus.

Ego autem in Domino gaudebo: * et exultabo in Deo Jesu meo.

Deus Dominus fortitudo mea: * et ponet pedes meos quasi cervorum.

Et super excelsa mea deducet me victor * in psalmis canentem.

Ant. Cum conturbata fuerit anima mea, Domine, misericordiæ memor eris.

Ant. Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.

Psalm. Laudate Dominum de cœlis, *p.* 14.

℣. Collocavit me in obscuris. ℟. Sicut mortuos sæculi.

Ad Bened. Ant. Posuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: Iesus Nazarenus, Rex Judæorum.

℣. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Pater noster. *Psalm.* Miserere. *Orat.* Respice, *ut heri in Laud.*

In Horis, quæ dicuntur ut heri, ad ℣. Christus factus est *additur* mortem autem crucis.

Ad Vesperas.

Ant. et Psalmi ut heri, p. 323.

Ad Magnif. Ant. Cum accepisset acetum, dixit: Consummatum est; et inclinato capite, emisit spiritum.

℣. Christus factus est *et alia, ut supra ad Laudes*, p. 323.

SABBATO SANCTO.

Ad Matutinum.

IN I. NOCTURNO.

Ant. In pace in idipsum dormiam et requiescam.

Psalmus 4.

CUM invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ: * in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, * et exaudi orationem meam.

Filii hominum, usquequo gravi corde? * ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?

Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: * Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare: * quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino. * Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: * dedisti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, et olei sui * multiplicati sunt.

In pace in idipsum * dormiam, et requiescam.

Quoniam tu, Domine, singulariter in spe * constituisti me.

Ant. In pace in idipsum dormiam et requiescam.

Ant. Habitabit in tabernaculo tuo, requiescet in monte sancto tuo.

Psalmus 14.

DOMINE, quis habitabit in tabernaculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, * et operatur justitiam:

Qui loquitur veritatem in corde

Digitized by Google

suo : * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit proximo suo malum, * et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: * timentes autem Dominum glorificat :

Qui jurat proximo suo, et non decipit, * qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit hæc, * non movebitur in æternum.

Ant. Habitabit in tabernaculo tuo, requiescet in monte sancto tuo.

Ant. Caro mea requiscet in spe.

Psalmus 15.

CONSERVA me, Domine, quoniam speravi in te. * Dixi Domino : Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus : * mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum:* postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: * nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei : * tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in præclaris : * etenim hæreditas mea præclara est mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum : * insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Providebam Dominum in conspectu meo semper : * quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea : * insuper et caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno : * nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vulto tuo : * delectationes in dextera tua usque in finem.

Ant. Caro mea requiescet in spe.

℣. In pace in idipsum. ℟. Dormiam et requiescam.

De Lamentatione Jeremiæ Prophetæ.

Lectio j. Cap. 3. *Heth.*

MISERICORDIÆ Domini quia non sumus consumpti : quia non defecerunt miserationes ejus.

Heth. Novi diluculo, multa est fides tua.

Heth. Pars mea Dominus, dixit anima mea : propterea expectabo eum.

Teth. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.

Teth. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.

Teth. Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua.

Iod. Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit super se.

Iod. Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes.

Iod. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.

Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.

℟. Sicut ovis ad occisionem ductus est, et dum male tractaretur, non aperuit os suum : traditus est ad mortem, * Ut vivificaret populum suum. ℣. Tradidit in mortem animam suam, et inter sceleratos reputatus est. Ut.

Lectio ij. Cap. 4. *Aleph.*

QUOMODO obscuratum est aurum, mutatus est color optimus ; dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum !

Beth. Filii Sion inclyti et amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli!

Ghimel. Sed et lamiæ nudaverunt mammam: lactaverunt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.

Daleth. Adhæsit lingua lactentis

Digitized by Google

ad palatum ejus in siti : parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.

He. Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis : qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.

Vau. Et major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subversa est in momento, et non ceperunt in ea manus.

Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.

℟. Jerusalem, surge, et exue te vestibus jucunditatis : induere cinere et cilicio, * Quia in te occisus est Salvator Israel. ℣. Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem, et non taceat pupilla oculi tui. Quia.

Incipit Oratio Jeremiæ Prophetæ.

Lectio iij. Cap. 5.

RECORDARE, Domine, quid acciderit nobis : intuere et respice opprobrium nostrum. Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos. Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ. Aquam nostram pecunia bibimus, ligna nostra pretio comparavimus. Cervicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies. Ægypto dedimus manum, et Assyriis, ut saturaremur pane. Patres nostri peccaverunt et non sunt, et nos iniquitates eorum portavimus. Servi dominati sunt nostri : non fuit qui redimeret de manu eorum. In animabus nostris afferebamus panem nobis, a facie gladii in deserto. Pellis nostra quasi clibanus exusta est a facie tempestatum famis. Mulieres in Sion humiliaverunt, et virgines in civitatibus Juda.

Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.

℟. Plange quasi virgo, plebs mea: ululate, pastores, in cinere et cilicio : * Quia venit dies Domini magna et amara valde. ℣. Accingite vos, sacerdotes, et plangite, ministri altaris, aspergite vos cinere. Quia. Plange.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitudo ejus:* orbis terrarum et universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum : * et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum, * quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, principes, vestras; et elevamini, portæ æternales : * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales; * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Ant. Elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ.

Ant. Credo videre bona Domini in terra viventium.

Psalmus 26.

DOMINUS illuminatio mea et salus mea,* quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ : * a quo trepidabo?

Dum appropiant super me nocentes,* ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei,* ipsi infirmati sunt, et ceciderunt.

Digitized by Google

Si consistant adversum me castra,* non timebit cor meum.

Si exurgat adversum me prælium,* in hoc ego sperabo.

Unam petii a Domino, hanc requiram, * ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Ut videam voluptatem Domini,* et visitem templum ejus.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: * in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petra exaltavit me:* et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis:* cantabo, et psalmum dicam Domino.

Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te:* miserere mei, et exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: * faciem tuam, Domine, requiram.

Ne avertas faciem tuam a me:* ne declines in ira a servo tuo.

Adjutor meus esto: * ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me: * Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Domine, in via tua: * et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me: * quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini* in terra viventium.

Expecta Dominum, viriliter age: * et confortetur cor tuum: et sustine Dominum.

Ant. Credo videre bona Domini in terra viventium.

Ant. Domine, abstraxisti ab inferis animam meam.

Psalmus 29.

EXALTABO te, Domine, quoniam suscepisti me:* nec delectasti inimicos meos super me.

Domine, Deus meus, clamavi ad te, * et sanasti me.

Domine, eduxisti ab inferno animam meam:* salvasti me a descendentibus in lacum.

Psallite Domino sancti ejus: * et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus: * et vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus:* et ad matutinum lætitia.

Ego autem dixi in abundatia mea: * Non movebor in æternum.

Domine, in voluntate tua, * præstitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam a me: * et factus sum conturbatus.

Ad te, Domine, clamabo: * et ad Deum meum deprecabor.

Quæ utilitas in sanguine meo;* dum descendo in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis;* aut annuntiabit veritatem tuam?

Audivit Dominus, et misertus est mei: * Dominus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi:* conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.

Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar: * Domine, Deus meus, in æternum confitebor tibi.

Ant. Domine, abstraxisti ab inferis animam meam.

℣. Tu autem, Domine, miserere mei. ℟. Et resuscita me, et retribuam eis.

Ex Tractatu S. Augustini Episcopi super Psalmos.

In Psalm. 63 *vers.* 7.

Lectio iv.

ACCEDET homo ad cor altum, et exaltabitur Deus. Illi dixerunt: Quis nos videbit? Defecerunt scrutantes scrutationes, consilia mala. Accessit homo ad ipsa consilia, passus est se teneri ut homo. Non enim teneretur nisi homo, aut videretur nisi homo, aut crucifigeretur, aut moreretur nisi homo. Accessit ergo homo ad illas omnes passiones, quæ

Digitized by Google

in illo nihil valerent, nisi esset homo. Sed si ille non esset homo, non liberaretur homo. Accesit homo ad cor altum, id est, cor secretum, objiciens aspectibus humanis hominem, servans intus Deum : celans formam Dei, in qua æqualis est Patri, et offerens formam servi, qua minor est Patre.

℟. Recessit pastor noster, fons aquæ vivæ, ad cujus transitum sol obscuratus est. * Nam et ille captus est, qui captivum tenebat primum hominem : hodie portas mortis et seras pariter Salvator noster disrupit. ℣. Destruxit quidem claustra inferni, et subvertit potentias diaboli. Nam.

Lectio v.

QUO perduxerunt illas scrutationes suas, quas perscrutantes defecerunt, ut etiam mortuo Domino et sepulto, custodes ponerent ad sepulchrum? Dixerunt enim Pilato : Seductor ille. Hoc appellabatur nomine Dominus Jesus Christus, ad solatium servorum suorum, quando dicuntur seductores. Ergo illi Pilato : Seductor ille, inquiunt, dixit adhuc vivens : Post tres dies resurgam. Jube itaque custodiri sepulchrum usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi, Surrexit a mortuis : et erit novissimus error pejor priore. Ait illis Pilatus : Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.

℟. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, * Si est dolor similis sicut dolor meus. ℣. Attendite, universi populi, et videte dolorem meum. Si.

Lectio vj.

POSUERUNT custodes milites ad sepulchrum, Concussa terra, Dominus resurrexit : miracula facta sunt talia circa sepulchrum, ut et ipsi milites, qui custodes advenerant, testes fierent, si vellent vera nuntiare. Sed avaritia illa quæ captivavit discipulum comitem Christi, captivavit et militem custodem sepulchri. Damus, inquiunt, vobis pecuniam, et dicite quia vobis dormientibus venerunt discipuli ejus, et abstulerunt eum. Vere defecerunt scrutantes scrutationes. Quid est quod dixisti, o infelix astutia? Tantumne deseris lucem consilii pietatis, et in profunda versutiæ demergeris, ut hoc dicas : Dicite quia vobis dormientibus venerunt discipuli ejus, et abstulerunt eum? Dormientes testes adhibes? vere tu ipse obdormisti, qui scrutando talia defecisti.

℟. Ecce quomodo moritur justus, et nemo percipit corde ; et viri justi tolluntur, et nemo considerat. A facie iniquitatis sublatus est justus, * Et erit in pace memoria ejus. ℣. Tanquam agnus coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum ; de angustia et de judicio sublatus est. Et. Ecce.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Deus adjuvat me : et Dominus susceptor est animæ meæ.

Psalmus 53.

DEUS, in nomine tuo salvum me fac : * et in virtute tua judica me.

Deus exaudi orationem meam : * auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam : * et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me : * et Dominus susceptor est animæ meæ.

Averte mala inimicis meis : * et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi, * et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione, eripuisti me : * et super inimicos meos despexit oculus meus.

Ant. Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ.

Ant. In pace factus est locus ejus, et in Sion habitatio ejus.

Digitized by Google

Psalmus 75.

NOTUS in Judæa Deus: * in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus: * et habitatio ejus in Sion.

Ibi confregit potentias arcuum, * scutum, gladium, et bellum.

Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis: * turbati sunt omnes insipientes corde.

Dormierunt somnum suum: * et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Ab increpatione tua, Deus Jacob, * dormitaverunt qui ascenderunt equos.

Tu terribilis es, et quis resistet tibi? * ex tunc ira tua.

De cælo auditum fecisti judicium: * terra tremuit, et quievit,

Cum exurgeret in judicium Deus, * ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: * et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.

Vovete, et reddite Domino Deo vestro, * omnes qui in circuitu ejus affertis munera,

Terribili, et ei qui aufert spiritum principum, * terribili apud reges terræ.

Ant. In pace factus est locus ejus, et in Sion habitatio ejus.

Ant. Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Psalmus 87.

DOMINE, Deus salutis meæ, * in die clamavi et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea: * inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea: * et vita mea inferno appropinquavit.

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori: * in tenebrosis et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me: * posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar, * oculi mei languerunt præ inopia.

Clamavi ad te, Domine, tota die: * expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia? * aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, * et veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, * et justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te, Domine, clamavi: * et mane oratio mea præveniet te.

Ut quid, Domine, repellis orationem meam, * avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: * exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.

In me transierunt iræ tuæ: * et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die: * circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum et proximum, * et notos meos a miseria.

Ant. Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

℣. In pace factus est locus ejus.
℟. Et in Sion habitatio ejus.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Hebræos.

Lectio vij. Cap. 9.

CHRISTUS assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manu factum, id est, non hujus creationis: neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa. Si enim

Digitized by Google

sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?

℟. Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum * Adversus Dominum, et adversus Christum ejus. ℣. Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Adversus.

Lectio viij.

ET ideo novi testamenti mediator est, ut, morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est.

℟. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: * Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber. ℣. Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, et in umbra mortis. Factus.

Lectio ix.

LECTO enim omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum, cum aqua et lana coccinea et hyssopo, ipsum quoque librum et omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Etiam tabernaculum et omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit. Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur, et sine sanguinis effusione non fit remissio.

℟. Sepulto Domino, signatum est monumentum, volventes lapidem ad ostium monumenti; * Ponentes milites, qui custodirent illum ℣. Accedentes principes sacerdotum ad Pilatum, petierunt illum. Ponentes. Sepulto.

Ad Laudes

Ant. O mors, ero mors tua, morsus tuus ero, inferne.

Psal. Miserere mei, *p.* 39.

Ant. Plangent eum quasi unigenitum, quia innocens Dominus occisus est.

Psalmus 42.

JUDICA me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: * ab homine iniquo et doloso erue me.

Quia tu es, Deus, fortitudo mea: * quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam, et veritatem tuam: * ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei: * ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: * quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei, et Deus meus

Ant. Plangent eum quasi unigenitum, quia innocens Dominus occisus est.

Ant. Attendite, universi populi, et videte dolorem meum.

Psalm. Deus Deus meus, *p.* 321.

Ant. A porta inferi erue, Domine, animam meam.

CANTICUM EZECHIAE

Isaiæ 38.

EGO dixi: In dimidio dierum meorum * vadam ad portas inferi.

Quæsivi residuum annorum meorum, * dixi: Non videbo Dominum Deum in terra viventium.

Non aspiciam hominem ultra, * et habitatorem quietis.

Generatio mea ablata est, et con-

Digitized by Google

vuluta est a me, * quasi tabernaculum pastorum.

Præcisa est velut a texente vita mea dum adhuc ordirer, succidit me: * de mane usque ad vesperam finies me.

Sperabam usque ad mane, * quasi leo sic contrivit omnia ossa mea:

De mane usque ad vesperam finies me: * sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba.

Attenuati sunt oculi mei, * suspicientes in excelsum.

Domine, vim patior, responde pro me. * Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit?

Recogitabo tibi omnes annos meos * in amaritudine animæ meæ.

Domine, si sic vivitur, et in talibus vita spiritus mei, corripies me, et vivificabis me. * Ecce in pace amaritudo mea amarissima.

Tu autem eruisti animam meam, ut non periret: * projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Quia non infernus confitebitur tibi neque mors laudabit te: * non expectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam.

Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie: * pater filiis notam faciet veritatem tuam.

Domine, salvum me fac, * et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

Ant. A porta inferi erue, Domine, animam meam.

Ant. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus.

Psalm. Laudate Dominum de cœlis, *p.* 14.

℣. Caro mea requiescet in spe. ℟. Et non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

Ad Bened. Ant. Mulieres sedentes ad monumentum lamentabuntur, flentes Dominum.

℣. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

Pater noster.-*Psalm.* Miserere. *Orat.* Respice, *ut supra*, *p.* 323.

Et sic dicitur usque ad Nonam.

Dictis Horis ut supra, p. 323. *dicitur Missa ut in Ordinario, et facta Communione Sacerdotis, statim pro Vesp. dicitur.*

Ant. Alleluia, alleluia, alleluia.

Psalm. Laudate Dominum omnes gentes, *p.* 88. *cum* Gloria Patri. *Et repetitur Ant.* Alleluia.

Capit. Hymnus et ℣. non dicuntur.

Ad Magnif. Ant. Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulchrum, alleluia.

Cant. Magnificat, *p.* 88. *cum* Gloria Patri. *Et repetitur Ant.* Vespere autem sabbati.

Deinde Sacerdos dicit Dominus vobiscum.

Oremus. *Oratio.*

SPIRITUM nobis, Domine, tuæ charitatis infunde, ut quos sacramentis Paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Dominum,.. in unitate ejusdem.

Deinde. Dominus vobiscum.

Postea Diaconus dicit. Ite Missa est, alleluia, alleluia. ℟. Deo gratias, alleluia, alleluia.

Extra Chorum; dicto Pater noster *et* Ave Maria, *Vesp. inchoantur absolute ab Ant.* Alleluia *cum reliq. ut supra; loco* Ite Missa est, alleluia, alleluia, *dicitur* ℣. Benedicamus Domino, allel.allel. ℟. Deo gratias, alleluia, allel.

Deinde additur Pater noster, *et nihil aliud.*

Ad Completorium ℣. Jube domne.

Lectio br. Fratres Sobrii. ℣. Adjutorium nostrum. Pater noster, *et facta Confess. et Absol., dicitur* ℣. Converte nos Deus. ℣. Deus in adjutorium. Gloria Patri, *et amplius non dicitur* Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ; *sed ejus loco deinceps dicitur* Alleluia.

Deinde sine Ant. dicuntur Psalmi

Digitized by Google

consueti. Capit. ℣. *et Hymnus non dicuntur.*

Ad Nunc dimittis, *Ant.* Vespere autem: *ut supra in Vesp. Orat.* Visita, quæsumus, *ut in Psalt.*, p. 103.

In fine Ant. Regina cœli, *p.* 104.

Et non flectuntur genua toto tempore Paschali.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

Ad Matutinum.

Pater noster. Ave Maria. Credo.

℣. Domine labia. Deus in adjutorium. Gloria Patri. Alleluia.

Invit. Surrexit Dominus vere, * Alleluia.

Psalm. Venite exultemus, *p.* I.

Hymni et Capit. non dicuntur in aliqua Horarum usque ad Vesp. Sabbati in Albis, nec Vers. nisi in Nocturnis.

AD NOCTURNUM.

Ant. Ego sum qui sum, et consilium meum non est cum impiis, sed in lege Domini voluntas mea est, alleluia.

Psalmus 1.

BEATUS vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, * et in cathedra pestilentiæ non sedit:

Sed in lege Domini voluntas ejus, * et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, * quod fructum suum dabit in tempore suo.

Et folium ejus non defluet: * et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.

Non sic impii, non sic: * sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.

Ideo non resurgent impii in judicio: * neque peccatores in concilio justorum,

Quoniam novit Dominus viam justorum: * et iter impiorum peribit.

Gloria Patri, et Filio, * et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, etc.

Ant. Ego sum qui sum, et consilium meum non est cum impiis, sed in lege Domini voluntas mea est, alleluia.

Ant. Postulavi Patrem meum, alleluia: dedit mihi Gentes, alleluia, in hæreditatem, alleluia.

Psalmus 2.

QUARE fremuerunt gentes, * et populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum: * et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in cœlis, irridebit eos, * et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua: * et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus: * prædicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, * et possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea, * et tanquam vas figuli confringes eos.

Et nunc, reges, intelligite: * erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore: * et exultate ei cum tremore.

Digitized by Google

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, * et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus, * beati omnes qui confidunt in eo.

Ant. Postulavi Patrem meum, alleluia : dedit mihi Gentes, alleluia, in hæreditatem, alleluia.

Ant. Ego dormivi, et somnum cœpi, et exurrexi ; quoniam Dominus suscepit me, alleluia, alleluia.

Psalmus 3.

DOMINE, quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es, * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum: * et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * et super populum tuum benedictio tua.

Ant. Ego dormivi, et somnum cœpi, et exurrexi ; quoniam Dominus suscepit me, alleluia, alleluia.

℣. Surrexit Dominus de sepulchro, alleluia. ℟. Qui pro nobis pependit in ligno, alleluia.

Pater. *Absol.* Exaudi, ℣. Jube.

Bened. Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio j. Cap. 16.

IN illo tempore : Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Homil. 21. *in Evangelia.*

AUDISTIS, fratres charissimi, quod sanctæ mulieres, quæ Dominum fuerant secutæ, cum aromatibus ad monumentum venerunt, et ei, quem viventem dilexerant, etiam mortuo, studio humanitatis obsequuntur. Sed res gesta aliquid in sancta Ecclesia signat gerendum. Sic quippe necesse est ut audiamus quæ facta sunt, quatenus cogitemus etiam quæ nobis sint ex eorum imitatione facienda. Et nos ergo in eum qui est mortuus credentes, si odore virtutum referti, cum opinione bonorum operum Dominum quærimus, ad monumentum profecto illius cum aromatibus venimus. Illæ autem mulieres Angelos vident, quæ cum aromatibus venerunt; quia videlicet illæ mentes supernos cives aspiciunt, quæ cum virtutum odoribus ad Dominum per sancta desideria proficiscuntur. Tu autem.

℟. Angelus Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem, et super eum sedit, et dixit mulieribus: * Nolite timere : scio enim quia crucifixum quæritis; jam surrexit: venite et videte locum, ubi positus erat Dominus, alleluia. ℣. Et introeuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt : qui dixit illis. Nolite. Gloria Patri. *Et repetitur.* ℟. Angelus Domini. *usque ad* ℣.

Bened. Divinum auxilium.

Lectio ij.

NOTANDUM vero nobis est quidnam sit, quod in dextris sedere Angelus cernitur. Quid namque per sinistram, nisi vita præsens? quid vero per dexteram, nisi perpetua vita designatur? unde in Canticis canticorum scriptum est : Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Quia ergo Redemptor noster jam præsentis vitæ corruptionem transierat, recte Angelus, qui nuntiare perennem ejus vitam venerat, in dextera sedebat. Qui stola candida coopertus apparuit, quia festivitatis no

Digitized by Google

stræ gaudia nuntiavit. Candor etenim vestis splendorem nostræ denuntiat solemnitatis. Nostræ dicamus, an suæ? Sed ut fateamur verius, et suæ dicamus et nostræ. Illa quippe Redemptoris nostri resurrectio et nostra festivitas fuit, quia nos ad immortalitatem reduxit: et Angelorum festivitas extitit, quia nos revocando ad cœlestia, eorum numerum implevit.

℟. Cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata, * Ut venientes ungerent Jesum, alleluia, alleluia. ℣. Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole. Ut. Gloria. Ut.

Bened. Ad societatem.

Lectio iij.

IN sua ergo ac nostra festivitate Angelus in albis vestibus apparuit: quia dum nos per resurrectionem Dominicam ad superna reducimur, cœlestis patriæ damna reparantur. Sed quid adventantes feminas affatur audiamus: Nolite expavescere. Ac si aperte dicat · Paveant illi qui non amant adventum supernorum civium: pertimescant qui carnalibus desideriis pressi, ad eorum se societatem pertingere posse desperant. Vos autem cur pertimescitis, quæ vestros concives videtis? Unde et Matthæus Angelum apparuisse describens, ait: Erat aspectus ejus sicut fulgur, et vestimenta ejus sicut nix. In fulgure etenim terror timoris est; in nive autem blandimentum candoris.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

Ad Laudes.

Ant. 1. **ANGELUS** autem Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum, alleluia, alleluia.

2. Et ecce terræmotus factus est magnus: Angelus enim Domini descendit de cœlo, alleluia.

3. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, vestimenta autem ejus sicut nix, alleluia, alleluia.

4. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui, alleluia.

5. Respondens autem Angelus, dixit mulieribus. Nolite timere; scio enim quod Jesum quæritis, alleluia.

Capit. Hymn. et ℣. non dicuntur; sed eorum loco Ant.

HÆC dies quam fecit Dominus: exultemus, et lætemur in ea.

Ad Bened. Ant. Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole, allel.

Oratio.

DEUS, qui hodierna die per Unigenitum tuum æternitatis nobis aditum devicta morte reserasti, vota nostra, quæ præveniendo aspiras, etiam adjuvando prosequere. Per eumdem Dominum.

℣. Dominus vobiscum ℟. Et cum spirito tuo. ℣. Benedicamus Domino, alleluia, alleluia. ℟. Deo gratias, alleluia, alleluia.

Sic dicitur in Vesp. et Laud. tantum usque ad Vesp. Sabbati in Albis exclusive.

Ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam, post Deus in adjutorium *et* Gloria Patri *dicuntur Psalmi consueti: ad Primam tamen ut in Festis: scilicet*, Deus in nomine tuo, Beati immaculati, *et* Retribue. *Quibus finitis, dicitur Ant.* Hæc dies; *postea Oratio, quæ ad Primam dicitur ut in Psalt* Domine Deus omnipotens, *p.* 20. Pretiosa *cum reliquis, et ad Absol. Capit. Lectio br.* Si consurrexistis, *ut in Psalt.* p. 21.

Ad alias autem Horas, post Ant. Hæc dies: *dicitur Oratio quæ ponitur in Laudibus.*

Ad Vesperas.

Ant. de Laud. Psalmi de Dom. Et sic dicitur usque ad Vesp. Sabb.

Postea Ant. Hæc dies, *ut sup.*

Ad Magnif. Ant. Et respicientes viderunt revolutum lapidem: erat quippe magnus valde, allel.

Ad Completorium, dicto ℣. Jube. Fratres sobrii. ℣. Adjutorium no-

Digitized by Google

strum. Pater noster, *et facta cónfess. et Absol., post.* ℣. Converte nos. ℣. Deus in adjutorium. Gloria Patri. Alleluia. *dicuntur Psalmi consueti, quibus finitis, dicitur* Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia.

Deinde Cant. Nunc dimittis.

Postea Ant. Hæc dies. *Oratio* Visita quæsumus, *p.* 103.

Hic modus Horarum servatur usque ad Vesp. Sabb. in Albis.

FERIA SECUNDA

Ad Matut. Invit. Ant. et Psalmi ad Noct. et Laud. dicuntur ut in die Paschæ per totam Octavam.

℣. Surrexit Dominus de sepulchro, alleluia. ℟. Qui pro nobis pependit in ligno, alleluia.

In hac et seq. Feriis Absol. *ut notatur sub init. Psalt.* Bened. *vero ut in die Festi.*

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio j. Cap. 24.

IN illo tempore: Duo ex discipulis Jesu ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 23 in Evangelia.

AUDISTIS, fratres charissimi, quia duobus discipulis ambulantibus in via, non quidem credentibus, sed tamen de se loquentibus Dominus apparuit; sed eis speciem, quam recognoscerent, non ostendit. Hoc ergo egit foris Dominus in oculis corporis, quod apud ipsos agebatur intus in oculis cordis. Ipsi namque apud semetipsos intus et amabant, et dubitabant: eis autem Dominus foris et præsens aderat, et quis esset non ostendebat. De se ergo loquentibus præsentiam exhibuit: sed de se dubitantibus cognitionis suæ speciem abscondit.

℟. Maria Magdalene et altera Maria ibant dilúculo ad monumentum. * Jesum quem quæritis, non est hic; surrexit sicut locutus est, præcedet vos in Galilæam; ibi eum videbitis, alleluia, alleluia. ℣. Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole: et introeuntes viderunt juvenem sedentem in dextris, qui dixit illis. Jesum.

Lectio ij.

VERBA quidem contulit, duritiam intellectus increpavit, sacræ Scripturæ mysteria, quæ de seipso erant, aperuit: et tamen quia adhuc in eorum cordibus peregrinus erat a fide, se ire longius finxit. Fingere namque componere dicimus; unde et compositores luti figulos vocamus. Nihil ergo simplex Veritas per duplicitatem fecit: sed talem se eis exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente. Probandi autem erant, si hi qui eum etsi necdum ut Deum diligerent, saltem ut peregrinum amare potuissent.

℟. Surrexit pastor bonus, qui animam suam posuit pro ovibus suis, et pro grege suo mori dignatus est: * Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Alleluia. Gloria. Alleluia.

Lectio iij.

SED quia esse extranei a charitate non poterant hi, cum quibus Veritas gradiebatur, eum ad hospitium quasi peregrinum vocant. Cur autem dicimus, vocant, cum illic scriptum sit: Et coegerunt eum? Ex quo nimirum exemplo colligitur quia peregrini ad hospitium non solum invitandi sunt, sed etiam trahendi. Mensam igitur ponunt, panes, cibosque offerunt; et Deum, quem in Scripturæ sacræ expositione non cognoverant; in panis fractione cognoscunt. Audiendo ergo præcepta Dei illuminati non sunt, faciendo illuminati sunt: quia scriptum est: Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Quisquis ergo vult audita intelligere, festinet ea quæ jam audire potuit, opere implere. Ecce Dominus non est cognitus dum loqueretur, et dignatus est cognosci dum pascitur.

Ad Bened. Ant. Jesus junxit se di-

Digitized by Google

scipulis suis in via, et ibat cum illis: oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent; et increpavit eos, dicens: O stulti, et tardi corde ad credendum in his, quæ locuti sunt Prophetæ! allel.

Oratio.

DEUS, qui solemnitate Paschali mundo remedia contulisti, populum tuum, quæsumus, cœlesti dono prosequere, ut et perfectam libertatem consequi mereatur, et ad vitam proficiat sempiternam. Per Dominum.

Ad Magnif. Ant. Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes? alleluia.

FERIA TERTIA.

℣. Surrexit Dominus vere, alleluia. ℣. Et apparuit Simoni, alleluia.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio j. Cap. 24

IN illo tempore: Stetit Jesus in medio discipulorum, et dixit eis: Pax vobis; ego sum, nolite timere. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 10. *Comm. in Lucæ cap.* 24.

MIRUM quo modo se natura corporea per impenetrabile corpus infuderit invisibili aditu, visibili conspectu; tangi facilis, difficilis æstimari. Denique conturbati discipuli æstimabant se spiritum videre. Et ideo Dominus, ut speciem nobis resurrectionis ostenderet: Palpate, inquit, et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Non ergo per incorpoream naturam sed per resurrectionis corporeæ qualitatem, impervia usu clausa penetravit. Nam quod tangitur, corpus est: quod palpatur, corpus est.

℟. Virtute magna reddebant Apostoli * Testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, alleluia, alleluia. ℣. Repleti quidem Spiritu sancto loquebantur cum fiducia verbum Dei. Testimonium.

Lectio ij.

IN corpore autem resurgemus. Seminatur enim corpus animale, surgit corpus spirituale: sed illud subtilius, hoc crassius, utpote adhuc terrenæ labis qualitate concretum. Nam quomodo non corpus, in quo manebant insignia vulnerum, vestigia cicatricum, quæ Dominus palpanda obtulit? In quo non solum fidem firmat, sed etiam devotionem acuit, quod vulnera suscepta pro nobis cœlo inferre maluit, abolere noluit; ut Deo Patri nostræ pretia libertatis ostenderet. Talem sibi Pater ad dexteram locat, trophæum nostræ salutis amplectens: tales illic martyres nobis cicatricis suæ corona monstravit.

℟. De ore prudentis procedit mel, alleluia: dulcedo mellis est sub lingua ejus, alleluia. * Favus distillans labia ejus, alleluia, alleluia. ℣. Sapientia requiescit in corde ejus, et prudentia in sermone oris illius. Favus. Gloria. Favus.

Lectio iij.

ET quoniam sermo huc noster evasit, consideremus qua gratia secundum Joannem crediderint Apostoli, qui gravi sunt; secundum Lucam quasi increduli redarguantur: ibi Spiritum sanctum acceperint, hic sedere in civitate jubeantur, quoadusque induantur virtute ex alto. Et videtur mihi ille quasi Apostolus majora et altiora tetigisse, hic sequentia et humanis proxima: hic historico usus circuitu, ille compendio: quia et de illo dubitari non potest, qui testimonium perhibet de iis quibus ipse interfuit, et verum est testimonium ejus; et ab hoc quoque qui Evangelista esse meruit, vel negligentiæ vel mendacii suspicionem æquum est propulsari. Et ideo verum putemus utrumque, non sententiarum varietate, nec personarum diversitate distinctum. Nam etsi primo Lucas eos non credidisse dicat, postea tamen credidisse demonstrat: et si prima con-

Digitized by Google

sideremus, contraria sunt, si sequentia, certum est convenire.

Ad Bened. Ant. Stetit Jesus in medio discipulorum suorum, et dixit eis : Pax vobis, alleluia, alleluia.

Oratio.

DEUS, qui Ecclesiam tuam novo semper fœtu multiplicas, concede famulis tuis, ut sacramentum vivendo teneant, quod fide perceperunt. Per Dominum.

Ad Magnif. Ant. Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum, alleluia, alleluia.

FERIA QUARTA.

℣. Gavisi sunt discipuli, alleluia. ℟. Viso Domino, alleluia.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 21.

IN illo tempore : Manifestavit se iterum Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic: Erant simul Simon Petrus et Thomas, qui dicitur Dydimus. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homil. 24. in Evangelia.

LECTIO sancti Evangelii, quæ modo in auribus vestris lecta est, fratres mei, quæstione animum pulsat, sed pulsatione suâ vim discretionis indicat. Quæri etenim potest cur Petrus, qui piscator ante conversionem fuit, post conversionem ad piscationem rediit ; et cum Veritas dicat : Nemo mittens manum suam ad aratrum et aspiciens retro, aptus est regno Dei : cur repetiit quod dereliquit ? Sed si virtus discretionis inspicitur, citius videtur : quia nimirum negotium, quod ante conversionem sine peccato extitit, hoc etiam post conversionem repetere culpa non fuit.

℟. Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus, * Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. Alleluia.

Lectio ij.

NAM piscatorem Petrum, Matthæum vero telonearium scimus; et post conversionem suam ad piscationem Petrus rediit, Matthæus ad telonei negotium non resedit : quia aliud est victum per piscationem quærere, aliud autem telonei lucris pecunias augere. Sunt enim pleraque negotia, quæ sine peccatis exhiberi aut vix aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est ut post conversionem animus non recurrat.

℟. Ego sum vitis vera, et vos palmites : * Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, alleluia, alleluia. ℣. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Qui. Gloria. Qui.

Lectio iij.

QUÆRI etiam potest cur, discipulis in mari laborantibus, post resurrectionem suam Dominus in littore stetit, qui ante resurrectionem suam coram discipulis in fluctibus maris ambulavit. Cujus rei ratio festine cognoscitur, si ipsa, quæ tunc inerat, causa pensetur. Quid enim mare, nisi præsens sæculum signat, quod se casuum tumultibus, et undis vitæ corruptibilis illidit ? Quid per soliditatem littoris, nisi illa perpetuitas quietis æternæ figuratur ? Quia ergo discipuli adhuc fluctibus mortalis vitæ inerant, in mari laborabant. Quia autem Redemptor noster jam corruptionem carnis excesserat, post resurrectionem suam in littore stabat.

Ad Bened. Ant. Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis, allel.

Oratio.

DEUS, qui nos resurrectionis Dominicæ annua solemnitate lætificas, concede propitius, ut per temporalia festa quæ agimus, pervenire ad gaudia æterna mereamur. Per eumdem Dominum.

Ad Magnif. Ant. Dixit Jesus discipulis suis : Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. Ascendit autem Simon Petrus, et traxit rete in terram plenum magnis piscibus, allel.

FERIA QUINTA.

℣. Surrexit Dominus de sepulchro, alleluia. ℟. Qui pro nobis pependit in ligno, alleluia.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 20.

IN illo tempore : Maria stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se et prospexit in monumentum, et vidit duos Angelos in albis, sedentes. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 25. in Evangelia.

MARIA Magdalene, quæ fuerat in civitate peccatrix, amando veritatem, lavit lacrymis maculas criminis : et vox Veritatis impletur qua dicitur : Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Quæ enim prius frigida peccando remanserat, postmodum amando fortiter ardebat. Nam postquam venit ad monumentum, ibique corpus Dominicum non invenit, sublatum credidit, atque discipulis nuntiavit : qui venientes viderunt, atque ita esse ut mulier dixerat, crediderunt. Et de eis protinus scriptum est : Abierunt ergo discipuli ad semetipsos ; ac deinde subjungitur: Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.

℟. Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. Dicunt ei Angeli : Mulier, quid ploras ? surrexit sicut dixit : * Præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, alleluia, alleluia. ℣. Cum ergo fleret, inclinavit se et prospexit in monumentum, et vidit duos Angelos in albis, sedentes, qui dicunt ei. Præcedet.

Lectio ij.

QUA in re pensandum est hujus mulieris mentem quanta vis amoris accenderat, quæ a monumento Domini, etiam discipulis recedentibus, non recedebat. Exquirebat quem non invenerat, flebat inquirendo, et amoris sui igne succensa, ejus quem ablatum credidit, ardebat desiderio. Unde contigit ut eum sola tunc videret, quæ remanserat ut quæreret; quia nimirum virtus boni operis perseverantia est : et voce Veritatis dicitur: Qui autem perseveravit usque in finem, hic salvus erit.

℟. Congratulamini mihi, omnes qui diligitis Dominum, quia quem quærebam, apparuit mihi : * Et dum flerem ad monumentum, vidi Dominum, alleluia, alleluia. ℣. Recedentibus discipulis, non recedebam, et amoris ejus igne succensa, ardebam desiderio. Et. Gloria. Et.

Lectio iij.

MARIA ergo cum fleret, inclinavit se et prospexit in monumentum. Certe jam monumentum vacuum viderat, jam sublatum Dominum nuntiaverat : quid est quod se iterum inclinat, iterum videre desiderat ? Sed amanti semel aspexisse non sufficit : quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis. Quæsivit ergo prius, et minime invenit ; perseveravit ut quæreret, unde et contigit ut inveniret ; actumque est ut desideria dilata crescerent, et crescentia caperent quod invenissent.

Ad Bened. Ant. Maria stabat ad monumentum plorans, et vidit duos Angelos in albis, sedentes, et sudarium quod fuerat super caput Jesu, alleluia.

Oratio.

DEUS, qui diversitatem gentium in confessione tui nominis adunasti, da ut renatis fonte baptismatis una sit fides mentium et pietas actionum. Per Dominum.

Ad Magnif. Ant. Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum: si tu sustulisti eum, dicito mihi, alleluia, et ego eum tollam. allel.

Digitized by Google

FERIA SEXTA

℣. Surrexit Dominus vere, alleluia.
℟. Et apparuit Simoni, alleluia.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio j Cap. 28.

IN illo tempore : Undecim discipuli abierunt in Galilæam, in montem, ubi constituerat illis Jesus. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 4. Comm. in Matth. in fine.

POST resurrectionem Jesus in monte Galilææ conspicitur, ibique adoratur, licet quidam dubitent, et dubitatio eorum nostram augeat fidem. Tunc manifestius ostenditur Thomæ, et latus lancea vulneratum, et manus fixas demonstrat clavis. Accedens Jesus locutus est eis, dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Illi potestas data est, qui paulo ante crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui mortuus jacuerat, qui postea resurrexit. In cœlo autem et in terra potestas data est, ut qui ante regnabat in cœlo, per fidem credentium, regnet et in terris.

℟. Surgens Jesus Dominus noster, stans in medio discipulorum suorum, dixit : * Pax vobis, alleluia : gavisi sunt discipuli viso Domino, alleluia. ℣. Una ergo sabbatorum, cum fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati, venit Jesus, et stetit in medio eorum, et dixit eis. Pax.

Lectio ij.

EUNTES autem docete omnes gentes : baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Primum docent omnes gentes, deinde doctas intingunt aqua. Non enim potest fieri ut corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem. Baptizantur autem in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut quorum una est divinitas, una sit largitio: nomenque Trinitatis, unus Deus est.

℟. Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, etenim Pascha nostrum immolatus est Christus : * Itaque epulemur in Domino, alleluia. ℣. Mortuus est propter justificationem nostram. Itaque. Gloria. Itaque.

Lectio iij.

DOCENTES eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis. Ordo præcipuus : Jussit Apostolis ut primum docerent universas gentes, deinde fidei intingerent sacramento : et post fidem ac baptisma, quæ essent observanda præciperent. Ac ne putemus levia esse, quæ jussa sunt, et pauca, addidit : Omnia quæcumque mandavi vobis : ut quicumque crediderint, qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant quæ præcepta sunt. Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Qui usque ad consummationem sæculi cum discipulis se futurum esse promittit, et illos ostendit semper esse victuros, et se nunquam a credentibus recessurum.

Ad Bened Ant. Undecim discipuli in Galilæa videntes Dominum adoraverunt, alleluia.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui Paschale sacramentum in reconciliationis humanæ fœdere contulisti, da mentibus nostris ut quod professione celebramus, imitemur effectu. Per Dominum.

Ad Magnif. Ant. Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra, alleluia,

SABBATO IN ALBIS

℣. Gavisi sunt discipuli, alleluia
℟. Viso Domino, alleluia.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. *Cap.* 20.

IN illo tempore : Una sabbati Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum. Et reliqua.

Digitized by Google

Homilia sancti Gregorii Papæ.
Homil 22. in Evangelia.

LECTIO sancti Evangelii, quam modo, fratres, audistis, valde in superficie historica est aperta; sed ejus nobis sunt mysteria sub brevitate requirenda. Maria Magdalene, cum adhuc tenebræ essent, venit ad monumentum. Juxta historiam notatur hora: juxta intellectum vero mysticum, requirentis signatur intelligentia. Maria etenim auctorem omnium, quem in carne viderat mortuum, quærebat in monumento, et quia hunc minime invenit, furatum credidit. Adhuc ergo erant tenebræ, quando venit ad monumentum. Cucurrit citius, discipulis nuntiavit; sed illi præ cæteris cucurreruut, qui præ cæteris amaverunt; videlicet Petrus et Joannes.

℣. Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominatur: quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: * Quod autem vivit, vivit Deo, alleluia, alleluia. ℣. Mortuus est semel propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. Quod.

Lectio ij.

CURREBANT autem duo simul, sed Joannes præcucurrit citius Petro. Venit prior ad monumentum, et ingredi non præsumpsit. Venit ergo posterior Petrus, et intravit. Quid, fratres, quid cursus significat? Numquid hæc tam subtilis Evangelistæ desciptio a mysteriis vacare credenda est? Minime. Neque enim se Joannes et præisse, et non intrasse diceret, si in ipsa sui trepidatione mysterium defuisse credidisset. Quid ergo per Joannem, nisi Synagoga: quid per Petrum, nisi Ecclesia designatur?

℣. Isti sunt agni novelli, qui annuntiaverunt, alleluia: modo venerunt ad fontes, * Repleti sunt claritate, alleluia, alleluia. ℣. In conspectu Agni amicti sunt stolis albis, et palmæ in manibus eorum. Repleti. Gloria. Repleti.

Lectio iij.

NEC mirum esse videatur quod per juniorem Synagoga, per seniorem vero Ecclesia signari perhibetur, quia etsi ad Dei cultum prior est Synagoga, quam Ecclesia Gentium, ad usum tamen sæculi prior est multitudo Gentium, quam Synagoga, Paulo attestante, qui ait: Quia non prius quod spiritale est, sed quod animale. Per seniorem ergo Petrum significatur Ecclesia Gentium: per juniorem vero Joannem Synogoga Judæorum. Currunt ambo simul: quia ab ortus sui tempore usque ad occasum, pari et communi via, etsi non pari et communi sensu, Gentilitas cum Synagoga cucurrit. Venit Synagoga prior ad monumentum, sed minime intravit, quia legis quidem mandata percepit, prophetias de incarnatione ac Passione Dominica audivit, sed credere in mortuum noluit.

Ad Bened. Ant. Currebant duo simul, et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, et venit prior ad monumentum, alleluia.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui festa Paschalia venerando egimus, per hæc contingere ad gaudia æterna mereamur. Per Dominum.

Ad Vesperas
Officium fit duplex.

Ant. Alleluia, alleluia, alleluia.
Psalm. Benedictus Dominus Deus, *cum reliq. de Psalt.* p. 97.
Capitulum. 1. Joan. 5.

CHARISSIMI, Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum: et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.

HYMNUS.

AD regias Agni dapes
Stolis amicti candidis

Digitized by Google

Post transitum maris Rubri
Christo canamus principi :
  Divina cujus charitas
Sacrum propinat sanguinem ,
Almique membra corporis
Amor sacerdos immolat.
  Sparsum cruorem postibus
Vastator horret Angelus ;
Fugitque divisum mare ,
Merguntur hostes fluctibus.
  Jam Pascha nostrum Christus est,
Paschalis idem victima ,
Et pura puris mentibus
Sinceritatis azyma.
  O vera cœli victima ,
Subjecta cui sunt tartara ,
Soluta mortis vincula ,
Recepta vitæ præmia.
  Victor subactis inferis
Trophæa Christus explicat ,
Cœloque aperto subditum
Regem tenebrarum trahit.
  Ut sis perenne mentibus
Paschale, Jesu , gaudium ,
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.
  Deo Patri sit gloria ,
Et filio , qui a mortuis
Surrexit , ac Paraclito ,
In sempiterna sæcula. Amen.

Sic terminantur omnes Hymn. ejusdem metri usque ad Ascens. præterquam in Offic. B. M. et in Hymno sanctæ Crucis ad Vesp.

℣. Mane nobiscum , Domine , alleluia. ℟. Quoniam advesperascit, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Cum esset sero die illa una sabbatorum , et fores essent clausæ , ubi erant discipuli congregati in unum, stetit Jesus in medio, et dixit eis : Pax vobis , alleluia.

Oratio.

PRÆSTA , quæsumus , omnipotens Deus , ut qui Paschalia festa peregimus , hæc , te largiente , moribus et vita teneamus. Per Dominum.

℣. Benedicamus Domino *deinceps. dicitur sine* alleluia.

Complet. dicitur ut in Psalt., omissis Prec., et loco Ant. Miserere *dicitur Ant.* Alleluia , allel. allel. *Et in fine Ant.* Salva nos *additur* Alleluia.

Sic dicitur usque ad Dom. Trinit. exclusive; et quando non est Duplex , nec infra Oct., dicuntur Preces, ut in Psalt.

Ad ℟. br. et ℣. per omnes Horas, jungitur Alleluia *usque ad Sabb. post Pentec., præterquam in ℣v. ad Preces Primæ et Complet. quando dicuntur. Et quandocumque* Alleluia *jungitur ℟. brevi, duplicatur ; sed in ℣. dicitur semel.*

DOMINICA IN ALBIS

In Octava Paschæ, Duplex.

Ad Matutinum.

Invit. Surrexit Dominus vere , * Alleluia.

HYMNUS.

REX sempiterne Cœlitum ,
  Rerum Creator omnium ,
Æqualis ante sæcula
Semper Parenti Filius.
  Nascente qui mundo Faber
Imagines vultus tui
Tradens Adamo , nobilem
Limo jugasti spiritum.
  Cum livor et fraus dæmonis
Fœdasset humanum genus ,
Tu carne amictus perditam
Formam reformas Artifex.
  Qui natus olim e Virgine
Nunc e sepulchro nasceris ,
Tecumque nos a mortuis
Jubes sepultos surgere.
  Qui pastor æternus gregem
Aqua lavas baptismatis :
Hæc est lavacrum mentium
Hæc est sepulchrum criminum.
  Nobis diu qui debitæ
Redemptor affixus cruci ,
Nostræ dedisti prodigus
Pretium salutis sanguinem.
  Ut sis perenne mentibus
Paschale , Jesu , gaudium ,
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.
  Deo Patri sit gloria ,
Et Filio , qui a mortuis

Digitized by Google

Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

In unoquoque Noct. Psalmi dicuntur sub una Ant. et ℣. pro temp. Pasch. ut in Psalt.

IN I. NOCTURNO.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Colossenses.

Lectio j. Cap. 3.

SI consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus: propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis: in quibus et vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis.

℟. Angelus Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem, et super eum sedit, et dixit mulieribus: * Nolite timere, scio enim quia crucifixum quæritis, jam surrexit: venite, et videte locum ubi positus erat Dominus, alleluia. ℣. Et introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt, qui dixit illis. Nolite.

Lectio ij.

NUNC autem deponite et vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum: ubi non est Gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, Barbarus et Scytha, servus et liber; sed omnia, et in omnibus Christus. Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos.

℟. Angelus Domini locutus est mulieribus, dicens: Quem quæritis? An Jesum quæritis? jam surrexit: Venite et videte, alleluia, alleluia. ℣. Jesum quæritis Nazarenum crucifixum? Surrexit, non est hic. Venite.

Lectio. iij.

SUPER omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis; et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore, et grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi gratias agentes Deo et Patri per ipsum.

℟. Cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata, * Ut venientes ungerent Jesum, alleluia, alleluia. ℣. Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole. Ut. Gloria. Ut.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 1. *in Octava Paschæ, qui est* 157. *de Tempore.*

Lectio iv.

PASCHALIS solemnitas hodierna festivitate concluditur, et ideo hodie Neophytorum habitus commutatur: ita tamen ut candor, qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur. In qua quidem primum nobis agendum est, ut quia Paschales dies sunt, id est, indulgentiæ ac

remissionis, ita a nobis sanctorum dierum festivitas agatur, ut relaxatione corporum puritas non offuscetur: sed potius abstinentes ab omni luxu, ebrietate, lascivia, demus operam sobriæ remissioni ac sanctæ sinceritati: ut quidquid modo corporali abstinentia non acquirimus, mentium puritate quæramus.

℟. Maria Magdalene, et altera Maria ibant diluculo ad monumentum.* Jesum quem quæritis, non est hic; surrexit sicut locutus est, præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, alleluia, alleluia. ℣. Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole, et introeuntes viderunt juvenem sedentem in dextris, qui dixit illis. Jesum.

Lectio v.

AD omnes quidem pertinet sermo, quos cura nostra complectitur: verumtamen hodie, terminata Sacramentorum solemnitate, vos alloquimur, novella germina sanctitatis, regenerata ex aqua et Spiritu sancto: germen pium, examen novellum, flos nostri honoris, et fructus laboris, gaudium et corona mea, omnes qui statis in Domino. Apostolicis verbis vos alloquor: Ecce nox præcessit, dies autem appropinquavit: abjicite opera tenebrarum, et induite vos arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione: sed induimini Dominum Jesum Christum.

℟. Surrexit pastor bonus, qui animam suam posuit pro ovibus suis, et pro grege suo mori dignatus est:* Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Alleluia.

Lectio vj.

HABEMUS, inquit, certiorem propheticum sermonem, cui bene facitis intendentes tanquam lucernæ in obscuro loco, donec dies lucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris. Sint ergo lumbi vestri accincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris: et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. Ecce dies adveniunt, in quibus Dominus dicit: Pusillum, inquit, et non videbitis me: et iterum pusillum, et videbitis me. Hæc est hora de qua dixit: Vos tristes eritis, sæculum autem gaudebit: id est, vita ista tentationibus plena, in qua peregrinamur ab eo. Sed iterum, inquit, videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

℟. Virtute magna reddebant Apostoli, * Testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, alleluia, alleluia. ℣. Repleti quidem Spiritu sancto loquebantur cum fiducia verbum Dei. Testimonium. Gloria. Testimonium.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. xx.

IN illo tempore: Cum sero esset die illo, una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 26 in Evangelia.

PRIMA lectionis hujus Evangelicæ quæstio animum pulsat: quomodo post resurrectionem corpus Dominicum verum fuit, quod clausis januis ad discipulos ingredi potuit? Sed sciendum nobis est quod divina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis; nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Sed hæc ipsa Redemptoris nostri opera, quæ ex semetipsis comprehendi nequaquam possunt, ex alia ejus operatione pensanda sunt: ut rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora. Illud enim corpus Domini intravit ad discipulos clausis januis, quod videlicet ad hu-

Digitized by Google

manos oculos per nativitatem suam clauso exivit utero Virginis. Quid ergo mirum si clausis januis post resurrectionem suam in æternum jam victurus intravit, qui moriturus veniens, non aperto Virginis utero exivit ?

℟. De ore prudentis procedit mel, alleluia, dulcedo mellis est sub lingua ejus, alleluia. * Favus distillans labia ejus, alleluia, alleluia. ℣. Sapientia requiescit in corde ejus, et prudentia in sermone oris illius. Favus.

Lectio viij.

SED quia ad illud corpus, quod videri poterat, fides intuentium dubitabat, ostendit eis protinus manus et latus : palpandam carnem præbuit, quam clausis januis introduxit. Qua in re duo mira, et juxta humanam rationem sibi valde contraria ostendit, dum post resurrectionem suam corpus suum incorruptibile, et tamen palpabile demonstravit. Nam et corrumpi necesse est quod palpatur, et palpari non potest quod non corrumpitur. Sed miro modo atque inæstimabili Redemptor noster et incorruptibile post resurrectionem, et palpabile corpus exhibuit : ut monstrando incorruptibile, invitaret ad præmium ; et præbendo palpabile, firmaret ad fidem. Et incorruptibilem se ergo et palpabilem demonstravit, ut profecto esse post resurrectionem ostenderet corpus suum et ejusdem naturæ, et alterius gloriæ.

℟. Surgens Jesus Dominus noster, stans in medio discipulorum suorum, dixit : * Pax vobis, alleluia : gavisi sunt discipuli viso Domino, alleluia. ℣. Una ergo sabbatorum, cum fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati, venit Jesus et stetit in medio eorum, et dixit eis. Pax. Gloria. Pax.

Lectio ix.

DIXIT eis : Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos: id est, sicut misit me Pater Deus Deum, et ego mitto vos homo homines. Pater Filium misit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari constituit. Quem videlicet in mundum venire ad passionem voluit : sed tamen amavit Filium, quem ad passionem misit. Electos vero Apostolos Dominus non ad mundi gaudia, sed sicut ipse missus est, ad passiones in mundum mittit. Quia ergo et Filius amatur a Patre, et tamen ad passionem mittitur, ita et discipuli a Domino amantur, qui tamen ad passionem mittuntur in mundum. Itaque recte dicitur : Sicut misit me Pater, et ego mitto vos ; id est, ea vos charitate diligo cum inter scandala persecutorum mitto, qua me charitate Pater diligit, quem venire ad toleranda passiones fecit.

Te Deum laudamus. *p.* 12.

Ad Laudes et Horas Ant. pro tem. Pasch. de Psalt.

Capitulum. I. Joan. 5.

CHARISSIMI, Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum : et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.

HYMNUS.

AURORA cœlum purpurat,
Æther resultat laudibus.
Mundus triumphans jubilat,
Horrens avernus infremit :
Rex ille dum fortissimus
De mortis inferno specu
Patrum senatum liberum
Educit ad vitæ jubar.
Cujus sepulchrum plurimo
Custode signabat lapis,
Victor triumphat, et suo
Mortem sepulchro funerat.
Sat funeri, sat lacrymis,
Sat est datum doloribus :
Surrexit extinctor necis,
Clamat coruscans Angelus.
Ut sis perenne mentibus
Paschale, Jesu, gaudium,
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.
Deo Patri sit gloria,

Digitized by Google

Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. In resurrectione tua, Christe, alleluia. ℟. Cœli et terra lætentur, alleluia.

Ad Bened. Ant. Cum esset sero die illa, una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati in unum, stetit Jesus in medio, et dixit eis: Pax vobis, alleluia.

Orãtio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Paschalia festa peregimus, hæc, te largiente, moribus et vita teneamus. Per Domin.

Ad Primam.

Hymnus. Jam lucis. *Ant.* Alleluia. *Psalmi* Deus in nomine tuo. Beati immaculati. Retribue et Quicumque. *Qui dicitur in Dom. usque ad Ascens.*

℟. *br.* Christe fili Dei vivi, miserere nobis, * Alleluia, alleluia. Christe. ℣. Qui surrexisti a mortuis. Alleluia, alleluia. Gloria. Christe. ℣. Exurge, Christe, adjuva nos, alleluia. ℟. Et libera nos propter nomen tuum, alleluia.

Et sic dicitur ℟. br. usque ad Ascens. Et quando non est Duplex, aut infra Oct., dicuntur Preces de Dom.

Lectio br. Si consurrexistis, *p.* 21.

Ad Tertiam.

Capit. Charissimi Omne.

℟. *br.* Surrexit Dominus de sepulchro, * Alleluia, alleluia. Surrexit. ℣. Qui pro nobis pependit in ligno. Alleluia, alleluia. Gloria. Surrexit. ℣. Surrexit Dominus vere, alleluia. ℟. Et apparuit Simoni, allel.

Ad Sextam.

Capitulum. I. Joann. 5.

QUIS est autem qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei? Hic est qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua et sanguine.

℟. *br.* Surrexit Dominus vere, * Alleluia, alleluia. Surrexit. ℣. Et apparuit Simoni. Alleluia, alleluia. Gloria. Surrexit. ℣. Gavisi sunt discipuli, alleluia. ℟. Viso Domino, allel.

Ad Nonam.

Capitulum. I. Joan. 5.

SI testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est: quoniam hoc est testimonium Dei quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se.

℟. *br.* Gavisi sunt discipuli, * Alleluia, alleluia. Gavisi. ℣. Viso Domino. Alleluia, alleluia. Gloria. Gavisi. ℣. Mane nobiscum, Domine, alleluia ℟. Quoniam advesperascit, alleluia.

Ad Vesperas.

Ant. Alleluia *et Psalm. de Dom. Capit.* Charissimi, Omne.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 351.

Ad Magnif. Ant. Post dies octo, januis clausis ingressus Dominus dixit eis: Pax vobis, alleluia, allel.

Hymni ℣℣. et ℟℟. br. hujus. Dom. dicuntur usque ad Ascens. etiam in fer. Offic.

FERIA SECUNDA.

Invit. Alleluia, allel., * Alleluia.

Hymn. Rex sempiterne, *p.* 382.

Psalmi feriales sub una Ant. Alleluia *et ℣. de Psalt. usque ad Ascens.*

Incipit liber Actuum Apostolorum.

Lectio j. Cap. 1.

PRIMUM quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere usque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est: quibus et præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei. Et convescens præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed

Digitized by Google

expectarent promissionem Patris quam audistis, inquit, per os meum : quia Joannes quidem baptizavit aqua ; vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Igitur qui convenerant, interrogabant eum, dicentes : Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel ? Dixit autem eis : Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate : sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ.

℣. Virtute magna, *p.* 347.

Lectio ij.

ET cum hæc dixisset, videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt : Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum ? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Tunc reversi sunt Jerosolymam a monte qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, sabbati habens iter. Et cum introissent in cœnaculum, ascenderunt ubi manebant Petrus et Joannes, Jacobus et Andreas, Philippus et Thomas, Bartholomæus et Matthæus, Jacobus Alphæi et Simon Zelotes, et Judas Jacobi. Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus.

℣. De ore prudentis, *p.* 347.

Lectio iij.

IN diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum, dixit : (erat autem turba hominum simul fere centum viginti) ; Viri fratres, oportet impleri Scripturam quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum : qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus. Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Haceldama, hoc est, ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum : Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea, et episcopatum ejus accipiat alter. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis usque in diem qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. Et statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est justus, et Mathiam. Et orantes, dixerunt : Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum accipere locum ministerii hujus, et Apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Mathiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis.

Temp. Pasch. non dicitur iij ℣. *in fer. Offic. sed Hymnus* Te Deum.

Ad Laudes.

Ant. pro temp. Pasch. et Psalmi de Dom.

Capitulum, Rom. 6.

CHRISTUS resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo.

Hymnus et ℣. *ut supra*, p. 335.

Ad Bened. Ant. Surgens Jesus mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia, allel.

Oratio Dom. præcedentis. Deinde fit comm. de Cruce, ut supra post Vesp. Sabbati, p. 100.

In fer. Offic. Prima dicitur sicut in Festis Simplicibus toto temp. Pasch.

Digitized by Google

Ad Horas Ant. Capit. et ℟℟. br. ut in Psalt. excepto ℟. br. ad Primam, quod dicitur ut heri.

Ad Vesperas.

Psalmi Feriæ sub una Ant. Alleluia.

Capit. Christus resurgens.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 351.

Ad Magnif. Ant. Pax vobis, ego sum, alleluia: nolite timere, allel.

Invit. capit. et ℟℟. prædicta dicuntur in fer. Offic. usque ad Ascens.

FERIA TERTIA.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. 2.

ET cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco: et factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, sedit:que supra singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est. Facta autem hac voce, convenit multitudo, et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes et mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt? et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus?

℟. Ecce vicit leo, *p.* 348.

Lectio ij.

STANS autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam, et locutus est eis: Viri Judæi, et qui habitatis Jerusalem universi, hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea. Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia, sed hoc est quod dictum est per Prophetam Joel: Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem; et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ, et juvenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super servos meos, et super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, et prophetabunt: et dabo prodigia in cœlo sursum, et signa in terra deorsum, sanguinem, et ignem et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et manifestus. Et erit: omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.

℟. Ego sum vitis vera, *p.* 349.

Lectio iij.

VIRI Israelitæ, audite verba hæc: Jesum Nazarænum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, et prodigiis, et signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis: hunc definito consilio et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis: quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit in eum: Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear. Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

Ad Bened. Ant. Præcedam vos in Galilæam, ibi me videbitis, sicut dixi vobis, alleluia, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Mitte manum tuam, et cognosce loca clavorum, alleluia: et noli esse incredulus, sed fidelis, alleluia.

FERIA QUARTA.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. 3.

PETRUS autem et Joannes ascendebant in templum ad horam

orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. Is cum vidisset Petrum et Joannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. Intuentes autem in eum Petrus cum Joanne, dixit: Respice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid acceptarum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum et aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Jesu Christi Nazaræni, surge, et ambula.

℟. Surgens Jesus, *p.* 350.

Lectio. ij.

ET apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum, et protinus consolidatæ sunt bases ejus et plantæ. Et exiliens stetit, et ambulabat, et intravit cum illis in templum ambulans, et exiliens, et laudans Deum. Et vidit omnis populus eum ambulantem et laudantem Deum. Cognoscebant autem illum, quod ipse erat qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi: et impleti sunt stupore et extasi, in eo quod contigerat illi. Cum teneret autem Petrum et Joannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum quæ appellatur Salomonis, stupentes.

℟. Expurgate vetus, *p.* 350.

Lectio iij.

VIDENS autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, et negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. Vos autem sanctum et justum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis: auctorem vero vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus. Et in fide nominis ejus, hunc, quem vos vidistis et nostis, confirmavit nomen ejus: et fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.

Ad Bened. Ant. Ego sum vitis vera, alleluia: et vos palmites veri, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, et crediderunt, alleluia.

FERIA QUINTA.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. 5.

VIR autem quidam nomine Ananias, cum Saphira uxore sua vendidit agrum, et fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua: et afferens partem quamdam, ad pedes Apostolorum posuit. Dixit autem Petrus: Anania, cur tentavit satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, et venundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit et expiravit. Et factus est timor magnus super omnes, qui audierunt. Surgentes autem juvenes amoverunt eum, et efferentes sepelierunt.

℟. Christus resurgens, *p.* 351.

Lectio. ij.

FACTUM est autem quasi horarum trium spatium, et uxor ipsius, nesciens quod factum fuerat introivit. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi, mulier, si tanti agrum vendidistis? At illa dixit: Etiam tanti. Petrus autem ad eam: Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum, ad ostium, et efferent te. Confestim cecidit ante pedes ejus, et expiravit. Intrantes autem juvenes invenerunt illam mortuam, et extulerunt, et sepelierunt ad virum suum. Et factus est timor

Digitized by Google

magnus in universa ecclesia, et in omnes qui audierunt hæc.

℟. Surrexit pastor, *p.* 346.

Lectio iij.

PER manus autem Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis. Cæterorum autem nemo audebat se conjungere illis; sed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ita ut in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem et multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros, et vexatos a spiritibus immundis; qui curabantur omnes.

Ad Bened. Ant. Ardens est cor meum desidero videre Dominum meum: quæro, et non invenio ubi posuerunt eum, alleluia, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Misi digitum meum in fixuras clavorum, et manum meam in latus ejus, et dixi: Dominus meus, et Deus meus, alleluia.

FERIA SEXTA.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. 8.

VIR autem quidam nomine Simon, qui ante fuerat in civitate magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum: cui auscultabant omnes a minimo usque ad maximum, dicentes: Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna. Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos. Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres. Tunc Simon et ipse credidit, et cum baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa et virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.

℟. Virtute magna, *p.* 347.

Lectio ij.

CUM autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum. Cum vidisset autem Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.

℟. De ore prudentis, *p.* 347.

Lectio iij.

PETRUS autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto; cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse. Respondens autem Simon, dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum quæ dixistis.

Ad Bened. Ant. Venerunt ad monumentum Maria Magdalene et altera Maria videre sepulchrum, alleluia.

In Vesp., nisi occurrat Festum ix. *Lect., a Capit. fit de S. Maria.*

SABBATO

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. 10.

VIR autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis quæ dicitur Italica, reli-

Digitized by Google

ligiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper. Is vidit in visu manifeste, quasi hora diei nona, Angelum Dei introeuntem ad se, et dicentem sibi: Corneli. At ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quid est, Domine? Dixit autem illi: Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et nunc mitte viros in Joppen, et accerse Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus: hic hospitatur apud Simonem quemdam coriarium, cujus est domus juxta mare: hic dicet tibi quid te oporteat facere. Et cum discessisset Angelus qui loquebatur illi, vocavit duos domesticos suos, et militem metuentem Dominum, ex his qui illi parebant. Quibus cum narrasset omnia, misit illos in Joppen.

Lectio ij.

POSTERA autem die iter illis facientibus, et appropinquantibus civitati, ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam. Et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus; et vidit cœlum apertum, et descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, et serpentia terræ, et volatilia cœli. Et facta est vox ad eum: Surge, Petre, occide et manduca. Ait autem Petrus: Absit, Domine, quia nunquam manducavi omne commune et immundum: Et vox iterum secundo ad eum: Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris. Hoc autem factum est per ter, et statim receptum est vas in cœlum. Et dum intra se hæsitaret Petrus quidnam esset visio quam vidisset, ecce viri qui missi erant a Cornelio, inquirentes domum Simonis, astiterunt ad januam.

Lectio iij.

APERIENS autem Petrus os suum, dixit: In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum et operatur justitiam acceptus est illi. Verbum misit Deus filiis Israel: annuntians pacem per Jesum Christum (hic est omnium Dominus.) Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam: incipiens enim a Galilæa, post baptismum quod prædicavit Joannes Jesum a Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus omnium quæ fecit in regione Judæorum et Jerusalem. Quem occiderunt suspendentes in ligno, hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis.

Ad Vesperas.

Capitulum. 1. Petri 2.

CHARISSIMI, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus: qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.

Hymnus et ỹ. ut supra, p. 351.

Ad Magnif. Ant. Ego sum pastor ovium: ego sum via, veritas et vita: ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ, alleluia, alleluia.

Oratio ut infra in Laudibus.

Deinde fit comm. de Cruce, ut supra, p. 100.

DOM. II. POST. PASCH.

Ad Matut. Invit. et Hymnus ut in Dom. præced. p. 352.

IN I. NOCTURNO.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. 13.

CUM a Papho navigassent Paulus et qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphiliæ. Joannes autem di-

Digitized by Google

scedens ab eis, reversus est Jerosolymam. Illi vero pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiæ, et ingressi synagogam die sabbatorum, sederunt. Post lectionem autem legis et Prophetarum, miserunt principes synagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. Surgens autem Paulus, et manu silentium indicens, ait: Viri Israelitæ, et qui timetis Deum, audite. Deus plebis Israel elegit patres nostros, et plebem exaltavit, cum essent incolæ in terra Ægypti, et in brachio excelso eduxit eos ex ea, et per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto. Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum, quasi post quadrigentos et quinquaginta annos: et post hæc dedit judices, usque ad Samuel Prophetam.

℣. Virtute magna, *p.* 347.

Lectio ij.

ET exinde postulaverunt regem, et dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de Tribu Benjamin, annis quadraginta. Et, amoto illo, suscitavit illis David regem, cui testimonium perhibens, dixit: Inveni David filium Jesse: virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Hujus Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israel Salvatorem Jesum, prædicante Joanne ante faciem adventus ejus baptipsum pœnitentiæ omni populo Israel. Cum impleret autem Joannes cursum suum dicebat: Quem me arbitramini esse, non sum ego: sed ecce venit post me, cujus non sum dignus calceamenta pedum solvere.

℟. De ore prudentis, *p.* 347.

Lectio iij.

VIRI fratres, filii generis Abraham, et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis hujus missum est. Qui enim habitabant Jerusalem, et principes ejus, hunc ignorantes, et voces Prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, judicantes impleverunt: et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato ut interficerent eum. Cumque consummassent omnia quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die; qui visus est per dies multos his qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Jerusalem: qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem. Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum sicut et in psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

℟. Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus: * Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. Alleluia. Gloria. Alleluia.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Leonis Papæ.

Serm. I. de Ascensione Domini.

Lectio iv.

HI dies, dilectissimi, qui inter resurrectionem Domini ascensionemque fluxerunt, non otioso transiere decursu, sed magna in eis confirmata sacramenta, magna sunt revelata mysteria. In iis metus diræ mortis aufertur, et non solum animæ, sed etiam carnis immortalitas declaratur. In iis per insufflationem Domini infunditur Apostolis omnibus Spiritus sanctus, et beato Apostolo Petro supra cæteros, post regni clavesi, ovilis Dominici cura mandatur.

℟. Ego sum vitis vera, et vos palmites. * Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, alleluia, alleluia. ℣. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Qui.

Digitized by Google

Lectio. v.

IN iis diebus, duobus discipulis tertius in via Dominus jungitur comes, et ad omnem nostræ ambiguitatis caliginem detergendam, paventium ac trepidantium tarditas increpatur. Flammam fidei illuminata corda concipiunt : et quæ erant tepida, reserante Scripturas Domino, efficiuntur ardentia. In fractione quoque panis convescentium aperiuntur obtutus : multo felicius eorum oculis patefactis, quibus naturæ suæ manifestata est glorificatio, quam illorum generis nostri principum, quibus prævaricationis suæ est ingesta confusio.

℟. Surgens Jesus. *p.* 350.

Lectio vi.

INTER hæc autem aliaque miracula, cum discipuli trepidis cogitationibus æstuarent, et apparuisset in medio eorum Dominus, dixissetque Pax vobis : ne hoc remaneret in eorum opinionibus, quod volvebatur in cordibus (putabant enim se spiritum videre, non carnem) redarguit cogitationes a veritate discordes : ingerit dubitantium oculis manentia in manibus suis et pedibus crucis signa, et ut diligentius pertractetur invitat. Quia ad sananda infidelium cordium vulnera, clavorum et lanceæ erant servata vestigia : ut non dubia fide, sed constantissima scientia teneretur, eam naturam in Dei Patris concessuram throno, quæ jacuerat in sepulchro.

℟. Expurgate vetus, *p.* 350.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo tempore : Dixit Jesus Pharisæis, Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homil. 14. *in Evangelia.*

AUDISTIS, fratres charissimi, ex lectione Evangelica eruditionem vestram : audistis et periculum nostrum. Ecce enim is qui non ex accidenti dono, sed essentialiter bonus est, dicit : Ego sum pastor bonus. Atque ejusdem bonitatis formam quam nos imitemur, adjungit, dicens: Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis. Fecit quod monuit, ostendit quod jussit. Bonus pastor pro ovibus suis animam suam posuit, ut in sacramento nostro corpus suum et sanguinem verteret, et oves quas redemerat, carnis suæ alimento satiaret.

℟. Christus resurgens, *p.* 351.

Lectio vij.

OSTENSA nobis est de contemptu mortis via, quam sequamur : apposita est forma, cui imprimamur. Primum nobis est exteriora nostra misericorditer ovibus ejus impendere : postremum vero, si necesse sit, etiam mortem nostram pro eisdem ovibus ministrare. A primo autem hoc minimo pervenitur ad postremum majus. Sed cum incomparabiliter longe sit melior anima, qua vivimus, quam terrena substantia, quam exterius possidemus, qui non dat pro ovibus substantiam suam, quando pro his daturus est animam suam ?

℟. Surrexit pastor bonus, *p.* 346.

Lectio ix.

ET sunt nonnulli, qui dum plus terrenam substantiam, quam oves diligunt, merito nomen pastoris perdunt : de quibus protinus subditur : Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit. Non pastor, sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves Dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit : terrenis commodis inhiat,

Digitized by Google

honore prælatationis gaudet, temporalibus lucris pascitur : impensa sibi ab hominibus reverentia lætatur.

Ad Laud. et Horas Ant. de Psalt.

Capitulum. I. Petri 2.

CHARISSIMI, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus: qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 355.

Ad Bened. Ant. Ego sum pastor ovium, ego sum via, veritas, et vita : ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ, alleluia, alleluia.

Oratio.

DEUS, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti, fidelibus tuis perpetuam concede lætitiam, ut quos perpetuæ mortis eripuisti casibus, gaudiis facias perfrui sempiternis. Per eumdem.

Comm. de Cruce, ut sup., p. 100.

Ad Horas ℟℟. br. ut in Psalt.

Ad Tertiam.

Capit. Charissimi, Christus.

Ad Sextam.

Capitulum. I. Petri 2.

TRADEBAT autem judicanti se injuste, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus, cujus livore sanati sumus.

Ad Nonam.

Capitulum. I. Petri 2.

ERATIS enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum nostrarum.

Ad Vesperas.

Ant. Alleluia *et Psalmi de Dom.*

Capit. Charissimi Christus.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 351.

Ad Magnif. Ant. Ego sum pastor bonus, qui pasco oves meas, et pro ovibus meis pono animam meam, alleluia.

Comm. de Cruce, ut sup., p. 100.

FERIA SECUNDA

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap 15.

SURREXERUNT autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes : Quia oportet circumcidi eos : præcipere quoque servare legem Moysi. Convenerunt que Apostoli et seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret : surgens Petrus dixit ad eos : Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelii, et credere. Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum sicut et nobis : et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi. Tacuit autem omnis multitudo, et audiebant Barnabam et Paulum narrantes quanta Deus fecisset signa et prodigia in Gentibus per eos.

℟. Virtute magna, *p.* 347.

Lectio ii.

ET postquam tacuerunt, respondit Jacobus, dicens: Viri fratres, audite me. Simon narravit quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex Gentibus populum nomini suo: Et huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est. Post hæc revertar, et reædificabo tabernaculum David, quod decidit : et diruta ejus reædificabo, et erigam illud, ut requirant cæteri hominum Dominum, et omnes gentes super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus, faciens hæc. Notum a sæculo est Domino opus suum. Propter quod ego judico non inquietari eos, qui ex

Digitized by Google

Gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine. Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.

℟. De ore prudentis, *p.* 347.

Lectio iij.

TUNC placuit Apostolis ét Senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, et mittere Antiochiam cum Paulo et Barnaba Judam, qui cognominabatur Barsabas, et Silam, viros primos in fratribus; scribentes per manus eorum. Apostoli et seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ, et Syriæ, et Ciliciæ, fratribus ex Gentibus, salutem. Quoniam audivimus quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, everteutes animas vestras, quibus non mandavimus, placuit nobis collectis in unum eligere viros, et mittere ad vos cum charissimis nostris Barnaba et Paulo, hominibus qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi. Misimus ergo Judam et Silam, qui et ipsi vobis verbis referent eadem. Visum est enim Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione: a quibus custodientes vos, bene agetis. Valete.

Ad Bened. Ant. Euntes in mundum, alleluia, docete omnes gentes, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis, alleluia.

FERIA TERTIA.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. 17. et 18.

STANS autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video. Præterieus enim, et videns simulacra vestra, inveni et aram in qua scriptum erat: Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Deus qui fecit mundum, et omnia quæ in eo sunt, hic cœli et terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia: fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, et terminos habitationis eorum, quærere Deum si forte attrectent eum aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum.

Lectio ij.

IN ipso enim vivimus, et movemur, et sumus: sicut et quidam vestrorum Poetarum dixerunt: Ipsius enim et genus sumus. Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis et cogitationis hominis, divinum esse simile. Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis. Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam irridebant, quidam vero dixerunt; Audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exivit de medio eorum.

℟. Ego sum vitis vera, *p.* 348.

Lectio iij.

QUIDAM vero viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus et Dionysius Areopagita, et mulier nomine Damaris, et alii cum eis. Post hæc egressus ab Athenis, venit Corinthum: et inveniens quemdam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, et Priscillam uxorem ejus (eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos a Roma) accessit ad eos. Et quia ejusdem erat artis, manebat apud

Digitized by Google

eos, et operabatur : erant autem scenofactoriæ artis. Et disputabat in synagoga per omne sabbatum, interponens nomen Domini Jesu, suadebatque Judæis et Græcis.

Ad Bened. Ant. Euntes in mundum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Mercenarius autem, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit; et lupus rapit, et dispergit oves, alleluia.

FERIA QUARTA

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. 20.

A MILETO Paulus mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ. Qui cum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis : Vos scitis a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate, et lacrymis, et tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum : quomodo nihil subtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, et docerem vos publice et per domos, testificans Judæis atque Gentilibus Dei pœnitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. Et nunc ecce alligatus ego Spiritu vado in Jerusalem, quæ in ea ventura sint mihi ignorans, nisi quod Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens: Quoniam vincula et tribulationes Jerosolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, et ministerium verbi: quod accepi a Domino Jesu, testificari Evangelium gratiæ Dei.

℟. Surgens Jesus, *p.* 350.

Lectio iij.

ET nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei. Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei; quam acquisivit sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte et die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum.

℟. Expurgate vetus, *p.* 350.

Lectio. iij.

ET nunc commendo vos Deo, et verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, et dare hæreditatem in sanctificatis omnibus. Argentum et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis: quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quam accipere. Et cum hæc dixisset, positis genibus suis oravit cum omnibus illis. Magnus autem fletus factus est omnium, et procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum, dolentes maxime in verbo quod dixerat : quoniam amplius faciem ejus non essent visuri. Et deducebant eum ad navem.

Ad Bened. Ant. Ite, nuntiate fratribus meis, alleluia, ut eant in Galilæam, alleluia : ibi me videbunt, alleluia, alleluia, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Sicut novit me Pater, et ego cognosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis, alleluia.

FERIA QUINTA.

De Actibus Apostolorum.

Digitized by Google

Lectio j. Cap. 24.

RESPONDIT autem Paulus (annuente sibi Præside dicere) : Ex multis annis te esse judicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam. Potes enim cognoscere, quia non plus sunt mihi dies quam duodecim, ex quo ascendi adorare in Jerusalem. Et neque in templo invenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in synagogis, neque in civitate : neque probare possunt tibi de quibus nunc me accusant. Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt hæresim, sic deservio Patri et Deo meo, credens omnibus, quæ in lege et Prophetis scripta sunt: spem habens in Deum, quam et hi ipsi expectant, resurrectionem futuram justorum et iniquorum. In hoc et ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, et ad homines semper.

℣. Christus resurgens, *p.* 331.

Lectio ij.

POST annos autem plures, eleemosynas facturus in gentem meam, veni, et oblationes, et vota. In quibus invenerunt me purificatum in templo, non cum turba, neque cum tumultu. Quidam autem ex Asia Judæi, quos oportebat apud te præsto esse, et accusare si quid haberent adversum me : aut hi ipsi dicant, si quid invenerunt in me iniquitatis, cum stem in concilio, nisi de una hac solummodo voce, qua clamavi inter eos stans : Quoniam de resurrectione mortuorum ego judicor hodie a vobis.

℣. Surrexit pastor, *p.* 346.

Lectio iij.

DISTULIT autem illos Felix, certissime sciens de via hac dicens : cum Tribunus Lysias descenderit, audiam vos. Jussitque Centurioni custodire eum, et habere requiem, nec quemquam de suis prohibere ministrare ei. Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Judæa, vocavit Paulum, et audivit ab eo fidem quæ est in Christum Jesum. Disputante autem illo de justitia, et castitate, et de judicio futuro, tremefactus Felix respondit : Quod nunc attinet, vade : tempore autem opportuno accersam te, simul et speraus, quod pecunia ei daretur a Paulo, propter quod et frequenter accersens eum, loquebatur cum eo. Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Porcium Festum. Volens autem gratiam præstare Judæis Felix, reliquit Paulum vinctum.

Ad Bened. Ant. Tu solus peregrinus es, et non audisti de Jesu, quomodo tradiderunt eum in damnationem mortis ? alleluia.

Ad Magnif. Ant. Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere, et vocem meam audient ; et fiet unum ovile, et unus pastor, alleluia.

FERIA SEXTA

De Actibus Apostolorum.

Lectio. j Cap. 25.

FESTUS ergo cum venisset in provinciam, post triduum ascendit Jerosolymam a Cæsarea. Adieruntque eum principes sacerdotum et primi Judæorum adversus Paulum, et rogabant eum postulantes gratiam adversus eum, ut juberet perduci eum in Jerusalem, insidias tendentes, ut interficerent eum in via. Festus autem respondit servari Paulum in Cæsarea, se autem maturius profecturum. Qui ergo in vobis, ait, potentes sunt, descendentes simul, si quod est in viro crimen, accusent eum.

℣. Virtute magna, *p.* 347.

Lectio ij.

DEMORATUS autem inter eos dies non amplius quam octo aut decem, descendit Cæsaream, et altera die sedit pro tribunali, et jussit Paulum adduci. Qui cum perductus

esset, circumsteterunt eum qui ab Jerosolyma descenderant Judæi, multas et graves causas objicientes, quas non poterant probare, Paulo rationem reddente: Quoniam neque in legem Judæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quidquam peccavi.

℣. De ore prudentis, *p.* 347.

Lectio iij.

FESTUS autem volens gratiam præstare Judæis, respondens Paulo, dixit: Vis Jerosolymam ascendere, et ibi de his judicari apud me? Dixit autem Paulus: Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet judicari. Judæis non nocui, sicut tu melius nosti. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori: si vero nihil est eorum, quæ hi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello. Tunc festus cum concilio locutus, respondit: Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis.

Ad Bened. Ant. Nonne sic oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? alleluia.

SABBATO.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. 28.

CUM autem venissemus Romam, permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite. Post tertium autem diem convocavit primos Judæorum. Cumque convenissent, dicebat eis: Ego, viri fratres, nihil adversus plebem faciens, aut morem paternum, vinctus ab Jerosolymis traditus sum in manus Romanorum: qui cum interrogationem de me habuissent, voluerunt me dimittere, eo quod nulla esset causa mortis in me. Contradicentibus autem Judæis, coactus sum appellare Cæsarem, non quasi gentem meam habens aliquid accusare. Propter hanc igitur causam rogavi vos videre et alloqui: propter spem enim Israel catena hac circumdatus sum.

Lectio ij.

AT illi dixerunt ad eum: Nos neque litteras accepimus de te a Judæa, neque adveniens aliquis fratrum nuntiavit aut locutus est quid de te malum. Rogamus autem a te audire quæ sentis: nam de secta hac notum est nobis quia ubique ei contradicitur. Cum constituissent autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi, quibus exponebat testificans regnum Dei, suadensque eis de Jesu ex lege Moysi et Prophetis, a mane usque ad vesperam. Et quidam credebant his quæ dicebantur: quidam vero non credebant.

Lectio iij.

CUMQUE invicem non essent consentientes, discedebant, dicente Paulo unum verbum: Quia bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad patres nostros, dicens: Vade ad populum istum, et dic ad eos: Aure audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos compresserunt, ne forte videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos. Notum ergo sit vobis quoniam Gentibus missum est hoc salutare Dei, et ipsi audient. Et cum hæc dixisset, exierunt ab eo Judæi, multam habentes inter se quæstionem. Mansit autem biennio toto in suo conducto, et suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, et docens quæ sunt de Domino Jesu Christo cum omni fiducia, sine prohibitione.

Ad Vesperas.

Capitulum. I. Petri 2.

CHARISSIMI, Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 351.

Ad Magnif. Ant. Modicum, et non videbitis me, dicit Dominus: iterum modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem, allel., allel.

Oratio ut infra in Laudibus.

Digitized by Google

DOM III. POST PASCH.

Ad Matut. Invit. et Hymnus , ut in Dom. in Albis , p. 352.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Apocalypsis beati Joannis Apostoli.

Lectio j. Cap. 1.

APOCALYPSIS Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri cito : et significavit , mittens per Angelum suum servo suo Joanni , qui testimonium perhibuit verbo Dei , et testimonium Jesu Christi , quæcumque vidit. Beatus qui legit et audit verba Prophetiæ hujus, et servat ea quæ in ea scripta sunt : tempus enim prope est. Joannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia. Gratia vobis et pax ab eo, qui est, et qui erat , et qui venturus est ; et a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt ; et a Jesu Christo , qui est testis fidelis , primogenitus mortuorum , et princeps regum terræ, qui dilexit nos , et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo , et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo: ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

℟. Dignus es, Domine, accipere librum , et aperire signacula ejus, alleluia ; quoniam occisus es, et redemisti nos Deo * In sanguine tuo, alleluia. ℣. Fecisti enim nos Deo nostro regnum et sacerdotium. In sanguine.

Lectio ij.

ECCE venit cum nubibus , et videbit eum omnis oculus , et qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ : Etiam , amen. Ego sum alpha et omega, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est, omnipotens. Ego Joannes frater vester , et particeps in tribulatione , et regno , et patientia in Christo Jesu, fui in insula quæ appellatur Patmos , propter verbum Dei et testimonium Jesu. Fui in spiritu in Dominica die , et audivi post me vocem magnam tanquam tubæ dicentis : Quod vides scribe in libro , et mitte septem Ecclesiis , quæ sunt in Asia, Epheso, et Smyrnæ , et Pergamo , et Thyatiræ , et Sardis , et Philadelphiæ , et Laodiciæ.

℟. Ego sicut vitis fructificavi suavitatem odoris , alleluia. * Transite ad me, omnes qui concupiscitis me , et a generationibus meis adimplemini, alleluia , allel. ℣. In me omnis gratia viæ et veritatis ; in me omnis spes vitæ et virtutis. Transite.

Lectio iij.

ET conversus sum ut viderem vocem quæ loquebatur mecum, et conversus vidi septem candelabra aurea , et in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis, vestitum podere , et præcinctum ad mamillas zona aurea : caput autem ejus et capilli erant candidi tanquam lana alba et tanquam nix , et oculi ejus tanquam flamma ignis , et pedes ejus similes aurichalco , sicut in camino ardenti : et vox illius tanquam vox aquarum multarum. Et habebat in dextera sua stellas septem , et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat , et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua. Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus. Et posuit dexteram suam super me, dicens : Noli timere ; ego sum primus et novissimus , et vivus , et fui mortuus , et ecce sum vivens in sæcula sæculorum : et habeo claves mortis et inferni. Scribe ergo quæ vidisti , et quæ sunt, et quæ oportet fieri post hæc.

℟. Audivi vocem de cœlo tanquam vocem tonitrui magni , alleluia : regnabit Deus noster in æternum, alleluia : * Quia facta est salus , et virtus , et potestas Christi ejus , alleluia, allel. ℣. Et vox de throno exivit, dicens : Laudem dicite Deo nostro , omnes sancti ejus , et qui timetis Deum , pusilli et magni. Quia. Gloria. Quia.

Digitized by Google

IN II. NOCTURNO.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Serm. 147. *de Tempore.*

Lectio iv.

DIEBUS his sanctis resurrectioni Domini dedicatis, quantum donante ipso possumus, de carnis resurrectione tractemus. Hæc enim est fides nostra : hoc donum in Domini nostri Jesu Christi nobis carne promissum est, et in ipso præcessit exemplum. Voluit enim nobis quod promisit in fine, non solum prænuntiare, sed etiam demonstrare. Illi quidem, qui tunc fuerunt, cum illum viderent, et cum expavescerent, soliditatem corporis tenuerunt. Locutus est enim non solum verbis ad aures eorum, sed etiam species ad oculos eorum ; parumque erat se præbere cernendum, nisi etiam offerret pertractandum, atque palpandum.

℣. Locutus est ad me unus ex septem Angelis, dicens : Veni, ostendam tibi novam nuptam, sponsam Agni. * Et vidi Jerusalem descendentem de cœlo, ornatam monilibus suis, alleluia, allel. ℣. Et sustulit me in montem magnum et altum. Et.

Lectio v.

AIT enim : Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in cor vestrum ? Putaverunt enim se spiritum videre. Quid turbati estis, inquit, et cogitationes ascendunt in cor vestrum? Videte manus meas, et pedes meos: palpate, et videte, quia spiritus ossa et carnem non habet, sicut me videtis habere. Contra istam evidentiam disputabant homines. Quid enim aliud facerent homines qui ea, quæ sunt hominum, sapiunt, quam sic disputare de Deo contra Deum ? Ille enim Deus est, isti homines sunt : Sed Deus novit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.

℣. Audivi vocem in cœlo Angelorum multorum dicentium : * Timete Dominum, et date claritatem illi, et adorate eum qui fecit cœlum et terram, mare et fontes aquarum, alleluia, allel. ℣. Vidi Angelum Dei fortem volantem per medium cœli, voce magna clamantem et dicentem. Timete.

Lectio vj.

IN homine carnali tota regula intelligendi est consuetudo cernendi. Quod solent videre, credunt : quod non solent, non credunt. Præter consuetudinem fecit Deus miracula, quia Deus est. Majora quidem miracula sunt tot quotidie homines nasci qui non erant, quam paucos resurrexisse qui erant : et tamen ista miracula non consideratione comprhensa sunt, sed assiduitate viluerunt. Resurrexit Christus, absoluta est res. Corpus erat, caro erat : pependit in cruce, emisit animam, posita est caro in sepulchro. Exhibuit illam vivam, qui vivebat in illa. Quare miramur ? quare non credimus ? Deus est, qui fecit.

℣. Veniens a Libano quam pulchra facta est ! alleluia. * Et odor vestimentorum ejus super omnia aromata, alleluia, allel. ℣. Favus distillans labia ejus, mel et lac sub lingua ejus. Et. Gloria. Et.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Modicum, et jam non videbitis me ; et iterum modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 101. *in Joan. sub finem.*

MODICUM est hoc totum spatium, quo præsens pervolat sæculum. Unde dicit idem ipse Evangelista in Epistola sua : Novissima ora est. Ideo namque addidit, Quia vado ad Patrem : quod ad priorem sententiam referendum est, ubi ait, Modicum, et jam non videbitis me : non ad posteriorem, ubi ait, Et iterum modicum, et videbitis me. Eundo quippe ad Pa-

Digitized by Google

trem, facturus erat ut eum non viderent. Ac per hoc non ideo dictum est, quia fuerat moriturus, et donec resurgeret, ab eorum aspectibus recessurus: sed quod esset iturus ad Patrem, quod fecit postea quam resurrexit, et cum eis per quadraginta dies conversatus, ascendit in cœlum.

℟. Decantabat populus Israel, alleluia, et universa multitudo Jacob canebat legitime: * Et David cum cantoribus citharam percutiebat in domo Domini, et laudes Deo canebat, alleluia, alleluia. ℣. Sanctificati sunt ergo sacerdotes et Levitæ, et universus Israel deducebat arcam fœderis Domini in jubilo. Et.

Lectio viij.

ILLIS ergo ait: Modicum, et jam non videbitis me, qui eum corporaliter tunc videbant: quia iturus erat ad Patrem, et eum deinceps mortalem visuri non erant, qualem, cum ista loqueretur, videbant. Quod vero addidit, Et iterum modicum, et videbitis me, universæ promisit Ecclesiæ, sicut universæ promisit, Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Non tardat Dominus promissum. Modicum, et videbimus eum, ubi jam nihil rogemus, nihil interrogemus, quia nihil desiderandum remanebit, nihil quærendum latebit.

℟. Tristitia vestra, allel. * Convertetur in gaudium, alleluia, alleluia. ℣. Mundus autem gaudebit, vos vero contristabimini: sed tristitia vestra. Convertetur. Gloria. Convertetur.

Lectio ix

HOC modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur; cum finitum fuerit, tunc sentiemus quam modicum fuerit. Non ergo sit gaudium nostrum quale habet mundus, de quo dictum est, Mundus autem gaudebit. Nec tamen in hujus desiderii parturitione sine gaudio tristes simus; sed sicut ait Apostolus, Spe gaudentes, in tribulatione patientes: quia et ipsa parturiens, cui comparati sumus, plus gaudet de mox futura prole, quam tristis est de præsenti dolore. Sed hujus sermonis iste sit finis; habent enim quæstionem molestissimam quæ sequuntur: nec brevitate coarctanda sunt, ut possint commodius, si Dominus voluerit, explicari.

Ad Laudes et Horas Ant. pro temp. pasch. de Psalt.

Capitulum. I. Petri 2.

CHARISSIMI, Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.

Hymnus et ℣. ut supra p. 355.

Ad Bened. Ant. Modicum, et non videbitis me, dicit Dominus: iterum modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem, alleluia, allel.

Oratio.

DEUS, qui errantibus, ut in viam possint redire justitiæ, veritatis tuæ lumen ostendis; da cunctis qui Christiana professione censentur, et illa respuere, quæ huic inimica sunt nomini, et ea quæ sunt apta, sectari. Per Dominum.

Comm. de Cruce, ut supra, p. 100.

Ad Horas ℟. ℟. br. ut in Psalt.

Ad Tertiam.

Capit. Charissimi Obsecro.

Ad Sextam.

Capitulum. I. Petri 2.

SUBJECTI igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum

Ad Nonam.

Capitulum. I. Petri 2.

SERVI, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia in Christo Jesu Domino nostro.

Ad Vesperas.

Digitized by Google

Ant. Alleluia *et Psalmi de Dom.*
Capit. Charissimi, Obsecro.
Hymnus et ℣. ut supra, p. 351.
Ad Magnif. Ant. Amen dico vobis quia plorabitis et flebitis vos: mundus autem gaudebit, vos vero contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium, allel.
Comm. de Cruce ut supra, p. 100.

FERIA SECUNDA

De libro Apocalypsis B. Joannis Apostoli.

Lectio j. Cap. 2.

ANGELO Ephesi Ecclesiæ scribe: Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum: Scio opera tua, et laborem, et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos, et tentasti eos qui se dicunt Apostolos esse, et non sunt: et invenisti eos mendaces: et patientiam habes, et sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti. Sed habeo adversum te quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac. Sin autem venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.

℟. Vidi portam civitatis ad Orientem positam, et Apostolorum nomina et Agni super eam scripta: * Et super muros ejus Angelorum custodiam, alleluia. ℣. Vidi cœlum novum, et terram novam, et civitatem novam descendentem de cœlo. Et.

Lectio ij.

ET Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit primus et novissimus, qui fuit mortuus, et vivit: Scio tribulationem tuam et paupertatem tuam, sed dives es, et blasphemaris ab his, qui se dicunt Judæos esse, et non sunt; sed sunt synagoga satanæ. Nihil horum timeas quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini, et habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Qui vicerit, non lædetur a morte secunda.

℟. Ostendit mihi Angelus fontem aquæ vivæ: et dixit ad me alleluia: * Hic Deum adora, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Postquam audissem et vidissem, cecidi ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat, et dixit mihi. Hic. Gloria. Hic.

Lectio iij.

ET Angelo Pergami Ecclesiæ scribe: Hæc dicit qui habet romphæam utraque parte acutam: Scio ubi habitas, ubi sedes est satanæ: et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam. Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, ubi satanas habitat. Sed habeo adversus te pauca; quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, et fornicari: ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter pœnitentiam age: si quo minus, veniam tibi cito, et pugnabo cum illis in gladio oris mei. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit.

Ad Bened. Ant. Et incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis Scripturas, quæ de ipso erant, alleluia.
Ad Magnif. Ant. Tristitia vestra vertetur in gaudium, alleluia; et gaudium vestrum nemo tollet a vobis, alleluia, alleluia.

FERIA TERTIA

De libro Apocalypsis B. Joannis Apostoli.

Digitized by Google

Lectio j. Cap. 4.

POST hæc vidi, et ecce ostium apertum in cælo, et vox prima quam audivi, tauquam tubæ loquentis mecum, dicens: Ascende huc, et ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc. Et statim fui in spiritu: et ecce sedes posita erat in cœlo, et supra sedem sedens. Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis jaspidis et sardinis: et iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ. Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, et super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronæ aureæ. Et de throno procedebant fulgura, et voces, et tonitrua: et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei.

℟. Vidi Jerusalem descendentem de cœlo, ornatam auro mundo, et lapidibus pretiosis intextam: * Alleluia, allel. ℣. Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide; ipsa vero aurum mundum, simile vitro mundo. Alleluia.

Lectio ij.

ET in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo, et in medio sedis, et in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante et retro. Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti. Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas, et in circuitu et intus plena sunt oculis, et requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est.

℟. In diademate capitis Aaron magnificentia Domini sculpta erat, * Dum perficeretur opus Dei, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. In veste enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum, et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum sculpta erant. Dum. Gloria. Dum.

Lectio iij.

ET cum darent illa animalia gloriam, et honorem, et benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum, procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum, et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem, quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.

Ad Bened. Ant. Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit, alleluia,

Ad Magnif. Ant. Tristitia implevit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis, alleluia allel.

FERIA QUARTA.

De libro Apocalypsis B. Joannis Apostoli.

Lectio j. Cap. 3.

ET vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem. Et vidi Angelum fortem, predicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus? Et nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre eum. Et unus de senioribus dixit mihi: Ne fleveris; ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus. Et vidi, et ecce in medio throni et quatuor animalium, et in medio seniorum Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram. Et venit, et accepit de dextera sedentis in throno librum.

℟. Plateæ tuæ, Jerusalem, ster-

nentur anno mundo, alleluia, et cantabitur in te canticum lætitiæ, alleluia: * Et per omnes vicos tuos ab universis dicetur, Alleluia, alleluia. ℣. Luce splendida fulgebis, et omnes fines terræ adorabunt te. Et.

Lectio ij.

ET cum aperuisset librum, quatuor animalia et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum: et cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es, Domine accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione: et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes; et regnabimus super terram.

℟. Decantabat populus Israel, alleluia, et universa multitudo Jacob canebat legitime: * Et David cum cantoribus citharam percutiebat in domo Domini, et laudes Deo canebat, alleluia, alleluia. ℣. Sanctificati sunt ergo sacerdotes et Levitæ, et universus Israel deducebat arcam fœderis Domini in jubilo. Et. Gloria. Et.

Lectio iij.

ET vidi, et audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum: et erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, et super terram, et sub terra, et quæ sunt in mari, et quæ in eo, omnes audivi dicentes: Sedenti in throno et Agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum; Amen. Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, et adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.

Ad Bened. Ant. Mane nobiscum, quoniam advesperascit; et inclinata est jam dies, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Tristitia vestra, allel., vertetur in gaudium, allel.

FERIA QUINTA

De libro Apocalypsis B. Joannis Apostoli.

Lectio j. Cap. 15.

ET vidi aliud signum in cœlo magnum et mirabile, Angelos septem habentes plagas septem novissimas, quoniam in illis consummata est ira Dei. Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne, et eos qui vicerunt bestiam, et imaginem ejus, et numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei, et cantantes canticum Moysi servi Dei et canticum Agni, dicentes: Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens: justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum. Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? Quia solus pius es; quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt.

℟. Dignus es Domine, *p.* 369.

Lectio ij.

ET post hæc vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in cœlo, et exierunt septem Angeli habentes septem plagas de templo, vestiti lino mundo et candido, et præcincti circa pectora zonis aureis. Et unum de quatuor animalibus dedit septem Angelis septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viventis in sæcula sæculorum. Et impletum est templum fumo a majestate Dei, et de virtute ejus: et nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem Angelorum.

℣. Ego sicut vitis, cum Gloria. Transite in *fine*, p. 369.

Digitized by Google

Lectio iij. Cap. 16.

ET audivi vocem magnam de templo dicentem septem Angelis: Ite, et effundite septem phialas iræ Dei in terram. Et abiit primus, et effudit phialam suam in terram, et factum est vulnus sævum et pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ, et in eos qui adoraverunt imaginem ejus. Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare, et factus est sanguis tanquam mortui, et omnis anima vivens mortua est in mari. Et tertius effudit phialam suam super flumina, et super fontes aquarum, et factus est sanguis. Et audivi Angelum aquarum dicentem: Justus es, Domine, qui es, et qui eras: sanctus, qui hæc judicasti; quia sanguinem sanctorum et Prophetarum effuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere: digni enim sunt.

Ad Bened. Ant. Et intravit cum illis, et factum est, dum recumberet cum illis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis, alleluia, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Amen, amen dico vobis, iterum videbo vos, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis, alleluia.

FERIA SEXTA

De libro Apocalypsis B. Joannis Apostoli.

Lectio j. Cap. 19.

POST hæc audivi quasi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium: Alleluia, salus, et gloria, et virtus Deo nostro est, quia vera et justa judicia sunt ejus, qui judicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua, et vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus. Et iterum dixerunt: Alleluia. Et fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum. Et ceciderunt seniores viginti quatuor et quatuor animalia, et adoraverunt Deum sedentem super thronum, dicentes: Amen, alleluia. Et vox de throno exivit, dicens: Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus, et qui timetis Deum, pusilli et magni.

℣. Locutus est ad me, *p.* 370.

Lectio ij.

ET audivi quasi vocem turbæ magnæ, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium: Alleluia, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se. Et datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti et candido. Byssinum enim justificationes sunt sanctorum. Et dixit mihi, Scribe: Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. Et dixit mihi: Hæc verba Dei vera sunt. Et cecidi ante pedes ejus ut adorarem eum, et dicit mihi: Vide ne feceris; conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora. Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ.

℣. Audivi vocem, *cum* Gloria. Timete *in fine*, p. 370.

Lectio iij.

ET vidi cœlum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis et Verax, et cum justitia judicat et pugnat. Oculi autem ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersa sanguine: et vocatur nomen ejus, Verbum Dei. Et exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo et mundo. Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat Gentes. Et ipse reget eas in virga ferrea: et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. Et habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium.

Ad Bened. Ant. Cognoverunt Dominum Jesum, alleluia, in fractione panis, alleluia.

SABBATO.

De libro Apocalypsis B. Joannis Apostoli.

Lectio j. Cap. 22.

ET ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni. In medio plateæ ejus et ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem Gentium. Et omne maledictum non erit amplius: sed sedes Dei et Agni in illa erunt, et servi ejus servient illi. Et videbunt faciem ejus, et nomen ejus in frontibus eorum. Et nox ultra non erit, et non egebunt lumine luceruæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in sæcula sæculorum. Et dixit mihi: Hæc verba fidelissima sunt et vera. Et Dominus Deus spirituum Prophetarum misit Angelum suum ostendere servis suis quæ oportet fieri cito. Et ecce venio velociter. Beatus qui custodit verba prophetiæ libri hujus.

Lectio ij.

ET ego Joannes, qui audivi et vidi hæc, et postquam audissem et vidissem, cecidi ut adorarem ante pedes Angeli qui mihi hæc ostendebat, et dixit mihi: Vide ne feceris; conservus enim tuus sum, et fratrum tuorum Prophetarum, et eorum qui servant verba prophetiæ libri hujus. Deum adora. Et dicit mihi: Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus: tempus enim prope est. Qui nocet, noceat adhuc: et qui in sordibus est, sordescat adhuc, et qui justus est, justificetur adhuc: et sanctus sanctificetur adhuc. Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.

Lectio iij.

EGO sum alpha et omega, primus et novissimus, principium et finis. Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni: ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem. Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium. Ego Jesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis. Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina. Et spiritus et sponsa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Et qui sitit, veniat: et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. Contestor enim omni audienti verba prophetiæ libri hujus: Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto; et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, et de civitate sancta, et de his quæ scripta sunt in libro isto. Dicit qui testimonium perhibet istorum: Etiam venio cito. Amen. Veni, Domine Jesu. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

Ad Vesperas.

Capitulum. Jac. 1.

CHARISSIMI, Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 351.

Ad Magnif. Ant. Vado ad eum qui misit me; et nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? alleluia, allel.

Oratio ut infra in Laudibus.

DOM. IV. POST PASCH.

Ad Matut. Invit. Hymnus ut in Dom. in Albis, p. 352.

Si Lect. j. *Noct. lectæ sunt pridie, quando scilicet in Sabb. præced. occurrit Festum SS. Apost. Philippi et Jacobi, in Dom. Legantur lect. Feriæ* ij *sequentis.*

Digitized by Google

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epistola Catholica beati Jacobi Apostoli.

Lectio j. Cap. 1.

JACOBUS Dei et Domini nostri Jesu Christi servus, duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem. Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet: ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes. Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat, et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans.

℟. Si oblitus fuero tui, alleluia, obliviscatur mei dextera mea: * Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, alleluia, allel. ℣. Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui, Sion. Adhæreat.

Lectio ij.

QUI enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino. Vir duplex animo incostans est in omnibus viis suis. Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua: dives autem in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit. Exortus est enim sol cum ardore, et arefecit fœnum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperiit: ita et dives in itineribus suis marcescet.

℟. Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ, et timuerunt: * Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: vidit et commota est terra. Multitudo.

Lectio iij.

BEATUS vir, qui sufferet tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. Nolite itaque errare, fratres mei dilectissimi.

℟. Narrabo nomen tuum fratribus meis, alleluia: * In medio ecclesiæ laudabo te, alleluia, alleluia. ℣. Confitebor tibi in populis, Domine, et psalmum dicam tibi in gentibus. In. Gloria. In.

IN IV. NOCTURNO.

Ex Tractatu S. Cypriani Episcopi et Martyris de bono patientiæ.

Sermo 3. *initio.*

Lectio iv.

DE patientia locuturus, fratres dilectissimi, et utilitates ejus et commoda prædicaturus, unde potius incipiam, quam quod nunc quoque ad audientiam vestram patientiam video esse necessariam: ut nec hoc ipsum quod auditis et discitis, sine patientia facere possitis? Tunc enim demum sermo et ratio salutaris efficaciter discitur, si patienter quod dicitur, audiatur. Nec invenio, fratres dilectissimi, inter cæteras cœlestis disciplinæ vias, quibus ad consequenda divinitus præmia spei ac fidei nostræ secta dirigitur, quid magis sit vel utilius ad vitam, vel majus ad gloriam, quam ut, qui præceptis Dominicis obsequio timoris ac devotionis innitimur, patientiam maxime tota observatione tueamur. Hanc se sectari philosophi quoque profitentur: sed tam illic patientia falsa est, quam et falsa sapientia est. Unde enim vel sapiens esse vel patiens possit, qui nec sapientiam nec patientiam Dei novit?

℟. In ecclesiis benedicite Deo, alleluia, * Domino de fontibus Israel, alleluia, alleluia. ℣. Psalmum dicite

Digitized by Google

nomini ejus, date gloriam laudi ejus. Domino.

Lectio v. Cap. 2. 3. 8.

NOS autem, fratres dilectissimi, qui philosophi non verbis, sed factis sumus, nec vestitu sapientiam, sed veritate præferimus; qui virtutum conscientiam magis, quam jactantiam novimus; qui non loquimur magna, sed vivimus quasi servi et cultores Dei, patientiam, quam magisteriis cœlestibus discimus, obsequiis spiritalibus præbeamus. Est enim nobis cum Deo virtus ista communis: inde patientia incipit, inde claritas ejus et dignitas caput sumit. Origo et magnitudo patientiæ Deo auctore procedit. Diligenda res homini, quæ Deo chara est. Bonum quod amat, majestas divina commendat. Si Dominus nobis et Pater Deus est, sectemur patientiam Domini pariter et Patris, quia et servos oportet esse obsequentes, et filios non decet esse degeneres.

℣. In toto corde meo, alleluia, exquisivi te, alleluia: * Ne repellas me a mandatis tuis, alleluia, allel. ℣. Benedictus es tu, Domine, doce me justificationes tuas. Ne repellas.

Lectio vj.

PATIENTIA est quæ nos Deo et commendat et servat: ipsa est quæ iram temperat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coercet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet, tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in conjunctis et maritatis individuam charitatem: facit humiles in prosperis, in adversis fortes, contra injurias et contumelias mites: docet delinquentibus cito ignoscere: si ipse delinquas, diu et multum rogare: tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones et martyria consummat. Ipsa est quæ fidei nostræ fundamenta firmiter munit.

℣. Hymnum cantate nobis, alleluia. * Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? alleluia, alleluia. ℣. Illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum. Quomodo. Gloria. Quomodo.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vado ad eum qui misit me; et nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.
Tract. 94. in Joan. init.

CUM Dominus Jesus prædixisset discipulis suis persecutiones, quas passuri erant post ejus abscessum, subjunxit atque ait: Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram: nunc autem vado ad eum qui me misit. Ubi primum videndum est utrum eis futuras non prædixerit ante passiones. Sed alii tres Evangelistæ satis eum prædixisse ista demonstrant, antequam ventum esset ad cœnam: qua peracta, secundum Joannem ista locutus est, ubi ait: Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram.

℣. Deus, canticum novum cantabo tibi, alleluia: * In psalterio decem chordarum psallam tibi, alleluia, alleluia. ℣. Deus meus es tu, et confitebor tibi: Deus meus es tu, et exaltabo te. In.

Lectio viij.

AN forte hinc ista solvitur quæstio, quia et illi eum narrant passioni proximum fuisse cum hæc diceret? Non ergo ab initio, quando cum illis erat: quia jam discessurus, jamque ad Patrem perrecturus hæc dixit. Et ideo etiam secundum illos Evangelistas verum est, quod hic dictum est, Hæc autem vobis ab initio non dixi. Sed quid agimus de fide Evangelii secundum Matthæum, qui hæc eis a Domino non solum cum jam Pascha esset cum discipulis cœnaturus, im-

minente passione, verum et ab initio denuntiata esse commemorat, ubi primum nominatim duodecim exprimuntur Apostoli, et ad opera divina mittuntur?

℟. Bonum est confiteri Domino, alleluia, * Et psallere, alleluia. ℣. In decachordo psalterio cum cantico et cithara. Et. Gloria. Et.

Lectio ix.

QUID sibi ergo vult quod hic ait: Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram: nisi quia ea quæ hic dicit de Spiritu sancto, quod sit venturus ad eos, et testimonium perhibiturus, quando mala illa passuri sunt, hæc ab initio eis non dixit, quia cum ipsis erat? Consolator ergo ille, vel advocatus (utrumque enim interpretatur quod sit Græce Paraclitus) Christo abscedente fuerat necessarius: et ideo de illo non dixerat ab initio, quando cum illis erat, quia ejus præsentia consolabantur.

Ad Laudes et Horas Ant. pro tem. Pasch. de Psalt.

Capitulum. Jac. I.

CHARISSIMI, Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 353.

Ad Bened. Ant. Vado ad eum qui misit me; et nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? Alleluia, alleluia.

Oratio.

DEUS, qui fidelium mentes unius efficis voluntatis, da populis tuis id amare quod præcipis, id desiderare quod promittis; ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia. Per Dominum.

Comm. de Cruce, ut supra, p. 100.

Ad Horas ℟. ℟. br. ut in Psalt.

Ad Tertiam.

Capit. Charissimi Omne.

Ad Sextam.

Capitulum. Jac. I.

SCITIS, fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram: ira enim viri justitiam Dei non operatur.

Ad Nonam.

Capitulum. Jac. I.

PROPTER quod abjicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.

Ad Vesperas.

Ant. Alleluia *et Psalmi de Dom.*

Capit. Charissimi Omne.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 351.

Ad Magnif Ant. Vado ad eum qui misit me: sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum, alleluia.

Comm. de Cruce ut supra, p. 100.

FERIA SECUNDA.

De Epistola B. Jacobi Apostoli.

Lectio j. Cap. I.

OMNE datum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus. Scitis, fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram: ira enim viri justitiam Dei non operatur.

℟. Dicant nunc qui redempti sunt, alleluia, * A Domino, alleluia, allel. ℣. Quos redemit de manu inimici, et de regionibus congregavit eos. A Domino.

Lectio ij.

PROPTER quod abjicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. Estote autem factores verbi, et non auditores tantum,

Digitized by Google

fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo : consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit.

℟. Cantate Domino, alleluia : * Psalmum dicite ei, alleluia. ℣. Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus. Psalmum. Gloria. Psalmum.

Lectio iij.

QUI autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. Si quis autem putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est : visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.

Ad Bened. Ant. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu, dum loqueretur nobis in via ? alleluia.

Ad Magnif. Ant. Ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam : si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, alleluia.

FERIA TERTIA.

De Epistola B. Jacobi Apostoli.

Lectio j. Cap. 2.

FRATRES mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ. Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens, in veste candida ; introierit autem et pauper in sordido habitu, et intendatis in eum qui indutus est veste præclara, et dixeritis ei : Tu sede hic bene; pauperi autem dicatis : Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum, nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis judices cogitationum iniquarum ?

℟. In ecclesiis, *p.* 377.

Lectio ij.

AUDITE, fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se ? Vos autem exhonorastis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad judicia? Nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super vos ? Si tamen legem perficitis regalem secundum Scripturas : Diliges proximum tuum sicut te ipsum, bene facitis. Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quasi transgressores.

℟. In toto corde, *cum* Gloria. Ne repellas *in fine*, p. 378.

Lectio iij.

QUICUMQUE autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit et, Non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis. Sic loquimini, et sic facite, sicut per legem libertatis incipientes judicari. Judicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam : superexaltat autem misericordia judicium.

Ad Bened. Ant. Pax vobis, ego sum, alleluia : nolite timere, allel.

Ad Magnif. Ant. Cum venerit Paraclitus, Spiritus veritatis, ille arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio, alleluia.

FERIA QUARTA.

De Epistola B. Jacobi Apostoli.

Lectio j. Cap. 2.

QUID proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat ? Numquid poterit fides salvare eum ? Si autem frater et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis : Ite in pace, calefacimini et saturamini: non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit ? Sic et fides, si non habeat o-

Digitized by Google

pera, mortua est in semetipsa.

℟. Deus canticum novum, *p.* 378.

Lectio ij.

SED dicet quis : Tu fidem habes, et ego opera habeo. Ostende mihi fidem tuam sine operibus : et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Tu credis quoniam unus est Deus, bene facis ; et dæmones credunt, et contremiscunt. Vis autem scire, o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est ? Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare ? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus fides consummata est ?

℟. Bonum est confiteri, *p.* 379.

Lectio iij.

ET suppleta est Scriptura, dicens : Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum. Similiter et Rahab meretrix nonne ex operibus justificata est, suscipiens nuntios, et alia via ejiciens ? Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.

Ad Bened. Ant. Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere : jam credite, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo : cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, alleluia.

FERIA QUINTA.

De Epistola B. Jacobi Apostoli.

Lectio j. Cap. 3.

NOLITE plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam majus judicium sumitis. In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Potest etiam fræno circumducere totum corpus. Si autem equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis, et omne corpus illorum circumferimus.

℟. Si oblitus fuero, *p.* 377.

Lectio ij.

ECCE et naves, cum magnæ sint, et a ventis validis minentur, circumferuntur a modico gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit : ita et lingua modicum quidem membrum est, et magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit ! Et lingua ignis est, universitas iniquitatis.

℟. Viderunt te aquæ, *cum* Gloria. Multitudo *in fine*, p. 377.

Lectio iij.

LINGUA constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, et inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata a gehenna. Omnis enim natura bestiarum, et volucrum, et serpentium, et cæterorum domantur, et domita sunt a natura humana : linguam autem nullus hominum domare potest ; inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus Deum et Patrem, et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio.

Ad Bened. Ant. Obtulerunt discipuli Domino, partem piscis assi, et favum mellis, alleluia, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Non enim loquetur a semetipso ; sed quæcumque audiet, loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis, alleluia.

FERIA SEXTA

De Epistola B. Jacobi Apostoli.

Lectio j. Cap. 4.

UNDE bella et lites in vobis ? nonne hinc ? ex concupiscentis vestris, quæ militant in membris vestris. Concupiscitis, et non habetis : occiditis, et zelatis, et non potestis adipisci : litigatis et belligeratis, et non habetis, propter quod non postulatis. Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis : ut in concupiscentiis vestris insumatis. Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei ? Quicumque ergo voluerit a-

Digitized by Google

micus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.

℟. In ecclesiis, *p.* 377.

Lectio ij.

AN putatis quia inaniter Scriptura dicat: Ad invidiam concupiscit spiritus qui habitat in vobis? Majorem autem dat gratiam. Propter quod dicit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Subditi ergo estote Deo, resistite autem diabolo, et fugiet a vobis. Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores; et purificate corda, duplices animo. Miseri estote, et lugete, et plorate: risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mœrorem. Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos.

℟. In toto corde, *cum* Gloria. Ne repellas *in fine*, p. 378.

Lectio iij.

NOLITE detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, et judicat legem. Si autem judicas legem, non es factor legis, sed judex. Unus est legislator et judex, qui potest perdere et liberare. Tu autem quis es, qui judicas proximum? Ecce nunc qui dicitis: Hodie aut crastino ibimus in illam civitatem, et faciemus ibi quidem annum, et mercabimur, et lucrum faciemus, qui ignoratis quid erit in crastino. Quæ est enim vita vestra? Vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis: Si Dominus voluerit, et si vixerimus, faciemus hoc aut illud.

Ad Bened. Ant. Isti sunt sermones, quos dicebam vobis, cum essem vobiscum, alleluia, allel.

SABBATO.

De Epistola B. Jacobi Apostoli.

Lectio j. Cap. 5.

AGITE nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizatis vobis iram in novissimis diebus. Ecce merces operariorum qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat: et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis. Addixistis et occidistis justum, et non restitit vobis.

Lectio ij.

PATIENTES igitur estote, fratres, usque ad adventum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum. Patientes igitur estote et vos, et confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquavit. Nolite ingemiscere, fratres, in alterutrum, ut non judicemini. Ecce judex ante januam assistit. Exemplum accipite, fratres, exitus mali; laboris, et patientiæ, Prophetas qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, et miserator.

Lectio iij.

ANTE omnia autem, fratres mei, nolite jurare neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester, Est, est: Non, non: ut non sub judicio decidatis. Tristatur aliquis vestrum? oret. Æquo animo est? psallat. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.

Digitized by Google

Ad Vesperas.

Capitulum. Jac. I.

CHARISSIMI, Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos: quia si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo: consideravit enim se et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit.

Hymnus et ỹ. ut supra, p. 351.

Ad Magnif. Ant. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo: petite, et accipietis, alleluia.

Oratio ut infra in Laudibus.

DOM. V. POST PASCH.

Ad Matut. Invit. et Hymnus, ut in Dom. in Albis. p. 352.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epistola prima B. Petri Apostoli.

Lectio j. Cap. 1.

PETRUS Apostolus Jesu Christi, electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ, secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, et aspersionem sanguinis Jesu Christi gratia vobis, et pax multiplicetur. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam: per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cœlis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo.

℟. Si oblitus fuero, *p.* 377.

Lectio ij.

IN quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus: ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem in revelatione Jesu Christi, quem cum non videritis, diligitis; in quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili et glorificata, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum. De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias. Quibus revelatum est quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos qui evangelizaverunt vobis, Spiritu sancto misso de cælo in quem desiderant Angeli prospicere.

℟. Viderunt te aquæ *p.* 377.

Lectio iij.

PROPTER quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam quæ offertur vobis gratiam, in revelationem Jesu Christi quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis; sed secundum eum, qui vocavit vos, Sanctum, et ipsi in omni conversatione sancti sitis, quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. Et si patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini; scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi, et incontaminati; prædogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus propter vos, qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitavit eum a mortuis, et dedit ei gloriam, ut fides vestra et spes esset in Deo.

℟. Narrabo nomen tuum, *p.* 377.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro S. Ambrosii Episcopi de fide resurrectionis.

Lectio iv.

QUONIAM Dei mori non poterat Sapientia, resurgere autem non poterat quod mortuum non erat, assumitur caro, quæ mori posset, ut dum moritur quod solet, quod mortuum fuerat, hoc resurgeret. Neque enim poterat esse, nisi per hominem resurrectio: quoniam sicut per hominem mors, ita et per hominem resurrectio mortuorum. Ergo resurrexit homo, quoniam homo mortuus est: resuscitatus homo, sed resuscitans Deus. Tunc secundum carnem homo, nunc per omnia Deus. Nunc enim secundum carnem jam non novimus Christum, sed carnis gratiam tenemus, ut ipsum primitias quiescentium, ipsum primogenitum ex mortuis noverimus.

℟. In ecclesiis, *p.* 377.

Lectio v.

PRIMITIÆ utique ejusdem sunt generis atque naturæ, cujus et reliqui fructus: quorum pro lætiore proventu primitiva Deo munera deferuntur; sacrum munus pro omnibus et quasi reparatæ quædam liba naturæ. Primitæ ergo quiescentium Chris us. Sed utrum suorum quiescentium, qui quasi mortis exortes dulci quodam sopore tenentur, an omnium mortuorum? Sed sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Itaque sicut primitiæ mortis in Adam, ita etiam primitiæ resurrectionis in Christo omnes resurgunt. Sed nemo desperet, neque justus doleat commune consortium resurgendi, cum præcipuum fructum virtutis expectet. Omnes quidem resurgent, sed unusquisque, ut ait Apostolus, in suo ordine. Communis est divinæ fructus clementiæ, sed distinctus ordo meritorum.

℟. In toto corde meo. *p.* 378.

Lectio vi.

ADVERTIMUS quam grave sit sacrilegium resurrectionem non credere. Si enim non resurgemus, ergo Christus gratis mortuus est, ergo Christus non resurrexit. Si enim nobis non resurrexit, utique non resurrexit, qui sibi cur resurgeret, non habebat. Resurrexit in eo mundus, resurrexit in eo cœlum, resurrexit in eo terra: Erit enim cœlum novum, et terra nova. Sibi autem non erat necessaria resurrectio, quem mortis vincula non tenebant. Nam etsi secundum hominem mortuus, in ipsis tamen erat liber inferois. Vis scire quam liber? Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber. Et bene liber, qui se poterat suscitare, juxta quod scriptum est: Solvite hoc templum, et in triduo resuscitabo illud. Et bene liber, qui alios descenderat redempturus.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen, dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi

Tract. 102. *in Joannem.*

DOMINI verba nunc ista tractanda sunt, Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Jam dictum est in superioribus hujus Dominici sermonis partibus, propter eos qui nonnulla petunt a Patre in Christi nomine, nec accipiunt, non peti in nomine Salvatoris quidquid petitur contra rationem salutis. Non enim sonum litterarum ac syllabarum, sed quod sonus ipse significat, et quod eo sono recte ac veraciter intelligitur hoc accipiendus est dicere, cum dicit, in nomine meo.

℟. Deus cauticum, *p.* 378.

Lectio vilj.

UNDE qui hoc sentit de Christo, quod non est de unico Dei Fi-

lio sentiendum, non petit in ejus nomine, etiamsi non taceat litteris ac syllabis Christum, quoniam in ejus nomine petit, quem cogitat cum petit. Qui vero quod est de illo sentiendum sentit, ipse in ejus nomine petit, et accipit quod petit, si non contra suam salutem sempiternam petit: accipit autem, quando debet accipere. Quædam enim non negantur, sed ut congruo dentur tempore, differuntur. Ita sane intelligendum est quod ait, Dabit vobis; ut ea beneficia significata sciantur his verbis, quæ ad eos qui petunt, proprie pertinent. Exaudiuntur quippe omnes sancti pro seipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis, vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis: quia non utrumque dictum est, Dabit; sed, Dabit vobis.

℟. Bonum est confiteri, *p.* 379.

Lectio ix.

USQUE modo, inquit, non petistis quidquam in nomine meo: petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Hoc quod dicit, Gaudium plenum, profecto non carnale, sed spiritale gaudium est: et quando tantum erit, ut aliquid ei jam non sit addendum, procul dubio tunc erit plenum. Quidquid ergo petitur, quod pertineat ad hoc gaudium consequendum, hoc est in nomine Christi petendum, si divinam intelligimus gratiam, si vere beatam poscimus vitam. Quidquid autem aliud petitur, nihil petitur; non quia nulla omnino res est, sed quia in tantæ rei comparatione quicquid aliud concupiscitur, nihil est.

Ad Laudes et Horas Ant. pro temp. Pasch. de Psalt.

Capitulum. Jac. I.

CHARISSIMI, Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos: quia si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo: consideravit enim se et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 353.

Ad Bened. Ant. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo: petite, et accipietis, allel.

Oratio.

DEUS, a quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis, ut cogitemus, te inspirante, quæ recta sunt, et, te gubernante, eadem faciamus. Per Dominum.

Comm. de Cruce, ut sup., p. 100.

Ad Horas ℟. ℟. br. ut in Psalt.

Ad Tertiam.

Capit. Charissimi Estote.

Ad Sextam.

Capitulum. Jac. I.

QUI autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.

Ad Nonam.

Capitulum. Jac. I.

RELIGIO munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est: visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.

Ad Vesperas.

Ant. Alleluia *et Psalmi de Dom.*

Capit. Charissimi Estote.

Hymnus et ℣. ut supra, p. 351.

Ad Magnif. Ant. Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis et credidistis, alleluia.

Comm. de Cruce, ut sup. p. 100.

FERIA SECUNDA

in Rogationibus.

Si hodie occurrat Festum ix. *Lect. fit de eo cum* ix. *Lect. de seq. Homilia, et comm. de Feria ad Laudes tantum, ut infra. De Festo autem* iij. *Lect. fit tantum commem.*

Digitized by Google

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio j. Cap. 11.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 7. *in Lucam cap.* 11.

ALIUS præcepti locus est, ut omnibus momentis, non solum diebus, sed etiam noctibus oratio deferatur. Vides enim quod iste qui media nocte perrexit, tres panes ab amico suo postulans, et in ipsa petendi intentione persistens, non defraudetur oratis. Qui sunt isti tres panes, nisi mysterii cœlestis alimentum? Quod si diligas Dominum Deum tuum, non solum tibi, sed etiam aliis poteris emereri. Quis autem amicior nobis quam qui pro nobis corpus suum tradidit?

℟. Dicant nunc qui, *p.* 379.

Lectio ij.

AB hoc media nocte panes David petiit, et accepit. Petiit enim quando dicebat: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Ideo meruit hos panes, quos apposuit nobis edendos. Petiit cum dicit: Lavabo per singulas noctes lectum meum. Neque enim timuit, ne excitaret dormientem, quem scit semper vigilantem. Et ideo scriptorum memores, noctibus ac diebus orationi instantes, peccatis nostris veniam postulemus:

℟. Cantate Domino, *p.* 380.

Lectio iij.

NAM si ille tam sanctus, et qui regni erat necessitatibus occupatus, septies in die laudem Domino dicebat, matutinis et vespertinis sacrificiis semper intentus, quid nos facere oportet, qui eo amplius rogare debemus, quo frequentius carnis ac mentis fragilitate delinquimus, ut de via lassis, et istius ævi cursu, ac vitæ hujus anfractu graviter fatigatis panis refectionis deesse non possit, qui hominis corda confirmet? Nec solum media nocte Dominus, sed omnibus prope docet vigilandum esse momentis. Venit enim et vespertina, et secunda, et tertia vigilia, et pulsare consuevit. Beati itaque servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.

Hac nocte dicitur iij. ℟. *quia non dicitur* Te Deum. *In duabus vero seq. Feriis dicitur.*

℟. Narrabo nomen tuum, *p.* 377.

Ad Laudes.

Ant. et *Psalmi ut in Dominica.*

Capitulum. Rom. 6.

CHRISTUS resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur: quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo.

Hymnus et ℣. *ut supra*, p. 355.

Ad Bened. Ant. Petite, et accipietis: quærite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis, alleluia.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in afflictione nostra de tua pietate confidimus, contra adversa omnia tua semper protectione muniamur. Per Domin.

Hæc Oratio dicitur ad Laudes et Horas, præter Vesp. et hodie tantum. Duabus vero seq. Feriis dicitur Oratio Dom. præced. Deus a quo bona, *p.* 385.

Hoc triduo qui non intersunt Process. Rogationum, privatim post Laudes dicant Litanias cum suis Precibus et Orationibus sine Psalmis Pœnitentialibus.

Ad Horas omnia dicuntur ut in fer. Officio temp. Pasch.

Vesperæ, nisi occurrat Festum ix. *Lect., dicuntur de Psalt cum Oratione Dom. præced. Si vero sequatur Festum Simplex, a Capit. fit de Festo, cum comm. de Cruce tantum, ut supra*, p. 100.

Ad Magnif. Ant. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis, alleluia.

FERIA TERTIA

in Rogationibus.

Si hodie occurrat Festum Simplex, fit de eo, sine comm. de Feria, sed tantum de Cruce.

De Epistola prima B. Petri. Apostoli.

Lectio i. Cap. 4.

CHRISTO igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desiit a peccatis, ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne, vivat temporis. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam his, qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, et illicitis idolorum cultibus. In quo admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem, blasphemantes. Qui reddent rationem ei qui paratus est judicare vivos et mortuos. Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est, ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu. Omnium autem finis appropinquavit.

℟. In ecclesiis, *p.* 377.

Lectio ij.

ESTOTE itaque prudentes et vigilate in orationibus. Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hospitales invicem sine murmuratione. Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

℟. In toto corde meo, *p.* 378, *eum* Gloria. Ne repellas.

Lectio ij.

CHARISSIMI, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat: sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescit. Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine. Quoniam tempus est ut incipiat judicium a domo Dei.

Ad Bened. Ant. Oportebat pati Christum, et resurgere a mortuis, alleluia.

FERIA QUARTA

in Rogationibus.

VIGILIA ASCENSIONIS.

Si hodie occurrat Festum ix. *Lect. fit de eo cum Lect.* ix. *de Homilia Vigiliæ, et comm. ad Laudes ut infra. De Festo autem trium Lect. fit tantum comm.*

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 17.

IN illo tempore: Sublevatis Jesus oculis in cœlum, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tractat. 104. *in Joannem.*

POTERAT Dominus noster unigenitus et coæternus Patri, in forma servi et ex forma servi, si hoc opus esset, orare silentio: sed ita se Patri exhibere voluit precatorem, ut meminisset nostrum se esse doctorem.

Proinde eam, quam fecit orationem pro nobis, notam fecit et nobis: quoniam tanti magistri non solum ad ipsos sermocinatio, sed etiam pro ipsis ad Patrem oratio, discipulorum est ædificatio: et si illorum, qui hæc dicta aderant audituri, profecto et nostra, qui fueramus conscripta lecturi.

℟. Deus vanticum, *p.* 378.

Lectio ij.

QUAPROPTER hoc quod ait, Pater, venit hora, clarifica Filium tuum: ostendit omne tempus, et quid, et quando faceret, vel fieri sineret, ab illo esse dispositum, qui tempori subditus non est: quoniam quæ futura erant per singula tempora, in Dei sapientia causas efficientes habent, in qua nulla sunt tempora. Non ergo credatur hæc hora fato urgente venisse, sed Deo potius ordinante. Nec siderea necessitas Christi connexuit passionem: absit enim ut sidera mori cogerent siderum Conditorem.

℟. Bonum est confiteri, *p.* 379.

Lectio iij.

CLARIFICATUM a Patre Filium nonnulli accipiunt in hoc, quod ei non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Sed si passione clarificatus dicitur, quanto magis resurrectione? Nam in passione magis ejus humilitas, quam claritas commendatur, Apostolo teste, qui dicit: Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Deinde sequitur, et de ejus clarificatione jam dicit: Propter quod et Deum illum exaltavit, et donavit ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum; et omnis lingua confiteatur quia Dominus JesusChristus in gloria est Dei Patris. Hæc est clarificatio Domini nostri Jesu Christi, quæ ab ejus resurrectione sumpsit exordium.

Ad Bened. Ant. Pater, venit hora, clarifica filium tuum claritate, quam habui priusquam mundus esset apud te, alleluia.

IN ASCENSIONE DOMINI

In I. Vesperis.

Ant. Capit. et Hymn. de Laud. Psalmi de Dom., et loco ult. Laudate Dominum omnes gentes.

℣. Ascendit Deus in jubilatione, alleluia. ℟. Et Dominus in voce tubæ, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Patet, manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi: nunc autem pro eis rogo, non pro mundo, quia ad te venio, alleluia.

Oratio ut infra in Laudibus.

In fine Hymni ad Complet. et aliorum ejusdem metri, dicitur

Jesu, tibi sit gloria,
Qui victor in cœlum redis.

Ad Matutinum.

Invit. Alleluia, Christum Dominum ascendentem in cœlum, * Venite, adoremus, alleluia.

HYMNUS.

ÆTERNE Rex altissime
Redemptor et fidelium,
Cui mors perempta detulit
Summæ triumphum gloriæ;
Ascendis orbes siderum,
Quo te vocabat cœlitus
Collata, non humanitus

Rerum potestas omnium.
Ut trina rerum machina
Cœlestium, terrestrium,
Et inferorum condita
Flectat genu jam subdita.
Tremunt videntes Angeli
Versam vicem mortalium:
Peccat caro, mundat caro;
Regnat Deus Dei caro.
Sis ipse nostrum gaudium,
Manens olympo præmium,
Mundi regis qui fabricam,
Mundana vincens gaudia.
Hinc te precantes, quæsumus,
Ignosce culpis omnibus,
Et corda sursum subleva
Ad te superna gratia;
Ut cum repente cœperis
Clarere nube Judicis,
Pœnas repellas debitas,
Reddas coronas perditas.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui victor in cœlum redis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Elevata est magnificentia tua super cœlos, Deus, alleluia.

Psalm. Domine Dominus, *p.* 4.

Ant. Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo, alleluia.

Psalm. In Domino confido, *p.* 5.

Ant. A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus, alleluia.

Psalm. Cœli enarrant, *p.* 10.

℣. Ascendit Deus in jubilatione, alleluia. ℟. Et Dominus in voce tubæ, alleluia.

Incipit liber Actuum Apostolorum.

Lectio j. Cap. 1.

PRIMUM quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere usque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est: quibus et præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei. Et convescens præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum: quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.

℟. Post passionem suam per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei, alleluia: * Et videntibus illis elevatus est, alleluia, et nubes suscepit eum ab oculis eorum, alleluia. ℣. Et convescens præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris. Et.

Lectio ij.

IGITUR qui convenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis: non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ. Et cum hæc dixisset, videntibus illis, elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum.

℟. Omnis pulchritudo Domini exaltata est super sidera: * Species ejus in nubibus cœli, et nomen ejus in æternum permanet, alleluia. ℣. A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus. Species.

Lectio iij.

CUMQUE intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Tunc reversi sunt Jerosolymam a monte, qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, sabbati habens iter. Et cum introissent in cœnaculum, ascenderunt ubi manebant Petrus et Joannes, Jacobus et Andreas, Philippus et Tho-

Digitized by Google

mas, Bartholomæus et Matthæus, Jacobus Alphæi, et Simon Zelotes, et Judas Jacobi. Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus.

℟. Exaltare, Domine, alleluia, * In virtute tua, alleluia. ℣. Elevata est magnificentia tua super cœlos, Deus. In. Gloria. In.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Exaltare, Domine, in virtute tua; cantabimus et psallemus, allel.

Psalm. Domine in virtute, *p.* 11.

Ant. Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, alleluia.

Psalm. Exaltabo te, *p.* 33.

Ant. Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tubæ, allel.

Psalm. Omnes gentes, *p.* 45.

℣. Ascendens Christus in altum, alleluia, ℟. Captivam duxit captivitatem, alleluia.

Sermo sancti Leonis Papæ.

Sermo I. de Ascensione Domini.

Lectio iv.

POST beatam et gloriosam resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, qua verum Dei templum Judaica impietate resolutum divina in triduo potentia suscitavit, quadragenarius hodie, dilectissimi, sanctorum dierum expletus est numerus, sacratissima ordinatione dispositus, et ad utilitatem nostræ eruditionis impensus: ut dum a Domino in hoc spatio mora præsentiæ corporalis extenditur, fides resurrectionis documentis necessariis muniretur. Mors enim Christi multum discipulorum corda turbaverat, et de supplicio crucis, de emissione spiritus, de exanimati corporis sepultura gravatis mœstitudine mentibus quidam diffidentiæ torpor obrepserat.

℟. Tempus est ut revertar ad eum qui me misit, dicit Dominus, nolite contristari, nec turbetur cor vestrum: * Rogo pro vobis Patrem ut ipse vos custodiat, alleluia, alleluia. ℣. Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet: cum assumptus fuero, mittam vobis eum. Rogo.

Lectio v.

UNDE beatissimi Apostoli omnesque discipuli, qui et de exitu crucis fuerant trepidi, et de fide resurrectionis ambigui, ita sunt veritate perspicua roborati, ut, Domino in cœlorum eunte sublimia, non solum nulla afficerentur tristitia, sed etiam magno gaudio replerentur. Et revera magna et ineffabilis erat causa gaudendi, cum in conspectu sanctæ multitudinis super omnium creaturarum cœlestium dignitatem humani generis natura conscenderet, supergressura Angelicos ordines, et ultra Archangelorum altitudines elevanda: nec ullis sublimitatibus modum suæ provectionis habitura, nisi æterni Patris recepta consessu, illius gloriæ sociaretur in throno, cujus naturæ copulabatur in Filio.

℟. Non turbetur cor vestrum: ego vado ad Patrem, et cum assumptus fuero a vobis, mittam vobis, alleluia, * Spiritum veritatis, et gaudebit cor vestrum, alleluia. ℣. Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis. Spiritum.

Lectio vj.

QUIA igitur Christi ascensio nostra provectio est, et quo præcessit gloria capitis, eo spes vocatur et corporis: dignis dilectissimi, exultemus gaudiis, et pia gratiarum actione lætemur. Hodie enim non solum paradisi possessores firmati sumus, sed etiam cœlorum in Christo superna penetravimus; ampliora adepti per ineffabilem Christi gratiam, quam per diaboli amiseramus invidiam. Nam quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate dejecit, eos sibi concorporatos Dei Filius ad dexteram Patris collocavit: cum quo vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

℟. Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem, * Dedit

Digitized by Google

dona hominibus, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tubæ. Dedit. Gloria. Dedit.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Nimis exaltatus es, alleluia, super omnes deos, alleluia.

Psalm. Dominus regnavit, *p.* 72.

Ant. Dominus in Sion, alleluia, magnus et excelsus, alleluia.

Psalm. Dominus regnavit, *p.* 75.

Ant. Dominus in cœlo, alleluia, paravit sedem suam, alleluia.

Psal. Benedic anima..et omnia, *p.* 77.

℣. Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, alleluia. ℟. Deum meum, et Deum vestrum, alleluia.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo tempore: Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus, et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiem cordis: quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Homilia 29. *in Evangelia.*

QUOD resurrectionem Dominicam discipuli tarde crediderunt, non tam illorum infirmitas, quam nostra, ut ita dicam, futura firmitas fuit. Ipsa namque resurrectio illis dubitantibus per multa argumenta monstrata est: quæ dum nos legentes agnoscimus, quid aliud quam de illorum dubitatione solidamur? Minus enim mihi Maria Magdalene præstitit, quæ citius credidit, quam Thomas, qui diu dubitando vulnerum cicatrices tetigit, et de nostro pectore dubitationis vulnus amputavit.

℟. Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, * Ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, alleluia. ℣. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Ut.

Lectio viij.

AD insinuandam quoque veritatem Dominicæ resurrectionis, notandum nobis est quid Lucas referat, dicens: Convescens præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent. Et post pauca, Videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Notate verba, signate mysteria. Convescens elevatus est. Comedit et ascendit: ut videlicet per effectum comestionis, veritas patesceret carnis. Marcus vero, priusquam cœlum Dominus ascendat, eum de cordis atque infidelitatis duritia increpasse discipulos memorat. Qua in re quid considerandum est, nisi quod idcirco Dominus tunc discipulos increpavit, cum eos corporaliter reliquit, ut verba, quæ recedens diceret, in corde audientium arctius impressa remanerent?

℟. Ponis nubem ascensum tuum, Domine, * Qui ambulas super pennas ventorum, alleluia. ℣. Confessionem et decorem induisti, amictus lumen sicut vestimentum. Qui. Gloria. Qui.

Lectio ix.

INCREPATA igitur eorum duritia, quid admonendo dicat, audiamus. Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Numquid, fratres mei, sanctum Evangelium vel insensatis rebus, vel brutis animalibus fuerat prædicandum, ut de eo discipulis dicatur, Prædicate omni creaturæ? Sed omnis creaturæ nomine signatur homo. Omnis autem creaturæ aliquid habet homo. Habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Si ergo commune habet aliquid cum omni creatura homo, juxta aliquid omnis creatura est homo. Omni ergo creaturæ prædicatur Evangelium, cum soli homni prædicatur.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

Digitized by Google

1. Viri Galilæi, quid aspicitis in cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, alleluia.

2. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, dixerunt, alleluia.

3. Elevatis manibus benedixit eis, et ferebatur in cœlum, alleluia.

4. Exaltate Regem regum, et hymnum dicite Deo, alleluia.

5. Videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum in cœlo, allel.

Capitulum. Act. I.

PRIMUM quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere, usque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum quos elegit, assumptus est.

HYMNUS.

SALUTIS humanæ Sator,
Jesu voluptas cordium,
Orbis redempti Conditor,
Et casta lux amantium:

Qua victus es clementia,
Ut nostra ferres crimina,
Mortem subires innocens,
A morte nos ut tolleres!

Perrumpis infernum chaos,
Vinctis catenas detrahis;
Victor triumpho nobili
Ad dexteram Patris sedes.

Te cogat indulgentia
Ut damna nostra sarcias,
Tuique vultus compotes
Dites beato lumine.

Tu dux ad astra et semita,
Sis meta nostris cordibus,
Sis lacrymarum gaudium,
Sis dulce vitæ præmium. Amen.

℣. Dominus in cœlo, allel. ℟. Paravit sedem suam, alleluia.

Ad Bened. Ant. Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum: Deum meum, et Deum vestrum, alleluia.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui hodierna die Unigenitum tuum Redemptorem nostrum ad cœlos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cœlestibus habitemus. Per eumdem Dominum.

Ad Primam.

℟. *br.* Christe, Fili Dei vivi, miserere nobis, * Alleluia, allel. Christe, Fili. ℣. Qui scandis super sidera. Alleluia, alleluia. Gloria. Christe, Fili. ℣. Exurge, Christe, adjuva nos. alleluia. ℟. Et libera nos propter nomen tuum, allel.

Sic dicitur quotidie usque ad Pentec.

Ad Tertiam.

Capit. Primum quidem.

℟. *br.* Ascendit Deus in jubilatione, * Alleluia, alleluia. Ascendit. ℣. Et Dominus in voce tubæ. Alleluia, alleluia. Gloria. Ascendit. ℣. Ascendens Christus in altum, alleluia. ℟. Captivam duxit captivitatem, allel.

Ad Sextam.

Capitulum. Act. I.

ET convescens præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum: quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.

℟. *br.* Ascendens Christus in altum, * Alleluia, alleluia. Ascendens ℣. Captivam duxit captivitatem. Alleluia, alleluia. Gloria. Ascendens. ℣. Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, alleluia. ℟. Deum meum, et Deum vestrum, alleluia.

Ad Nonam.

Capitulum. Act. I.

VIRI Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.

℟. *br.* Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, * Alleluia. alleluia. Ascendo. ℣. Deum meum, et Deum vestrum. Alleluia, alleluia. Gloria. Ascendo. ℣. Dominus in cœlo, allelnia. ℟. Paravit sedem suam, alleluia.

Digitized by Google

Hor. III. Vesperis.

Ant. Capit. et Hymn. de Laud. Psalmi de Dom., et loc. ult. Laudate Dominum omnes gentes.

℟. Dominus in cœlo, allel. ℣. Paravit sedem suam, alleluia.

Ad Magnif. Ant. O Rex gloriæ, Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes cœlos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos: sed mitte promissum Patris in nos Spiritum veritatis alleluia.

Infra Oct. Ascens. usque ad Pentes. quotidie fit Offic. de Ascens., nisi occurrat Festum ix. *Lect. De Festis vero* iij. *Lectio fit tantum comm. cum* ix. *Lectione de eis.*

FERIA SEXTA

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epistola secunda B. Petri Apostoli.

Lectio j. Cap. 1

SIMON Petrus, servus et Apostolus Jesu Christi, iis qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem in justitia Dei nostri et Salvatoris Jesu Christi. Gratia vobis et pax adimpleatur in cognitione Dei et Christi Jesu Domini nostri, quomodo omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam et pietatem donata sunt per cognitionem ejus qui vocavit nos propria gloria et virtute, per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, fugientes ejus quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.

Lectio ij.

VOS autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim si vobiscum adsint, et superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, et manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.

Lectio iij.

QUAPROPTER, fratres, magis, satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi. Propter quod incipiam vos semper commonere de his, et quidem scientes et confirmatos vos in præsenti veritate. Justum autem arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione: certus quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi. Dabo autem operam et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Leonis Papæ.

Serm. 2. De Ascensione Domini.

Lectio iv.

SACRAMENTUM, dilectissimi, salutis nostræ, quam pretio sanguinis sui universitatis Conditor æstimavit, a die corporalis ortus usque ad exitum passionis, per dispensationem humilitatis impletum est. Et licet multa, etiam in forma servi, divinitatis signa radiaverint, proprie tamen illius temporis actio ad demonstrandam suscepti hominis pertinuit veritatem. Post passionem vero, ruptis mortis vinculis, quæ vim suam in eum, qui peccati erat nescius, incedendo perdiderat, infirmitas in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia transivit in gloriam, quam Dominus Jesus Christus in multis manifestisque documentis multorum declaravit aspectibus, donec triumphum victoriæ, quem reportarat a mortuis, inferret et cœlis.

Digitized by Google

Lectio v.

SICUT ergo in solemnitate Paschali resurrectio Domini fuit nobis causa lætandi, ita Ascensio ejus in cœlos præsentium nobis est materia gaudiorum, recolentibus illum diem et rite venerantibus, quo naturæ nostræ humilitas in Christo super omnem cœli militiam, super omnes ordines Angelorum, et ultra omnium altitudinem potestatum, ad Dei Patris est provecta consessum. Quo ordine operum divinorum nos fundati, nos ædificati sumus: ut mirabilior fieret gratia Dei, cum, remotis a conspectu hominum quæ merito reverentiam sui sentiebantur indicere, fides non dificeret, spes non fluctuaret, charitas non teperet.

Lectio vj.

MAGNARUM hic vigor est mentium, et valde fidelium lumen est animarum, incunctanter credere quæ corporeo non videntur intuitu, et ibi figere desiderium quo nequeas inferre conspectum. Hæc autem pietas unde in nostris cordibus nasceretur, aut quomodo quisquam justificaretur per fidem, si in iis tantum salus nostra consisteret, quæ obtutibus subjacerent? Unde et illi viro, qui de resurrectione Christi videbatur ambigere, nisi in ipsius carne vestigia passionis et visu explorasset et tactu: Quia vidisti me, inquit Dominus, credidisti: beati qui non viderunt, et crediderunt.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo tempore: Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus, et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis: quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Papæ.

Ex eadem Homilia 29.

QUI crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Fortasse unusquisque apud semetipsum dicat: Ego jam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit: Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Hinc Joannes ait: Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est.

Lectio viij.

QUOD cum ita sit, fidei nostræ veritatem in vitæ nostræ consideratione debemus agnoscere. Tunc enim veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus complemus. In die quippe baptismatis omnibus nos antiqui hostis operibus, atque omnibus pompis abrenuntiare promisimus. Itaque unusquisque vestrum ad considerationem suam mentis oculos reducat; et si servat post baptismum quod ante baptismum spopondit, certus jam quia fidelis est, gaudeat.

Lectio ix.

SED ecce si quod promisit, minime servavit, si ad exercenda prava opera, ad concupiscendas mundi pompas dilapsus est; videamus si jam scit plangere quod erravit. Apud misericordem namque judicem nec ille fallax habetur, qui ad veritatem revertitur, etiam postquam mentitur, quia omnipotens Deus dum libenter nostram pœnitentiam suscipit, ipse suo judicio hoc quod erravimus, abscondit.

SABBATO.

IN I. NOCTURNO.

De Epistola secunda B. Petri Apostoli.

Lectio j. Cap. 3.

HANC ecce vobis, charissimi, secundam scribo Epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem, ut memores sitis eorum, quæ prædixi, verborum a san-

Digitized by Google

ctis Prophetis, et Apostolorum vestrorum, præceptorum Domini et Salvatoris. Hoc primum scientes quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes : Ubi est promissio, aut adventus ejus? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ. Latet enim eos hoc volentes, quod cœli erant prius, et terra de aqua et per aquam consistens Dei verbo; per quæ, ille tunc mundus aqua inundatus periit. Cœli autem qui nunc sunt et terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii, et perditionis impiorum hominum.

Lectio ij.

UNUM vero hoc non lateat vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant : sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur ; terra autem et quæ in ipsa sunt opera, exurentur. Cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, expectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent? Novos vero cœlos et novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat.

Lectio iij.

PROPTER quod, charissimi, hæc expectantes, satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace. Et Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini : sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Vos igitur, fratres, præscientes custodite, ne insipientium errore traducti, excidatis a propria firmitate. Crescite vero in gratia, et in cognitione Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi. Ipsi gloria et nunc et in diem æternitatis. Amen.

IN II. NOCTURNO.

De Sermone S. Leonis Papæ.

Ex Serm. 2. *de Ascens. Domini.*

Lectio iv.

QUOD itaque Redemptoris nostri conspicuum fuit, in sacramenta transivit : et ut fides excellentior esset ac firmior, visioni doctrina successit, cujus auctoritatem supernis illuminata radiis credentium corda sequerentur. Hanc fidem Ascensione Domini auctam, et Spiritus sancti munere roboratam, non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, nec exquisita persequentium crudelitatibus supplicia terruerunt. Pro hac fide per universum mundum non solum viri, sed etiam feminæ, nec tantum impubes pueri, sed etiam teneræ virgines usque ad effusionem sui sanguinis decertarunt. Hæc fides dæmonia ejecit, ægritudines depulit, mortuos suscitavit.

Lectio v.

UNDE et ipsi beati Apostoli, qui tot miraculis confirmati tot sermonibus eruditi, atrocitatem tamen Dominicæ Passionis expaverant, et veritatem resurrectionis ejus non sine hæsitatione susceperant, tantum de Ascensione Domini profecerunt, ut quidquid illis prius intulerat metum, verteretur in gaudium. Totam enim contemplationem animi in divinitatem ad Patris dexteram considentis erexerant : nec jam corporeæ visionis tardabantur objectu, quo minus in id aciem mentis intenderent, quod nec a Patre descendendo abfuerat, nec a

Digitized by Google

discipulis ascendendo discesserat. Tunc igitur, dilectissimi, filius hominis, Dei Filius excellentius sacratiusque innotuit, cum in paternæ majestatis gloriam se recepit, et ineffabili modo cœpit esse divinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior.

Lectio vj.

TUNC ad æqualem Patri Filium eruditior fides gressu mentis cœpit accedere, et contrectatione in Christo corporeæ substantiæ, quæ Patre minor est, non egere: quoniam glorificati corporis manente natura, eo fides credentium vocabatur, ubi non carnali manu, sed spiritali intellectu par Genitori Unigenitus tangeretur. Hinc illud est, quod post resurrectionem suam Dominus Mariæ Magdalenæ personam Ecclesiæ gerenti cum ad contactum ipsius properaret accedere, dicit: Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum: hoc est, Nolo ut ad me corporaliter venias, nec ut me sensu carnis aguoscas: ad sublimiora te differo, majora tibi præparo: cum ad Patrem ascendero, tunc me perfectius verinsque palpabis, apprehensura quod non taugis, et creditura quod non cernis.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio vij. Cap. 17.

IN illo tempore: Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus, et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis: quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Papæ.

Ex eadem Homilia 29.

SIGNA autem eos qui crediturî sunt, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, et bene habebunt. Numquidnam, fratres mei, quia ista signa non facitis, minime creditis? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Ut enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda: quia et nos, cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra jam coaluisse videamus; et si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. Hinc enim est quod Paulus dicit: Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus.

Lectio viij.

HABEMUS de his signis atque virtutibus, quæ adhuc subtilius considerare debeamus. Sancta quippe Ecclesia quotidie spiritaliter facit, quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat. Nam sacerdotes ejus cum per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, et habitare malignos spiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt, nisi dæmonia ejiciunt? Et fideles quique, qui jam vitæ veteris sæcularia verba derelinquunt, sancta autem mysteria insonant, Conditoris sui laudes et potentiam, quantum prevalent, narrant, quid aliud faciunt, nisi novis linguis loquuntur? Qui dum bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt.

Lectio ix.

ET dum pestiferas suasiones audiunt, sed tamen ad operationem pravam minime pertrahuntur, mortiferum quidem est quod bibunt, sed non eis nocebit. Qui quoties proximos suos in bono opere infirmari conspiciunt, dum eis tota virtute concurrunt, et exemplo suæ operationis illorum vitam roborant qui in propria actione titubant, quid aliud faciunt, nisi super ægros manus imponunt, ut bene habeant? Quæ nimirum miracula tanto majora sunt, quanto spiritalia: tanto majora sunt, quanto per hæc non corpora, sed animæ suscitantur.

Ad Vesperas.

Digitized by Google

Capitulum. I. Petri 4.

CHARISSIMI, Estote prudentes, et vigilate in orationibus. Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.

Hymn. Salutis humanæ, *p.* 392.

℣. Dominus in cœlo, allel. ℟. Paravit sedem suam, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, alleluia.

Oratio ut infra in Laudibus.

Pro comm. Ascens Ant. O Rex gloriæ, *p.* 393.

℣. Ascendit Deus in jubilatione, alleluia. ℟. Et Dominus in voce tubæ, alleluia.

Oratio Concede quæsumus, *ut supra*, p. 392.

DOM. INFR. OCT. ASCEN.

Totum Offic. fit de Ascens., exceptis his, quæ hic habentur propria.

Si Lect. I. Noct. lectæ sunt pridie, quando scilicet in Sabb. præced. occurrit Festum S. Joannis ante Portam Latinam, in Dom. legantur Lect. Feriæ ij. *seq.*

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epistola prima B. Joannis Apostoli.

Lectio j. Cap. 1.

QUOD fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ; et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis: quod vidimus, et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre et cum Filio ejus Jesu Christo. Et hæc scribimus vobis ut gaudeatis, et gaudium vestrum sit plenum. Et hæc est annuntiatio, quam audivimus ab eo, et annuntiamus vobis: Quoniam Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ.

Lectio ij.

SI dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur, et veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, sicut et ipse est in luce, societatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis.

Lectio iij. Cap. 2.

FILIOLI mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum: et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Et in hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. Qui dicit se nosse eum et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est. Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est: et in hoc scimus quoniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

Serm. 2. de Ascens. Domini.

Lectio iv.

SALVATOR noster, dilectissimi fratres, ascendit in cœlum: non ergo turbemur in terra. Ibi sit mens, et hic erit requies. Ascendamus cum Christo interim corde: cum dies ejus promissus advenerit, sequemur et corpore. Scire tamen debemus, fratres, quia cum Christo non ascendit

Digitized by Google

superbia, non avaritia, non luxuria: nullum vitium nostrum ascendit cum medico nostro. Et ideo si post medicum desideramus ascendere, debemus vitia et peccata deponere. Omnes enim quasi quibusdam compedibus nos premunt, et peccatorum nos retibus ligare contendunt, et ideo cum Dei adjutorio, secundum quod ait Psalmista, Dirumpamus vincula eorum, ut securi possimus dicere Domino: Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.

Lectio v.

RESURRECTIO Domini spes nostra est: Ascensio Domini glorificatio nostra est. Ascensionis hodie solemnia celebramus. Si ergo recte, si fideliter, si devote, si sancte, si pie Ascensionem Domini celebramus, ascendamus cum illo, et sursum corda habeamus. Ascendentes autem non extollamur, nec de nostris quasi de propriis meritis præsumamus. Sursum autem corda habere debemus ad Dominum. Sursum enim cor non ad Dominum, superbia vocatur: sursum autem cor ad Dominum, refugium vocatur. Videte, fratres, miraculum magnum. Altus est Deus; erigis te, et fugit a te: humilias te, et descendit ad te. Quare hoc? Quia excelsus est, et humilia respicit, et alta de longe cognoscit. Humilia de proximo respicit, ut attollat: alta, id est, superba, de longe cognoscit, ut deprimat.

Lectio vj.

RESURREXIT enim Christus, ut spem nobis daret, quia surgit homo qui moritur; ne moriendo desperaremus, et vitam nostram in morte finitam putaremus, securos nos fecit. Solliciti enim eramus de ipsa anima: et ille nobis resurgendo, de carnis resurrectione fiduciam dedit. Crede ergo, ut munderis. Prius te oportet credere, ut postea per fidem Deum merearis aspicere. Deum enim videre vis? Audi ipsum: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Prius ergo cogita de corde mundando; quidquid ibi vides, quod displicet Deo, tolle.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 15.

IN illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 92. *in Joannem.*

DOMINUS Jesus in sermone, quem locutus est discipulis suis post cœnam, proximus passioni, tanquam iturus, et relicturus eos præsentia corporali, cum omnibus autem suis usque in consummationem sæculi futurus præsentia spiritali, exhortatus est eos ad perferendas persecutiones impiorum, quos mundi nomine nuncupavit: ex quo tamen mundo etiam ipsos discipulos se elegisse dixit, ut scirent se Dei gratia esse, quod sunt; suis autem vitiis fuisse, quod fuerunt.

Lectio viij.

DEINDE persecutores, et suos et ipsorum, Judæos evidenter expressit, ut omnino appareret etiam ipsos mundi damnabili appellatione conclusos, qui persequuntur sanctos. Cumque de illis diceret, quod ignorarent eum a quo missus est, et tamen odissent et Filium et Patrem, hoc est, et eum qui missus est, et eum a quo missus est (de quibus omnibus in aliis sermonibus jam diseruimus) ad hoc pervenit, ubi ait: Ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est! Quia odio habuerunt me gratis.

℟. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos: * Cum autem venerit ille, docebit vos omnem veritatem, alleluia. ℣. Non enim loquetur a semetipso; sed quæcumque au-

Digitized by Google

diet, loquetur: et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Cum. Gloria. Cum.

Lectio IX.

DEINDE tanquam consequenter adjunxit, unde modo disputare suscepimus: Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Quid hoc pertinet ad illud quod dixerat: Nunc autem et viderunt, et oderunt et me et Patrem meum; sed ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis? An quia Paraclitus quando venit Spiritus veritatis, eos qui viderunt et oderunt testimonio manifestiore convicit? Imo vero etiam aliquos ex illis qui viderunt, et adhuc oderant, ad fidem, quæ per dilectionem operatur, sui manifestatione convertit.

Ad Laudes. Ant. Hymn. et ℣. *ut in die Festi*, p. 392.

Capitulum. 1. Petri 4.

CHARISSIMI, Estote prudentes, et vigilate in orationibus. Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.

Ad Bened. Ant. Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, alleluia.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, fac nos tibi semper et devotam gerere voluntatem, et majestati tuæ sincero corde servire. Per Dominum.

Pro Comm. Ascens. Ant. Ascendo, *p.* 392.

℣. Ascendit Deus in jubilatione, alleluia. ℟. Et Dominus in voce tubæ, alleluia.

Ad Horas Ant. et ℣℟. *br. ut in die Festi*, p. 392.

Ad Tertiam.

Capit. Charissimi, Estote.

Ad Sextam.

Capitulum. 1. Petri 4.

HOSPITALES invicem sine murmuratione. Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.

Ad Nonam.

Capitulum. 1. Petri 4.

SI quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum Dominum nostrum.

Ad Vesperas.

Omnia ut in II. Vesp. Festi, p. 393. *præter*

Capit. Charissimi Estote.

Ad Magnif. Ant. Hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis, alleluia.

Pro comm. Ascens. Ant. O Rex, p. 393. ℣. Ascendit, *ut supra.*

FERIA SECUNDA

post Dom. infra Oct. Ascens.

De Epistola prima B. Joannis Apostoli.

Lectio I. Cap. 3.

VIDETE qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus. Propter hoc mundus non novit nos, quia non novit eum. Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est. Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit; et peccatum est iniquitas. Et scitis quia ille apparuit ut peccata nostra tolleret, et peccatum in eo non est. Omnis qui in eo manet, non peccat; et omnis qui

Digitized by Google

peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.

Lectio ij.

FILIOLI, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est sicut et ille justus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli. Omnis qui non est justus, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum: quoniam hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem ejus justa.

Lectio iij.

NOLITE mirari, fratres, si odit vos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quia omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: et nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.

IN II. NOCTURNO.

Serm. S. Joannis Chrysostomi.

Serm. de Ascens. Domini, tom. 3.

Lectio iv.

CHRISTUS ascendens in cœlum, nostræ naturæ primitias obtulit Patri, et oblatum donum miratus est Pater, quod et tanta dignitas offerebat, et quod offerebatur, nulla macula fœdabatur. Nam et suis manibus suscepit oblatum, et suæ sedis fecit esse participem, et quod plus est, ad partem suæ dexteræ collocavit. Cognoscamus quis est ille qui audivit, Sede ad dexteram meam: quæ natura est cui Deus dixit, Esto meæ particeps sedis. Illa natura est quæ audivit: Terra es, et in terram ibis.

Lectio v.

NON enim ad omnem gloriam cœlos transisse suffecerat, non cum Angelis stare; sed cœlos transivit, supra Cherubim ascendit, ultra Seraphim elevatur, nec ante stetit, nisi sedem Dominicam meruisset. Vide quo spatio cœlum separatur a terra, imo terra quanto ab inferis abest, et ipsum cœlum quanto ab altiore cœlo separatur, et de altiore cœlo ad Angelos quantum spatii est, ad superiores etiam potestates, ad ipsam quoque Dominicam sedem. Super hæc omnia natura nostra elevata est, ut homo, qui loco tam humili tenebatur, ut descendere non posset ulteriùs, ad tam excelsam sedem elevaretur, ut altius non posset ascendere.

Lectio vj.

ET hæc ostendens Paulus dicebat: Qui descendit, ipse est qui ascendit, Et iterum: Descendit ad inferiora terræ, et ascendit super omnes cœlos. Discite igitur quisnam ascendit, et quæ natura elevata est. In hoc enim cupio remorari sermone, ut humani generis commemoratione, divinam clementiam cum omni admiratione discamus, quæ summum honorem magnamque gloriam nostræ naturæ largita est, quæ omnibus hodierna die meruit excelsior reperiri. Hodie Angeli atque Archangeli naturam nostram in sede Dominica immortali gloria fulgentem viderunt.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Digitized by Google

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo tempore : Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus, et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis : quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Papæ.

Ex eadem Homilia 29.

ET Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei. In veteri testamento cognovimus quod Elias sit raptus in cœlum. Sed aliud est cœlum aereum, aliud æthereum. Cœlum quippe aereum terræ est proximum : unde et aves cœli dicimus, quia eas volitare in aere videmus. In cœlum itaque aereum Elias sublevatus est, ut in secretam quamdam terræ regionem repente duceretur, ubi in magna jam carnis et spiritus quiete viveret, quousque ad finem mundi redeat, et mortis debitum solvat. Ille etenim mortem distulit, non evasit : Redemptor autem noster, quia non distulit, superavit, eamque resurgendo consumpsit, et resurrectionis suæ gloriam ascendendo declaravit.

Lectio viij.

NOTANDUM quoque est quod Elias in curru legitur ascendisse, ut videlicet aperte demonstraretur, quia homo purus adjutorio indigebat alieno. Per Angelos quippe facta illa et ostensa sunt adjumenta, quia nec in cœlum quidem aereum per se ascendere poterat, quem naturæ suæ infirmitas gravabat. Redemptor autem noster non curru, non Angelis sublevatus legitur, quia is qui fecerat omnia, nimirum super omnia sua virtute ferebatur. Illo etenim revertebatur, ubi erat : et inde redibat, ubi remanebat : quia cum per humanitatem ascenderet in cœlum, per divinitatem suam et terram pariter continebat et cœlum.

Lectio ix.

SICUT autem Joseph a fratribus venditus venditionem Redemptoris nostri figuravit, sic Enoch translatus, atque ad cœlum aereum Elias sublevatus, Ascensionem Dominicam uterque designavit. Ascensionis ergo suæ Dominus prænuntios et testes habuit, unum ante legem, alium sub lege : ut quandoque veniret ipse, qui veraciter cœlos penetrare potuisset. Unde et ipse ordo in eorum quoque utrorumque sublevatione per quædam incrementa distinguitur. Nam Enoch translatus, Elias vero ad cœlum subvectus esse memoratur : ut veniret postmodum qui nec translatus, nec subvectus, cœlum æthereum sua virtute penetraret.

FERIA TERTIA.

IN I. NOCTURNO.

De Epistola prima B. Joannis Apostoli.

Lectio j. *Cap.* 4.

CHARISSIMI, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint : quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus Dei: omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est : et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est antichristus, de quo audistis quoniam venit, et nunc jam in mundo est. Vos ex Deo estis, filioli, et vicistis eum, quoniam major est qui in vobis est, quam qui in mundo. Ipsi de mundo sunt : ideo de mundo loquuntur, et mundus eos audit. Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis, et spiritum erroris.

Lectio ij.

CHARISSIMI, diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo est. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui non di-

Digitized by Google

ligit, non novit Deum : quoniam Deus charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas : non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo vidit unquam. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est. In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Et nos vidimus, et testificamur, quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem mundi.

Lectio iij.

QUISQUIS confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo. Et nos cognovimus, et credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus charitas est ; et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii, quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere ? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Maximi Episcopi.

Homil. 43. quæ est 2. de Pentec.

Lectio iv.

MEMINIT sanctitas vestra quod aquilæ illi de Psalterio, cujus innovatam juventutem legimus, comparaverim Salvatorem. Est enim similitudo non parva. Sicut enim aquila humilia deserit, alta petit, cœlorum vicina conscendit ; ita et Salvator humilia inferni deseruit, paradisi altiora petiit, cœlorum fastigia penetravit. Et sicut aquila, relictis terrenis sordibus, sublime volans, purioris aeris salubritate perfruitur ; ita et Dominus terrenorum fœcem deserens peccatorum, in sanctis suis volitans, purioris vitæ simplicitate lætatur.

Lectio v.

PER omnia igitur aquilæ comparatio convenit Salvatori. Sed quid facimus, quod aquila prædam frequenter diripit, tollit frequenter alienum ? Nec in hoc tamen dissimilis est Salvator. Prædam enim quodammodo sustulit, cum hominem quem suscepit, inferni raptum faucibus portavit ad cœlum, et alienæ dominationis, id est, diabolicæ potestatis servum de captivitate erutum duxit ad altiora captivum, sicut scriptum est in Propheta, Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.

Lectio vj.

ASCENDIT, inquit, in altum, captivam duxit captivitatem. Quam bene triumphum Domini Propheta describit ! Solebat, sicut dicunt, regum triumphantium currus captivorum pompa præcedere. Ecce Dominum euntem ad cœlos non præcedit, sed comitatur gloriosa captivitas : non ante vehiculum ducitur, sed ipsa evehit Salvatorem. Quodam enim mysterio, dum Filius Dei filium hominis sustulit ad cœlum, ipsa captivitas portatur, et portat.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio vij. ¦Cap. 16.

IN illo tempore : Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus, et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis : quia iis,

Digitized by Google

qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Ex eadem Homil. 29.

CONSIDERANDUM vero nobis est, quid est quod Marcus ait, Sedet a dextris Dei; et Stephanus dicit, Video cœlos apertos, et filium hominis stantem a dextris Dei. Quid est quod hunc Marcus sedentem, Stephanus vero stantem se videre testatur? Sed scitis, fratres, quia sedere judicantis est, stare vero pugnantis, vel adjuvantis.

Lectio viij.

QUIA ergo Redemptor noster assumptus in cœlum, et nunc omnia judicat, et ad extremum judex omnium veniet; hunc post assumptionem Marcus sedere describit, quia post Ascensionis suæ gloriam judex in fine videbitur. Stephanus vero hunc in labore certaminis positus stantem vidit, quem adjutorem habuit: quia ut iste in terra persecutorum infidelitatem vinceret, pro illo de cœlo illius gratia pugnavit.

Lectio ix.

SEQUITUR, Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. Quid in his considerandum est, quid memoriæ commendandum, nisi quod præceptum obedientiæ, obedientiam vero signa secuta sunt? Sed quia auctore Deo breviter lectionem Evangelicam exponendo transcurrimus, restat ut aliquid de ipsa tantæ solemnitatis consideratione dicamus.

FERIA QUARTA.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epistola secunda B. Joannis Apostoli.

Lectio j.

SENIOR Electæ Dominæ, et natis ejus, quos ego diligo in veritate, et non ego solus, sed et omnes qui cognoverunt veritatem, propter veritatem quæ permanet in nobis, et nobiscum erit in æternum. Sit vobiscum gratia, misericordia, pax a Deo Patre, et a Christo Jesu Filio Patris in veritate et charitate. Gavisus sum valde, quoniam inveni de filiis tuis ambulantes in veritate, sicut mandatum accepimus a Patre. Et nunc rogo te, Domina, non tanquam mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum.

Lectio ij.

ET hæc est charitas, ut ambulemus secundum mandata ejus. Hoc est enim mandatum, ut quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis: quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem: hic est seductor et antichristus. Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis. Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic et Patrem et Filium habet.

Lectio iij.

SI quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis. Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum: spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui, ut gaudium vestrum plenum sit. Salutant te filii sororis tuæ Electæ.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Gregorii Nysseni.

Orat. de Ascens. Domini.

Lectio iv.

HODIERNAM celebritatem satis per se magnam Propheta David majorem efficit, dum illi gaudium e psalmis adjungit. Hic enim excelsus Propheta supra seipsum egrediens, tanquam corporis onere nihil prema-

Digitized by Google

tur, infert se cœlestibus potestatibus, et voces earum nobis exponit, cum in cœlum redeuntem Dominum ipsæ comitantes, Angelis qui versantur in terris, quibusque in humanam viam ingressus commissus est, imperant ad hunc modum : Tollite portas, principes, vestras et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ.

Lectio v.

ET quoniam ubicumque fuerit ille, qui in se ipso omnia continet, pro suscipientium captu seipsum dimetitur (neque enim solum inter homines homo fit, verum etiam dum inter Angelos versatur, ad illorum vocem sese demittit) idcirco janitores interrogant : Quis est iste Rex gloriæ? Respondent ipsis, demonstrantque fortem et potentem in prælio, qui pugnaturus erat contra illum qui naturam humanam in servitute captivam detinebat, et eversurus eum qui mortis habebat imperium ; ut gravissimo hoste superato, genus hominum in libertatem et pacem vindicaret.

Lectio vj.

OCCURRUNT ei custodes, et portas jubent recludi, ut in ipsis rursum gloriam assequatur. Verum non agnoscunt eum, qui sordidam vitæ nostræ stolam indutus est : cujus rubra sunt vestimenta ex humanorum malorum torculari. Itaque rursus comites ejus vocibus illis interrogantur: Quis est iste Rex gloriæ? Respondetur autem non amplius, Fortis et potens in prælio ; sed, Dominus virtutum, qui mundi principatum obtinuit, qui summatim omnia in se collegit, qui pristinum in statum cuncta restituit, ipse est Rex gloriæ.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo tempore : Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus, et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis : quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Papæ.

Ex eadem Homil. 29.

HOC autem nobis primum quærendum est quidnam sit, quod, nato Domino, apparuerunt Angeli, et tamen non leguntur in albis vestibus apparuisse : ascendente autem Domino, missi Angeli in albis leguntur vestibus apparuisse. Sic etenim scriptum est : Videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri steterunt juxta illos in vestibus albis. In albis autem vestibus gaudium et solemnitas mentis ostenditur. Quid est ergo quod, nato Domino, non in albis vestibus, ascendente autem Domino, in albis vestibus Angeli apparent, nisi quod tunc magna solemnitas Angelis facta est, cum cœlum Deus homo penetravit? Quia, nascente Domino, videbatur divinitas humiliata, ascendente vero Domino, est humanitas exaltata. Albæ etenim vestes exaltationi magis congruunt, quam humiliationi.

Lectio viij.

IN Ascensione ergo ejus Angeli in albis vestibus videri debuerunt : quia qui in nativitate sua apparuit Deus humilis, in Ascensione sua ostensus est homo sublimis. Sed hoc nobis magnopere, fratres charissimi, in hac solemnitate pensandum est, quia deletum est hodierna die chirographum damnationis nostræ, mutata est sententia corruptionis nostræ. Illa enim natura cui dictum est, Terra es, et in terram ibis, hodie in cœlum ivit. Pro hac ipsa namque carnis nostræ sublevatione, per figuram beatus Job Dominum avem vocat. Quia enim Ascensionis ejus mysterium Judæam non intelligere conspexit, de infidelitate ejus per figuram beatus Job sententiam protulit, dicens : Semitam ignoravit avis.

Digitized by Google

Lectio ix.

AVIS enim recte appellatus est Dominus, quia corpus carneum ad æthera libravit. Cujus avis semitam ignoravit quisquis eum ad cœlum ascendisse non credidit. De hac solemnitate per Psalmistam dicitur : Elevata est magnificentia tua super cœlos. De hac rursus ait : Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tubæ. De hac iterum dicit : Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Ascendens quippe in altum, captivam duxit captivitatem, quia corruptionem nostram virtute suæ incorruptionis absorbuit. Dedit vero dona hominibus, quia misso desuper Spiritu, alii sermonem sapientiæ, alii sermonem scientiæ, alii gratiam virtutum, alii gratiam curationum, alii genera linguarum, alii interpretationem tribuit sermonum

Ad Vesp. omnia ut in I. Vesp. Festi, p. 388. *Duplex.*

IN OCTAVA ASCENSIONIS.

IN I. NOCTURNO.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Ephesios.

Lectio j. Cap. 4.

OBSECRO itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit : Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.

Lectio ij.

QUOD autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi : donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.

Lectio iij.

VERITATEM autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus : ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem junctu[r]am submi[n]istrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. Hoc igitur dico, et testificor in Domino, ut jam non ambuletis sicut et Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum ; qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam. Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, et in ipso edocti estis.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 3. *de Ascens.* 176. *de Temp.*

Lectio iv.

OMNIA, charissimi, quæ Dominus Jesus Christus in hoc mundo sub fragilitate nostra miracula edidit, nobis proficiunt ; qui dum humanam conditionem sideribus importavit ; credentibus cœlum patere posse monstravit : et dum victorem mortis

Digitized by Google

in cœlestia elevavit, victoribus quo sequantur, ostendit. Ascensio ergo Domini catholicæ fidei confirmatio fuit, ut securi in posterum crederemus miraculi illius donum, cujus jam in præsenti percepissemus effectum; et fidelis quisque cum jam tanta perceperit, per ea quæ cognoscit præstita, discat sperare promissa, ac Dei sui præteritam præsentemque bonitatem quasi futurorum teneat cautionem.

Lectio v.

SUPER excelsa ergo cœli terrenum corpus imponitur: ossa intra sepulchri angustias paulo ante conclusa, Angelorum cœtibus inferuntur: in gremium immortalitatis mortalis natura transfunditur; et ideo sacra Apostolicæ lectionis testatur historia: Cum hæc dixisset, inquit, videntibus illis elevatus est. Dum audis elevatum, agnosce militiæ cœlestis obsequium: unde hodierna festivitas hominis nobis et Dei sacramenta manifestavit. Sub una eademque persona, in eo qui elevat, divinam potentiam; in eo autem qui elevatur, humanam cognosce substantiam.

Lectio vj.

IDEOQUE omnimodis detestanda sunt venena Orientalis erroris, qui impia novitate præsumit asserere Filium Dei ac filium hominis unius esse naturæ. In alterutra enim parte, vel qui solum hominem fuisse dixerit, negabit Conditoris gloriam, vel qui solum Deum, negabit misericordiam Redemptoris. Quo in genere non facile Arianus Evangelicam poterit habere veritatem, ubi Filium Dei nunc æqualem legimus, nunc minorem. Qui enim unius naturæ Salvatorem nostrum mortifera persuasione crediderit, solum hominem, aut solum Deum cogetur dicere crucifixum. Sed non ita est. Mortem enim nec solus Deus sentire, nec solus homo superare potuisset.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo tempore: Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus, et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis: quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Ex eadem Homilia. 29.

DE hac Ascensionis ejus gloria etiam Habacuc ait: Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo. Quis enim solis nomine, nisi Ecclesia designatur? Quousque enim Dominus ascendit ad cœlos, sancta ejus Ecclesia adversa mundi omnimodo formidavit: at postquam ejus Ascensione roborata est, aperte prædicavit, quod occulte credidit. Elevatus est ergo sol, et luna stetit in ordine suo: quia cum Dominus cœlum petiit, sancta ejus Ecclesia in auctoritate prædicationis excrevit.

Lectio viij.

HINC ejusdem Ecclesiæ voce per Salomonem dicitur: Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Consideravit namque tantorum operum culmina, et ait: Ecce iste venit saliens in montibus. Veniendo quippe ad redemptionem nostram, quosdam, ut ita dicam, saltus dedit. Vultis, fratres charissimi, ipsos ejus saltus agnoscere? De cœlo venit in uterum, de utero venit in præsepe, de præsepe venit in crucem, de cruce venit in sepulchrum, de sepulchro rediit in cœlum. Ecce ut nos post se currere faceret, quosdam pro nobis saltus manifestata per carnem Veritas dedit, quia exultavit ut gigas ad currendam viam suam, ut nos ei diceremus ex corde: Trahe nos post te; curremus in odorem unguentorum tuorum.

Lectio ix.

UNDE, fratres charissimi, oportet ut illuc sequamur corde, ubi

Digitized by Google

cum corpore ascendisse credimus. Desideria terrena fugiamus : nihil nos jam delectet in infimis, qui Patrem habemus in cœlis. Et hoc nobis est magnopere perpendendum, quia is qui placidus ascendit, terribilis redibit ; et quidquid nobis cum mansuetudine præcepit, hoc a nobis cum districtione exiget. Nemo ergo indulta pœnitentiæ tempora parvipendat, nemo curam sui, dum valet, agere negligat : quia Redemptor noster tanto tunc in judicium districtior veniet, quanto nobis ante judicium magnam patientiam prærogavit.

In II. Vesp. non fit comm. Officii seq. diei.

Duobus seq. diebus Offic. fit sicut infra Oct. Ascens., exceptis Lect. quæ habentur proprie, et ℟. viij. *Capit. Ant. ad* Benedictus *et* Magnificat, *et Oratione quæ dicuntur de Dom. infra Oct. Ascens. ut supra,* p. 399. *Et non dicuntur Preces ad Primam et Completorium.*

Si vero Feria vi. *occurrat Festum* ix. *Lect., fit de Festo cum comm. Officii ejusdem diei, nisi illud Festum fuerit ex solemnioribus.*

FERIA SEXTA
post Octavam Ascensionis.

IN II. NOCTURNO.

Incipit Epistola tertia B. Joannis Apostoli.

Lectio j.

SENIOR Gaio charissimo, quem ego diligo in veritate. Charissime, de omnibus orationem facio prospere te ingredi, et valere, sicut prospere agit anima tua. Gavisus sum valde venientibus fratribus, et testimonium perhibentibus veritati tuæ, sicut tu in veritate ambulas. Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.

Lectio ij.

CHARISSIME, fideliter facis quidquid operaris in fratres, et hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu Ecclesiæ : quos benefaciens deduces digne Deo. Pro nomine enim ejus profecti sunt, nihil accipientes a Gentibus. Nos ergo debemus suscipere hujusmodi, ut cooperatores simus veritatis. Scripsissem forsitan Ecclesiæ : sed is qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos. Propter hoc, si venero, commonebo ejus opera quæ facit, verbis malignis garriens in nos : et quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres, et eos qui suscipiunt, prohibet, et de Ecclesia ejicit.

Lectio iij.

CHARISSIME, noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui benefacit, ex Deo est : qui malefacit, non vidit Deum. Demetrio testimonium redditur ab omnibus, et ab ipsa veritate ; sed et nos testimonium perhibemus, et nosti quoniam testimonium nostrum verum est. Multa habui tibi scribere : sed nolui per atramentum et calamum scribere tibi. Spero autem protinus te videre, et os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.

IN II. NOCTURNO.

De Sermone S. Augustini Episcopi.

Ex eodem Serm. 176 in fine.

Lectio iv.

SALVATOR noster, charissimi, si non in nostra carne diabolum triumphavit, se exercuit, non nobis vicit. Si non in nostro corpore resurrexit, conditioni nostræ resurgendo nihil contulit. Hæc qui dicit, susceptæ et assumptæ carnis non intelligit rationem, confundit ordinem, evacuat utilitatem. Si non in nostra carne peregit medicinam solam ergo ex homine nascendi elegit injuriam. Recedat a sensibus nostris tam periculosa persuasio. De nostro est quod appendit, de suo est quod donavit. Meum testor esse quod cecidit, ut meum sit quod resurrexit. Meum testor esse quod jacuit intra tumulum, ut meum sit quod ascendit in cœlum.

Digitized by Google

Lectio v.

IN illo itaque nostri generis corpore dos Christi mors vivificavit, nos resurrectio erexit, nos Ascensio consecravit. In illo nostræ originis corpore cœlestibus regnis arrham nostræ conditionis imposuit. Elaboremus ergo, charissimi, ut quemadmodum Dominus in hac die nostro cum corpore ad superna conscendit, ita nos post illum, quo modo possumus, spe ascendamus, et corde sequamur. Ipso affectu pariter et profectu ascendamus post illum, etiam per vitia ac passiones nostras. Si utique unusquisque nostrum subdere eas sibi studeat, ac super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradum construit, quo possit ad superiora conscendere. Elevabunt nos, si fuerint infra nos.

Lectio vj.

DE vitiis nostris scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus. Nam cum bonitatis auctore non ascendit malitia, nec cum filio Virginis libido atque luxuria. Non, inquam, ascendunt vitia post virtutum parentem, nec peccata post justum, nec infirmitates ac morbi possunt ire post medicum. Igitur si intrare ipsius medici regnum volumus, prius vulnera nostra curemus. Ordinemus et custodiamus in nobis statum utriusque substantiæ, ne animam, nobiliorem utique hominis portionem, tartaro pars devolvat inferior; sed secum potius cœlo sanctificatum corpus acquirat natura gloriosior, ipso adjuvante, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 92. *in Joannem.*

VENIT die Pentecostes Spiritus sanctus in centum viginti homines congregatos, in quibus et Apostoli omnes erant: qui illo adimpleti, cum linguis omnium gentium loquerentur, plures ex iis qui aderant, tanto miraculo stupefacti (quandoquidem viderunt, loquente Petro, tam magnum atque divinum testimonium perhiberi de Christo, ut ille qui occisus ab eis inter mortuos deputabatur, resurrexisse et vivere probaretur) compuncti corde conversi sunt; et tanti sanguinis tam impie atque immaniter fusi indulgentiam perceperunt, ipso redempti sanguine quem fuderunt.

Lectio viij.

CHRISTI enim sanguis sic in remissionem peccatorum omnium fusus est, ut ipsum etiam peccatum posset delere, quo fusus est. Hoc ergo intuens Dominus dicebat: Odio habuerunt me gratis; cum autem venerit Paraclitus, ille testimonium perhibebit de me. Tanquam diceret, Odio me habuerunt, et occiderunt videntes; sed tale de me Paraclitus testimonium perhibebit, ut eos faciat in me credere non videntes. Et vos, inquit, testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Perhibebit Spiritus sanctus, perhibebitis et vos. Quia enim ab initio mecum estis, potestis prædicare quod nostis: quod ut modo non faciatis, illius Spiritus plenitudo nondum adest vobis.

℣. Si enim non abiero, *p.* 498.

Lectio ix.

ILLE ergo testimonium perhibebit de me, et vos testimonium perhibebitis: dabit enim vobis fiduciam testimonium perhibendi charitas Dei diffusa in cordibus vestris per Spiritum sanctum, qui dabitur vobis. Quæ utique Petro adhuc defuit, quando mulieris ancillæ interrogatione perterritus, non potuit verum testimonium perhibere, sed contra suam pollicita-

Digitized by Google

tionem timore magno compulsus est ter negare. Timor autem iste non est in charitate : sed perfecta charitas foras mittit timorem. Denique ante passionem Domini, servilis timor ejus interrogatus est a femina servitutis ; post resurrectionem vero Domini, liberalis ejus amor ab ipso principe libertatis : et ideo ibi turbabatur, hic tranquillabatur : ibi quem dilexerat, negabat : hic quem negaverat, diligebat. Sed adhuc etiam tunc amor ipse infirmus fuerat et angustus, donec eum roboraret et dilataret Spiritus sanctus.

SABBATO.

IN VIGILIA PENTECOSTES.

Ab hac die usque ad Festum Trinitatis inclusive, si occurrat Festum ix. *Lect., transferetur post prædictum Festum Trinitatis.*

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epistola catholica B. Judæ Apostoli.

Lectio i.

JUDAS Jesu Christi servus, frater autem Jacobi, his qui sunt in Deo Patre dilectis, et Christo Jesu conservatis et vocatis. Misericordia vobis, et pax, et charitas adimpleatur. Charissimi, omnem sollicitudinem faciens scribendi vobis de comuni vestra salute, necesse habui scribere vobis : deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei. Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc judicium (impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum dominatorem et Dominum nostrum Jesum Christum negantes.

Lectio ij.

COMMONERE autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Jesus populum de terra Ægypti salvans, secundo eos, qui non crediderunt, perdidit : angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit. Sicut Sodoma, et Gomorrha, et finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, et abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes. Similiter et hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant.

Lectio iij.

CUM Michael Archangelus cum diabolo disputans altecaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit : imperet tibi Dominus. Hi autem, quæcumque quidem ignorant, blasphemant : quæcumque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur. Væ illis, qui in via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt. Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua quæ a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum.

IN II. NOCTURNO.

Ex Trasctatu S. Augustini Episcopi de Symbolo ad Catechumenos.

lib. 4. cap. 1. *tom.* 9.

Lectio iv.

CUM per sacratissimum crucis signum vos suscepit in utero sancta mater Ecclesia, quæ sicut et fratres vestros, cum summa lætitia spiritaliter pariet, nova proles futura tantæ matris, quousque per lavacrum sanctum regeneratos veræ luci restituat, congruis alimentis eos quos portat, pascat in utero, et ad diem partus sui lætos læta perducat : quoniam non tenetur hæc sententia Hevæ, quæ in tristitia et gemitu parit filios, nec ipsos gaudentes, sed po-

Digitized by Google

tius flentes. Hæc enim solvit quod illa ligaverat ; ut prolem, quam per inobedientiam sui morti donavit, hæc per obedientiam restituat vitæ. Omnia sacramenta quæ acta sunt et aguntur in vobis per ministerium servorum Dei, exorcismis, orationibus, canticis spiritalibus, insufflationibus, cilicio, inclinatione cervicum, humilitate pedum, pavor ipse omni securitate appetendus, hæc omnia, ut dixi, escæ sunt, quæ vos reficiunt in utero, ut renatos ex baptismo hilares vos mater exhibeat Christo.

Lectio v.

ACCEPISTIS et Symbolum, protectionem parturientis contra venena serpentis. In Apocalypsi Joannis Apostoli scriptum est hoc, quod staret draco in conspectu mulieris, quæ paritura erat, ut cum peperisset, natum ejus comederet. Draconem diabolum esse nullus vestrum ignorat : mulierem illam, virginem Mariam significasse, quæ caput nostrum integra integrum peperit, quæ etiam ipsa figuram in se sanctæ Ecclesiæ demonstravit ; ut quo modo filium pariens, virgo permansit, ita et hæc omni tempore membra ejus pariat, et virginitatem non amittat. Ipsas sententias sacratissimi Symboli, adjuvante Domino, exponendas suscepimus, ut quid singulæ contineant vestris sensibus intimemus. Parata sunt corda vestra, quia exclusus est inimicus de cordibus vestris.

Lectio vj.

HUIC vos renuntiare professi estis, in qua professione non hominibus, sed Deo et Angelis ejus conscribentibus dixistis, Renuntio. Renuntiate non solum vocibus, sed etiam moribus ; non tantum sono linguæ, sed et actu vitæ nec tantum labiis sonantibus, sed operibus pronuntiantibus. Scitote vos cum callido, antiquo, et veterroso inimico suscepisse certamen : non in vobis post renuntiationem inveniat opera sua, non jure vos attrahat in servitutem suam. Deprehenderis enim et detegeris, Christiane, quando aliud agis, et aliud profiteris : fidelis in nomine, aliud demonstrans in opere, non tenes promissionis tuæ fidem : modo ingrediens Ecclesiam orationes fundere, post modicum in spectaculis cum histrionibus impudice clamare. Quid tibi cum pompis diaboli, quibus renuntiasti ?

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 54.

IN illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Si diligitis me, mandata mea servate. Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 74 *in Joan. et* 75.

QUOD ait, Rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ostendit et seipsum esse Paraclitum. Paraclitus enim latine dicitur advocatus, et dictum est de Christo : Advocatum habemus ad Patrem, Jesum Christum justum. Sic autem mundum dixit non posse accipere Spiritum sanctum, sicut etiam dictum est : Prudentia carnis inimica est Deo ; legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest : velut si dicamus : Injustitia justitia esse non potest. Mundum quippe ait hoc loco, mundi significans dilectores : quæ dilectio non est a Patre. Et ideo dilectioni hujus mundi, de qua satagimus ut minuatur et consumatur in nobis, contraria est dilectio Dei, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Lectio viij.

MUNDUS ergo eum accipere non potest, quia non videt eum, neque scit eum : non enim habet invisibiles oculos mundana dilectio, per quos videri Spiritus sanctus potest, qui videri nisi invisibiliter non potest. Vos autem, inquit, cognoscetis eum,

Digitized by Google

quia apud vos manebit, et in vobis erit. Erit in eis, ut maneat; non manebit, ut sit: prius est enim esse alicubi quam manere. Sed ne putarent quod dictum est, Apud vos manebit; ita dictum, quemadmodum apud hominem hospes visibiliter manere consuevit, exposuit quid dixerit, Apud vos manebit, cum adjunxit, et dixit: In vobis erit.

℣. Si enim non abiero, *p.* 387.

Lectio ix.

ERGO invisibiliter videtur. Nec, si non sit in nobis, potest esse in nobis ejus scientia: sic enim a nobis videtur in nobis et nostra conscientia. Nam faciem videmus alterius, nostram videre non possumus: conscientiam vero nostram videmus, alterius non videmus. Sed conscientia nunquam est nisi in nobis: Spiritus autem sanctus potest esse etiam sine nobis. Datur quippe ut sit et in nobis: sed videri et sciri, quemadmodum videndus et sciendus est, non potest a nobis, si non sit in nobis. Post promissionem Spiritus sancti, ne quisquam putaret, quod ita eum Dominus daturus fuerit velut pro seipso, ut non et ipse cum eis esset futurus, adjecit atque ait: Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Quamvis ergo nos Filius Dei suo Patri adoptaverit filios, et eumdem Patrem nos voluerit habere per gratiam, qui ejus Pater est per naturam: tamen etiam ipse circa nos paternum affectum quodammodo demonstrat, cum dicit: Non relinquam vos orphanos.

IN FESTO PENTECOSTES.

Ad I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud., Psalmi de Dom. loc. ult. Laudate Dominum omnes gentes.

HYMNUS.

VENI, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.
Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.
Tu septiformis munere,
Digitus Paternæ dexteræ,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Ductore sic te prævio
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sæculorum sæcula. Amen.

Sic terminantur Hymni usque ad Vesperas Sabbati sequentis.

℣. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, alleluia. ℟. Et cœperunt loqui, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Non vos relinquam orphanos, alleluia: vado et venio ad vos, alleluia: et gaudebit cor vestrum, alleluia.

Oratio.

DEUS, qui hodierna die corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spi-

Digitized by Google

ritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum... in unitate ejusdem Spiritus sancti.

DOMINICA

PENTECOSTES.

Ad Matutinum.

Invit. Alleluia, Spiritus Domini replevit orbem terrarum: * Venite adoremus, alleluia.

HYMNUS.

JAM Christus astra ascenderat,
Reversus unde venerat,
Patris fruendum munere
Sanctum daturus Spiritum.

Solemnis urgebat dies,
Quo mystico septemplici
Orbis volutus septies
Signat beata tempora.

Cum lucis hora tertia
Repente mundus intonat,
Apostolis orantibus
Deum venire nuntiat.

De Patris ergo lumine
Decorus ignis almus est,
Qui fida Christi pectora
Calore Verbi compleat.

Impleta gaudent viscera,
Afflata sancto Spiritu,
Vocesque diversas sonant,
Fantur Dei magnalia.

Notique cunctis gentibus,
Græcis, Latinis, Barbaris,
Simulque demirantibus,
Linguis loquuntur omnium.

Iudæa tunc incredula,
Vesana torvo spiritu,
Madere musto sobrios
Christi fideles increpat.

Sed editis miraculis
Occurrit, et docet Petrus,
Falsum profari perfidos,
Joele teste comprobans.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

AD NOCTURNUM.

Ant. Factus est repente de cœlo sonus advenientis spiritus vehementis, alleluia, alleluia.

Psalmus 47.

MAGNUS Dominus, et laudabilis nimis, * in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, * latera Aquilonis, civitas Regis magni.

Deus in domibus ejus cognoscetur, * cum suscipiet eam.

Quoniam ecce reges terræ congregati sunt: * convenerunt in unum.

Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: * tremor apprehendit eos.

Ibi dolores ut parturientis: * in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri: * Deus fundavit eam in æternum.

Suscepimus, Deus, misericordiam tuam, * in medio templi tui.

Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ: * justitia plena est dextera tua.

Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Judæ, * propter judicia tua, Domine.

Circumdate Sion, et complectimini eam: * narrate in turribus ejus.

Ponite corda vestra in virtute ejus: * et distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.

Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi: * ipse reget nos in sæcula.

Ant. Factus est repente de cœlo sonus advenientis spiritus vehementis, alleluia, alleluia.

Ant. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis: a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem, alleluia, alleluia.

Psalmus 67.

EXURGAT Deus, et dissipentur inimici ejus: * et fugiant qui oderunt eum, a facie ejus.

Sicut deficit fumus, deficiant: *

Digitized by Google

sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.

Et justi epulentur, et exultent in conspectu Dei: * et delectentur in lætitia.

Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus: * iter facite ei qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi.

Exultate in conspectu ejus: * turbabuntur a facie ejus, patris orphanorum, et judicis viduarum.

Deus in loco sancto suo: * Deus qui inhabitare facit unius moris in domo:

Qui educit vinctos in fortitudine,* similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris.

Deus, cum egredereris in conspectu populi tui, * cum pertransires in deserto,

Terra mota est; etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai,* a facie Dei Israel.

Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ, et infirmata est: * tu vero perfecisti eam.

Animalia tua habitabunt in ea: * parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.

Dominus dabit verbum evangelizantibus, * virtute multa.

Rex virtutum, dilecti, dilecti: * et speciei domus dividere spolia.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, * et posteriora dorsi ejus in pallore auri.

Dum discernit cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon: * mons Dei mons pinguis

Mons coagulatus, mons pinguis: * ut quid suspicamini montes coagulatos?

Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: * etenim Dominus habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: * Dominus in eis in Sina in sancto.

Ascendisti in altum, cepisti captivitatem: * accepisti dona in hominibus.

Etenim non credentes, * inhabitare Dominum Deum.

Benedictus Dominus die quotidie:* prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

Deus noster; Deus salvos faciendi: * et Domini Domini exitus mortis.

Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum: * verticem capilli perambulantium in delictis suis.

Dixit Dominus: Ex Basan convertam: * convertam in profundum maris.

Ut intingatur pes tuus in sanguine: * lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipso.

Viderunt ingressus tuos, Deus: * ingressus Dei mei, Regis mei, qui est in sancto.

Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, * in medio juvenculatum tympanistriarum.

In ecclesiis benedicite Deo Domino, * de fontibus Israel.

Ibi Benjamin adolescentulus, * in mentis excessu.

Principes Juda, duces eorum: * principes Zabulon, principes Nephthali.

Manda, Deus, virtuti tuæ: * confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Jerusalem, * tibi offerent reges munera.

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: * ut excludant eos qui probati sunt argento.

Dissipa gentes, quæ bella volunt: venient legati ex Ægypto: * Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantate Deo: * psallite Domino.

Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli, * ad Orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel, * magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus.

Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ: * benedictus Deus.

Ant. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis: a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem, alleluia, alleluia.

Digitized by Google

Ant. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur : et renovabis faciem terræ, alleluia, alleluia.

Psalmus 103.

BENEDIC, anima mea, Domino : * Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.

Confessionem et decorem induisti, * amictus lumine sicut vestimento.

Extendens cœlum sicut pellem : * qui tegis aquis superiora ejus.

Qui ponis nubem ascensum tuum: * qui ambulas super pennas ventorum.

Qui facis angelos tuos, spiritus: * et ministros tuos, ignem urentem

Qui fundasti terram super stabilitatem suam : * non inclinabitur in sæculum sæculi.

Abyssus, sicut vestimentum, amictus ejus : * super montes stabunt aquæ.

Ab increpatione tua fugient : * a voce tonitrui tui formidabunt.

Ascendunt montes, et descendunt campi, * in locum quem fundasti eis.

Terminum posuisti,quem non transgredientur : * neque convertentur operire terram.

Qui emittis fontes in convallibus:* inter medium montium pertransibunt aquæ.

Potabunt omnes bestiæ agri: * expectabunt onagri in siti sua.

Super ea volucres cœli habitabunt:* de medio petrarum dabunt voces.

Rigans montes de superioribus suis : * de fructu operum tuorum satiabitur terra :

Producens fœnum jumentis, * et herbam servituti hominum :

Ut educas panem de terra, * et vinum lætificet cor hominis :

Ut exhilaret faciem in oleo, * et panis cor hominis confirmet.

Saturabuntur ligna campi, et cedri Libani, quas plantavit : * illic passeres nidificabunt.

Herodii domus dux est eorum : * montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis.

Fecit lunam in tempora : * sol cognovit occasum suum.

Posuisti tenebras, et facta est nox:* in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ.

Catuli leonum rugientes, ut rapiant, * et quærant a Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregati sunt: * et in cubilibus suis collocabuntur.

Exibit homo ad opus suum : * et ad operationem suam usque ad vesperam.

Quam magnificata sunt opera tua! Domine, * omnia in sapientia fecisti : impleta est terra possessione tua.

Hoc mare magnum, et spatiosum manibus : * illic reptilia, quorum non est numerus.

Animalia pusilla cum magnis : * illic naves pertransibunt.

Draco iste, quem formasti ad illudendum ei : * omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore.

Dante te illis, colligent, * aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.

Avertente autem te faciem, turbabuntur : * auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur.

Emittes spiritum tuum, et creabuntur : * et renovabis faciem terræ.

Sit gloria Domini in sæculum : * lætabitur Dominus in operibus suis.

Qui respicit terram, et facit eam tremere : * qui tangit montes, et fumigant.

Cantabo Domino in vita mea : * psallam Deo meo quamdiu sum.

Jucundum sit ei eloquium meum; * ego vero delectabor in Domino.

Deficiant peccatores a terra, et iniqui ita ut non sint : * benedic, anima mea, Domino.

Ant. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur : et renovabis faciem terræ, alleluia, alleluia.

℣. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, alleluia. ℟. Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis, allel. Pater noster.

Absol. Exaudi. ℣. Jube domne.

Digitized by Google

Bened. Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 14.

IN illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homil 30. in Evangelia.

LIBET, fratres charissimi, Evangelicæ verba lectionis sub brevitate transcurrere, ut post diutius liceat in contemplatione tantæ solemnitatis immorari. Hodie namque Spiritus sanctus repentino sonitu super discipulos venit, mentesque carnalium in sui amorem permutavit, et foris apparentibus linguis igneis, intus facta sunt corda flammantia : quia dum Deum in ignis visione susceperunt, per amorem suaviter arserunt. Ipse namque Spiritus sanctus amor est ; unde et Joannes dicit : Deus charitas est. Qui ergo mente integra Deum desiderat, profecto jam habet, quem amat. Neque enim quisquam posset Deum diligere, si eum quem diligit, non haberet.

℣. Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco, alleluia : et subito factus est sonus de cœlo, alleluia, * Tanquam spiritus vehementis, et replevit totam domum, alleluia, allel. ℣. Dum ergo essent in unum discipuli congregati propter metum Judæorum, sonus repente de cœlo venit super eos. Tanquam.

Bened. Divinum auxilium.

Lectio ij.

SED ecce, si unusquisque vestrum requiratur an diligat Deum, tota fiducia, et secura mente respondet, Diligo. In ipso autem lectionis exordio audistis quid Veritas dicit : Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Probatio ergo dilectionis, exhibitio est operis. Hinc in Epistola sua idem Joannes dicit : Qui dicit, Diligo Deum, et mandata ejus non custodit mendax est. Vere etenim Deum diligimus, et mandata ejus custodimus, si nos a nostris voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita desideria diffluit, profecto Deum non amat: quia ei in sua voluntate contradicit.

℣. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis : * Et convenit multitudo dicentium, alleluia. ℣. Loquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei. Et. Gloria. Et.

Bened. Ad societatem.

Lectio iij.

ET Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Pensate, fratres charissimi, quanta sit ista dignitas, habere in cordis hospitio adventum Dei. Certe si domum nostram quisquam dives aut præpotens amicus intraret, omni festinantia domus tota mundaretur, ne quid fortasse esset quod oculos amici intrantis offenderet. Tergat ergo sordes pravi operis, qui Deo præparat domum mentis. Sed videte quid Veritas dicat : Veniemus, et mansionem apud eum faciemus. In quorumdam etenim corda venit, et mansionem non facit : quia per compunctionem quidem Dei respectum percipiunt, sed tentationis tempore hoc ipsum quo compuncti fuerant, obliviscuntur : sicque ad perpetranda peccata redeunt, ac si hæc minime planxissent.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco, alleluia.

2. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, alleluia.

3. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui, allelluia,

4. Fontes, et omnia quæ moventur in aquis, hymnum dicite Deo allel.

5. Loquebantur variis linguis Apo-

Digitized by Google

stoli magnalia Dei, alleluia, alleluia, alleluia.

Capitulum. Act. 2.

CUM complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco, et factus est repente de cælo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes.

HYMNUS.

BEATA nobis gaudia
Anni reduxit orbita,
Cum Spiritus Paraclitus
Illapsus est Apostolis.

Ignis, vibrante lumine,
Linguæ figuram detulit,
Verbis ut essent profluí,
Et charitate fervidi.

Linguis loquuntur omnium,
Turbæ pavent Gentilium
Musto madere deputant,
Quos Spiritus repleverat.

Patrata sunt hæc mystice,
Paschæ peracto tempore,
Sacro dierum circulo,
Quo lege fit remissio.

Te nunc, Deus piissime,
Vultu precamur cernuo,
Illapsa nobis cælitus
Largire dona Spiritus.

Dudum sacrata pectora
Tua replesti gratia:
Dimitte nostra crimina,
Et da quieta tempora.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sæculorum sæcula. Amen.

℣. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, allel. ℟. Et cœperunt loqui, allel.

Ad Bened. Ant. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, alleluia.

Oratio.

DEUS, qui hodierna die corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis, in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum....in unitate ejusdem Spiritus sancti.

Ad Primam.

℟. *br.* Christe, Fili Dei vivi, miserere nobis,* Alleluia, allel. Christe. ℣. Qui sedes ad dexteram Patris. Alleluia, alleluia. Gloria. Christe. ℣. Exurge, Christe, adjuva nos, alleluia ℟. Et libera nos propter nomen tuum, alleluia.

Ad Tertiam.

Hymnus Veni Creator, *ut supra in I. Vesp., qui dicitur ad Tertiam per totam Oct., loco Hymni* Nunc sancte.

Capit. Cum complerentur.

℟. *br.* Spiritus Domini replevit orbem terrarum,* Alleluia, alleluia. Spiritus. ℣. Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. Alleluia, alleluia. Gloria. Spiritus. ℣. Spiritus Paraclitus, alleluia. ℟. Docebit vos omnia, alleluia.

Ad Sextam.

Capitulum. Act. 2.

FACTA autem hac voce, convenit multitudo, et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes.

℟. *br.* Spiritus Paraclitus,* Alleluia, alleluia. Spiritus. ℣. Docebit vos omnia. Alleluia, allelui Gloria. Spiritus. ℣. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, alleluia. ℟. Et cœperunt loqui, alleluia.

Ad Nonam.

Capitulum. Act. 2.

JUDÆI quoque, et proselyti, Cretes et Arabes, audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.

℟. *br.* Repleti sunt omnes Spiritu sancto, * Alleluia, alleluia. Repleti. ℣. Et cœperunt loqui. Alleluia, allel. Gloria. Repleti. ℣. Loquebantur variis linguis Apostoli, alleluia. ℟. Magnalia Dei, alleluia.

In II. Vesperis.

Ant. de Laud. Psalmi de Dom. qui dicuntur quotidie per Oct.

Digitized by Google

Capit. Cum complerentur.

Hymnus. Veni Creator, *p.* 411.

℣. Loquebantur variis linguis Apostoli, alleluia. ℟. Magnalia Dei, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Hodie completi sunt dies Pentecostes, allelnia: hodie Spiritus sanctus in igne discipulis apparuit, et tribuit eis charismatum dona: misit eos in universum mundum prædicare, et testificari; qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit, alleluia.

Infra Oct. Pentec. fit Offic. sicut in die, exceptis ℣. *ad Noct. Lect.* ℣℟., *Ant. ad* Benedictus *et ad* Mganificat, *et Orat.*

Si infra Oct. occurrat Festum IX. *Lect., transfertur post Oct. De simplici autem in hoc triduo nulla fit com-*

FERIA SECUNDA.

℣. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, alleluia. ℟. Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis, alleluia.

Absolutio pro qualibet Feria ut sub init. Psalt. Benedictiones vero ut in die Festi.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 3.

IN illo tempore: Dixit Jesus Nicodemo: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 12. *in Joan. sub finem.*

QUANTUM in medico est, sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult. Venit Salvator in mundum. Quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipso, ex te judicaberis. Et quid dicam, Judicaberis? Vide quid ait: Qui credit in eum, non judicatur. Qui autem non credit, quid dicturum sperabas, nisi Judicatur? Quod addit: Jam, inquit, judicatus est: nondum apparuit judicium, et jam factum est judicium.

℣. Jam non dicam vos servos, sed amicos meos: quia omnia cognovistis, quæ operatus sum in medio vestri, alleluia. * Accipite Spiritum sanctum in vobis Paraclitum: ille est, quem Pater mittet vobis, alleluia. ℣. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Accipite.

Lectio ij.

NOVIT enim Dominus, qui sunt ejus: novit qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam. Novit in area sua triticum, novit et paleam: novit segetem, novit et zizania. Jam judicatus est, qui non credis. Quare judicatus? Quia non credidit in nomine unigeniti Filii Dei. Hoc est autem judicium: quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim mala opera eorum. Fratres mei, quorum opera bona invenit Dominus? Nullorum. Omnia opera mala invenit. Quomodo ergo quidam fecerunt veritatem, et venerunt ad lucem? Et hoc enim sequitur: Qui autem facit veritatem, venit ad lucem.

℟. Spiritus sanctus procedens a throno, Apostolorum pectora invisibiliter penetravit novo santificationis signo, * Ut in ore eorum omnium genera nascerentur linguarum, alleluia. ℣. Advenit ignis divinus, non comburens, sed illuminans, et tribuit eis charismatum dona. — Ut. Gloria. Ut.

Lectio iij.

SED dilexerunt, inquit, tenebras magis quàm lucem. Ibi posuit vim. Multi enim dilexerunt peccata sua; multi confessi sunt peccata sua: quia qui confitetur peccata sua, et accusat peccata sua, jam cum Deo facit. Accusat Deus peccata tua; si et tu accusas, conjungeris Deo. Quasi

Digitized by Google

duæ res sunt, homo, et peccator. Quod audis, Homo, Deus fecit: quod audis, Peccator, ipse homo fecit. Dele quod fecisti, ut Deus salvet quod fecit. Oportet ut oderis in te opus tuum, et ames in te opus Dei. Cum autem cœperit tibi displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium operum bonorum confessio est operum malorum.

Ad Bened. Ant. Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam, alleluia.

Oratio

DEUS, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, concede plebi tuæ piæ petitionis effectum, ut quibus dedisti fidem, largiaris et pacem. Per Dominum... in unitate ejusdem.

Ad Magnif. Ant. Si quis diligit me, sermonem meum servabit: et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus, alleluia.

FERIA TERTIA

℣. Spiritus Paraclitus, alleluia. ℟. Docebit vos omnia, alleluia.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 10.

IN illo tempore: Dixit Jesus Pharisæis: Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro: qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 45 in Joann. post. init.

DOMINUS de grege suo, et de ostio quo intratur ad ovile, similitudinem proposuit in hodierna lectione. Dicant ergo Pagani: Bene vivimus. Si per ostium non intrant, quid prodest eis unde gloriantur? Ad hoc enim debet unicuique prodesse bene vivere, ut detur illi semper vivere: nam cui non datur semper vivere, quid prodest bene vivere? Quia nec bene vivere dicendi sunt, qui finem bene vivendi vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt. Non est autem cuiquam spes vera et certa semper vivendi, nisi agnoscat vitam, quod est Christus, et per januam intret in ovile.

℟. Apparuerunt Apostolis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, alleluia: * Seditque supra singulos eorum Spiritus sanctus, alleluia, allel. ℣. Et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Seditque.

Lectio ij.

QUÆRUNT ergo plerumque tales homines etiam persuadere hominibus, ut bene vivant, et Christiani non sint. Per aliam partem volunt ascendere, rapere, et occidere: non ut bonus pastor, conservare atque salvare. Fuerunt ergo quidam philosophi de virtutibus et vitiis subtilia multa tractantes, dividentes, definientes, ratiocinationes acutissimas concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis crepantibus ventilantes, qui etiam dicere auderent hominibus: Nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis beate vivere. Sed non intrabant per ostium: perdere volebant, mactare et occidere.

℟. Loquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei, * Prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, alleluia. ℣. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui. Prout. Gloria. Prout.

Lectio iij.

QUID de istis dicam? Ecce ipsi Pharisæi legebant, et in eo quod legebant, Christum sonabant; venturum sperabant, et præsentem non agnoscebant. Jactabant se etiam ipsi inter Videntes, hoc est, inter sapientes, et negabant Christum, et non intrabant per ostium. Ergo et ipsi,

Digitized by Google

si quos forte seducerent, mactandos et occidendos, non liberandos seducerent. Et hos dimittamus. Videamus illos, si forte ipsi intrent per ostium, qui ipsius Christi nomine gloriantur. Innumerabiles enim sunt, qui se Videntes non solum jactant, sed a Christo illuminatos videri volunt: sunt autem hæretici.

Ad Bened. Ant. Ego sum ostium, dicit Dominus: per me si quis introierit, salvabitur, et pascua inveniet, alleluia.

Oratio.

ADSIT nobis, quæsumus, Domine, virtus Spiritus sancti, quæ et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum....in unitate ejusdem.

Ad Magnif. Ant. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quo modo mundus dat, ego do vobis, alleluia.

FERIA QUARTA.

Quatuor Temporum.

℣. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, alleluia. ℟. Et cœperunt loqui, alleluia.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 6.

IN illo tempore: Dixit Jesus turbis Judæorum: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 26. in Joannem.

NOLI cogitare te invitum trahi: trahitur animus et amore. Nec timere debemus, ne ab hominibus, qui verba perpendunt, et a rebus maxime divinis intelligendis longe remoti sunt, in hoc Scripturarum sanctarum Evangelico verbo forsitan reprehendamur, et dicatur nobis: Quomodo voluntate credo, si trahor? Ego dico: Parum est voluntate, etiam voluptate traheris. Quid est, trahi voluptate? Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Est quædam voluptas cordis, cui panis dulcis esu illo cœlestis. Porro si poetæ dicere licuit: Trahit sua quemque voluptas; non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio: quanto fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est? An vero habent corporis sensus voluptates suas, et animus deseritur a voluptatibus suis? Si animus non habet voluptates suas, unde dicitur: Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos: Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen?

℟. Disciplinam et sapientiam docuit eos Dominus, alleluia: firmavit in illis gratiam Spiritus sui, Et intellectu implevit corda eorum, alleluia. ℣. Repentino namque sonitu Spiritus sanctus super eos venit. Et.

Lectio ij.

DA amantem, et sentit quod dico, da desiderantem, da esurientem, da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem, et fontem æternæ patriæ suspirantem: da talem, et scit quid dicam. Si autem frigido loquor, nescit quid loquor. Tales erant isti, qui invicem murmurabant. Pater, inquit, quem traxerit, venit ad me. Quid est autem, Pater quem traxerit, cum ipse Christus trahat? Quare voluit dicere, Pater quem traxerit? Si trahendi sumus, ab illo trahamur cui dicit quædam, quæ diligit: Post odorem unguentorum tuorum curremus. Sed quid intelligi voluit advertamus, fratres, et quantum possumus, capiamus. Trahit Pater ad Filium eos, qui propterea credunt in Filium, quia eum cogitant Patrem habere Deum. Deus enim Pater æqualem sibi genuit Filium: et qui cogitat, atque in fide sua sentit et rumi-

Digitized by Google

nat, æqualem esse Patri eum in quem credidit, ipsum trahit Pater ad Filium.

℟. Ite in universum orbem, et prædicate Evangelium, alleluia. * Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent. Qui. Gloria. Qui.

Lectio iij.

ARIUS credidit creaturam, non eum traxit Pater; quia non considerat Patrem, qui Filium non credit æqualem. Quid dicis, o Ari? Quid dicis, hæretice? Quid loqueris? Quid est Christus? Non, inquit, Deus verus, sed quem fecit Deus verus. Non te traxit Pater: non enim intellexisti Patrem, cujus Filium negas. Aliud cogitas: Non est ipse Filius, nec a Patre traheris, nec ad Filium traheris. Aliud est enim Filius, aliud quod tu dicis. Photinus dicit: Homo solum est Christus, non est et Deus. Qui sic credit, non Pater eum traxit. Quem traxit Pater? Illum qui dicit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Ramum viridem ostendis ovi, et trahis illam. Nuces puero demonstrantur, et trahitur: et quod currit, trahitur, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo ista, quæ inter delicias et voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt, quoniam verum est, Trahit sua quemque voluptas; non trahit revelatus Christus a Patre? Quid enim fortius desiderat anima, quam veritatem.

Ad Bened. Ant. Ego sum panis vivus, dicit Dominus, qui de cœlo descendi, alleluia, alleluia.

Oratio.

MENTES nostras, quæsumus, Domine, Paraclitus qui a te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. Qui tecum.... in unitate ejusdem.

Ad Magnif. Ant. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, alleluia.

FERIA QUINTA.

℣. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, alleluia. ℟. Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis, alleluia.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio j. Cap. 9.

IN illo tempore: Convocatis Jesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 6. in cap. 9. Luca.

QUALIS debent esse qui evangelizat regnum Dei, præceptis Evangelicis designatur; ut sine virga, sine pera, sine calceamento, sine pane, sine pecunia, hoc est, subsidii sæcularis adminicula non requirens, fideque tutus, putet sibi quo minus ea requirat, magis posse suppetere. Quæ possunt, qui volunt, ad eum derivare tractatum, ut spiritalem tantummodo locus iste formare videatur affectum: qui velut indumentum quoddam videatur corporis exuisse, non solum potestate rejecta, contemptisque divitiis, sed etiam carnis ipsius illecebris abdicatis. Quibus primo omnium datur pacis atque constantiæ generale mandatum, ut pacem ferant, constantiam servent, hospitalis necessitudinis jura custodiant: alienum a prædicatore regni cœlestis astruens cursitare per domos, et inviolabilis hospitii jura mutare.

℟. Advenit ignis divinus, non comburens, sed illuminans; non consumens, sed lucens: et invenit corda discipulorum receptacula munda: * Et tribuit eis charismatum dona, alleluia, alleluia. ℣. Invenit eos concordes charitate, et collustravit eos inundans gratia Deitatis. Et.

Digitized by Google

Lectio ij.

SED ut hospitii gratia deferenda censetur, ita etiam, si non recipiantur, excutiendum pulverem, et egrediendum de civitate mandatur. Quo non mediocris boni remuneratio docetur hospitii, ut non solum pacem tribuamus hospitibus, verum etiam, si qua eos terrenæ obumbrant delicta levitatis, receptis Apostolicæ prædicationis vestigiis auferantur. Nec otiose secundum Matthæum, domus, quam ingrediantur Apostoli, eligenda decernitur, ut mutandi hospitii, necessitudinisque violandæ causa non suppetat. Non tamen eadem cautio receptori mandatur hosptii, ne, dum hospes eligitur, hospitalitas ipsa minuatur.

℟. Spiritus sanctus replevit totam domum, ubi erant Apostoli: et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, seditque supra singulos eorum: * Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Dum ergo essent in unum discipuli congregati propter metum judæorum, sonus repente de cœlo venit super eos. Et. Gloria. Et.

Lectio iij.

SED hæc, ut secundum litteram de hospitii religione venerabilis est forma præcepti, ita etiam de mysterio sententia cœlestis arridet. Etenim cum domus eligitur, dignus hospes inquiritur. Videamus igitur ne forte Ecclesia præferenda designetur, et Christus. Quæ enim dignior domus Apostolicæ prædicationis ingressu, quam sancta Ecclesia? Aut quis præferendus magis omnibus videtur esse, quam Christus, qui pedes suis lavare consuevit hospitibus; et quoscumque sua receperit domo, pollutis non patiatur habitare vestigiis, sed maculosos licet vitæ prioris, in reliquum tamen dignetur mundare processus? Hic est igitur solus, diem nemo deserere debet, nemo mutare. Cui bene dicitur: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, et nos credimus.

Ad Bened. Ant. Convocatis Jesus duodecim discipulis suis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent: et misit illos prædicare regnum Dei, et sanare infirmos, alleluia.

Oratio.

DEUS, qui hodierna die corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Domin.. in unitate ejusdem.

Ad Magnif. Ant. Spiritus qui a Patre procedit, alleluia: ille me clarificabit, alleluia, alleluia.

FERIA SEXTA.

Quatuor Temporum.

℣. Spiritus Paraclitus, alleluia.
℟. Docebit vos omnia, alleluia.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio j. Cap. 5.

IN illo tempore: Factum est in una dierum, et Jesus sedebat docens: Et erant Pharisæi sedentes, et legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, et Judææ, et Jerusalem: et virtus Domini erat ad sanandum eos. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 5. in cap. 5. Lucæ.

NON otiosa hujus paralytici, nec angusta medicina est, quando Dominus et orasse præmittitur: non utique propter suffragium, sed propter exemplum. Imitandi enim specimen dedit, non precandi ambitum requisivit. Et convenientibus ex omni Galilæa, et Judæa, et Jerusalem legis doctoribus, inter cæterorum remedia debilium, paralytici istius medicina describitur. Primum omnium, quod ante diximus, unusquisque æger petendæ precatores salutis debet adhibe-

Digitized by Google

re, per quos nostræ vitæ compago resoluta, actuumque nostrorum clauda vestigia, verbi cœlestis remedio reformentur.

℟. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, * Ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat, alleluia, alleluia. ℟. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Ut.

Lectio ij.

SUNT igitur aliqui monitores mentis, qui animum hominis, quamvis exterioris corporis debilitate torpentem, ad superiora erigent. Quorum rursus adminiculis et attollere et humiliare se facilis ante Jesum loquetur, Dominico videri dignus aspectu. Humilitatem enim respicit Dominus: quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua. Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoscit aliis: et dum alios probat, aliis relaxat errata. Cur apud te, homo collega non valeat, cum apud Deum servus et interveniendi meritum, et jus habeat impetraudi.

℟. Spiritus Domini replevit orbem terrarum: * Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis, alleluia, alleluia. ℣. Omnium est enim artifex, omnem habens virtutem, omnia prospiciens. Et. Gloria. Et.

Lectio iij.

DISCE qui judicas, ignoscere: disce qui æger es, impetrare. Si gravium peccatorum diffidis veniam, adhibe precatores, adhibe Ecclesiam, quæ pro te precetur, cujus contemplatione, quod tibi Dominus negare posset, ignoscat. Et quamvis historiæ fidem non debeamus omittere, ut vere paralytici istius corpus credamus esse sanatum; cognosce tamen interioris hominis sanitatem, cui peccata donantur. Cum Judæi asserunt peccata a solo Deo posse concedi, Deum utique eum confitentur, suoque judicio perfidiam suam produnt, qui opus astruunt, ut personam negent.

Ad Bened. Ant. Dixit Jesus: Ut scialis autem quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, surge; tolle lectum tuum, et vade in domum tuam, alleluia. *

Oratio.

DA quæsumus, Ecclesiæ tuæ, misericors Deus, ut sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur. Per Dominum..... in unitate ejusdem.

Ad Magnif. Ant. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis, alleluia.

SABBATO.

Quatuor Temporum.

℣. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, alleluia. ℟. Et cœperunt loqui, alleluia.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio j. Cap. 4.

IN illo tempore: Surgens Jesus de Synagoga, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 4. in cap. 4 Lucæ.

VIDE clementiam Domini Salvatoris; nec indignatione commotus, nec scelere offensus, nec injuria violatus Judæam deserit: quin etiam immemor injuriæ, memor clementiæ nunc docendo, nunc liberando, nunc sanando, infidæ plebis corda demulcet. Et bene sanctus Lucas virum ab spiritu nequitiæ liberatum ante præmisit, et subdit feminæ sanitatem. Utrumque enim sexum Dominus curaturus advenerat: sed prior sanari debuit qui prior creatus est; nec prætermitti illa, quæ mobilitate magis animi, quam pravitate peccaverat.

℟. Repleti sunt omnes Spiritu san-

Digitized by Google

cto, et cœperunt loqui, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis: * Et convenit multitudo dicentium, allel. ℣. Loquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei. Et.

Lectio ij.

SABBATO medicinæ Dominicæ opera cœpta significat, ut inde nova creatura cœperit, ubi vetus creatura ante desivit: nec sub lege esse Dei Filium, sed supra legem in ipso principio designaret: nec solvi legem, sed impleri. Neque enim per legem, sed verbo factus est mundus, sicut legimus: Verbo Domini cœli firmati sunt. Non solvitur ergo lex, sed impletur: ut fiat renovatio hominis jam labentis. Unde et Apostolus ait: Expoliantes vos veterem hominem, induite novum, qui secundum Deum creatus est.

℟. Jam non dicam vos servos, sed amicos meos: quia omnia cognovistis, quæ operatus sum in medio vestri, alleluia: * Accipite Spiritum sanctum in vobis Paraclitum: ille est, quem Pater mittet vobis, alleluia. ℣. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Accipite. Gloria. Accipite.

Lectio iij.

ET bene sabbato cœpit, ut ipsum se ostenderet Creatorem, qui opera operibus intexeret, et prosequeretur opus, quod ipse jam cœperat: ut si domum faber renovare disponat, non a fundamentis, sed a culminibus incipit solvere vetustatem. Itaque ibi prius manum admovet, ubi ante desierat: deinde a minoribus incipit, ut ad majora perveniat. Liberare a dæmone et homines, sed in verbo Dei, possunt: resurrectionem mortuis imperare, divinæ solius est potestatis. Fortassis etiam in typo mulieris illius socrus Simonis et Andreæ, variis criminum febribus caro nostra languebat, et diversarum cupiditatum immodicis æstuabat illecebris. Nec minorem febrem amoris esse dixerim, quàm caloris. Itaque illa animum, hæc corpus inflammat. Febris enim nostra, avaritia est: febris nostra, libido est: febris nostra, luxuria est: febris nostra, ambitio est: febris nostra, iracundia est.

Ad Bened. Ant. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per inhabitantem Spiritum ejus in nobis, alleluia.

Oratio.

MENTIBUS nostris, quæsumus Domine, Spiritum sanctum benignus infunde, cujus et sapientia conditi sumus, et providentia gubernamur. Per Dominum nostrum ... in unitate ejusdem.

Post Nonam, celebrata Missa terminatur tempus Paschale.

Digitized by Google

IN FESTO SS. TRINITATIS

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. Psalmi de Dom. loco ult. Laudate Dominum omnes gentes.

HYMNUS.

JAM sol recedit igneus :
Tu lux perennis Unitas ,
Nostris , beata Trinitas ,
Infunde amorem cordibus.
Te mane laudum carmine ,
Te deprecamur vespere ;
Digneris ut te supplices
Laudemus inter Cœlites.
Patri , simulque Filio ,
Tibique , sancte Spiritus ,
Sicut fuit , sit jugiter
Sæclum per omne gloria. Amen.

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu. ℟. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Ad Magnif. Ant. Gratias tibi , Deus , gratias tibi , vera et una Trinitas , una et summa Deitas , sancta et una Unitas.

Oratio ut infra in Laudibus.

Pro comm. Dom. I. post Pentec.

Ant. Loquere , Domine , quia audit servus tuus.

℣. Vespertina oratio ascendat ad te, Domine. ℟. Et descendat super nos misericordia tua.

Oratio ut infra in Laudibus.

Ad Matutinum.

Invit. Deum verum , unum in Trinitate , et Trinitatem in Unitate , Venite , adoremus.

HYMNUS.

SUMMÆ Parens clementiæ ,
Mundi regis qui machinam ,
Unius et substantiæ ,
Trinusque personis Deus :
Da dexteram surgentibus
Exurgat ut mens sobria ,
Flagrans et in laudem Dei
Grates rependat debitas.
Deo Patri sit gloria ,
Natoque Patris unico ,
Cum Spiritu Paraclito
In sempiterna sæcula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Adesto unus Deus omnipotens , Pater , Filius , et Spiritus sanctus.

Psalm. Domine , Dominus , *p.* 4.

Ant. Te unum in substantia , Trinitatem in personis confitemur.

Psal. Cœli enarrant , *p.* 10.

Ant. Te semper idem esse , vivere , et intelligere profitemur.

Psalm. Domini est terra , *p.* 21.

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu. ℟. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 6.

IN anno quo mortuus est rex Ozias , vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum , et ea quæ sub ipso erant , replebant templum. Seraphim stabant super illud ; sex alæ uni , et sex alæ alteri , duabus velabant faciem ejus , et duabus velabant pedes ejus , et duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum , et dicebant : Sanctus , Sanctus , Sanctus Dominus Deus exercituum : plena est omnis terra gloria ejus. Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis , et domus repleta est fumo.

Digitized by Google

℣. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et plena erat omnis terra majestate ejus: * Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum. ℣. Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, et sex alæ alteri. Et.

Lectio ij.

ET dixi: Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito, et Regem Dominum exercituum vidi oculis meis. Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, et dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur. Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam, et quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me.

℣. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus: * Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum. ℣. Replebitur majestate ejus omnis terra: fiat, fiat. Et.

Lectio iij.

ET dixit: Vade, et dices populo huic: Audite audientes, et nolite intelligere, et videte visionem, et nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum. Et dixi: Usquequo, Domine? Et dixit: Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine, et terra relinquetur deserta. Et longe faciet Dominus homines, et multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ.

℟. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: * Et metuant eum omnes fines terræ. ℣. Deus misereatur nostri, et benedicat nos Deus. Et. Gloria. Et.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Te invocamus, te laudamus, te adoramus, o beata Trinitas.

Psalm. Omnes gentes, *p.* 45.

Ant. Spes nostra, salus nostra, honor noster, o beata Trinitas.

Psalm. Magnus Dominus, *p.* 46.

Ant. Libera nos, salva nos, vivifica nos, o beata Trinitas.

Psalm. Deus judicium, *p.* 59.

℣. Benedictus es, Domine, in firmamento cœli. ℟. Et laudabilis et gloriosus in sæcula.

Ex libro S. Fulgentii Episcopi, de Fide ad Petrum.

Inter Opera Augustini, tom. 3.

Lectio iv.

FIDES, quam sancti Patriarchæ atque Prophetæ ante incarnationem Filii Dei divinitus acceperunt, quam etiam sancti Apostoli ab ipso Domino in carne posito audierunt, et Spiritus sancti magisterio instructi non solum sermone prædicaverunt, verum etiam ad instructionem saluberrimam posterorum scriptis suis inditam reliquerunt, unum Deum prædicat Trinitatem, id est, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Sed Trinitas vera non esset, si una eademque persona diceretur Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.

℟. Quis Deus magnus sicut Deus noster? * Tu es Deus, qui facis mirabilia. ℣. Notam fecisti in populis virtutem tuam, redemisti in brachio tuo populum tuum. Tu.

Lectio v.

SI enim, sicut est Patris et Filii et Spiritus sancti una substantia, sic esset una persona, nihil omnino esset in quo veraciter Trinitas diceretur. Rursus quidem Trinitas esset vera, sed unus Deus Trinitas ipsa non esset, si quemadmodum Pater et Filius et Spiritus sanctus personarum sunt ab invicem proprietate distincti, sic fuissent naturarum quoque diversitate discreti. Sed quia in illo uno vero Deo Trinitate non solum quod unus Deus est, sed etiam

Digitized by Google

quod Trinitas est, naturaliter verum est : propterea ipse verus Deus in personis Trinitas est, et in una natura unus est.

℟. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in sæcula sempiterna, * O beata Trinitas. ℣. Et benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum et laudabile, et superexaltatum in sæcula. O beata.

Lectio vj.

PER hanc unitatem naturalem totus Pater in Filio et Spiritu sancto est, totus Filius in Patre et Spiritu sancto est; totus quoque Spiritus sanctus in Patre et Filio. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est, quia nemo alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate : quia nec Filio, nec Spiritu sancto, quantum ad naturæ divinæ unitatem pertinet, aut anterior aut major Pater est : nec Filii æternitas atque immensitas, velut anterior aut major, Spiritus sancti immensitatem æternitatemque aut præcedere, aut excedere naturaliter potest.

℟. Magnus Dominus, et laudabilis nimis : * Et sapientiæ ejus non est numerus. ℣. Magnus Dominus, et magna virtus ejus : et sapientiæ ejus non est finis. Et. Gloria. Et.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Charitas Pater est, gratia Filius, communicatio Spiritus sanctus, o beata Trinitas.

Psalm. Cantate Domino, *p.* 72.

Ant. Verax est Pater, veritas Filius, veritas Spiritus sanctus, o beata Trinitas.

Psalm. Dominus regnavit, *p.* 72.

Ant. Pater, et Filius, et Spiritus sanctus una substantia est, o beata Trinitas.

Psalm. Cantate Domino, *p.* 75.

℣. Verbo Domini cœli firmati sunt. ℟. Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 28.

IN illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Nazianzeni.

In Tract. de Fide.

QUIS Catholicorum ignorat Patrem vere esse Patrem, Filium vere esse Filium, et Spiritum sanctum vere esse Spiritum sanctum, sicut ipse Dominus ad Apostolos suos dicit : Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti? Hæc est perfecta Trinitas in unitate consistens, quam scilicet unius substantiæ profitemur. Non enim nos secundum corporum conditionem, divisionem in Deo facimus; sed secundum divinæ naturæ potentiam, quæ in materia non est, et nominum personas vere constare credimus, et unitatem divinitatis esse testamur.

℟. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu : * Laudemus et superexaltemus eum in sæcula. ℣. Benedictus es, Domine, in firmamento cœli, et laudabilis et gloriosus in sæcula. — Laudemus.

Bened. Divinum auxilium.

Lectio viij.

NEC extensionem partis alicujus ex parte, ut quidam putaverunt, Dei Filium dicimus : nec Verbum sine re, velut sonum vocis accipimus, sed tria nomina et tres personas unius esse essentiæ, unius majestatis atque potentiæ credimus. Et ideo unum Deum confitemur : quia unitas majestatis, plurium vocabulo deos prohibet appellari. Denique Patrem, et Filium catholice nominamus: duos autem deos dicere nec possumus, nec debemus. Non quod Filius Dei Deus non sit, imo verus Deus de Deo ve-

Digitized by Google

re, sed quia non aliunde, quam de ipso uno Patre, Dei Filium novimus, perinde unum Deum dicimus. Hoc enim Prophetæ, hoc Apostoli tradiderunt: hoc ipse Dominus docuit, cum dicit: Ego et Pater unum sumus. Unum ad unitatem divinitatis, ut dixi, refert: Sumus autem, personis assignat.

℟. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: * Plena est omnis terra gloria ejus. ℣. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus: et hi tres unum sunt. Sanctus. Gloria. Plena est.

Bened. Per Evangelica dicta.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio ix. Cap. 16.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Serm. 15. in Evang. Matthæi, de verbis Domini.

DUO sunt opera misericordiæ, quæ nos liberant, quæ breviter ipse Dominus posuit in Evangelio: Dimittite, et dimittetur vobis: Date, et dabitur vobis. Dimittite, et dimittetur vobis, ad ignoscendum pertinet: Date, et dabitur vobis, ad præstandum beneficium pertinet. Quod ait de ignoscendo, et tu vis tibi ignosci quod peccas, et habes alium cui tu possis ignoscere. Rursus, quod pertinet ad tribuendum beneficium, petit a te mendicus, et tu es Dei mendicus. Omnes enim quando oramus, mendici Dei sumus, ante januam magni Patrisfamilias stamus, imo et prosternimur, supplices ingemiscimus, aliquid volentes accipere: et ipsum aliquid ipse Deus est. Quid a te petit mendicus? Panem: Et tu quid petis a Deo, nisi Christum, qui dicit: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi? Ignosci vobis vultis, ignoscite. Remittite, et remittetur vobis. Accipere vultis: date, et dabitur vobis.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Gloria tibi, Trinitas æqualis, una Deitas, et ante omnia sæcula, et nunc et in perpetuum.

2. Laus et perennis gloria Deo Patri, et Filio, sancto simul Paraclito, in sæculorum sæcula.

3. Gloria laudis resonet in ore omnium Patri, genitæque Proli, Spiritui sancto pariter resultet laude perenni.

4. Laus Deo Patri; parilique Proli, et tibi, sancte, studio perenni, Spiritus, nostro resonet ab ore omne per ævum.

5. Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in sæcula.

Capitulum. Rom. II.

O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!

HYMNUS.

TU Trinitatis Unitas,
Orbem potenter quæ regis,
Attende laudis canticum,
Quod excubantes psallimus.

Ortus refulget lucifer,
Præitque solem nuntius,
Cadunt tenebræ noctium,
Lux sancta nos illuminet.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu. ℟. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Ad Bened. Ant. Benedicta sit sancta creatrix et gubernatrix omnium, sancta et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita sæcula sæculorum.

Digitized by Google

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis, in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare Unitatem, quæsumus ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum.

Pro comm. Dom. Ant. Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est, dicit Dominus.

℣. Dominus regnavit, decorem induit. ℟. Induit Dominus fortitudinem, et præcinxit se virtute.

Oratio.

DEUS in te sperantium fortitudo, adesto propitius invocationibus nostris, et quia sine te nihil potest mortalis infirmitas, præsta auxilium gratiæ tuæ, ut in exequendis mandatis tuis, et voluntate tibi et actione placeamus. Per Dominum.

Ad Primam.

Psalmi, ut in Festo Dupl. cum Symbolo S. Athanasii.

Ad Tertiam.

Capit. O altitudo.

℟. *br.* Benedicamus Patrem et Filium, * Cum sancto Spiritu. Benedicamus. ℣. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula. Cum. Gloria. Benedicamus. ℣. Benedictus es, Domine, in firmamento cœli. ℟. Et laudabilis et gloriosus in sæcula.

Ad Sextam.

Capitulum. 2. Cor. 13.

GRATIA Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

℟. *br.* Benedictus es, Domine, * In firmamento cœli. Benedictus. ℣. Et laudabilis et gloriosus in sæcula. In firmamento. Gloria. Benedictus. ℣. Verbo Domini cœli firmati sunt. ℟. Et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Ad Nonam.

Capitulum. I. Joan. 5.

TRES sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus: et hi tres unum sunt.

℟. *br.* Verbo Domini * Cœli firmati sunt. Verbo. ℣. Et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Cœli. Gloria. Verbo. ℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.

In II. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. Psalm. de Dom. Hymnus ut in I. Vesp.

℣. Benedictus es, Domine, in firmamento cœli. ℟. Et laudabilis et gloriosus in sæcula.

Ad Magnif. Ant. Te Deum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum sanctum Paraclitum, sanctam et individuam Trinitatem, toto corde et ore confitemur, laudamus atque benedicimus: tibi gloria in sæcula.

Pro comm. Dom. Ant. Nolite judicare, ut non judicemini: in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini, dicit Dominus.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea. ℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

Oratio ut supra.

FERIA SECUNDA

Omnia dicuntur ut in Psalt. cum Oratione Dom. præced. Deus in te sperantium, *ut supra.*

Hac nocte ponuntur libri Regum, de quibus legitur usque ad Dom. I. Augusti: si quid vero de his libris supersit, adveniente dicta Dom., omittitur.

Incipit liber primus Regum.

Lectio j. Cap. 1.

FUIT vir unus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim, et nomen ejus Elcana, filius Jeroham, filii Eliu, filii Thohu, filii Suph, Ephrathæus; et habuit duas uxores, nomen uni Anna, et nomen secundæ Phenenna. Fueruntque Phenennæ filii: Annæ autem non erant liberi. Et a-

Digitized by Google

scendebat vir ille de civitate sua statutis diebus, ut adoraret et sacrificaret Domino exercituum in Silo. Erant autem ibi duo filii Heli, Ophni et Phinees, sacerdotes Domini.

℟. Præparate corda vestra Domino, et servite illi soli: * Et liberabit vos de manu inimicorum vestrorum. ℣. Convertimini ad eum in toto corde vestro, et auferte deos alienos de medio vestri. Et.

Lectio ij.

VENIT ergo dies, et immolavit Elcana, deditque Phenennæ uxori suæ, et cunctis filiis ejus et filiabus partes; Annæ autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligebat. Dominus autem concluserat vulvam ejus. Affligebat quoque eam æmula ejus, et vehementer angebat, in tantum, ut exprobraret quod Dominus conclusisset vulvam ejus: sicque faciebat per singulos annos, cum redeunte tempore ascenderent ad templum Domini, et sic provocabat eam. Porro illa flebat, et non capiebat cibum. Dixit ergo ei Elcana vir suus: Anna, cur fles, et quare non comedis? et quamobrem affligitur cor tuum? Numquid non ego melior tibi sum, quam decem filii?

℟. Deus omnium, exauditor est: ipse misit Angelum suum, et tulit me de ovibus patris mei: * Et unxit me unctione misericordiæ suæ. ℣. Dominus, qui eripuit me de ore leonis, et de manu bestiæ liberavit me. Et unxit.

Lectio iij.

SURREXIT autem Anna postquam comederet et biberet in Silo. Et Heli sacerdote sedente super sellam ante postes templi Domini, cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum, flens largiter, et votum vovit, dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, et recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque servæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, et novacula non ascendet super caput ejus.

℟. Dominus qui eripuit, me de ore leonis, et de manu bestiæ liberavit me: * Ipse me eripiet de manibus inimicorum meorum. ℣. Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam: animam meam eripuit de medio catulorum leonum. Ipse. Gloria. Ipse.

FERIA TERTIA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 1.

FACTUM est autem; cum illa multiplicaret preces coram Domino, ut Heli observaret os ejus. Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur. Æstimavit ergo eam Heli temulentam, dixitque ei: Usquequo ebria eris? Digere paulisper vinum, quo mades. Respondens Anna: Nequaquam, inquit, domine mi; nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque et omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini. Ne reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial, quia ex multitudine doloris et mœroris mei locuta sum usque in præsens. Tunc Heli ait ei: Vade in pace, et Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum. Et illa dixit: Utinam inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis!

℟. Percussit Saul, mille, et David decem millia: * Quia manus Domini erat cum illo: percussit Philisthæum et abstulit opprobrium ex Israel. ℣. Nonne iste est David, de quo canebant in choro, dicentes: Saul percussit mille, et David decem millia. Quia.

Lectio ij.

ET abiit mulier in viam suam, et comedit, vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati. Et surrexerunt mane, et adoraverunt coram Domino; reversique sunt, et venerunt in domum suam Ramatha. Cu-

Digitized by Google

gnovit autem Elcana Annam uxorem suam, et recordatus est ejus Dominus. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna, et peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuel, eo quod a Domino postulasset eum. Ascendit autem vir ejus Elcana, et omnis domus ejus, ut immolaret Domino hostiam solemnem et votum suum, et Anna non ascendit; dixit enim viro suo: Non vadam, donec ablactetur infans, et ducam eum, ut appareat ante conspectum Domini, et maneat ibi jugiter.

℟. Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos: * Ubi ceciderunt fortes Israel. ℣. Omnes montes, qui estis in circuitu ejus, visitet Dominus: a Gelboe autem transeat. Ubi.

Lectio iij.

ET ait ei Elcana vir suus: Fac quod bonum tibi videtur, et mane, donec ablactes eum, precorque ut impleat Dominus verbum suum. Mansit ergo mulier, et lactavit filium suum, donec amoveret eum a lacte. Et adduxit eum secum, postquam ablactaverat, in vitulis tribus, et tribus modiis farinæ, et amphora vini; et adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus: et immolaverunt vitulum, et obtulerunt puerum Heli. Et ait Anna: Obsecro, mi domine, vivit anima tua, domine: ego sum illa mulier, quæ steti coram te hic orans Dominum. Pro puero isto oravi, et dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi eum. Idcirco et ego commodavi eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino. Et adoraverunt ibi Dominum.

℟. Ego te tuli, de domo patris tui, dicit Dominus; et posui te pascere gregem populi mei: * Et fui tecum in omnibus ubicumque ambulasti, firmans regnum tuum in æternum. ℣. Fecique tibi nomen grande, juxta nomen magnorum, qui sunt in terra: et requiem dedi tibi ab omnibus inimicis tuis. Et. Gloria. Et.

FERIA QUARTA

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 2.

PORRO filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum, neque officium sacerdotum ad populum: sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem in manu sua, et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, sive in cacabum; et omne quod levabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi. Sic faciebant universo Israeli venientium in Silo.

℟. Peccavi super numerum arenæ maris, et multiplicata sunt peccata mea, et non sum dignus videre altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis meæ: quoniam irritavi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et delictum meum contra me est semper, quia tibi soli peccavi. Et malum.

Lectio ij.

ETIAM antequam adolerent adipem, veniebat puer sacerdotis, et dicebat immolanti: Da mihi carnem, ut coquam sacerdoti: non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam. Dicebatque illi immolans: Incendatur primum juxta morem hodie adeps, et tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua. Qui respondens aiebat ei: Nequaquam; nunc enim dabis, alioquin tollam vi. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines a sacrificio Domini.

℟. Exaudisti Domine, orationem servi tui; ut ædificarem templum nomini tuo: * Benedic et sanctifica domum istam in sempiternum, Deus Israel. ℣. Domine, qui custodis pactum cum servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo. Benedic.

Digitized by Google

Lectio iij.

SAMUEL autem ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus ephod lineo. Et tunicam parvam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo, ut immolaret hostiam solemnem. Et benedixit Heli Elcanæ et uxori ejus, dixitque ei: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro fœnore quod commodasti Domino. Et abierunt in locum suum. Visitavit ergo Dominus Annam, et concepit, et peperit tres filios, et duas filias: et magnificatus est puer Samuel apud Dominum.

℟. Audi Domine, hymnum, et orationem quam servus tuus orat coram te hodie: ut sint oculi tui aperti, et aures tuæ intentæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Respice Domine de Sanctuario tuo, et de excelso cœlorum habitaculo. Super. Gloria. Super.

Feria v. *celebratur Festum Corporis Christi. Si ea die occurrat Festum Duplex vel Semidupl., transfertur post octavam: si Simplex, nulla fit de eo comm.*

Infra Oct. non fit de Festo, nisi fuerit Duplex: Semiduplicia transferuntur post Oct., nec fit de Duplici translato; de simplici fit tantum comm. absque ix. *Lect. de eo.*

In die Oct. non fit, nisi de Nativ. S. Joannis et de Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, vel de alio ex solemnioribus, si occurrant, cum comm. Oct.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI

In I. Vesperis.

Ant. 1. Sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech, panem et vinum obtulit.

Psalm. Dixit Dominus, *p.* 85.

2. Miserator Dominus escam dedit timentibus se in memoriam suorum mirabilium.

Psalm. Confitebor tibi, *p.* 85.

3. Calicem salutaris accipiam, et sacrificabo hostiam laudis.

Psalm. Credidi *p.* 88.

4. Sicut novellæ olivarum, Ecclesiæ filii sint in circuitu mensæ Domini.

Psalm. Beati omnes, *p.* 91.

5. Qui pacem ponit fines Ecclesiæ, frumenti adipe satiat nos Dominus.

Psalm. Lauda Jerusalem, *p.* 99.

Capitulum. I. Cor. II.

FRATRES, Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Accipite, et manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.

HYMNUS.

PANGE, lingua, gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generosi
Rex effudit Gentium.
Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.
In supremæ nocte cœnæ,
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus.

Digitized by Google

Verbum caro, panem verum
Verbo carnem efficit,
Fitque sanguis Christi merum;
Et si sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum,
Sola fides sufficit.
Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui:
Præstet fides supplementum
Sensuum defectui.
Genitori, Genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio;
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

℣. Panem de cœlo præstitisti eis alleluia. ℟. Omne delectamentum in se habentem, alleluia.

Ad Magnif. Ant. O quam suavis est, Domine, spiritus tuus! qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito, esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.

Oratio.

DEUS, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue, quæsumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus: Qui vivis.

Ad Complet. et per Horas, in fine Hymnorum dicitur Jesu tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine. *Et similiter per totam Octavam.*

Ad Matutinum.

Invit. Christum Regem adoremus dominantem Gentibus, * Qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem.

HYMNUS.

SACRIS solemniis juncta sint gaudia,
Et ex præcordiis sonent præconia;
Recedant vetera, nova sint omnia,
Corda, voces et opera.
Noctis recolitur cœna novissima,
Qua Cristus creditur agnum et azyma
Dedisse fratribus, juxta legitima
Priscis indulta patribus.
Post agnum typicum, expletis epulis,
Corpus Dominicum datum discipulis
Sic totum omnibus, quod totum singulis,
Ejus fatemur manibus.
Dedit fragilibus corporis ferculum,
Dedit et tristibus sanguinis poculum,
Dicens: Accipite quod trado vasculum,
Omnes ex eo bibite.
Sic sacrificium istud instituit,
Cujus officium committi voluit
Solis presbyteris, quibus sic congruit,
Ut sumant, et dent cæteris.
Panis Angelicus fit panis hominum;
Dat panis cœlicus figuris terminum.
O res mirabilis! manducat Dominum
Pauper, servus et humilis.
Te, trina Deitas unaque, poscimus,
Sic nos tu visita, sicut te colimus;
Per tuas semitas duc nos quo tendimus,
Ad lucem quam inhabitas.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Fructum salutiferum gustandum dedit Dominus mortis suæ tempore.

Psalmus 1.

BEATUS vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, * et in cathedra pestilentiæ non sedit.

Sed in lege Domini voluntas ejus: * et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, * quod fructum suum dabit in tempore suo.

Et folium ejus non defluet: * et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.

Non sic impii, non sic: * sed tan-

quam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.

Ideo non resurgent impii in judicio : * neque peccatores in concilio justorum.

Quoniam novit Dominus viam justorum : * et iter impiorum peribit.

Ant. Fructum salutiferum gustandum dedit Dominus mortis suæ tempore.

Ant. A fructu frumenti et vini multiplicati fideles in pace Christi requiescunt.

Psalmus 4.

CUM invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ : * in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, * et exaudi orationem meam.

Filii hominum, usquequo gravi corde ? * ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ?

Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum :* Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare : * quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino. * Multi dicunt : Quis ostendit nobis bona ?

Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine : * dedisti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, et olei sui * multiplicati sunt.

In pace in idipsum * dormiam, et requiescam.

Quoniam tu, Domine, singulariter in spe * constituisti me.

Ant. A fructu frumenti et vini multiplicati fideles in pace Christi requiescunt.

Ant. Communione calicis, quo Deus ipse sumitur, non vitulorum sanguine, congregavit nos Dominus.

Psalmus 15.

CONSERVA me, Domine, quoniam speravi in te * Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum : * postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus : * nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei : * tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in præclaris : * etenim hæreditas mea præclara est mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum : * insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Providebam Dominum in conspectu meo semper : * quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea : * insuper et caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno : * nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo : * delectationes in dextera tua usque in finem.

Ant. Communione calicis, quo Deus ipse sumitur, non vitulorum sanguine, congregavit nos Dominus.

℣. Panem cœli dedit eis, alleluia.
℟. Panem Angelorum manducavit homo, alleluia.

De Epistola I. B. Pauli Apostoli ad Corinthios.

Lectio j. Cap. II.

CONVENIENTIBUS vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum ? aut Ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos, qui non habent ?

Digitized by Google

Quid dicam vobis? laudo vos? in hoc non laudo.

℟. Immolabit hædum multitudo filiorum Israel ad vesperam Paschæ: * Et edent carnes, et azymos panes.

℣. Pascha nostrorum immolatus est Christus: itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis. Et.

Lectio ij.

EGO enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Accipite, et manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.

℟. Comedetis carnes, et saturabimini panibus. * Iste est panis quem dedit vobis Dominus ad vescendum.

℣. Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Iste.

Lectio iij.

ITAQUE quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi. Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.

℟. Respexit Elias ad caput suum subcinericium panem: qui surgens comedit et bibit, * Et ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei ℣. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et. Gloria. Et.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Memor sit Dominus sacrificii nostri, et holocaustum nostrum pingue fiat.

Psalmus 19.

EXAUDIAT te Dominus in die tribulationis: * protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de sancto: * et de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificii tui, * et holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundum cor tuum: * et omne consilium tuum confirmet

Lætabimur in salutari tuo: * et in nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: * nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de cœlo sancto suo: * in potentatibus salus dexteræ ejus.

Hi in curribus, et hi in equis: * nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

Ipsi obligati sunt, et ceciderunt: * nos autem surreximus, et erecti sumus.

Domine, salvum fac regem: * et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

Ant. Memor sit Dominus sacrificii nostri, et holocaustum nostrum pingue fiat.

Ant. Paratur nobis mensa Domini adversus omnes qui tribulant nos.

Psalmus 22.

DOMINUS regit me, et nihil mihi deerit: * in loco pascuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: * animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiæ, * propter nomen suum.

Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: * quoniam tu mecum es.

Digitized by Google

Virga tua, et baculus tuus, * ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam,* adversus eos qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: * et calix meus inebrians quam præclarus est!

Et misericordia tua subsequetur me * omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini,* in longitudinem dierum.

Ant. Paratur nobis mensa Domini adversus omnes qui tribulant nos.

Ant. In voce exultationis resonent epulantes in mensa Domini.

Psalmus 41.

QUEMADMODUM desiderat cervus ad fontes aquarum: * Ita desiderat anima mea ad te, Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: * Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?

Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam: * quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

In voce exultationis et confessionis,* sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea? * et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei, et Deus meus.

Ad me ipsum anima mea conturbata est: * propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico.

Abyssus abyssum invocat, * in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, et fluctus tui * super me transierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam, * et nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ, * dicam Deo: Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei? * et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea, * exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus? * quare tristis es anima mea? et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei, et Deus meus.

Ant. In voce exultationis resonent epulantes in mensa Domini.

℣. Cibavit illos ex adipe frumenti, alleluia. ℟. Et de petra, melle saturavit eos, alleluia.

Sermo S. Thomæ Aquinatis.

Loctio iv *In Opusc.* 57.

IMMENSA divinæ largitatis beneficia, exhibita populo Christiano, inæstimabilem ei conferunt dignitatem. Neque enim est, aut fuit aliquando tam grandis natio, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster. Unigenitus siquidem Dei Filius, suæ divinitatis volens nos esse participes, nostram naturam assumpsit, ut homines deos faceret factus homo. Et hoc insuper quod de nostro assumpsit, totum nobis contulit ad salutem. Corpus namque suum pro nostra reconciliatione in ara crucis hostiam obtulit Deo Patri; sanguinem suum fudit in pretium simul et lavacrum, ut redempti a miserabili servitute, a peccatis omnibus mundaremur. Ut autem tanti beneficii jugis in nobis maneret memoria, corpus suum in cibum, et sanguinem suum in potum, sub specie panis et vini sumendum, fidelibus dereliquit.

℟. Cœnantibus illis accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: * Accipite, et comedite: hoc est corpus meum. ℣. Dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus ut saturemur? Accipite.

Lectio v.

O Pretiosum et admirandum convivium, salutiferum, et omni suavitate repletum! Quid enim hoc con-

Digitized by Google

vivio pretiosius esse potest? in quo non carnes vitulorum et hircorum, ut olim in lege, sed nobis Christus sumendus proponitur verus Deus. Quid hoc Sacramento mirabilius? in ipso namque panis et vinum in Christi corpus et sanguinem substantialiter convertuntur. Ideoque Christus Deus, et homo perfectus sub modici panis et vini specie continetur. Manducatur itaque a fidelibus, sed minime laceratur; quinimo, diviso Sacramento, sub qualibet divisionis particula integer perseverat. Accidentia autem sine subjecto in eodem subsistunt, ut fides locum habeat, dum invisibile visibiliter sumitur sub aliena specie occultatum, et sensus a deceptione redantur immunes, qui de accidentibus judicant sibi notis.

℣. Accepit Jesus calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. * Hoc facite in meam commemorationem. ℣. Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea. Hoc.

Lectio vj.

NULLUM etiam Sacramentum est isto salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, et mens omnium spiritualium charismatum abundantia impinguatur. Offertur in Ecclesia pro vivis et mortuis, ut omnibus prosit quod est pro salute omnium institutum. Suavitatem denique hujus Sacramenti nullus digne exprimere sufficit, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur, et recolitur memoria illius, quam in sua passione Christus monstravit, excellentissimæ charitatis. Unde ut arctius hujus charitatis immensitas fidelium cordibus infigeretur, in ultima cœna, quando Pascha cum discipulis celebrato, transiturus erat de hoc mundo ad Patrem, hoc Sacramentum instituit, tanquam passionis suæ memoriale perenne, figurarum veterum impletivum, miraculorum ab ipso factorum maximum; et de sua contristatis absentia solatium singulare reliquit.

℣. Ego sum panis vitæ: patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt: * Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducet, non moriatur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. — Hic. Gloria. Hic.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Introibo ad altare Dei: sumam Christum, qui renovat juventutem meam.

Psalmus 42.

JUDICA me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, * ab homine iniquo et doloso erue me.

Quia tu es, Deus, fortitudo mea: * quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam, et veritatem tuam: * ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei: * ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: * quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei, et Deus meus.

Ant. Introibo ad altare Dei: sumam Christum, qui renovat juventutem meam.

Ant. Cibavit nos Dominus ex adipe frumenti: et de petra, melle saturavit nos.

Psalmus 80.

EXULTATE Deo adjutori nostro: * jubilate Deo Jacob.

Sumite psalmum, et date tympanum, * psalterium jucundum cum cithara.

Buccinate in Neomenia tuba: * in insigni die solemnitatis vestræ.

Quia præceptum in Israel est: * et judicium Deo Jacob.

Digitized by

Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Ægypti: * linguam quam non noverat, audivit.

Divertit ab oneribus dorsum ejus: * manus ejus in cophino servierunt.

In tribulatione invocasti me, et liberavi te:* exaudivi te in abscondito tempestatis: probavi te apud aquam contradictionis.

Audi, populus meus et contestabor te: * Israel, si audieris me non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.

Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: * dilata os tuum, et implebo illud.

Et non audivit populus meus vocem meam:* et Israel non intendit mihi.

Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum: * ibunt in adinventionibus suis.

Si populus meus audisset me: * Israel si in viis meis ambulasset:

Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem: * et super tribulantes eos misissem manum meam.

Inimici Domini mentiti sunt ei:* et erit tempus eorum in sæcula.

Et cibavit eos ex adipe frumenti:* et de petra, melle saturavit eos.

Ant. Cibavit nos Dominus ex adipe frumenti: et de petra, melle saturavit nos.

Ant. Ex altari tuo, Domine, Christum sumimus, in quem cor et caro nostra exultant.

Psalmus 83.

QUAM dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! * concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum:* et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum, * Rex meus et Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua, Domine: * in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir cujus est auxilium abs te: * ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem:* videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: * auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster aspice, Deus: * et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis * super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei, * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: * gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia.* Domine virtutem, beatus homo qui sperat in te.

Ant. Ex altari tuo, Domine, Christum sumimus, in quem cor et caro nostra exultant.

℣. Educas panem de terra, alleluia.
℟. Et vinum lætificet cor hominis, alleluia.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo tempore: Dixit Jesus turbis Judæorum: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 26. *in Joannem.*

CUM cibo et potu id appetant homines ut neque esuriant neque sitiant, hoc veraciter non præstat, nisi iste cibus et potus, qui eos a quibus sumitur, immortales et incorruptibiles facit: id est, societas ipsa sanctorum, ubi pax erit, et unitas plena atque perfecta. Propterea quippe, sicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noster Jesus Christus corpus et sanguinem suum in eis rebus commenda-

Digitized by Google

vi', quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis conficitur, aliud in unum ex multis acinis confluit. Denique jam exponit quomodo id fiat quod loquitur, et quid sit manducare corpus ejus, et sanguinem bibere.

℟. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, * In me manet, et ego in eo. ℣. Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi sicut Deus noster adest nobis. In.

Lectio viij.

QUI manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Hoc est ergo manducare illam escam, et illum bibere potum, in Christo manere, et illum manentem in se habere. Ac per hoc, qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritaliter carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, licet carnaliter et visibiliter premat dentibus sacramentum corporis et sanguinis Christi, sed magis tantæ rei sacramentum ad judicium sibi manducat et bibit, quia immundus præsumpsit ad Christi accedere sacramenta, quæ aliquis non digne sumit, nisi qui mundus est; de quibus dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: * Et qui manducat me, vivet propter me. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ et intellectus. Et. Gloria Et.

Lectio ix.

SICUT, iniquit, misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Ac si diceret. Ut ego vivam propter Patrem, id est, ad illum tanquam ad majorem referam vitam meam, exinanitio mea fecit, in qua misit me. Ut autem quisquam vivat propter me, participatio facit, qua manducat me. Ego itaque humiliatus vivo propter Patrem, ille erectus vivit propter me. Si autem ita dictum est, Vivo propter Patrem, quia ipse de illo, non ille de ipso est, sine detrimento æqualitatis dictum est. Nec tamen dicendo, Et qui manducat me, et ipse vivet propter me; eamdem suam, et nostram æqualitatem significavit, sed gratiam mediatoris ostendit.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

Ad Laudes.

et per Horas, Antiphonæ.

1. Sapientia* ædificavit sibi domum, miscuit vinum, et posuit mensam, alleluia.

2. Angelorum esca * nutrivisti populum tuum, et panem de cœlo præstitisti eis, alleluia.

3. Pinguis est panis * Christi, et præbebit delicias regibus, alleluia.

4. Sacerdotes sancti * incensum et panes offerunt Deo, allel.

5. Vincenti * dabo manna absconditum, et nomen novum, allel.

Capitulum. I. Cor. II.

FRATRES, Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Accepite, et manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.

HYMNUS.

VERBUM supernum prodiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens,
Venit ad vitæ vesperam.

In mortem a discipulo
Suis tradendus æmulis,
Prius in vitæ ferculo
Se tradidit discipulis.

Quibus sub bina specie
Carnem dedit et sanguinem,
Ut duplicis substantiæ
Totum cibaret hominem.

Se nascens dedit socium
Convescens in edulium,

Digitized by Google

Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.
O salutaris hostia,
Quæ cœli pandis ostium,
Bella premunt hostilia,
Da robur, fer auxilium.
Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria. Amen.

℣. Posuit fines tuos pacem, alleluia. ℟. Et adipe frumenti satiat te, alleluia.

Ad Bened. Ant. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, alleluia.

Oratio.

DEUS, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue, quæsumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus: Qui vivis.

Ad Primam.

In. ℟. *br.* ℣. Qui natus es de Maria virgine. *Et sic dicitur per totam Octavam.*

In ℣℣. Primæ et Complet. non additur alleluia. *sed in aliis Horis.*

Ad Tertiam.

Capit. Fratres Ego enim.

℟. *br.* Panem cœli dedit eis, * Alleluia, alleluia. Panem. ℣. Panem Angelorum manducavit homo. Alleluia. Gloria. Panem. ℣. Cibavit illos ex adipe frumenti, alleluia. ℟. Et de petra, melle saturavit eos, alleluia.

Ad Sextam.

Capitulum. I. Cor. II.

QUOTIESCUMQUE enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.

℟. *br.* Cibavit illos ex adipe frumenti, * Alleluia, alleluia. Cibavit. ℣. Et de petra, melle saturavit eos. Alleluia, alleluia. Gloria. Cibavit. ℣. Educas panem de terra, alleluia. ℟. Et vinum lætificet cor hominis, alleluia.

Ad Nonam.

Capitulum. I. Cor. II.

QUICUMQUE manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.

℟. *br.* Educas panem de terra, * Alleluia, alleluia. Educas. ℣. Et vinum lætificet cor hominis. Alleluia, alleluia. Gloria. Educas. ℣. Posuit fines tuos pacem, alleluia. ℟. Et adipe frumenti satiat te, alleluia.

In II. Vesperis.

Omnia dicuntur ut in I. Vesp.

℣. Panem de cœlo præstitisti eis, alleluia. ℟. Omne delectamentum in se habentem, alleluia.

Ad Magnif. Ant. O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur, allel.

FERIA SEXTA

IN I. NOCTURNO.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. i.

VENIT autem vir Dei ad Heli, et ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Numquid non aperte revelatus sum domui patris tui, cum essent in Ægypto in domo Pharaonis? Et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, et adoleret mihi incensum, et portaret ephod coram me: et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israel. Quare calce abjecistis victimam meam, et munera mea quæ præcepi ut offerrentur in templo, et magis honorasti filios tuos, quam me, ut comederetis primitias omnis sacrificii Israel populi mei?

Digitized by Google

Lectio ij.

PROPTEREA ait Dominus Deus Israel: Loquens locutus sum ut domus tua et domus patris tui ministraret in conspectu meo usque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc a me; sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Ecce dies veniunt, et præcidam brachium tuum, et brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua. Et videbis æmulum tuum in templo, in universis prosperis Israel; et non erit senex in domo tua omnibus diebus. Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: sed ut deficiant oculi tui, et tabescat anima tua: et pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit.

Lectio iij.

HOC autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophni et Phinees: In die uno morientur ambo. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum et animam meam faciet, et ædificabo ei domum fidelem, et ambulabit coram Christo meo cunctis diebus. Futurum est autem ut quicumque remanserit in domo tua, veniat ut oretur pro eo, et offerat nummum argenteum et tortam panis, dicatque: Dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis.

IN II. NOCTURNO.

De Sermone S. Thomæ Aquinatis.

Lectio iv. *Ex Opusc.* 57.

CONVENIT itaque devotioni fidelium solemniter recolere institutionem tam salutiferi, tamque mirabilis Sacramenti, ut ineffabilem modum divinæ præsentiæ in Sacramento visibili veneremur, et laudetur Dei potentia, quæ in Sacramento eodem tot mirabilia operatur: necnon et de tam salubri, tamque suavi beneficio exsolvantur Deo gratiarum debitæ actiones. Verum etsi in die Cœnæ, quando Sacramentum prædictum noscitur institutum, inter Missarum solemnia de institutione ipsius specialis mentio habeatur, totum tamen residuum ejusdem diei officium ad Christi passionem pertinet, circa cujus venerationem Ecclesia illo tempore occupatur.

Lectio v.

UT autem integro celebritatis officio institutionem tanti Sacramenti recoleret plebs fidelium, Romanus Pontifex Urbanus Quartus, hujus Sacramenti devotione affectus, pié statuit præfatæ institutionis memoriam prima quinta Feria post Octavas Pentecostes a cunctis fidelibus celebrari: ut qui per totum anni circulum hoc Sacramento utimur ad salutem, ejus institutionem illo tempore specialiter recolamus, quo Spiritus sanctus corda discipulorum edocuit ad plene cognoscenda hujus mysteria Sacramenti. Nam et in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum a fidelibus frequentari.

Lectio vj.

UT autem prædicta quinta Feria, et per Octavas sequentes, ejus salutaris institutionis honorificentius agatur memoria, et solemnitas de hoc celebrior habeatur, loco distributionum materialium quæ in Ecclesiis cathedralibus largiuntur assistentibus Horis Canonicis nocturnis pariterque diurnis, præfatus Romanus Pontifex eis, qui hujusmodi Horis in hac solemnitate personaliter in Ecclesiis interfuerint, stipendia spiritualia Apostolica largitione concessit, quatenus per hæc fideles ad tanti festi celebritatem avidius et copiosius convenirent.

IN III. NOCTURNO

Lectio sancti Evangelii secundum Ioannem.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo tempore: Dixit Jesus turbis Judæorum: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et reliqua.

Digitized by Google

Homilia S. Augustini Episcopi.
Tract. 17. in Joannem.

VERBA Domini ex Evangelio, quæ sermonem pristinum consequuntur, audivimus. Hinc sermo debetur auribus et mentibus vestris. et hodierna die non importunus est. Est enim de corpore Domini, quod dicebat se dare ad manducandum propter æternam vitam. Exposuit autem modum attributionis hujus, et doni sui, quomodo daret carnem suam manducare, dicens: Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in illo. Signum quia manducavit et bibit, hoc est, si manet, et manetur; si habitat, et inhabitatur; si hæret, ut non deseratur.

Lectio viij.

HOC ergo nos docuit et admonuit mysticis verbis, ut simus in ejus corpore sub ipso capite in membris ejus, edentes carnem ejus, non relinquentes unitatem ejus. Sed qui aderant, plures non intelligendo scandalizati sunt: non enim cogitabant, hæc audiendo, nisi carnem, quod ipsi erant. Apostolus autem dicit, et verum dicit: Sapere secundum carnem, mors est. Carnem suam dat nobis Dominus manducare: et sapere secundum carnem, mors est, cum de carne sua dicat, quia ibi est vita æterna: ergo nec carnem debemus sapere secundum carnem, sicut in his verbis: Multi itaque audientes, non ex inimicis, sed ex discipulis ejus, dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?

Lectio ix.

SI discipuli durum habuerunt istum sermonem, quid inimici? Et tamen sic oportebat ut diceretur, quod non ab omnibus intelligeretur. Secretum Dei intentos debet facere, non adversos: isti autem cito defecerunt, talia loquente Domino Jesu Christo. Non crediderunt aliquid magnum dicentem, et verbis illis aliquam gratiam cooperientem: sed prout voluerunt, ita intellexerunt, et more hominum: quia poterat Jesus, aut hoc disponebat Jesus, carnem, qua indutum erat Verbum, veluti concisam distribuere credentibus in se. Durus est, inquiunt, hic sermo: quis potest eum audire?

SABBATO.

IN I. NOCTURNO.

De libro primo Regum.
Lectio j. Cap. 3.

PUER autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, et sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta. Factum est ergo in die quadam, Heli jacebat in loco suo, et oculi ejus caligaverant, nec poterat videre: lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei. Et vocavit Dominus Samuel. Qui respondens, ait: Ecce ego. Et cucurrit ad Heli, et dixit: Ecce ego, vocasti enim me. Qui dixit: non vocavi: revertere, et dormi. Et abiit, et dormivit. Et adjecit Dominus rursum vocare Samuelem. Consurgensque Samuel abiit ad Heli, et dixit: Ecce ego, quia vocasti me. Qui respondit: Non vocavi te, fili mi, revertere, et dormi. Porro Samuel necdum sciebat Dominum, neque revelatus fuerat ei sermo Domini.

Lectio ij.

ET adjecit Dominus, et vocavit adhuc Samuelem tertio. Qui consurgens abiit ad Heli, et ait: Ecce ego, quia vocasti me. Intellexit ergo Heli quia Dominus vocaret puerum, et ait ad Samuelem: Vade, et dormi; et si deinceps vocaverit te, dices: Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Abiit ergo Samuel, et dormivit in loco suo. Et venit Dominus, et stetit: et vocavit, sicut vocaverat secundo, Samuel, Samuel. Et ait Samuel: Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Et dixit Dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum

Digitized by Google

a Istrael quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus. In die illa suscitabo adversum Heli omnia quæ locutus sum super domum ejus : incipiam, et complebo.

Lectio iij.

DORMIVIT autem Samuel usque mane, aperuitque ostia domus Domini. Et Samuel timebat indicare visionem Heli. Vocavit ergo Heli Samuelem, et dixit : Samuel fili mi ? Qui respondens, ait : Præsto sum. Et interrogavit eum : Quis est sermo, quem locutus est Dominus ad te ? oro te ne celaveris me. Hæc faciat tibi Deus, et hæc addat, si absconderis a me sermonem ex omnibus verbis, quæ dicta sunt tibi. Indicavit itaque ei Samuel universos sermones, et non abscondit ab eo. Et ille respondit : Dominus est : quod bonum est in oculis suis faciat. Crevit autem Samuel, et Dominus erat cum eo, et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram. Et cognovit universus Israel a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel Propheta esset Domini.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Homilia 61. *ad populum Antioch.*

Lectio iv.

NECESSARIUM est, dilectissimi, mysteriorum discere miraculum, quodnam sit, et quare sit datum, et quæ ejus rei utilitas. Unum corpus efficimur : membra, inquit ex carne ejus et ex ossibus ejus : sequamur autem initiati, quæ dicuntur. Ut itaque non tantum per charitatem hoc fiamus, verum etiam ipsa re, in illam misceamur carnem ; hoc namque per escam efficitur, quam largitus est nobis, volens ostendere desiderium quod erga nos habet. Propterea semetipsum nobis immiscuit, et corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid simus tanquam corpus capiti coaptatum : ardenter enim amantium hoc est.

Lectio v.

TANQUAM leones igitur ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles, et caput nostrum mente revolventes, et charitatem quam erga nos ostendit. Nam parentes quidem aliis sæpe filios tradunt alendos : ego autem, inquit, non ita, sed carnibus meis alo, et meipsum vobis appono, vos omnes generosos esse volens, et spem bonam de futuris vobis præbens : quippe qui vobis hic me ipsum tradidi, multo magis id in futuro faciam. Volui frater vester fieri, carni propter vos et sanguini communicavi : vobis vicissim ipsam carnem et sanguinem, per quæ cognatus vester factus sum, trado.

Lectio vj.

ATTENDAMUS itaque nobis ipsis, dilectissimi, talibus fruentes bonis : et cum aliquid turpe dicere voluerimus, vel nos ab ira corripi viderimus, vel alio quopiam hujusmodi vitio, consideremus quibus facti sumus digni : talisque cogitatio nobis irrationabilium motuum sit correctio. Quotquot igitur hujus participes corporis efficimur, quotquot sanguinem degustamus, cogitemus, quod illum sursum sedentem, qui ab Angelis adoratur, incorruptibili vicinus virtuti, hunc degustamus. Hei mihi, quot ad salutem nobis viæ ! Nos corpus suum effecit, nobis suum communicavit corpus ; et horum nos nihil a malis avertit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo tempore : Dixit Jesus turbis Judæorum : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 27. *in Joannem.*

DIXIMUS, fratres, hoc Dominum commendasse in manduca-

Digitized by Google

tione carnis suæ, et potatione sanguinis sui, ut in illo maneamus, et ipse in nobis. Maneamus autem in illo, cum sumus membra ejus : manet autem ipse in nobis, cum sumus templum ejus. Ut autem simus membra ejus, unitas nos compaginat : ut compaginet unitas, quæ facit nisi charitas ? Et charitas Dei unde ? Apostolum interroga. Charitas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Lectio viij.

ERGO spiritus est, qui vivificat : spiritus enim facit viva membra : nec viva membra spiritus facit, nisi quæ in corpore, quod vegetat ipse spiritus, invenerit. Nam spiritus qui est in te, o homo, quo constas ut homo sis, numquid vivificat membrorum quod separatum invenerit a carne tua ? Spiritum tuum dico animam tuam. Anima tua non vivificat, nisi membra quæ sunt in carne tua : unum si tollas, jam non vivificatur ex anima tua, quia unitati corporis tui non copulatur.

Lectio ix.

HÆC dicuntur, ut amemus unitatem, et timeamus separationem. Nihil enim sic debet formidare Christianus, quam separari a corpore Christi. Si enim separatur a corpore Christi, non est membrum ejus : si non est membrum ejus, non vegetatur Spiritus ejus. Quisquis autem, inquit Apostolus, Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Spiritus ergo est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam. Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. Quid est, Spiritus et vita sunt ? Spiritaliter intelligenda sunt. Intellexisti spiritaliter ? Spiritus et vita sunt. Intellexisti carnaliter ? Etiam sic illa spiritus et vita sunt, sed tibi non sunt.

Ad Vesperas.

Ant. Psalmi ut in I. Vesp. Festi.

Capitulum. I. Joan. 3.

CHARISSIMI, Nolite mirari, si odit vos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.

Hymnus ut supra, p. 431.

℣. Cibavit illos ex adipe frumenti, alleluia. ℟. Et de petra, melle saturavit eos, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Puer Samuel ministrabat ante Deum coram Heli, et sermo Domini erat pretiosus cum eo.

Oratio ut infra in Laudibus.

Et fit comm. de Oct., p. 439.

DOM. INFRA OCTAVAM.

quæ est II. post Pentec.

Omnia de Oct. præter sequentia.

IN I. NOCTURNO.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cpa. 4.

ET factum est in diebus illis, convenerunt Philisthiim in pugnam : et egressus est Israel obviam Philisthiim in prælium, et castrametatus est juxta Lapidem adjutorii. Porro Philisthiim venerunt in Aphec, et instruxerunt aciem contra Israel. Inito autem certamine, terga vertit Israel Philisthæis, et cæsa sunt in illo certamine passim per agros quasi quatuor millia virorum. Et reversus est populus ad castra, dixeruntque majores natu de Israel : Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthiim ? Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, et veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum.

Lectio ij.

MISIT ergo populus in Silo, et tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubim : erantque duo filii Heli cum arca fœderis Dei, Ophni et Phinees. Cumque venisset arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israel clamore grandi et personuit terra. Et audierunt Philisthiim vocem clamoris, dixeruntque : Quænam est hæc vox

Digitized by Google

clamoris magni in castris Hebræorum? Et cognoverunt quod arca Domini venisset in castra.

Lectio iij.

TIMUERUNTQUE Philisthiim, dicentes: Venit Deus in castra. Et ingemuerunt, dicentes: Væ nobis; non enim fuit tanta exultatio heri et nudiustertius: væ nobis. Quis nos salvabit de manu Deorum sublimium istorum? Hi sunt Dii, qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto. Confortamini, et estote viri, Philisthiim; ne serviatis Hebræis, sicut et illi servierunt vobis: confortamini, et bellate. Pugnaverunt ergo Philisthiim, et cæsus est Israel, et fugit unusquisque in tabernaculum suum; et facta est plaga magna nimis, et ceciderunt de Israel triginta millia peditum. Et arca Dei capta est: duo quoque filii Heli mortui sunt, Ophni, et Phinees.

IN II. NOCTURNO.

Serm. S. Joannis Chrysostomi.

Homilia 60. ad populum Antioch.

Lectio iv.

QUONIAM Verbum dicit: Hoc est corpus meum, et assentiamur et credamus, et intellectualibus ipsum oculis intueamur. Nihil enim sensibile nobis Christus tradidit, sed sensibilibus quidem rebus, at omnia intelligibilia. Itidem et in baptismate: per rem nempe sensibilem aquam, donum confertur; intelligibile vero quod perficitur, generatio et renovatio. Si enim incorporeus esses, nuda et incorporea tibi dedisset ipse dona: sed quoniam anima corpori conserta est, in sensibilibus intelligibilia tibi præbet. Quot nunc dicunt: Vellem ipsius formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta? Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum manducas. Et tu quidem vestimenta cupis videre: ipse vero tibi concedit non tantum videre, verum et manducare, et tangere, et intra te sumere.

Lectio v.

IGITUR accedat nemo cum nausea, nemo resolutus, omnes accensi, omnes ferventes, et excitati. Nam si Judæi stantes, et calceamenta in pedibus habentes, et baculos manibus gestantes, Agnum cum festinatione comedebant, te multo magis oportet esse solertem. Nam illi quidem in Palæstinam erant profecturi, et propterea viatorum figuram habebant; tu vero debes in cœlum migrare. Quapropter in omnibus oportet te vigilare: nec enim parva pœna proponitur indigne sumentibus. Cogita quantum adversus proditorem indignaris, et contra eos qui illum crucifixerunt; itaque considera, ne tu quoque sis reus corporis et sanguinis Christi. Illi sanctissimum corpus occiderunt; tu vero polluta suscipis anima, post tot beneficia. Neque enim illi satis fuit hominem fieri, colaphis cædi, et crucifigi: verum et semetipsum nobis commiscet; et non fide tantum, verum et ipsa re nos suum efficit corpus.

Lectio vj.

QUO non oportet igitur esse puriorem, tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc dividentem? os quod igni spiritali repletur? linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris. Quod Angeli videntes horrescunt, neque libere audent intueri propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos unimur, et facti sumus unum Christi corpus, et una caro. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? Quis pastor oves proprio pascit cruore? Et quid dico, pastor? Matres multæ sunt quæ post partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus: sed ipse nos proprio sanguine pascit, et per omnia nos sibi coagmentat.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Digitized by Google

Lectio vij. Cap. 14.

IN illo tempore : Dixit Jesus Pharisæis parabolam hanc : homo quidam fecit cœnam magnam , et vocavit multos. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Papæ.

Homil. 36. *in Evangelia.*

HOC distare , fratres charissimi, inter delicias corporis et cordis solet , quod corporales deliciæ, cum non habentur , grave in se desiderium accendunt ; cum vero avide eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra spiritales deliciæ , cum non habentur , in fastidio sunt ; cum vero habentur, in desiderio : tantoque a comedente amplius esuriuntur , quanto et ab esuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet , experientia displicet : in istis appetitus vilis est , et experientia magis placet. In illis appetitus saturitatem , saturitas fastidium generat : in istis autem appetitus saturitatem , saturitas appetitum parit.

Lectio viij.

AUGENT enim spiritales deliciæ desiderium in mente , dum satiant : quia quanto magis earum sapor percipitur , eo amplius cognoscitur quod avidius ametur ; et idcirco non habitæ amari non possunt , quia earum sapor ignoratur. Quis enim amare valeat quod ignorat ? Proinde Psalmista nos admonet , dicens : Gustate et videte , quoniam suavis est Dominus. Ac si aperte dicat : Suavitatem ejus non cognoscitis , si hanc minime gustatis : sed cibum vitæ ex palato cordis tangite , ut probantes ejus dulcedinem , amare valeatis. Has autem homo delicias tunc amisit , cum in paradiso peccavit : extra exiit , cum os a cibo æternæ dulcedinis clausit.

℟. Homo quidam fecit cœnam magnam , et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent : * Quia parata sunt omnia. ℣. Venite , comedite panem meum , et bibite vinum quod miscui vobis. Quia. Gloria. Quia.

Lectio ix.

UNDE nos quoque nati in hujus peregrinationis ærumna , huc fastidiosi jam venimus ; nescimus quid desiderare debeamus, tantoque se amplius fastidii nostri morbus exaggerat, quanto se magis ab esu illius dulcedinis animus elongat ; et eo jam internas delicias non appetit , quo eas comedere diu longeque desuevit. Fastidio ergo nostro tabescimus, et longa inediæ peste fatigamur. Et quia gustare intus nolumus paratam dulcedinem , amamus foris miseri famem nostram.

Ad Laudes

Capitulum. I. Joan. 3.

CHARISSIMI , Nolite mirari , si odit vos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam , quoniam diligimus fratres.

Hymnus ut supra , p. 438.

℣. Panem cœli dedit eis , alleluia.

℟. Panem Angelorum manducavit homo , alleluia.

Ad Bened. Ant. Homo quidam fecit cœnam magnam , et vocavit multos ; et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia omnia parata sunt , alleluia.

Oratio.

SANCTI nominis tui , Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione destituis , quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Per Dominum.

Et fit comm. de Oct., p. 439.

Ad Horas Ant. et ℟℟. br. ut supra p. 439.

Ad Tertiam.

Capit. Charissimi Nolite.

Ad Sextam.

Capitulum. 1. Joan. 3.

IN hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro no-

Digitized by Google

bis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere.

Ad Nonam.

Capitulum. I. Joan. 3.

FILIOLI mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.

Ad Vesperas.

Ant. Psalmi et Hymnus, ut in I. Vesp. Festi, p. 431.

Capit. Charissimi Nolite.

℣. Cibavit illos ex adipe frumenti, alleluia. ℟. Et de petra, melle saturavit eos, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Exi cito in plateas et vicos civitatis, et pauperes ac debiles, cæcos et claudos compelle intrare; ut impleatur domus mea, alleluia.

Et fit comm. de Oct., p. 439.

FERIA SECUNDA.

IN I. NOCTURNO.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 5.

PHILISTHIIM autem tulerunt arcam Dei, et asportaverunt eam a Lapide adjutorii in Azotum. Tuleruntque Philisthiim arcam Dei, et intulerunt eam in templum Dagon, et statuerunt eam juxta Dagon. Cumque surrexissent diluculo Azotii altera die, ecce Dagon jacebat pronus in terra ante arcam Domini: et tulerunt Dagon, et restituerunt eum in locum suum. Rursumque mane die altera con-urgentes, invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra coram arca Domini: caput autem Dagon, et duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen: porro Dogon solus truncus remanserat in loco suo.

Lectio ij.

AGGRAVATA est autem manus Domini super Azotios, et demolitus est eos. Et ebullierunt villæ et agri in medio regionis illius, et nati sunt mures, et facta est confusio mortis magnæ in civitate. Videntes autem viri Azotii hujuscemodi plagam, dixerunt: Non maneat arca Dei Israel apud nos, quoniam dura est manus ejus super nos, et super Dagon deum nostrum. Et mittentes congregaverunt omnes satrapas Philistinorum ad se, et dixerunt: Quid faciemus de arca Dei Israel? Responderuntque Gethæi: Circumducatur arca Dei Israel.

Lectio iij.

ET circumduxerunt arcam Dei Israel. Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis magnæ nimis, et percutiebat viros uniuscujusque urbis a parvo usque ad majorem. Miserunt ergo arcam Dei in Accaron. Cumque venisset arca Dei in Accaron, exclamaverunt Accaronitæ, dicentes: Adduxerunt ad nos arcam Dei Israel, ut interficiat nos et populum nostrum. Miserunt itaque et congregaverunt omnes satrapas Philisthinorum, qui dixerunt: Dimittite arcam Dei Israel, et revertatur in locum suum, et non interficiat nos cum populo nostro. Fiebat enim pavor mortis in singulis urbibus, et gravissima valde manus Dei.

IN II. NOCTURNO.

De Serm. S. Joan. Chrysostomi.

Ex eadem Homilia 60.

Lectio iv.

UNICUIQUE fidelium Christus semetipsum per mysteria commiscet, et quos genuit, per semetipsum enutrit, nec alteri tradit, per hoc tibi rursum persuadens quod carnem tuam assumpsit. Ne torpeamus igitur tanta digni charitate et honore putati. Nonne videtis quanta promptitudine parvuli papillas capiunt, et quanto impetu labia uberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc mensam, et ad ubera poculi spiritalis: quinimo cum longe majori trahamus, tanquam infantes lactentes, spiritus gratiam, et unus sit nobis dolor hac esca privari. Non

Digitized by Google

sunt humanæ virtutis opera, hæc quæ proponuntur : qui tunc ipsa fecit in illa cœna , idem ea nunc quoque facit. Nos ministrorum tenemus locum; qui vero sanctificat ea et immutat, ipse est. Nullus itaque Judas assistat, nullus avarus ; nam tales mensa non suscipit. Si quis est discipulus, adsit. Ait enim : Cum discipulis meis facio Pascha. Hæc est illa mensa, et minus nihil habet. Non enim illam quidem Christus , hanc autem homo perficit, verum et hanc ipse quoque.

Lectio v.

INHUMANUS accedat nemo , nemo crudelis et immisericors , nemo prorsus immundus. Hæc ad communicantes dico , et ad vos , ministrantes. Nam et ad vos sermonem convertere necessarium est , ut multo cum studio hæc dona distribuatis. Non parva vobis imminet ultio , si quemquam illius culpæ conscii , hujus mensæ participem esse concedatis. Sanguis ejus de manibus vestris exquiretur. Sive quis dux militiæ sit , sive præfectus , sive princeps diademate coronatus , indigne autem accedat , prohibe ; majorem illo potestatem habes. Propterea vos Deus hoc insignivit honore , ut talia discernatis. Hoc vestra dignitas est , hoc securitas , hoc omnis corona; non ut albam et splendentem tunicam circumeatis induti. Verum et tu , laice , cum sacerdotem videris offerentem , ne ut sacerdotem esse putes hoc facientem , sed Christi manum invisibiliter extensam.

Lectio vj.

AUDIAMUS igitur et sacerdotes et subditi , quali esca facti sumus digni ; audiamus et horreamus. Sanctis carnibus suis nos dedit impleri , semetipsum apposuit immolatum. Quænam igitur erit nobis excusatio , cum talibus pasti talia peccemus , cum lupi fiamus Agnum comedentes , cum tanquam oves pasti more leonum diripiamus ? Hoc enim mysterium non a rapina tantum , verum et ab omni vel tenui inimicitia purum esse penitus jubet : est enim pacis mysterium. Judæis quidem annuatim propriorum monumenta beneficiorum solemnitates Deus alligavit , tibi vero singulis diebus per hæc mysteria. Nullus itaque Judas hanc mensam petat , nullus Simon. Hi namque duo propter avaritiam perierunt : hoc igitur barathrum fugiamus.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo tempore : Dixit Jesus turbis Judæorum : Caro mea vere est cibus , et sanguis meus vere est potus. Et reliqua.

De Homilia S. Augustini Episcopi *Tractatu* 26. *in Joannem.*

HIC est panis, qui de cœlo descendit. Hunc panem significavit manna , hunc panem significavit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt: in signis diversa sunt , sed in re quæ significatur , paria sunt. Apostolum audi : Nolo enim vos , inquit ignorare , fratres , quia patres nostri omnes sub nube fuerunt , et omnes mare transierunt , et omnes per Moysen baptizati sunt in nube et in mari , et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt. Spiritalem utique eamdem , nam corporalem alteram : quia illi manna , nos aliud : spiritalem vero , quam nos ; sed patres nostri , non patres illorum ; quibus nos similes sumus , non quibus illi similes fuerunt. Et adjungit : Et omnes eumdem potum spiritalem biberunt. Aliud illi , aliud nos , sed specie visibili quidem , tamen hoc idem significante virtute spiritali. Quomodo enim eumdem potum ? Bibebant , inquit , de spiritali sequente petra : petra autem erat Christus. Inde panis , inde potus. Petra Christus in signo , verus Christus in verbo et in carne. Et quomodo biberunt ? Percussa est petra de virga bis. Gemina percussio duo ligna crucis significat.

Digitized by Google

Lectio vilj.

NORUNT fideles corpus Christi, si corpus Christi non negligant esse. Fiant corpus Christi, si volunt vivere de Spiritu Christi. De Spiritu Christi non vivit, nisi corpus Christi. Intelligite, fratres mei, quid dixerim. Homo es, et spiritum habes, et corpus habes. Spiritum dico, quæ anima vocatur, qua constas quod homo es: constas enim ex anima et corpore. Habes enim spiritum invisibilem, corpus visibile. Dic mihi, quid ex quo vivat? Spiritus tuus vivit ex corpore tuo, an corpus tuum ex spiritu tuo? Respondet omnis qui vivit: qui autem hoc non potest respondere, nescio si vivit. Quid respondet omnis qui vivit? Corpus utique meum vivit de spiritu meo. Vis ergo et tu vivere de Spiritu Christi? in corpore esto Christi.

Lectio ix.

NUMQUID enim corpus meum vivit de spiritu tuo? Meum vivit de spiritu meo, et tuum de spiritu tuo. Non potest vivere corpus Christi, nisi de Spiritu Christi. Inde est quod exponens nobis Apostolus Paulus hunc panem. Unus panis, inquit, unum corpus multi sumus. O sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur: non abhorreat à compage membrorum, non sit putre membrum quod resecari mereatur, non sit distortum, de quo erubescatur. Sit pulchrum, sit aptum, sit sanum: hæreat corpori, vivat Deo de Deo: nunc laboret in terra, ut postea regnet in cœlo.

FERIA TERTIA

IN I. NOCTURNO.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 6.

FUIT ergo arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus. Et vocaverunt Philisthiim sacerdotes et divinos, dicentes: Quid faciemus de arca Domini? indicate nobis quomodo remittamus eam in locum suum. Qui dixerunt: Si remittitis arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacuam; sed quod debetis, reddite ei pro peccato: et tunc curabimini, et scietis quare non recedat manus ejus a vobis.

Lectio ij.

QUARE aggravatis corda vestra, sicut aggravavit Ægyptus et Pharao cor suum? Nonne postquam percussus est, tunc dimisit eos, et abierunt? Nunc ergo arripite, et facite plaustrum novum unum, et duas vaccas fœtas, quibus non est impositum jugum: jungite in plaustro, et recludite vitulos earum domi. Tolletisque arcam Domini, et ponetis in plaustro, et vasa aurea, quæ exolvistis ei pro delicto, ponetis in capsellam ad latus ejus, et dimittite eam ut vadat. Et aspicietis, et si quidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande: sin autem, minime; sciemus quia nequaquam manus ejus tetigit nos, sed casu accidit. Fecerunt ergo illi hoc modo.

Lectio iij.

IBANT autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames, et itinere uno gradiebantur pergentes et mugientes, et non declinabant neque ad dexteram neque ad sinistram: sed et satrapæ Philisthiim sequebantur usque ad terminos Bethsames. Porro Bethsamitæ metebant triticum in valle, et elevantes oculos suos, viderunt arcam, et gavisi sunt cum vidissent. Et plaustrum venit in agrum Josue Bethsamitæ, et stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus: et conciderunt ligna plaustri, vaccasque imposuerunt super ea, holocaustum Domino. Levitæ autem deposuerunt arcam Dei.

IN II. NOCTURNO.

Ex Epistola S. Cypriani Episcopi et Martyris ad Cæcilium.

Digitized by Google

Lectio iv. Lib. 2 Epist. 3.

IN sacerdote Melchisedech sacrificii Dominici sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod Scriptura divina testatur, et dicit: Et Melchisedech rex Salem protulit panem et vinum. Fuit autem sacerdos Dei summi, et benedixit Abraham. Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in psalmis Spiritus sanctus, ex persona Patris ad Filium, dicens: Ante luciferum genui te: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens, et inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem et vinum obtulit, quod Abraham benedixit.

Lectio v.

NAM quis magis sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus? qui sacrificium Deo Patri obtulit: et obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem. Et circa Abraham benedictio illa præcedens, ad nostrum populum pertinebat. Nam si Abraham Deo credidit, et deputatum est ei ad justitiam, utique quisquis Deo credit, et fide vivit, justus invenitur, et jampridem in Abraham fideli benedictus et justificatus ostenditur, sicut beatus Apostolus Paulus probat, dicens: Credidit Abraham Deo, et deputatum est ei ad justitiam. Cognoscitis ergo quia qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ. Providens autem Scriptura quia ex fide justificat Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ, quia benedicentur in illo omnes Gentes.

Lectio vj.

UT ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, præcedit ante imago sacrificii, in pane et vino scilicet constituta. Quam rem perficiens et adimplens Dominus, panem et calicem mixtum vino obtulit: et qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit. Sed et per Salomonem Spiritus sanctus typum Dominici sacrificii ante præmonstrat, immolatæ hostiæ, et panis, et vini, sed et altaris, et Apostolorum faciens mentionem: Sapientia, inquit, ædificavit sibi domum, et subdidit columnas septem; mactavit suas hostias, miscuit in cratere vinum suum, et paravit mensam suam. Et misit servos suos convocans cum excelsa prædicatione ad craterem, dicens: Qui est insipiens, declinet ad me. Et egentibus sensu dixit: Venite, edite de meis panibus, et bibite vinum quod miscui vobis.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo tempore: Dixit Jesus turbis Judæorum: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et reliqua.

De Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 26. *in Joannem.*

NON sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Quare manducaverunt, et mortui sunt? Quia quod videbant, credebant: quod non videbant, non intelligebant. Ideo patres vestri, quia similes estis illorum. Nam quantum pertinet, fratres mei, ad mortem istam visibilem et corporalem, numquid non morimur, qui manducamus panem de cœlo descendentem? Sic sunt mortui et illi, quemadmodum et nos sumus morituri, quantum attinet, ut dixi, ad mortem hujus corporis visibilem atque carnalem.

Lectio viij.

QUANTUM autem pertinet ad illam mortem, de qua terret Dominus, qua mortui sunt patres istorum, manducavit manna et Moyses, manducavit manna et Aaron, manducavit manna et Phinees, mandu-

Digitized by Google

caverunt ibi multi qui Domino placuerunt, et mortui non sunt. Quare? Quia visibilem cibum spiritaliter intellexerunt, spiritaliter esurierunt, spiritaliter gustaverunt, ut spiritaliter satiarentur. Nam et nos hodie accipimus visibilem cibum, sed aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti.

Lectio ix.

QUAM multi de altari accipiunt, et moriuntur, et accipiendo moriuntur! Unde dicit Apostolus: Judicium sibi manducat et bibit. Nonne buccella Dominica venenum fuit Judæ? Et tamen accepit. Et cum accepit, in eum inimicus intravit: non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit. Videte ergo, fratres, panem cœlestem spiritaliter manducate, innocentiam ad altare apportate. Peccata, etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera. Antequam ad altare accedatis, attendite quod dicatis: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Si dimittis, dimittetur tibi: securus accede, panis est, non venenum.

FERIA QUARTA.

IN I. NOCTURNO.

De libro primo Regum.

Lectio j. *Cap.* 6. et 7.

PERCUSSIT autem de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini; et percussit de populo septuaginta viros, et quinquaginta millia plebis. Luxitque populus, eo quod Dominus percussisset plebem plaga magna. Et dixerunt viri Bethsamitæ: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus? et ad quem ascendet a nobis? Miseruntque nuntios ad habitatores Cariathiarim, dicentes: Reduxerunt Philisthiim arcam Domini; descendite, et reducite eam ad vos. Venerunt ergo viri Cariathiarim, et reduxerunt arcam Domini, et intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa. Eleazarum autem filium ejus sanctificaverunt, ut custodiret arcam Domini.

Lectio ij.

ET factum est, ex qua die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies (erat quippe jam annus vigesimus) et requievit omnis domus Israel post Dominum. Ait autem Samuel ad universam domum Israel, dicens: Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, Baalim, et Astaroth, et præparate corda vestra Domino, et servite ei soli, et eruet vos de manu Philisthiim. Abstulerunt ergo filii Israel Baalim et Astaroth, et servierunt Domino soli.

Lectio iij.

DIXIT autem Samuel: Congregate universum Israel in Masphath, ut orem pro vobis Dominum. Et convenerunt in Masphath, hauseruntque aquam, et effuderunt in conspectu Domini, et jejunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccavimus Domino. Judicavitque Samuel filios Israel in Masphath. Et audierunt Philisthiim quod congregati essent filii Israel in Masphath, et ascenderunt satrapæ Philisthinorum ad Israel. Quod cum audissent filii Israel, timuerunt a facie Philisthinorum. Dixeruntque ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro S. Ambrosii Episcopi de Sacramentis.

Lectio iv. *Lib.* 5. *cap.* 4.

AUCTOR Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? De cœlo ista Sacramenta venerunt: consilium enim omne de cælo est. Vere autem magnum est et divinum miraculum, quod populo pluit Deus manna de cœlo; et non laborabat populus, et manducabat. Tu forte dicis: Meus panis est usitatus. Sed panis iste, panis

Digitized by Google

est ante verba sacramentorum : ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur adstruamus. Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est, et cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laudem Deo deferunt, oratio præmittitur pro populo, pro regibus, pro cæteris, ubi venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi.

Lectio v.

ERGO sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? Nempe is quo facta sunt omnia. Jussit Dominus, et factum est cœlum; jussit Dominus, et facta est terra; jussit Dominus, et facta sunt maria; jussit Dominus, et omnis creatura generata est. Vides ergo quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut quæ erant, in aliud commutentur? Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicentem : Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt. Ergo tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi quod jam corpus est Christi. Ipse dixit, et factum est; ipse mandavit, et creatum est.

Lectio vj. Cap. 5.

JAM redi mecum ad propositionem meam. Magnum quidem et venerabile quod manna Judæis pluit e cœlo; sed intellige, quid est amplius, manna de cœlo, an corpus Christi? Corpus Christi utique, qui auctor est cœli. Deinde manna qui manducavit, mortuus est, qui manducaverit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum, et non morietur in æternum. Ergo non otiose, cum accipis, tu dicis, Amen; jam in spiritu confitens quod accipias corpus Christi. Dicit tibi sacerdos, Corpus Christi; et tu dicis, Amen, hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo tempore : Dixit Jesus turbis Judæorum : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et reliqua.

Homilia S. Hilarii Episcopi.

Lib. 8. de Trinit.

NON est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum. Quæ scripta sunt, legamus; et quæ legerimus, intelligamus; et tunc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim ait : Caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo. De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus.

Lectio viij.

NUNC enim et ipsius Domini professione, et fide nostra vere caro est, et vere sanguis est. Et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Contingat plane his verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum negant. Est ergo in nobis ipse per carnem, et sumus in eo, dum secum hoc quod nos sumus, in Deo est. Quod autem in eo per sacramentum communicatæ carnis et sanguinis simus, ipse testatur, dicens : Et hic mundus jam me non videt, vos autem me videbitis; quoniam ego vivo, et vos vivetis; quoniam ego in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis.

Lectio ix.

QUOD autem in nobis naturalis hæc unitas sit, ipse ita testatus est :

Qui edit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo. Non enim quis in eo erit, nisi in quo ipse fuerit, ejus tantum in se assumptam habens carnem, qui suam sumpserit. Perfectæ autem hujus unitatis sacramentum superius jam docuerat, dicens: Sicut me misit vivens Pater, et ego vivo per Patrem: et qui manducat meam carnem, et ipse vivet per me. Vivit ergo per Patrem: et quo modo per Patrem vivit, eodem modo nos per carnem ejus vivemus.

Ad Vesperas, omnia ut in I. Vesp. Festi, p. 431. *Et si hac die fuerit Festum Duplex, in Vesp. fit tantum comm. de eo, nisi fuerit ex solemnioribus.*

FERIA QUINTA.

Octava Corporis Christi.

Lect. I. Noct. ut in die Festi.

IN II. NOCTURNO.

Sermo B. Cyrilli Episcopi Jerosolymitani.

Catechesi mystagog. 4.

Lectio iv.

IPSA beati Pauli doctrina abunde sufficere videtur, ut certam vobis de divinis mysteriis fidem faciat, quibus digni redditi, concorporei, ut ita dicam, et consanguinei Christi facti estis. Ipse enim modo clamabat, quod in nocte qua tradebatur Dominus noster Jesus Christus, accipiens panem, et gratias agens fregit, et dedit discipulis suis, dicens: Accipite, et manducate: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, et gratias agens, dixit: Accipite, et bibite; hic est sanguis meus. Cum igitur ipse de pane pronuntiaverit ac dixerit: Hoc est corpus meum; quis audebit deinceps ambigere? Et cum idem ipse iterum asseveranter dixit: Hic est sanguis meus; quis unquam dubitaverit, ut dicat non esse ejus sanguinem?

Lectio v.

AQUAM olim in vinum convertit in Cana Galilææ, quod habet quamdam cum sanguine propinquitatem: et eum parum dignum existimabimus, cui credamus quod vinum in sanguinem transmutarit? Ad eas nuptias, quibus corpora copulantur, vocatus, præter opinionem omnium hoc fecit miraculum: et non multo magis sic eum corpus et sanguinem suum fruenda nobis donasse persuasum firmiter habebimus, ut ea cum omni certitudine tanquam corpus ipsius et sanguinem sumamus? Nam in specie panis dat nobis corpus, et in specie vini dat nobis sanguinem: ut, cum sumpseris, gustes corpus et sanguinem Christi, factus ejusdem corporis et sanguinis particeps. Sic enim efficimur Christiferi, hoc est, Christum in corporibus nostris ferentes, cum corpus ejus et sanguinem in membra nostra recipimus: sic, secundum beatum Petrum, divinæ naturæ consortes reddimur.

Lectio vj.

OLIM eum Judæis Christus disserens: Nisi manducaveritis, inquit, carnem meam, et biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Cum autem illi, quæ dicta fuerant, non spiritaliter accepissent, offensi abierunt retro: putabant enim quod eos ad manducandas carnes hortaretur. Erant et in veteri Testamento panes propositionis; verum illi cum fuerint veteris Testamenti, finem jam acceperunt. In novo vero Testamento panis est cœlestis, et calix salutaris, qui et animam et corpus sanctificeant. Quamobrem non sic hæc attendas velim, tanquam sint nudus et simplex panis, nudum et simplex vinum; corpus enim sunt et sanguis Christi. Nam etiam si sensus illud tibi renuntiat, fides tamen te confirmet. Ne judices rem ex gustu; sed te citra ullam dubitationem fides certum reddat, quod sis dignus factus, qui corporis et sanguinis Christi particeps fieres.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Digitized by Google

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo tempore : dixit Jesus turbis Iudæorum : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et reliqua.

Homilia s. Cyrilli Episc. Alexandrini.

Lib. 4. in Joan. cap. 17.

QUI manducat, inquit, carnem meam, et bibit sanguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut enim si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est; sic qui carnem et sanguinem Domini recipit, cum ipso ita conjungitur, ut Christus in ipso, et ipse in Christo inveniatur. Simile quodam modo apud Matthæum comperies. Simile est, inquit, regnum cœlorum fermento, quod acceptum abscondit mulier in farinæ satis tribus. Sicut parum, ut Paulus ait, fermenti totam massam fermentat; sic parvula benedictio totum hominem in seipsam attrahit, et sua gratia replet : et hoc modo in nobis Christus manet, et nos in Christo.

Lectio viij.

NOS vero, si vitam æternam consequi volumus, si largitorem immortalitatis habere in nobis desideramus, ad recipiendam benedictionem libenter concurramus, caveamusque ne loco laquei damnosam religionem diabolus nobis prætendat. Recte (inquit) dicis : scriptum tamen esse non ignoramus, judicium sibi comedere atque bibere illum, qui de pane comedit, et de calice bibit indigne. Ego igitur probo me ipsum, et indignum invenio. Quando igitur, quicumque tu es qui ista dicis, dignus eris? Quando Christo teipsum offeres? Nam si peccando indignus es, et peccare non desinis, (quis enim delicta intelligit? secundum Psalmistam) expers omnino eris vivificæ hujus sanctificationis.

Lectio ix.

QUARE pias quæso cogitationes suscipias, studiose sancteque vivas, et benedictionem participes, quæ (mihi crede) non mortem solum, verum etiam morbos omnes depellit. Sedat enim, cum in nobis maneat Christus, sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat : et sicut pastor bonus, qui animam suam pro ovibus posuit, ab omni nos erigit casu.

FERIA SEXTA.

Omnia ut in Psalt., cum Oratione Dom. præced. Sancti nominis tui, *p.* 445.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 8.

CONGREGATI ergo universi majores natu Israel venerunt ad Samuelem in Ramatha, dixeruntque ei : Ecce tu senuisti, et filii tui non ambulant in viis tuis : constitue nobis regem, ut judicet nos, sicut et universæ habent nationes. Displicuit sermo in oculis Samuelis, eo quod dixissent : Da nobis regem, ut judicet nos. Et oravit Samuel ad Dominum.

℟. Percussit Saul, p. 429.

Lectio ij.

DIXIT autem Dominus ad Samuelem : Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi. Non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos. Juxta omnia opera sua quæ fecerunt a die, qua eduxi eos de Ægypto usque ad diem hanc, sicut dereliquerunt me, et servierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi. Nunc ergo vocem eorum audi : verumtamen contestare eos, et prædic eis jus regis, qui regnaturus est super eos.

℟. Montes Gelboe, *p.* 456.

Lectio iij.

DIXIT itaque Samuel omnia verba Domini ad populum qui petierat a se regem, et ait : Hoc erit jus regis, qui imperaturus est vobis : Filios vestros tollet, et ponet in curribus suis, facietque sibi equites et præcur-

Digitized

sores quadrigarum suarum, et constituet sibi tribunos et centuriones, et aratores agrorum suorum, et messores segetum, et fabros armorum et curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, et focarias, et panificas. Agros quoque vestros, et vineas, et oliveta optima tollet, et dabit servis suis.

℟. Ego te tuli, *p.* 456.

SABBATO.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 9.

ET erat vir de Benjamin nomine Cis, filius Abiel, filii Seror, filii Aphia, filii viri Jemini, fortis robore. Et erat ei filius vocabulo Saul, electus et bonus: et non erat vir de filiis Israel melior illo. Ab humero et sursum eminebat super omnem populum. Perierant autem asinæ Cis patris Saul; et dixit Cis ad Saul filium suum: Tolle tecum unum de pueris, et consurgens vade, et quære asinas. Qui cum transissent per montem Ephraim, et per terram Salisa, et non invenissent, transierunt etiam per terram Salim, et non erant: sed et per terram Jemini, et minime reperierunt.

℟. Peccavi super, *p.* 456.

Lectio ij.

CUM autem venissent in terram Suph, dixit Saul ad puerum qui erat cum eo: Veni, et revertamur, ne forte dimiserit pater meus asinas, et soblicitus sit pro nobis. Qui ait ei: Ecce vir Dei est in civitate hac, vir nobilis: omne quod loquitur, sine ambiguitate venit. Nunc ergo eamus illuc, si forte indicet nobis de via nostra, propter quam venimus. Dixitque Saul ad puerum suum: Ecce imus; quid feremus ad virum Dei? panis defecit in sitarciis nostris, et sportulam non habemus, ut demus homini Dei, nec quidquam aliud. Rursum puer respondit Sauli, et ait: Ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti, demus homini Dei, ut indicet nobis viam nostram.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

ET ascenderunt in civitatem. Cumque illi ambularent in medio urbis, apparuit Samuel egrediens obviam eis, ut ascenderet in excelsum, Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis, ante unam diem quam veniret Saul, dicens: Hac ipsa hora, quæ nunc est, cras mittam virum ad te de terra Benjamin, et unges eum ducem super populum meum Israel, et salvabit populum meum de manu Philisthinorum; quia respexi populum meum: venit enim clamor eorum ad me. Cumque aspexisset Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir, quem dixeram tibi; iste dominabitur populo meo.

℟. Audi Domine, *p.* 457.

Ad Magnif. Ant. Cognoverunt omnes a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel Propheta esset Domini.

Orat. Protector in te sperantium, *quæ habetur infra post Lect. ultimæ Hebd. Nov., cum aliis Orat. usque ad Adv.*

DOM. III. POST. PENT.

Omnia de Psalt. præter seq.

IN I. NOCTURNO.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 9. et 10.

ACCESSIT autem Saul ad Samuelem in medio portæ, et ait: Indica, oro, mihi, ubi est domus Videntis. Et respondit Samuel Sauli, dicens: Ego sum Videns. Ascende ante me in excelsum, ut comedatis mecum hodie, et dimittam te mane, et omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi. Et de asinis, quas nudiustertius perdidisti, ne sollicitus sis, quia inventæ sunt. Et cujus erunt optima quæque Israel? nonne tibi, et omni domui patris tui? Respondens autem Saul, ait: Numquid non filius Jemini ego sum de minima tribu Israel, et cognatio mea novissima in-

ter omnes familias de tribu Benjamin? quare ergo locutus es mihi sermonem istum?

℟. Præparate corda vestra Domino, et servite illi soli: * Et liberabit vos de manibus inimicorum vestrorum. ℣. Convertimini ad eum in toto corde vestro, et auferte deos alienos de medio vestri. Et.

Lectio ij.

ASSUMENS itaque Samuel Saulem et puerum ejus, introduxit eos in triclinium, et dedit eis locum in capite eorum qui fuerant invitati. Erant enim quasi triginta viri. Dixitque Samuel coco: Da partem, quam dedi tibi, et præcepi ut reponeres seorsum apud te. Levavit autem coccus armum, et posuit ante Saul. Dixitque Samuel: Ecce quod remansit, pone ante te, et comede, quia de industria servatum est tibi, quando populum vocavi. Et comedit Saul cum Samuele in die illa. Et descenderunt de excelso in oppidum, et locutus est cum Saule in solario; stravitque Saul in solario, et dormivit.

℟. Deus omnium exauditor est: ipse misit Angelum suum, et tulit me de ovibus patris mei: * Et unxit me unctione misericordiæ suæ. ℣. Dominus qui eripuit me de ore leonis, et de manu bestiæ liberavit me. Et.

Lectio iij.

CUMQUE mane surrexissent, et jam elucesceret, vocavit Samuel Saulem in solario, dicens: Surge, et dimittam te. Et surrexit Saul, egressique sunt ambo, ipse videlicet et Samuel. Cumque descenderent in extrema parte civitatis, Samuel dixit ad Saul: Dic puero ut antecedat nos, et transeat; tu autem subsiste paulisper, ut indicem tibi verbum Domini. Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput ejus, et deosculatus est eum, et ait: Ecce unxit te Dominus super hæreditatem suam in principem, et liberabis populum suum de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu ejus sunt.

℟. Dominus qui eripuit me de ore leonis, et de manu bestiæ liberavit me, * Ipse me eripiet de manibus inimicorum meorum. ℣. Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam: animam meam eripuit de medio catulorum leonum. Ipse. Gloria. Ipse.

IN II. NOCTURNO.

De expositione S. Gregorii Papæ in libros Regum.

Lib 4. cap. 5. in 1. Reg. cap. 10.

Lectio iv.

TULIT autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput ejus. Hoc profecto hac unctione exprimitur, quod in sancta Ecclesia nunc etiam materialiter exhibetur: quia qui in culmine ponitur, sacramenta suscipit unctionis. Quia vero ipsa unctio sacramentum est, is qui promovetur, bene foris ungitur, si intus virtute sacramenti roboretur. Ipsas ergo olei virtutes, prius videamus attentius. Oleum quippe liquoribus aliis superfertur oleum ignem fovet; oleum vulnera curare consuevit. Per illud ergo misericordiæ bonum significat, quia scriptum est de Domino: Miserationes ejus super omnia opera ejus. Quia ignem fovet, prædicationis gratiam designat, quæ electorum mentes illuminat.

℟. Percussit Saul mille, et David decem millia: * Quia manus Domini erat cum illo, percussit Philisthæum, et abstulit opprobrium ex Israel. ℣. Nonne iste est David, de quo canebant in choro, dicentes: Saul percussit mille, et David decem millia? Quia.

Lectio v.

QUIA vero vulnera per oleum curantur, hoc profecto insinuat, quod detergenda sunt vulnera peccatorum. Ungatur ergo caput regis, quia spiritali gratia mens est replenda doctoris. Habeat in unctione sua oleum, habeat misericordiam abundantem, quæ sibi virtutibus allis præferatur. Habeat oleum, ut dum ador-

Digitized by Google

rem sancti Spiritus in se nutrit, lucere vehementer aliis per verbum possit. Habeat nihilominus oleum medicinæ, ut sapienter disponat qualiter peccatorum fœtores tergat, et ægras mentes saluti restituat.

℟. Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniant super vos, * Ubi cecciderunt fortes Israel. ℣. Omnes montes, qui estis in circuitu ejus, visitet Dominus, a Gelboe autem transeat. Ubi.

Lectio vj.

SED lenticula Saul ungitur, non pro præsignanda doctrina, sed ad exprimenda futura. Lenticula quidem parvum est vas. Quid ergo est quod lenticula olei Saul ungitur, nisi quia in fine reprobatur? Nam quia obedire Deo postea noluit, a Samuele audivit: Quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus, ne sis rex. Velut enim lenticula olei parum habuit, qui spiritalem gratiam proficiendus accepit. Quod in rectoribus quoque sanctæ Ecclesiæ convenienter accipitur. Plerumque enim culmen prælationis accipiunt, qui in charitate Dei et proximi perfecti non sunt.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dominus, et posui te pascere gregem populi mei: * Et fui tecum in omnibus ubicumque ambulasti, firmans regnum tuum in æternum. ℟. Fecique tibi nomen grande, juxta nomen magnorum qui sunt in terra: et requiem dedi tibi ab omnibus inimicis tuis. Et fui. Gloria. Et fui.

Lect. iij. *Noct. de Homilia Dom. III. post Pentec. habentur ad finem Proprii de Temp. in ordine aliarum Dom. usque ad Adv. Similiter Ant. ad* Benedictus *et* Magnificat, *et Orationes.*

℟. *vij.* Peccavi super numerum arenæ maris, et multiplicata sunt peccata mea: et non sum dignus videre altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis meæ: quoniam irritavi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et delictum meum contra me est semper, quia tibi soli peccavi. — Et.

℟. *viij.* Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: * Plena est omnis terra gloria ejus. ℣. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus: et hi tres unum sunt. — Sanctus. Gloria. Plena.

FÉRIA SECUNDA

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 10.

ET convocavit Samuel populum ad Dominum in Maspha, et ait ad filios Israel: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego eduxi Israel de Ægypto, et erui vos de manu Ægiptiorum, et de manu omnium regum qui affligebant vos. Vos autem hodie projecistis Deum vestrum, qui solus salvavit vos de universis malis et tribulationibus vestris, et dixistis: Nequaquam; sed regem constitue super nos. Nunc ergo state coram Domino per tribus vestras et per familias.

℣. Recordare Domine, testamenti tui, et dic Angelo percutienti: Cesset jam manus tua, * Ut non desoletur terra, et ne perdas omnem animam vivam. ℣. Ego sum qui peccavi, ego qui inique egi: Isti qui oves sunt, quid fecerunt? Avertatur obsecro furor tuus, Domine, a populo tuo. — Ut.

Lectio ij.

ET applicuit Samuel omnes tribus Israel, et cecidit sors tribûs Benjamin. Et applicuit tribum Benjamin et cognationes ejus, et cecidit cognatio Metri, et pervenit usque ad Saul filium Cis. Quæsierunt ergo eum, et non est inventus. Et consuluerunt post hæc Dominum, utrumnam venturus esset illuc. Responditque Dominus: Ecce absconditus est domi. Cucurrerunt itaque, et tulerunt eum inde; stetitque in medio populi, et altior fuit universo populo ab humero et

itized by Google

sursum. Et ait Samuel ad omnem populum : Certe videtis quem elegit Dominus quoniam non sit similis illi in omni populo. Et clamavit omnis populus, et ait : Vivat rex.

℟. Exaudisti, Domine, orationem servi tui, ut ædificarem templum nomini tuo : * Benedic, et sanctifica domum istam in sempiternum, Deus Israel. ℟. Domine, qui custodis pactum cum servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo. — Benedic.

Lectio ij.

LOCUTUS est autem Samuel ad populum legem regni, et scripsit in libro, et reposuit coram Domino ; et dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam. Sed et Saul abiit in domum suam in Gabaa, et abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda. Filii vero Belial dixerunt : Num salvare nos poterit iste? Et despexerunt eum, et non attulerunt ei munera : ille vero dissimulabat se audire.

℟. Audi, Domine, hymnum et orationem, quam servus tuus orat coram te hodie, ut sint oculi tui aperti, et aures tuæ intentæ * Super domum istam die ac nocte. ℣. Respice, Domine, de sanctuario tuo, et de excelso cœlorum habitaculo. — Super. Glorir. Super.

FERIA TERTIA

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 12.

DIXIT autem Samuel ad universum Israel : Ecce audivi vocem vestram juxta omnia quæ locuti estis ad me, et constitui super vos regem. Et nunc rex graditur ante vos. Ego autem senui, et incanui ; porro filii mei vobiscum sunt. Itaque conversatus coram vobis ab adolescentia mea usque ad hanc diem, ecce præsto sum. Loquimini de me coram Domino, et coram christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum : si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi, et contemnam illud hodie, restituamque vobis. Et dixerunt ; Non es calumniatus nos neque oppressisti, neque tulisti de manu alicujus quidpiam. Dixitque ad eos : Testis est Dominus adversum vos, et testis christus ejus in die hac quia non inveneritis in manu mea quidpiam. Et dixerunt : Testis.

℟. Domine, si conversus fuerit populus tuus, et oraverit ad sanctuarium tuum : * Tu exaudies de cœlo, Domine, et libera eos de manibus inimicorum suorum. ℣. Si peccaverit in te populus tuus, et conversus egerit pœnitentiam, veniensque oraverit in isto loco. — Tu.

Lectio ij.

ET ait Semuel ad populum : Dominus qui fecit Moysen et Aaron et eduxit patres nostros de terra Ægypti. Nunc ergo state, ut judicio contendam adversum vos coram Domino, de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum, et cum patribus vestris : quomodo Jacob ingressus est in Ægyptum, et clamaverunt patres vestri ad Dominum : et misit Dominus Moysen et Aaron, et eduxit patres vestros de Ægypto, et collocavit eos in loco hoc. Qui obliti sunt Domini Dei sui, et tradidit eos in manu Sisaræ magistri militiæ Hasor, et in manu Philisthinorum, et in manu regis Moab, et pugnaverunt adversum eos.

℟. Factum est, dum tolleret Dominus Eliam per turbinem in cœlum, * Eliseus clamabat, dicens : Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga ejus. ℣. Cumque pergerent, et incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus et equi ignei diviserunt utrumque, et ascendit Elias per turbinem in cœlum. Eliseus.

Lectio iij.

POSTEA autem clamaverunt ad Dominum, et dixerunt : Peccavimus, quia dereliquimus Dominum, e

Digitized by Google

servivimus Baalim et Astaroth : nunc ergo erue nos de manu inimicorum, et serviemus tibi. Et misit Dominus Jerobaal, et Badan, et Jephte, et Samuel, et eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, et habitastis confidenter. Videntes autem quod Naas rex filiorum Ammon venisset adversum vos, dixistis mihi : Nequaquam, sed rex imperabit nobis, cum Dominus Deus vester regnaret in vobis. Nunc ergo præsto est rex vester, quem elegistis et petistis : ecce dedit vobis Dominus regem. Si timueritis Dominum, et servieritis ei, et audieritis vocem ejus, et non exasperaveritis os Domini, eritis et vos, et rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum.

℟. Ego te tuli, *p.* 456.

FERIA QUARTA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 13.

FILIUS unius anni erat Saul, cum regnare cœpisset ; duobus autem annis regnavit super Israel. Et elegit sibi Saul tria millia de Israel : et erant cum Saul duo millia in Machmas, et in monte Bethel : mille autem cum Jonatha in Gabaa Benjamin. Porro cæterum populum remisit, unumquemque in tabernacula sua. Et percussit Jonathas stationem Philisthinorum, quæ erat in Gabaa. Quod cum audissent Philisthiim, Saul cecinit buccina in omni terra, dicens : Audiant Hebræi. Et universus Israel audivit hujuscemodi famam: Percussit Saul stationem Philisthinorum, et erexit se Israel adversus Philisthiim. Clamavit ergo populus post Saul in Galgata.

℟. Peccavi super, *p.* 456.

Lectio ij.

ET Philisthiim congregati sunt ad præliandum contra Israel, triginta millia curruum, et sex millia equitum, et reliquum vulgus, sicut arenæ quæ est in littore maris plurima. Et ascendentes castrametati sunt in Machmas ad Orientem Bethaven. Quod cum vidissent viri Israel se in arcto positos, (afflictus enim erat populus) absconderunt se in speluncis, et in abditis, in petris quoque, et in antris, et in cisternis. Hebræi autem transierunt Jordanem in terram Gad et Galaad. Cumque adhuc esset Saul in Galgala, universus populus perterritus est, qui sequebatur eum. Et expectavit septem diebus juxta placitum Samuelis, et non venit Samuel in Galgala, dilapsusque est populus ab eo.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

AIT ergo Saul : Afferte mihi holocaustum et pacifica. Et obtulit holocaustum. Cumque complesset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat : et egressus est Saul obviam ei, ut salutaret eum. Locutusque est ad eum Samuel : Quid fecisti ? Respondit Saul : Quia vidi quod populus dilaberetur a me, et tu non veneras juxta placitos dies, porro Philisthiim congregati fuerant in Machmas, dixi : Nunc descendent Philisthiim ad me in Galgala, et faciem Domini non placavi. Necessitate compulsus obtuli holocaustum. Dixitque Samuel ad Saul : Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum : sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum : et præcepit ei Dominus, ut esset dux super populum suum, eo quod non servaveris quæ præcepit Dominus.

℟. Audi Domine, *p.* 457.

FERIA QUINTA.

De libro primo Regum

Lectio j. Cap 14. b.

DIXIT autem Jonathas ad adolescentem armigerum suum: Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si forte faciat Dominus pro nobis : quia non est Domino difficile salvare vel in multis, vel in paucis. Dixitque ei armiger suus : Fac omnia quæ placent animo tuo ; perge quo cupis,

et ero tecum ubicumque volueris. Et ait Jonathas: Ecce nos transimus ad viros istos, cumque apparuerimus eis, si taliter locuti fuerint ad nos, Manete, donec veniamus ad vos; stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. Si autem dixerint, Ascendite ad nos, ascendemus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris; hoc erit nobis signum. Apparuit igitur uterque stationi Philisthinorum, dixeruntque Philisthiim: En Hebræi egrediuntur de cavernis, in quibus absconditi fuerant.

℟. Præparate corda, *p.* 433.

Lectio ij.

ET locuti sunt viri de statione ad Jonatham, et ad armigerum ejus, dixeruntque: Ascendite ad nos, et ostendemus vobis rem. Et ait Jonathas ad armigerum suum: Asceudamus, sequere me tradidit enim Dominus eos in manus Israel. Ascendit autem Jonathas manibus et pedibus reptans; et armiger ejus post eum. Itaque alii cadebant ante Jonatham, alios armiger ejus interficiebat sequens eum. Et facta est plaga prima, qua percussit Jonathas et armiger ejus quasi viginti virorum in media parte jugeri, quam par boum in die arare consuevit. Et factum est miraculum in castris per agros: sed et omnis populus stationis eorum qui ierant ad prædandum, obstupuit, et conturbata est terra: et accidit quasi miraculum a Deo.

℟. Deus omnium, *p.* 435.

Lectio iij.

ET respexerunt speculatores Saul, qui erant in Gabaa Benjamin, et ecce multitudo prostrata, et huc illucque diffugiens. Et ait Saul populo qui erat cum eo. Requirite, et videte quis abierit ex nobis. Cumque requisissent, repertum est non adesse Jonatham et armigerum ejus. Et ait Saul ad Achiam: Applica arcam Dei. (Erat enim ibi arca Dei in die illa cum filiis Israel). Cumque loqueretur Saul ad sacerdotem, tumultus magnus exortus est in castris Philisthinorum, crescebatque paulatim, et clarius resonabat. Et ait Saul ad sacerdotem: Contrahe manum tuam. Conclamavit ergo Saul, et omnis populus qui erat cum eo, venerunt usque ad locum certaminis; et ecce versus fuerat gladius uniuscujusque ad proximum suum, et cædes magna nimis.

℟. Dominus qui eripuit, *p.* 430.

FERIA SEXTA

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 15.

ET dixit Samuel ad Saul. Me misit Dominus, ut ungerem te in regem super populum ejus Israel; nunc ergo audi vocem Domini. Hæc dicit Dominus exercituum: Recensui quæcumque fecit Amalec Israeli, quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Ægypto. Nunc ergo vade, et percute Amalec, et demolire universa ejus: non parcas ei: et non concupiscas ex rebus ipsius aliquid: sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactentem, bovem et ovem, camelum et asinum.

℟. Percussit Saul, *p.* 435.

Lectio ij.

PRÆCEPIT itaque Saul populo, et recensuit eos quasi agnos, ducenta millia peditum, et decem millia virorum Juda. Cumque venisset Saul usque ad civitatem Amalec, tetendit insidias in torrente. Dixitque Saul Cinæo: Abite, recedite, atque descendite ab Amalec, ne forte involvam te cum eo. Tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cum ascenderent de Ægypto. Et recessit Cinæus de medio Amalec. Percussitque Saul Amalec ab Hevila, donec venias ad Sur, quæ est e regione Ægypti. Et apprehendit Agag regem Amalec vivum; omne autem vulgus interfecit in ore gladii.

℟. Montes Gelboe, *p.* 436.

Lectio iij.

ET pepercit Saul, et populus Agag, et optimis gregibus ovium

Digitized by

et armentorum, et vestibus, et arietibus, et universis quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea: quidquid vero vile fuit et reprobum, hoc demoliti sunt. Factum est autem verbum Domini ad Samuel, dicens: Pœnitet me quod constituerim Saul regem; quia dereliquit me, et verba mea opere non implevit. Contristatusque est Samuel, et clamavit ad Dominum tota nocte.

℟. Ego te tuli, *p.* 456.

SABBATO.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 16.

DIXITQUE Dominus ad Samuelem: Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum, ne regnet super Israel? Imple cornu tuum oleo, et veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemitem: providi enim in filiis ejus mihi regem. Et ait Samuel: Quomodo vadam? audiet enim Saul, et interficiet me. Et ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, et dices: Ad immolandum Domino veni. Et vocabis Isai ad victimam, et ego ostendam tibi quid facias, et unges quemcumque monstravero tibi.

℟. Peccavi super, *p.* 436.

Lectio ij.

FECIT ergo Samuel sicut locutus est ei Dominus. Venitque in Bethlehem, et admirati sunt seniores civitatis occurrentes ei, dixeruntque: Pacificusne est ingressus tuus? Et ait: Pacificus: ad immolandum Domino veni; sanctificamini, et venite mecum ut immolem. Sanctificavit ergo Isai et filios ejus, et vocavit eos ad sacrificium. Dumque ingressi essent, vidit Eliab, et ait: Num coram Domino est christus ejus? Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus, quoniam abjeci eum; nec juxta intuitum hominis ego judico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 436.

Lectio iij.

ET vocavit Isai Abinadab, et adduxit eum coram Samuele. Qui dixit: Nec hunc elegit Dominus. Adduxit autem Isai Samma, de quo ait: Etiam hunc non elegit Dominus. Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele, et ait Samuel ad Isai: Non elegit Dominus ex istis. Dixitque Samuel ad Isai: Numquid jam completi sunt filii? Qui respondit: Adhuc reliquus est parvulus, et pascit oves. Et ait Samuel ad Isai: Mitte, et adhuc eum.

℟. Audi Domine, *p.* 457.

Ad Magnif. Ant. Prævaluit David in Philisthæum in funda et lapide, in nomine Domini.

DOM. IV. POST. PENT.

IN I. NOCTURNO.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 17.

CONGREGANTES autem Philisthiim agmina sua in prælium, convenerunt in Socho Judæ, et castrametati sunt inter Socho et Azeca in finibus Dommim. Porro Saul et filii Israel congregati venerunt in vallem Therebinthi, et direxerunt aciem ad pugnandum contra Philisthiim. Et Philisthiim stabant super montem ex parte hac, et Israel stabat supra montem ex altera parte, vallisque erat inter eos. Et egressus est vir spurius de castris Philisthinorum, nomine Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum et palmi: et cassis ærea super caput ejus, et lorica squamata induebatur. Porro pondus loricæ ejus, quinque millia siclorum æris erat; et ocreas habebat in cruribus, et clypeus æreus tegebat humeros ejus. Hastile autem hastæ ejus erat quasi liciatorium texentium. Ipsum autem ferrum hastæ ejus sexcentos siclos habebat ferri, et armiger ejus antecedebat eum.

℟. Præparate corda, *p.* 433.

Lectio ij.

STANSQUE clamabat adversum phalangas Israel, et dicebat eis: Quare venistis parati ad prælium? Numquid ego non sum Philistæus, et vos servi Saul? Eligite ex vobis virum, et descendat ad singulare certamen. Si quiverit pugnare mecum, et percusserit me, erimus vobis servi: si autem ego prævaluero, et percussero eum, vos servi eritis, et servietis nobis. Et aiebat Philistæus: Ego exprobravi agminibus Israel hodie: Date mihi virum, et ineat mecum singulare certamen. Audiens autem Saul et omnes Israelitæ sermones Philisthæi hujusemodi, stupebant, et metuebant nimis.

℟. Deus omnium, *p.* 455.

Lectio iij.

DAVID autem erat filius viri Ephrathæi, de quo supra dictum est, de Bethlehem Juda, cui nomen erat Isai, qui habebat octo filios, et erat vir in diebus Saul senex, et grandævus inter viros. Abierunt autem tres filii ejus majores post Saul in prælium: et nomina trium filiorum ejus, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, et secundus Abinadab, tertiusque Samma. David autem erat minimus. Tribus ergo majoribus secutis Saulem, abiit David, et reversus est a Saul, ut pasceret gregem patris sui in Bethlehem. Procedebat vero Philistbæus mane et vespere, et stabat quadraginta diebus.

℟. Dominus qui eripuit, *p.* 455.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

Serm. 197. *de Tempore.*

Lectio iv.

STABANT filii Israel contra adversarios quadraginta diebus. Quadraginta dies propter quatuor tempora et quatuor partes orbis terræ, vitam præsentem significant, in qua contra Goliath vel exercitum ejus, id est contra diabolum et angelos ejus, Christianorum populus pugnare non desinit. Nec tamen vincere posset, nisi verus David Christus cum baculo, id est, cum crucis mysterio descendisset. Ante adventum enim Christi, solutus erat diabolus, veniens Christus fecit de eo, quod in Evangelio dictum est: Nemo potest intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem. Venit ergo Christus, et alligavit diabolum.

℟. Percussit Saul, *p.* 455.

Lectio v.

SED dicit aliquis: Si alligatus est, quare adhuc tantum prævalet? Verum est, fratres charissimi, quia multum prævalet: sed tepidis et negligentibus, et Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est enim, tanquam innexus canis catenis, et neminem potest mordere, nisi eum qui se illi mortifera securitate conjunxerit. Jam videte, fratres, quam stultus est homo ille, qui tem canis in catenis positus mordet. Tu te illi per voluntates et cupiditates sæculi noli conjungere, et ille ad te non præsumit accedere. Latrare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet: nec extorquet a nobis consensum, sed petit.

℟. Montes Gelboe, *p.* 456.

Lectio vj.

VENIT ergo David, et invenit Judæorum populum contra diabolum præliantem; et cum nullus esset, qui præsumeret ad singulare certamen accedere, ille qui figuram Christi gerebat, processit ad prælium, tulit baculum in manu sua, et exiit contra Goliath. Et in illo quidem tunc figuratum est, quod in Domino Jesu Christo completum est. Venit enim verus David Christus, qui contra spiritalem Goliath, id est, contra diabolum pugnaturus, crucem suam ipse portavit. Videte, fratres, ubi David

Digitized by Google

Goliath percusserit ; in fronte utique ubi crucis signaculum non habebat. Sicut enim baculus crucis typum habuit , ita etiam et lapis ille de quo percussus est , Christum Dominum figurabat.

℟. Ego te tuli , *p.* 456.

In III. Noct. ℟. vij. *et* viij. *ut ibid.*

FERIA SECUNDA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 17. e.

ET dixit unus quispiam de Israel : Num vidistis virum hunc qui ascendit ? ad exprobrandum enim Israeli ascendit. Virum ergo qui percusserit eum , ditabit rex divitiis magnis , et filiam suam dabit ei , et domum patris ejus faciet absque tributo in Israel. Et ait David ad viros qui stabant secum , dicens : Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc, et tulerit opprobrium de Israel? quis enim est hic Philisthæus incircumcisus , qui exprobravit acies Dei viventis ?

℟. Recordare Domine , *p.* 456.

Lectio ij.

AUDITA sunt autem verba , quæ locutus est David , et annuntiata in conspectu Saul. Ad quem cum fuisset adductus, locutus est ei : Non concidat cor cujusquam in eo ; ego servus tuus vadam , et pugnabo adversus Philisthæum. Et ait Saul ad David : Non vales resistere Philisthæo isti , nec pugnare adversus eum , quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua.

℟. Exaudisti Domine, p. 457.

Lectio iij.

DIXITQUE David ad Saul: Pascebat servus tuus patris sui gregem , et veniebat leo vel ursus , et tollebat arietem de medio gregis , et persequebar eos , et percutiebam , eruebamque de ore eorum : et illi consurgebant adversum me , et apprehendebam mentum eorum , et suffocabam , interficiebamque eos. Nam et leonem et ursum interfeci ego servus tuus , erit igitur et Philisthæus hic incircumcisus , quasi unus ex eis.

℟. Audi Domine , *p.* 457.

FERIA TERTIA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 17.

ET induit Saul David vestimentis suis , et imposuit galeam æream super caput ejus , et vestivit eum lorica. Accinctus ergo David gladio ejus super vestem suam , cœpit tentare si armatus posset incedere : non enim habebat consuetudinem. Dixitque David ad Saul : Non possum sic incedere , quia non usum habeo. Et deposuit ea , et tulit baculum suum : quem semper habebat in manibus , et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente , et misit eos in peram pastoralem quam habebat secum , et fundam manu tulit , et processit adversum Philisthæum.

℟. Domine si conversus , *p.* 457.

Lectio ij.

IBAT autem Philisthæus incedens , et appropinquans adversum David , et armiger ejus ante eum. Cumque inspexisset Philisthæus , et vidisset David , despexit eum. Erat enim adolescens , rufus , et pulcher aspectu. Et dixit Philisthæus ad David : Numquid ego canis sum , quod tu venis ad me cum baculo? Et maledixit Philistæus David in diis suis , dixitque ad David: Veni ad me, et dabo carnes tuas volatilibus cœli et bestiis terræ. Dixit autem David ad Philisthæum : Tu venis ad me cum gladio , et hasta , et clypeo : ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum , Dei agminum Israel , quibus exprobrasti hodie. Et dabit te Dominus in manu mea, et percutiam te , et auferam caput tuum a te : et dabo cadavera castrorum Philisthiim hodie volatilibus cœli et bestiis terræ ; ut sciat omnis terra , quia est Deus in Israel.

℟. Factum est dum , *p.* 457.

Lectio iij.

CUM ergo surrexisset Philisthæus, et veniret, et appropinquaret contra David, festinavit David, et cucurrit ad pugnam ex adverso Philisthæi. Et misit manum suam in peram, tulitque unum lapidem, et funda jecit, et circumducens percussit Philisthæum in fronte: et infixus est lapis in fronte ejus, et cecidit in faciem suam super terram. Prævaluitque David adversum Philisthæum in funda et lapide, percussumque Philistæum interfecit. Cumque gladium non haberet in manu David, cucurrit, et stetit super Philisthæum, et tulit gladium ejus, et eduxit eum de vagina sua: et interfecit eum, præciditque caput ejus.

℟. Ego te tuli, *p.* 456.

FERIA QUARTA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 18.

PORRO cum reverteretur, percusso Philisthæo, David, egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes, chorosque ducentes in occursum Saul regis, in tympanis lætitiæ, et in sistris. Et præcinebant mulieres ludentes atque dicentes: Percussit Saul mille, et David decem millia. Iratus est autem Saul nimis, et displicuit in oculis ejus sermo iste, dixitque: Dederunt David decem millia, et mihi mille dederunt: quid ei superest, nisi solum regnum?

℟. Peccavi super, *p.* 456.

Lectio ij.

NON rectis ergo oculis Saul aspiciebat David a die illa, et deinceps. Post diem autem alteram, invasit spiritus Dei malus Saul, et prophetabat in medio domus suæ. David autem psallebat manu sua, sicut per singulos dies. Tenebatque Saul lanceam, et misit eam, putans quod configere posset David cum pariete, et declinavit David a facie ejus secundo. Et timuit Saul David, eo quod Dominus esset cum eo, et a se recessisset. Amovit ergo eum Saul a se, et fecit eum tribunum super mille viros: et egrediebatur, et intrabat in conspectu populi.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

IN omnibus quoque viis suis David prudenter agebat, et Dominus erat cum eo. Vidit itaque Saul quod prudens esset nimis, et cœpit cavere eum. Omnis autem Israel et Juda diligebat David: ipse enim ingrediebatur et egrediebatur ante eos. Dixitque Saul ad David: Ecce filia mea maior Merob, ipsam dabo tibi uxorem: tantummodo esto vir fortis, et præliare bella Domini. Saul autem reputabat, dicens: Non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philisthinorum.

℟. Audi Domine, *p.* 457.

FERIA QUINTA

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 19.

LOCUTUS est autem Saul ad Jonatham filium suum et ad omnes servos suos, ut occiderent David. Porro Jonathas filius Saul diligebat David valde. Et indicavit Jonathas David, dicens: Quærit Saul pater meus occidere te: quapropter observa te, quæso, mane, et manebis clam, et absconderis. Ego autem egrediens stabo juxta patrem meum, in agro ubicumque fueris, et ego loquar de te ad patrem meum: et quodcumque videro, nuntiabo tibi.

℟. Præparate corda, *p.* 455.

Lectio ij.

LOCUTUS est ergo Jonathas de David bona ad Saul patrem suum, dixitque ad eum: Ne peccet, rex, in servum tuum David quia non peccavit tibi, et opera ejus bona sunt tibi valde. Et posuit animam suam in manu sua et percussit Philisthæum, et fecit Dominus salutem magnam universo Israeli: vidisti, et lætatus

Digitized by Google

es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio, interficiens David, qui est absque culpa? Quod cum audisset Saul, placatus voce Jonathæ, juravit: Vivit Dominus, quia non occidetur.

℟. Deus omnium, *p.* 455.

Lectio iij.

MOTUM est autem rursum bellum, et egressus David pugnavit adversum Philisthiim, percussitque eos plaga magna, et fugerunt a facie ejus. Et factus est spiritus Domini malus in Saul. Sedebat autem in domo sua, et tenebat lanceam: porro David psallebat manu sua. Nisusque est Saul configere David lancea in pariete, et declinavit David a facie Saul; lancea autem casso vulnere perlata est in parietem, et David fugit, et salvatus est nocte illa.

℟. Dominus qui eripuit, *p.* 455.

FERIA SEXTA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 20.

FUGIT autem David de Najoth, quæ est in Ramatha, venitque locutus est coram Jonatha: Quid feci? quæ est iniquitas mea, et quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam? Qui dixit ei: Absit, non morieris; neque enim faciet pater meus quidquam grande vel parvum, nisi prius indicaverit mihi: hunc ergo celavit me pater meus sermonem tantummodo? Nequaquam erit istud.

℟. Percussit Saul, *p.* 455.

Lectio ij.

ET juravit rursum Davidi. Et ille ait: Scit profecto pater tuus quia inveni gratiam in oculis tuis, et dicet: Nesciat hoc Jonathas, ne forte tristetur. Quinimo vivit Dominus, et vivit anima tua, quia uno tantum, ut ita dicam, gradu ego morsque dividimur. Et ait Jonathas ad David: Quodcumque dixerit mihi anima tua, faciam tibi.

℟. Montes Gelboe, *p.* 456.

Lectio iij.

DIXIT autem David ad Jonatham: Ecce calendæ sunt crastino, et ego ex more sedere soleo juxta regem ad vescendum: dimitte ergo me, ut abscondar in agro usque ad vesperam diei tertiæ. Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei: Rogavit me David, ut iret celeriter in Bethlehem civitatem suam, quia victimæ solemnes ibi sunt universis contribulibus suis. Si dixerit, Bene; pax erit servo tuo. Si autem fuerit iratus, scito quia completa est malitia ejus.

℟. Ego te tuli, *p.* 456.

SABBATO

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 21.

VENIT autem David in Nobe ad Achimelech sacerdotem, et obstupuit Achimelech eo quod venisset David. Et dixit ei: Quare tu solus, et nullus est tecum? Et ait David ad Achimelech sacerdotem: Rex præcepit mihi sermonem, et dixit: Nemo sciat rem propter quam missus es a me, et cujusmodi præcepta tibi dederim: nam et pueris condixi in illum et illum locum. Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inveneris.

℟. Peccavi super, *p.* 456.

Lectio ij.

ET respondens sacerdos ad David, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum: si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus? Et respondit David sacerdoti, et dixit ei: Equidem, si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri et nudiustertius, quando egrediebamur, et fuerunt vasa puerorum sancta. Porro via, hæc polluta est, sed et ipsa hodie sanctificabitur in vasis. Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem. Neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui

Digitized by Google

sublati fuerant a facie Domini, ut ponerentur panes calidi.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

ERAT autem ibi vir quidam de servis Saul in die illa intus in tabernaculo Domini, et nomen ejus Doeg idumæus, potentissimus pastorum Saul. Dixit autem David ad Achimelech: Si habes hic ad manum hastam, aut gladium? quia gladium meum et arma mea non tuli mecum: sermo enim regis urgebat. Et dixit sacerdos: Ecce hic gladius Goliath Philisthæi, quem percussisti in valle Terebinthi, est involutus pallio post Ephod: si istum vis tollere, tolle. Neque enim hic est alius absque eo. Et ait David: Non est huic alter similis, da mihi eum.

℟. Audi Domine, *p.* 457.

Ad Magnif. Ant. Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniant super vos: quia in te abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo. Quomodo ceciderunt fortes in bello? Jonathas in excelsis interfectus est: Saul et Jonathas amabiles, et decori valde in vita sua, in morte quoque non sunt divisi.

DOM. V. POST PENT.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber secundus Regum.

Lectio j. Cap. 1.

FACTUM est autem, postquam mortuus est Saul, ut David reverteretur a cæde Amalec, et maneret in Siceleg duos dies. In die autem tertia apparuit homo veniens de castris Saul veste conscissa, et pulvere conspersus caput. Et ut venit ad David, cecidit super faciem suam, et adoravit. Dixitque ad eum David: Unde venis? Qui ait ad eum: De castris Israel fugi. Et dixit ad eum David: Quod est verbum quod factum est? indica mihi. Qui ait: Fugit populus ex prælio, et multi corruerunt e populo mortui sunt: sed et Saul, et Jonathas filius ejus interierunt.

℟. Præparate corda, *p.* 455.

Lectio ij.

DIXITQUE David ad adolescentem, qui nuntiabat ei: Unde scis quia mortuus est Saul, et Jonathas filius ejus? Et ait adolescens, qui nuntiabat ei: Casu veni in montem Gelboe, et Saul incumbebat super hastam suam: porro currus et equites appropinquabant ei, et conversus post tergum suum, vidensque me vocavit. Cui cum respondissem, Adsum, dixit mihi: Quisnam es tu? Et aio ad eum: Amalecites ego sum. Et locutus est mihi: Sta super me, et interfice me, quoniam tenent me angustiæ, et adhuc tota anima mea in me est. Stansque super eum, occidi illum: sciebam enim quod vivere non poterat post ruinam; et tuli diadema quod erat in capite ejus, et armillam de brachio illius, et attuli ad te dominum meum huc.

℟. Deus omnium, *p.* 455.

Lectio iij.

APPREHENDENS autem David vestimenta sua scidit, omnesque viri qui erant cum eo, et planxerunt, et fleverunt, et jejunaverunt usque ad vesperam super Saul, et super Jonatham filium ejus, et super populum Domini, et super domum Israel, eo quod corruissent gladio. Dixitque David ad juvenem qui nuntiaverat ei: Unde es tu? Qui respondit: Filius hominis advenæ Amalecitæ ego sum. Et ait ad eum David: Quare non timuisti mittere manum tuam ut occideres christum Domini? Vocansque David unum de pueris suis, ait: Accedens irrue in eum. Qui percussit illum, et mortuus est.

℟. Dominus qui eripuit, *p.* 455.

IN II. NOCTURNO.

Ex lib. Moral. S. Gregorii Papæ.

Lectio iv. Lib. 4. 3. et 4.

QUID est quod David, qui retribuentibus sibi mala non reddidit

Digitized by Google

cum Saul et Jonathas bello occumberent, Gelboe montibus maledixit, dicens: Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniant super vos: neque sint agri primitiarum, quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo? Quid est quod Jeremias, cum prædicationem suam cerneret audientium difficultate præpediri, maledixit dicens: Maledictus vir, qui annuntiavit patri meo, dicens: Natus est tibi puer masculus.

℟. Percussit Saul, *p.* 455.

Lectio v.

QUID ergo montes Gelboe, Saul moriente, deliquerunt, quatenus in eos nec ros nec pluvia caderet, et ab omni eos viriditatis germine sententiæ sermo siccaret? Sed quia Gelboe interpretatur decursus, per Saul autem unctum et mortuum mors nostri Mediatoris exprimitur: non immerito per Gelboe montes superba Judæorum corda signantur: quæ dum in hujus mundi desideriis defluunt, in Christi, id est, uncti ee morte miscuerunt: et quia in eis unctus Rex corporaliter moritur, ipsi ab omni gratiæ rore siccantur.

℟. Montes Gelboe, *p.* 456.

Lectio vj.

DE quibus et bene dicitur, ut agri primitiarum esse non possint. Superbæ quippe Hebræorum mentes primitivos fructus non ferunt: quia in Redemptoris adventù ex parte maxima in perfidia remanentes, primordia fidei sequi noluerunt. Sancta namque Ecclesia in primitiis suis multitudine Gentium fœcundata, vix in mundi fine Judæos quos invenerit, suscipit, et extrema colligens, eos quasi reliquias frugum ponit.

℟. Ego te tuli, *p.* 456.

In III. Noct. ℟. vij. *et* viij. *ut ibid.*

FERIA SECUNDA.

De libro secundo Regum.

Lectio j. Cap. 2.

IGITUR post hæc consuluit David Dominum, dicens: Num ascendam in unam de civitatibus Juda? Et ait Dominus ad eum: Ascende. Dixitque David: Quo ascendam? Et respondit ei: In Hebron. Ascendit ergo David et duæ uxores ejus, Achinoam Jezrahelites, et Abigail uxor Nabal Carmeli: sed et viros qui erant cum eo duxit David singulos cum domo sua, et manserunt in oppidis Hebron. Veneruntque viri Juda, et unxerunt ibi David, ut regnaret super domum Juda.

℟. Recordare Domine, *p.* 456.

Lectio ij.

ET nuntiatum est David quod viri Jabes Galaad sepelissent Saul. Misit ergo David nuntios ad viros Jabes Galaad, dixitque ad eos: Benedicti vos a Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, et sepelistis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam et veritatem: sed et ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum istud. Confortentur manus vestræ, et estote filii fortitudinis: licet enim mortuus sit dominus vester Saul, tamen me unxit domus Juda in regem sibi.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

ABNER autem filius Ner, princeps exercitus Saul, tulit Isboseth filium Saul, et circumduxit eum per castra, regemque constituit super Galaad, et super Gessuri, et super Jezrahel, et super Ephraim, et super Benjamin, et super Israel universum. Quadraginta annorum erat Isboseth filius Saul cum regnare cœpisset super Israel, et duobus annis regnavit: sola autem domus Juda sequebatur David. Et fuit numerus dierum, quos commoratus est David, imperans in Hebron super domum Juda, septem annorum et sex mensium.

℟. Audi Domine, *p.* 457.

FERIA TERTIA.

De libro secundo Regum.

Lectio j. Cap. 3.

CUM ergo esset prælium inter domum Saul, et domum David, Ab-

Digitized by Google

ner filius Ner regebat domum Saul. Fuerat autem Sauli concubina nomine Respha, filia Aia. Dixitque Isboseth ad Abner: Quare ingressus es ad concubinam patris mei? Qui iratus nimis propter verba Isboseth, ait: Numquid caput canis ego sum adversum Judam hodie, qui fecerim misericordiam super domum Saul patris tui, et super fratres et proximos ejus, et non tradidi te in manus David, et tu requisisti in me quod argueres pro muliere hodie? Hæc faciat Deus Abner, et hæc addat ei, nisi quomodo juravit Dominus David, sic faciam eum eo, ut transferatur regnum de domo Saul, et elevetur thronus David super Israel et super Judam a Dan usque Bersabee.

℟. Domine si conversus, ℣. 457.

Lectio ij.

MISIT ergo Abner nuntios ad David pro se, dicentes: Cujus est terra? Et ut loquerentur: Fac mecum amicitias, et erit manus mea tecum, et reducam ad te universum Israel. Qui ait: Optime: ego faciam tecum amicitias: sed unam rem peto a te, dicens: Non videbis faciem meam, antequam adduxeris Michol filiam Saul: et sic venies, et videbis me. Misit autem David nuntios ad Isboseth filium Saul, dicens: Redde uxorem meam Michol, quam desponsi mihi centum præputiis Philisthiim. Misit ergo Isboseth, et tulit eam a viro suo Phaltiel, filio Lais. Sequebaturque eam vir suus, plorans usque Bauhrim: et dixit ad eum Abner: Vade, et revertere. Qui reversus est,

℟. Factum est dum, ℣. 457.

Lectio iij.

SERMONEM quoque intulit Abner ad seniores Israel, dicens: Tam heri quam nudiustertius quærebatis David ut regnaret super vos. Nunc ergo facite: quoniam Dominus locutus est ad David, dicens: In manu servi mei David salvabo populum meum Israel de manu Philistiim, et omnium inimicorum ejus. Locutus est autem Abner etiam ad Benjamin. Et abiit ut loqueretur ad David in Hebron omnia, quæ placuerant Israeli, et universo Benjamin. Venitque ad David in Hebron cum viginti viris, et fecit David Abner, et viris ejus qui venerant cum eo, convivium. Et dixit Abner ad David: Surgam, ut congregem ad te dominum meum regem omnem Israel.

℟. Ego te tuli, ℣. 456.

FERIA QUARTA.

De libro secundo Regum.

Lectio j. Cap. 3.

VENIENTES igitur filii Remmon Berothitæ, Rechab et Baana, ingressi sunt fervente die domum Isboseth: qui dormiebat super stratum suum meridie. Et ostiaria domus purgans triticum, obdormivit. Ingressi sunt autem domum latenter, assumentes spicas tritici, et percusserunt eum in inguine Rechab et Baana frater ejus, et fugerunt. Cum autem ingressi fuissent domum ille dormiebat super lectum suum in conclavi, et percutientes interfecerunt eum: sublatoque capite ejus, abierunt per viam deserti tota nocte, et attulerunt caput Isboseth ad David in Hebron, dixeruntque ad regem: Ecce caput Isboseth filii Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam.

℟. Peccavi super, ℣. 456.

Lectio ij.

RESPONDENS autem David Rechab et Baana fratri ejus, filiis Remmon Berothitæ, dixit ad eos: Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia, quoniam eum qui annuntiaverat mihi, et dixerat, Mortuus est Saul, qui putabat se prospera nuntiare, tenui, et occidi eum in Siceleg, cui oportebat mercedem dare pro nuntio. Quanto magis nunc, cum homines impii interfecerunt virum innoxium in domo sua super lectum suum, non quæram sanguinem ejus de manu vestra, et auferam vos de

Digitized by Google

terra? Præcepit itaque David pueris suis, et interfecerunt eos: præcidentesque manus et pedes eorum, suspenderunt eos super piscinam in Hebron: caput autem Isboseth tulerunt, et sepelierunt in sepulchro Abner in Hebron.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij. Cap. 5.

ET venerunt universæ tribus Israel ad David in Hebron, dicentes: Ecce nos, os tuum et caro tua sumus. Sed et heri et nudiustertius, cum esset Saul rex super nos, tu eras educens et reducens Israel. Dixit autem Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israel, et tu eris dux super Israel. Venerunt quoque et seniores Israel ad regem in Hebron, et percussit cum eis David fœdus in Hebron coram Domino: unxeruntque David in regem super Israel. Filius triginta annorum erat David, cum regnare cœpisset, et quadraginta annis regnavit. In Hebron regnavit super Judam septem annis et sex mensibus: in Jerusalem autem regnavit triginta tribus annis super omnem Israel et Judam. Et abiit rex, et omnes viri qui erant cum eo, in Jerusalem, ad Jebusæum habitatorem terræ: dictumque est David ab eis: Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos et claudos, dicentes: Non ingredietur David huc. Cœpit autem David arcem Sion, hæc est civitas David.

℟. Audi Domine, *p.* 457.

FERIA QUINTA.

De libro secundo Regum.

Lectio j. Cap. 6.

CONGREGAVIT autem rursum David omnes electos ex Israel triginta millia. Surrexitque David, et abiit, et universus populus qui erat cum eo de viris Juda, ut adducerent arcam Dei, super quam invocatum est nomen Domini exercituum, sedentis in Cherubim super eam. Et imposuerunt arcam Dei super plaustrum novum: tuleruntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gaba: Oza autem et Ahio filii Abinadab, minabant plaustrum novum.

℟. Præparate corda, *p.* 455.

Lectio ij.

CUMQUE tulissent eam de domo Abinadab, qui erat in Gaba, custodiens arcam Dei, Ahio præcedebat arcam. David autem et omnis Israel ludebant coram Domino in omnibus lignis fabre factis, et citharis, et lyris, et tympanis, et sistris, et cymbalis. Postquam autem venerunt ad aream Nachon, extendit Oza manum ad arcam Dei, et tenuit eam: quoniam calcitrabant boves, et declinaverunt eam. Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, et percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi juxta arcam Dei.

℟. Deus omnium, *p.* 455.

Lectio iij.

CONTRISTATUS est autem David eo quod percussisset Dominus Ozam, et vocatum est nomen loci illius, Percussio Ozæ, usque in diem hanc. Et extimuit David Dominum in die illa, dicens: Quomodo ingredietur ad me arca Domini? Et noluit divertere ad se arcam Domini in civitatem David: sed divertit eam in domum Obededom Gethæi. Et habitavit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus: et benedixit Dominus Obededom, et omnem domum ejus. Nuntiatumque est regi David quod benedixisset Dominus Obededom et omnia ejus propter arcam Dei. Abiit ergo David, et adduxit arcam Dei de domo Obededom in civitatem David cum gaudio.

℟. Dominus qui eripuit, *p.* 411.

FERIA SEXTA.

De libro secundo Regum.

Lectio j. Cap. 7.

ET ecce sermo Domini ad Nathan, dicens: Vade et loquere ad servum meum David: Hæc dicit Dominus: Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? Neque habitavi

Digitized by Google

in domo ex die illa, qua eduxi filios Israel de terra Ægypti usque in diem hanc; sed ambulabam in tabernaculo, et in tentorio.

℟. Percussit Saul, p. 455.

Lectio ij.

PER cuncta loca, quæ transivi cum omnibus filiis Israel, numquid loquens locutus sum ad unam de tribubus Israel, cui præcepi, ut pasceret populum meum Israel, dicens: Quare non ædificatis mihi domum cedrinam? Et nunc hæc dices servo meo David: Hæc dicit Dominus exercituum. Ego tuli te de pascuis sequentem greges, ut esses dux super populum meum Israel, et fui tecum in omnibus ubicumque ambulasti, et interfeci universos inimicos tuos a facie tua: fecique tibi nomen grande, juxta nomen magnorum qui sunt in terra. Et ponam locum populo meo Israel, et plantabo eum, et habitabit sub eo, et non turbabitur amplius: nec addent filii iniquitatis ut affligant eum sicut prius, ex die qua constitui judices super populum meum Israel; et requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis. Prædicitque tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus.

℟. Montes Gelboe, p. 456.

Lectio iij.

CUMQUE completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium: qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum. Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea. Et fidelis erit domus tua, et regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam, et thronus tuus erit firmus jugiter. Secundum omnia verba hæc, et juxta universam visionem istam, sic locutus est Nathan ad David.

℟. Ego te tuli, p. 456.

SABBATO.

De libro secundo Regum.

Lectio j. Cap. 11.

FACTUM est autem, vertente anno, eo tempore quo solent reges ad bella procedere, misit David Joab, et servos suos cum eo, et universum Israel, et vastaverunt filios Ammon, et obsederunt Rabba: David autem remansit in Jerusalem. Dum hæc agerentur, accidit ut surgeret David de strato suo post meridiem, et deambularet in solario domus regiæ; viditque mulierem se lavantem, ex adverso super solarium suum. Erat autem mulier pulchra valde. Misit ergo rex, et requisivit quæ esset mulier. Nuntiatumque est ei quod ipsa esset Bethsabee filia Eliam, uxor Uriæ Hethæi. Missis itaque David nuntiis, tulit eam.

℟. Peccavi super, p. 456.

Lectio ij.

ET reversa est in domum suam, concepto fœtu. Mittensque nuntiavit David, et ait: Concepi. Misit autem David ad Joab, dicens: Mitte ad me Uriam Hethæum. Misitque Joab Uriam ad David. Et venit Urias ad David. Quæsivitque David quam recte ageret Joab, et populus, et quomodo administraretur bellum. Et dixit David ad Uriam: Vade in domum tuam, et lava pedes tuos. Et egressus est Urias de domo regis, secutusque est eum cibus regius. Dormivit autem Urias ante portam domus regiæ cum aliis servis domini sui, et non descendit ad domum suam. Nuntiatumque est David a dicentibus: Non ivit Urias in domum suam. Et ait David ad Uriam: Numquid non de via venisti? quare non descendisti in domum tuam? Et ait Urias ad David: Arca Dei, et Israel, et Juda habitant in papilionibus, et dominus meus Joab, et servi domini mei super faciem terræ manent,

Digitized by Google

et ego ingrediar domum meam, ut comedam et bibam, et dormiam cum uxore mea? Per salutem tuam, et per salutem animæ tuæ non faciam rem hanc.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

AIT ergo David ad Uriam: Mane hic etiam hodie, et cras dimittam te. Mansit Urias in Jerusalem in die illa et altera, et vocavit eum David ut comederet coram se et biberet, et inebriavit eum. Qui egressus vespere, dormivit in strato suo cum servis domini sui, et in domum suam non descendit. Factum est ergo mane, et scripsit David epistolam ad Joab, misitque per manum Uriæ, scribens in epistola: Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est prælium, et derelinquite eum, ut percussus intereat. Igitur cum Joab obsideret urbem, posuit Uriam in loco ubi sciebat viros esse fortissimos. Egressique viri de civitate, bellabant adversum Joab, et ceciderunt de populo servorum David, et mortuus est etiam Urias Hethæus.

℟. Audi Domine, *p.* 457.

Ad Magnif. Ant. Obsecro, Domine, aufer iniquitatem servi tui, quia insipienter egi.

DOM. VI. POST PENT.

IN I. NOCTURNO.

De libro secundo Regum.

Lectio j. Cap. 12.

MISIT ergo Dominus Nathan ad David. Qui cum venisset ad eum, dixit ei: Duo viri erant in civitate una, unus dives, et alter pauper. Dives habebat oves, et boves plurimos valde: pauper autem nihil habebat omnino, præter ovem unam parvulam, quam emerat et nutrierat, et quæ creverat apud eum cum filiis ejus simul, de pane illius comedens, et de calice ejus bibens, et in sinu illius dormiens, eratque illi sicut filia. Cum autem peregrinus quidam venisset ad divitem, parcens ille sumere de ovibus et de bobus suis, ut exhiberet convivium peregrino illi qui venerat ad se, tulit ovem viri pauperis, et præparavit cibos homini qui venerat ad se.

℟. Præparate corda, *p.* 455.

Lectio ij.

IRATUS autem indignatione David adversus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc. Ovem reddet in quadruplum, eo quod fecerit verbum istud, et non pepercerit. Dixit autem Nathan ad David: Tu es ille vir. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego unxi te in regem super Israel, et ego erui te de manu Saul, et dedi tibi domum domini tui, et uxores domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israel et Juda; et si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora. Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam Hethæum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi, et interfecisti eum gladio filiorum Ammon.

℟. Deus omnium, *p.* 455.

Lectio iij.

QUAMOBREM non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quod despexeris me, et tuleris uxorem Uriæ Hethæi: ut esset uxor tua. Itaque hæc dicit Dominus; Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, et tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo, et dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus. Tu enim fecisti abscondite: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis. Et dixit David ad Nathan: Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris. Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur. Et reversus est Na-

Digitized by Google

than in domum suam. Percussit quoque Dominus parvulum, quem pepererat uxor Uriæ David, et desperatus est. Deprecatusque est David Dominum pro parvulo, et jejunavit David jejunio, et ingressus seorsum, jacuit super terram.

℟. Dominus qui eripuit, *p.* 455.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Ambrosii Episcopi de Apologia David.

Lectio iv. *Apolog.* I. 2.

UNUSQUISQUE nostrum per singulas horas quam multa delinqit! nec tamen unusquisque de plebe peccatum suum confitendum putat. Ille rex tantus ac potens, ne exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam: sed præmatura confessione, atque immenso dolore reddidit peccatum suum Domino. Quem mihi nunc facile reperias honoratum ac divitem, qui, si arguatur alicujus culpæ reus, non moleste ferat? At ille regio clarus imperio, tot divinis probatus oraculis, cum a privato homine corriperetur quod graviter deliquisset, non indignatus infremuit, sed confessus ingemuit culpæ dolore.

℟. Percussit Saul mille, *p.* 455.

Lectio v.

DENIQUE Dominum dolor intimi movit affectus, ut Nathan diceret: Quoniam pœnituit te, et Dominus abstulit peccatum tuum. Maturitas itaque veniæ profundam regis fuisse pœnitentiam declaravit, quæ tanti erroris offensam traduxerit. Alii homines cum a sacerdotibus corripiuntur, peccatum suum ingravant, dum negare cupiunt aut defendere, ibique eorum lapsus est major, ubi speratur correctio. Sancti autem Domini, qui consummare pium certamen gestiunt, et currere cursum salutis, sicubi forte ut homines corruerint, naturæ magis fragilitate, quam peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina: ut non solum nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulasse.

℟. Montes Gelboe, *p.* 456.

Lectio vj. Cap. 4.

PECCAVIT David, quod solent reges: sed pœnitentiam gessit, flevit, ingemuit, quod non solent reges. Confessus est culpam, obsecravit indulgentiam, humi stratus deploravit ærumnam, jejunavit, oravit, confessionis suæ testimonium in perpetua sæcula vulgato dolore transmisit. Quod erubescunt facere privati, rex non erubuit confiteri. Qui tenentur legibus, audent suum negare peccatum, dedignantur rogare indulgentiam, quam petebat qui nullis legibus tenebatur humanis. Quod peccavit, conditionis est; quod supplicavit, correctionis. Lapsus communis, sed specialis confessio. In culpam itaque incidisse, naturæ est; diluisse, virtutis.

℟. Ego te tuli, *p.* 456.

In III. Noct. ℟. vij. *et* viij. *ut ibid.*

FERIA SECUNDA.

De libro secundo Regum.

Lectio j. Cap. 13.

PORRO non est locutus Absalom ad Amnon, nec malum nec bonum: oderat enim Absalom Amnon, eo quod violasset Thamar sororem suam. Factum est autem post tempus biennii, ut tonderentur oves Absalom in Baalhasor, quæ est juxta Ephraim, et vocavit Absalom omnes filios regis, venitque ad regem, et ait ad eum: Ecce tondentur oves servi tui: veniat, oro, rex cum servis suis ad servum suum. Dixitque rex ad Absalom: Noli, fili mi, noli rogare ut veniamus omnes, et gravemus te. Cum autem cogeret eum, et noluisset ire, benedixit ei.

℟. Recordare Domine, *p.* 456.

Lectio ij.

ET ait Absalom: Si non vis venire, veniat, obsecro, nobiscum

Digitized by Google

saltem Amnon frater meus. Dixitque ad eum rex: Non est necesse ut vadat tecum. Coegit itaque Absalom eum, et dimisit cum eo Amnon, et universos filios regis. Feceratque Absalom convivium quasi convivium regis. Præceperat autem Absalom pueris suis, dicens: Observate cum temulentus fuerit Amnon vino, et dixero vobis: Percutite eum, et interficite, nolite timere: ego enim sum qui præcipio vobis: roboramini, et estote viri fortes. Fecerunt ergo pueri Absalom adversum Amnon, sicut præceperat eis Absalom. Surgentesque omnes filii regis, ascenderunt singuli mulas suas, et fugerunt.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

CUMQUE adhuc pergerent in itinere, fama pervenit ad David, dicens: Percussit Absalom omnes filios regis, et non remansit ex eis saltem unus. Surrexit itaque rex, et scidit vestimenta sua, et cecidit super terram; et omnes servi illius, qui assistebant ei, sciderunt vestimenta sua. Respondens autem Jonadab filius Semmaa fratris David, dixit: Ne æstimet dominus meus rex quod omnes pueri filii regis occisi sunt; Amnon solus mortuus est, quoniam in ore Absalom erat positus ex die qua oppressit Thamar sororem ejus. Nunc ergo ne ponat dominus meus rex super cor suum verbum istud, dicens: Omnes filii regis occisi sunt, quoniam Amnon solus mortuus est. Fugit autem Absalom.

℟. Audi Domine, *p.* 457.

FERIA TERTIA.

De libro secundo Regum.

Lectio j. Cap. 14.

CUM ingressa fuisset mulier Thecuitis ad regem, cecidit coram eo super terram, et adoravit, et dixit: Serva me, rex. Et ait ad eam rex: Quid causæ habes? Quæ respondit: Heu, mulier vidua ego sum; mortuus est enim vir meus. Et ancillæ tuæ erant duo filii, qui rixati sunt adversum se in agro, nullusque erat qui eos prohibere posset, et percussit alter alterum, et interfecit eum. Et ecce consurgens universa cognatio adversum ancillam tuam, dicit: Trade eum, qui percussit fratrem suum, ut occidamus eum pro anima fratris sui quem interfecit, et deleamus hæredem: et quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, ut non supersit viro meo nomen, et reliquiæ super terram.

℟. Domine si conversus, *p.* 457.

Lectio ij.

ET ait rex: Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, et ultra non addet ut tangat te. Quæ ait: Recordetur rex Domini Dei sui, ut non multiplicentur proximi sanguinis ad ulciscendum, et nequaquam interficiant filium meum. Qui ait: Vivit Dominus, quia non cadet de capillis filii tui super terram. Dixit ergo mulier: Loquatur ancilla tua ad dominum meum regem verbum. Et ait: Loquere. Dixitque mulier: Quare cogitasti hujuscemodi rem contra populum Dei, et locutus est rex verbum istud, ut peccet, et non reducat ejectum suum? Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur; nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans ne penitus pereat qui abjectus est.

℟. Factum est dum, *p.* 457.

Lectio iij.

ET ait rex: Numquid manus Joab tecum est in omnibus istis? Respondit mulier, et ait: Per salutem animæ tuæ, domine mi rex, nec ad sinistram, nec ad dexteram est ex omnibus his quæ locutus est dominus meus rex: servus enim tuus Joab ipse præcepit mihi, et ipse posuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc. Ut verterem figuram sermonis hujus, servus tuus Joab præcepit istud: tu autem, domine mi rex, sapiens es,

Digitized by Google

sicut habet sapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia super terram. Et ait rex ad Joab : Ecce placatus feci verbum tuum : vade ergo, et revoca puerum Absalom.

℟. Ego te tuli, *p.* 456.

FERIA QUARTA

De libro secundo Regum.

Lectio j. Cap. 15.

IGITUR post hæc fecit sibi Absalom currus, et equites, et quinquaginta viros, qui præcederent eum. Et mane consurgens Absalom, stabat juxta introitum portæ, et omnem virum, qui habebat negotium ut veniret ad regis judicium, vocabat Absalom ad se, et dicebat : De qua civitate es tu ? Qui respondens aiebat: Ex una tribu Israel ego sum servus tuus. Respondebatque ei Absalom : Videntur mihi sermones tui boni et justi ; sed non est qui te audiat constitutus a rege.

℟. Peccavi super, *p.* 456.

Lectio ij.

DICEBATQUE Absalom : Quis me constituat judicem super terram, ut ad me veniant omnes qui habent negotium, et juste judicem? Sed et cum accederet ad eum homo ut salutaret illum, extendebat manum suam, et apprehendens osculabatur eum. Faciebatque hoc omni Israel venienti ad judicium ut audiretur a rege, et sollicitabat corda virorum Israel.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

POST quadraginta autem annos dixit Absalom ad regem David: Vadam, et reddam vota mea quæ vovi Domino in Hebron. Vovens enim vovit servus tuus, cum esset in Gessur Syriæ, dicens : Si reduxerit me Dominus in Jerusalem, sacrificabo Domino. Dixitque ei rex David : Vade in pace. Et surrexit, et abiit in Hebron. Misit autem Absalom exploratores in universas tribus Israel, dicens : Statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite : Regnavit Absalom in Hebron.

FERIA QUINTA.

De libro secundo Regum.

Lectio j. Cap. 15.

VENIT igitur nuntius ad David, dicens : Toto corde universus Israel sequitur Absalom. Et ait David servis suis, qui erant cum eo in Jerusalem : Surgite, fugiamus ; neque enim erit nobis effugium a facie Absalom. Festinate egredi, ne forte veniens occupet nos, et impellat super nos ruinam, et percutiat civitatem in ore gladii. Dixeruntque servi regis ad eum : Omnia quæcumque præceperit dominus noster rex, libenter exequemur servi tui.

℟. Præparate corda, *p.* 455.

Lectio ij.

EGRESSUS est ergo rex, et universa domus ejus, pedibus suis; et dereliquit rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum. Egressusque rex et omnis Israel pedibus suis, stetit procul a domo ; et universi servi ejus ambulabant juxta eum, et legiones Cerethi, et Phelethi, et omnes Gethæi, pugnatores validi, sexcenti viri, qui secuti eum fuerant de Geth pedites, præcedebant regem.

℟. Deus omnium, p. 455.

Lectio iij.

DIXIT autem rex ad Ethai Gethæum : Cur venis nobiscum ? revertere, et habita cum rege, quia peregrinus es, et egressus es de loco tuo. Heri venisti, et hodie compelleris nobiscum egredi ? ego autem vadam quo iturus sum : revertere, et reduc tecum fratres tuos, et Dominus faciet tecum misericordiam et veritatem, quia ostendisti gratiam et fidem.

℟. Dominus qui eripuit, *p.* 455.

FERIA SEXTA.

De libro secundo Regum.

Digitized by Google

Lectio j. Cap. 16.

VENIT ergo rex David usque Bahurim; et ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera, procedebatque egrediens, et maledicebat, mittebatque lapides contra David, et contra universos servos regis David. Omnis autem populus, et universi bellatores a dextro et a sinistro latere regis incedebant. Ita autem loquebatur Semei cum malediceret regi: Egredere, egredere, vir Belial. Reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul, quoniam invasisti regnum pro eo.

℟. Percussit Saul, *p.* 456.

Lectio ij.

DIXIT autem Abisai filius Sarviæ regi: Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi? Vadam, et amputabo caput ejus. Et ait rex: Quid mihi et vobis est, filii Sarviæ? Dimittite eum ut maledicat: Dominus enim præcepit ei ut malediceret David, et quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?

℟. Montes Gelboe, *p.* 456.

Lectio iij.

ET ait Abisai et universis servis suis: Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meam, quanto magis nunc filius Jemini? Dimittite eum ut maledicat juxta præceptum Domini, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.

℟. Ego te tuli, *p.* 456.

SABBATO.

De libro secundo Regum.

Lectio j. Cap. 18.

EGRESSUS est populus in campum contra Israel, et factum est prælium in saltu Ephraim. Et cæsus est ibi populus Israel ab exercitu David, factaque est plaga magna in die illa, viginti millium. Fuit autem ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ, et multo plures erant quos saltus consumpserat de populo, quam hi quos voraverat gladius in die illa.

℟. Peccavi super, *p.* 456.

Lectio ij.

ACCIDIT autem ut occurreret Absalom servis David, sedens mulo; cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum et magnam, adhæsit caput ejus quercui; et illo suspenso inter cœlum et terram, mulus cui insederat, pertransivit. Vidit autem hoc quispiam, et nuntiavit Joab, dicens: Vidi Absalom pendere de quercu. Et ait Joab viro qui nuntiaverat ei: Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra, et ego dedissem tibi decem argenti siclos, et unum balteum? Qui dixit ad Joab: Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis: audientibus enim nobis præcepit rex tibi, et Abisai, et Ethai, dicens: Custodite mihi puerum Absalom.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

ET ait Joab: Non sicut tu vis, sed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in manu sua, et infixit eas in corde Absalom; cumque adhuc palpitaret hærens in quercu, cucurrerunt decem juvenes armigeri Joab; et percutientes interfecerunt eum. Cecinit autem Joab buccina, et retinuit populum ne persequeretur fugientem Israel, volens parcere multitudini. Et tulerunt Absalom, et projecerunt eum in saltu in foveam grandem, et comportaverunt super eum acervum lapidum magnum nimis.

℟. Audi Domine, *p.* 457.

Ad Magnif. Ant. Unxerunt Salomonem Sadoc sacerdos, et Nathan Propheta, regem in Gihon, et ascendentes læti dixerunt: Vivat rex in æternum.

Nisi ponenda sit Ant. pro Dom. I. Augusti: quia tunc, omissis Ant. et Lect. de libris Regum, ponuntur

Digitized by Google

de libris Salomonis : quod etiam servatur in seq. Hebdomadis.

DOM. VII. POST PENT.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber tertius Regum.

Lectio j. Cap. 1.

ET rex David senuerat, habebatque ætatis plurimos dies ; cumque operiretur vestibus, non calefiebat. Dixerunt ergo ei servi sui: Quæramus domino nostro regi adolescentulam virginem, et stet coram rege, et foveat eum, dormiatque in sinu suo, et calefaciat dominum nostrum regem. Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, et invenerunt Abisag Sunamitidem, et adduxerunt eam ad regem. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum rege, et ministrabat ei : rex vero non cognovit eam.

℟. Præparate corda, *p.* 455.

Lectio ij.

ADONIAS autem filius Haggith elevabatur, dicens : Ego regnabo. Fecitque sibi currus, et equites, et quinquaginta viros, qui currerent ante eum. Nec corripuit eum pater suus aliquando, dicens : Quare hoc fecisti ? Erat autem et ipse pulcher valde, secundus natu post Absalom. Et sermo ei cum Joab filio Sarviæ, et cum Abiathar sacerdote, qui adjuvabant partes Adoniæ. Sadoc vero sacerdos, et Banaias filius Joiadæ, et Nathan Propheta, et Semei, et Rei, et robur exercitus David non erat cum Adonia.

℟. Deus omnium, *p.* 455.

Lectio iij.

DIXIT itaque Nathan ad Bethsabee matrem Salomonis: Num audisti quod regnaverit Adonias filius Haggith, et dominus noster David hoc ignoret ? Nunc ergo veni, accipe consilium a me, et salva animam tuam, filiique tui Salomonis. Vade, et ingredere ad regem David, et dic ei : Nonne tu, domine mi rex, jurasti mihi ancillæ tuæ, dicens : Salomon filius tuus regnabit post me, et ipse sedebit in solio meo ? quare ergo regnat Adonias ? Et adhuc ibi te loquente cum rege, ego veniam post te, et complebo sermones tuos. Ingressa est itaque Bethsabee ad regem in cubiculum.

℟. Dominus qui eripuit, *p.* 455.

IN II. NOCTURNO.

Ex Epistola S. Hieronymi Presbyteri ad Nepotianum.

Lectio iv. *Epist.* 2. *tom.* I.

DAVID annos natus septuaginta, bellicosus quondam vir, senectute frigescente, non poterat calefieri. Quæritur itaque puella de universis finibus Israel Abisag Sunamitis, quæ cum rege dormiret, et senile corpus calefaceret. Quæ est ista Sunamitis, uxor et virgo, tam fervens ut frigidum calefaceret ; tam sancta, ut calentem ad libidinem non provocaret ? Exponat sapientissimus Salomon patris sui delicias, et pacificus bellatoris viri narret amplexus. Posside sapientiam, posside intelligentiam. Ne obliviscaris, et ne declinaveris a verbis oris mei : neque derelinquas illam, et apprehendet te, ama illam, et servabit te. Principium sapientiæ, posside sapientiam ; et in omni possessione tua posside intelligentiam ; circumda illam, et amplexabitur te, ut det capiti tuo coronam gratiarum. Corona quoque deliciarum proteget te.

℟. Percussit Saul, *p.* 455.

Lectio v.

OMNES pene virtutes corporis mutantur in senibus, et crescente sola sapientia, decrescunt cætera: jejunia, vigiliæ, chameuniæ, id est super pavimentum dormitiones, huc illucque discursus, peregrinorum susceptio, defensio pauperum, instantia orationum et perseverantia, visitatio languentium, labor manuum unde præbeantur eleemosynæ. Et ne sermonem longius protrahamm, cuncta quæ

Digitized by Google

per corpus exercentur, fracto corpore, minora fiunt.

℟. Montes Gelboe, *p.* 456.

Lectio vj.

NEC hoc dico, quod in juvenibus et adhuc solidioris ætatis, his dumtaxat, qui labore et ardentissimo studio, vitæ quoque sanctimonia, et orationis ad Dominum Jesum frequentia scientiam consecuti sunt, frigeat sapientia, quæ in plerisque senibus ætate marcescit; sed quod adolescentia multa corporis bella sustineat, et inter incentiva vitiorum, et carnis titillationes, quasi ignis in lignis viridibus suffocetur, ut suum non possit explicare fulgorem. Senectus vero rursus eorum, qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, et in lege Domini meditati sunt die ac nocte, ætate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior, et veterum studiorum dulcissimos fructus metit.

℟. Ego te tuli, *p.* 456.

In III. Noct. ℟. vij. *et* viij. *ut ibid.*

FERIA SECUNDA

De libro tertio Regum.

Lectio j. Cap. 1.

ET respondit rex David, dicens: Vocate ad me Bethsabee. Quæ cum fuisset ingressa coram rege, et stetisset ante eum, juravit rex, et ait: Vivit Dominus qui eruit animam meam de omni angustia, quia sicut juravi tibi per Dominum Deum Israel, dicens: Salomon filius tuus regnabit post me, et ipse sedebit super solium meum pro me, sic faciam hodie. Summissoque Bethsabee in terram vultu, adoravit regem, dicens: Vivat dominus meus David in æternum.

℟. Recordare Domine, *p.* 456.

Lectio ij.

DIXIT quoque rex David: Vocate mihi Sadoc sacerdotem, et Nathan Prophetam, et Banaiam filium Joiadæ. Qui cum ingressi fuissent coram rege, dixit ad eos: Tollite vobiscum servos domini vestri, et imponite Salomonem filium meum super mulam meam, et ducite eum in Gihon, et ungat eum ibi Sadoc sacerdos, et Nathan Propheta, in regem super Israel; et canetis buccina, atque dicetis: Vivat rex Salomon. Et ascendetis post eum, et veniet, et sedebit super solium meum, et ipse regnabit pro me.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

DESCENDIT ergo Sadoc sacerdos, et Nathan Propheta, et Banaias filius Joiadæ, et Cerethi, et Phelethi, et imposuerunt Salomonem super mulam regis David, et adduxerunt eum in Gihon. Sumpsitque Sadoc sacerdos cornu olei de tabernaculo, et unxit Salomonem, et cecinerunt buccina, et dixit omnis populus: Vivat rex Salomon. Et ascendit universa multitudo post eum, et populus canentium tibiis, et lætantium gaudio magno, et insonuit terra a clamore eorum.

℟. Audi Domine, *p.* 457.

FERIA TERTIA

De libro tertio Regum.

Lectio j. Cap. 2.

APPROPINQUAVERUNT autem dies David ut moreretur, præcepitque Salomoni filio suo, dicens: Ego ingredior viam universæ terræ; confortare, et esto vir. Et observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut custodias cæremonias ejus, et præcepta ejus, et judicia, et testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi: ut intelligas universa quæ facis, et quocumque te verteris, ut confirmet Dominus sermones suos, quos locutus est de me, dicens: Si custodierint filii tui vias suas, et ambulaverint coram me in veritate, in omni corde suo, et in omni anima sua, non auferetur tibi vir de solio Israel.

℟. Domine si conversus, p. 457.

Digitized by Google

Lectio ij.

TU quoque nosti quæ fecerit mihi Joab filius Sarviæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israel, Abner filio Ner, et Amasæ filio Jether, quos occidit, et effudit sanguinem belli in pace, et posuit cruorem prælii in balteo suo, qui erat circa lumbos ejus, et in calceamento suo, quod erat in pedibus ejus. Facies ergo juxta sapientiam tuam, et non deduces canitiem ejus pacifice ad inferos.

℟. Factum est dum, *p.* 457.

Lectio iij.

SED et filiis Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua. Occurrerunt enim mihi, quando fugiebam a facie Absalom fratris tui. Habes quoque apud te Semei filium Gera, filii Jemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione pessima, quando ibam ad castra: sed quia descendit mihi in occursum cum transirem Jordanem, et juravi ei per Dominum, dicens: Non te interficiam gladio; tu noli puti eum esse innoxium.

℟. Ego te tuli, *p.* 456.

FERIA QUARTA.

De libro tertio Regum.

Lectio j. Cap. 3.

APPARUIT autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens: Postula quod vis ut dem tibi. Et ait Salomon; Tu fecisti cum servo tuo David patre meo misericordiam magnam, sicut ambulavit in conspectu tuo in veritate et justitia, et recto corde tecum: custodisti ei misericordiam tuam grandem, et dedisti ei filium sedentem super thronum ejus, sicut est hodie.

℟. Peccavi super, *p.* 458.

Lectio ij.

ET nunc, Domine Deus, tu regnare fecisti servum tuum pro David patre meo: ego autem sum puer parvulus, et ignorans egressum et introitum meum. Et servus tuus in medio est populi, quem elegisti, populi infiniti, qui numerari et supputari non potest præ multitudine. Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, et discernere inter bonum et malum. Quis enim poterit judicare populum istum, populum tuum hunc multum?

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio. iij.

PLACUIT ergo sermo coram Domino, quod Salomon postulasset hujuscemodi rem. Et dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, et non petisti tibi dies multos nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium, ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed et hæc quæ non postulasti, dedi tibi; divitias scilicet, et gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus.

℟. Audi Domine, *p.* 457.

FERIA QUINTA.

De libro tertio Regum.

Lectio j. Cap. 6.

SALOMON autem erat in ditione sua habens omnia regna a flumine terræ Philistiim usque ad terminum Ægypti, offerentium sibi munera, et servientium ei cunctis diebus vitæ ejus. Erat autem cibus Salomonis per dies singulos triginta cori similæ, et sexaginta cori farinæ, decem boves pingues, et viginti boves pascuales, et centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum, atque bubalorum, et avium altilium. Ipse enim obtinebat omnem regionem, quæ erat trans flumen a Thapsa usque ad Gazan, et cunctos reges illarum regionum, et habebat pacem ex omni parte in circuitu.

℟. Præparate corda, *p.* 455.

Digitized by Google

Lectio ij.

HABITABATQUE Juda et Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, et sub ficu sua, a Dan usque Bersabee cunctis diebus Salomonis. Et habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum curilium, et duodecim millia equestrium. Nutriebantque eos supradicti regis præfecti: sed et necessaria mensæ regis Salomonis cum ingenti cura præbebant in tempore suo. Hordeum quoque et paleas equorum et jumentorum deferebant in locum ubi erat rex, juxta constitutum sibi. Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, et prudentiam multam nimis, et latitudinem cordis quasi arenam, quæ est in littore maris.

℟. Deus omnium, *p.* 435.

Lectio iij.

ET præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium et Ægyptiorum, et erat sapientior cunctis hominibus, sapientior Ethan Ezrahita, et Heman, et Chalcol, et Dorda, filiis Mahol; et erat nominatus in universis gentibus per circuitum. Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas, et fuerunt carmina ejus quinque et mille. Et disputavit super lignis a cedro quæ est in Libano, usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete; et disseruit de jumentis, et volucribus, et reptilibus, et piscibus. Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, et ab universis regibus terræ, qui audiebant sapientiam ejus.

℟. Dominus qui eripuit, *p.* 455.

FERIA SEXTA

De libro tertio Regum.

Lectio j. Cap. 5.

MISIT quoque Hiram rex Tyri servos suos ad Salomonem: audivit enim quod ipsum unxissent regem pro patre ejus, quia amicus fuerat Hiram David omni tempore. Misit autem Salomon ad Hiram, dicens: Tu scis voluntatem David patris mei, et quia non potuerit ædificare domum nomini Domini Dei sui propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos sub vestigio pedum ejus. Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum, et non est satan, neque occursus malus.

℟. Percussit Saul, *p.* 455,

Lectio ij.

QUAMOBREM cogito ædificare templum nomini Domini Dei mei, sicut locutus est Dominus David patri meo, dicens: Filius tuus, quem dabo pro te super solium tuum, ipse ædificabit domum nomini meo. Præcipe igitur ut præcidant mihi servi tui cedros de Libano, et servi mei sint cum servis tuis; mercedem autem servorum tuorum dabo tibi quamcumque petieris: scis enim quomodo non est in populo meo vir qui noverit ligna cædere sicut Sidonii.

℟. Montes Gelboe, *p.* 436.

Lectio iij.

CUM ergo audisset Hiram verba Salomonis, lætatus est valde, et ait: Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit David filium sapientissimum super populum hunc plurimum. Et misit Hiram ad Salomonem, dicens: Audivi quæcumque mandasti mihi: ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis et abiegnis. Servi mei deponent ea de Libano ad mare, et ego componam ea in ratibus in mari usque ad locum quem significaveris mihi, et applicabo ea ibi, et tu tolles ea, præbebisque necessaria mihi, ut detur cibus domui meæ.

℟. Ego te tuli, *p.* 436.

SABBATO.

De libro tertio Regum.

Lectio j. Cap. 7. et 8.

ET perfecit omne opus, quod faciebat Salomon in domo Domini, et intulit quæ sanctificaverat David pater suus argentum et aurum et vasa, reposuitque in thesauris domus

Digitized by Google

Domini. Tunc congregati sunt omnes majores natu Israel cum principibus tribuum, et duces familiarum filiorum Israel ad regem Salomonem in Jerusalem, ut deferrent arcam fœderis Domini de civitate David, id est, de Sion. Convenitque ad regem Salomonem universus Israel in mense Ethanim, in solemni die, ipse est mensis septimus.

℟. Peccavi super, *p.* 456.

Lectio ij.

VENERUNTQUE cuncti senes de Israel, et tulerunt arcam sacerdotes, et portaverunt arcam Domini, et tabernaculum fœderis, et omnia vasa Sanctuarii quæ erant in tabernaculo, et ferebant ea sacerdotes et Levitæ. Rex autem Salomon et omnis multitudo Israel, quæ convenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante arcam, et immolabant oves et boves absque æstimatione et numero. Et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in Sanctum sanctorum, subter alas Cherubim. Siquidem Cherubim expandebant alas super locum arcæ, et protegebant arcam, et vectes ejus desuper.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

IN arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel, cum egrederentur de terra Ægypti. Factum est autem, cum exissent sacerdotes de Sanctuario, nebula implevit domum Domini, et non poterant sacerdotes stare et ministrare propter nebulam: impleverat enim gloria Domini domum Domini. Tunc ait Salomon: Dominus dixit ut habitaret in nebula.

℟. Audi Uomine, *p.* 457.

Ad Magnif. Ant. Exaudisti, Domine, orationem servi tui, ut ædificarem templum nomini tuo.

DOM. VIII. POST PENT.

IN I. NOCTURNO.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 9.

FACTUM est autem cum perfecisset Salomon ædificium domus Domini, et ædificium regis, et omne quod optaverat et voluerat facere, apparuit ei Dominus secundo, sicut apparuerat ei in Gabaon. Dixitque Dominus ad eum: Exaudivi orationem tuam et deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me: sanctificavi domum hanc, quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus. Tu quoque si ambulaveris coram me, sicut ambulavit pater tuus, in simplicitate cordis et in æquitate, et feceris omnia quæ præcepi tibi, et legitima mea et judicia mea servaveris, ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum, sicut locutus sum David patri tuo, dicens: Non auferetur vir de genere tuo de solio Israel.

℟. Præparate corda, *p.* 455.

Lectio ij.

SI autem aversione aversi fueritis vos et filii vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea, et cæremonias meas, quas proposui vobis, sed abieritis et colueritis deos alienos, et adoraveritis eos, auferam Israel de superficie terræ, quam dedi eis: et templum, quod sanctificavi nomini meo, projiciam a conspectu meo, eritque Israel in proverbium et in fabulam cunctis populis. Et domus hæc erit in exemplum. Omnis qui transierit per eam, stupebit, et sibilabit, et dicet: Quare fecit Dominus sic terræ huic, et domui huic? Et respondebunt: Quia dereliquerunt Dominum Deum suum, qui eduxit patres eorum de terra Ægypti, et secuti sunt deos alienos, et adoraverunt eos, et coluerunt eos; idcirco induxit Dominus super eos omne malum hoc.

℟. Deus omnium, *p.* 455.

Digitized by Google

Lectio iij.

EXPLETIS autem annis viginti postquam ædificaverat Salomon duas domos, id est, domum Domini, et domum regis (Hiram rege Tyri præbente Salomoni ligna cedrina et abiegna, et aurum juxta omne quod opus habuerat) tunc dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galilææ. Et egressus est Hiram de Tyro ut videret oppida quæ dederat ei Salomon, et non placuerunt ei, et ait: Hæccine sunt civitates, quas dedisti mihi, frater? Et appellavit eas terram Chabul, usque in diem hanc. Misit quoque Hiram ad regem Salomonem centum viginti talenta auri.

℟. Dominus qui eripuit, *p.* 455.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Augustini Episcopi de Civitate Dei.

Lectio iv. *Lib.* 17. *cap.* 8.

FACTA est quidem non nulla imago rei futuræ etiam in Salomone, in eo quod templum ædificavit, et pacem habuit secundum nomen suum (Salomon quippe pacificus est latine) et in exordio regni sui mirabiliter laudabilis fuit. Sed eadem sua persona per umbram futuri prænuntiabat etiam ipse Christum Dominum nostrum, non exhibebat. Unde quædam de illo ita scripta sunt, quasi de ipso ista prædicta sint, dum Scriptura sancta etiam rebus gestis prophetans, quodammodo in eo figuram delineat futurorum.

℟. Percussit Saul, *p.* 455.

Lectio v.

NAM præter libros divinæ historiæ, ubi regnasse narratur, psalmus etiam septuagesimus primus titulo nominis ejus inscriptus est. In quo tam multa dicuntur, quæ omnino ei convenire non possunt, Domino autem Christo aptissima perspicuitate conveniunt, ut evidenter appareat quod in illo figura qualiscumque adumbrata sit, in isto autem, ipsa veritas præsentata.

℟. Montes Gelboe, *p.* 456.

Lectio vj.

NOTUM est enim quibus terminis regnum conclusum fuerit Salomonis, et tamen in eo psalmo legitur, ut alia taceam: Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terræ, quod in Christo videmus impleri. A flumine quippe dominandi sumpsit exordium, ubi baptizatus a Joanne, eodem monstrante, cœpit agnosci a discipulis, qui eum non solum magistrum, verum etiam Dominum appellaverunt.

℟. Ego te tuli, *p.* 456.

In III. Noct. ℟. vij. *et.* viij *ut ibid.*

FERIA SECUNDA.

De libro tertio Regum.

Lectio j. Cap. 10.

SED et regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus. Et ingressa Jerusalem multo cum comitatu et divitiis, camelis portantibus aromata, et aurum infinitum nimis, et gemmas pretiosas, venit ad regem Salomonem, et locuta est ei universa quæ habebat in corde suo. Et docuit eam Salomon omnia verba, quæ proposuerat: non fuit sermo, qui regem posset latere, et non responderet ei.

℟. Recordare Domine, *p.* 456.

Lectio ij.

VIDENS autem regina Saba omnem sapientiam Salomonis, domum quam ædificaverat, et cibos mensæ ejus, et habitacula servorum, et ordines ministrantium, vestesque eorum, et pincernas, et holocausta quæ offerebat in domo Domini, non habebat ultra spiritum. Dixitque ad regem: Verus est sermo, quem audivi in terra mea, super sermonibus tuis, et super sapientia tua, et non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et pro-

Digitized by Google

bavi quod media pars mihi nuntiata non fuerit; major est sapientia et opera tua, quam rumor quem audivi.

℣. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

BEATI viri tui, et beati servi tui qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, et posuit te super thronum Israel, eo quod dilexerit Dominus Israel in sempiternum, et constituit te regem, ut faceres judicium et justitiam. Dedit ergo regi centum viginti talenta auri, et aromata multa nimis, et gemmas pretiosas: non sunt allata ultra aromata tam multa, quam ea quæ dedit regina Saba regi Salomoni. Sed et classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis et gemmas pretiosas.

℣. Audi Domine, *p.* 457.

FERIA TERTIA

De libro tertio Regum.

Lectio j. Cap. 11.

REX autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, et Moabitidas, et Ammonitidas, Idumæas, et Sidonias, et Hethæas; de Gentibus super quibus dixit Dominus filiis Israel: Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini deos earum. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore. Fueruntque ei uxores quasi reginæ septingentæ, et concubinæ trecentæ; et averterunt mulieres cor ejus. Cumque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos, nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus.

℣. Domine si conversus, *p.* 457.

Lectio ij.

SED colebat Salomon Astarthen deam Sidoniorum, et Moloch idolum Ammonitarum. Fecitque Salomon quod non placuerat coram Domino, et non adimplevit ut sequeretur Dominum, sicut David pater ejus. Tunc ædificavit Salomon fanum Chamos idolo Moab, in monte qui est contra Jerusalem, et Moloch idolo filiorum Ammon. Atque in hunc modum fecit universis uxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura, et immolabant diis suis.

℣. Factum est dum, *p.* 457.

Lectio iij.

IGITUR iratus est Dominus Salomoni, quod aversa esset mens ejus a Domino Deo Israel, qui apparuerat ei secundo, et præceperat de verbo hoc, ne sequeretur deos alienos, et non custodivit quæ mandavit ei Dominus. Dixit itaque Dominus Salomoni: Quia habuisti hoc apud te, et non custodisti pactum meum, et præcepta mea quæ mandavi tibi, disrumpens scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo. Verumtamen in diebus tuis non faciam propter David patrem tuum.

℣. Ego te tuli, *p.* 456.

FERIA QUARTA.

De libro tertio Regum.

Lectio j. Cap. 11.

JEROBOAM quoque filius Nabat Ephrathæus, de Sareda, servus Salomonis, cujus mater erat nomine Sarva, mulier vidua, levavit manum contra regem. Et hæc est causa rebellionis adversus eum, quia Salomon ædificavit Mello, et coæquavit voraginem civitatis David patris sui. Erat autem Jeroboam vir fortis et potens, vidensque Salomon adolescentem bonæ indolis et industrium, constituerat eum præfectum super tributa universæ domus Joseph.

℣. Peccavi super, *p.* 456.

Lectio ij.

FACTUM est igitur in tempore illo, ut Jeroboam egrederetur de Jerusalem; et inveniret eum Ahias Silonites Propheta in via, opertus pal-

Digitized by Google

lio novo : erant autem duo tantum in agro. Apprehendensque Abias pallium suum novum, quo coopertus erat, scidit in duodecim partes, et ait ad Jeroboam : Tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus Deus Israel : Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

NOLUIT ergo Salomon interficere Jeroboam, qui surrexit, et aufugit in Ægyptum, ad Sesac regem Ægypti, et fuit in Ægypto usque ad mortem Salomonis. Reliquum autem verborum Salomonis, et omnia quæ fecit, et sapientia ejus, ecce universa scripta sunt in libro verborum dierum Salomonis. Dies autem quos regnavit Salomon in Jerusalem super omnem Israel, quadraginta anni sunt. Dormivitque Salomon cum patribus suis, et sepultus est in civitate David patris sui, regnavitque Roboam filius ejus pro eo.

℟. Audi Domine, *p.* 457.

FERIA QUINTA.

De libro tertio Regum.

Lectio j. Cap. 12.

VENIT autem Roboam in Sichem : Illuc enim congregatus erat omnis Israel ad constituendum eum regem. At vero Jeroboam filius Nabat, cum adhuc esset in Ægypto profugus a facie regis Salomonis, audita morte ejus, reversus est de Ægypto miseruntque et vocaverunt eum. Venit ergo Jeroboam, et omnis multitudo Israel, et locuti sunt ad Roboam, dicentes : Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis : tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo quod imposuit nobis, et serviemus tibi. Qui ait eis: Ite usque ad tertium diem, et revertimini ad me.

℟. Præparate corda, *p.* 455.

Lectio ij.

CUMQUE abiisset populus, iniit consilium rex Roboam cum senioribus, qui assistebant coram Salomone Patre ejus, cum adhuc viveret, et ait : Quod datis mihi consilium, ut respondeam populo huic ? Qui dixerunt ei : Si hodie obedieris populo huic, et servieris, et petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi servi cunctis diebus. Qui dereliquit consilium senum, quod dederant ei, et adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, et assistebant illi.

℟. Deus omnium, *p.* 455.

Lectio iij.

RESPONDITQUE rex populo dura, derelicto consilio seniorum, quod ei dederant, et locutus est eis secundum consilium juvenum, dicens : Pater meus aggravavit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro : pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus. Et non acquievit rex populo, quoniam aversatus fuerat eum Dominus, ut suscitaret verbum suum, quod locutus fuerat in manu Ahiæ Silonitæ, ad Jeroboam filium Nabat. Videns itaque populus quod noluisset eos audire rex, respondit ei, dicens : Quæ nobis pars in David ? vel quæ hæreditas in filio Isai ?

℟. Dominus qui eripuit, *p.* 453

FERIA SEXTA

De libro tertio Regum.

Lectio j. Cap. 14.

DIXIT autem Dominus ad Ahiam : Ecce uxor Jeroboam ingreditur ut consulat te super filio suo qui ægrotat, hæc et hæc loquetis ei. Cum ergo illa intraret, et dissimularet se esse quæ erat, audivit Ahias sonitum pedum ejus introeuntis per ostium, et ait : Ingredere, uxor Jeroboam : quare aliam te esse simulas ? Ego autem missus sum ad te durus nuntius.

℟. Percussit Saul, *p.* 455.

Digitized by Google

Lectio ij.

VADE, et dic Jeroboam: Hæc dicit Dominus Deus Israel : Quia exaltavi te de medio populi, et dedi te ducem super populum meum Israel; et scidi regnum domus David, et dedi illud tibi, et non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea ; et secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo; sed operatus es mala super omnes qui fuerunt ante te, et fecisti tibi deos alienos et conflatiles, ut me ad iracundiam provocares ; me autem projecisti post corpus tuum.

℟. Montes Gelboe, *p.* 457.

Lectio iij.

IDCIRCO ecce ego inducam mala super domum Jeroboam, et percutiam de Jeroboam mingentem ad parietem, et clausum, et novissimum in Israel ; et mundabo reliquias domus Jeroboam, sicut mundari solet fimus usque ad purum. Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes : qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cœli : quia Dominus locutus est. Tu igitur surge, et vade in domum tuam: et in ipso introitu pedum tuorum in urbem morietur puer.

℟. Ego te tuli, *p.* 456.

SABBATO.

De libro tertio Regum.

Lectio j. Cap. 18.

ACCEDENS autem Elias ad omnem populum, ait : Usquequo claudicatis in duas partes ? Si Dominus est Deus, sequimini eum : si autem Baal, sequimini illum. Et non respondit ei populus verbum. Et ait rursus Elias ad populum : Ego remansi Propheta Domini solus : prophetæ autem Baal quadringenti et quinquaginta viri sunt.

℟. Peccavi super, *p.* 456.

Lectio ij.

DENTUR nobis duo boves, et illi eligant sibi bovem unum, et in frustra cædentes ponant super ligna, ignem autem non supponant : et ego faciam bovem alterum, et imponam super ligna, ignem autem non supponam. Invocate nomina deorum vestrorum, et ego invocabo nomen Domini mei, et Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Respondens omnis populus ait : Optima propositio.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

DIXIT ergo Elias prophetis Baal: Eligite vobis bovem unum, et facite primi, quia vos plures estis : et invocate nomina deorum vestrorum, ignemque non supponatis. Qui cum tulissent bovem quem dederat eis, fecerunt, et invocabant nomen Baal de mane usque ad meridiem, dicentes : Baal, exaudi nos. Et non erat vox, nec qui responderet, transiliebant que altare quod fecerant. Cumque esset jam meridies, illudebat illis Elias, dicens : Clamate voce majore.

℟. Audi Domine, *p.* 457.

Ad Magnif. Ant. Dum tolleret Dominus Eliam per turbinem in cælum, Eliseus clamabat : Pater mi, currus Israel, et auriga ejus.

DOM. IX. POST PENT.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber quartus Regum.

Lectio j. Cap. 6.

PRÆVARICATUS est autem Moab in Israel, postquam mortuus est Achab. Ceciditque Ochozias per cancellos cœnaculi sui, quod habebat in Samaria, et ægrotavit : misitque nuntios : dicens ad eos : Ite, consulite Beelzebub deum Accaron, utrum vivere queam de infirmitate mea hac. Angelus autem Domini locutus est ad Eliam Thesbiten, dicens : Surge, et ascende in occursum nuntiorum regis Samariæ, et dices ad eos : Numquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub deum Accaron ? Quamobrem hæc dicit Dominus: De lectulo super quem ascendisti, non descendes ; sed morte morieris.

Digitized by Google

℟. Præparate corda, *p.* 455.

Lectio ij.

ET abiit Elias, reversique sunt nuntii ad Ochoziam. Qui dixit eis: Quare reversi estis? At illi respon derunt ei: Vir occurrit nobis, et dixit ad nos: Ite, et revertimini ad regem qui misit vos, et dicetis ei: Hæc dicit Dominus: Numquid, quia non erat Deus in Israel, mittis ut consulatur Beelzebub deus Accaron? Idcirco de lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.

℟. Deus omnium, *p.* 455.

Lectio iij.

QUI dixit eis: Cujus figuræ et habitus est vir ille, qui occurrit vobis, et locutus est verba hæc? At illi dixerunt: Vir pilosus, et zona pellicea accinctus renibus. Qui ait: Elias Thesbites est. Misitque ad eum quinquagenarium principem, et quinquaginta qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum, sedentique in vertice montis ait: Homo Dei, rex præcepit ut descendas. Respondensque Elias, dixit quinquagenario: Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, et devoret te, et quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de cœlo, et devoravit eum, et quinquaginta qui erant cum eo.

℟. Dominus qui eripuit, *p.* 455.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

Serm. 204. *de Tempore.*

Lectio iv.

IN lectionibus, quæ nobis diebus istis recitantur, fratres charissimi, frequenter admonui, ut non sequamur litteram occidentem, et vivificantem spiritum relinquamus. Sic enim Apostolus ait: Littera enim occidit, spiritus vivificat. Si enim hoc tantum volumus intelligere quod sonat in littera, aut parvam, aut prope nullam ædificationem de divinis lectionibus capiemus. Illa enim omnia quæ recitantur, typus erant et imago futurorum. In Judæis enim figurata, in nobis, gratia Dei donante, completa sunt.

℟. Percussit Saul, *p.* 455.

Lectio v.

BEATUS enim Elias typum habuit Domini Salvatoris. Sicut enim Elias a Judæis persecutionem passus est, ita et verus Elias Dominus noster ab ipsis Judæis reprobatus est et contemptus. Elias reliquit gentem suam; et Christus deseruit synagogam. Elias abiit in desertum, et Christus venit in mundum. Elias in deserto corvis ministrantibus pascebatur, et Christus in deserto mundi hujus Gentium fide reficitur.

℟. Montes Gelboe, *p.* 456.

Lectio vj.

CORVI enim illi qui beato Eliæ, jubente Domino, ministrabant, Gentium populum figurabant: propterea et de Gentium Ecclesia dicitur: Nigra sum et formosa, filia Jerusalem. Unde est Ecclesia nigra et formosa? Nigra per naturam, formosa per gratiam. Unde nigra? Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea. Unde formosa? Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

℟. Ego te tuli, *p.* 456.

In III. Noct. ℟. vij. *et* viij. *ut ibid.*

FERIA SECUNDA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 2.

ACCESSERUNT filii Prophetarum qui erant in Jericho, ad Eliseum, et dixerunt ei: Numquid nosti quia Dominus hodie tollet dominum tuum a te? Et ait: Et ego novi: silete. Dixit autem ei Elias: Sede hic, quia Dominus misit me usque ad Jordanem. Qui ait: Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. Ierunt igitur ambo pariter, et quinquaginta viri de filiis Prophetarum

Digitized by Google

secuti sunt eos, qui et steterunt e contra, longe: illi autem ambo stabant super Jordanem.

℟. Recordare Domine, *p.* 456.

Lectio ij.

TULITQUE Elias pallium suum, et involvit illud, et percussit aquas, quæ divisæ sunt in utramque partem, et transierunt ambo per siccum. Cumque transissent, Elias dixit ad Eliseum: Postula quod vis ut faciam tibi, antequam tollar a te. Dixitque Eliseus: Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus. Qui respondit: Rem difficilem postulasti: attamen si videris me, quando tollar a te, erit tibi quod petisti: si autem non videris: non erit.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

CUMQUE pergerent, et incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque, et ascendit Elias per turbinem in cœlum: Eliseus autem videbat, et clamabat: Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga ejus. Et non vidit eum amplius, apprehenditque vestimenta sua, et scidit illa in duas partes. Et levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei; reversusque stetit super ripam Jordanis.

℟. Audi Domine, *p.* 457.

FERIA TERTIA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 3.

EGRESSUS est igitur rex Joram in die illa de Samaria, et recensuit universum Israel. Misitque ad Josaphat regem Juda, dicens: Rex Moab recessit a me, veni mecum contra eum ad prælium. Qui respondit: Ascendam: qui meus est, tuus est; populus meus, populus tuus; et equi mei, equi tui. Dixitque: Per quam viam ascendemus? At ille respondit: Per desertum Idumææ. Perrexerunt igitur, rex Israel, et rex Juda, et rex Edom, et circuierunt per viam septem dierum; nec erat aqua exercitui, et jumentis quæ sequebantur eos.

℟. Domine si conversus, *p.* 457.

Lectio ij.

DIXITQUE rex Israel: Heu heu heu, congregavit nos Dominus tres reges, ut traderet in manus Moab. Et ait Josaphat: Estne hic Propheta Domini, ut deprecemur Dominum per eum? Et respondit unus de servis regis Israel: Est hic Eliseus filius Saphat, qui fundebat aquam super manus Eliæ. Et ait Josaphat: Est apud eum sermo Domini. Descenditque ad eum rex Israel, et Josaphat rex Juda, et rex Edom. Dixit autem Eliseus ad regem Israel: Quid mihi et tibi est? Vade ad prophetas patris tui et matris tuæ.

℟. Factum est dum, *p.* 457.

Lectio iij.

ET ait rex Israel: Quare congregavit Dominus tres reges hos, ut traderet eos in manus Moab? Dixitque ad eum Eliseus: Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, quod si non vultum Josaphat regis Judæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem. Nunc autem adducite mihi psaltem. Cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, et ait: Hæc dicit Dominus: Facite alveum torrentis hujus fossas et fossas. Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum neque pluviam, et alveus iste replebitur aquis, et bibetis vos, et familiæ vestræ, et jumenta vestra. Parumque est hoc in conspectu Domini; insuper tradet etiam Moab in manus vestras.

℟. Ego te tuli, *p.* 456.

FERIA QUARTA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 4.

MULIER autem quædam de uxoribus Prophetarum clamabat ad Eliseum, dicens: Servus tuus vir meus mortuus est, et tu nosti quia servus tuus fuit timens Dominum: et

Digitized by Google

ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi. Cui dixit Eliseus: Quid vis ut faciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa respondit: Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea nisi parum olei, quo ungar. Cui ait: Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca. Et ingredere, et claude ostium tuum, cum intrinsecus fueris tu et filii tui, et mitte inde in omnia vasa hæc; et cum plena fuerint, tolles.

℟. Peccavi super, *p.* 456.

Lectio ij.

IVIT itaque mulier, et clausit ostium super se, et super filios suos: illi offerebant vasa, et illa infundebat. Cumque plena fuissent vasa, dixit ad filium suum: Affer mihi adhuc vas. Et ille respondit: Non habeo. Stetitque oleum. Venit autem illa, et indicavit homini Dei. Et ille, Vade, inquit, vende oleum, et redde creditori tuo: tu autem et filii tui vivite de reliquo. Facta est autem quædam dies, et transibat Eliseus per Sunam. Erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum ut comederet panem: cumque frequenter inde transiret, divertebat ad eam ut comederet panem. Quæ dixit ad virum suum: Animadverto quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. Faciamus ergo ei cœnaculum parvum, et ponamus ei in eo lectulum, et mensam, et sellam, et candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

FACTA est ergo dies quædam, et veniens divertit in cœnaculum, et requievit ibi. Dixitque ad Giezi puerum suum: Voca Sunamitidem istam. Qui cum vocasset eam, et illa stetisset coram eo, dixit ad puerum suum: Loquere ad eam: Ecce sedule án omnibus ministrasti nobis, quid vis ut faciam tibi? Numquid habes negotium, et vis ut loquar regi, sive principi militiæ? Quæ respondit: In medio populi mei habito. Et ait: Quid ergo vult ut faciam ei? Dixitque Giezi: Ne quæras; filium enim non habet, et vir ejus senex est. Præcepit itaque ut vocaret eam: quæ cum vocata fuisset, et stetisset ante ostium, dixit ad eam: In tempore isto, et in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in utero filium. At illa respondit: Noli, quæso, domine mi, vir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ. Et concepit mulier, et peperit filium in tempore, et in hora eadem qua dixerat Eliseus.

℟. Audi Domine, *p.* 457.

FERIA QUINTA

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 6. *et* 7.

CONGREGAVIT Benadad rex Syriæ universum exercitum suum, et ascendit, et obsidebat Samariam. Factaque est fames magna in Samaria; et tamdiu obsessa est donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars cabi stercoris columbarum, quinque argenteis. Cumque rex Israel transiret per murum, mulier quædem exclamavit ad eum, dicens: Salva me, domine mi rex. Qui ait: Non te salvat Dominus: unde te possum salvare? de area, vel de torcularí?

℟. Præparate corda, *p.* 455.

Lectio ij.

DIXITQUE ad eam rex: Quid tibi vis? Quæ respondit: Mulier ista dixit mihi: Da filium tuum, ut comedamus eum hodie, et filium meum comedemus cras. Coximus ergo filium meum, et comedimus. Dixique ei die altera: Da filium tuum, ut comedamus eum. Quæ abscondit filium suum. Quod cum audisset rex, scidit vestimenta sua, et transibat per murum. Viditque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus. Et ait rex: Hæc mihi faciat Deus, et hæc addat, si steterit caput Elisei filii Saphat super ipsum hodie. Eliseus autem sedebat in domo sua, et seniores sedebant cum eo.

Digitized by Google

℟. Deus omnium, *p.* 455.

Lectio iij.

PRÆMISIT itaque virum, et antequam veniret nuntius ille, dixit ad senes: Numquid scitis quod miserit filius homicidæ hic, ut præcidatur caput meum? videte ergo, cum venerit nuntius, claudite ostium, et non sinatis eum introire: ecce enim sonitus pedum domini ejus post eum est. Adhuc illo loquente eis, apparuit nuntius qui veniebat ad eum, et ait: Ecce tantum malum a Domino est: quid amplius expectabo a Domino? Dixit autem Eliseus: Audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus: In tempore hoc cras modius similæ uno statere erit, et duo modii hordei statere uno, in porta Samariæ.

℟. Dominus qui eripuit, *p.* 455.

FERIA SEXTA

De libro quarto Regum

Lectio j. Cap. 8.

ELISEUS autem locutus est ad mulierem, cujus vivere fecerat filium, dicens: Surge, vade tu et domus tua, et peregrinare ubicumque repereris; vocavit enim Dominus famem, et veniet super terram septem annis. Quæ surrexit, et fecit juxta verbum hominis Dei: et vadens cum domo sua, peregrinata est in terra Philistiim diebus multis. Cumque finiti essent anni septem, reversa est mulier de terra Philisthiim, et egressa est ut interpellaret regem pro domo sua, et pro agris suis.

℟. Percussit Saul, *p.* 455.

Lectio ij.

REX autem loquebatur cum Giezi puero viri Dei, dicens: Narra mihi omnia magnalia quæ fecit Eliseus. Cumque ille narraret regi quomodo mortuum suscitasset, apparuit mulier, cujus vivificaverat filium, clamans ad regem pro domo sua, et pro agris suis. Dixitque Giezi: Domine mi rex, hæc est mulier, et hic est filius ejus, quem suscitavit Eliseus. Et interrogavit rex mulierem, quæ narravit ei. Deditque ei rex eunuchum unum, dicens: Restitue ei omnia quæ sua sunt, et universos reditus agrorum, a die qua reliquit terram, usque ad præsens.

℟. Montes Gelboe, *p.* 456.

Lectio iij.

VENIT quoque Eliseus Damascum, et Benadad rex Syriæ ægrotabat, nuntiaveruntque ei, dicentes: Venit vir Dei huc. Et ait rex ad Hazael: Tolle tecum munera, et vade in occursum viri Dei, et consule Dominum per eum, dicens: Si evadere potero de infirmitate mea hac? ivit igitur Hazael in occursum ejus. Cumque stetisset coram eo, ait: Filius tuus Benadad rex Syriæ misit me ad te, dicens: Si sanari potero de infirmitate mea hac? Dixitque ei Eliseus: Vade, dic ei: Sanaberis. Porro ostendit mihi Dominus quia morte morietur.

℟. Ego te tuli, *p.* 456.

SABBATO.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 9.

ELISEUS autem Prophetes vocavit unum de filiis Prophetarum, et ait illi: Accinge lumbos tuos, et tolle lenticulam olei hanc in manu tua, et vade in Ramoth Galaad. Cumque veneris illuc, videbis Jehu filium Josaphat filii Namsi, et ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum, et introduces in interius cubiculum. Tenensque lenticulam olei, fundes super caput ejus, et dices: Hæc dicit Dominus: Unxi te regem super Israel. Aperiesque ostium et fugies, et non ibi subsistes. Abiit ergo adolescens puer Prophetæ in Ramoth Galaad, et ingressus est illuc. Ecce autem principes exercitus sedebant, et ait: Verbum mihi ad te, o princeps. Dixitque Jehu: Ad quem ex omnibus nobis? At ille dixit: Ad te, o princeps.

℟. Peccavi super, *p.* 456.

Lectio ij.

ET surrexit, et ingressus est cubiculum: at ille fudit oleum su-

per caput ejus, et ait: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Unxi te regem super populum Domini Israel, et percuties domum Achab domini tui, et ulciscar sanguinem servorum meorum Prophetarum, et sanguinem omnium servorum Domini de manu Jezabel. Perdamque omnem domum Achab, et interficiam de Achab mingentem ad parietem, et clausum, et novissimum in Israel. Et dabo domum Achab sicut domum Jeroboam filii Nabat, et sicut domum Baasa filii Ahia. Jezabel quoque comedent canes in agro Jezrahel, nec erit qui sepeliat eam. Aperuitque ostium, et fugit.

℣. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

JEHU autem egressus est ad servos domini sui, qui dixerunt ei: Recte sunt omnia? Quid venit insanus iste ad te? Qui ait eis: Nostis hominem, et quid locutus sit. At illi responderunt: Falsum est, sed magis narra nobis. Qui ait eis: Hæc et hæc locutus est mihi, et ait: Hæc dicit Dominus: Unxi te regem super Israel. Festinaverunt itaque, et unusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus ejus in similitudinem tribunalis, et cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnavit Jehu.

℣. Audi Domine, *p.* 457.

Ad Magnif. Ant. Fecit Joas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Joiada sacerdos.

DOM. X. POST. PENT.

IN I. NOCTURNO.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 9. et 10.

ANNO undecimo Joram filii Achab, regnavit Ochozias super Judam, venitque Jehu in Jezrael. Porro Jezabel, introitu ejus audito, depinxit oculos suos stibio, et ornavit caput suum, et respexit per fenestram ingredientem Jehu per portam, et ait: Numquid pax potest esse Zambri, qui interfecit dominum suum? Levavitque Jehu faciem suam ad fenestram, et ait: Quæ est ista? Et inclinaverunt se ad eum duo vel tres eunuchi. At ille dixit eis: Præcipitate eam deorsum. Et præcipitaverunt eam, aspersusque est sanguine paries, et equorum ungulæ conculcaverunt eam. Cumque introgressus esset, ut comederet biberetque, ait: Ite, et videte maledictam illam, et sepelite eam, quia filia regis est.

℣. Præparate corda, *p.* 455.

Lectio ij.

CUMQUE issent ut sepelirent eam, non invenerunt nisi calvariam, et pedes, et summas manus. Reversique nuntiaverunt ei. Et ait Jehu: Sermo Domini est, quem locutus est per servum suum Eliam Thesbiten, dicens: In agro Jezrahel comedent canes carnes Jezabel, et erunt carnes Jezabel sicut stercus super faciem terræ in agro Jezrahel, ita ut prætereuntes dicant: Hæccine est illa Jezabel? Erant autem Achab septuaginta filii in Samaria. Scripsit ergo Jehu litteras, et misit in Samariam ad optimates civitatis: et ad majores natu, et ad nutritios Achab, dicens: Statim ut acceperitis litteras has, qui habetis filios domini vestri, et currus, et equos, et civitates firmas, et arma, eligite meliorem, et eum qui vobis placuerit de filiis domini vestri, et eum ponite super solium patris sui: et pugnate pro domo domini vestri.

℣. Deus omnium, *p.* 455.

Lectio iij.

TIMUERUNT illi vehementer, et dixerunt: Ecce duo reges non potuerunt stare coram eo, et quomodo nos valebimus resistere? Miserunt ergo præpositi domus, et præfecti civitatis, et majores natu, et nutritii, ad Jehu, dicentes: Servi tui sumus, quæcumque jusseris faciemus, nec constituemus nobis regem: quæcumque tibi placent, fac. Rescripsit autem eis litteras secundo, dicens: Si mei estis, et obeditis mihi, tollite capita filiorum domini vestri, et ve-

Digitized by Google

nite ad me hac eadem hora eras in Jezrahel. Porro filii regis, septuaginta viri, apud optimates civitatis nutriebantur. Cumque venissent litteræ ad eos, tulerunt filios regis, et occiderunt septuaginta viros, et posuerunt capita eorum in cophinis, et miserunt ad eum in Jezrahel.

℟. Dominus qui eripuit, *p.* 455.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Homil. 25. *in Epist. ad Rom.*

Lectio iv.

NON putemus nos excusationem habituros, si quando delictorum socios invenerimus: nam istud, supplicium magis augebit. Quandoquidem et serpens magis punitus est quam mulier: quemadmodum et mulier plus quam vir, et Jezabel majores pœnas dedit, quam Achab vineæ raptor. Ipsa quippe universum istud negotium texuerat, regique lapsus occasionem dederat. Igitur et tu quoque, si reliquis perditionis causa fueris, graviora patieris, quam qui per te subversi sunt. Neque enim peccare tantum in se perditionis habet, quantum quod reliqui ad peccandum inducuntur.

℟. Percussit Saul, *p.* 455.

Lectio v.

ITAQUE si quando peccantes viderimus, non solum non impellamus, sed et extrahamus ex ipso malitiæ barathro ne et alienæ perditionis pœnas demus. Recordemur quoque perpetuo terribilis illius tribunalis, fluminis ignei, vinculorum insolubilium, profundarum tenebrarum, stridorum dentium, venenosique vermis. Sed dices: Benignus est Deus. Ergo hæc omnia verba sunt, et neque punitur dives ille Lazari contemptor, neque fatuæ virgines a sponso rejiciuntur? Ergo qui Christum non paverunt, in ignem diabolo præparatum non abibunt? Ergo qui sordidis est vestibus, non peribit, manus ac pedes vinctus? Qui centum denarios a conservo suo exegit, non tradetur tortoribus? Quod de mœchis dictum est, nimirum quod vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur, verum non erit?

℟. Montes Gelboe, *p.* 456.

Lectio vj.

SED minatur ista tantummodo Deus? Utique, inquies. Et unde, dic, quæso, tantam rem audes publice loqui, atque ex te ipso ferre sententiam? Ego quippe et ex iis quæ dixit Deus, et ex iis quæ fecit, contrarium probare potero. Quod si propter futura non credis, vel saltem propter ea quæ jam facta sunt, crede. Non enim certe minæ sunt et verba tantummodo, quæ facta sunt, et in opus ipsum exierunt. Quis igitur totum orbem inducto diluvio stagnavit, ac grave illud naufragium, omnimodamque generis nostri perditionem effecit? Quis deinde fulmina illa, telaque flammantia super terram Sodomorum demisit? Quis universum Egypti exercitum in mare demersit? Quis synagogam Abiron combussit? Quis septuaginta illa millia propter Davidis peccatum uno temporis momento peste occidit? Nonne hæc omnia et alia Deus illis intulit?

℟. Ego te tuli, *p.* 456.

In III. Nocl. ℟. vij. *et* viij. *ut ibid.*

FERIA SECUNDA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. xi.

ATHALIA vero mater Ochoziæ, videns mortuum filium suum, surrexit, et interfecit omne semen regium. Tollens autem Josaba filia regis Joram, soror Ochoziæ, Joas filium Ochoziæ, furata est eum de medio filiorum regis, qui interficiebantur, et nutricem ejus de triclinio, et abscondit eum a facie Athaliæ, ut non interficeretur. Eratque cum ea sex annis clam in domo Domini. Porro Athalia regnavit super terram.

℟. Recordare Domine, *p.* 456.

Digitized by Google

Lectio ij.

ANNO autem septimo misit Joiada, et assumens centuriones et milites, introduxit ad se in templum Domini, pepigitque cum eis fœdus; et adjurans eos in domo Domini, ostendit eis filium regis, et præcepit illis, dicens: Iste est sermo quem facere debetis. Tertia pars vestrum introeat sabbato, et observet excubias domus regis. Tertia autem pars sit ad portam Sur, et tertia pars sit ad portam, quæ est post habitaculum scutariorum; et custodietis excubias domus Messa. Duæ vero partes e vobis, omnes egredientes sabbato, custodiant excubias domus Domini circa regem.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

ET assumentes singuli viros suos, qui ingrediebantur sabbatum, cum his qui egrediebantur sabbato, venerunt ad Joiadam sacerdotem. Qui dedit eis hastas et arma regis David, quæ erant in domo Domini. Et steterunt singuli habentes arma in manu sua, a parte templi dextera usque ad partem sinistram altaris et ædis, circum regem. Produxitque filium regis, et posuit super eum diadema et testimonium, feceruntque eum regem, et unxerunt, et plaudentes manu, dixerunt: Vivat rex.

℟. Audi Domine, *p.* 457.

FERIA TERTIA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 12.

ANNO septimo Jehu, regnavit Joas; et quadraginta annis regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Sebia de Bersabee. Fecitque Joas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Joiada sacerdos. Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc enim populus immolabat in excelsis incensum.

℟. Domine si conversus, *p.* 457.

Lectio ij.

DIXITQUE Joas ad sacerdotes: Omnem pecuniam sanctorum, quæ illata fuerit in templum Domini a prætereuntibus, quæ offertur pro pretio animæ, et quam sponte et arbitrio cordis sui inferunt in templum Domini, accipiant illam sacerdotes juxta ordinem suum, et instaurent sartatecta domus, si quid necessarium viderint instauratione.

℟. Factum est dum, *p.* 457.

Lectio iij.

IGITUR usque ad vigesimum tertium annum regis Joas, non instauraverunt sacerdotes sartatecta templi. Vocavitque rex Joas Joiadam pontificem et sacerdotes, dicens eis: Quare sartatecta non instauratis templi? Nolite ergo amplius accipere pecuniam juxta ordinem vestrum, sed ad instaurationem templi reddite eam. Prohibitique sunt sacerdotes ultra accipere pecuniam a populo, et instaurare sartatecta domus.

℟. Ego te tuli, *p.* 456.

FERIA QUARTA

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 13.

ELISEUS autem ægrotabat infirmitate qua et mortuus est, descenditque ad eum Joas rex Israel, et flebat coram eo, dicebatque: Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga ejus. Et ait illi Eliseus: Affer arcum et sagittas. Cumque attulisset ad eum arcum et sagittas: dixit ad regem Israel: Pone manum tuam super arcum. Et cum posuisset ille manum suam, superposuit Eliseus manus suas manibus regis, et ait: Aperi fenestram orientalem. Cumque aperuisset: dixit Eliseus: Jace sagittam. Et ait Eliseus: Sagitta salutis Domini, et sagitta salutis contra Syriam, percutiesque Syriam in Aphec, donec consumas eam.

℟. Peccavi super, *p.* 456.

Lectio ij.

ET ait; Tolle sagittas. Qui cum tulisset, rursum dixit ei: Percute jaculo terram. Et cum percussi-

Digitized by Google

set tribus vicibus, et stetisset, iratus est vir Dei contra eum, et ait: Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem; nunc autem tribus vicibus percuties eam. Mortuus est ergo Eliseus, et sepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

QUIDAM autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, et projecerunt cadaver in sepulchro Elisei. Quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo, et stetit super pedes suos. Mortuus est autem Hazael rex Syriæ, et regnavit Benadad filius ejus pro eo. Porro Joas filius Joachaz tulit urbes de manu Benadad filii Hazael, quas tulerat de manu Joachaz patris sui jure prælii. Tribus vicibus percussit eum Joas, et reddidit civitates Israel.

℟. Audi Domine, *p.* 457.

FERIA QUINTA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap 17.

ANNO autem nono Osee, cepit rex Assyriorum Samariam, et transtulit Israel in Assyrios, posuitque eos in Hala, et in Habor juxta fluvium Gozan, in civitatibus Medorum. Factum est enim, cum peccassent filii Israel Domino Deo suo, qui eduxerat eos de terra Ægypti, de manu Pharaonis regis Ægypti, coluerunt deos alienos. Et ambulaverunt juxta ritum Gentium, quas consumpserat Dominus in conspectu filiorum Israel, et regum Israel, quia similiter fecerant. Et offenderunt filii Israel verbis non rectis Dominum Deum suum, et ædificaverunt sibi excelsa in cunctis urbibus suis.

℟. Præparate corda, *p.* 455.

Lectio ij.

ET testificatus est Dominus in Israel et in Juda, per manum omnium Prophetarum et Videntium, dicens: Revertimini a viis vestris pessimis, et custodite præcepta mea, et cæremonias, juxta omnem legem quam præcepi patribus vestris, et sicut misi ad vos in manu servorum meorum Prophetarum. Qui non audierunt, sed induraverunt cervicem suam juxta cervicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo. Et abjecerunt legitima ejus, et pactum quod pepigit cum patribus eorum, et testificationes quibus contestatus est eos, secutique sunt vanitates, et vane egerunt.

℟. Deus omnium, *p.* 455.

Lectio iij.

IRATUSQUE est Dominus vehementer Israeli, et abstulit eos a conspectu suo, et non remansit nisi tribus Juda tantummodo. Sed nec ipse Juda custodivit mandata Domini Dei sui: verum ambulavit in erroribus Israel, quos operatus fuerat. Projecitque Dominus omne semen Israel, et afflixit eos, et tradidit eos in manus diripientium, donec projiceret eos a facie sua: eo jam tempore, quo scissus est Israel a domo David, et constituerunt sibi regem Jeroboam filium Nabat.

℟. Dominus qui eripuit, *p.* 455.

FERIA SEXTA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 17.

SEPARAVIT Jeroboam Israel a Domino, et peccare eos fecit peccatum magnum. Et ambulaverunt filii Israel in universis peccatis Jeroboam quæ fecerat, et non recesserunt ab eis, usquequo Dominus auferret Israel a facie sua, sicut locutus fuerat in manu omnium servorum suorum Prophetarum; translatusque est Israel de terra sua in Assyrios usque in diem hanc.

℟. Percussit Saul, *p.* 455.

Lectio ij.

ADDUXIT autem rex Assyriorum de Babylone, et de Cutha, et

de Avah, et de Emath, et de Sepharvaim, et collocavit eos in civitatibus Samariæ pro filiis Israel: qui possederunt Samariam, et habitaverunt in urbibus ejus. Cumque ibi habitare cœpissent, non timebant Dominum; et immisit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos.

℟. Montes Gelboe, *p.* 456.

Lectio iij.

NUNTIATUMQUE est regi Assyriorum: et dictum: Gentes, quas transtulisti, et habitare fecisti in civitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ, et immisit in eos Dominus leones, et ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ. Præcepit autem rex Assyriorum, dicens: Ducite illuc unum de sacerdotibus, quos inde captivos adduxistis; et vadat, et abitet cum eis, et doceat eos legitima Dei terræ.

℟. Ego te tuli, *p.* 456.

SABBATO.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 18.

ANNO tertio Osee filii Ela regis Israel, regnavit Ezechias filius Achaz regis Juda. Viginti quinque annorum erat, cum regnare cœpisset, et viginti novem annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Abi filia Zachariæ. Fecitque quod erat bonum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat David pater ejus. Ipse dissipavit excelsa, et contrivit statuas: et succidit lucos, confregitque serpentem æneum, quem fecerat Moyses; siquidem usque ad illud tempus filii Israel adolebant ei incensum: vocavitque nomen ejus Nohestan. In Domino Deo Israel speravit.

℟. Peccavi super, *p.* 456.

Lectio ij.

ITAQUE post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Juda, sed neque in his qui ante eum fuerunt; et adhæsit Domino, et non recessit a vestigiis ejus, fecitque mandata ejus: quæ præceperat Dominus Moysi. Unde et erat Dominus cum eo, et in cunctis ad quæ procedebat, sapienter se agebat. Rebellavit quoque contra regem Assyriorum, et non servivit ei. Ipse percussit Philisthæos usque ad Gazam, et omnes terminos eorum, a Turre custodum usque ad civitatem munitam.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

ANNO quarto regis Ezechiæ, qui erat annus septimus Osee filii Ela regis Israel, ascendit Salmanasar rex Assyriorum in Samariam, et oppugnavit eam, et cepit. Nam post annos tres, anno sexto Ezechiæ, id est, nono anno Osee regis Israel, capta est Samaria. Et transtulit rex Assyriorum Israel in Assyrios, collocavitque eos in Hala, et in Habor fluviis Gozan in civitatibus Medorum; quia non audierunt vocem Domini Dei sui, sed prætergressi sunt pactum ejus: omnia, quæ præceperat Moyses servus Domini non audierunt, neque fecerunt.

℟. Audi Domine, *p.* 457.

Ad Magnif. Ant. Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto, et quod placitum est coram te fecerim.

DOM. XI. POST PENT.

IN I. NOCTURNO.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 20.

IN diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem, et venit ad eum Isaias filius Amos Propheta, dixitque ei: Hæc dicit Dominus Deus: Præcipe domui tuæ; morieris enim tu, et non vives. Qui convertit faciem suam ad parietem, et oravit Dominum, dicens: Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto, et quod placitum est coram te fecerim. Flevit itaque Ezechias fletu magno.

℟. Præparate corda, *p.* 455.

Lectio ij.

ET antequam egrederetur Isaias mediam partem atrii, factus est

Digitized by Google

sermo Domini ad eum, dicens: Revertere, et dic Ezechiæ duci populi mei: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas; et ecce sanavi te, die tertio ascendes templum Domini. Et addam diebus tuis quindecim annos: sed et de manu regis Assyriorum liberabo te et civitatem hanc, et protegam urbem istam propter me, et propter David servum meum. Dixitque Isaias: Afferte massam ficorum. Quam cum attulissent, et posuissent super ulcus ejus, curatus est.

℟. Deus omnium, *p.* 455.

Lectio iij.

DIXERAT autem Ezechias ad Isaiam: Quod erit signum quia Dominus me sanabit, et quia ascensurus sum die tertia templum Domini? Cui ait Isaias: Hoc erit signum a Domino, quod facturus sit Dominus sermonem quem locutus est: Vis ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus? Et ait Ezechias: Facile est umbram crescere decem lineis; nec hoc volo ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus. Invocavit itaque Isaias Prophetа Dominum, et reduxit umbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus.

℟. Dominus qui eripuit, *p.* 455.

IN II. NOCTURNO.

De Expositione S. Hieronymi Presbyteri in Isaiam Prophetam.

Lib. II. *in Isaiæ cap.* 38.

Lectio iv.

NE elevaretur cor Ezechiæ post incredibiles triumphos, et de media captivitate victoriam, infirmitate corporis sui visitatur, et audit se esse moriturum, ut conversus ad Dominum flectat sententiam ejus. Quod quidem et in Jona Propheta legimus, et in comminationibus contra David: quæ dicuntur futura, nec facta sunt, non Deo mutante sententiam, sed provocante humanum genus ad notitiam sui. Dominus enim pœnitens est super malitiis. Convertitque Ezechias faciem suam ad parietem, quia ad templum ire non poterat. Ad parietem autem templi, juxta quod Salomon palatium extruxerat, vel absolute ad parietem, ne lacrymas suas assidentibus ostentare videretur.

℟. Percussit Saul, *p.* 455.

Lectio v.

AUDIENSQUE se esse moriturum, non precatur vitam et annos plurimos, sed in Dei judicio quid velit præstare, dimittit. Noverat enim idcirco Deo placuisse Salomonem, quod annos vitæ non petierit ampliores, sed iturus ad Dominum, narrat opera sua, quomodo ambulaverit coram eo in veritate et in corde perfecto. Felix conscientia, quæ afflictionis tempore bonorum operum recordatur. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et quomodo alibi scribitur: Quis gloriabitur purum habere se cor? Quod ita solvitur: perfectionem cordis in eo nunc dici, quod idola destruxerit, templi valvas aperuerit, serpentem æneum comminuerit, et cætera fecerit, quæ Scriptura commemorat.

℟. Montes Gelboe, *p.* 456.

Lectio vj.

FLEVIT autem fletu magno, propter promissionem Domini ad David, quam videbat in sua morte perituram. Eo enim tempore Ezechias filios non habebat. Nam post mortem ejus, Manasses cum duodecim esset annorum, regnare cœpit in Judæa: ex quo perspicuum est, post tertium annum concessæ vitæ, Manassen esse generatum. Ergo iste omnis est fletus, quod desperabat Christum de suo semine nasciturum. Alii asserunt, quamvis sanctos viros morte terreri, propter incertum judicii, et ignorationem sententiæ Dei, quam sedem habituri sint.

℟. Ego te tuli, *p.* 456.

In III. Noct. ℟. vij. *et.* viij. *ut ibid.*

Digitized by Google

FERIA SECUNDA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 22.

OCTO annorum erat Josias cum regnare cœpisset, triginta et uno anno regnavit in Jerusalem : nomen matris ejus Idida, filia Hadaia de Besecath. Fecitque quod placitum erat coram Domino, et ambulavit per omnes vias David patris sui, non declinavit ad dexteram, sive ad sinistram. Anno autem octavo decimo regis Josiæ, misit rex Saphan filium Aslia, filii Messulam, scribam templi Domini, dicens ei : Vade ad Helciam sacerdotem magnum, ut confletur pecunia, quæ illata est in templum Domini, quam collegerunt janitores templi a populo, deturque fabris per præpositos domus Domini, qui et distribuant eam his qui operantur in templo Domini.

℟. Recordare Domine, *p.* 456.

Lectio ij.

DIXIT autem Helcias pontifex ad Saphan scribam : Librum legis reperi in domo Domini : deditque Helcias volumen Saphan, qui et legit illud. Venit quoque Saphan scriba ad regem, et renuntiavit ei quod præceperat, et ait : Conflaverunt servi tui pecuniam, quæ reperta est in domo Domini, et dederunt ut distribueretur fabris a præfectis operum templi Domini. Narravit quoque Saphan scriba regi, dicens : Librum dedit mihi Helcias sacerdos.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

QUEM cum legisset Saphan coram rege, et audisset rex verba libri legis Domini, scidit vestimenta sua. Et præcepit Helciæ sacerdoti, et Ahicam filio Saphan, et Achobor filio Micha, et Saphan scribæ, et Asaiæ servo regis, dicens : Ite et consulite Dominum super me, et super populo, et super omni Juda, de verbis voluminis istius quod inventum est : magna enim ira Domini succensa est contra nos, quia non audierunt patres nostri verba libri hujus, ut facerent omne quod scriptum est nobis.

℟. Audi Domine, *p.* 457.

FERIA TERTIA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 23.

ASCENDITQUE rex templum Domini, et omnes viri Juda, universique qui habitabant in Jerusalem cum eo, sacerdotes et prophetæ, et omnis populus a parvo usque ad magnum, legitque cunctis audientibus omnia verba libri fœderis, qui inventus est in domo Domini. Stetitque rex super gradum, et fœdus percussit coram Domino, ut ambularent post Dominum, et custodirent præcepta ejus, et testimonia, et cæremonias in omni corde, et in tota anima, et suscitarent verba fœderis hujus, quæ scripta erant in libro illo, acquievitque populus pacto.

℟. Domine si conversus, *p.* 457

Lectio ij.

ET præcepit rex Helciæ pontifici, et sacerdotibus secundi ordinis, et janitoribus, ut projicerent de templo Domini omnia vasa, quæ facta fuerant Baal, et in luco, et universæ militiæ cœli ; et combussit ea foris Jerusalem in convalle Cedron, et tulit pulverem eorum in Bethel. Et delevit aruspices, quos posuerant reges Juda ad sacrificandum in excelsis per civitates Juda, et in circuitu Jerusalem; et eos qui adolebant incensum Baal, et soli, et lunæ, et duodecim signis, et omni militiæ cœli.

℟. Factum est dum, *p.* 457.

Lectio iij.

ET efferri fecit lucum de domo Domini foras Jerusalem in convalle Cedron, et combussit eum ibi, et redegit in pulverem, et projecit super sepulchra vulgi. Destruxit quoque ædiculas effeminatorum, quæ erant in domo Domini, pro quibus mulieres

Digitized by Google

texebant quasi domunculas luci. Congregavitque omnes sacerdotes de civitatibus Juda, et contaminavit excelsa, ubi sacrificabant sacerdotes, de Gabaa usque Bersabee.

℟. Ego te tuli, *p.* 436.

FERIA QUARTA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 23.

PYTHONES, et ariolos, et figuras idolorum, et immunditias, et abominationes, quæ fuerant in terra Juda et Jerusalem, abstulit Josias; ut statueret verba legis, quæ scripta sunt in libro, quem invenit Helcias sacerdos in templo Domini. Similis illi non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, et in tota anima sua, et in universa virtute sua, juxta omnem legem Moysi: neque post eum surrexit similis illi. Verumtamen non est aversus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor ejus contra Judam, propter irritationes, quibus provocaverat eum Manasses.

℟. Peccavi super, *p* 456.

Lectio ij.

DIXIT itaque Dominus: Etiam Judam auferam a facie mea sicut abstuli Israel, et projiciam civitatem hanc quam elegi Jerusalem, et domum de qua dixi: Erit nomen meum ibi. Reliqua autem sermonum Josiæ, et universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Juda? In diebus ejus ascendit Pharao Nechao rex Ægypti, contra regem Assyriorum ad flumen Euphraten, et abiit Josias rex in occursum ejus, et occisus est in Mageddo, cum vidisset eum. Et portaverunt eum servi sui mortuum de Mageddo, et pertulerunt in Jerusalem, et sepelierunt eum in sepulchro suo.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

TULITQUE populus terræ Joachaz filium Josiæ, et unxerunt eum, et constituerunt eum regem pro patre suo. Viginti trium annorum erat Joachaz cum regnare cœpisset, et tribus mensibus regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Amital, filia Jeremiæ, de Lobna. Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerant patres ejus. Vinxitque eum Pharao Nechao in Rebla, quæ est in terra Emath, ne regnaret in Jerusalem, et imposuit mulctam terræ, centum talentis argenti, et talento auri. Regemque constituit Pharao Nechao Eliacim filium Josiæ, pro Josia patre ejus, vertitque nomen ejus Joakim. Porro Joachaz tulit, et duxit in Ægyptum, et mortuus est ibi.

℟. Audi Domine, *p.* 457.

FERIA QUINTA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 23. et 24.

VIGINTI quinque annorum erat Joakim cum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Zebida, filia Phadaia de Ruma. Et fecit malum coram Domino juxta omnia quæ fecerant patres ejus. In diebus ejus ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis, et factus est ei Joakim servus tribus annis, et rursum rebellavit contra eum.

℟. Præparate corda, *p.* 455.

Lectio ij.

IMMISITQUE ei Dominus latrunculos Chaldæorum, et latrunculos Syriæ, et latrunculos Moab, et latrunculos filiorum Ammon; et immisit eos in Judam, ut disperderent eum, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat per servos suos Prophetas. Factum est autem hoc per verbum Domini contra Judam, ut auferret eum coram se, propter peccata Manasse universa quæ fecit, et propter sanguinem innoxium quem effudit, et implevit Jerusalem cruore innocentium, et ob hanc rem noluit Dominus propitiari.

℟. Deus omnium, *p.* 411.

Lectio iij.

RELIQUA autem sermonum Joakim, et universa quæ fecit, nonne

Digitized by Google

ne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Juda? Et dormivit Joakim cum patribus suis, et regnavit Joachin filius ejus pro eo. Et ultra non addidit rex Ægypti, ut egrederetur de terra sua: tulerat enim rex Babylonis, a rivo Ægypti usque ad fluvium Euphraten, omnia quæ fuerant regis Ægypti.

℟. Dominus qui eripuit, *p.* 455.

FERIA SEXTA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 24.

DECEM et octo annorum erat Joachin cum regnare cœpisset, et tribus mensibus regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Nohesta, filia Elnathan de Jerusalem. Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat pater ejus. In tempore illo ascenderunt servi Nabuchodonosor regis Babylonis in Jerusalem, et circumdata est urbs munitionibus. Venitque Nabuchodonosor rex Babylonis ad civitatem cum servis suis, ut oppugnarent eam.

℟. Percussit Saul, *p.* 455.

Lectio ij.

EGRESSUSQUE est Joachin rex Juda ad regem Babylonis, ipse et mater ejus, et servi ejus, et principes ejus, et eunuchi ejus: et suscepit eum rex Babylonis anno octavo regni sui. Et protulit inde omnes thesauros domus Domini, et thesauros domus regiæ, et concidit universa vasa aurea, quæ fecerat Salomon rex Israel in templo Domini, juxta verbum Domini. Et transtulit omnem Jerusalem, et universos principes, et omnes fortes exercitus, decem millia, in captivitatem, et omnem artificem, et clusorem; nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ.

℟. Montes Gelboe, *p.* 456.

Lectio iij.

TRANSTULIT quoque Joachin in Babylonem, et matrem regis, et uxores regis, et eunuchos ejus, et judices terræ duxit in captivitatem de Jerusalem in Babylonem, et omnes viros robustos, septem millia, et artifices, et clusores mille, omnes viros fortes et bellatores: duxitque eos rex Babylonis captivos in Babylonem. Et constituit Mathaniam patruum ejus pro eo, imposuitque nomen ei Sedeciam.

℟. Ego te tuli, *p.* 456.

SABBATO

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 24. *et* 25.

VIGESIMUM et primum annum ætatis habebat Sedecias cum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus erat Amital, filia Jeremiæ de Lobna. Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat Joakim. Irascebatur enim Dominus contra Jerusalem et contra Judam, donec projiceret eos a facie sua: recessitque Sedecias a rege Babylonis. Factum est autem anno nono regni ejus, mense decimo, decima die mensis, venit Nabuchodonosor rex Babylonis, ipse et omnis exercitus ejus, in Jerusalem, et circumdederunt eam, et extruxerunt in circuitu ejus munitiones. Et clausa est civitas atque vallata usque ad undecimum annum regis Sedeciæ, nona die mensis; prævaluitque fames in civitate, nec erat panis populo terræ.

℟. Peccavi super, *p.* 456.

Lectio ij.

ET interrupta est civitas, et omnes viri bellatores nocte fugerunt per viam portæ, quæ est inter duplicem murum ad hortum regis. Porro Chaldæi obsidebant in circuitu civitatem. Fugit itaque Sedecias per viam quæ ducit ad campestria solitudinis. Et persecutus est exercitus Chaldæorum regem, comprehenditque eum in planitie Jericho; et omnes bellatores, qui erant cum eo, dispersi sunt, et reliquerunt eum. Apprehensum ergo regem duxerunt ad regem Babylonis in Reblatha: qui locutus est cum eo judicium. Filios

Digitized by Google

autem Sedeciæ occidit coram eo, et oculos ejus effodit, vinxitque eum catenis, et adduxit in Babylonem.

℟. Exaudisti Domine, *p.* 457.

Lectio iij.

MENSE quinto, septima die mensis, ipse est annus nonus decimus regis Babylonis, venit Nabuzardan princeps exercitus, servus regis Babylonis, in Jerusalem. Et succendit domum Domini, et domum regis; et domos Jerusalem, omnemque domum combussit igni. Et muros Jerusalem in circuitu destruxit omnis exercitus Chaldæorum, qui erat cum principe militum. Reliquam autem populi partem quæ remanserat in civitate, et perfugas qui transfugerant ad regem Babylonis, et reliquum vulgus transtulit Nabuzardan princeps militiæ. Et de pauperibus terræ reliquit vinitores et agricolas. Columnas autem æreas, quæ erant in templo Domini, et bases, et mare æreum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldæi, et transtulerunt æs omne in Babylonem.

℟. Audi Domine, *p.* 457.

SABBATO

Ante Dominicam I. Augusti.

Ea autem dicitur I. Dom. mensis quæ est in Kalendis, vel proximior Kal. illius mensis: ita ut si Kal. fuerint ij., iij. *et* iv. *Feria, tunc I. Dom. mensis, in qua liber Scripturæ inchoandus ponitur, est ea quæ præcedit Kal., sin autem* v. *et* vj. *Feria vel Sabbato, est ea quæ sequitur; et in Sabbato præced. ad* Magnificat *ponatur Ant. illius historiæ, omissa alia, quæ forte occurreret.*

Historia vero, id est, ℟℟. *illius libri, si propter aliquod Festum duplex in Dom. occurrens poni non possent, primo die infra Hebd. in quo contingit fieri Offic. de Feria, ponantur* ℟℟. *I. Noct. Dom., omissis aliis* ℟℟. *si forte in illa Feria haberentur propria, servatis etiam aliis quæ in Rubr. de* ℟℟. num. *XLIV. præscripta sunt.*

Ad Magnif. Ant. Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, subdidit sibi gentes, superborum et sublimium colla propria virtute calcavit.

Oratio quæ contingit in ordine aliarum Dominicarum, ut infra.

DOM. I. AUGUSTI.

Ponuntur libri Salomonis, et legitur de eis usque ad Dom. I. Sept.

IN I. NOCTURNO.

Incipiunt Parabolæ Salomonis.

Lectio j. Cap. I.

PARABOLÆ Salomonis, filii David, regis Israel. Ad sciendam sapientiam et disciplinam, ad intelligenda verba prudentiæ, et suscipiendam eruditionem doctrinæ, justitiam, et judicium, et æquitatem: ut detur parvulis astutia, adolescenti scientia et intellectus. Audiens sapiens, sapientior erit; et intelligens, gubernacula possidebit. Animadvertet parabolam, et interpretationem, verba sapientum, et ænigmata eorum.

℟. In principio Deus antequam terram faceret, priusquam abyssos constitueret, priusquam produceret fontes aquarum: * Antequam montes collocarentur, ante omnes colles generavit me Dominus. ℣. Quando præparabat cœlos, aderam: cum eo cuncta componens. — Antequam.

Lectio ij.

TIMOR Domini principium sapientiæ. Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo. Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint: Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra, deglutiamus eum sicut infernus viventem, et integrum quasi descendentem in lacum. Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebi-

Digitized by Google

mus domos nostras spoliis. Sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum.

℟. Gyrum cœli circuivi sola, et in fluctibus maris ambulavi: in omni gente et in omni populo primatum tenui: * Superborum et sublimium colla propria virtute calcavi* ℣. Ego in altissimis habito, et thronus meus in columna nubis. Superborum.

Lectio iij.

FILI mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem. Frustra autem jacitur rete ante oculos pennatorum. Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, et moliuntur fraudes contra animas suas. Sic semitæ omnis avari, animas possidentium rapiunt.

℟. Emitte, Domine, sapientiam de sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum laboret: * Ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore. ℣. Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam. Ut. Gloria. Ut.

IN II. NOCTURNO.

Ex Tractatu S. Ambrosii Episcopi in psalmum centesimum decimum octavum.

Lectio iv. *Serm.* 5. ¶ 6.

INITIUM esse sapientiæ timorem Domini dicit Propheta. Quid est autem initium sapientiæ, nisi sæculo renuntiare? Quia sapere sæcularia, stultitia est. Denique sapientiam hujus mundi, stultitiam esse apud Deum Apostolus dicit. Sed et ipse timor Domini, nisi secundum scientiam sit, nihil prodest, imo obest plurimum. Siquidem Judæi habent zelum Dei, sed quia non habent secundum scientiam, in ipso zelo et timore majorem contrahunt divinitatis offensam. Quod circumcidunt infantulos suos, quod sabbata custodiunt, timorem Dei habent; sed quia nesciunt legem spiritalem esse, circumcidunt corpus, non cor suum.

℟. Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis: * Quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ. ℣. Mitte illam de sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum laboret. Quoniam.

Lectio v.

ET quid de Judæis dico? Sunt etiam in nobis qui habent timorem Dei, sed non secundum scientiam, statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere. Timor in eo est, quia videntur sibi consulere disciplinæ, opus virtutis exigere; sed inscitia in eo est, quia non compatiuntur naturæ, non æstimant possibilitatem. Non sit ergo irrationabilis timor. Etenim vera sapientia a timore Dei incipit, nec est sapientia spiritalis sine timore Dei: ita timor sine sapientia esse non debet.

℟. Initium sapientiæ timor Domini:* Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Dilectio illius custodia legum est, quia omnis sapientia timor Domini. Intellectus.

Lectio vj.

BASIS quædam verbi est timor sanctus. Sicut enim simulacrum aliquod in basi statuitur, et tunc majorem habet gratiam cum in basi statua fuerit collocata, standique accipit firmitatem: ita verbum Dei in timore sancto melius statuitur, fortius radicatur in pectore timentis Dominum, ne labatur verbum de corde viri, ne veniant volucres, et auferant illud de incuriosi et dissimulantis affectu.

℟. Verbum iniquum et dolosum longe fac a me, Domine: * Divitias et paupertatem ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria. ℣. Duo rogavi te, ne deneges mihi antequam moriar. Divitias. Gloria. Divitias.

℟. vij. Domine Pater et Deus vi-

Digitized by Google

te meæ, ne derelinquas me in cogitatu maligno: extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, et desiderium malignum averte a me, Domine; aufer a me concupiscentiam, * Et animo irreverenti et infrunito ne tradas me, Domine. ℣. Ne derelinquas me, Domine, ne accrescant ignorantiæ meæ, nec multiplicentur delicta mea. Et.

℟. *viij*. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: * Plena est omnis terra gloria ejus. ℣. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus: et hi tres unum sunt. Sanctus. Gloria. Plena.

FERIA SECUNDA.

De Parabolis Salomonis.

Lectio j. Cap. 3.

FILI mi, ne obliviscaris legis meæ, et præcepta mea cor tuum custodiat: longitudinem enim dierum, et annos vitæ, et pacem apponent tibi. Misericordia et veritas te non deserant; circumda eas gutturi tuo, et describe in tabulis cordis tui, et invenies gratiam, et disciplinam bonam coram Deo et hominibus. Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos.

℟. Ne derelinquas me, Domine Pater, et dominator vitæ meæ, ut non corruam in conspectu adversariorum meorum: * Ne gaudeat de me inimicus meus. ℣. Apprehende arma et scutum, et exurge in adjutorium mihi. Ne.

Lectio ij.

NE sis sapiens apud temetipsum: time Deum, et recede a malo, sanitas quippe erit umbilico tuo, et irrigatio ossium tuorum. Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei, et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt.

℟. Magna enim sunt judicia tua, Domine, et inenarrabilia verba tua, * Magnificasti populum tuum, et honorasti. ℣. Transtulisti illos per mare Rubrum, et transvexisti eos per aquam nimiam. Magnificasti.

Lectio iij.

DISCIPLINAM Domini, fili mi, ne abjicias; nec deficias, cum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit; et quasi pater in filio complacet sibi. Beatus homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia. Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, et auri primi et purissimi fructus ejus: pretiosior est cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.

℟. Quæ sunt in corde hominum oculi tui vident, Domine, et in libro tuo omnia scribentur. * Homo videt in facie; Deus autem in corde: ℣. Omnia enim corda scrutatur, et universas mentium cogitationes intelligit. Homo. Gloria. Homo.

FERIA TERTIA

De Parabolis Salomonis.

Lectio j. Cap. 4.

FILI mi, attende ad sapientiam meam, et prudentiæ meæ inclina aurem tuam, ut custodias cogitationes, et disciplinam labia tua conservent. Ne attendas fallaciæ mulieris. Favus enim distillans labia meretricis; et nitidius oleo guttur ejus. Novissima autem illius amara quasi absynthium, et acuta quasi gladius biceps. Pedes ejus descendunt in mortem, et ad inferos gressus illius penetrant. Per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus ejus, et investigabiles.

℟. Præbe, fili, cor mihi, et oculi tui vias meas custodiant: * Ut addatur gratia capiti tuo. ℣. Attende, fili mi, sapientiam meam, et ad eloquium meum inclina aurem tuam. Ut.

Lectio ij.

NUNC ergo, fili mi, audi me, et ne recedas a verbis oris mei.

Digitized by Google

Longe fac ab ea viam tuam, et ne appropinques foribus domus ejus. Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli, ne forte implcantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena, et gemas in novissimis, quando consumpseris carnes tuas et corpus tuum, et dicas: Cur detestatus sum disciplinam, et increpationibus non acquievit cor meum, nec audivi vocem docentium me, et magistris non inclinavi aurem meam?

℟. Initium sapientiæ timor Domini: * Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Dilectio illius custodia legum est, quia omnis sapientia timor Domini. Intellectus.

Lectio iij.

QUARE seduceris, fili mi, ab aliena, et foveris in sinu alterius? Respicit Dominus vias hominis, et omnes gressus ejus considerat. Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur. Ipse morietur, quia non habuit disciplinam, et in multitudine stultitiæ suæ decipietur.

℟. Verbum iniquum et dolosum longe fac a me; Domine: * Divitias et paupertatem ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria. ℣. Duo rogavi te, ne deneges mihi antequam moriar. Divitias. Gloria. Divitias.

FERIA QUARTA.

℣. De Parabolis Salomonis.

Lectio j. Cap. 4.

NUMQUID non sapientia clamitat, et prudentia dat vocem suam? In summis excelsisque verticibus supra viam, in mediis semitis stans, juxta portas civitatis in ipsis foribus loquitur, dicens: O viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum. Intelligite, parvuli, astutiam, et insipientes, animadvertite. Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum; et aperientur labia mea, ut recta prædicent.

℟. Domine Pater, *p.* 498.

Lectio ij.

VERITATEM meditabitur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium. Justi sunt omnes sermones mei; non est in eis pravum quid, neque perversum. Recti sunt intelligentibus, et æqui invenientibus scientiam. Accipite disciplinam meam, et non pecuniam: doctrinam magis quam aurum eligite. Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis, et omne desiderabile ei non potest comparari.

℟. Magna enim sunt, *p.* 499.

Lectio iij.

EGO sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. Timor Domini odit malum: arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. Meum est consilium, et æquitas: mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant; et legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam. Ego diligentes me diligo: et qui mane vigilant ad me, invenient me.

℟. Quæ sunt in corde, *p.* 499.

FERIA QUINTA.

De Parabolis Salomonis.

Lectio j. Cap. 10.

FILIUS sapiens lætificat patrem: filius vero stultus mœstitia est matris suæ. Nil proderunt thesauri impietatis; justitia vero liberabit a morte. Non affliget Dominus fame animam justi, et insidias impiorum subvertet. Egestatem operata est manus remissa; manus autem fortium divitias parat. Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos; idem autem ipse sequitur aves volantes. Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit æstate, filius confusionis.

℟. In principio Deus, *p.* 497.

Lectio ij.

BENEDICTIO Domini super caput justi; os autem impiorum

Digitized by Google

operit iniquitas. Memoria justi cum laudibus : et nomen impiorum putrescet. Sapiens corde præcepta suscipit stultus cæditur labiis. Qui ambulat simpliciter , ambulat confidenter: qui autem depravat vias suas , manifestus erit. Qui annuit oculo , dabit dolorem : et stultus labiis verberabitur.

℟. Gyrum cœli circuivi, *p.* 498.

Lectio iij.

VENA vitæ os justi , et os impiorum operit iniquitatem. Odium suscitat rixas , et universa delicta operit charitas. In labiis sapientis invenitur sapientia ; et virga in dorso ejus qui indiget corde. Sapientes abscondunt scientiam ; os autem stulti confusioni proximum est. Substantia divitis urbs fortitudinis ejus ; pavor pauperum egestas eorum. Opus justi ad vitam ; fructus autem impii ad peccatum.

℟. Emitte Domine , *p.* 498.

FERIA SEXTA.

De Parabolis Salomonis.

Lectio j. Cap. 14.

SAPIENS mulier ædificat domum suam ; insipiens extructam quoque manibus destruet. Ambulans recto itinere , et timens Deum , despicitur ab eo qui infami graditur via. In ore stulti virga superbiæ : labia autem sapientium custodiunt eos. Ubi non sunt boves , præsepe vacuum est; ubi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis. Testis fidelis non mentitur : profert autem mendacium dolosus testis.

℟. Da mihi Domine , *p.* 498.

Lectio ii.

QUÆRIT derisor sapientiam , et non invenit : doctrina prudentium facilis. Vade contra virum stultum , et nescit labia prudentiæ. Sapientia callidi est intelligere viam suam , et imprudentia stultorum errans. Stultus illudet peccatum , et inter justos morabitur gratia. Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus. Domus impiorum delebitur ; tabernacula vero justorum germinabunt.

℟. Initium sapientiæ, *p.* 498.

Lectio iij.

EST via quæ videtur homini justa : novissima autem ejus deducunt ad mortem. Risus dolore miscebitur , et extrema gaudii luctus occupat. Viis suis replebitur stultus, et super eum erit vir bonus. Innocens credit omni verbo; astutus considerat gressus suos. Filio doloso nihil erit boni : servo autem sapienti prosperi erunt actus , et dirigetur via ejus. Sapiens timet , et declinet a malo ; stultus transilit , et confidit.

℟. Verbum iniquum , *p.* 498.

SABBATO.

De Parabolis Salomonis.

Lectio j. Cap. 16.

HOMINIS est animam præparare , et Domini gubernare linguam. Omnes viæ hominis patent oculis ejus : spirituum ponderator est Dominus. Revela Domino opera tua et dirigentur cogitationes tuæ. Universa propter semetipsum operatus est Dominus;impium quoque ad diem malum. Abominatio Domini est omnis arrogans ; etiam si manus ad manum fuerit , non est innocens.

℟. Domine Pater , *p.* 498.

Lectio ij.

INITIUM viæ bonæ facere justitiam: accepta est autem apud Deum magis, quam immolare hostias. Misericordia et veritate redimitur iniquitas , et in timore Domini declinatur a malo. Cum placuerint Domino viæ hominis , inimicos quoque ejus convertet ad pacem. Melius est parum cum justitia , quam multi fructus cum iniquitate. Cor hominis disponit viam suam ; sed Domini est dirigere gressus ejus.

℟. Magna enim sunt, *p.* 499.

Digitized by Google

Lectio iij.

DIVINATIO in labiis regis, in judicio non errabit os ejus. Pondus et statéra judicia Domini sunt, et opera ejus omnes lapides sacculi. Abominabiles regi qūi agunt impie, quoniam justitia firmatur solium. Voluntas regum labia justa; qui recta loquitur, diligetur. Indignatio regis nuntii mortis, et vir sapiens placabit eam. In hilaritate vúltus regis vita, et clementiæ ejus quasi imber serotinus.

℟. Quæ sunt in corde, *p.* 499.

Ad Magnif. Ant. Ego in altissimis habito, et thronus meus in columna nubis.

DOM. II. AUGUSTI.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Ecclesiastes.

Lectio j. Cap. i.

VERBA Ecclesiastæ filii David, regis Jerusalem. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole? Generatio præterit, et generatio advenit: terra autem in æternum stat. Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur: ibique renascens, gyrat per meridiem, et flectitur ad Aquilonem. Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur. Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat: ad locum unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant.

℟. In principio Deus, *p.* 497.

Lectio ij.

CUNCTÆ res difficiles: non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: jam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos. Non est priorum memoria, sed nec eorum quidem quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos qui futuri sunt in novissimo.

℟. Gyrum cœli circuivi, *p.* 498.

Lectio iij.

EGO Ecclesiastes fui rex Israel in Jerusalem, et proposui in animo meo quærere et investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea. Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas, et afflictio spiritus. Perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus. Locutus sum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus sum, et præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Jerusalem: et mens mea contemplata est multa sapienter, et didici. Dedique cor meum ut scirem prudentiam atque doctrinam, erroresque et stultitiam.

℟. Emitte Domine, *p.* 498.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Serm. contra concubinar.

Lectio iv.

SALOMON cum sæcularium rerum concupiscentia teneretur, magnas eas et admirandas putabat, multumque in eis laboris et sollicitudinis insumebat, magnificas ædificando domos, copiosum coacervando aurum, congregando cantorum choros, varia genera ministrorum mensæ et popinæ, quærendo animæ suæ voluptatem ab hortorum et corporum formosorum gratia, et omnem, ut ita dicam, oblectationis et refrigerii viam sectando.

℟. Da mihi Domine, *p.* 498.

Lectio v.

AT ubi inde ad se reversus, et quasi ex umbrosa quadam abysso ad lumen veræ sapientiæ respicere valuit, tunc sublimem illam, et cœlis dignam emisit vocem: Vanitas vanitatum, dicens, et omnia vanitas. Hanc et vos, et hac sublimiorem, si volueritis, effertis sententiam de intempe-

Digitized by Google

stiva hac voluptate, si aliquantisper a mala consuetudine vos sequestraveritis.

℣. Initium sapientiæ, *p.* 498.

Lectio vj.

QUAMVIS autem a Salomone seculis superioribus non tam multa sapientiæ exigebatur diligentia: neque enim delicias lex vetus prohibebat, neque aliis frui supervacuis dicebat vanum: attamen et sic se habentibus rebus, in ipsis contueri licebit, quam viles, et vanitati obnoxiæ res sint. Nos vero ad majorem vocati vitam, et ad excellentius fastigium ascendimus, et in majoribus exercemur palæstris: et quid aliud quam quod, sicut supernæ virtutes intellectuales et incorporeæ illæ, vitam instituere jubemur?

℣. Verbum iniquum, *p.* 498.

In III. Noct. ℣. vij. *et* viij. *ut ibid.*

FERIA SECUNDA

De libro Ecclesiastæ.

Lectio j. Cap. 2.

DIXI ego in corde meo: Vadam, et affluam deliciis, et fruar bonis. Et vidi quod hoc quoque esset vanitas. Risum reputavi errorem, et gaudio dixi: Quid frustra deciperis? Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam, donec viderem quid esset utile filiis hominum: quo facto opus est sub sole numero dierum vitæ suæ. Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, et plantavi vineas.

℣. Ne derelinquas, *p.* 499.

Lectio ij.

POSSEDI servos et ancillas, multamque familiam habui, armenta quoque, et magnos ovium greges, ultra omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem: coacervavi mihi argentum et aurum, et substantias regum ac provinciarum; feci mihi cantores et cantatrices, et delicias filiorum hominum, scyphos et urceos in ministerio ad vina fundenda; et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Jerusalem: sapientia quoque perseveravit mecum.

℣. Magna enim sunt, *p.* 499.

Lectio iij.

ET omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis; nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, et oblectaret se in his quæ præparaveram, et hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo. Cumque me convertissem ad universa opera quæ fecerant manus meæ, et ad labores in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole.

℣. Quæ sunt in corde, *p.* 499.

FERIA TERTIA.

De libro Ecclesiastæ.

Lectio j. Cap. 3.

OMNIA tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cælo. Tempus nascendi, et tempus moriendi. Tempus plantandi, et tempus evellendi quod plantatum est. Tempus occidendi, et tempus sanandi. Tempus destruendi, et tempus ædificandi. Tempus flendi, et tempus ridendi. Tempus plangendi, et tempus saltandi. Tempus spargendi lapides, et tempus colligendi. Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus. Tempus acquirendi, et tempus perdendi. Tempus custodiendi, et tempus abjiciendi. Tempus scindendi, et tempus consuendi. Tempus tacendi, et tempus loquendi. Tempus dilectionis, et tempus odii. Tempus belli, et tempus pacis.

℣. Præbe fili cor, *p.* 499.

Lectio ij.

QUID habet amplius homo de labore suo? Vidi afflictionem quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea. Cuncta fecit bona in tempore suo, et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus quod operatus est Deus

Digitized by Google

ab initio usque ad finem. Et cognovi quod non esset melius, nisi lætari, et facere bene in vita sua. Omnis enim homo qui comedit et bibit, et videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est.

℟. Initium sapientiæ, *p.* 498.

Lectio iij.

DIDICI quod omnia opera quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum : non possumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus ut timeatur. Quod factum est, ipsum permanet : quæ futura sunt, jam fuerunt : et Deus instaurat quod abiit. Vidi sub sole in loco judicii impietatem, et in loco justitiæ iniquitatem. Et dixi in corde meo : Justum et impium judicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit.

℟. Verbum iniquum, *p.* 498.

FERIA QUARTA.

De libro Ecclesiastæ.

Lectio j. Cap. 4.

VERTI me ad alia, et vidi calumnias quæ sub sole geruntur, et lacrymas innocentium, et neminem consolatorem : nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos. Et laudavi magis mortuos quam viventes, et feliciorem utroque judicavi qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt. Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, et industrias animadverti patere invidiæ proximi; et in hoc ergo vanitas, et cura superflua est.

℟. Domine Pater, *p.* 498.

Lectio ij.

STULTUS complicat manus suas, et comedit carnes suas, dicens : Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore et afflictione animi. Considerans reperi et aliam vanitatem sub sole : unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis, nec recogitat, dicens : Cui laboro, et fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas est, et afflictio pessima.

℟. Magna enim sunt, *p.* 499.

Lectio iij.

MELIUS est ergo duos esse simul quam unum : habent enim emolumentum societatis suæ, si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo : unus quomodo calefiet? Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei : funiculus triplex difficile rumpitur. Melior est pauper et sapiens rege sene et stulto, qui nescit prævidere in posterum.

℟. Quæ sunt in corde, *p.* 499.

FERIA QUINTA.

De libro Ecclesiastæ.

Lectio j. Cap. 5.

NE temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cœlo, et tu super terram : idcirco sint pauci sermones tui. Multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus invenietur stultitia. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere : displicet enim ei infidelis et stulta promissio. Sed quodcumque voveris, redde : multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.

℟. In principio Deus, *p.* 497.

Lectio ij.

NE dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam, neque dicas coram Angelo : Non est providentia; ne forte iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum. Ubi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, et sermones innumeri. Tu vero Deum time. Si videris calumnias egenorum, et violenta judicia, et subverti justitiam in provincia, non mireris super hoc negotio, quia excelso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii, et insuper universæ terræ rex imperat servienti.

Digitized by Google

℟. Gyrum cœli circuivi, *p.* 498:

Lectio iij.

AVARUS non implebitur pecunia; et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis: et hoc ergo vanitas. Ubi multæ sunt opes, multi et qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis? Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum comedat: saturitas autem divitis non sinit eum dormire. Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: divitiæ conservatæ in malum domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima: generavit filium qui in summa egestate erit.

℟. Emitte Domine *p.* 498.

FERIA SEXTA.

De libro Ecclesiastæ.

Lectio j. Cap. 6.

EST et aliud malum quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines: Vir, cui dedit Deus divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat; nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas et miseria magna est.

℟. Da mihi Domine, *p.* 498.

Lectio ij.

SI genuerit quispiam centum liberos, et vixerit multos annos, et plures dies habuerit, et anima illius non utatur bonis substantiæ suæ, sepulturaque careat, de hoc ego pronuntio quod melior illo sit abortivus. Frustra enim venit, et pergit ad tenebras, et oblivione delebitur nomen ejus. Non vidit solem, neque cognovit distantiam boni et mali: etiam si duobus millibus annis vixerit, et non fuerit perfruitus bonis.

℟. Initium sapientiæ, *p.* 498.

Lectio iij.

NONNE ad unum locum properant omnia? Omnis labor hominis in ore ejus, sed anima ejus non implebitur. Quid habet amplius sapiens a stulto? et quid pauper, nisi ut pergat illuc ubi est vita? Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias. Sed et hoc vanitas est, et præsumptio spiritus.

℟. Verbum iniquum, *p.* 498.

SABBATO.

De libro Ecclesiastæ.

Lectio j. Cap. 7.

QUID necesse est homini majora se quærere, cum ignoret quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suæ, et tempore quod velut umbra præterit? Aut quis ei poterit indicare quid post eum futurum sub sole sit? Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa, et dies mortis die nativitatis. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit.

℟. Domine Pater, *p.* 498.

Lectio ij.

MELIOR est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. Cor sapientium ubi tristitia est, et cor stultorum ubi lætitia. Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi, quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti: sed et hoc vanitas. Calumnia conturbat sapientem, et perdet robur cordis illius. Melior est finis orationis quam principium. Melior est patiens arrogante.

℟. Magna enim sunt, *p.* 498.

Lectio iij.

NE dicas: Quid putas causæ est quod priora tempora meliora fuere, quam nunc sunt? stulta enim est hujuscemodi interrogatio. Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest videntibus solem. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia. Hoc autem plus habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo. Considera opera Dei,

Digitized by Google

quod nemo possit corrigere quem illo despexerit.

℟. Quæ sunt in corde, *p.* 499.

Ad Magnif. Ant. Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum.

Si sequens Dom. venerit in die Assumpt. B. Mariæ, vel S. Joachim, aut S. Hyacinthi, vel in die Oct. S. Laurentii, liber Sapientiæ ponitur in ipsa die S. Hyacinthi, vel in die Oct. S. Laurentii, et de eo legitur in festo S. Bernardi, et post Oct. Assump. B. Mariæ, si supersit dies, usque ad seq. Dom.

DOM. III. AUGUSTI

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Sapientiæ.

Lectio j. Cap. 1.

DILIGITE justitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum, quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum, apparet autem eis, qui fidem habent in illum. Perversæ enim cogitationes separant a Deo; probata autem virtus corripit insipientes. Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.

℟. In principio Deus, *p.* 497.

Lectio ij.

SPIRITUS enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate. Benignus est enim spiritus sapientiæ, et non liberabit maledicum a labiis suis: quoniam renum illius testis est Deus, et cordis illius scrutator est verus, et linguæ ejus auditor. Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum: et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. Propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præteriet illum corripiens judicium.

℟. Gyrum cœli circuivi, *p.* 498.

Lectio iij.

IN cogitationibus enim impii interrogatio erit: sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius. Quoniam auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur. custodite ergo vos a murmuratione quæ nihil prodest, et a detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit: os autem quod mentitur, occidit animam.

℟. Emitte Domine, *p.* 498.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro Officiorum S. Ambrosii Episcopi.

Lectio iv. *Lib.* 1. *c.* 28.

MAGNUS justitiæ splendor, quæ aliis potius nata, quam sibi, communitatem et societatem nostram adjuvat, excelsitatem tenet, ut suo judicio omnia subjecta habeat, opem aliis ferat, pecuniam conferat, officia non abnuat, pericula suscipiat aliena. Quis non cuperet hanc virtutis arcem tenere, nisi prima avaritia infirmaret atque inflecteret tantæ virtutis vigorem? Etenim dum augere opes, aggregare pecunias, occupare terras possessionibus cupimus, præstare divitiis, justitæ formam exuimus beneficentiam communem amittimus.

℟. Da mihi Domine, *p.* 498.

Lectio v.

QUANTA autem justitia sit, ex hoc intelligi potest quod nec locis, nec personis, nec temporibus excipitur, quæ etiam hostibus reservatur: ut si constitutus sit cum hoste aut locus, aut dies prælio, adversus justitiam putetur, aut loco prævenire aut tempore. Interest enim utrum aliquis pugna aliqua et confluictu gravi capiatur, an superiore gratia, vel aliquo eventu. Si ergo in bello justitia valet, quanto magis in pace servanda est?

℟. Initium sapientiæ, *p.* 498.

Lectio vi.

FUNDAMENTUM ergo est justitiæ fides. Justorum enim corda

Digitized by Google

meditantur fidem, et qui se justus accusat, justitiam supra fidem collocat. Nam tunc justitia ejus apparet, si vera fateatur. Denique et Dominus per Isaiam: Ecce, inquit, mitto lapidem in fundamentum Sion, id est, Christum in fundamentum Ecclesiæ. Fides omnium Christus: Ecclesia autem quædam forma justitiæ est, commune jus omnium; in commune orat, in commune operatur, in commune tentatur. Denique qui seipsum sibi abnegat, ipse justus, ipse dignus Christo est. Ideo et Paulus fundamentum posuit Christum, ut supra eum opera justitiæ locaremus: quia fides fundamentum est.

℟. Verbum iniquum, *p.* 498.

In III. Noct. ℟. vij. *et* viij. *ut ibid.*

FERIA SECUNDA

De libro Sapientiæ.

Lectio j. Cap. 3.

JUSTORUM autem animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, et æstimata est afflictio exitus illorum; et quod a nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum.

℟. Ne derelinquas, *p.* 499.

Lectio ij.

FULGEBUNT justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Judicabunt nationes, et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum. Qui confidunt in illo, intelligent veritatem, et fideles in dilectione acquiescent illi: quoniam donum et pax est electis ejus. Impii autem secundum quæ cogitaverunt, correptionem habebunt: qui neglexerunt justum, et a Domino recesserunt. Sapientiam enim et disciplinam qui abjicit, infelix est: et vacua est spes illorum, et labores sine fructu, et inutilia opera eorum.

℟. Magna enim sunt, *p.* 499.

Lectio iij. Cap. 5.

JUSTI autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini: quoniam dextera sua teget eos, et brachio sancto suo defendet illos. Accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace justitiam, et accipiet pro galea judicium certum. Sumet scutum inexpugnabile æquitatem: acuet autem duram iram in lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

℟. Quæ sunt in corde, *p.* 499.

FERIA TERTIA

De libro Sapientiæ.

Lectio j. Cap. 6.

MELIOR est sapientia quam vires, et vir prudens quam fortis. Audite ergo, reges, et intelligite; discite, judices finium terræ. Præbete aures, vos, qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum; quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis.

℟. Præbe fili cor, *p.* 499.

Lectio ij.

HORRENDE et cito apparebit vobis: quoniam judicium durissimum his qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam; quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqua-

Digitized by Google

liter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio.

℟. Initium sapientiæ, *p.* 498.

Lectio iij.

AD vos ergo reges, sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, et non excidatis. Qui enim custodierunt justa juste, justificabuntur; et qui didicerint ista, invenient quid respondeant. Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, et habebitis disciplinam. Clara est, et quæ nunquam marcescit sapientia, et facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt illam.

℟. Verbum iniquum, *p.* 498.

FERIA QUARTA.

De libro Sapientiæ.

Lectio j. Cap. 7.

SUM quidem et ego mortalis homo, similis omnibus, et ex genere terreni illius, qui prior factus est; et in ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis et delectamento somni conveniente. Et ego natus accepi communem aerem, et in similiter factam decidi terram, et primam vocem similem omnibus emisi plorans. In involumentis nutritus sum, et curis magnis. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium. Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, et similis exitus.

℟. Domine Pater, *p.* 498.

Lectio ij.

PROPTER hoc optavi, et datus est mihi sensus, et invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ; et præposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, et tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem et speciem dilexi illam, et proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius.

℟. Magna enim sunt, *p.* 499.

Lectio ij.

VENERUNT autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius, et lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia, et ignorabam quoniam horum omnium mater est. Quam sine fictione didici, et sine invidia communico, et honestatem illius non abscondo. Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei propter disciplinæ dona commendati.

℟. Quæ sunt in corde, *p.* 499.

FERIA QUINTA.

De libro Sapientiæ.

Lectio j. Cap. 9.

QUIS hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et difficile æstimamus, quæ in terra sunt, et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis, et sic correctæ sint semitæ eorum qui sunt in terris, et quæ tibi placent, didicerint homines? Nam per sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi, Domine, a principio.

℟. In principio Deus, *p.* 497.

Lectio ij. Cap. 10.

HÆC illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, et eduxit illum a delicto suo, et dedit illi virtutem continendi omnia. Ab hac ut recessit injustus in ira sua, per iram homicidii fraterni deperiit. Propter quem, cum aqua

Digitized by Google

deleret terram, sanavit iterum sapientia, per contemptibile lignum, justum gubernans. Hæc et in consensu nequitiæ, cum se nationes contulissent, scivit justum, et conservavit sine querela Deo, et in filii misericordia fortem custodivit.

℣. Gyrum cœli circuivi, *p.* 498.

Lectio iij.

HÆC justum a pereuntibus impiis liberavit fugientem, descendente igne in Pentapolim: quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, et incerto tempore fructus habentes arbores, et incredibilis animæ memoria stans figmentum salis. Sapientiam enim prætereuntes, non tantum in hoc lapsi sunt ut ignorarent bona, sed et insipientiæ suæ reliquerunt hominibus memoriam, ut in his quæ peccaverunt, nec latere potuissent. Sapientia autem hos qui se observant, a doloribus liberavit.

℣. Emitte Domine, *p.* 498.

FERIA SEXTA.

De libro Sapientiæ.

Lectio j. Cap. 13.

VANI autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex: sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem et lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt. Quorum si specie delectati, deos putaverunt: sciant quanto his dominator eorum speciosior est. Speciei enim generator hæc omnia constituit.

℣. Da mihi Domine, *p.* 498.

Lectio ij.

AUT si virtutem et opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis: a magnitudine enim speciei et creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri. Sed tamen adhuc in his minor est querela. Et hi enim fortasse errant, Deum quærentes, et volentes invenire. Etenim cum in operibus illius conversentur, inquirunt: et persuasum habent, quoniam bona sunt quæ videntur.

℣. Initium sapientiæ, *p.* 498.

Lectio iij.

ITERUM autem nec his debet ignosci. Si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt? Infelices autem sunt, et inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt deos opera manuum hominum, aurum et argentum, artis inventionem, et similitudines animalium, aut lapidem inutilem, opus manus antiquæ.

℣. Verbum iniquum, *p.* 498.

SABBATO.

De libro Sapientiæ.

Lectio j. Cap. 15.

TU autem, Deus noster, suavis et verus es, patiens, et in misericordia disponens omnia. Etenim si peccaverimus, scimus quoniam apud te sumus computati. Nosse enim te, consummata justitia est: et scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis.

℣. Domine Pater, *p.* 498.

Lectio ij.

NON enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio, nec umbra picturæ labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores, cujus aspectus insensato dat concupiscentiam, et diligit mortuæ imaginis effigiem sine anima. Malorum amatores, digni sunt qui spem habeant in talibus, et qui faciunt illos, et qui diligunt, et qui colunt.

℣. Magna enim sunt, *p.* 499.

Lectio iij.

SED et figulus mollem terram premens laboriose fingit ad usus nostros unumquodque vas; et de eodem

Digitized by Google

luto fingit quæ munda sunt in usum vasa, et similiter quæ his sunt contraria; horum autem vasorum quis sit usus, judex est figulus. Et cum labore vano deum fingit de eodem luto, ille qui paulo ante de terra factus fuerat, et post pusillum reducit se unde acceptus est, repetitus animæ debitum quam habebat.

℟. Quæ sunt in corde, *p.* 499.

Ad Magnif. Ant. Sapientia clamitat in plateis: Si quis diligit sapientiam, ad me declinet, et eam inveniet; et cum invenerit, beatus erit si tenuerit eam.

DOM. IV. AUGUSTI.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 1.

OMNIS sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum. Arenam maris, et pluviæ guttas, et dies sæculi quis dinumeravit? Altitudinem cœli, et latitudinem terræ, et profundum abyssi quis dimensus est? Sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigavit? Prior omnium creata est sapientia, et intellectus prudentiæ ab ævo. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, et ingressus illius mandata æterna.

℟. In principio Deus, *p.* 497.

Lectio ij.

RADIX sapientiæ cui revelata est et astutias illius quis agnovit? Disciplina sapientiæ cui revelata est et manifestata? et multiplicationem ingressus illius quis intellexit? Unus est altissimus Creator omnipotens, et Rex potens, et metuendus nimis, sedens super thronum illius, et dominans Deus. Ipse creavit illam in Spiritu sancto, et vidit, et dinumeravit, et mensus est. Et effudit illam super omnem carnem secundum datum suum, et præbuit illam diligentibus se.

℟. Gyrum cœli circuivi, *p.* 498.

Lectio iij.

TIMOR Domini gloria, et gloriatio, et lætitia, et corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam, et gaudium, et longitudinem dierum. Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur. Dilectio Dei honorabilis sapientia. Quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione, et in agnitione magnalium suorum. Initium sapientiæ timor Domini, et cum fidelibus in vulva concreatus est.

℟. Emitte Domine, *p.* 498.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro Moral. S. Gregorii Papæ.

Lib. 1. cap. 10. in c. 1. Job.

Lectio iv.

SUNT nonnulli qui vitam suam negligunt, et dum transitoria appetunt, dum æterna vel non intelligunt, vel intellecta contemnunt, nec dolorem sentiunt, nec habere consilium sciunt: cumque superna quæ amiserunt non considerant, esse se (heu miseri!) in bonis felices putant. Nequaquam enim ad veritatis lucem, cui conditi fuerant, mentis oculos erigunt: nequaquam ad contemplationem patriæ æternæ, desiderii aciem tendunt; sed semetipsos in his, ad quæ projecti sunt, deserentes, vice patriæ diligunt exilium quod patiantur: et in cæcitate quam tolerant, quasi in claritate luminis exultant.

℟. Da mihi Domine, *p.* 498.

Lectio v.

ET contra electorum mentes, dum transitoria cuncta nulla esse conspiciunt, ad quæ sint conditæ, exquirunt; cumque eorum satisfactione nihil extra Deum sufficit, ipsa inquisitionis exercitatione fatigata illorum cogitatio, in Conditoris sui spe et contemplatione requiescit, supernis interseri civibus appetit; et unusquisque eorum adhuc in mundo corpore positus, mente tamen extra mundum

Digitized by Google

surgit, ærumnam exilii, quam tollerat, deplorat, et ad sublimem patriam incessantibus se amoris stimulis excitat. Cum ergo dolens videt quam sit æternum quod perdidit, invenit salubre consilium, temporale hoc despicere quod percurrit; et quo magis creseit consilii scientia ut peritura deserat, eo augetur dolor quod necdum ad mensura pertingat.

℣. Initium sapientiæ. *p.* 498.

Lectio vj.

INTUENDUM quoque est quod nullus dolor mentis sit in actione præcipitationis. Qui enim sine consiliis vivunt, qui seipsos rerum eventibus præcipites deserunt, nullo interim cogitationum dolore fatigantur. Nam qui solerter in vitæ consilio figit mentem, caute sese in omni actione circumspiciendo considerat; et ne ex re quæ agitur, repentinus finis adversusque surripiat, hunc prius molliter posito pede cogitationis palpat: pensat ne ab his quæ agenda sunt, præpediat formido; ne in his quæ differenda sunt, præcipitatio impellat; ne prava per concupiscentiam aperto bello superent, ne recta per inanem gloriam insidiando supplantent.

℣. Verbum iniquum, *p.* 498.

In III. Noct. ℣. vij. *et* viij. *ut ibid.*

FERIA SECUNDA

De libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 2.

CORONA sapientiæ timor Domini, replens pacem, et salutis fructum, et vidit, et dinumeravit eam: utraque autem sunt dona Dei. Scientiam et intellectum prudentiæ sapientia compartietur, et gloriam tenentium se exaltat. Radix sapientiæ est timere Dominum, et rami illius longævi. In thesauris sapientiæ intellectus, et scientiæ religiositas: execratio autem peccatoribus sapientia.

℣. Ne derelinquas, *p.* 499.

Lectio ij.

TIMOR Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit justificari: iracundia enim animositatis illius, subversio illius est. Usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio jucunditatis. Bonus sensus usque in tempus abscondet verba illius, et labia multorum enarrabunt sensus illius. In thesauris sapientiæ significatio disciplinæ: execratio autem peccatori, cultura Dei. Fili, concupiscens sapientiam, conserva justitiam, et Deus præbebit illam tibi.

℣. Magna enim sunt, *p.* 499.

Lectio iij.

SAPIENTIA enim et disciplina timor Domini, et quod beneplacitum est illi, fides, et mansuetudo, et adimplebit thesauros illius. Ne sis incredibilis timori Domini, et ne accesseris ad illum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, et non scandalizeris in labiis tuis. Attende in illis, ne forte cadas, et adducas animæ tuæ inhonorationem, et revelet Deus abscosa tua, et in medio synagogæ elidat te: quoniam accessisti maligne ad Dominum, et cor tuum plenum est dolo et fallacia.

℣. Quæ sunt in corde, *p.* 499.

FERIA TERTIA.

De libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 2.

FILI, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem. Deprime cor tuum, et sustine; inclina aurem tuam, et suscipe verba intellectus: et ne festines in tempore obductionis. Sustine sustentationes Dei; conjungere Deo, et sustine ut crescat in novissimo vita tua.

℣. Præbe fili cor, *p.* 499.

Lectio ij.

OMNE quod tibi applicitum fuerit, accipe, et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe:

Digitized by Google

quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis. Crede Deo, et recuperabit te: et dirige viam tuam, et spera in illum. Serva timorem illius, et in illo veterasce.

℟. Initium sapientiæ, *p.* 498.

Lectio iij.

METUENTES Dominum, sustinete misericordiam ejus, et non deflectatis ab illo, ne cadatis. Qui timetis Dominum, credite illi, et non evacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum, sperate in illum, et in oblectationem veniet vobis misericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra. Respicite, filii, nationes hominum, et scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est? aut quis invocavit eum et despexit illum?

℟. Verbum iniquum, *p.* 498.

FERIA QUARTA.

De libro Ecclesiastici.

Lectio i. Cap. 3.

FILII sapientiæ, Ecclesia justorum: et natio illorum, obedientia et dilectio. Judicium patris audite, filii, et sic facite, ut salvi sitis. Deus enim honoravit patrem in filiis: et judicium matris exquirens, firmavit filios. Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, et continebit se ab illis, et in oratione dierum exaudietur.

℟. Domine Pater, *p.* 499.

Lectio ij.

ET sicut qui thesaurizat, ita et qui honorificat matrem suam. Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, et in die orationis suæ exaudietur. Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore: et qui obedit patri, refrigerabit matrem. Qui timet Dominum, honorat parentes, et quasi dominis serviet his, qui se genuerunt.

℟. Magna enim sunt, p. 499.

Lectio iij.

IN opere, et sermone, et omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, et benedictio illius in novissimo maneat. Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta. Ne glorieris in contumelia patris tui: non enim est tibi gloria ejus confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui; et dedecus filii, pater sine honore.

℟. Quæ sunt in corde, *p.* 499.

FERIA QUINTA.

De libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 3.

ALTIORA te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis. In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter, et in pluribus operibus ejus non eris curiosus. Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi. Multos quoque supplantavit suspicio illorum et in vanitate detinuit sensus illorum.

℟. In principio Deus, *p.* 497.

Lectio ij.

COR durum habebit male in novissimo: et qui amat periculum, in illo peribit. Cor ingrediens duas vias, non habebit successus, et pravus corde in illis scandalizabitur. Cor nequam gravabitur in doloribus, et peccator adjiciet ad peccandum. Synagogæ superborum non erit sanitas: frutex enim peccati radicabitur in illis, et non intelligetur.

℟. Gyrum cœli circuivi, *p.* 498.

Lectio iij.

COR sapientis intelligitur in sapientia, et auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. Sapiens cor et intelligibile abstinebit se a peccatis, et in operibus justitiæ successus habebit. Ignem ardentem

Digitized by Google

extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis: et Deus prospector est ejus, qui reddit gratiam: meminit ejus in posterum, et in tempore casus sui inveniet firmamentum.

℟. Emitte Domine, *p.* 498.

FERIA SEXTA.

De libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 4.

FILI, eleemosynam pauperis ne defraudes, et oculos tuos ne transvertas a paupere. Animam esurientem ne despexeris, et non exasperes pauperem in inopia sua. Cor inopis ne afflixeris, et non protrahas datum angustianti. Rogationem contribulati ne abjicias, et non avertas faciem tuam ab egeno.

℟. Da mihi Domine, *p.* 498.

Lectio ij.

AB inope ne avertas oculos tuos propter iram, et non relinquas quærentibus tibi retro maledicere: maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum qui fecit illum. Congregationi pauperum affabilem te facito, et presbytero humilia animam tuam, et magnato humilia caput tuum.

℟. Initium sapientiæ, *p.* 498.

Lectio iij.

DECLINA pauperi sine tristitia aurem tuam, et redde debitum tuum, et responde illi pacifica in mansuetudine. Libera eum, qui injuriam patitur, de manu superbi: et non acide feras in anima tua. In judicando esto pupillis misericors ut pater, et pro viro matri illorum, et eris tu velut filius Altissimi obediens, et miserebitur tui magis quam mater.

℟. Verbum iniquum, *p.* 498.

SABBATO.

De libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 4.

FILI, conserva tempus, et devita a malo. Pro anima tua ne confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam. Ne accipias faciem adversus faciem tuam, nec adversus animam tuam mendacium. Ne reverearis proximum tuum in casu suo, nec retineas verbum in tempore salutis. Non abscondas sapientiam tuam in decore suo.

℟. Domine Pater, *p.* 498.

Lectio ij.

IN lingua enim sapientia dignoscitur; et sensus, et scientia, et doctrina in verbo sensati, et firmamentum in operibus justitiæ. Non contradicas verbo veritatis ullo modo, et de mendacio ineruditionis tuæ confundere. Non confundaris confiteri peccata tua, et ne subjicias te omni homini pro peccato. Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii.

℟. Magna enim sunt, *p.* 499.

Lectio iij.

PRO justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Noli citatus esse in lingua tua, et inutilis, et remissus in operibus tuis. Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta.

℟. Quæ sunt in corde, *p.* 499.

SABBATO

Ante Dominicam V. Augusti.

Nisi hæc fuerit propinquior Kal. Septemb., quia tunc ista cum sua Hebd. omittitur, et ponitur Ant. pro I. Dom. Septembris, ut infra.

Ad. Magnif. Ant. Observa, fili, præcepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ, sed liga eam semper in corde tuo.

DOM. V. AUGUSTI

IN I. NOCTURNO.

De libro Ecclesiastici.

Digitized by Google

Lectio j. Cap. 5.

NOLI attendere ad possessiones iniquas, et ne dixeris : Est mihi sufficiens vita ; nihil enim proderit in tempore vindictæ et obductionis. Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui , et ne dixeris : Quomodo potui ? aut quis me subjiciet propter facta mea ? Deus enim vindicans vindicabit. Ne dixeris: Peccavi, et quid mihi accidit triste ? Altissimus enim est patiens redditor. De propitiato peccato noli esse sine metu , neque adjicias peccatum super peccatum.

℟. In principio Deus , *p.* 497.

Lectio ij.

ET ne dicas: Miseratio Domini magna est , multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius. Non tardes converti ad Dominum , et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius , et in tempore vindictæ disperdet te. Noli anxius esse in divitiis injustis : non enim proderunt tibi in die obductionis et vindictæ. Non ventiles te in omnem viam. Sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua.

℟. Gyrum cœli circuivi , *p.* 498.

Lectio iij.

ESTO firmus in via Domini, et in veritate sensus tui et scientia, et prosequatur te verbum pacis et justitiæ. Esto mansuetus ad audiendum verbum , ut intelligas , et cum sapientia proferas responsum verum. Si est tibi intellectus , responde proximo ; sin autem , sit manus tua super os tuum , ne capiaris in verbo indisciplinato , et confundaris. Honor et gloria in sermone sensati ; lingua vero imprudentis subversio est ipsius. Non appelleris susurro , et lingua tua ne capiaris , et confundaris.

℟. Emitte , Domine , *p.* 498.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Hom. 22. *in* 2. *Cor.* 10. *in Moral.*

Lectio iv.

NE tardes converti ad Dominum , et ne differas de die in diem : nescis enim quid paritura sit superventura dies. Periculum enim et metus est in differendo ; salus vero certa ac secura, si nulla sit dilatio. Virtutem igitur cole : sic enim licet juvenis moriaris , secure discesseris. Quod si ad senectutem perveneris , cum multa facilitate et nulla molestia e vita discedes ; duplicemque habebis festivitatem , et quod a vitæ malitia abstinueris , et quod virtutem coluceris. Ne dicas : Erit tempus, quando converti licebit : verba enim hæc Deum valde exasperant.

℟. Da mihi Domine , *p.* 498.

Lectio v.

CURRAM , cum ipse tibi æterna sæcula promisit , tu in præsenti vita laborare non vis , quæ parva et momentanea est ; sed sic ignavus ac dissolutus agis quasi hac breviorem aliam quamdam inquiras ? Nonne illæ quotidianæ comessationes, nonne illæ mensæ , nonne scorta illa, nonne theatra illa , nonne divitiæ illæ testantur inexplebilem malitiæ concupiscentiam? Cogita bene quod quoties scortatus es, toties condemnasti teipsum: peccatum enim ita se habet , ut mox atque patratum fuerit , sententiam ferat judex.

℟. Initium sapientiæ , *p.* 498.

Lectio vj.

INEBRIATUS es ? ventri indulsisti ? rapuisti ? siste jam gradum: verte te in diversum : confitere Deo gratiam , quod non in mediis peccatis te abstulit : ne quære aliud tibi prorogari tempus ut male opereris. Multi dum male ac vitiose viverent , subito perierunt , et in manifestam damnationem abierunt : time ne idem tibi accidat. Sed multis , inquis , dedit Deus spatium , ut in ultima senecta confiterentur. Quid igitur ? numquid et tibi dabitur ? Fortasse dabit , inquis. Cur dicis , fortasse ? Contigit aliquotics. Cogita quod de anima deli-

beras : proinde etiam de contrario cogita, et dic : Quid autem, si non det? Quid autem si det, inquis ? Esto, dat quidem ipse : verumtamen hoc illo certius et utilius.

℟. Verbum iniquum, *p.* 498.

In III. Noct. ℟. vij. *et* viij. *ut ibid.*

FERIA SECUNDA.

De libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 7.

NOLI facere mala, et non te apprehendent. Discede ab iniquo, et deficient mala abs te. Fili, non semines mala in sulcis injustitiæ, et non metes ea in septulum. Noli quærere a Domino ducatum, neque a rege cathedram honoris. Non te justifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est ; et penes regem noli velle videri sapiens.

℟. Ne derelinquas me, *p.* 499.

Lectio ij.

NOLI quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates ; ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua. Non pecces in multitudinem civitatis, nec te immittas in populum, neque alliges duplicia peccata : nec enim in uno eris immunis. Noli esse pusillanimis in animo tuo : exorare, et facere elemosynam ne despicias.

℟. Magna enim sunt, *p.* 499.

Lectio iij.

NE dicas : In multitudine munerum meorum respiciet Deus, et offerente me Deo altissimo, munera mea suscipiet. Non irrideas hominem in amaritudine animæ : est enim qui humiliat et exaltat, circumspector Deus. Noli arare mendacium adversus fratrem tuum, neque in amicum similiter facias. Noli velle mentiri omne mendacium: assiduitas enim illius non est bona. Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum, et non iteres verbum in oratione tua.

℟. Quæ sunt in corde, *p.* 499.

FERIA TERTIA.

De libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 10.

JUDEX sapiens judicabit populum suum, et principatus sensati stabilis erit. Secundum judicem populi, sic et ministri ejus ; et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea. Rex insipiens perdet populum suum, et civitates inhabitabuntur per sensum potentium. In manu Dei potestas terræ, et utilem rectorem suscitabit in tempus super illam. In manu Dei prosperitas hominis, et super faciem scribæ imponet honorem suum.

℟. Præbe fili cor, *p.* 499.

Lectio ij.

OMNIS injuriæ proximi ne memineris, et nihil agas in operibus injuriæ. Odibilis coram Deo est et hominibus superbia, et execrabilis omnis iniquitas gentium. Regnum a gente in gentem transfertur propter injustias, et injurias, et contumelias, et diversos dolos. Avaro autem nihil est scelestius. Quid superbit terra et cinis? Nihil est iniquius, quam amare pecuniam. Hic enim et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua.

℟. Initium sapientiæ, *p.* 498.

Lectio iij.

OMNIS potentatus brevis vita. Languor prolixior gravat medicum. Brevem languorem præcidit medicus : sic et rex hodie est, et cras morietur. Cum enim morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes. Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo, quoniam ab eo qui fecit illum, recessit cor ejus : quoniam initium omnis peccati est superbia : qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, et subvertet eum in finem. Propterea exhonoravit Dominus conventus malorum, et destruxit eos usque in finem.

℟. Verbum iniquum, *p.* 498.

Digitized by Google

FERIA QUARTA.

De libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 13.

QUI tetigerit picem, inquinabitur ab ea, et qui communicaverit superbo, induet superbiam. Pondus super se tollet, qui honestiori se communicat. Et ditiori te ne socius fueris. Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se colliserint, confringetur. Dives injuste egit, et fremet; pauper autem læsus tacebit. Si largitus fueris, assumet te, et si non habueris, derelinquet te. Si habes, convivet tecum, et evacuabit te, et ipse non dolebit super te.

℟. Domine Pater, *p.* 498.

Lectio ij.

HUMILIARE Deo, et expecta manus ejus. Attende ne seductus in stultitiam humilieris. Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris. Advocatus a potentiore, discede: ex hoc enim magis te advocabit. Ne improbus sis, ne impingaris; et ne longe sis ab eo, ne eas in oblivionem. Ne retineas ex æquo loqui cum illo, nec credas multis verbis illius. Ex multa enim loquela tentabit te, et subridens interrogabit te de absconditis tuis. Immitis animus illius conservabit verba tua, et non parcet de malitia et de vinculis.

℟. Magna enim sunt, *p.* 499.

Lectio iij.

CAVE tibi, et attende diligenter auditui tuo, quoniam cum subversione tua ambulas. Audiens vero illa, quasi in somnis vide, et vigilabis. Omni vita tua dilige Deum, et invoca illum in salute tua. Omne animal diligit simile sibi: sic et omnis homo proximum sibi. Omnis caro ad similem sibi conjungetur, et omnis homo simili sui sociabitur. Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator justo. Quæ communicatio sancto homini ad canem? aut quæ pars diviti ad pauperem?

℟. Quæ sunt in corde, *p.* 499.

FERIA QUINTA.

De libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 14.

BEATUS vir qui non est lapsus verbo ex ore suo, et non est stimulatus in tristitia delicti. Felix qui non habuit animi sui tristitiam, et non excidit a spe sua. Viro cupido et tenaci sine ratione est substantia, et homini livido ad quid aurum? Qui acervat ex animo suo injuste, aliis congregat, et in bonis illius alius luxuriabitur. Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? et non jucundabitur in bonis suis.

℟. In principio Deus, *p.* 497.

Lectio ij.

QUI sibi invidet, nihil est illo nequius, et hæc redditio est malitiæ illius: et si bene fecerit, ignoranter et non volens facit, et in novissimo manifestat malitiam suam. Nequam est oculus lividi, et avertens faciem suam, et despiciens animam suam. Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis: non satiabitur donec consumat arefaciens animam suam. Oculus malus ad mala; et non satiabitur pane, sed indigens et in tristitia erit super mensam suam.

℟. Gyrum cœli circuivi, *p.* 498.

Lectio iij.

FILI, si habes, benefac tecum, et Deo dignas oblationes offer. Memor esto quoniam mors non tardat, et testamentum inferorum quia demonstratum est tibi: testamentum enim hujus mundi morte morietur. Ante mortem benefac amico tuo, et secundum vires tuas exporrigens da pauperi. Non defrauderis a die bono, et particula boni doni non te prætereat. Nonne aliis relinques dolores et labores tuos in divisione sortis? Da, et accipe, et justifica animam tuam. Ante obitum tuum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum.

℟. Emitte Domine, *p.* 498.

Digitized by Google

FERIA SEXTA.

De libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 21.

FILI, peccasti? non adjicias iterum: sed et de pristinis deprecare ut tibi dimittantur. Quasi a facie colubri fuge peccata; et si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum. Quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas. Objurgatio et injuriæ annullabunt substantiam, et domus, quæ nimis locuples est, annullabitur superbia: sic substantia superbi eradicabitur.

℟. Da mihi Domine, *p.* 498.

Lectio ij.

DEPRECATIO pauperis ex ore usque ad aures ejus perveniet, et judicium festinato adveniet illi. Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris; et qui timet Deum, convertetur ad cor suum. Notus a longe potens lingua audaci, et sensatus scit labi se ab ipso. Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hieme. Stuppa collecta synagoga peccantium et consummatio illorum flamma ignis.

℟. Initium sapientiæ, *p.* 498.

Lectio iij.

VIA peccantium complanata lapidibus, et in fine illorum inferi, et tenebræ, et pœnæ. Qui custodit justitiam, continebit sensum ejus. Consummatio timoris Dei, sapientia et sensus. Non erudietur, qui non est sapiens in bono. Est autem sapientia, quæ abundat in malo: et non est sensus, ubi est amaritudo. Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit, et consilium illius sicut fons vitæ permanet.

℟. Verbum iniquum, *p.* 498.

SABBATO.

De libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 32.

RECTOREM te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe, et sic confide, et omni cura tua explicita recumbe, ut læteris propter illos, et ornamentum gratiæ accipias corónam, et dignationem consequaris corrogationis. Loquere major natu: decet enim te primum verbum diligenti scientia, et non impedias musicam.

℟. Domine Pater, *p.* 498.

Lectio ij.

UBI auditus non est, non effundas sermonem, et importune noli extolli in sapientia tua. Gemmula carbunculi in ornamento auri, et comparatio musicorum in convivio vini. Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi, sic numerus musicorum in jucundo et moderato vino. Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia. Adoloscens loquere in tua causa vix. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.

℟. Magna enim sunt, *p.* 499.

Lectio iij.

IN multis esto quasi inscius, et audi tacens simul et quærens. In medio magnatorum non præsumas, et ubi sunt senes, non multum loquaris. Ante grandinem præibit coruscatio; et ante verecundiam præibit gratia, et pro reverentia accedet tibi bona gratia. Et hora surgendi non tetrices: præcurre autem prior in domum tuam, et illic avocare, et illic lude, et age conceptiones tuas, et non in delictis et verbo superbo. Et super his omnibus benedicito Dominum, qui fecit te, et inebriantem te ab omnibus bonis suis.

℟. Quæ sunt in corde, *p.* 499.

SABBATO

Proximo Kalendis Septembris.

Ad Magnif. Ant. Cum audisset Job nuntiorum verba, sustinuit patienter, et ait: Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus? In omnibus his non

Digitized by Google

peccavit Job labiis suis, neque stultum aliquid contra Deum locutus est.

DOM. I. SEPTEMBRIS

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Job.

Lectio j. Cap. I.

VIR erat in terra Hus, nomine Job, et erat vir ille simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo. Natique sunt ei septem filii, et tres filiæ. Et fuit possessio ejus septem millia ovium, et tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, et quingentæ asinæ, ac familia multa nimis: eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.

℟. Si bona suscepimus de manu Dei, mala autem quare non sustineamus? * Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum. ℣. Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc. Dominus.

Lectio ij.

ET ibant filii ejus, et faciebant convivium per domos, unusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent, et biberent cum eis. Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Job, et sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim: Ne forte peccaverint filii mei, et benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Job cunctis diebus.

℟. Antequam comedam, suspiro, et tanquam inundantes aquæ, sic rugitus meus: quia timor quem timebam, evenit mihi, et quod verebar, accidit; nonne dissimulavi? nonne silui? nonne quievi? * Et venit super me indignatio. ℣. Ecce non est auxilium mihi in me, et necessarii quoque mei recesserunt a me. Et.

Lectio iij.

QUADAM autem die cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan. Cui dixit Dominus: Unde venis? Qui respondens, ait: Circuivi terram, et perambulavi eam. Dixitque Dominus ad eum: Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo? Cui respondens Satan, ait: Numquid Job frustra timet Deum? nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum, operibus manuum ejus benedixisti, et possessio ejus crevit in terra? Sed extende paululum manum tuam, et tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.

℟. Quare detraxistis sermonibus veritatis, ad increpandum verba componitis, et subvertere nitimini amicum vestrum? * Verumtamen quæ cogitastis, explete. ℣. Quod justum est, judicate, et non invenietis in lingua mea iniquitatem. Verumtamen.

IN II. NOCTURNO.

Ex lib. Moral. S. Gregorii Papæ.

Lectio iv. Lib. 2. c. 1.

SCRIPTURA sacra mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur, ut interna nostra facies in ipsa videatur. Ibi etenim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus: ibi sentimus quantum proficimus, ibi a profectu quam longe distamus. Narrat autem gesta sanctorum, et ad imitationem corda provocat infirmorum; dumque illorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia, debilia nostra confirmat; fitque verbis illius, ut eo mens minus inter certamina trepidet, quo ante se positos tot virorum fortium triumphos videt.

℟. Induta est caro mea putredine, et sordibus pulveris cutis mea aruit, et contracta est. * Memento mei, Domine, quoniam ventus est vita mea. ℣. Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur, et consumpti sunt absque ulla spe. Memento.

Digitized by Google

Lectio v.

NONNUMQUAM vero non solum nobis eorum virtutes asserit, sed etiam casus innotescit: ut et in victoria fortium, quod imitando arripere, et rursum videamus in lapsibus quid debeamus timere. Ecce enim Job describitur tentatione auctus, sed David tentatione prostratus, ut et majorum virtus spem nostram foveat, et majorum casus ad cautelam nos humilitatis accingat; quatenus dum illa gaudentes sublevant, ista metuentes premant: et audientis animus illinc spei fiducia, hinc humilitate timoris eruditus, nec temeritate superbiat, quia formidine premitur; nec pressus timore desperet, quia ad spei fiduciam virtutis exemplo roboratur.

℟. Paucitas dierum meorum finietur brevi: dimitte me, Domine, ut plangam paululum dolorem meum, * Antequam vadam ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine. ℣. Manus tuæ, Domine, fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu, et sic repente præcipitas me? Antequam.

Lectio vj. Lib. I. Moral. c. I.

VIR erat in terra Hus, nomine Job. Idcirco sanctus vir ubi habitaverit dicitur, ut ejus meritum virtutis exprimatur. Hus namque quis nesciat quod sit in terra Gentilium! Gentilitas autem eo obligata vitiis extitit, quo cognitionem sui Conditoris ignoravit. Dicatur itaque ubi habitaverit, ut hoc ejus laudibus proficiat, quod bonus inter malos fuit. Neque enim valde laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim gravioris culpæ est, inter bonos bonum non esse: ita immensi est præconii, bonum etiam inter malos extitisse.

℟. Non abscondas me, Domine, a facie tua: manum tuam longe fac a me: * Et formido tua non me terreat. ℣. Corripe me, Domine, in misericordia, non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. Et. Gloria. Et.

℟. vij. Quis mihi tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, Domine, nisi tu, qui solus es Deus: * Et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei? ℣. Numquid sicut dies hominis, dies tui, ut quæras iniquitatem meam, cum sit nemo qui de manu tua possit eruere? Et.

℟. viij. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: * Plena est omnis terra gloria ejus. ℣. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus: et hi tres unum sunt. Sanctus. Gloria. Plena.

FERIA SECUNDA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. I.

CUM autem quadam die filii et filiæ ejus comederent et biberent vinum in domo fratris sui primogeniti, nuntius venit ad Job, qui diceret: Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos, et irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, et pueros percusserunt gladio, et evasi ego solus, ut nuntiarem tibi. Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, et dixit: Ignis Dei cecidit e cælo, et tactas oves puerosque consumpsit, et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi.

℟. Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium. * Parce mihi, Domine: nihil enim sunt dies mei. ℣. Cutis mea denigrata est super me, et ossa mea aruerunt. Parce.

Lectio ij.

SED et illo adhuc loquente, venit alius, et dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, et invaserunt camelos, et tulerunt eos, necnon et pueros percusserunt gladio, et ego fugi solus, ut nuntiarem tibi. Adhuc loquebatur ille, et ecce alius intravit,

Digitized by Google

et dixit: Filiis tuis et filiabus vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, et mortui sunt, et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi.

℟. Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, * Et calamitas, quam patior, in statera. ℣. Quasi arena maris hæc gravior appareret, unde et verba mea dolore sunt plena. Et.

Lectio iij.

TUNC surrexit Job, et scidit vestimenta sua, et tonso capite corruens in terram, adoravit, et dixit: Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.

℟. Quare detraxistis sermonibus veritatis: ad increpandum verba componitis, et subvertere nitimini amicum vestrum? * Verumtamen quæ cogitastis, explete. ℣. Quod justum est, judicate: et non invenietis in lingua mea iniquitatem. Verumtamen. Gloria. Verumtamen.

FERIA TERTIA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 2.

FACTUM est autem, cum quadam die venissent filii Dei, et starent coram Domino, venisset quoque Satan inter eos, et staret in conspectu ejus, ut diceret Dominus ad Satan. Unde venis? Qui respondens, ait: Circuivi terram, et perambulavi eam. Et dixit Dominus ad Satan: Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo, et adhuc retinens innocentiam? Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra. Cui respondens Satan, ait: Pellem pro pelle: et cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua: alioquin mitte manum tuam, et tange os ejus et carnem, et tunc videbis quod in faciem benedicat tibi.

℟. Induta est caro, *p.* 318.

Lectio ij.

DIXIT ergo Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est; verumtamen animam illius serva. Egressus igitur Satan a facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem ejus. Qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio. Dixit autem illi uxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, et morere. Qui ait ad illam: Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? In omnibus his non peccavit Job labiis suis.

℟. Paucitas dierum, *p.* 319.

Lectio iij.

IGITUR audientes tres amici Job omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, et Baldad Suhites, et Sophar Naamathites. Condixerant enim ut pariter venientes visitarent eum, et consolarentur. Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum: et exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cœlum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus, et nemo loquebatur ei verbum. Videbant enim dolorem esse vehementem.

℟. Non abscondas me, *p.* 319.

FERIA QUARTA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 3.

POST hæc aperuit Job os suum, et maledixit diei suo, et locutus est: Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Con-

Digitized by Google

ceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, et non illustretur lumine. Obscurent eum tenebræ et umbra mortis, occupet eum caligo, et involvatur amaritudine.

℟. Quis mihi tribuat, *p.* 519.

Lectio ij.

NOCTEM illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus. Sit nox illa solitaria, nec laude digna: maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan. Obtenebrentur stellæ caligine ejus: expectet lucem, et non videat, nec ortum surgentis auroræ: quia non conclusit ostia ventris qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis.

℟. Utinam appenderentur, *p.* 520.

Lectio iij.

QUARE non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii? Quare exceptus genibus? cur lactatus uberibus? Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem cum regibus et consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines: aut cum principibus, qui possident aurum, et replent domos suas argento; aut sicut abortivum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem.

℟. Quare detraxistis, *p.* 518.

FERIA QUINTA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 4.

RESPONDENS autem Eliphaz Themanites, dixit: Si cœperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies; sed conceptum sermonem tenere quis poterit? Ecce docuisti multos, et manus lassas roborasti, vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti. Nunc autem venit super te plaga, et defecisti: tetigit te, et conturbatus es. Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, et perfectio viarum tuarum?

℟. Si bona suscepimus, *p.* 518.

Lectio ij.

RECORDARE, obsecro te, quis unquam innocens periit? aut quando recti deleti sunt? Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, flante Deo, periisse, et spiritu iræ ejus esse consumptos. Rugitus leonis, et vox leænæ, et dentes catulorum leonum contriti sunt. Tigris periit eo quod non haberet prædam, et catuli leonis dissipati sunt.

℟. Antequam comedam, *p.* 518.

Lectio iij.

PORRO ad me dictum est verbum absconditum, et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus. In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me, et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt: et cum spiritus, me præsente, transiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis, et vocem quasi auræ lenis audivi. Numquid homo, Dei comparatione justificabitur: aut factore suo purior erit vir? Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles: et in angelis suis reperit pravitatem.

℟. Quare detraxistis, *p.* 518.

FERIA SEXTA

De libro Job.

Lectio j. Cap. 6.

RESPONDENS autem Job, dixit: Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas, quam patior, in statera. Quasi arena maris hæc gravior appareret: unde et verba mea dolore sunt plena: quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, et terrores Domini militant contra me.

℟. Induta est caro, *p.* 518.

Digitized by Google

Lectio ij.

NUMQUID rugiet onager, cum habuerit herbam? aut mugiet bos, cum ante præsepe plenum steterit? aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem? Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.

℟. Paucitas dierum, *p.* 519.

Lectio iij.

QUIS det ut veniat petitio mea, et quod expecto, tribuat mihi Deus? Et qui cœpit, ipse me conterat: solvat manum suam, et succidat me? Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti. Quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam? aut quis finis meus, ut patienter agam? Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est. Ecce non est auxilium mihi in me, et necessarii quoque mei recesserunt a me.

℟. Non abscondas me, *p.* 519.

SABBATO

De libro Job.

Lectio j. Cap. 7.

MILITIA est vita hominis super terram, et sicut dies mercenarii, dies ejus. Sicut servus desiderat umbram, et sicut mercenarius præstolatur finem operis sui: sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi. Si dormiero, dicam: Quando consurgam? et rursum expectabo vesperam, et replebor doloribus usque ad tenebras.

℟. Quis mihi tribuat, *p.* 519.

Lectio ij.

INDUTA est caro mea putredine, et sordibus pulveris cutis mea aruit, et contracta est. Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur, et consumpti sunt absque ulla spe. Memento quia ventus est vita mea, et non revertetur oculus meus ut videat bona. Nec aspiciet me visus hominis: oculi tui in me, et non subsistam.

℟. Utinam appenderentur, *p.* 520.

Lectio iij.

SICUT consumitur nubes, et pertransit: sic qui descenderit ad inferos, non ascendet; nec revertetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus ejus. Quapropter et ego non parcam ori meo; loquar in tribulatione spiritus mei: confabulabor cum amaritudine animæ meæ. Numquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?

℟. Quare detraxistis, *p.* 518.

Ad Magnif. Ant. In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum aliquid contra Deum locutus est.

DOM. II. SEPTEMBRIS.

IN I. NOCTURNO

De libro Job.

Lectio j. Cap. 9.

ET respondens Job, ait: Vere scio quod ita sit, et quod non justificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille. Sapiens corde est, et fortis robore: quis restitit ei, et pacem habuit? Qui transtulit montes, et nescierunt hi quos subvertit in furore suo.

℟. Si bona suscepimus, *p.* 518.

Lectio ij.

QUI commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur. Qui præcipit soli, et non oritur: et stellas claudit quasi sub signaculo. Qui extendit cœlos solus, et graditur super fluctus maris. Qui facit Arcturum, et Oriona, et Hyadas, et interiora Austri. Qui facit magna, et incomprehensibilia, et mirabilia, quorum non est numerus.

℟. Antequam comedam, *p.* 518.

Digitized by Google

Lectio iij.

SI venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam. Si repente interroget, quis respondebit ei? vel quis dicere potest: Cur ita facis? Deus, cujus iræ nemo resistere potest, et sub quo curvantur qui portant orbem. Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo? Qui etiam si habuero quidpiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor. Et cum invocantem exaudierit me, non credo quod audierit vocem meam. In turbine enim conteret me, et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa.

℟. Quare detraxistis, *p.* 518.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro Moral. S. Gregorii Papæ.

Lectio iv. *Lib. 9. cap. 2.*

VERE scio quod ita sit, et quod non justificabitur homo compositus Deo. Homo quippe Deo non compositus justitiam percipit, compositus amittit: quia quisquis se auctori bonorum comparat, bono se, quod acceperat, privat. Qui enim accepta bona sibi arrogat, suis contra Deum donis pugnat. Unde ergo despectus erigitur, dignum est ut erectus inde destruatur. Sanctus autem vir, quia omne virtutis nostræ meritum, esse vitium conspicit, si ab interno arbitro districte judicetur, recte subjungit: Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei unum pro mille.

℟. Induta est caro, *p.* 518.

Lectio v.

IN Scriptura sancta millenarius numerus pro universitate solet intelligi. Hinc etenim Psalmista ait: Verbi, quod mandavit in mille generationes; cum profecto constet, quod ab ipso mundi exordio usque ad Redemptoris adventum per Evangelistam non amplius quam septuaginta et septem propagines numerentur. Quid ergo in millenario numero, nisi ad proferendam novam sobolem perfecta universitas præscitæ generationis exprimitur? Hinc et per Joannem dicitur: Et regnabunt cum eo mille annis, quia videlicet regnum sanctæ Ecclesiæ universitatis perfectione solidatur.

℟. Paucitas dierum, *p.* 519.

Lectio vj.

QUIA vero monas decies multiplicata in denarium ducitur, denarius per semetipsum ductus in centenarium dilatatur: qui rursus per denarium ductus, in millenarium tenditur: cum ab uno incipimus ut ad millenarium veniamus, quid hoc loco unius appellatione, nisi bene vivendi initium? Quid millenarii numeri amplitudine, nisi ejusdem bonæ vitæ perfectio designatur? Cum Deo autem contendere est, non ei tribuere, sed sibi gloriam suæ virtutis arrogare. Sed sanctus vir conspiciat, quia et qui summa jam dona percepit, si de acceptis extollitur, cuncta quæ acceperat, amittit.

℟. Non abscondas me, *p.* 519.

In III. Noct. ℟. vij. *et* viij. *ut ibid.*

FERIA SECUNDA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 27.

ADDIDIT quoque Job, assumens parabolam suam, et dixit: Vivit Deus, qui abstulit judicium meum, et omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam. Quia donec superest halitus in me et spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. Absit a me ut justos vos esse judicem: donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.

℟. Versa est in luctum, *p.* 519.

Lectio ij.

JUSTIFICATIONEM meam, quam cœpi tenere, non deseram, neque enim reprehendit me cor meum

Digitized by Google

in omni vita mea. Sit ut impius, inimicus meus; et adversarius meus, quasi iniquus. Quæ est enim spes hypocritæ, si avare rapiat, et non liberet Deus animam ejus? Numquid Deus audiet clamorem ejus, cum venerit super eum angustia? Aut poterit in Omnipotente delectari, et invocare Deum omni tempore?

℟. Utinam appenderentur, *p.* 520.

Lectio iij.

DOCEBO vos per manum Dei quæ Omnipotens habeat, nec abscondam. Ecce vos omnes nostis: et quid sine causa vana loquimini? Hæc est pars hominis impii apud Deum, et hæreditas violentorum, quam ab Omnipotente suscipient. Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt, et nepotes ejus non saturabuntur pane. Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu, et viduæ illius non plorabunt.

℟. Quare detraxistis, *p.* 518.

FERIA TERTIA

De libro Job.

Lectio j. Cap. 28.

SAPIENTIA ubi invenitur? et quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium. Abyssus dicit: Non est in me; et mare loquitur: Non est mecum. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro.

℟. Induta est caro, *p.* 518.

Lectio ij.

NON adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri. Excelsa et eminentia non memorabuntur comparatione ejus: trahitur autem sapientia de occultis. Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, nec tincturæ mundissimæ comparabitur. Unde ergo sapientia venit? et quis est locus intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres quoque cæli latet. Perditio et mors dixerunt: Auribus nostris audivimus famam ejus.

℟. Paucitas dierum, *p.* 519.

Lectio iij.

DEUS intelligit viam ejus, et ipse novit locum illius. Ipse enim fines mundi intuetur, et omnia quæ sub cælo sunt, respicit. Qui fecit ventis pondus, et aquas appendit in mensura. Quando ponebat pluviis legem, et viam procellis sonantibus, tunc vidit illam, et enarravit, et præparavit, et investigavit. Et dixit homini: Ecce timor Domini, ipsa est sapientia: et recedere a malo, intelligentia.

℟. Non abscondas me, *p.* 519.

FERIA QUARTA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 31.

PEPIGI fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, et hæreditatem Omnipotens de excelsis? Numquid non perditio est iniquo, et alienatio operantibus injustitiam? Nonne ipse considerat vias meas, et cunctos gressus meos dinumerat? Si ambulavi in vanitate, et festinavit in dolo pes meus, appendat me in statera justa, et sciat Deus simplicitatem meam.

℟. Quis mihi tribuat, *p.* 519.

Lectio ij.

SI declinavit gressus meus de via, et si secutum est oculos meos cor meum, et si manibus meis adhæsit macula, seram, et alius comedat, et progenies mea eradicetur. Si deceptum est cor meum super muliere, et si ad ostium amici mei insidiatus sum, scortum alterius sit uxor mea, et super illam incurventur alii. Hoc enim nefas est, et iniquitas maxima. Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.

Digitized by Google

℟. Utinam appenderentur, *p.* 520.

Lectio iij.

SI contempsi subire judicium cum servo meo, et ancilla mea, cum disceptarent adversum me. Quid enim faciam, cum surrexerit ad judicandum Deus? Et cum quæsierit, quid respondebo illi? Numquid non in utero fecit me, qui et illum operatus est, et formavit me in vulva unus: Si negavi, quod volebant, pauperibus, et oculos viduæ expectare feci: si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea: quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum.

℟. Quare detraxistis, *p.* 518.

FERIA QUINTA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 38.

RESPONDENS autem Dominus Job de turbine, dixit: Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, et responde mihi. Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi, si habes intelligentiam. Quis posuit mensuras ejus, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam? super quo bases illius solidatæ sunt aut quis demisit lapidem angularem ejus, cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei?

℟. Si bona suscepimus, *p.* 518.

Lectio ij.

QUIS conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens: cum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem? Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem, et ostia; et dixi: Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confriuges tumentes fluctus tuos. Numquid post ortum tuum præcepisti diluculo, et ostendisti auroræ locum suum? Et tenuisti concutiens extrema terræ, et excussisti impios ex ea?

℟. Antequam comedam, *p.* 518.

Lectio iij.

RESTITUETUR ut lutum signaculum, et stabit sicut vestimentum. Auferetur ab impiis lux sua, et brachium excelsum confringetur. Numquid ingressus es profunda maris, et in novissimis abyssi deambulasti? Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis, et ostia tenebrosa vidisti? Numquid considerasti latitudinem terræ? Indica mihi, si nosti omnia, in qua via lux habitet, et tenebrarum quis locus sit: ut ducas unumquodque ad terminos suos, et intelligas semitas domus ejus.

℟. Quare detraxistis, *p.* 518.

FERIA SEXTA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 40.

RESPONDENS autem Dominus Job de turbine, dixit: Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, et indica mihi. Numquid irritum facies judicium meum, et condemnabis me, ut tu justificeris? Et si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas? Circumda tibi decorem et in sublime erigere, et esto gloriosus, et speciosis induere vestibus.

℟. Induta est caro, *p.* 518.

Lectio ij.

DISPERGE superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo. Absconde eos in pulvere simul, et facies eorum demerge in foveam. Et ego confitebor quod salvare te possit dextera tua. Ecce Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet. Fortitudo ejus in lumbis ejus, et virtus illius in umbilico ventris ejus.

℟. Paucitas dierum, *p.* 519.

Lectio iij. Cap. 42.

RESPONDENS autem Job Domino, dixit: Scio quia omnia po-

Digitized by Google

tes, et nulla te latet cogitatio. Quis est iste, qui celat consilium absque scientia? Ideo insipienter locutus sum, et quæ ultra modum excederent scientiam meam. Audi, et ego loquar: interrogabo te, et responde mihi. Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere.

℟. Non abscondas me, *p.*519.

SABBATO.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 42.

POSTQUAM autem locutus est Dominus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job. Sumite ergo vobis septem tauros, et septem arietes et ite ad servum meum Job, et offerte holocaustum pro vobis. Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia: neque enim locuti estis ad me recta, sicut servus meus Job.

℟. Quis mihi tribuat, *p.* 519.

Lectio ij.

ABIERUNT ergo Eliphaz Themanites, et Baldad Suhites, et Sophar Naamathites, et fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos, et suscepit Dominus faciem Job. Dominus quoque conversus est ad pœnitentiam Job, cum oraret ille pro amicis suis. Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Job, duplicia. Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, et universæ sorores suæ, et cuncti qui noverant eum prius, et comederunt cum eo panem in domo ejus, et moverunt super eum caput, et consolati sunt eum super omni malo quod intulerat Dominus super eum, et dederunt ei unusquisque ovem unam, et inaurem auream unam.

℟. Utinam appenderentur, *p* 520.

Lectio iij.

DOMINUS autem benedixit novissimis Job magis quam principio ejus. Et facta sunt ei quatuordecim millia ovium, et sex millia camelorum, et mille juga boum, et mille asinæ. Et fuerunt ei septem filii, et tres filiæ. Et vocavit nomen unius Diem, et nomen secundæ Cassiam, et nomen tertiæ Cornustibii. Non sunt autem inventæ mulieres speciosæ sicut filiæ Job in universa terra deditque eis pater suus hæreditatem inter fratres earum. Vixit autem Job post hæc centum quadraginta annis, et vidit filios suos, et filios filiorum suorum, usque ad quartam generationem: et mortuus est senex, et plenus dierum.

℟. Quare detraxistis, *p.* 519.

SABBATO

Ante Dom. III. Septembris.

Ad Magnif. Ant. Ne reminiscaris Domine, delicta mea, vel parentum meorum; neque vindictam sumas de peccatis meis.

DOM. III. SEPTEMBRIS.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Tobiæ.

Lectio j. Cap. 1.

TOBIAS ex tribu et civitate Nephtali, (quæ est in superioribus Galilææ supra Naasson, post viam quæ ducit ad Occidentem, in sinistro habens civitatem Sephet,) cum captus esset in diebus Salmanasar regis Assyriorum, in captivitate tamen positus, viam veritatis non deseruit: ita ut omnia quæ habere poterat, quotidie concaptivis fratribus, qui erant ex ejus genere, impertiret. Cumque esset junior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere.

℟. Peto, Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, aut certe desuper terram eripias me.* Ne reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum, neque vindictam su-

Digitized by Google

mas de peccatis meis : quia eruis sustinentes te, Domine. ℣. Omnia enim judicia tua justa sunt, et omnes viæ tuæ misericordia et veritas: et nunc, Domine, memento mei. Ne.

Lectio ij.

DENIQUE cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium : sed pergebat in Jerusalem ad templum Domini, et ibi adorabat Dominum Deum Israel, omnia primitiva sua et decimas suas fideliter offerens, ita ut in tertio anno proselytis et advenis ministraret omnem decimationem. Hæc et his similia secundum legem Dei puerulus observabat. Cum vero factus esset vir, accepit uxorem Annam de tribu sua, genuitque ex ea filium, nomen suum imponens ei : quem ab infantia timere Deum docuit, et abstinere ab omni peccato.

℟. Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo ut vias tuas dirigat : * Et in omni tempore consilia tua in ipso permaneant. ℣. Inquire ut facias quæ placita sunt illi in veritate, et in tota virtute tua. Et.

Lectio iij.

IGITUR cum per captivitatem devenisset cum uxore sua et filio in civitatem Ninive cum omni tribu sua (cum omnes ederent ex cibis Gentilium) iste custodivit animam suam, et nunquam contaminatus est in escis eorum. Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis ; et dedit illi potestatem quocumque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluisset. Pergebat ergo ad omnes qui erant in captivitate, et monita salutis dabat eis.

℟. Memor esto, fili, quoniam pauperem vitam gerimus : * Habebis multa bona, si timueris Deum. ℣. In mente habeto eum, et cave nequando prætermittas præcepta ejus. Habebis. Gloria. Habebis.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Leonis Papæ.

Serm. 9. de Jejunio vij. *mensis.*

Lectio iv.

SCIO quidem, dilectissimi, plurimos vestrum ita in iis quæ ad observantiam Christianæ fidei pertinent esse devotos, ut nostris cohortationibus non indigeant admoneri. Quod enim dudum et traditio decrevit, et consuetudo firmavit, nec pietas prætermittit. Sed quia sacerdotalis officii est erga omnes Ecclesiæ filios curam habere communem, in id quod et rudibus prosit et doctis, quos simul diligimus, pariter incitamus, ut jejunium, quod nobis septimi mensis recursus indicit, fide alacri per castigationem animi et corporis celebremus.

℟. Sufficiebat nobis paupertas nostra, ut divitiæ computarentur: nunquam fuisset pecunia ipsa pro qua misisti filium nostrum, * Baculum senectutis nostræ. ℣. Heu me, fili mi ! ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum. Baculum.

Lectio v.

IDEO enim ipsa continentiæ observantia quatuor est assignata temporibus, ut in idipsum totius anni redeunte decursu, cognosceremus nos indesinenter purificationibus indigere, semperque esse nitendum, dum hujus vitæ varietate jactamur, ut peccatum quod fragilitate carnis et cupiditatum pollutione contrahitur, jejuniis atque eleemosynis deleatur. Esuriamus paululum, dilectissimi, et aliquantulum, quod juvandis possit prodesse pauperibus, nostræ consuetudini subtrahamus.

℟. Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini ei : * Quia fecit vobiscum misericordiam suam. ℣. Ipsum benedicite, et cantate illi, et enarrate omnia mirabilia ejus. Quia.

Lectio vj.

DELECTETUR conscientia benignorum fructibus largitatis, et

Digitized by Google

gaudia tribuens, quo es lætificandus, accipies. Dilectio proximi, dilectio Dei est, qui plenitudinem legis et Prophetarum in hac geminæ charitatis unitate constituit: ut nemo ambigeret, Deo se offerre, quod homini contulisset, dicente Domino Salvatore, cum de alendis juvandisque pauperibus loqueretur: Quod uni eorum fecistis, mihi fecistis. Quarta igitur et sexta Feria jejunemus: sabbato vero apud beatum Petrum Apostolum vigilias celebremus: cujus nos meritis et orationibus credimus adjuvandos, ut misericordi Deo jejunio nostro et devotione placeamus.

℟. Tempus est ut revertar ad eum qui misit me: * Vos autem benedicite Deum, et enarrate omnia mirabilia ejus, ℣. Confitemini ei coram omnibus viventibus, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Vos. Glocia. Vos.

℟. *vij*. Tribulationes civitatum audivimus, quas passæ sunt, et defecimus: timor et hebetudo mentis cecidit super nos et super liberos nostros: ipsi montes nolunt recipere fugam nostram. * Domine, miserere. ℣. Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Domine.

℟. *viij*. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: * Plena est omnis terra gloria ejus. ℣. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus: et hi tres unum sunt. Sanctus. ℟ loria. Plena.

FERIA SECUNDA.

De libro Tobiæ.

Lectio j. Cap. 2.

POST hæc vero, cum esset dies festus Domini, et factum esset prandium bonum in domo Tobiæ, dixit filio suo: Vade, et adduc aliquos de tribu nostra, timentes Deum, ut epulentur nobiscum. Cumque abiisset, reversus nuntiavit ei unum ex filiis Israel jugulatum jacere in platea. Statimque exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, jejunus pervenit ad corpus: tollensque illud portavit ad domum suam occulte, ut, dum sol occubuisset, caute sepeliret eum.

℟. Peto Domine, *p.* 526.

Lectio ij.

ARGUEBANT autem eum omnes proximi ejus, dicentes: Jam hujus rei causa interfici jussus es, et vix effugisti mortis imperium, et iterum sepelis mortuos? Sed Tobias plus timens Deum quam regem, rapiebat corpora occisorum, et occultabat in domo sua, et mediis noctibus sepeliebat ea. Contigit autem ut quadam die fatigatus a sepultura, veniens in domum suam jactasset se juxta parietem, et obdormisset, et ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos ejus, fieretque cæcus. Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut et sancti Job.

℟. Omni tempore, *p.* 527.

Lectio iij.

NAM cum ab infantia sua semper Deum timuerit, et mandata ejus custodierit, non est contristatus contra Deum quod plaga cæcitatis evenerit ei: sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ. Nam sicut beato Job insultabant reges, ita isti parentes et cognati ejus irridebant vitam ejus dicentes: Ubi est spes tua, pro qua eleemosynas et sepulturas faciebas? Tobias vero increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui, quoniam filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.

℟. Memor esto fili, *p.* 527.

FERIA TERTIA.

De libro Tobiæ.

Lectio j. Cap. 2. *et* 3.

ANNA vero uxor ejus ibat ad opus textrinum quotidie, et de labore manuum suarum victum, quem

Digitized by Google

consequi poterat, deferebat. Unde factum est ut hœdum caprarum accipiens detulisset domi, cujus cum vocem balantis vir ejus audisset, dixit: Videte ne forte furtivus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.

℟. Sufficiebat nobis, *p.* 527.

Lectio ij.

AD hæc uxor ejus irata respondit: Manifeste vana facta est spes tua, et eleemosynæ tuæ modo apparuerunt. Atque his et aliis hujuscemodi verbis exprobrabat ei. Tunc Tobias ingemuit, et cœpit orare cum lacrymis, dicens: Justus es, Domine, et omnia judicia tua justa sunt, et omnes viæ tuæ misericordia, et veritas, et judicium. Et nunc, Domine, memor esto mei, et ne vindictam sumas de peccatis meis neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum.

℟. Benedicite Deum, *p.* 527.

Lectio iij.

QUONIAM non obedivimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, et captivitatem, et mortem: et in fabulam, et in improperium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos. Et nunc, Domine, magna judicia tua, quia non egimus secundum præcepta tua, et non ambulavimus sinceriter coram te. Et nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum, et præcipe in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis quam vivere.

℟. Tempus est, ut, *p.* 528.

FERIA QUARTA

Quatuor Temp. Septembris.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio j. Cap. 9.

IN illo tempore: Respondens unus de turba, dixit ad Jesum: Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum. Et reliqua.

Homilia ven. Bedæ Presbyteri.

Lib. 3. cap. 38. in Marc. 9.

DÆMONIACUM hunc, quem descendens de monte Dominus sanavit, Marcus quidem surdum mutumque, Matthæus vero lunaticum fuisse commemorat. Significat autem eos de quibus scriptum est: Stultus ut luna mutatur. Qui nunquam in eodem statu permanentes, nunc ad hæc, nunc ad illa vitia mutati, crescunt atque decrescunt. Qui muti sunt, non confitendo fidem: surdi, nec ipsum aliquatenus veritatis audiendo sermonem. Spumant autem, cum stultitia tabescunt. Stultorum namque, et languentium, atque hebetum est spumas salivarum ex ore dimittere. Strident dentibus, cum iracundiæ furore flammescunt: arescunt, cum otio torpente languescunt, et nulla virtutis industria confortati enerviter vivunt.

℟. Tribulationes, *p.* 528.

Lectio ij.

QUOD autem ait: Et dixi discipulis tuis ut ejicerent illum, et non potuerunt: latenter Apostolos accusat, cum impossibilitas curandi, interdum non ad imbecillitatem curantium, sed ad eorum qui curandi sunt, fidem referatur, dicente Domino: fiat tibi secundum fidem tuam. Qui respondens eis, dixit: O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? Non quod tædio superatus sit mansuetus ac mitis, qui non aperuit sicut agnus coram tondente os suum, nec in verba furoris erupit: sed quod in similitudinem medici, si ægrotum videat contra sua præcepta se gerere, dicat: Usquequo accedam ad domum tuam? quousque artis meæ perdam industriam, me aliud jubente, et te aliud perpetrante?

℟. Omni tempore, *p.* 527.

Lectio iij.

ET dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio. Dum docet Apostolos quo-

Digitized by Google

modo dæmon nequissimus debeat expelli, omnes instituit ad vitam, ut scilicet noverimus gravissima quæque vel immundorum spirituum vel hominum tentamenta, jejuniis et orationibus esse superanda: iram quoque Domini, cum in ultionem nostrorum scelerum fuerit accensa, hoc remedio singulari posse placari. Jejunium autem generale est, non solum ab escis, sed et a cunctis illecebris abstinere carnalibus, imo ab omnibus vitiorum continere se passionibus. Sic et oratio generalis non in verbis solum est, quibus divinam clementiam invocamus, verum etiam in omnibus quæ in obsequium nostri Conditoris fidei devotione gerimus.

℟. Memor esto fili, *p.* 527.

Ad Bened. Ant. Hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio.

Preces ut in Psalt., p. 41.

Oratio.

MISERICORDIÆ tuæ remediis, quæsumus, Domine, fragilitas nostra subsistat: ut quæ sua conditione atteritur, tua clementia repararetur. Per Dominum.

Et dicitur per Horas tantum. Ad Vesp., si fit de Feria, Preces fer. et Oratio Dom. præced.

FERIA QUINTA.

De libro Tobiæ.

Lectio j. Cap. xx.

VOCAVIT ad se Tobias filium sum, dixitque ei: Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum? Respondens Tobias, dixit patri suo: Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? Me duxit et reduxit sanum, pecuniam a Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit, et dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus ejus fecit, meipsum a devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli, et bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare? Sed peto te, pater mi, ut roges eum, si forte dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata sunt, sibi assumere.

℟. Peto Domine, *p.* 526.

Lectio ij.

ET vocantes eum, pater scilicet et filius, tulerunt eum in partem, et rogare cœperunt ut dignaretur dimidiam partem omnium quæ attulerant, acceptam habere. Tunc dixit eis occulte: Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Etenim sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est. Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna magis quam thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna a morte liberat: et ipsa est quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam. Qui autem faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.

℟. Omni tempore, *p.* 527.

Lectio iij.

MANIFESTO ergo vobis veritatem, et non abscondam a vobis occultum sermonem. Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepelichas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. Et nunc misit me Dominus ut curarem te, et Saram uxorem filii tui a dæmonio liberarem. Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex septem, qui astamus ante Dominum. Cumque hæc audissent, turbati sunt, et trementes ceciderunt super terram in faciem suam. Dixitque eis Angelus: Pax vobis, nolite timere.

℟. Memor esto fili, *p.* 527.

FERIA SEXTA

Quatuor Temporum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio j. Cap. 7.

IN illo tempore : Rogabat Iesum quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi, discubuit. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homil. 33. *in Evangelia.*

QUEM Pharisæus de falsa justitia præsumens, nisi Judaicum populum, quem peccatrix mulier ad vestigia Domini veniens et plorans, nisi conversam Gentilitatem designat? Quæ cum alabastro venit, unguentum fudit, retro secus pedes Domini stetit, lacrymis pedes rigavit, capillis tersit, eosdemque quos infundebat et tergebat, pedes osculari non desiit. Nos ergo, nos illa mulier expressit, si toto corde ad Dominum post peccata redeamus, si ejus pœnitentiæ luctus imitemur. Quid namque unguento, nisi bonæ odor opinionis exprimitur? Unde et Paulus dicit : Christi bonus odor sumus Deo in omni loco.

℣. Sufficiebat nobis, *p.* 527.

Lectio ij.

SI ergo recta opera agimus, quibus opinionis bonæ odore Ecclesiam respergamus, quid in Domini corpore, nisi unguentum fundimus? Sed secus pedes Jesu mulier stetit; contra pedes enim Domini stetimus, cum in peccatis positi ejus tineribus renitebamur. Sed si ad veram pœnitentiam post peccata convertimur, jam retro secus pedes stamus : quia ejus vestigia sequimur, quem impugnabamus. Lacrymis mulier pedes ejus rigat; quod nos quoque veraciter agimus, si quibuslibet ultimis membris Domini per compassionis affectum inclinamur, si sanctis ejus in tribulatione compatimur, si eorum tristitiam, nostram putamus.

℣. Benedicite Deum, *p.* 527.

Lectio iij.

CAPILLIS ergo pedes Domini tergimus, quando sanctis ejus, quibus ex charitate compatimur, etiam ex his, quæ nobis superfluunt, miseremur : quatenus sic mens per compassionem doleat, ut etiam larga manus affectum doloris ostendat. Rigat namque lacrymis Redemptoris pedes, sed capillis suis non tergit, qui utcumque proximorum dolori compatitur, sed tamen eis ex his, quæ sibi superfluunt, non miseretur. Plorat, et non tergit, qui verba quidem doloris tribuit, sed non ministrando quæ desunt, vim doloris minime abscindit. Osculatur mulier pedes, quos tergit : quod nos quoque plene agimus, si studiose diligimus, quos ex largitate continemus : ne gravis nobis sit necessitas proximi : ne ipsa nobis ejus indigentia, quæ sustentatur, fiat onerosa : et cum manus necessaria tribuit, animus a dilectione torpescat

℣. Tempus est ut, *p.* 528.

Ad Bened. Ant. Mulier quæ erat in civitate peccatrix, stans retro secus pedes Domini, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, deosculabatur pedes ejus, et unguento ungebat.

Preces ut in Psalt. p. 41.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut observationes sacras annua devotione recolentes, et corpore tibi placeamus et mente. Per Dominum.

In Vesp. si fiat de Feria, Preces fer. et Oratio Dom. præced.

SABBATO

Quatuor Temporum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio j. Cap. 13.

IN illo tempore : dicebat Jesus turbis hanc similitudinem : Arborem fici habebat quidam plantatam in vi-

Digitized by Google

nea sua, et venit quærens fructum in illa, et non invenit. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homil. 31. *in Evangelia.*

DOMINUS ac Redemptor noster per Evangelium suum aliquando verbis, aliquando rebus loquitur; aliquando aliud verbis, atque aliud rebus; aliquando autem hoc verbis, quod rebus. Duas etenim res ex Evangelio, fratres, audistis: ficulneam infructuosam, et mulierem curvam; et utrique rei est pietas impensa. Illud autem dixit per similitudinem, istud egit per exhibitionem. Sed hoc significat ficulnea infructuosa, quod mulier inclinata, et hoc ficulnea reservata quod mulier erecta.

℟. Tribulationes, *p.* 528.

Lectio ij.

QUID arbor fici, nisi humanam naturam designat? Quid mulier inclinata, nisi eamdem naturam significando denuntiat? Quæ et bene plantata est sicut ficus, et bene creata sicut mulier: sed in culpam propria sponte lapsa, neque fructum servat operationis, neque statum rectitudinis. Ad peccatum quippe ex voluntate corruens, quia fructum obedientiæ ferre noluit, statum rectitudinis amisit. Quæ ad Dei similitudinem condita, dum in sua dignitate non perstitit, quod plantata vel creata fuerat, servare contempsit. Tertio dominus vineæ ad ficulneam venit, quia naturam generis humani ante legem, sub lege, sub gratia, expectando, admonendo, visitando requisivit.

℟. Omni tempore, *p.* 527.

Lectio iij.

VENIT ante legem, quia per naturalem intellectum quid unusquisque exemplo sui, qualiter erga proximum agere debuisset, innotuit. Venit in lege, quia præcipiendo docuit. Venit post legem per gratiam, quia pietatis suæ præsentiam exhibendo monstravit. Sed tamen in tribus annis fructum se non invenisse conqueritur: quia quorumdam pravorum mentes nec inspirata lex naturalis corrigit, nec præcepta eruditunt nec incarnationis ejus miracula convertunt. Quid vero per cultorem vineæ, nisi præpositorum ordo exprimitur? Qui dum præsunt Ecclesiæ, nimirum Dominicæ vineæ curam gerunt.

℟. Memor esto fili, *p.* 527.

Ad Bened. Ant. Illuminare, Domine, iis qui in tenebris sedent, et dirige pedes nostros in viam pacis, Deus Israel.

Preces ut in Psalt. p. 41.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui per continentiam salutarem corporibus mederis et mentibus, majestatem tuam supplices exoramus, ut pia jejunantium deprecatione placatus, et præsentia nobis subsidia tribuas et futura. Per Dominum.

SABBATO

Ante Dom. IV. Septembris.

Ad Magnif. Ant. Adonai Domine Deus magne et mirabilis, qui dedisti salutem in manu feminæ, exaudi preces servorum tuorum.

DOM. IV. SEPTEMBRIS.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Judith.

Lectio j. Cap. 1. et 2.

ARPHAXAD itaque rex Medorum subjugaverat multas gentes imperio suo, et ipse ædificavit civitatem potentissimam, quam appellavit Ecbatanis, ex lapidibus quadratis et sectis; fecit muros ejus in latitudinem cubitorum septuaginta, et in altitudinem cubitorum triginta, turres vero ejus posuit in altitudinem cubitorum centum. Per quadrum vero earum latus utrumque vicenorum pedum spatio tendebatur, posuitque portas ejus in altitudinem turrium. Et gloriabatur quasi potens in poten-

Digitized by Google

lia exercitus sui, et in gloria quadrigarum suarum.

℟. Adonai Domine Deus magne et mirabilis, qui dedisti salutem in manu feminæ, * Exaudi preces servorum tuorum. ℣. Benedictus es, Domine, qui non derelinquis præsumentes de te, et de sua virtute gloriantes humilias. Exaudi.

Lectio ij.

ANNO igitur duodecimo regni sui, Nabuchodonosor rex Assyriorum, qui regnabat in Ninive civitate magna, pugnavit contra Arphaxad, et obtinuit eum in campo magno, qui appellatur Ragau, circa Euphratem, et Tigrin, et Jadason, in campo Erioch regis Elicorum. Tunc exaltatum est regnum Nabuchodonosor, et cor ejus elevatum est; et misit ad omnes qui habitabant in Cilicia, et Damasco, et Libano, et ad gentes quæ sunt in Carmelo, et Cedar, et inhabitantes Galilæam in campo magno Esdrelon, et ad omnes qui erant in Samaria, et trans flumen Jordanem usque ad Jerusalem, et omnem terram Jesse, quousque perveniatur ad terminos Æthiopiæ.

℟. Tribulationes civitatum audivimus, quas passæ sunt, et defecimus: timor et hebetudo mentis cecidit super nos, et super liberos nostros: ipsi montes nolunt recipere fugam nostram. * Domine, miserere. ℣. Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Domine.

Lectio iij.

AD hos omnes misit nuntios Nabuchodonosor rex Assyriorum qui omnes uno animo contradixerunt, et remiserunt eos vacuos, et sine honore abjecerunt. Tunc indignatus Nabuchodonosor rex adversus omnem terram illam, juravit per thronum et regnum suum, quod defenderet se de omnibus regionibus his. Anno tertiodecimo Nabuchodonosor regis, vigesima et secunda die mensis primi, factum est verbum in domo Nabuchodonosor regis Assyriorum ut defenderet se. Vocavitque omnes majores natu, omnesque duces, et bellatores suos, et habuit cum eis mysterium consilii sui; dixitque cogitationem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugaret imperio.

℟. Benedicat te Dominus in virtute sua, qui per te ad nihilum redegit inimicos nostros: * Ut non deficiat laus tua de ore hominum ℣. Benedictus Dominus, qui creavit cœlum et terram, quia hodie nomen tuum ita magnificavit. Ut. Gloria. Ut.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Ambrosii Episcopi de Elia et jejunio.

Lectio iv. Cap. 9.

POTENTES vinum prohibentur bibere, ne cum biberint, obliviscantur sapientiam. Denique bibebant vinum in ebrietate potentes, qui Holoferni principi militiæ regis Assyriorum se tradere gestiebant; sed non bibebat femina Judith, jejunans omnibus diebus viduitatis suæ, præter festorum dierum solemnitates. His armis munita processit, et omnem Assyriorum circumvenit exercitum. Sobrii vigore consilii abstulit Holofernis caput, servavit pudicitiam, victoriam reportavit.

℟. Nos alium Deum nescimus præter Dominum, in quo speramus, * Qui non despicit nos, nec amovet salutem suam a genere nostro. ℣. Indulgentiam ipsius fusis lacrymis postulemus, et humiliemus illi animas nostras. Qui.

Lectio v.

HÆC enim succincta jejunio in castris prætendebat alienis: ille vino sepultus jacebat, ut ictum vulneris sentire non posset. Itaque unius mulieris jejunium innumeros stravit exercitus Assyriorum. Esther quoque pulchrior facta est jejunio; Dominus enim gratiam sobriæ mentis augebat. Omne genus suum, id est, totum

Digitized by Google

populum Judæorum a persecutionis acerbitate liberavit, ita ut regem sibi faceret esse subjectum.

℟. Dominator Domine cœlorum et terræ, creator aquarum, rex universæ creaturæ, * Exaudi orationem servorum tuorum, ℣. Tu, Domine, cui humilium semper et mansuetorum placuit deprecatio. Exaudi.

Lectio vj.

ITAQUE illa quæ triduo jejunavit continuo, et corpus suum aqua lavit, plus placuit, et vindictam retulit. Aman autem, dum se regali jactat convivio, inter ipsa vina pœnam suæ ebrietatis exolvit. Est ergo jejunium reconciliationis sacrificium, virtutis incrementum, quod fecit etiam feminas fortiores augmento gratiæ. Jejunium nescit fœneratorem, non sortem fœnoris novit; non redolet usuras mensa jejunantium: etiam ipsis jejunium conviviis dat gratiam. Dulciores post famem epulæ fiunt, quæ assiduitate fastidio sunt, et diuturna continuatione vilescunt. Condimentum cibi jejunium est. Quanto avidior appetentia, tanto esca jucundior.

℟. Domine Deus, qui conteris bella ab initio, eleva brachium tuum super gentes, quæ cogitant servis tuis mala:* Et dextera tua glorificetur in nobis. ℣. Allide virtutem eorum in virtute tua: cadat robur eorum in iracundia tua. Et. Gloria. Et.

℟. *vij*. Conforta me, Rex, sanctorum principatum tenens,* Et da sermonem rectum et bene sonantem in os meum. ℣. Domine Rex universæ potestatis, converte consilium eorum super eos. Et.

℟. *viij*. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth:* Plena est omnis terra gloria ejus. ℣. Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus: et hi tres unum sunt. Sanctus. Gloria. Plena.

FERIA SECUNDA

De libro Judith.

Lectio j. Cap. 4.

FILII Israel, qui habitabant in terra Iuda, timuerunt valde a facie Holofernis. Tremor et horror invasit sensus eorum, ne hoc faceret Jerusalem et templo Domini, quod fecerat cæteris civitatibus et templis earum. Et miserunt in omnem Samariam per circuitum usque Jericho, et præoccupaverunt omnes vertices montium, et muris circumdederunt vicos suos, et congregaverunt frumenta in præparationem pugnæ.

℟. Adonai Domine, *p.* 533.

Lectio ij.

SACERDOS etiam Eliachim scripsit ad universos qui erant contra Esdrelon, quæ est contra faciem campi magni juxta Dothain, et universos per quos viæ transitus esse poterat, ut obtinerent ascensus montium per quos via esse poterat ad Jerusalem, et illic custodirent, ubi angustum iter esse poterat inter montes. Et fecerunt filii Israel secundum quod constituerat eis sacerdos Domini Eliachim. Et clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna, et humiliaverunt animas suas in jejuniis, et orationibus, ipsi et mulieres eorum.

℟. Tribulationes, *p.* 533.

Lectio iij.

ET induerunt se sacerdotes ciliciis, et infantes prostraverunt contra faciem templi Domini, et altare Domini operuerunt cilicio, et clamaverunt ad Dominum Deum Israel unanimiter, ne darentur in prædam infantes eorum, et uxores eorum in divisionem, et civitates eorum in exterminium, et sancta eorum in pollutionem, et fierent opprobrium Gentibus. Tunc Eliachim, sacerdos Domini magnus, circuivit omnem Israel, allocutusque est eos, dicens: Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis et orationibus in conspectu Domini.

Digitized by Google

℟. Benedicat te, *p.* 533.

FERIA TERTIA

De libro Judith.

Lectio j. Cap. 8.

ET factum est, cum audisset hæc verba Judith vidua, quæ erat filia Merari, filii Idox, filii Joseph, filii Oziæ, filii Elai, filii Jamnor, filii Gedeon, filii Raphaim, filii Achitob, filii Melchiæ, filii Enan, filii Nathaniæ, filii Salathiel, filii Simeon, filii Ruben: et vir ejus fuit Manasses, qui mortuus est in diebus messis hordeaceæ: instabat enim super alligantes manipulos in campo, et venit æstus super caput ejus, et mortuus est in Bethulia civitate sua, et sepultus est illic cum patribus suis. Erat autem Judith relicta ejus vidua jam annis tribus, et mensibus sex.

℟. Nos alium Deum, *p.* 533.

Lectio ij.

ET in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, et habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, et neomenias, et festa domus Israel. Erat autem eleganti aspectu nimis; cui vir suus reliquerat divitias multas, et familiam copiosam, ac possessiones armentis boum et gregibus ovium plenas. Et erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.

℟. Dominator Domine, *p.* 534.

Lectio iij.

HÆC itaque cum audisset, quoniam Ozias promisisset quod transacto quinto die traderet civitatem, misit ad presbyteros Chabri et Charmi. Et venerunt ad illam, et dixit illis: Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, ut tradat civitatem Assyriis, si intra quinque dies non venerit vobis adjutorium? Et qui estis vos, qui tentatis Dominum?

℟. Domine Deus, *p.* 534.

FERIA QUARTA.

De libro Judith.

Lectio j. Cap. 10.

FACTUM est autem, cum cessasset clamare ad Dominum, surrexit de loco, in quo jacuerat prostrata ad Dominum. Vocavitque abram suam, et descendens in domum suam, abstulit a se cilicium, et exuit se vestimentis viduitatis suæ: et lavit corpus suum, et unxit se myro optimo, et discriminavit crinem capitis sui, et imposuit mitram super caput suum, et induit se vestimentis jucunditatis suæ, induitque sandalia pedibus suis, assumpsitque dextraliola, et lilia, et inaures, et annulos, et omnibus ornamentis suis ornavit se. Cui etiam Dominus contulit splendorem.

℟. Conforta me Rex, *p.* 534.

Lectio ij.

FACTUM est autem cum descenderet montem, circa ortum diei, occurrerunt ei exploratores Assyriorum, et tenuerunt eam, dicentes: Unde venis? aut quo vadis? Quæ respondit: Filia sum Hebræorum; ideo ego fugi a facie eorum, quoniam futurum agnovi quod dentur vobis in deprædationem, pro eo quod contemnentes vos, noluerunt ultro tradere seipsos, ut invenirent misericordiam in conspectu vestro.

℟. Tribulationes, *p.* 533.

Lectio iij.

DUXERUNTQUE illam ad tabernaculum Holofernis, annuntiantes eam. Cumque intrasset ante faciem ejus, statim captus est in suis oculis Holofernes. Dixeruntque ad eum satellites ejus: Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his merito pugnare contra eos debeamus? Videns itaque Judith Holofernem sedentem in conopæo, quod erat ex purpura, et auro, et smaragdo, et lapidibus pretiosis intextum, et cum

Digitized by Google

in faciem ejus intendisset, adoravit eum prosternens se super terram.

℟. Benedicat te, *p.* 533.

FERIA QUINTA.

Si hæc fuerit ultima Hebd. Septembris, hac nocte ponitur liber Esther cum sua historia, ut infra in Dom. V. hujus mensis, et legitur de eo etiam duobus seq. diebus. Quod si hoc triduo non occurrat Feria, in qua possint poni ℟℟., eo anno omittuntur.

Si vero non fuerit ultima Hebd. leguntur sequentes Lectiones.

De libro Judith.

Lectio j. Cap. 12.

ET factum est, in quarto die Holofernes fecit cænam servis suis, et dixit ad Vagao eunuchum suum: Vade, et suade Hebræam illam, ut sponte consentiat habitare mecum. Fœdum est enim apud Assyrios, si femina irrideat virum, agendo ut immunis ab eo transeat. Tunc introivit Vagao ad Judith, et dixit: Non vereatur bona puella introire ad dominum meum, ut honorificetur ante faciem ejus, ut manducet cum eo, et bibat vinum in jucunditate. Cui Judith respondit: Quæ ego sum, ut contradicam domino meo?

℟. Adonai Domine, *p.* 533.

Lectio ij. Cap. 13.

UT autem sero factum est, festinaverunt servi illius ad hospitia sua, et conclusit Vagao ostia cubiculi, et abiit. Erant autem omnes fatigati a vino, eratque Judith sola in cubiculo. Porro Holofernes jacebat in lecto, nimia ebrietate sopitus. Dixitque Judith puellæ suæ ut staret foris ante cubiculum, et observaret. Stetitque Judith ante lectum, orans cum lacrymis et labiorum motu in silentio, dicens: Confirma me, Domine Deus Israel, et respice in hac hora ad opera manuum mearum, ut, sicut promisisti, Jerusalem civitatem tuam erigas, et hoc quod credens per te posse fieri cogitavi, perficiam.

℟. Tribulationes, *p.* 533.

Lectio iij.

ET cum hæc dixisset, accessit ad columnam, quæ erat ad caput lectuli ejus, et pugionem ejus, qui in ea ligatus pendebat, exolvit. Cumque evaginasset illum, apprehendit comam capitis ejus, et ait: Confirma me, Domine Deus, in hac hora. Et percussit bis in cervicem ejus, et abscidit caput ejus, et abstulit conopæum ejus a columnis, et evolvit corpus ejus truncum. Et post pusillum exivit, et tradidit caput Holofernis ancillæ suæ, et jussit ut mitteret illud in peram suam.

℟. Benedicat te, *p.* 533.

FERIA SEXTA.

De libro Judith.

Lectio j. Cap. 15.

CUMQUE omnis exercitus decollatum Holofernem audisset, fugit mens et consilium ab eis, et solo tremore et metu agitati, fugæ præsidium sumunt, ita ut nullus loqueretur cum proximo suo: sed inclinato capite, relictis omnibus, evadere festinabant Hebræos, quos armatos super se venire audiebant, fugientes per vias camporum et semitas collium. Videntes itaque filii Israel fugientes secuti sunt illos. Descenderuntque clangentes tubis, et ululantes post ipsos.

℟. Nos alium Deum, *p.* 533.

Lectio ij.

MISIT itaque Ozias nuntios per omnes civitates et regiones Israel. Omnis itaque regio, omnisque urbs electam juventutem armatam misit post eos, et persecuti sunt eos in ore gladii, quousque pervenirent ad extremitatem finium suorum. Reliqui autem qui erant in Bethulia, ingressi sunt castra Assyriorum, et prædam, quam fugientes Assyrii reliquerant, abstulerunt, et onustati sunt valde.

℟. Dominator Domine, *p.* 534.

Lectio iij.

JOACHIM autem summus Pontifex de Jerusalem venit in Bethu-

Digitized by Google

liam cum universis presbyteris suis, ut videret Judith. Quæ cum exisset ad illum, benedixerunt eam omnes una voce, dicentes: Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, et post virum tuum, alterum nescieris: ideo et manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in æternum. Et dixit omnis populus: Fiat, fiat.

℟. Domine Deus, *p.* 534.

SABBATO.

De libro Judith.

Lectio j. Cap. 16.

ET factum est post hæc, omnis populus post victoriam venit in Jerusalem adorare Dominum: et mox ut purificati sunt, obtulerunt omnes holocausta, et vota, et repromissiones suas. Porro Judith universa vasa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, et conopœum quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema oblivionis.

℟. Conforta me Rex, *p.* 534.

Lectio ij.

ERAT autem populus jucundus secundum faciem sanctorum, et per tres menses gaudium hujus victoriæ celebratum est cum Judith. Post dies autem illos unusquisque rediit in domum suam, et Judith magna facta est in Bethulia, et præclarior erat universæ terræ Israel. Erat etiam virtuti castitas adjuncta, ita ut non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir ejus. Erat autem diebus festis procedens cum magna gloria.

℟. Tribulationes, *p.* 533.

Lectio iij.

MANSIT autem in domo viri sui annos centum quinque, et dimisit abram suam liberam, et defuncta est, ac sepulta cum viro suo in Bethulia. Luxitque illam omnis populus diebus septem. In omni autem spatio vitæ ejus non fuit qui perturbaret Israel, et post mortem ejus annis multis. Dies autem victoriæ hujus festivitatis ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, et colitur a Judæis ex illo tempore usque in præsentem diem.

℟. Benedicat te, *p.* 533.

SABBATO

Ante Dom. V. Septembris.

Ad Magnif. Ant. Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati.

DOM. V. SEPTEMBRIS

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Esther.

Lectio j. Cap. I.

IN diebus Assueri, qui regnavit ab India usque Æthiopiam super centum viginti septem provincias, quando sedit in solio regni sui, Susan civitas regni ejus exordium fuit. Tertio igitur anno imperii sui fecit grande convivium cunctis principibus, et pueris suis, fortissimis Persarum, et Medorum inclytis, et præfectis provinciarum coram se, ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, atque jactantiam potentiæ suæ, multo tempore, centum videlicet et octoginta diebus.

℟. Domine mi Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita; et non est qui possit resistere voluntati tuæ: * Libera nos propter nomen tuum. ℣. Exaudi orationem nostram, et converte luctum nostrum in gaudium. Libera.

Lectio ij.

CUMQUE implerentur dies convivii, invitavit omnem populum, qui inventus est in Susan, a maximo usque ad minimum; et jussit septem diebus convivium præparari in vestibulo horti, et nemoris, quod regio cultu et manu consitum erat. Et pendebant ex omni parte tentoria aerii coloris, et carbasini ac hyacinthini,

Digitized by Google

sustentata funibus byssinis atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant, et columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei et argentei super pavimentum smaragdino et pario stratum lapide, dispositi erant: quod mira varietate pictura decorabat.

℟. Conforta me, Rex, sanctorum principatum tenens, * Et da sermonem rectum et bene sonantem in os meum. ℣. Domine Rex universæ potestatis, converte consilium eorum super eos. Et.

Lectio iij.

BIBEBANT autem qui invitati erant, aureis poculis, et aliis atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum quoque, ut magnificentia regia dignum erat, abundans et præcipuum ponebatur. Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, sed sicut rex statuerat, præponens mensis singulos de principibus suis, ut sumeret unusquisque quod vellet. Vasthi quoque regina fecit convivium feminarum in palatio, ubi rex Assuerus manere consueverat.

℟. Spem in alium nunquam habui, præterquam in te, Deus Israel: * Qui irasceris, et propitius eris, et omnia peccata hominum in tribulatione dimittis. ℣. Domine Deus creator cœli et terræ respice ad humilitatem nostram. Qui. Gloria. Qui.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro Officiorum S. Ambrosii Episcopi.

Lectio iv. *Lib.* 3. c. 15.

QUID Esther regina? nonne ut populum suum periculo erueret (quod erat decorum atque honestum,) morti se obtulit, nec immitis regis trepidavit furorem? Ipse quoque rex Persarum ferox atque tumido corde, tamen decorum judicavit, indici insidiarum quæ sibi paratæ forent, gratiam repræsentare, populumque liberum a servitute eripere, eruere neci, nec parcere neci ejus qui tam indecora suasisset. Denique quem secundum a se, ac præcipuum inter omnes amicos haberet, cruci tradidit, quod dehonestatum se ejus fraudulentis consiliis animadvertisset.

℟. Memento mei, Domine Deus, in bonum: * Et ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei, et in cæremoniis ejus. ℣. Recordare mei, Domine Deus meus. Et.

Lectio v. Cap. 16.

EA enim amicitia probabilis, quæ honestatem tuetur, præferenda sane opibus, honoribus, potestatibus; honestati vero præferri non solet, sed honestatem sequi. Qualis fuit Jonathæ, qui pro pietate nec offensam patris, nec salutis periculum refugiebat. Qualis fuit Achimelech, qui pro hospitalis gratiæ officiis necem potius sibi, quam proditionem fugientis amici, subeundam arbitrabatur. Nihil igitur præferendum honestati: quæ tamen ne amicitiæ studio prætereatur, etiam hoc Scriptura admonet.

℟. Tribulationes civitatum audivimus, quas passæ sunt, et defecimus: timor et hebetudo mentis cecidit super nos, et super liberos nostros: ipsi montes nolunt recipere fugam nostram: * Domine, miserere. ℣. Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Domine.

Lectio vj.

SUNT enim pleræque Philosophorum quæstiones: Utrum amici causa quisquam contra patriam sentire, necne, debeat, ut amico obediat: utrum oporteat ut fidem deserat, dum indulget atque intendit amici commoditatibus. Et Scriptura quidem ait: Clava, et gladius, et sagitta ferrata: sic homo est testimonium dans falsum adversus amicum suum. Sed considera quid adstruat. Non testimonium reprehendit dictum in amicum, sed falsum testimonium. Quid enim si Dei causa, quid si patriæ, cogatur aliquis dicere testimonium? Numquid præponde-

Digitized by Google

rare debet amicitia religioni, præponderare charitati vitium ?

℟. Benedicat te Dominus in virtute sua, qui per te ad nihilum redegit inimicos nostros : * Ut non deficiat laus tua de ore hominum. ℣ Benedictus Dominus, qui creavit cœlum et terram, quia hodie nomen tuum ita magnificavit. —Ut. Gloria. Ut.

℟. *vij*. Nos alium Deum nescimus præter Dominum, in quo speramus: * Qui non despicit nos, nec amovet salutem suam a genere nostro. ℣ Indulgentiam ipsius fusis lacrymis postulemus; et humiliemus illi animas nostras. — Qui.

℟. *viij*. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum : * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: * Plena est omnis terra gloria ejus. ℣ Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus : et hi tres unum sunt. — Sanctus. Gloria. Plena.

FERIA SECUNDA.

De libro Esther.

Lectio j. Cap. 1.

ERAT vir Judæus in Susan civitate, vocabulo Mardochæus, filius Jair, filii Semei, filii Cis, de stirpe Jemini, qui translatus fuerat de Jerusalem eo tempore, quo Jechoniam regem Juda Nabuchodonosor rex Babylonis transtulerat, qui fuit nutritius filiæ fratris sui Edissæ, quæ altero nomine vocabatur Esther : et utrumque parentem amiserat : pulchra nimis, et decora facie. Mortuisque patre ejus ac matre, Mardochæus sibi eam adoptavit in filiam.

℟. Domine mi Rex, *p.* 537.

Lectio ij.

CUMQUE percrebuisset regis imperium, et juxta mandatum illius multæ pulchræ virgines adducerentur Susan, et Egeo traderentur Eunucho; Esther quoque inter cæteras puellas ei tradita est, ut servaretur in numero feminarum. Quæ placuit ei, et invenit gratiam in conspectu illius. Et præcepit eunucho, ut acceleraret mundum muliebrem, et traderet ei partes suas, et septem puellas speciosissimas de domo regis, et tam ipsam quam pedissequas ejus ornaret atque excoleret. Quæ noluit indicare ei populum et patriam suam: Mardochæus enim præceperat ei, vt de hac re omnino reticeret. Qui deambulabat quotidie ante vestibulum domus, in qua electæ virgines servabantur, curam agens salutis Esther.

℟. Confortа me, Rex, *p.* 534.

Lectio iij.

EVOLUTO autem tempore per ordinem, instabat dies, quo Esther filia Abihail fratris Mardochæi, quam sibi adoptaverat in filiam, deberet intrare ad regem. Quæ non quæsivit muliebrem cultum, sed quæcumque voluit Egeus eunuchus custos virginum, hæc ei ad ornatum dedit. Erat enim formosa valde, et incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur. Ducta est itaque ad cubiculum regis Assueri mense decimo, qui vocatur Tebeth, septimo anno regni ejus. Et adamavit eam rex plus quam omnes mulieres, habuitque gratiam et misericordiam coram eo super omnes mulieres, et posuit diadema regni in capite ejus, fecitque eam regnare in loco Vasthi.

℟. Spem in alium, *p.* 538.

FERIA TERTIA.

De libro Esther.

Lectio j. Cap. 3.

POST hæc rex Assuerus exaltavit Aman filium Amadathi, qui erat de stirpe Agag, et posuit solium ejus super omnes principes, quos habebat. Cunctique servi regis, qui in foribus palatii versabantur, flectabant genua, et adorabant Aman : sic enim præceperat eis imperator. Solus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum. Cui dixerunt pueri regis, qui ad fores palatii præsidebant. Cur præter cæteros non observas mandatum regis ?

Digitized by Google

℟. Memento mei, *p.* 538.

Lectio ij.

CUMQUE hoc crebrius dicerent, et ille nollet audire, nuntiaverunt Aman, scire cupientes utrum perseveraret in sententia: dixerat enim eis se esse Judæum. Quod cum audisset Aman, et experimento probasset quod Mardochæus non flecteret sibi genu, nec se adoraret, iratus est valde, et pro nihilo duxit in unum Mardochæum mittere manus suas.

℟. Tribulationes, *p.* 533.

Lectio iij.

AUDIERAT enim quod esset gentis Judææ, magisque voluit omnem Judæorum, qui erant in regno Assueri, perdere nationem. Mense primo (cujus vocabulum est Nisan) anno duodecimo regni Assueri, missa est sors in urnam, quæ hebraice dicitur phur, coram Aman, quo die et quo mense gens Judæorum deberet interfici: et exivit mensis duodecimus, qui vocatur Adar.

℟. Benedicat te, *p.* 533.

FERIA QUARTA.

De libro Esther.

Lectio j. Cap. 4.

QUÆ cum audisset Mardochæus, scidit vestimenta sua, et indutus est sacco, spargens cinerem capiti, et in platea mediæ civitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, et hoc ejulatu usque ad fores palatii gradiens. Non enim erat licitum indutum sacco aulam regis intrare. In omnibus quoque provinciis, oppidis, ac locis, ad quæ crudele regis dogma pervenerat, planctus ingens erat apud Judæos, jejunium, ululatus, et fletus, sacco et cinere multis pro strato utentibus. Ingressæ autem sunt puellæ Esther et eunuchi, nuntiaveruntque ei. Quod audiens consternata est, et vestem misit, ut ablato sacco, induerent eum: quam accipere noluit. Accitoque Athach eunucho, quem rex ministrum ei dederat, præcepit ei, ut iret ad Mardochæum, et disceret ab eo cur hoc faceret.

℟. Nos alium Deum, *p.* 533.

Lectio ij.

EGRESSUSQUE Athach ivit ad Mardochæum stantem in platea civitatis, ante ostium palatii: qui indicavit ei omnia quæ acciderant, quomodo Aman promisisset, ut in thesauros regis pro Judæorum nece inferret argentum. Exemplar quoque edicti, quod pendebat in Susan, dedit ei, ut reginæ ostenderet, et moneret eam ut intraret ad regem, et deprecaretur eum pro populo suo. Regressus Athach nuntiavit Esther omnia, quæ Mardochæus dixerat. Quæ respondit ei, et jussit ut diceret Mardochæo: Omnes servi regis, et cunctæ, quæ sub ditione ejus sunt, norunt provinciæ, quod sive vir, sive mulier, non vocatus interius atrium regis intraverit, absque ulla cunctatione statim interficiatur, nisi forte rex auream virgam ad eum tetenderit pro signo clementiæ, atque ita possit vivere. Ego igitur quomodo ad regem intrare potero, quæ triginta jam diebus non sum vocata ad eum?

℟. Conforta me Rex, *p.* 534.

Lectio iij.

QUOD cum audisset Mardochæus, rursus mandavit Esther, dicens: Ne putes quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis es præ cunctis Judæis: si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur judæi: et tu, et domus patris tui, peribitis. Et quis novit utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris? Rursumque Esther hæc Mardochæo verba mandavit; Vade et congrega omnes Judæos, quos in Susan repereris, et orate pro me. Non comedatis, et non bibatis tribus diebus, et tribus noctibus; et ego cum ancillis meis similiter jejunabo, et tunc ingrediar ad regem contra legem faciens, non vocata, tradensque me morti et peri-

culo. Ivit itaque Mardochæus, et fecit omnia, quæ ei Esther præceperat.

℟. Spem in alium, *p.* 538.

FERIA QUINTA.

De libro Esther.

Lectio j. Cap. 5.

DIE autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis, et stetit in atrio domus regiæ, quod erat interius, contra basilicam regis: at ille sedebat super solium suum in consistorio palatii contra ostium domus. Cumque vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis ejus, et extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens, osculata est summitatem virgæ ejus. Dixitque ad eam rex: Quid vis, Esther regina? quæ est petitio tua? etiam si dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi. At illa respondit: Si regi placet, obsecro ut venias ad me hodie, et Aman tecum, ad convivium quod paravi. Statimque rex: vocate, inquit, cito Aman, ut Esther obediat voluntati.

℟. Domine mi Rex, *p.* 537.

Lectio ij.

EGRESSUS est itaque illo die Aman lætus et alacer. Cumque vidisset Mardochæum sedentem ante fores palatii, et non solum non assurrexisse sibi, sed nec motum quidem de loco sessionis suæ, indignatus est valde; et dissimulata ira, reversus in domum suam, convocavit ad se amicos suos, et Zares uxorem suam, et exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum, filiorumque turbam, et quanta eum gloria super omnes principes et servos suos rex elevasset. Et post hæc ait: Regina quoque Esther nullum alium vocavit ad convivium cum rege, præter me: apud quam etiam eras cum rege pransurus sum. Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Judæum sedentem ante fores regias.

℟. Conforta me Rex, *p.* 534.

Lectio iij.

RESPONDERUNTQUE ei Zares uxor ejus, et cæteri amici: Jube parari excelsam trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos, et dic mane regi ut appendatur super eam Mardochæus, et sic ibis cum rege lætus ad convivium. Placuit ei consilium, et jussit excelsam parari crucem.

℟. Spem in alium, *p.* 538.

FERIA SEXTA.

De libro Esther.

Lectio j. Cap. 6.

NOCTEM illam duxit rex insomnem: jussitque sibi afferri historias et annales priorum temporum. Quæ cum illo præsente legerentur, ventum est ad illum locum ubi scriptum erat, quomodo nuntiasset Mardochæus insidias Bagathan et Thares eunuchorum, regem Assuerum jugulare cupientium. Quod cum audisset rex, ait. Quid pro hac fide honoris ac præmii Mardochæus consecutus est? Dixerunt ei servi illius ac ministri: Nihil omnino mercedis accepit. Statimque rex: Quis est, inquit, in atrio? Aman quippe interius atrium domus regiæ intraverat, ut suggeret regi, et juberet Mardochæum affigi patibulo, quod ei fuerat præparatum. Responderunt pueri: Aman stat in atrio. Dixitque rex: Ingrediatur.

℟. Memento mei, *p.* 538.

Lectio ij.

CUMQUE esset ingressus, ait illi: Quid debet fieri viro, quem rex honorare desiderat! Cogitans autem in corde suo Aman, et reputans quod nullum alium rex nisi se vellet honorare, respondit: Homo, quem rex honorare cupit, debet indui vestibus regiis, et imponi super equum, qui de sella regis est, et accipere regium diadema super caput suum, et primus de regis principibus ac tyrannis teneat equum ejus,

Digitized by Google

et per plateam civitatis incedens, clamet et dicat: Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare.

℟. Tribulationes, *p.* 533.

Lectio iij.

DIXITQUE ei rex: Festina, et sumpta stola et equo, fac ut locutus es Mardochæo Judæo, qui sedet ante fores palatii. Cave ne quidquam de his quæ locutus es, prætermittas. Tulit itaque Aman stolam et equum, indutumque Mardochæum in platea civitatis, et impositum equo præcedebat, atque clamabat: Hoc honore condignus est, quemcumque rex voluerit honorare. Reversusque est Mardochæus ad januam palatii, et Aman festinavit ire in domum suam, lugens et operto capite, narravitque Zares uxori suæ et amicis omnia quæ evenissent sibi.

℟. Benedicat te, *p.* 533.

SABBATO.

De libro Esther.

Lectio j. Cap. 7.

INTRAVIT itaque rex et Aman, ut biberent cum regina. Dixitque ei rex etiam secunda die, postquam vino incaluerat: Quæ est petitio tua, Esther, ut detur tibi? et quid vis fieri? Etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. Ad quem illa respondit: Si invemi gratiam in oculis tuis, o rex, et si tibi placet, dona mihi animam meam pro qua rogo, et populum meum pro quo obsecro. Traditi enim sumus ego et populus meus, ut conteramur jugulemur, et pereamus. Atque utinam in servos et famulas venderemur; esset tolerabile malum, et gemens tacerem: nunc autem hostis noster est, cujus crudelitas redundat in regem.

℟. Nos alium Deum, *p.* 533.

Lectio ij.

RESPONDENSQUE rex Assuerus, ait: Quis est iste, et cujus potentiæ, ut hæc audeat facere? Dixitque Esther: Hostis et inimicus noster pessimus iste est Aman. Quod ille audiens, illico obstupuit, vultum regis ac reginæ ferre non sustinens. Rex autem iratus surrexit, et de loco convivii intravit in hortum arboribus consitum. Aman quoque surrexit, ut rogaret Esther reginam pro anima sua: intellexit enim a rege sibi paratum malum.

℟. Conforta me Rex, *p.* 534.

Lectio iij.

QUI cum reversus esset de horto nemoribus consito, et intrasset convivii locum, reperit Aman super lectulum corruisse, in quo jacebat Esther, et ait: Etiam reginam vult opprimere, me præsente in domo mea. Necdum verbum de ore regis exierat, et statim operuerunt faciem ejus. Dixitque Harbona, unus de Eunuchis, qui stabant in ministerio regis: En lignum, quod paraverat Mardochæo, qui locutus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex: Appendite eum in eo. Suspensus est itaque Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo, et regis ira quievit.

℟. Spem in alium, *p.* 538.

SABBATO

Ante Dom. I. Octobris.

Ad Magnif. Ant. Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua et in præceptis suis, et faciat pacem Dominus Deus noster.

DOM. I. OCTOBRIS.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber I. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 1.

ET factum est, postquam percussit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnavit in Græcia, egressus de terra Gethim, Darium regem Persarum et Medorum, constituit prælia multa, et obtinuit omnium munitiones, et interfecit reges terræ. Et pertransiit usque ad fines

Digitized by Google

terræ, et accepit spolia multitudinis gentium, et siluit terra in conspectu ejus. Et congregavit virtutem; et exercitum fortem nimis; et exaltatum est, et elevatum cor ejus: et obtinuit regiones gentium, et tyrannos, et facti sunt illi in tributum. Et post hæc decidit in lectum, et cognovit quia moreretur. Et vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti a juventute, et divisit illis regnum suum, cum adhuc viveret.

℟. Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua et in præceptis suis et faciat pacem in diebus vestris: * Concedat vobis salutem, et redimat vos a malis, ℣. Exaudiat Dominus orationes vestras, et reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo. Concedat.

Lectio ij.

ET regnavit Alexander annis duodecim, et mortuus est. Et obtinuerunt pueri ejus regnum unusquisque in loco suo, et imposuerunt omnes sibi diademata post mortem ejus, et filii eorum post eos annis multis, et multiplicata sunt mala in terra. Et exiit ex eis radix peccatrix, Antiochus illustris, filius Antiochi regis, qui fuerat Romæ obses: et regnavit in anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum.

℟. Exaudiat Dominus orationes vestras, et reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo * Dominus Deus noster. ℣. Det vobis cor omnibus, ut colatis eum; et faciatis ejus voluntatem. Dominus.

Lectio iij.

IN diebus illis exierunt ex Israel filii iniqui, et suaserunt multis, dicentes: Eamus, et disponamus testamentum cum Gentibus quæ circa nos sunt: quia ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala. Et bonus visus est sermo in oculis eorum. Et destinaverunt aliqui de populo, et abierunt ad regem: et dedit illis potestatem ut facerent justitiam Gentium. Et ædificaverunt gymnasium in Jerosolymis secundum leges nationum, et fecerunt sibi præputia, et recesserunt a testamento sancto, et juncti sunt nationibus, et venumdati sunt ut facerent malum.

℟. Congregati sunt inimici nostri, et gloriantur in virtute sua: contere fortitudinem illorum, Domine, et disperge illos: * Ut cognoscant quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. ℣. Disperge illos in virtute tua, et destrue eos, protector noster Domine. Ut. Gloria. Ut.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro Officiorum S. Ambrosii Episcopi.

Lectio iv. Lib. I. c. 40.

FORTASSE aliquos bellica defixos gloria tenet, ut putent solam esse præliarem fortitudinem, et ideo me ad ista deflexisse, quia illa nostris deforet. Quam fortis Jesus Nave, ut uno prælio quinque reges captos sterneret cum populis suis? Deinde cum adversum Gabaonitas urgeret prælium, et vereretur ne nox impediret victoriam, magnitudine mentis et fidei clamavit: Stet sol; et stetit sol, donec victoria consummaretur. Gedeon in trecentis viris de ingenti populo, et acerbo hoste revexit triumphum. Jonathas adolescens virtutem magnam fecit in prælio.

℟. Impetum inimicorum ne timueritis: memores estote quomodo salvi facti sunt patres nostri: * Et nunc clamemus in cœlum, et miserebitur nostri Deus noster. ℣. Mementote mirabilium ejus, quæ fecit Pharaoni, et exercitui ejus in mari Rubro. Et.

Lectio v.

QUID de Machabæis loquar? Sed prius de populo dicam patrum: qui cum essent parati ad repugnandum pro templo Dei, et pro legitimis suis, dolo hostium die lacessiti sabbati, maluerunt vulneribus offerre nuda corpora, quam repugnare, ne violarent sabbatum. Itaque omnes læti se obtulerunt morti. Sed Macha-

Digitized by Google

bæi considerantes quod hoc exemplo gens omnis posset perire, sabbato etiam, cum ipsi in bellum provocarentur, ulti sunt innocentium necem fratrum suorum. Unde postea stimulatus rex Antiochus, cum bellum accenderet per duces suos Lysiam, Nicanorem, Gorgiam, ita cum Orientalibus suis et Assyriis attritus est copiis, ut quadraginta et octo millia in medio campi a tribus millibus prosternerentur.

℟. Congregatæ sunt Gentes in multitudine, ut dimicent contra nos, et ignoramus quid agere debeamus: * Domine Deus, ad te sunt oculi nostri, ne pereamus. ℣. Tu scis quæ cogitant in nos: quomodo poterimus subsistere ante faciem illorum, nisi tu adjuves nos. Domine.

Lectio vj.

VIRTUTEM ducis Judæ Machabæi de uno ejus milite considerate. Namque Eleazarus cum supereminentem cæteris elephantem lorica vestitum regia adverteret, arbitratus quod in eo esset rex, cursu concito in medium legionis se prorupit; et abjecto clypeo, utraque manu interficiebat, donec perveniret ad bestiam, atque intravit sub eam, et subjecto gladio interemit eam. Itaque cadens bestia oppressit Eleazarum, atque ita mortuus est. Quanta igitur virtus animi! primo, ut mortem non timeret: deinde, ut circumfusus legionibus inimicorum, in confertos raperetur hostes, medium penetraret agmen, et contempta morte ferocior, abjecto clypeo, utraque manu vulneratæ molem bestiæ subiret ac sustineret; post infra ipsam succederet, quo pleniori feriret ictu: cujus ruina inclusus magis quam oppressus, suo est sepultus triumpho.

℟. Tua est potentia, tuum regnum Domine: tu es super omnes Gentes: * Da pacem, Domine in diebus nostris. ℣. Creator omnium Deus, terribilis et fortis, justus et misericors. Da. Gloria. Da.

℟. vij. Refulsit sol in clypeos aureos, et resplenduerunt montes ab eis: * Et fortitudo Gentium dissipata est. ℣. Erat enim exercitus magnus valde, et fortis: et appropriavit Judas, et exercitus ejus in prælio. Et.

℟. viij. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: * Plena est omnis terra gloria ejus. ℣. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus: et hi tres unum sunt. Sanctus. Gloria. Plena.

FERIA SECUNDA.

De libro I. Machabæorum.

Lectio j. Cap. I.

ET paratum est regnum in conspectu Antiochi, et cœpit regnaret super duo regna. Et intravit in Ægyptum in multitudine gravi, in curribus, et elephantis, et equitibus, et copiosa navium multitudine, et constituit bellum adversus Ptolemæum regem Egypti; et veritus est Ptolemæus a facie ejus, et fugit, et ceciderunt vulnerati multi. Et comprehendit civitates munitas in terra Ægypti, et accepit spolia terræ Egypti.

℟. Dixit Judas Simoni fratri suo: Elige tibi viros, et vade, libera fratres tuos, in Galilæam: ego autem et Jonathas frater tuus, ibimus in Galaaditim: * Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. ℣. Accingimini, filii potentes, et estote parati: quoniam melius est nobis mori in bello, quam videre mala gentis nostræ, et sanctorum. Sicut.

Lectio ij.

ET convertit Antiochus, postquam percussit Ægyptum in centesimo et quadragesimo tertio anno, et ascendit ad Israel, et ascendit Jerosolymam in multitudine gravi. Et intravit in sanctificationem cum superbia, et accepit altare aureum, et candelabrum luminis, et universa vasa ejus, et mensam propositionis, et libatoria, et

Digitized by Google

phialas, et mortariola aurea, et velum, et coronas, et ornamentum aureum quod in facie templi erat, et commiouit omnia.

℟. Ornaverunt faciem templi coronis aureis, et dedicaverunt altare Domino: * Et facta est lætitia magna in populo. ℣. In hymnis et confessionibus benedicebant Dominum. Et.

Lectio iij.

ET accepit argentum et aurum, et vasa concupiscibilia; et accepit thesauros occultos, quos invenit, et sublatis omnibus, abiit in terram suam. Et fecit cædem hominum, et locutus est in superbia magna. Et factus est planctus magnus in Israel, et in omni loco eorum: et ingemuerunt principes, et seniores, virgines et juvenes infirmati sunt, et speciositas mulierum immutata est. Omnis maritus sumpsit lamentum; et quæ sedebant in thoro maritali, lugebant: et commota est terra super habitantes in ea, et universa domus Jacob induit confusionem.

℟. In hymnis et confessionibus benedicebant Dominum: * Qui magna fecit in Israel, et victoriam dedit illis Dominus omnipotens. ℣. Ornaverunt faciem templi coronis aureis, et dedicaverunt altare Domino. Qui. Gloria. Qui.

FERIA TERTIA

De libro I. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 2.

IN diebus illis surrexit Mathathias filius Joannis, filii Simeonis, sacerdos ex filiis Joarib ab Jerusalem, et consedit in monte Modin: et habebat filios quinque, Joannem, qui cognominabatur Gaddis: et Simonem, qui cognominabatur Thasi; et Judam, qui vocabatur Machabæus; et Eleazarum, qui cognominabatur Abaron: et Jonathan, qui cognominabatur Apphus. Hi viderunt mala, quæ fiebant in populo Juda, et in Jerusalem.

℟. Hic est fratrum amator, et populi Israel: * Hic est qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate Jerusalem. ℣. Vir iste in populo suo mitissimus apparuit. Hic.

Lectio ij.

ET dixit Mathathias: Væ mihi, ut quid natus sum videre contritionem populi mei, et contritionem civitatis sanctæ, et sedere illic, cum datur in manibus inimicorum? Sancta in manu extraneorum facta sunt, templum ejus sicut homo ignobilis. Vasa gloriæ ejus captiva abducta sunt, trucidati sunt senes ejus in plateis, et juvenes ejus ceciderunt in gladio inimicorum. Quæ gens non hæreditavit regnum ejus, et non obtinuit spolia ejus?

℟. Tu, Domine universorum, qui nullam habes indigentiam, voluisti templum tuum fieri in nobis: * Conserva domum istam immaculatam in æternum, Domine. ℣. Tu elegisti, Domine, domum istam ad invocandum nomen tuum in ea, ut esset domus orationis et obsecrationis populo tuo. Conserva.

Lectio iij.

ET scidit vestimenta sua Mathathias, et filii ejus, et operuerunt se ciliciis, et planxerunt valde. Et venerunt illuc qui missi erant a rege Antiocho, ut cogerent eos qui confugerant in civitatem Modin, immolare, et accendere thura, et a lege Dei discedere. Et multi de populo Israel consentientes accesserunt ad eos: sed Mathathias et filii ejus constanter steterunt.

℟. Aperi oculos tuos, Domine, et vide afflictionem nostram: circumdederunt nos Gentes ad puniendum nos: * Sed tu, Domine, extende brachium tuum, et libera animas nostras. ℣. Affige opprimentes nos, et contumeliam facientes in superbiam, et custodi partem tuam. Sed. Gloria. Sed.

FERIA QUARTA.

De libro I. Machabæorum.

Digitized by Google

Lectio j. Cap. 2.

ET respondit Mathathias, et dixit magna voce: Et si omnes gentes regi Antiocho obediunt, ut discedat unusquisque a servitute legis patrum suorum, et consentiat mandatis ejus, ego, et filii mei, et fratres mei, obediemus legi patrum nostrorum. Propitius sit nobis Deus: non est nobis utile relinquere legem et justitias Dei, non audiemus verba regis Antiochi, nec sacrificabimus transgredientes legis nostræ mandata, ut eamus altera via.

℣. Refulsit sol, *p.* 544.

Lectio ij.

ET ut cessavit loqui verba hæc, acessit quidam Judæus in omnium oculis sacrificare idolis super aram in civitate Modin, secundum jussum regis: et vidit Mathathias, et doluit, et contremuerunt renes ejus, et accensus est furor ejus secundum judicium legis, et insiliens trucidavit eum super aram: sed et virum, quem rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, et aram destruxit, et zelatus est legem, sicut fecit Phines Zamri filio Salomi.

℣. Ornaverunt faciem, *p.* 543.

Lectio iij.

ET exclamavit Mathathias voce magna in civitate, dicens: Omnis qui zelum habet legis, statuens testamentum, exeat post me. Et fugit ipse, et filii ejus in montes, et reliquerunt quæcumque habebant in civitate. Tunc descenderunt multi quærentes judicium et justitiam, in desertum: et sederunt ibi ipsi, et filii eorum, et mulieres eorum, et pecora eorum: quoniam inundaverunt super eos mala.

℣. In hymnis et, *p.* 543.

FERIA QUINTA.

De libro I. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 2.

ET appropinquaverunt dies Mathathiæ mortendi, et dixit filiis suis: Nunc confortata est superbia, et castigatio, et tempus eversionis, et ira indignationis. Nunc ergo, filii æmulatores estote legis, et date animas vestras pro testamento patrum vestrorum: et mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, et accipietis gloriam magnam et nomen æternum. Abraham nonne in tentatione inventus est fidelis, et reputatum est ei ad justitiam? Joseph in tempore angustiæ suæ custodivit mandatum, et factus est dominus Ægypti. Phinees pater noster zelando zelum Dei, accepit testamentum sacerdotii æterni.

℣. Adaperiat Dominus, *p.* 543.

Lectio ij.

JESUS, dum implevit verbum, factus est dux in Israel. Caleb, dum testificatur in ecclesia, accepit hæreditatem. David in sua misericordia consecutus est sedem regni in sæcula. Elias, dum zelat zelum legis, receptus est in cœlum. Ananias, et Azarias, et Misael credentes, liberati sunt de flamma. Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum. Et ita cogitate per generationem et generationem, quia omnes qui sperant in eum, non infirmantur. Et a verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus et vermis est: hodie extollitur, et cras non invenietur, quia conversus est in terram suam, et cogitatio ejus periit.

℣. Exaudiat Dominus, *p.* 543.

Lectio iij.

VOS ergo, filii, confortamini, et viriliter agite in lege, quia in ipsa gloriosi eritis. Et ecce Simon frater vester, scio quod vir consilii est: ipsum audite semper, et ipse erit vobis pater. Et Judas Machabæus fortis viribus a juventute sua sit vobis princeps militiæ, et ipse aget bellum populi. Et adducetis ad vos omnes factores legis, et vindicate vindictam populi vestri. Retribuite retributionem Gentibus, et intendite in præceptum legis. Et benedixit eos,

Digitized by Google

et appositus est ad patres suos.

℟. Congregati sunt, *p.* 543.

FERIA SEXTA.

De libro I. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 2. et 3.

DEFUNCTUS est Mathathias anno centesimo et quadragesimo sexto, et sepultus est a filiis suis in sepulchris patrum suorum in Modin, et planxerunt eum omnis Israel planctu magno. Et surrexit Judas, qui vocabatur Machabæus, filius ejus pro eo: et adjuvabant eum omnes fratres ejus, et universi qui se conjunxerant patri ejus, et prœliabantur prœlium Israel cum lætitia. Et dilatavit gloriam populo suo. Et persecutus est iniquos, perscrutans eos: et qui conturbabant populum suum, eos succendit flammis: et repulsi sunt inimici ejus præ timore ejus, et omnes operarii iniquitatis conturbati sunt: et directa est salus in manu ejus.

℟. Impetum inimicorum, *p.* 543.

Lectio ij.

ET exacerbabat reges multos, et lætificabat Jacob in operibus suis, et in sæculum memoria ejus in benedictione. Et perambulavit civitates Juda, et perdidit impios ex eis, et avertit iram ab Israel. Et nominatus est usque ad novissimum terræ, et congregavit pereuntes. Et congregavit Apollonius Gentes, et a Samaria virtutem multam et magnam, ad bellandum contra Israel. Et cognovit Judas, et exiit obviam illi, et percussit, et occidit illum. Et ceciderunt vulnerati multi, et reliqui fugerunt: et accepit spolia eorum, et gladium Apollonii abstulit Judas, et erat pugnans in eo omnibus diebus.

℟. Congregatæ sunt, *p.* 544.

Lectio iij.

ET cecidit timor Judæ ac fratrum, et formido super omnes gentes in circuitu eorum: et pervenit ad regem nomen ejus, et de prœliis Judæ narrabant omnes gentes. Ut audivit autem rex Antiochus sermones istos, iratus est animo, et misit, et congregavit exercitum universi regni sui, castra fortia valde: et aperuit ærarium suum, et dedit stipendia exercitui in annum, et mandavit illis ut essent parati ad omnia.

℟. Tua est potentia, *p.* 544.

SABBATO.

De libro I. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 3.

ET vidit Judas, et fratres ejus quia multiplicata sunt mala, et exercitus applicabant ad fines eorum. Et cognoverunt verba regis quæ mandavit populo facere in interitum, et consummationem, et dixerunt unusquisque ad proximum suum: Erigamus dejectionem populi nostri, et pugnemus pro populo nostro et sanctis nostris. Et congregatus est conventus, ut essent parati in prœlium, et ut orarent, et peterent misericordiam et miserationes. Et Jerusalem non habitabatur, sed erat sicut desertum: non erat qui ingrederetur et egrederetur de natis ejus, et sanctum conculcabatur, et filii alienigenarum erant in arce, ibi erat habitatio Gentium: et ablata est voluptas a Jacob, et defecit ibi tibia et cithara.

℟. Refulsit sol, *p.* 544.

Lectio ij.

ET congregati sunt, et venerunt in Maspha contra Jerusalem: quia locus orationis erat in Maspha ante in Israel. Et jejunaverunt illa die, et induerunt se ciliciis, et cinerem imposuerunt capiti suo, et disciderunt vestimenta sua, et expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur Gentes similitudinem simulacrorum suorum: et attulerunt ornamenta sacerdotalia, et primitias et decimas: et suscitaverunt Nazaræos, qui impleverant dies, et clamaverunt voce magna in cœlum, dicentes: Quid faciemus istis, et quo

Digitized by Google

eos ducemus? Et sancta tua conculcata sunt, et contaminata sunt: et sacerdotes tui facti sunt in luctum, et in humilitatem. Et ecce nationes convenerunt adversum nos, ut nos disperdant: tu scis quæ cogitant in nos. Quomodo poterimus subsistere ante faciem eorum, nisi tu, Deus, adjuves nos?

℟. Ornaverunt faciem, *p.* 545.

Lectio iij.

ET tubis exclamaverunt voce magna. Et post hæc constituit Judas duces populi, tribunos, et centuriones, pentacontarchos, et decuriones. Et dixit his qui ædificabant domos, et sponsabant uxores, et plantabant vineas, et formidolosis, ut redirent unusquisque in domum suam secundum legem. Et moverunt castra, et collocaverunt ad Austrum Emmaum. Et ait Judas: Accingimini et estote filii potentes, et estote parati in mane, ut pugnetis adversus nationes has, quæ convenerunt adversus nos disperdere nos et sancta nostra, quoniam melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostræ et sanctorum. Sicut autem fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.

℟. In hymnis et, *p.* 545.

Ad Magnif. Ant. Refulsit sol in clypeos aureos, et resplenduerunt montes ab eis, et fortitudo Gentium dissipata est.

DOM. II. OCTOBRIS.

IN I. NOCTURNO.

De libro I. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 4.

DIXIT autem Judas, et fratres ejus: Ecce contriti sunt inimici nostri, ascendamus nunc mundare sancta, et renovare. Et congregatus est omnis exercitus, et ascenderunt in montem Sion. Et viderunt sanctificationem desertam, et altare profanatum, et portas exustas, et in atriis virgulta nata, sicut in saltu vel in montibus, et pastophoria diruta. Et sciderunt vestimenta sua, et planxerunt planctu magno, et imposuerunt cinerem super caput suum; et ceciderunt in faciem super terram, et exclamaverunt tubis signorum, et clamaverunt in cœlum.

℟. Adaperiat Dominus, *p.* 543.

Lectio ij.

TUNC ordinavit Judas viros, ut pugnarent adversus eos qui erant in arce, donec emundarent sancta. Et elegit sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei, et mundaverunt sancta, et tulerunt lapides contaminationis in locum immundum. Et cogitavit de altari holocaustorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret. Et incidit illis consilium bonum, ut destruerent illud, ne forte illis esset in opprobrium quia contaminaverunt illud Gentes, et demoliti sunt illud. Et reposuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoadusque veniret Propheta, et responderet de eis.

℟. Exaudiat Dominus, *p.* 543.

Lectio iij.

ET acceperunt lapides integros secundum legem, et ædificaverunt sancta, et quæ intra domum erant intrinsecus, et ædem et atria sanctificaverunt. Et fecerunt vasa sancta nova, et intulerunt candelabrum, et altare incensorum, et mensam in templum. Et incensum posuerunt super altare, et accenderunt lucernas, quæ super candelabrum erant, et lucebant in templo. Et posuerunt super mensam panes, et appenderunt vela, et consummaverunt omnia opera quæ fecerant.

℟. Congregati sunt, *p.* 543.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro S. Augustini Episcopi de civitate Dei.

Lectio iv. *Lib.* 18. *cap.* 45.

POSTEAQUAM gens Judæa cœpit non habere Prophetas, procul dubio deterior facta est, eo scilicet tempore, quo se sperabat, instaurato templo, post captivitatem

Digitized by Google

quæ fuit in Babylonia, futuram esse meliorem. Sic quippe intelligebat populus ille carnalis quod prænuntiatum est per Aggæum Prophetam, dicentem : Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ. Quod de novo Testamento dictum esse paulo superius demonstravit, ubi ait aperte Christum promittens : Et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus,

℟. Impetum inimicorum, *p.* 543.

Lectio v.

TALIBUS enim electis gentium, domus Dei ædificatur per Testamentum novum lapidibus vivis, longe gloriosior, quam templum illud fuit, quod a rege Salomone constructum est, et post captivitatem instauratum. Propter hoc ergo nec Prophetas ex illo tempore habuit illa gens ; sed multis cladibus afflicta est ab alienigenis regibus, ipsisque Romanis, ne hanc Aggæi prophetiam in illa instauratione templi opinaretur impletam. Non multo enim post, adveniente Alexandro, subjugata est: quando etsi nulla facta est vastatio, quoniam non sunt ausi ei resistere, et ideo placatum facillime subditi receperunt : non erat tamen gloria tanta domus illius, quanta fuit in suorum regum libera potestate.

℟. Congregatæ sunt, *p.* 544.

Lectio vj.

DEINDE Ptolemæus Lagi filius, post Alexandri mortem captivos inde in Ægyptum transtulit, quos ejus successor Ptolemæus Philadelphus benevolentissime inde dimisit : per quem factum est, ut Septuaginta interpretum Scripturas haberemus. Deinde contriti sunt bellis, quæ in Machabæorum libris explicantur. Post hæc capti a rege Alexandriæ Ptolemæo, qui est appellatus Epiphanes, inde ab Antiocho rege Syriæ multis et gravissimis malis ad idola colenda compulsi, templumque ipsum repletum sacrilegis superstitionibus Gentium, quod tamen dux eorum strenuissimus Judas, qui etiam Machabæus dictus est, Antiochi ducibus pulsis, ab omni illa idololatriæ contaminatione mundavit.

℟. Tua est potentia, *p.* 544.

In III. Noct. ℟. vij. *et* viij. *ut ibid.*

FERIA SECUNDA.

De libro I. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 4.

ANTE matutinum surrexerunt quinta et vigesima die mensis noni (hic est mensis Casleu) centesimi quadragesimi octavi anni : et obtulerunt sacrificium secundum legem super altare holocaustorum novum, quod fecerunt. Secundum tempus et secundum diem, in qua contaminaverunt illud Gentes, in ipsa renovatum est in canticis, et citharis, et cinyris, et in cymbalis. Et cecidit omnis populus in faciem, et adoraverunt, et benedixerunt in cœlum eum qui prosperavit eis.

℟. Dixit Judas Simoni, *p.* 544.

Lectio ij.

ET fecerunt dedicationem altaris diebus octo, et obtulerunt holocausta cum lætitia, et sacrificium salutaris et laudis. Et ornaverunt faciem templi coronis aureis et scutulis, et dedicaverunt portas et pastophoria; et imposuerunt eis januas. Et facta est lætitia in populo magna valde, et aversum est opprobrium Gentium. Et statuit Judas, et fratres ejus, et universa ecclesia Israel, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum, per dies octo, a quinta et vigesima die mensis Casleu, cum lætitia et gaudio.

℟. Ornaverunt faciem, *p.* 545.

Lectio iij.

ET ædificaverunt in tempore illo montem Sion, et per circuitum muros altos, et turres firmas, ne quando venirent Gentes, et conculcarent eum sicut antea fecerunt. Et collocavit illic exercitum, ut serva-

Google

rent eum; et munivit eum ad custodiendam Bethsuram, ut haberet populus munitionem contra faciem Idumææ.

℟. In hymnis et, *p.* 543.

FERIA TERTIA.

De libro I. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 5.

ET factum est, ut audierunt Gentes in circuitu, quia ædificatum est altare et sanctuarium sicut prius, iratæ sunt valde, et cogitabant tollere genus Jacob, qui erant inter eos, et cœperunt occidere de populo et persequi. Et debellabat Judas filios Esau in Idumæa, et eos qui erant in Acrabathane, quia circumsedebant Israelitas, et percussit eos plaga magna. Et recordatus est malitiam filiorum Bean, qui erant populo in laqueum, et in scandalum, insidiantes ei in via. Et conclusi sunt ab eo in turribus; et applicuit ad eos, et anathematizavit eos, et incendit turres eorum igni, cum omnibus qui in eis erant.

℟. Hic est fratrum, *p.* 543.

Lectio ij.

ET transivit ad filios Ammon, et invenit manum fortem, et populum copiosum, et Thimotheum ducem ipsorum, et commisit cum eis prælia multa; et contriti sunt in conspectu eorum, et percussit eos, et cepit Gazer civitatem et filias ejus, et reversus est in Judæam. Et congregatæ sunt Gentes, quæ sunt in Galaad, adversus Israelitas, qui erant in finibus eorum, ut tollerent eos; et fugerunt in Datheman munitionem.

℟. Tu Domine, *p.* 543.

Lectio iij.

ET miserunt litteras ad Judam, et fratrem ejus, dicentes: Congregatæ sunt adversum nos Gentes per circuitum, ut nos auferant, et parant venire, et occupare munitionem, in quam confugimus: et Timotheus est dux exercitus eorum. Nunc ergo veni, et eripe nos de manibus eorum, quia cecidit multitudo de nobis, et omnes fratres nostri, qui erant in locis Tubin, interfecti sunt et captivas duxerunt uxores eorum, et natos, et spolia, et peremerunt illic fere mille viros.

℟. Aperi oculos tuos, *p.* 543.

FERIA QUARTA.

De libro I. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 5.

IN diebus quibus erat Judas et Jonathas in terra Galaad, et Simon frater ejus in Galilæa contra faciem Ptolemaidis, audivit Josephus Zachariæ filius, et Azarias princeps virtutis, res bene gestas, et prælia quæ facta sunt, et dixit: Faciamus et ipsi nobis nomen, et eamus pugnare adversus Gentes, quæ in circuitu nostro sunt. Et præcepit his qui erant in exercitu suo, et abierunt Jamniam.

℟. Refulsit sol, *p.* 544.

Lectio ij.

ET exivit Gorgias de civitate, et viri ejus obviam illis in pugnam et fugati sunt Josephus et Azarias usque in fines Judææ: et ceciderunt illo die de populo Israel ad duo millia viri: et facta est fuga magna in populo, quia non audierunt Judam et fratres ejus existimantes fortiter se facturos. Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel.

℟. Ornaverunt faciem, *p.* 545.

Lectio iij.

ET viri Juda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israel, et gentium omnium, ubi audiebatur nomen eorum, et convenerunt ad eos fausta acclamantes. Et exivit Judas et fratres ejus, et expugnabant filios Esau in terra quæ ad Austrum est, et percussit Chebron, et filias ejus: et muros ejus et turres succendit igni in circuitu. Et movit castra ut iret in terram alienigenarum, et perambulabat Sama-

Digitized by Google

rium. In die illa ceciderunt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prælium.

℟. In hymnis et, *p.* 545.

FERIA QUINTA.

De libro I. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 6.

ET rex Antiochus perambulabat superiores regiones, et audivit esse civitatem Elymaidem in Perside nobilissimam, et copiosam in argento et auro, templumque in ea locuples valde; et illic velamina aurea, et loricæ, et scuta, quæ reliquit Alexander Philippi rex Macedo, qui regnavit primus in Græcia. Et venit, et quærebat capere civitatem, et deprædari eam; et non potuit, quoniam innotuit sermo his qui erant in civitate, et insurrexerunt in prælium, et fugit inde, et abiit cum tristitia magna, et reversus est in Babyloniam. Et venit qui nuntiaret ei in Perside, quia fugata sunt castra quæ erant in terra Juda, et quia abiit Lysias cum virtute forti in primis, et fugatus est a facie Judæorum.

℟. Adaperiat Dominus, *p.* 543.

Lectio ij.

ET invaluerunt armis, et viribus, et spoliis multis, quæ ceperunt de castris quæ exciderunt: et quia diruerunt abominationem quam ædificaverat super altare quod erat in Jerusalem, et sanctificationem, sicut prius, circumdederunt muris excelsis, sed et Bethsuram civitatem suam. Et factum est, ut audivit rex sermones istos, expavit et commotus est valde, et decidit in lectum, et incidit in languorem præ tristitia, quia non factum est ei sicut cogitabat. Et erat illic per dies multos, quia renovata est in eo tristia magna, et arbitratus est se mori.

℟. Exaudiat Dominus, *p.* 543.

Lectio iij.

ET vocavit omnes amicos suos, et dixit illis: Recessit somnus ab oculis meis, et concidi, et corrui corde præ sollicitudine, et dixi in corde meo: In quantam tribulationem deveni, et in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum, qui jucundus eram, et dilectus in potestate mea. Nunc vero reminiscor malorum quæ feci in Jerusalem, unde et abstuli omnia spolia aurea et argentea quæ erant in ea, et misi auferre habitantes Judæam sine causa. Cognovi ergo quia propterea invenerunt me mala ista, et ecce pereo tristitia magna in terra aliena.

℟. Congregati sunt, *p.* 543.

FERIA SEXTA.

De libro. I. Machabæorum.

Lectio j. Cap 7.

ANNO centesimo quinquagesimo primo exiit Demetrius Seleuci filius ab urbe Roma, et ascendit cum paucis viris in civitatem maritimam, et regnavit illic. Et sedit Demetrius super sedem regni sui, et venerunt ad eum viri iniqui et impii ex Israel, et Alcimus dux eorum, qui volebat fieri sacerdos. Et accusaverunt populum apud regem, dicentes: Perdidit Judas et fratres ejus omnes amicos tuos, et nos dispersit de terra nostra. Nunc ergo mitte virum, cui credis, ut eat, et videat exterminium omne quod fecit nobis, et regionibus regis, et puniat omnes amicos ejus, et adjutores eorum.

℟. Impetum inimicorum, *p.* 543.

Lectio ij.

ET elegit rex ex amicis suis Bacchidem, qui dominabatur trans flumen magnum in regno, et fidelem regi; et misit eum, ut videret exterminium quod fecit Judas: sed et Alcimum impium constituit in sacerdotium, et mandavit ei facere ultionem in filios Israel. Et surrexerunt, et venerunt cum exercitu magno in terram Juda, et miserunt nuntios, et locuti sunt ad Judam, et ad fratres ejus, verbis pacificis in dolo. Et non intenderunt sermonibus eorum:

Digitized by Google

viderunt enim quia venerunt cum exercitu magno.

℟. Congregatæ sunt, *p.* 544.

Lectio iij.

ET convenerunt ad Alcimum et Bacchidem congregatio Scribarum requirere quæ justa sunt: et primi, Assidæi, qui erant in filiis Israel, et exquirebant ab eis pacem. Dixerunt enim: Homo sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos. Et locutus est cum eis verba pacifica, et juravit illis, dicens: Non inferemus vobis malum, neque amicis vestris. Et crediderunt ei. Et comprehendit ex eis sexaginta viros, et occidit eos in una die secundum verbum, quod scriptum est: Carnes sanctorum tuorum, et sanguinem ipsorum effuderunt in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret.

℟. Tua est potentia, *p.* 544.

SABBATO.

De libro I. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 8.

ET audivit Judas nomen Romanorum, quia sunt potentes viribus, et acquiescunt ad omnia quæ postulantur ab eis, et quicumque accesserunt ad eos, statuerunt cum eis amicitias, et quia sunt potentes viribus. Et audierunt prælia eorum, et virtutes bonas quas fecerunt in Galatia, quia obtinuerunt eos, et duxerunt sub tributum, et quanta fecerunt in regione Hispaniæ, et quod in potestatem redegerunt metalla argenti et auri quæ illic sunt, et possederunt omnem locum consilio suo et patientia, locaque quæ longe erant valde ab eis, et reges qui supervenerant eis ab extremis terræ, contriverunt et percusserunt eos plaga magna: cæteri autem dant eis tributum omnibus annis.

℟. Refulsit sol, *p.* 544.

Lectio ij.

ET elegit Judas Eupolemum filium Joannis, filii Jacob, et Jasonem filium Eleazari, et misit eos Romam constituere cum illis amicitiam et societatem, et ut auferrent ab eis jugum Græcorum, quia viderunt quod in servitutem premerent regnum Israel. Et abierunt Romam viam multam valde, et introierunt curiam, et dixerunt: Judas Machabæus, et fratres ejus, et populus Judæorum miserunt nos ad vos statuere vobiscum societatem et pacem, et conscribere nos socios et amicos vestros. Et placuit sermo in conspectu eorum. Et hoc rescriptum est, quod rescripserunt in tabulis æreis, et miserunt in Jerusalem, ut esset apud eos ibi memoriale pacis et societatis.

℟. Ornaverunt faciem, *p.* 545.

Lectio iij.

BENE sit Romanis, et genti Judæorum, in mari et in terra in æternum, gladiusque et hostis procul sit ab eis. Quod si institerit bellum Romanis prius, aut omnibus sociis eorum in omni dominatione eorum, auxilium feret gens Judæorum, prout tempus dictaverit, corde pleno: et præliantibus non dabunt, neque subministrabunt triticum, arma, pecuniam, naves, sicut placuit Romanis, et custodient mandata eorum, nihil ab eis accipientes. Similiter autem et si genti Judæorum prius acciderit bellum, adjuvabunt Romani ex animo, prout eis tempus permiserit.

℟. In hymnis et, *p.* 545.

Ad. Magnif. Ant. Lugebat autem Judam Israel planctu magno, et dicebat: Quomodo cecidisti, potens in prælio, qui salvum faciebas populum Domini?

DOM. III. OCTOBRIS.

IN I. NOCTURNO.

De libro I. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 9.

INTEREA ut audivit Demetrius quia cecidit Nicanor et exercitus ejus in prælio, apposuit Bacchidem et Alcimum rursum mittere in Judæam, et dextrum cornu cum illis. Et abierunt viam, quæ ducit in Galga-

Digitized by Google

la, et castra posuerunt in Masaloth, quæ est in Arbellis: et occupaverunt eam, et peremerunt animas hominum multas. In mense primo anni centesimi et quinquagesimi secundi applicuerunt exercitum ad Jerusalem, et surrexerunt, et abierunt in Beream viginti millia virorum, et duo millia equitum. Et Judas posuerat castra in Laisa, et tria millia viri electi cum eo: et viderunt multitudinem exercitus quia multi sunt, et timuerunt valde: et multi subtraxerunt se de castris, et non remanserunt ex eis nisi octingenti viri.

℣. Adaperiat Dominus, *p.* 543.

Lectio ij.

ET vidit Judas quod defluxit exercitus suus, et bellum perurgebat eum, et confractus est corde, quia non habebat tempus congregandi eos, et dissolutus est. Et dixit his qui residui erant: Surgamus, et eamus ad adversarios nostros, si poterimus pugnare adversus eos. Et avertebant eum, dicentes: Non poterimus, sed liberemus animas nostras modo, et revertamur ad fratres nostros, et tunc pugnabimus adversus eos: nos autem pauci sumus. Et ait Judas: Absit istam rem facere, ut fugiamus ab eis, et si appropiavit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, et non inferamus crimen gloriæ nostræ. Et movit exercitus de castris, et steterunt illis obviam: et divisi sunt equites in duas partes, et fundibularii, et sagittarii præibant exercitum, et primi certaminis omnes potentes.

℣. Exaudiat Dominus, *p.* 543.

Lectio iij.

BACCHIDES autem erat in dextro cornu, et proximavit legio ex duabus partibus, et clamabant tubis: exclamaverunt autem et hi qui erant ex parte Judæ etiam ipsi et commota est terra a voce exercituum: et commissum est prælium a mane usque ad vesperam. Et vidit Judas quod firmior est pars exercitus Bacchidis in dextris, et convenerunt cum ipso omnes constantes corde; et contrita est dextera pars ab eis, et persecutus est eos usque ad montem Azoti. Et qui in sinistro cornu erant, viderunt quod contritum est dextrum cornu, et secuti sunt post Judam, et eos qui cum ipso erant a tergo: et ingravatum est prælium, et ceciderunt vulnerati multi ex his, et ex illis. Et Judas cecidit, et cæteri fugerunt. Et Jonathas et Simon tulerunt Judam fratrem suum, et sepelierunt eum in sepulchro patrum suorum in civitate Modin. Et fleverunt eum omnis populus Israel planctu magno.

℣. Congregati sunt, *p.* 543.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro Officiorum S. Ambrosii Episcopi.

Lectio iv. *Lib.* i. *c.* 41.

QUIA fortitudo non solum secundis rebus, sed etiam adversis probatur, spectemus Judæ Machabæi exitum. Is enim post victum Nicanorem, regis Demetrii ducem, securior adversus viginti millia exercitus regis, cum octingentis viris bellum adorsus, volentibus his cedere, ne multitudine opprimerentur, gloriosam magis mortem, quam turpem fugam suasit. Ne crimen, inquit, nostræ relinquam gloriæ. Ita commisso prælio, cum a primo ortu diei in vesperam dimicaretur, dextrum cornu, in quo validissimam manum advertit hostium, aggressus, facile avertit. Sed dum fugientes sequitur, a tergo vulneri locum præbuit: itaque gloriosiorem triumphis mortem invenit.

℣. Impetum inimicorum, *p.* 543.

Lectio v.

QUID Jonathan fratrem ejus attexam, qui cum parva manu adversus exercitus regios pugnans, desertus a suis, et cum duobus tantum relictus, reparavit bellum, avertit hostem, fugitantes suos ad societatem revocavit triumphi? Habes

Digitized by Google

fortitudinem bellicam, in qua non mediocris honesti ac decori forma est, quod mortem servituti præferat, ac turpitudini. Quid autem de martyrum dicam passionibus? Et ne longius evagemur, non minorem de superbo rege Antiocho Machabæi pueri revexerunt triumphum, quam parentes proprii, siquidem illi armati, isti sine armis vicerunt.

℟. Congregatæ sunt, *p.* 544.

Lectio vi.

STETIT invicta septem puerorum cohors, regiis cincta legionibus: defecerunt supplicia, cesserunt tortores, non defecerunt martyres. Alius corium capitis exutus, speciem mutaverat, virtutem auxerat. Alius linguam jussus amputandam promere, respondit: Non solos Dominus audit loquentes, qui audiebat Moysen tacentem. Plus audit tacitas cogitationes suorum, quam voces omnium. Linguæ flagellum times, flagellum sanguinis non times? Habet et sanguis vocem suam, qua clamat ad Deum, sicut clamavit in Abel.

℟. Tua est potentia, *p.* 544.

In III. Noct. ℟. vij. *et* viij. *ut ibid.*

FERIA SECUNDA.

De libro I. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 9.

ET congregati sunt omnes amici Judæ, et dixerunt Jonathæ: Ex quo frater tuus Judas defunctus est, vir similis ei non est, qui exeat contra inimicos nostros, Bacchidem, et eos qui inimici sunt gentis nostræ. Nunc itaque te hodie elegimus esse pro eo nobis in principem et ducem ad bellandum bellum nostrum. Et suscepit Jonathas tempore illo principatum, et surrexit loco Judæ fratris sui. Et cognovit Bacchides, et quærebat eum occidere.

℟. Dixit Judas Simoni, *p.* 544.

Lectio ij.

ET cognovit Jonathas, et Simon frater ejus, et omnes qui cum eo erant; et fugerunt in desertum Thecuæ, et consederunt ad aquam lacus Asphar. Et cognovit Bacchides, et die sabbatorum venit ipse et omnis exercitus ejus trans Jordanem. Et Jonathas misit fratrem suum ducem populi, et rogavit Nabuthæos amicos suos ut commodarent illi apparatum suum, qui erat copiosus. Et exierunt filii Jambri ex Madaba, et comprehenderunt Joannem, et omnia quæ habebat, et abierunt habentes ea.

℟. Ornaverunt faciem, *p.* 545.

Lectio iij.

POST hæc verba, renuntiatum est Jonathæ et Simoni fratri ejus, quia filii Jambri faciunt nuptias magnas, et ducunt sponsam ex Madaba, filiam unius de magnis principibus Chanaan, cum ambitione magna; et recordati sunt sanguinis Joannis fratris sui, et abscondérunt se sub tegumento montis. Et elevaverunt oculos suos, et viderunt: et ecce tumultus, et apparatus multus: et sponsus processit, et amici ejus, et fratres ejus obviam illis cum tympanis, et musicis, et armis multis. Et surrexerunt ad eos ex insidiis, et occiderunt eos, et ceciderunt vulnerati multi, et residui fugerunt in montes: et acceperunt omnia spolia eorum.

℟. In hymnis et, *p.* 545.

FERIA TERTIA.

De libro I. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 12.

ET vidit Jonathas quia tempus eum juvat, et elegit viros, et misit eos Romam, statuere et renovare cum eis amicitiam: et ad Spartiatas, et ad alia loca misit epistolas secundum eamdem formam. Et abierunt Romam, et intraverunt curiam, et dixerunt: Jonathas summus sacerdos, et gens Judæorum miserunt nos, ut renovaremus amicitiam et societatem secundum pristinum. Et dederunt illis epistolas ad ipsos per loca, ut deducerent eos in terram Juda cum pace.

Digitized by Google

℟. Hic est fratrum, *p.* 545.

Lectio ij.

ET hoc exemplum epistolarum, quas scripsit Jonathas Spartiatis: Jonathas summus sacerdos, et seniores gentis, et sacerdotes, et reliquus populus Judæorum, Spartiatis fratribus salutem. Jampridem missæ erant epistolæ ad Oniam summum sacerdotem ab Ario, qui regnabat apud vos, quoniam estis fratres nostri, sicut rescriptum continet, quod subjectum est Et suscepit Onias virum, qui missus fuerat, cum honore, et accepit epistolas, in quibus significabatur de societate et amicitia.

℟. Tu Domine, *p.* 545.

Lectio iij.

NOS, cum nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris, maluimus mittere ad vos renovare fraternitatem et amicitiam, ne forte alieni efficiamur a vobis: multa enim tempora transierunt, ex quo misistis ad nos. Nos ergo in omni tempore sine intermissione in diebus solemnibus, et cæteris quibus oportet, memores sumus vestri in sacrificiis quæ offerimus, et in observationibus, sicut fas est, et decet meminisse fratrum.

℟. Aperi oculos tuos, *p.* 545.

FERIA QUARTA.

De libro I. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 12.

ET cum cogitasset Tryphon regnare Asiæ, et assumere diadema, et extendere manum in Antiochum regem; timens ne forte non permitteret eum Jonathas, sed pugnaret adversus eum, quærebat comprehendere eum, et occidere. Et exurgens abiit in Bethsan. Et exivit Jonathas obviam illi cum quadraginta millibus virorum electorum in prælium, et venit Bethsan. Et vidit Tryphon quia venit Jonathas cum exercitu multo ut extenderet in eum manus, et timuit. Et excepit eum cum honore, et commendavit eum omnibus amicis suis, et dedit ei munera, et præcepit exercitibus suis ut obedirent ei, sicut sibi.

℟. Refulsit sol, *p.* 544.

Lectio ij.

ET dixit Jonathæ: Ut quid vexasti universum populum, cum bellum nobis non sit? Et nunc remitte eos in domos suas: elige autem tibi viros paucos qui tecum sint, et veni mecum Ptolemaidam, et tradam eam tibi, et reliqua præsidia, et exercitum, et universos præpositos negotii, et conversus abibo: propterea enim veni. Et credidit ei, et fecit sicut dixit; et dimisit exercitum, et abierunt in terram Juda. Retinuit autem secum tria millia virorum, ex quibus remisit in Galilæam duo millia, mille autem venerunt cum eo.

℟. Ornaverunt faciem, *p.* 545.

Lectio iij.

UT autem intravit Ptolemaidam Jonathas, clauserunt portas civitatis Ptolemenses, et comprehenderunt eum, et omnes qui cum eo intraverant, gladio interfecerunt. Et misit Tryphon exercitum et equites in Galilæam, et in campum magnum, ut perderent omnes socios Jonathæ. At illi, cum cognovissent quia comprehensus est Jonathas, et periit, et omnes qui cum eo erant, hortati sunt semetipsos, et exierunt parati in prælium. Et videntes hi qui insecuti fuerant, quia pro anima res est illis, reversi sunt: illi autem venerunt omnes cum pace in terram Juda. Et planxerunt Jonathan, et eos qui cum ipso fuerant, valde.

℟. In hymnis et, *p.* 545.

FERIA QUINTA.

De libro I. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 13.

ET audivit Simon quod congregavit Tryphon exercitum copiosum ut veniret in terram Juda, et attere-

Digitized by Google

ret eam. Videns quia in tremore populus est, et in timore, ascendit Jerusalem, et congregavit populum, et adhortans dixit: Vos scitis quanta ego, et fratres mei, et domus patris mei, fecimus pro legibus et pro sanctis prælia, et angustias quales vidimus: horum gratia perierunt fratres mei omnes propter Israel, et relictus sum ego solus. Et nunc non mihi contingat parcere animæ meæ in omni tempore tribulationis: non enim melior sum fratribus meis. Vindicabo itaque gentem meam, et sancta, natos quoque nostros, et uxores: quia congregatæ sunt universæ Gentes conterere nos inimicitiæ gratia.

℟. Adaperiat Dominus, *p.* 543.

Lectio ij.

ET accensus est spiritus populi simul ut audivit sermones istos, et responderunt voce magna, dicentes: Tu es dux noster loco Judæ, et Jonathæ fratris tui: pugna prælium nostrum, et omnia quæcumque dixeris nobis, faciemus. Et congregans omnes viros bellatores, acceleravit consummare universos muros Jerusalem, et munivit eam in gyro. Et misit Jonathan filium Absalomi, et cum eo exercitum novum in Joppen, et ejectis his qui erant in ea, remansit illic ipse. Et movit Tryphon a Ptolemaida cum exercitu multo, ut veniret in terram Juda, et Jonathas cum eo in custodia. Simon autem applicuit in Addus contra faciem campi.

℟. Exaudiat Dominus, *p.* 543.

Lectio iij.

ET ut cognovit Tryphon quia surrexit Simon loco fratris sui Jonathæ, et quia commissurus esset cum eo prælium, misit ad eum legatos, dicens: Pro argento, quod debebat frater tuus Jonathas in ratione regis, propter negotia quæ habuit, detinuimus eum. Et nunc mitte argenti talenta centum, et duos filios ejus obsides, ut non dimissus fugiat a nobis, et remittemus eum. Et cognovit Simon quia cum dolo loqueretur secum; jussit tamen dari argentum et pueros, ne inimicitiam magnam sumeret ad populum Israel, dicentem: Quia non misit ei argentum et pueros, propterea periit. Et misit pueros, et centum talenta: et mentitus est, et non dimisit Jonathan.

℟. Congregati sunt, *p.* 543.

FERIA SEXTA

De libro I. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 14.

ET auditum est Romæ, quia defunctus esset Jonathas, et usque in Spartiatas, et contristati sunt valde. Ut audierunt autem quod Simon frater ejus factus esset summus sacerdos loco ejus, et ipse obtineret omnem regionem, et civitates in ea, scripserunt ad eum in tabulis æreis, ut renovarent amicitias et societatem quam fecerant cum Juda et cum Jonatha fratribus ejus. Et lectæ sunt in conspectu ecclesiæ in Jerusalem. Et hoc exemplum epistolarum, quas Spartiatæ miserunt.

℟. Impetum inimicorum, *p.* 543.

Lectio ij.

SPARTIANORUM principes, et civitates, Simoni sacerdoti magno, et senioribus, et sacerdotibus, et reliquo populo Judæorum, fratribus salutem. Legati, qui missi sunt ad populum nostrum, nuntiaverunt nobis de vestra gloria, et honore, ac lætitia, et gavisi sumus in introitu eorum. Et scripsimus quæ ab eis erant dicta in conciliis populi, sic: Numenius Antiochi, et Antipater Jasonis filius, legati Judæorum, venerunt ad nos, renovantes nobiscum amicitiam pristinam. Et placuit populo excipere viros gloriose, et ponere exemplum sermonum eorum in segregatis populi libris, ut sit ad memoriam populo Spartiatarum. Exemplum autem horum scripsimus Simoni magno sacerdoti.

℟. Congregatæ sunt, *p.* 544.

Digitized by Google

Lectio iij.

POST hæc autem misit Simon Numenium Romam, habentem clypeum aureum magnum, pondo mnarum mille, ad statuendam cum eis societatem. Cum autem audisset populus Romanus sermones istos, dixerunt: Quam gratiarum actionem redemus Simoni et filiis ejus? Restituit enim ipse fratres suos, et expugnavit inimicos Israel ab eis? Et statuerunt ei libertatem, et descripserunt in tabulis æreis, et posuerunt in titulis in Monte Sion.

℟. Tua est potentia, *p.* 544.

SABBATO

De libro I. Machabeorum.

Lectio j. Cap. 16.

SIMON autem perambulans civitates quæ erant in regione Judææ, et sollicitudinem gerens earum, descendit in Jericho ipse, et Mathathias filius ejus, et Judas, anno centesimo septuagesimo septimo, mense undecimo: hic est mensis Sabath. Et suscepit eos filius Abobi in munitiunculam, quæ vocatur Doch, cum dolo, quam ædificavit; et fecit eis convivium magnum, et abscondit illic viros. Et cum inebriatus esset Simon, et filii ejus, surrexit Ptolemæus cum suis, et sumpserunt arma sua, et intraverunt in convivium, et occiderunt eum, et duos filios ejus, et quosdam pueros ejus. Et fecit deceptionem magnam in Israel, et reddidit mala pro bonis.

℟. Refulsit sol, *p.* 544.

Lectio ij.

ET scripsit hæc Ptolemæus, et misit regi ut mitteret ei exercitum in auxilium, et traderet ei regionem, et civitates eorum, et tributa. Et misit alios in Gazaram tollere Joannem, et tribunis misit epistolas, ut venirent ad se, et daret eis argentum, et aurum, et dona. Et alios misit occupare Jerusalem, et montem templi. Et præcurrens quidam, nuntiavit Joanni in Gazara, quia periit pater ejus, et fratres ejus, et quia misit te quoque interfici.

℟. Ornaverunt faciem, *p.* 545.

Lectio iij.

UT audivit autem, vehementer expavit; et comprehendit viros, qui venerant perdere eum, et occidit eos: cognovit enim quia quærebant eum perdere. Et cætera sermonum Joannis, et bellorum ejus, et bonarum virtutum quibus fortiter gessit, et ædificii murorum quos extruxit, et rerum gestarum ejus, ecce hæc scripta sunt in libro dierum sacerdotii ejus, ex quo factus est princeps sacerdotum post patrem suum.

℟. In hymnis et, *p.* 545.

Ad Magnif. Ant. Exaudiat Dominus orationes vestras, et reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo Dominus Deus noster.

DOM. IV. OCTOBRIS.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber II. Machabæorum.

Lectio j. Cap. I.

FRATRIBUS qui sunt per Ægyptum Judæis, salutem dicunt fratres qui sunt in Jerosolymis Judæi, et qui in regione Judææ, et pacem bonam. Benefaciat vobis Deus, et memineri testamenti sui quod locutus est ad Abraham, et Isaac, et Jacob, servorum suorum fidelium; et det vobis cor omnibus, ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem corde magno, et animo volenti. Adaperiat cor vestrum in lege sua et in præceptis suis, et faciat pacem. Exaudiat orationes vestras, et reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo. Et nunc hic sumus orantes pro vobis.

℟. Adaperiat Dominus, *p.* 543.

Lectio ij.

FACTURI igitur quinta et vigesima die mensis Casleu purificationem templi, necessarium duximus significare vobis, ut et vos quoque agatis diem scenopegiæ, et diem ignis, qui datus est quando Nehe-

Digitized by Google

mias, ædificato templo et altari, obtulit sacrificia. Nam cum in Persidem ducerentur patres nostri, sacerdotes qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occulte absconderunt in valle, ubi erat puteus altus et siccus, et in eo contutati sunt eum, ita ut omnibus ignotus esset locus.

℟. Exaudiat Dominus, *p.* 543.

Lectio ij.

CUM autem præterissent anni multi, et placuit Deo ut mitteretur Nehemias a rege Persidis, nepotes sacerdotum illorum, qui absconderant, misit ad requirendum ignem, et sicut narraverunt nobis, non invenerunt ignem, sed aquam crassam. Et jussit eos haurire, et afferre sibi, et sacrificia, quæ imposita erant, jussit sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua, et ligna, et quæ erant superposita. Utque hoc factum est, et tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est iguis magnus, ita ut omnes mirarentur.

℟. Congregati sunt, *p.* 543.

IN II. NOCTURNO.

Ex Tract. S. Joannis Chrysostomi super psalmum quadragesimum tertium.

Lectio iv.

DEUS, auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum. Hunc psalmum dixit quidem Propheta; dicit autem non ex persona propria, sed ex persona Machabæorum, narrans et prædicens quæ futura erant illo tempore. Tales enim sunt Prophetæ: omnia tempora percurrunt, præsentia, præterita, futura. Quinam sint autem hi Machabæi, quidque passi sint, et quid fecerint, necessarium est primum dicere, ut sint apertiora quæ in argumento dicuntur. Ii enim, cum invasisset Judæam Antiochus qui dictus est Epiphanes, et omnia devastasset, et multos qui tunc erant, a patriis institutis resilire coegisset, permanserunt illæsi ab illis tentationibus.

℟. Impetum inimicorum, *p.* 543.

Lectio v.

ET quando grave quidem bellum ingruebat, nec quidquam possent facere quod prodesset, se abscondebant: nam hoc quoque fecerunt Apostoli. Non enim semper apparentes in media irruebant pericula, sed nonnunquam et fugientes, et latentes secedebant. Postquam autem parum respirarunt, tanquam generosi quidam catuli ex antris exilientes, et e latebris emergentes, statuerunt non se amplius solos servare, sed etiam alios quoscumque possent: et civitatem et omnem regionem obeuntes, collegerunt quotquot invenerunt adhuc sanos et integros, et multos etiam qui laborabant, et corrupti erant, in statum pristinum redegerunt, eis persuadentes redire ad legem patriam.

℟. Congregatæ sunt, *p.* 544.

Lectio vj.

DEUM enim dicebant esse benignum et clementem, nec unquam adimere salutem, quæ proficiscitur ex pœnitentia. Hæc autem dicentes, habuerunt delectum fortissimorum virorum. Non enim pro uxoribus, liberis, et ancillis, patriæque eversione et captivitate, sed pro lege et patria republica pugnabant. Eorum autem dux erat Deus. Cum ergo aciem dirigerent, et suas animas prodigerent, fundebant adversarios, non armis fidentes, sed loco omnis armaturæ, pugnæ causam sufficere ducentes. Ad bellum autem euntes non tragœdias excitabant, non pæana canebant, sicut nonnulli faciunt: non adsciverunt tibicines, ut fit in aliis castris: sed Dei superne auxilium invocabant, ut adesset, opem ferret, et manum præberet, propter quem bellum gerebant, pro cujus gloria decertabant.

℟. Tua est potentia, *p.* 544.

In III. Noct. ℟. vij. *et* viij. *ut ibid.*

FERIA SECUNDA.

De libro II. Machebæorum.

Digitized by Google

Lectio j. Cap. 2.

INVENITUR autem in descriptionibus Jeremiæ Prophetæ, quod jussit eos ignem accipere qui transmigrabant, utſ significatum est, et ut mandavit transmigratis. Et dedit illis legem, ne obliviscerentur præcepta Domini, et ut non exerrarent mentibus, videntes simulacra aurea et argentea, et ornamenta eorum. Et alia hujusmodi dicens, hortabatur ne legem amoverent a corde suo.

℟. Dixit Judas Simoni, *p.* 544.

Lectio ij.

ERAT autem in ipsa Scriptura quomodo tabernaculum et arcam jussit Propheta divino responso ad se facto comitari secum usquequo exit in montem, in quo Moyses ascendit, et vidit Dei hæreditatem. Et veniens ibi Jeremias invenit locum speluncæ, et tabernaculum, et arcam, et altare incensi intulit illuc, et ostium obstruxit. Et accesserunt quidam simul, qui sequebantur, ut notarent sibi locum, et non potuerunt invenire.

℟. Ornaverunt faciem, *p.* 545.

Lectio iij.

UT autem cognovit Jeremias, culpans illos, dixit: Quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, et propitius fiat: et tunc Dominus ostendet hæc, et apparebit majestas Domini, et nubes erit, sicut et Moysi manifestabatur, et sicut cum Salomon petiit ut locus sanctificaretur magno Deo, manifestabat hæc. Magnifice etenim sapientiam tractabat; et ut sapientiam habens, obtulit sacrificium dedicationis et consummationis templi.

℟. In hymnis et, *p.* 545.

FERIA TERTIA.

De libro II. Machabæorum.

Lectio i. Cap. 3.

IGITUR cum sancta civitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optime custodirentur, propter Oniæ Pontificis pietatem, et animos odio habentes mala, fiebat ut et ipsi reges et principes locum summo honore dignum ducerent, et templum maximis muneribus illustrarent: ita ut Seleucus Asiæ rex de reditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. Simon autem de tribu Benjamin præpositus templi constitutus, contendebat, obsistente sibi principe sacerdotum, iniquum aliquid in civitate moliri.

℟. Hic est fratrum, *p.* 545.

Lectio ij.

SED cum vincere Oniam non posset, venit ad Apollonium Tarsæ filium, qui eo tempore erat dux Cœlesyriæ et Phœnicis, et nuntiavit ei pecuniis innumerabilibus plenum esse ærarium Jerosolymis, et communes copias immensas esse, quæ non pertinent ad rationem sacrificiorum: esse autem possibile sub potestate regis cadere universa. Cumque retulisset ad regem Apollonius de pecuniis quæ delatæ erant, ille accitum Heliodorum, qui erat super negotia ejus, misit cum mandatis, ut prædictam pecuniam transportaret. Statimque Heliodorus iter est aggressus, specie quidem quasi per Cœlesyriam et Pœnicem civitates esset peragraturus, revera autem regis propositum perfecturus.

℟. Tu Domine, *p.* 545.

Lectio iij.

SED cum venisset Jerosolymam, et benigne a summo sacerdote in civitate esset exceptus, narravit de dato indicio pecuniarum, et cujus rei gratia adesset aperuit: interrogabat autem si vere hæc ita essent. Tunc summus sacerdos ostendit deposita esse hæc, et victualia viduarum, et pupillorum; quædam vero esse Hircani Tobiæ, viri valde eminentis, in his quæ detulerat impius Simon: universa autem argenti talenta esse quadringenta, et auri ducenta. Decipi vero eos qui credidissent loco, et templo, quod per universum mundum honoratur pro sui veneratione et sanctitate omnino impossibile esse.

℟. Aperi oculos tuos, *p.* 545.

Digitized by Google

FERIA QUARTA.

De libro II. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 3.

HELIODORUS autem, quod decreverat, perficiebat eodem loco ipse cum satellitibus circa ærarium præsens. Sed Spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis evidentiam, ita ut omnes qui ausi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute, in dissolutionem et formidinem converterentur. Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem optimis operimentis adornatus: isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit. Qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea.

℟. Refulsit sol, *p.* 544.

Lectio ij.

ALII etiam apparuerunt duo juvenes virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu, qui circumsteterunt eum, et ex utraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes. Subito autem Heliodorus concidit in terram, cumque multa caligine circumfusum rapuerunt, atque in sella gestatoria positum ejecerunt. Et is qui cum multis cursoribus, et satellitibus prædictum ingressus est ærarium, portabatur nullo sibi auxilium ferente, manifesta Dei cognita virtute. Et ille quidem per divinam virtutem jacebat mutus, atque omni spe et salute privatus.

℟. Ornaverunt faciem, *p.* 545.

Lectio iij.

CONSIDERANS autem summus sacerdos, ne forte rex suspicaretur malitiam aliquam ex Judæis circa Heliodorum consummatam, obtulit pro salute viri hostiam salutarem. Cumque summus sacerdos exoraret, iidem juvenes eisdem vestibus amicti, astantes Heliodoro dixerunt: Oniæ sacerdoti gratias age: nam propter eum Dominus tibi vitam donavit. Tu autem a Deo flagellatus, nuntia omnibus magnalia Dei et potestatem. Et his dictis, non comparuerunt.

℟. In hymnis et, *p.* 545.

FERIA QUINTA.

Si hæc Hebd. fuerit ultima Octobris, in tribus. seq. diebus leguntur Lect. Dom. V., et Feriæ ij. *et* lij. *ejusdem Hebd. Qui si fuerint impediti, eo anno omittantur illæ Lect., quæ his diebus legi non possunt. Si vero in seq. Hebd. hæ Lect. in suis Feriis legi non possint, ponantur in seq. Feriis ejusdem Hebd. juxta ordinem historiæ et martyrii Machabæor.*

De libro II. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 4.

SIMON autem prædictus pecuniarum et patriæ delator, male loquebatur de Onia, tanquam ipse Heliodorum instigasset ad hæc, et ipse fuisset incentor malorum: provisoremque civitatis, ac defensorem gentis suæ, et æmulatorem legis Dei, audebat insidiatorem regni dicere. Sed cum inimicitiæ in tantum procederent, ut etiam per quosdam Simonis necessarios homicidia fierent, considerans Onias periculum contentionis, et Apollonium insanire, utpote ducem Cœlesyriæ et Phœnicis, ad augendam malitiam Simonis, ad regem se contulit, non ut civium accusator, sed communem utilitatem apud semetipsum universæ multitudinis considerans.

℟. Adaperiat Dominus, *p.* 543.

Lectio ij.

VIDEBAT enim sine regali providentia impossibile esse pacem rebus dari, nec Simonem posse cessare a stultitia sua. Sed post Seleuci vitæ excessum, cum suscepisset regnum Antiochus, qui nobilis appellabatur, ambiebat Jasou frater Oniæ summum sacerdotium: adito rege, promittens ei argenti talenta trecenta sexaginta, et ex redditibus aliis talenta octoginta, super hæc promittebat et alia centum quinquaginta, si po-

Digitized by Google

testati ejus concederetur gymnasium et ephebiam sibi constituere, et eos, qui in Jerosolymis erant, Antiochenos scribere.

℣. Exaudiat Dominus, *p.* 543.

Lectio iij.

QUOD cum rex annuisset, et obtinuisset principatum, statim ad Gentilem ritum contribules suos transferre cœpit. Et annotis his, quæ humanitatis causa Judæis a regibus fuerant constituta, per Joannem patrem Eupolemi, qui apud Romanos de amicitia et societate functus est legatione legitima, civium jura destituens, prava institnta sanciebat.

℣. Congregati sunt, *p.* 543.

FERIA SEXTA.

De libro II. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 5.

EODEM tempore Antiochus secundam profectionem paravit in Ægyptum. Contigit autem per universam Jerosolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aera equites discurrentes, auratas stolas habentes, et hastis, quasi cohortes, armatos, et cursus equorum per ordines digestos, et congressiones fieri cominus, et scutorum motus, et galeatorum multitudinem gladiis districtis, et telorum jactus, et aureorum armorum splendorem, omnisque generis loricarum. Quapropter omnes rogabant in bonum monstra converti.

℣. Impetum inimicorum, *p.* 543.

Lectio ii.

SED cum falsus rumor exisset, tamquam vita excessisset Antiochus, assumptis Jason non minus mille viris, repente aggressus est civitatem; et civibus ad murum convolantibus, ad ultimum apprehensa civitate, Menelaus fugit in arcem: Jason vero non parcebat in cæde civibus suis, nec cogitabat prosperitatem adversum cognatos malum esse maximum, arbitrans hostium et non civium se trophæa capturum. Et principatum quidem non obtinuit, finem vero insidiarum suarum confusionem accepit, et profugus iterum abiit in Ammaniten.

℣. Congregatæ sunt, *p.* 544.

Lectio iij.

AD ultimum in exitium sui conclusus ab Areta Arabum tyranno, fugiens de civitate in civitatem, omnibus odiosus, ut refuga legum et execrabilis, ut patriæ et civium hostis, in Ægyptum extrusus est: et qui multos de patria sua expulerat, peregre periit, Lacedæmonas profectus quasi pro cognatione ibi refugium habiturus: et qui insepultos multos abjecerat, ipse et illamentatus, et insepultus abjicitur, sepultura neque peregrina usus, neque patrio sepulchro participans.

℣. Tua est potentia, *p.* 544.

SABBATO.

De libro II. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 6.

SED non post multum temporis misit rex Antiochus senem quemdam Antiochenum, qui compelleret Judæos ut se transferrent a patriis et Dei legibus: contaminare etiam quod in Jerosolymis erat templum, et cognominare Jovis Olympii; et in Garizim, prout erant hi, qui locum inhabitabant, Jovis hospitalis. Pessima autem et universis gravis erat malorum incursio: nam templum luxuria et commessationibus Gentium erat plenum, et scortantium cum meretricibus; sacratisque ædibus mulieres se ultro ingerebant, intro ferentes ea quæ non licebat.

℣. Refulsit sol, *p.* 544.

Lectio ij.

ALTARE etiam plenum erat illicitis, quæ legibus prohibebantur. Neque autem sabbata custodiebantur, neque dies solemnes patrii servabantur, nec simpliciter Judæum se esse quisquam confitebatur. Ducebantur autem cum amara necessitate in

Digitized by Google

die natalis regis ad sacrificia : et cum Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hedera coronati Libero circuire. Decretum autem exiit in proximas Gentilium civitates, suggerentibus Ptolemæis, ut pari modo et ipsi adversus Judæos agerent, ut sacrificarent : eos autem qui nollent transire ad instituta Gentium, interficerent : erat ergo videre miseriam.

℟. Ornaverunt faciem, *p.* 545.

Lectio iij.

DUÆ enim mulieres delatæ sunt natos suos circumcidisse : quas, infantibus ad ubera suspensis, cum publice per civitatem circumduxissent, per muros præcipitaverunt. Alii vero ad proximas coeuntes speluncas, et latenter sabbati diem celebrantes, cum indicati essent Philippo, flammis successi sunt, eo quod verebantur, propter religionem et observantiam, manu sibimet auxilium ferre. Obsecro autem eos, qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter adversos casus, sed reputent ea quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri.

℟. In hymnis et, *p.* 545.

SABBATO

Ante Dom. V. Octobris, nisi sit dimittenda, quia hæc proximior sit Kalendis Novembris.

Ad Magnif. Ant. Tua est potentia, tuum regnum, Domine : tu es super omnes Gentes : da pacem, Domine, in diebus nostris.

DOM. V. OCTOBRIS

IN I. NOCTURNO.

De libro II. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 6.

IGITUR Eleazarus unus de primoribus Scribarum, vir ætate provectus, et vultu decorus aperto ore bians, compellabatur carnem porcinam manducare. At ille gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad supplicium. Intuens autem quemadmodum oporteret accedere, patienter sustinens, destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem. Hi autem qui astabant, iniqua miseratione commoti, propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum secreto rogabant afferri carnes, quibus vesci ei licebat, ut simularetur manducasse, sicut rex imperaverat, de sacrificii carnibus, ut hoc facto a morte liberaretur : et propter veterem viri amicitiam, hanc in eo faciebant humanitatem.

℟. Adaperiat Dominus, *p.* 543.

Lectio ij.

AT ille cogitare cœpit ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, et ingenitæ nobilitatis canitiem, atque a puero optimæ conversationis actus ; et secundum sanctæ et a Deo conditæ legis constituta respondit cito, dicens, præmitti se velle in infernum. Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere, ut multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, et ipsi propter meam simulationem, et propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, et per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram. Nam etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam. Quamobrem fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo ; adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo, ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar. His dictis, confestim ad supplicium trahebatur.

℟. Exaudiat Dominus, *p.* 543.

Lectio iij. Cap. 7.

CONTIGIT autem et septem fratres una cum matre sua apprehensos compelli a rege edere contra fas carnes porcinas, flagris et taureis cruciatos. Unus autem ex illis, qui erat primus, sic ait : Quid quæris, et quid vis discere a nobis ? parati

Digitized by Google

sumtus mori, magis quam patrias Dei leges prævaricari. Iratus itaque rex jussit sartagines et ollas æneas succendi : quibus statim succensis, jussit ei, qui prior fuerat locutus, amputari linguam, et cute capitis abstracta, summas quoque manus et pedes ei præscindi, cæteris ejus fratribus et matre inspicientibus. Et cum jam per omnia inutilis factus esset, jussit ignem admoveri, et adhuc spirantem torreri in sartagine : in qua cum diu cruciaretur, cæteri una cum matre invicem se hortabantur mori fortiter.

℟. Congregati sunt, *p.* 543.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Gregorii Nazianzeni.

Oratione 20. *de Machab.*

Lectio iv.

ELEAZARUS primitiæ eorum, qui hic ante Christum sunt passi, quemadmodum post Christum Stephanus. Is vir et sacerdos et senex, canus capillis, canus et prudentia, prius quidem pro populo sacrificabat et orabat : nunc autem semetipsum hostiam obtulit Deo perfectissimam, ad totius populi expiationem, faustum certaminis initium, ad quod loqueus pariter ac tacens cohortabatur. Obtulit autem et filios septem, suæ fructus disciplinæ, hostiam viventem, sanctam, beneplacitam Deo, omni legali sacrificio splendidiorem et puriorem : quæ sunt enim filiorum, ad patrem referri, æquissimum ac justissimum est.

℟. Impetum inimicorum, *p.* 543.

Lectio v.

IBI tum generosi et magnanimi pueri, generosæ matris nobilis proles, gloriosi veritatis propugnatores, Antiochi temporibus excelsiores, veri Mosaicæ legis discipuli, paternorum rituum observantissimi, numerus apud Hebræos laudabilis, et propter septenariæ quietis mysterium venerabilis, unum spirantes, unum spectantes, unum illud ad vitam iter agnoscentes, ut mortem Dei causa susciperent, non minus animis fratres quam corporibus, inter se mutuæ mortis æmuli : o rem admirandam ! tormenta quasi thesauros præripientes, pro magistra lege pericula subeuntes, quæ non magis illata formidabant, quam relicta requirebant : unum illud veriti, ne tyrannus a pœnis desisteret, ne quis ipsorum sine coronæ præmio discederet, ne inviti fratres alii ab alio sejungerentur, et ne in ea discrimine cruciatibus erepti, mala victoria superarent.

℟. Congregatæ sunt, *p.* 544.

Lectio vj.

ERAT ibi fortis et generosa mater, puerorum simul ac Dei amans, cujus materna viscera supra naturæ consuetudinem dilaniabantur. Non enim filiorum, qui in tormentis erant, miserebatur ; sed timore angebatur, ne non ea susciperent : neque magis eos, qui e vita migraverant, desiderabat, quam precabatur, ut reliqui cum illis conjungerentur : de quibus filiis magis quam de mortuis erat sollicita. Horum enim dubium erat certamen, at illorum securus vitæ exitus : atque illos quidem jam Deo adjunxerat ; de his vero, quomodo eos Deus susciperet, laborabat. O virilem animum in corpore muliebri ! o admirabile magni animi incrementum !

℟. Tua est potentia, *p.* 544.

In III. Noct. ℟. vij. *et* viij. *ut ibid.*

FERIA SECUNDA.

De libro II. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 7.

MORTUO itaque illo primo, hoc modo, sequentem deducebant ad illudendum : et cute capitis ejus cum capillis abstracta, interrogabant si manducaret prius quam toto corpore per membra singula puniretur. At ille respondens patria voce, dixit : Non faciam. Propter quod et iste sequenti loco, primi tormenta suscepit, et in ultimo spiritu constitutus, sic

Digitized by Google

ait : Tu quidem, scelestissime, in præsenti vita nos perdis : sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. Post hunc tertius illuditur, et linguam postulatus cito protulit, et manus constanter extendit, et cum fiducia ait : E cælo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero. Ita ut rex, et qui cum ipso erant, mirarentur adoloscentis animum, quod tamquam nihilum duceret cruciatus.

℟. Dixit Judas Simoni, *p.* 544.

Lectio ij.

ET hoc ita defuncto, quartum vexabant similiter torquentes. Et cum jam esset ad mortem, sic ait : Potius est ab hominibus morti datos, spem expectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos : tibi enim resurrectio ad vitam non erit. Et cum admovissent quintum, vexabant eum. At ille respiciens in eum, dixit : Potestatem inter homines habens, cum sis corruptibilis, facis quod vis : noli autem putare genus nostrum a Deo esse derelictum. Tu autem patienter sustine, et videbis magnam potestatem ipsius, qualiter te et semen tuum torquebit. Post hunc ducebant sextum. Et is mori incipiens, sic ait : Noli frustra errare; nos enim propter nosmetipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum, et digna admiratione facta sunt in nobis : tu autem ne existimes tibi impune futurum, quod contra Deum pugnare tentaveris.

℟. Ornaverunt faciem, *p.* 545.

Lectio iij.

SUPRA modum autem mater mirabilis, et bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat propter spem quam in Deum habebat : singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia : et femineæ cogitationi masculinum animum insereus, dixit ad eos : Nescio qualiter in utero meo apparuistis : neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi ; sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet et vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges ejus.

℟. In hymnis et, *p.* 545.

FERIA TERTIA.

De libro II. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 7.

ANTIOCHUS autem contemni se arbitratus, simul et exprobrantis voce despecta, cum adhuc adolescentior superesset, non solum verbis hortabatur, sed et cum juramento affirmabat se divitem et beatum facturum, et translatum a patriis legibus amicum habiturum, et res necessarias ei præbiturum. Sed ad hæc cum adolescens nequaquam inclinaretur, vocavit rex matrem, et suadebat ei ut adolescenti fieret in salutem. Cum autem multis eam verbis esset hortatus, promisit suasuram se filio suo. Itaque inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum, ait patria voce : Fili mi, miserere mei, quæ te in utero novem mensibus portavi, et lac triennio dedi, et alui, et in ætatem istam perduxi.

℟. Hic est fratrum, *p.* 545.

Lectio ij.

PETO, nate, ut aspicias ad cœlum et terram, et ad omnia quæ in eis sunt, et intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, et hominum genus : ita fiet, ut non timeas carnificem istum, sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam. Cum hæc illa adhuc diceret, ait adolescens : Quem sustinetis? non obedio præcepto regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysen. Tu vero, qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos,

Digitized by Google

non effugies manum Dei. Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur. Et si nobis propter increpationem et correptionem Dominus Deus noster modicum iratus est, sed iterum reconciliabitur servis suis.

℟. Tu Domine; *p.* 545.

Lectio iij.

TU autem, o sceleste, et omnium hominum flagitiosissime, noli frustra extolli vanis spebus in servos ejus inflammatus. Nondum enim omnipotentis Dei, et omnia inspicientis, judicium effugisti. Nam fratres mei, modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt: tu vero judicio Dei justas superbiæ tuæ pœnas exolves. Ego autem, sicut et fratres mei, animam et corpus meum trado pro patriis legibus, invocans Deum maturius genti nostræ propitium fieri, teque cum tormentis et verberibus confiteri quod ipse est Deus solus. In me vero, et in fratribus meis desinet Omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum juste superducta est. Tunc rex accensus ira, in hunc super omnes crudelius desævit, indigne ferens se derisum. Et hic itaque mundus obiit, per omnia in Domino confidens. Novissime autem post filios et mater consumpta est.

℟. Aperi oculos tuos, *p.* 545.

FERIA QUARTA.

De libro II. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 8.

CONSTITUIT autem Nicanor, ut regi tributum, quod Romanis erat daudum, duo millia talentorum, de captivitate Judæorum suppleret, statimque ad maritimas civitates misit, convocans ad coemptionem Judaicorum mancipiorum, promittens se nonaginta mancipia talento distracturum, non respiciens ad vindictam quæ eum ab Omnipotente esset consecutura. Judas autem ubi comperit, indicavit his qui secum erant Judæis, Nicanoris adventum. Ex quibus quidam formidantes, et non credentes Dei justitiæ, in fugam vertebantur: alii vero, si quid eis supererat, vendebant, simulque Dominum deprecabantur, ut eriperet eos ab impio Nicanore.

℟. Refulsit sol, *p.* 545.

Lectio ij.

CONVOCATIS autem Machabæus septem millibus, qui cum ipso erant, rogabat ne hostibus reconciliarentur, neque metuerent inique venientium adversum se hostium multitudinem, sed fortiter contenderent, ante oculos habentes contumeliam, quæ loco sancto ab his injuste esset illata, itemque et ludibrio habitæ civitatis injuriam, adhuc etiam veterum instituta convulsa. Nam illi quidem armis confidunt, ait, simul et audacia; nos autem in omnipotente Domino, qui potest et venientes adversum nos, et universum mundum uno nutu delere, confidimus. Admonuit autem eos et de auxiliis Dei, quæ facta sunt erga parentes, et quod sub Sennacherib centum octoginta quinque millia perierunt.

℟. Ornaverunt faciem, *p.* 545.

Lectio iij.

HIS verbis constantes effecti sunt, et pro legibus et patria mori parati. Constituit itaque fratres suos duces utrique ordini Simonem, et Josephum, et Jonathan, subjectis unicuique millenis et quingentenis. Ad hoc etiam ab Esdra lecto illis sancto libro, et dato signo adjutorii Dei, in prima acie ipse dux commisit cum Nicanore. Et facto sibi adjutore Omnipotente, interfecerunt super novem millia hominum: majorem autem partem exercitus Nicanoris vulneribus debilem factam fugere compulerunt. Pecuniis vero eorum, qui ad emptionem ipsorum venerant, sublatis, ipsos usquequaque persecuti sunt; sed reversi sunt hora conclusi: nam erat ante sabbatum; quam ob causam non perseveraverunt insequentes. Arma autem ipsorum et spolia congregantes, sabbatum agebant, benedi-

Digitized by Google

centes Dominum, qui liberavit eos in isto die, misericordiæ initium stillans in eos. Post sabbatum vero debilibus, et orphanis, et viduis diviserunt spolia, et residua ipsi cum suis habuere.

℟. In hymnis et, *p.* 545.

FERIA QUINTA.

De libro II. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 9.

EODEM tempore Antiochus inhoneste revertebatur de Perside. Intraverat enim in eam, quæ dicitur Persepolis, et tentavit expoliare templum, et civitatem opprimere: sed multitudine ad arma concurrente, in fugam versi sunt; et ita contigit ut Antiochus post fugam turpiter rediret. Et cum venisset circa Ecbatanam, recognovit quæ erga Nicanorem et Timotheum gesta sunt. Elatus autem in ira, arbitrabatur se injuriam illorum, qui se fugaverant, posse in Judæos retorquere: ideoque jussit agitari currum suum, sine intermissione agens iter, cœlesti eum judicio perurgente, eo quod ita superbe locutus est se venturum Jerosolymam, et congeriem sepulchri Judæorum eam facturum.

℟. Adaperiat Dominus, *p.* 542.

Lectio ij.

SED qui universa conspicit Dominus Deus Israel, percussit eum insanabili et invisibili plaga. Ut enim finivit hunc ipsum sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum, et amara internorum tormenta: et quidem satis juste, quippe qui multis et novis cruciatibus aliorum torserat viscera, licet ille nullo modo a sua malitia cessaret. Super hoc autem superbia repletus, ignem spirans animo in Judæos, et præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, et gravi corporis collisione membra vexari.

℟. Exaudiat Dominus, *p.* 543.

Lectio iij.

ISQUE qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, et montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans: ita ut de corpore impii vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius et fœtore exercitus gravaretur. Et qui paulo ante sidera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare.

℟. Congregati sunt, *p.* 543.

FERIA SEXTA.

De libro II. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 10.

MACHABÆUS autem, et qui cum eo erant, Domino se protegente, templum quidem et civitatem recepit: aras autem, quas alienigenæ per plateas extruxerant, itemque delubra demolitus est. Et purgato templo, aliud altare fecerunt, et de ignitis lapidibus igne concepto, sacrificia obtulerunt post biennium, et incensum, et lucernas, et panes propositionis posuerunt. Quibus gestis, rogabant Dominum prostrati in terram, ne amplius talibus malis inciderent; sed et si quando peccassent, ut ab ipso mitius corriperentur, et non barbaris ac blasphemis hominibus traderentur. Qua die autem templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purificationem fieri, vigesima quinta mensis, qui fuit Casleu.

℟. Impetum inimicorum, *p.* 543.

Lectio ij.

AT Timotheus, qui prius a Judæis fuerat superatus, convocato exercitu peregrinæ multitudinis, et congregato equitatu Asiano, advenit quasi armis Judæam capturus. Machabæus autem et qui cum ipso erant, appropinquante illo, deprecabantur Dominum, caput terra aspergentes, lumbosque ciliciis præcincti, ad altaris crepidinem provoluti, ut sibi propitius, inimicis autem eorum esset inimicus, et adversariis adversaretur,

Digitized by Google

sicut lex dicit. Et ita post orationem, sumptis armis, longius de civitate procedentes, et proximi hostibus effecti, resederunt.

℣. Congregatæ sunt, *p.* 544.

Lectio iij.

PRIMO autem solis ortu utrique commiserunt, isti quidem victoriæ et prosperitatis sponsorem cum virtute Dominum habentes, illi autem ducem belli animum habebant. Sed cum vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de cœlo viri quinque in equis, frænis aureis decori, ducatum Judæis præstantes: ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant, in adversarios autem tela et fulmina jaciebant: ex quo et cæcitate confusi, et repleti perturbatione cadebant. Interfecti sunt autem viginti millia quingenti, et equites sexcenti. Timotheus vero confugit in Gazaram præsidium munitum, cui præerat Chæreas.

℣. Tua est potentia, *p.* 544.

SABBATO.

De libro II. Machabæorum.

Lectio j. Cap. 15.

MACHABÆUS autem semper confidebat cum omni spe auxilium sibi a Deo affuturum. Et hortabatur suos ne formidarent ad adventum nationum, sed in mente haberent adjutoria sibi facta de cœlo, et nunc sperarent ab Omnipotente sibi affuturam victoriam. Et allocutus est de lege et Prophetis, admonens etiam certamina quæ fecerant prius, promptiores constituit eos: et ita animis eorum erectis, simul ostendebat Gentium fallaciam, et juramentorum prævaricationem. Singulos autem illorum armavit, non clypei et hastæ munitione, sed sermonibus optimis et exhortationibus, exposito digno fide somnio, per quod universos lætificavit.

℣. Refulsit sol, *p.* 544.

Lectio ij.

ERAT autem hujuscemodi visus: Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonum et benignum, verecundum visu, modestum moribus, et eloquio decorum, et qui a puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Judæorum. Post hoc apparuisse et alium virum ætate et gloria mirabilem, et magni decoris habitudine circa illum. Respondentem vero Oniam dixisse: Hic est fratrum amator, et populi Israel; hic est qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate, Jeremias Propheta Dei. Extendisse autem Jeremiam dexteram, et dedisse Judæ gladium aureum, dicentem: Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel.

℣. Ornaverunt faciem, *p.* 545.

Lectio iij.

EXHORTATI itaque Judæ sermonibus bonis valde, de quibus extolli posset impetus, et animi juvenum confortari, statuerunt dimicare et confligere fortiter, ut virtus de negotiis judicaret, eo quod civitas sancta et templum periclitarentur. Erat enim pro uxoribus, et filiis, itemque pro fratribus, et cognatis, minor sollicitudo: maximus vero et primus pro sanctitate timor erat templi. Sed et eos qui in civitate erant, non minima sollicitudo habebat pro his qui congressuri erant.

℣. In hymnis et, *p.* 545.

SABBATO

Ante Dom. I. Novembris.

Ad Magnif. Ant. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, et plena erat omnis terra majestate ejus: et ea quæ sub ipso erant, replebant templum.

DOM. I. NOVEMBRIS.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Ezechielis Prophetæ.

Digitized by Google

Lectio j. Cap. I.

ET factum est in trigesimo anno, in quarto, in quinta mensis, eum essem in medio captivorum juxta fluvium Chobar, aperti sunt cœli, et vidi visiones Dei. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Joachim, factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi, sacerdotem in terra Chaldæorum, secus flumen Chobar, et facta est super eum ibi manus Domini. Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, et nubes magna, et ignis involvens, et splendor in circuitu ejus; et de medio ejus quasi species electri, id est, de medio ignis.

℟. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et plena erat omnis terra majestate ejus: * Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum. ℣. Seraphim stabant super illud; sex alæ uni, et sex alæ alteri. — Et.

Lectio ij.

ET in medio ejus similitudo quatuor animalium: et hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis. Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni. Pedes eorum pedes recti, et planta pedis eorum quasi planta pedis vituli, et scintillæ quasi aspectus æris candentis. Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus, et facies et pennas per quatuor partes habebant. Junctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum. Non revertebantur cum incederent: sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur.

℟. Aspice, Domine, de sede sancta tua, et cogita de nobis: incline, Deus meus, aurem tuam, et audi: * Aperi oculos tuos, et vide tribulationem nostram. ℣. Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Joseph. Aperi.

Lectio iij.

SIMILITUDO autem vultus eorum facies hominis, et facies leonis a dextris ipsorum quatuor: facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor, et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor. Facies eorum, et pennæ eorum extentæ desuper, duæ pennæ singulorum jungebantur, et duæ tegebant corpora eorum; et unumquodque eorum coram facie sua ambulabat. Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur cum ambularent.

℟. Aspice, Domine, quia facta est desolata civitas plena divitiis, sedet in tristitia domina Gentium: * Non est qui consoletur eam, nisi tu, Deus noster. ℣. Ploraus ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus. — Non. Gloria. Non.

IN II. NOCTURNO.

De Expositione S. Gregorii Papæ in Ezechielem Prophetam.

Lectio iv. *Lib.* i. *Hom.* x.

USUS propheticæ locutionis est, ut prius personam, tempus, locumque describat, et postmodum dicere mysteria prophetiæ incipiat, quatenus ad veritatem solidius ostendendam, ante historiæ radicem figat, et post, fructus spiritus per signa et allegorias proferat. Ezechiel itaque ætatis suæ tempus indicat, dicens; Et factum est in trigesimo anno, in quarto mense, in quinta mensis. Locum quoque denuntians, adjungit: Cum essem in medio captivorum juxta flumen Chobar, aperti sunt cœli, et vidi visiones Dei. Tempus etiam insinuat subdens, in quinta mensis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Joachim. Qui ut bene personam indicet, etiam genus narrat, cum subditur: Et factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi, sacerdotem.

℟. Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes: * Tota die et nocte non tacebunt laudare nomen Domini. ℣. Prædicabunt populis fortitudinem meam, et annuntiabunt Gentibus gloriam meam. Tota.

Lectio v.

SED prima quæstio nobis oritur, cur is qui nihil adhuc dixerat, ita exorsus est, dicens: Et factum

Digitized by Google

est in trigesimo anno. Et namque sermo conjunctionis est, et scimus quia non conjungitur sermo subsequens, nisi sermoni præcedenti. Qui igitur nihil dixerat, cur dicit, Et factum est; cum non sit sermo, cui hoc quod incipit, subjungat? Qua in re intuendum est quia sicut nos corporalia, sic Prophetæ sensu spiritalia aspiciunt, eisque et illa sunt præsentia, quæ nostræ ignorantiæ absentia videntur. Unde fit ut in mente Prophetarum ita conjuncta sint exterioribus interiora, quatenus simul utraque videant, simulque in eis fiat et intus verbum quod audiunt, et foris quod dicunt.

℟. Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos, Domine: et armis tuæ potentiæ protege nos semper: * Libera, Domine Deus Israel, clamantes ad te. ℣. Erue nos in mirabilibus tuis, et da gloriam nomini tuo. Libera.

Lectio vj.

PATET igitur causa, cur qui nihil dixerat, inchoavit, dicens: Et factum est in trigesimo anno; quia hoc verbum quod foris protulit, illi verbo quod intus audierat, conjunxit. Continuavit ergo verba quæ protulit, visioni intimæ, et idcirco incipit, dicens: Et factum est. Subjunxit enim hoc quod exterius loqui inchoat, ac si et illud foris sit quod intus vidit. Hoc autem quod dicitur, quia in trigesimo anno spiritum prophetiæ acceperit, indicat aliquid nobis considerandum; videlicet quia juxta rationis usum, doctrinæ sermo non suppetit, nisi in ætate perfecta. Unde et ipse Dominus anno duodecimo ætatis suæ in medio Doctorum in templo sedens, non docens, sed interrogans voluit inveniri.

℟. Sustinuimus pacem, et non venit: quæsivimus bona, et ecce turbatio: cognovimus, Domine, peccata nostra: * Non in perpetuum obliviscaris nos. ℣. Peccavimus, impie gessimus, iniquitatem fecimus, Domine, in omnem justitiam tuam. Non. Gloria. Non.

℟. *vij*. Laudabilis populus, * Quem Dominus exercituum benedixit, dicens: Opus manuum mearum tu es, hæreditas mea Israel. ℣. Beata gens, cujus est Dominus Deus, populus electus in hæreditatem. Quem.

℟. *viij*. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: * Plena est omnis terra gloria ejus. ℣. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt. Sanctus. Gloria. Plena.

FERIA SECUNDA.

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. Cap. 2.

ET audivi loquentem ad me, et dicentem: Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quæ recesserunt a me: ipsi et patres eorum prævaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc. Et filii dura facie, et indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te, et dices ad eos. Hæc dicit Dominus Deus: Si forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant, quoniam domus exasperans est; et scient quia Propheta fuerit in medio eorum.

℟. Redemit populum suum, et liberavit eum, et venient, et exultabunt in monte Sion, et gaudebunt de bonis Domini super frumento, vino et oleo: * Et ultra non esurient ℣. Eritque anima eorum quasi hortus irriguus. Et.

Lectio ij.

TU ergo, fili hominis, ne timeas eos, neque sermones eorum metuas, quoniam incredduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas. Verba eorum ne timeas et vultus eorum ne formides, quia domus exasperans est. Loqueris ergo verba mea ad eos, si forte audiant, et quiescant: quoniam irritatores sunt.

Digitized by Google

℟. Angustiæ mihi sunt undique, et quid eligam ignoro: * Melius est mihi incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. Melius.

Lectio iij.

TU autem, fili hominis, audi quæcumque loquor ad te, et noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix est: aperi os tuum, et comede quæcumque ego do tibi. Et vidi, et ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber, et expandit illum coram me: qui erat scriptus intus et foris, et scriptæ erant in eo lamentationes, et carmen, et væ.

℟. Misit Dominus Angelum suum, et conclusit ora leonum: * Et non contaminaverunt, quia coram eo injustitia inventa non est in me. ℣. Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam: animam meam eripuit de medio catulorum leonum. Et. Gloria. Et.

FERIA TERTIA.

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. Cap. 3.

ET dixit ad me: Fili hominis, quodcumque inveneris, comede; comede volumen istud, et vadens, loquere ad filios Israel. Et aperui os meum, et cibavit me volumine illo, et dixit ad me: Fili hominis, venter tuus comedet, et viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi. Et comedi illud, et factum est in ore meo sicut mel dulce. Et dixit ad me: Fili hominis, vade ad domum Israel, et loqueris verba mea ad eos.

℟. A facie furoris tui, Deus, conturbata est omnis terra: * Sed miserere, Domine, et ne facias consummationem. ℣. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum! Sed.

Lectio ij.

NON enim ad populum profundi sermonis et ignotæ linguæ tu mitteris, ad domum Israel: neque ad populos multos profundi sermonis et ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones; et si ad illos mittereris, ipsi audirent te. Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me. Omnis quippe domus Israel attrita fronte est, et duro corde. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum. Ut adamantem, et ut silicem dedi faciem tuam: ne timeas eos, neque metuas a facie eorum, quia domus exasperans est.

℟. Civitatem istam tu circumda, Domine, et Angeli tui custodiant muros ejus. * Exaudi, Domine, populum tuum cum misericordia. ℣. Avertatur furor tuus, Domine, a populo tuo, et a civitate sancta tua. Exaudi.

Lectio iij.

ET dixit ad me: Fili hominis, omnes sermones meos quos ego loquor ad te; assume in corde tuo, et auribus tuis audi. Et vade, ingredere ad transmigrationem, ad filios populi tui, et loqueris ad eos: et dices eis: Hæc dicit Dominus Deus: Si forte audiant, et quiescant. Et assumpsit me spiritus, et audivi post me vocem commotionis magnæ: Benedicta gloria Domini de loco suo; et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram, et vocem rotarum sequentium animalia, et vocem commotionis magnæ.

℟. Genti peccatrici, populo pleno peccato miserere, * Domine Deus. ℣. Esto placabilis super nequitiam populi tui. Domine. Gloria. Domine.

FERIA QUARTA.

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. Cap. 7.

ET factus est sermo Domini ad me, dicens: Et tu, fili homi-

Digitized by Google

tūs, hæc dicit Dominus Deus terræ Israel: Finis venit, venit finis super quatuor plagas terræ. Nunc finis super te, et immittam furorem meum in te, et judicabo te juxta vias tuas: et ponam contra te omnes abominationes tuas. Et non parcet oculus meus super te, et non miserebor: sed vias tuas ponam super te, et abominationes tuæ in medio tui erunt: et scietis quia ego Dominus.

℟. Indicabo tibi: homo, quid sit bonum, aut quid Dominus requirat a te: * Facere judicium et justitiam, et sollícitum ambulare cum Deo tuo. ℣. Spera in Domino, et fac bonitatem, et inhabita terram. Facere.

Lectio ij.

HÆC dicit Dominus Deus: Afflictio una, afflictio ecce venit. Finis venit, venit finis, evigilavit adversum te: ecce venit. Venit contritio super te, qui habitas in terra venit tempus, prope est dies occisionis, et non gloriæ montium. Nunc de propinquo effundam iram meam super te, et complebo furorem meum in te, et judicabo te juxta vias tuas: et imponam tibi omnia scelera tua. Et non parcet oculus meus, nec miserebor, sed vias tuas imponam tibi, et abominationes tuæ in medio tui erunt: et scietis quia ego sum Dominus percutiens.

℟. Angustiæ mihi sunt, *p.* 570.

Lectio iij.

ECCE dies, ecce venit; egressa est contritio, floruit virga, germinavit superbia. Iniquitas surrexit in virga impietatis: non ex eis, et non ex populo, neque ex sonitu eorum; et non erit requies in eis. Venit tempus, appropinquavit dies: qui emit, non lætetur; et qui vendit, non lugeat, quia ira super omnem populum ejus. Quia qui vendit, ad id quod vendidit non revertetur, et adhuc in viventibus vita eorum.

℟. Misit Dominus, *p.* 570.

FERIA QUINTA.

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. Cap. 14.

ET factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, vaticinare ad prophetas Israel, qui prophetant: et dices prophetantibus de corde suo: Audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus: Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident. Quasi vulpes in desertis, prophetæ tui, Israel, erant. Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini. Vident vana, et divinant mendacium, dicentes: Ait Dominus; cum Dominus non miserit eos, et perseveraverunt confirmare sermonem.

℟. Vidi Dominum, *p.* 568.

Lectio ij.

NUMQUID non visionem cassam vidistis, et divinationem mendacem locuti estis? et dicitis, Ait Dominus; cum ego non sim locutus. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia locuti estis vana, et vidistis mendacium, ideo ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus. Et erit manus mea super prophetas qui vident vana, et divinant mendacium: in consilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israel non scribentur, nec in terram Israel ingredientur: et scietis quia ego Dominus Deus. Eo quod deceperint populum meum, dicentes: Pax, et non est pax; et ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis.

℟. Aspice Domine de, *p.* 568.

Lectio iij.

DIC ad eos, qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit: erit enim imber inundans, et dabo lapides prægrandes desuper irruentes, et ventum procellæ dissipantem. Siquidem ecce cecidit paries: numquid non dicetur vobis: Ubi est litura, quam linistis? Propterea hæc dicit

Digitized by Google

Dominus Deus : Et erumpere faciam spiritum tempestatum in indignatione mea , et imber inundans in furore meo erit , et lapides grandes in ira in consumptionem. Et destruam parietem , quem linistis absque temperamento.

℟. Aspice Domine quia , *p.* 568.

FERIA SEXTA

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. Cap. 15.

ET factus est sermo Domini ad me , dicens : Fili hominis , quid fiet de ligno vitis exomnibus lignis nemorum , quæ sunt inter ligna silvarum ? Numquid tolletur de ea lignum , ut fiat opus , aut fabricabitur de ea paxillus , ut dependeat in eo quodcumque vas? Ecce igni datum est in escam : utramque partem ejus consumpsit ignis , et medietas ejus redacta est in favillam : numquid utile erit ad opus ? Etiam cum esset integrum , non erat aptum ad opus ? quanto magis cum illud ignis devoraverit et combu.s rit , nihil ex eo fiet operis ?

℟. Super muros tuos , *p.* 568.

Lectio ij.

PROPTEREA hæc dicit Dominus Deus : Quo modo lignum vitis inter ligna silvarum , quod dedi igni ad devorandum , sic tradam habitatores Jerusalem. Et ponam faciem meam in eos : de igne egredientur , et ignis consumet eos : et scietis quia ego Dominus , cum posuero faciem meam in eos , et dedero terram inviam et desolatam , eo quod prævaricatores extiterint , dicit Dominus Deus.

℟. Muro tuo , *p.* 569.

Lectio iij. Cap. 16.

ET factus est sermo Domini ad me , dicens: Fili hominis , notas fac Jerusalem abominationes suas , et dices : Hæc dicit Dominus Deus Jerusalem : Radix tua , et generatio tua de terra Chanaan : pater tuus Amorrhæus et mater tua Cethæa. Et quando nata es , in die ortus tui , non est præcisus umbilicus tuus , et aqua non es lota in salutem , nec sale salita , nec involuta pannis. Non pepercit super te oculus , ut faceret tibi unum de his , misertus tui , sed projecta es super faciem terræ in abjectione animæ tuæ , in die qua nata es.

℟. Sustinuimus pacem , *p.* 569.

SABBATO.

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. Cap. 19.

ET tu assume planctum super principes Israel , et dices: Quare mater tua leæna inter leones cubavit , in medio leunculorum enutrivit catulos suos ? Et eduxit unum de leunculis suis , et leo factus est : et didicit capere prædam , hominemque comedere. Et audierunt de eo gentes , et non absque vulneribus suis ceperunt eum , et adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti. Quæ cum vidisset quoniam infirmata est , et periit expectatio ejus . tulit unum de leunculis suis , leonem constituit eum. Qui incedebat inter leones , et factus est leo; et didicit prædam capere , et homines devorare ; didicit viduas facere , et civitates eorum in desertum adducere : et desolata est terra , et plenitudo ejus a voce rugitus illius.

℟. Laudabilis populus , *p.* 569.

Lectio ij.

ET convenerunt adversus eum gentes undique de provinciis , et expanderunt super eum rete suum , in vulneribus earum captus est. Et miserunt eum in caveam , in catenis adduxerunt eum ad regem Babylonis : miseruntque eum in carcerem, ne audiretur vox ejus ultra super montes Israel. Mater tua quasi vinea in sanguine tuo super aquam plantata est , fructus ejus et frondes ejus creverunt ex aquis multis. Et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium , et exaltata est statura ejus inter frondes , et vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum.

Digitized by Google

℟. Angustiæ mihi sunt, *p.* 570.

Lectio iij.

ET evulsa est in ira, in terramque projecta, et ventus urens siccavit fructum ejus: marcuerunt et arefactæ sunt virgæ roboris ejus; ignis comedit eam. Et nunc transplantata est in desertum, in terra invia et sitienti. Et egressus est ignis de virga ramorum ejus qui fructum ejus comedit, et non fuit in ea virga fortis, sceptrum dominantium. Planctus est, et erit in planctum.

℟. Misit Dominus *p.* 570.

SABBATO

Ante Dom. II. Novembris.

Ad Magnif. Ant. Aspice, Domine, quia facta est desolata civitas plena divitiis, sedet in tristitia domina Gentium: non est qui consoletur eam, nisi tu, Deus noster.

Si November habeat 5. Dom., tunc in II. Dom. leguntur seq. Lect. de Ezechiele: si vero 4. tantum, in Dom. II. legetur liber Danielis positus in III. Dom; et Sabbato ad Magnif. *dicetur Ant.* Muro tuo, *ut infra*, p. 577; *et duabus seq. Dom. legentur Prophetæ minores.*

DOM. II. NOVEMBRIS.

IN I. NOCTURNO.

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. Cap. 21.

ET factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, pone faciem tuam ad Jerusalem, et stilla ad sanctuaria, et propheta contra humum Israel. Et dices terræ Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, et ejiciam gladium meum de vagina sua, et occidam in te justum et impium. Pro eo autem quod occidi in te justum et impium, idcireo egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab Austro usque ad Aquilonem, ut sciat omnis caro quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem.

℟. Vidi Dominum, *p.* 568.

Lectio ij.

ET tu, fili hominis, ingemisce in contritione lumborum, et in amaritudinibus ingemisce coram eis. Cumque dixerint ad te: Quare tu gemis? dices: Pro auditu; quia venit, et tabescet omne cor, et dissolventur universæ manus, et infirmabitur omnis spiritus, et per cuncta genua fluent aquæ: ecce venit, et fiet, ait Dominus Deus. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, propheta, et dices: Hæc dicit Dominus Deus: Loquere: Gladius, gladius exacutus est, et limatus. Ut cædat victimas, exacutus est: ut splendeat, limatus est: qui moves sceptrum filii mei, succidisti omne lignum. Et dedi eum ad lævigandum, ut teneatur manu: iste exacutus est gladius, et iste limatus est, ut sit in manu interficientis.

℟. Aspice Domine de, *p.* 568.

Lectio iij.

CLAMA et ulula, fili hominis, quia hic factus est in populo meo, hic in cunctis ducibus Israel qui fugerant: gladio traditi sunt cum populo meo, idcireo plaude super femur, quia probatus est: et hoc, cum sceptrum subverterit, et non erit, dicit Dominus Deus. Tu ergo, fili hominis, propheta, et percute manu ad manum, et duplicetur gladius, ac triplicetur gladius interfectorum: hic est gladius occisionis magnæ, qui obstupescere eos facit, et corde tabescere, et multiplicat ruinas.

℟. Aspice Domine quia, *p.* 568.

IN II. NOCTURNO.

De expositione S. Hieronymi Presbyteri in Ezechielem Prophet.

Lectio iv. *Lib. 7. in Ezech c. 21.*

QUIA supra dixerat, Ipsi dicunt ad me: Numquid non per parabolas loquitur iste? et apertam populus flagitabat sententiam: idcirco id quod Dominus per metaphoram, sive parabolam, et ut alii vertère, proverbium, est locutus, nunc manife-

Digitized by Google

stius loquitur : saltus Nageb, et Darom, et Theman esse Jerusalem, et templum illius, sancta sanctorum, et omnem terram Judææ : flammamque quæ combustura sit saltum, intelligi gladium devorantem, qui eductus sit de vagina sua ut interficiat justum et impium. Hoc est enim lignum viride, et lignum aridum. Unde et Dominus : Si in ligno, ait, viridi tanta faciunt, in sicco quid facient?

℟. Super muros tuos, *p.* 568.

Lectio v.

PRIMUM dixerat : Vaticinare, vel stilla ad Austrum, Africum, et Meridiem, et ad saltum Meridianum. Quod quia videbatur obscurum, et dicta Prophetæ populus nesciebat secundo ponitur manifestius, saltum Meridianum esse Jerusalem, et omnes infructuosas arbores, ad quarum radices securis posita sit, intelligi habitatores ejus, gladiumque interpretari pro incendio. Tertio jubetur Prophetæ, ut tacentibus illis, nec interrogantibus cur ista vaticinatus sit, faciat per quæ interrogetur, et respondeat quæ Dominus locutus est.

℟. Muro tuo, *p.* 560.

Lectio vj.

INGEMISCE, inquit, ejulare non levi voce, nec dolore moderato, sed in contritione lumborum, ut gemitus tuus ex imis visceribus et amaritudine animi proferatur. Et hoc facies coram eis, ut cum te interrogaverint cur tanto gemitu conteraris, et quid tibi mali acciderit ut sic ingemiscas, tu eis meo sermone respondeas : Idcirco plango, et dolorem cordis mei dissimulare non valeo, quia auditus, qui semper meis auribus insonuerat, opere completur, et venit, imminens videlicet Babylonii furentis exercitus : qui cum venerit, et vallaverit Jerusalem, tunc tabescet omne cor, et dissolventur universæ manus : ut, occupante pavore montes hominum, nullus audeat repugnare.

℟. Sustinuimus pacem, *p.* 569.

In III. Noct. ℟. vij. *et* viij. *ut ibid.*

FERIA SECUNDA

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. Cap. 33.

ET factum est verbum Domini ad me, dicens : Fili hominis, loquere ad filios populi tui, et dices ad eos: Terra, cum induxero super eam gladium, et tulerit populus terræ virum unum de novissimis suis, et constituerit eum super se speculatorem, et ille viderit gladium venientem super terram, et cecinerit buccina, et annuntiaverit populo : audiens autem, quisquis ille est, sonitum buccinæ, et non se observaverit, veneritque gladius, et tulerit eum; sanguis ipsius super caput ejus erit. Sonum buccinæ audivit, et non se observavit, sanguis ejus in ipso erit. Si autem se custodierit, animam suam salvabit.

℟. Redemit populum, *p.* 569.

Lectio ij.

QUOD si speculator viderit gladium venientem, et non insonuerit buccina, et populus se non custodierit, veneritque gladius, et tulerit de eis animam : ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram. Et tu, fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel : audiens ergo ex ore meo sermonem annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium : Impie, morte morieris, non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua : ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.

℟. Angustiæ mihi sunt, *p.* 570.

Lectio iij.

SI autem annuntiante te ad impium ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua, ipse in iniquitate sua morietur : porro tu animam tuam liberasti. Tu ergo, fili hominis, dic ad domum Israel : Sic locuti estis, dicentes : Iniquitates no-

Digitized by Google

stræ et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis nos tabescimus : quomodo ergo vivere poterimus ? Dic ad eos : Vivo ego , dicit Dominus Deus , nolo mortem impii , sed ut convertatur impius a via sua , et vivat. Convertimini,convertimini a viis vestris pessimis , et quare moriemini , domus Israel ?

℟. Misit Dominus , *p.* 570.

FERIA TERTIA.

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. Cap. 34.

ET factum est verbum Domini ad me , dicens : Fili hominis , propheta de pastoribus Israel ; propheta, et dices pastoribus : Hæc dicit Dominus Deus : Væ pastoribus Israel , qui pascebant semetipsos : nonne greges a pastoribus pascuntur ? Lac comedebatis , et lanis operiebamini , et quod crassum erat occidebatis ; gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis , et quod ægrotum non sanastis , quod confractum est non alligastis , et quod abjectum est non reduxistis , et quod perierat non quæsistis : sed cum austeritate imperabatis eis , et cum potentia.

℟. A facie furoris , *p.* 570.

Lectio ij.

ET dispersæ sunt oves meæ , eo quod non esset pastor , et factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri , et dispersæ sunt. Erraverunt greges mei in cunctis montibus , et in universo colle excelso ; et super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei , et non erat , inquam , qui requiret. Propterea , pastores , audite verbum Domini : Vivo ego , dicit Dominus Deus , quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam , et oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri , eo quod non esset pastor ; neque enim quæsierunt pastores mei gregem meum , sed pascebant pastores semetipsos , et greges meos non pascebant ; propterea , pastores , audite verbum Domini.

℟. Civitatem istam , *p.* 570.

Lectio iij.

HÆC dicit Dominus Deus : Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum , et cessare faciam eos , ut ultra non pascant gregem , nec pascant amplius pastores semetipsos , et liberabo gregem meum de ore eorum , et non erit ultra eis in escam. Quia hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ipse requiram oves meas , et visitabo eas. Sicut visitat pastor gregem suum in die , quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum : sic visitabo oves meas , et liberabo eas de omnibus locis , in quibus dispersæ fuerant in die nubis et caliginis.

℟. Genti peccatrici , *p.* 570.

FERIA QUARTA

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. Cap. 40.

IN vigesimo quinto anno transmigrationis nostræ , in exordio anni, decima mensis , quarto decimo anno postquam percussa est civitas, in ipsa hac die facta est super me manus Domini , et adduxit me illuc. In visionibus Dei adduxit me in terram Israel , et dimisit me super montem excelsum nimis , super quem erat quasi ædificium civitatis vergentis ad Austrum , et introduxit me illuc.

℟. Indicabo tibi , *p.* 570.

Lectio ij.

ET ecce vir , cujus erat species quasi species æris , et funiculus lineus in manu ejus , et calamus mensuræ in manu ejus : stabat autem in porta. Et locutus est ad me idem vir: Fili hominis , vide oculis tuis , et auribus tuis audi , et pone cor tuum in omnia quæ ego ostendam tibi ; quia ut ostendantur tibi , adductus es huc : annuntia omnia , quæ tu vides , domui Israel.

℟. Angustiæ mihi sunt , *p.* 570.

Digitized by Google

Lectio iij.

ET ecce murus forinsecus in circuitu domus undique, et in manu viri calamus mensuræ sex cubitorum et palmo; et mensus est latitudinem ædificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno. Et venit ad portam, quæ respiciebat viam Orientalem, et ascendit per gradus ejus, et mensus est limen portæ calamo uno latitudinem, id est, limen unum calamo uno in latitudine,

℣. Misit Dominus, *p.* 570.

FERIA QUINTA.

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. Cap. 41.

ET introduxit me in templum, et mensus est frontes, sex cubitos latitudinis hinc, et sex cubitos latitudinis inde, latitudinem tabernaculi. Et latitudo portæ decem cubitorum erat, et latera portæ quinque cubitis hinc, et quinque cubitis inde; et mensus est longitudinem ejus quadraginta cubitorum, et latitudinem viginti cubitorum. Et introgressus intrinsecus, mensus est in fronte portæ duos cubitos, et portam sex cubitorum, et latitudinem portæ septem cubitorum.

℣. Vidi Dominum, *p.* 568.

Lectio ij.

ET mensus est longitudinem ejus viginti cubitorum, et latitudinem ejus viginti cubitorum, ante faciem templi, et dixit ad me: Hoc est sanctum sanctorum. Et mensus est parietem domus sex cubitorum, et latitudinem lateris quatuor cubitorum undique per circuitum domus. Latera autem, latus ad latus, bis triginta tria; et erant eminentia, quæ ingrederentur per parietem domus, in lateribus per circuitum, ut continerent, et non attingerent parietem templi.

℣. Aspice Domine de, *p.* 568.

Lectio iij.

ET platea erat in rotundum, ascendens sursum per cochleam, et in cœnaculum templi deferebat per gyrum: idcirco latius erat templum in superioribus, et sic de inferioribus ascendebatur ad superiora in medium. Et vidi in domo altitudinem per circuitum, fundata latera ad mensuram calami sex cubitorum spatio; et latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum: et erat interior domus in lateribus domus.

℣. Aspice Domine quia, *p.* 568.

FERIA SEXTA

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. Cap. 43.

ET duxit me ad portam, quæ respiciebat ad viam Orientalem. Et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam Orientalem; et vox erat ei quasi vox aquarum multarum, et terra splendebat a majestate ejus. Et vidi visionem secundum speciem quam videram, quando venit ut disperderet civitatem; et species secundum aspectum quem videram juxta fluvium Chobar: et cecidi super faciem meam. Et majestas Domini ingressa est templum per viam portæ, quæ respiciebat ad Orientem. Et elevavit me spiritus, et introduxit me in atrium interius; et ecce repleta erat gloria Domini domus.

℣. Super muros tuos, *p.* 568.

Lectio ij.

ET audivi loquentem ad me de domo, et vir qui stabat juxta me, dixit ad me: Fili hominis, locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel in æternum, et non polluent ultra domus Israel nomen sanctum meum, ipsi et reges eorum in fornicationibus suis, et in ruinis regum suorum, et in excelsis. Qui fabricati sunt limen suum juxta limen meum, et postes suos juxta postes meos; et murus erat inter me et eos: et polluerunt nomen sanctum meum in abominationibus quas fecerunt; propter quod consumpsi eos in ira mea.

℣. Muro tuo, *p.* 569.

Digitized by Google

Lectio iij.

NUNC ergo repellant procul fornicationem suam, et ruinas regum suorum a me, et habitabo in medio eorum semper. Tu autem, fili hominis, ostende domui Israel templum, et confundantur ab iniquitatibus suis, et metiantur fabricam, et erubescant ex omnibus quæ fecerunt. Figuram domus et fabricæ ejus, exitus, et introitus, et omnem descriptionem ejus, et universa præcepta ejus, cunctumque ordinem ejus, et omnes leges ejus ostende eis, et scribes in oculis eorum, ut custodiant omnes descriptiones ejus, et præcepta illius, et faciant ea.

℟. Sustinuimus pacem, *p.* 569.

SABBATO.

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. Cap. 47.

ET convertit me ad portam domus, et ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad Orientem. Facies enim domus respiciebat ad Orientem: aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad Meridiem altaris. Et eduxit me per viam portæ Aquilonis, et convertit me ad viam foras portam exteriorem, viam quæ respiciebat ad Orientem, et ecce aquæ redundantes a latere dextro.

℟. Laudabilis populus, *p.* 569.

Lectio ij.

CUM egrederetur vir ad Orientem, qui habebat funiculum in manu sua, et mensus est mille cubitos, et traduxit me per aquam usque ad talos. Rursumque mensus est mille, et traduxit me per aquam usque ad genua: et mensus est mille, et traduxit me per aquam usque ad renes. Et mensus est mille, torrentem quem non potui pertransire, quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari.

℟. Augustiæ mihi sunt, *p.* 570.

Lectio iij.

ET dixit ad me: Certe vidisti, fili hominis. Et eduxit me, et convertit ad ripam torrentis. Cumque me convertissem, ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex utraque parte. Et ait ad me: Aquæ istæ, quæ egrediuntur ad tumulos sabuli Orientalis, et descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, et exibunt, et sanabuntur aquæ. Et omnis anima vivens quæ serpit, quocumque venerit torrens, vivet; et erunt pisces multi satis, postquam venerint illuc aquæ istæ, et sanabuntur; et vivent omnia, ad quæ venerit torrens.

℟. Misit Dominus, *p.* 570.

SABBATO

Ante Dom. III. Novembris.

Ad Magnif. Ant. Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos, Domine, et armis tuæ potentiæ protege nos semper

DOM. III. NOVEMBRIS.

IN I. NOCTURNO

Incipit liber Danielis Prophetæ.

Lectio j. Cap. 1.

ANNO tertio regni Joakim regis Juda, venit Nabuchodonosor rex Babylonis in Jerusalem, et obsedit eam, et tradidit Dominus in manu ejus Joakim regem Juda, et partem vasorum domus Dei: et asportavit ea in terram Sennaar, in domum dei sui, et vasa intulit in domum thesauri dei sui. Et ait rex Asphenez præposito eunuchorum, ut introduceret de filiis Israel, et de semine regio: et tyrannorum, pueros in quibus nulla esset macula, decoros forma, et eruditos omni sapientia, cautos scientia, et doctos disciplina, et qui possent stare in palatio regis, ut doceret eos litteras, et linguam Chaldæorum.

℟. Vidi Dominum, *p.* 568.

Lectio ij.

ET constituit eis rex annonam per singulos dies de cibis suis, et de vino unde bibebat ipse, ut enutriti tribus annis, postea starent in conspectu regis. Fuerunt ergo inter eos

Digitized by Google

de filiis Juda, Daniel, Ananias, Misael, et Azarias. Et imposuit eis præpositus eunuchorum nomina Danieli, Baltassar; Ananiæ, Sidrach; Misaeli, Misach; et Azariæ, Abdenago. Proposuit autem Daniel in corde suo, ne polluereturde mensa regis, neque de vino potus ejus, et rogavit eunuchorum præpositum ne contaminaretur. Dedit autem Deus Danieli gratiam et misericordiam in conspectu principis eunuchorum.

℟. Aspice Domine de, *p.* 568.

Lectio iij.

ET ait princeps eunuchorum ad Danielem: Timeo ego dominum meum regem, qui constituit vobis cibum et potum, qui si viderit vultus vestros macilentiores præ cæteris adolescentibus coævis vestris, condemnabitis caput meum regi. Et dixit Daniel ad Malasar, quem constituerat princeps eunuchorum super Danielem, Ananiam, Misaelem, et Azariam: Tenta nos, obsecro, servos tuos diebus decem, et dentur nobis legumina ad vescendum, et aqua ad bibendum, et contemplare vultus nostros, et vultus puerorum qui vescuntur cibo regio, et sicut videris, facies cum servis tuis. Qui, audito sermone hujuscemodi, tentavit eos diebus decem; post dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores et corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio.

℟. Aspice Domine quia, *p.* 568.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Athanasii Episcopi ad Virgines.

Lectio iv. Lib. 2. *de Virg.*

SI accedant aliqui, et dicant tibi: Ne frequenter jejunes, ne imbecillior fias; ne credas illis, neque auscultes: per istos enim inimicus hæc suggerit. Reminiscere ejus quod scriptum est, quod cum tres pueri, et Daniel, et alii adolescentuli captivi ducti essent a Nabuchonosor rege Babylonis, jussumque esset ut de ipsius mensa regia comederent, et de vino biberent, Daniel et tres pueri illi noluerunt pollui ex mensa regis, sed dixerunt eunucho qui eos curandos susceperat: Da nobis de seminibus terræ, et vescemur. Quibus ait eunuchus: Timeo ego regem, qui constituit vobis cibum et potum, ne forte facies vestræ appareant regi squalidiores præ cæteris pueris, qui regia mensa aluntur, et puniat me.

℟. Super muros tuos, *p.* 568.

Lectio v.

CUI dixerunt illi: Tenta servos tuos dies decem, et da nobis de seminibus. Et dedit eis legumina ad vescendum, et aquam ad bibendum; et introduxit eos in conspectu regis: et visæ sunt facies ipsorum speciosiores præter cæteros pueros, qui regiæ mensæ cibis nutriebantur. Videsne quid faciat jejunium? Morbos sanat, distillationes corporis exsiccat, dæmones fugat, pravas cogitationes expellit, mentem clariorem reddit, cor mundum efficit, corpus sanctificat, denique ad thronum Dei hominem sistit. Et ne putes hæc temere dici, habes hujus rei testimonium in Evangeliis a Salvatore prolatum. Cum enim quæsivissent discipuli, quonam modo immundi spiritus ejicerentur, respondit Dominus: Hoc genus non ejicitur, nisi in oratione et jejunio.

℟. Muro tuo, *p.* 569.

Lectio vj.

QUISQUIS igitur ab immundo spiritu vexatur, si hoc animadvertat, et hoc pharmaco utatur, jejunio inquam, statim spiritus malus oppressus abscedet, vim jejunii metuens. Valde enim dæmones oblectantur crapula, et ebrietate, et corporis commodis. Magna vis in jejunio, et magna ac præclara fiunt per illud: alioqui unde homines tam mirifica præstarent, et signa per eos fierent, et sanitatem infirmis per ipsos largiretur Deus, nisi plane ob exercitationes spirituales, et humilitatem animi, et conversationem bo-

Digitized by Google

nam ? Jejunium enim Angelorum cibus est, et qui eo utitur, ordinis Angelici censendus est.

℟. Sustinuimus pacem, *p.* 569.

In III. Noct. ℟. vij. *et* viij. *ut ibid.*

FERIA SECUNDA.

De Daniele Propheta.

Lectio j. Cap. 2.

TU, rex, videbas, et ecce quasi statua una grandis: statua illa magna, et statura sublimis stabat contra te, et intuitus ejus erat terribilis. Hujus statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem et brachia de argento, porro venter et femora ex ære: tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, et percussit statuam in pedibus ejus ferreis et fictilibus, et comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, et aurum, et redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento; nullusque locus inventus est eis. Lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram.

℟. Redemit populum, *p.* 569.

Lectio ij.

HOC est somnium: interpretationem quoque ejus dicemus coram te, rex. Tu rex regum es, et Deus cœli regnum, et fortitudinem, et imperium, et gloriam dedit tibi, et omnia in quibus habitant filii hominum et bestiæ agri; volucres quoque cœli dedit in manu tua, et sub ditione tua universa constituit: tu es ergo caput aureum. Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum, et regnum tertium aliud æreum, quod imperabit universæ terræ. Et regnum quartum erit velut ferrum. Quo modo ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia hæc.

℟. Angustiæ mihi sunt, *p.* 570.

Lectio iij.

PORRO quia vidisti pedum et digitorum partem testæ figuli, et partem ferream, regnum divisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, secundum quod vidisti ferrum mixtum testæ ex luto. Et digitos pedum ex parte ferreos, et ex parte fictiles: ex parte regnum erit solidum, et ex parte contritum. Quod autem vidisti ferrum mixtum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ. In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem et consumet universa regna hæc, et ipsum stabit in æternum.

℟. Misit Dominus, *p.* 570.

FERIA TERTIA.

De Daniele Propheta.

Lectio j. Cap. 3.

PRONUNTIANSQUE Nabuchodonosor rex, ait eis: Verene, Sidrac, Misach, et Abdenago, deos meos non colitis, et statuam auream quam constitui, non adoratis? Nunc ergo si estis parati, quacumque hora audieritis sonitum tubæ, fistulæ, citharæ, sambucæ, et psalterii, et symphoniæ, omnisque generis musicorum, prosternite vos, et adorate statuam quam feci. Quod si non adoraveritis, eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis: et quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea?

℟. A facie furoris tui, *p.* 570.

Lectio ij.

RESPONDENTES Sidrach, Misach, et Abdenago, dixerunt regi Nabuchodonosor: Non oportet nos de hac re respondere tibi. Ecce enim Deus noster quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, et de manibus tuis, o rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non colimus, et statuam auream quam erexisti, non adoramus.

Digitized by Google

Tunc Nabuchodonosor repletus est furore, et aspectus facici illius immutatus est super Sidrach, Misach, et Abdenago, et præcepit ut succenderetur fornax septuplum quam succendi consueverat.

℟. Civitatem istam, *p.* 570.

Lectio iij.

ET confestim viri illi vincti cum braccis suis, et tiaris, et calceamentis, et vestibus, missi sunt in medium fornacis ignis ardentis; nam jussio regis urgebat: fornax autem succensa erat nimis. Porro viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, et Abdenago, interfecit flamma ignis. Viri autem hi tres, id est, Sidrach, Misach, et Abdenago, ceciderunt in medio camino ignis ardentis, colligati. Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, et benedicentes Dominum.

℟. Genti peccatrici, *p.* 570.

FERIA QUARTA.

De Daniele Propheta.

Lectio j. Cap. 4.

RESPONDIT Baltassar, et dixit: Domine mi, somnium his qui te oderunt, et interpretatio ejus hostibus tuis sit. Arborem quam vidisti sublimem atque robustam, cujus altitudo pertingit ad cœlum, et aspectus illius in omnem terram, et rami ejus pulcherrimi, et fructus ejus nimius, et esca omnium in ea, subter eam habitantes bestiæ agri, et in ramis ejus commorantes aves cœli, tu es, rex, qui magnificatus es, et invaluisti; et magnitudo tua crevit, et pervenit usque ad cœlum, et potestas tua in terminos universæ terræ.

℟. Indicabo tibi, *p.* 570.

Lectio ij.

QUOD autem vidit rex vigilem et sanctum descendere de cœlo, et dicere: Succidite arborem, et dissipate illam, attamen germen radicum ejus in terra dimittite, et vinciatur ferro et ære in herbis foris, et rore cœli conspergatur, et cum feris sit pabulum ejus, donec septem tempora mutentur super eum; hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quæ pervenit super dominum meum regem: Ejicient te ab hominibus, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua, et fœnum ut bos comedes, et rore cœli infunderis.

℟. Angustiæ mihi sunt, *p.* 570.

Lectio iij.

SEPTEM quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum, et cuicumque voluerit, det illud. Quod autem præcepit ut relinqueretur germen radicum ejus, id est, arboris, regnum tuum tibi manebit, postquam cognoveris potestatem esse cœlestem. Quamobrem, rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis. Omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor regem.

℟. Misit Dominus, *p.* 570.

FERIA QUINTA.

De Daniele Propheta.

Lectio j. Cap. 5.

BALTASSAR rex fecit grande convivium optimatibus suis mille, et unusquisque secundum suam bibebat ætatem. Præcepit ergo jam temulentus ut afferrentur vasa aurea et argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor pater ejus de templo, quod fuit in Jerusalem, ut biberent in eis rex et optimates ejus, uxoresque ejus et concubinæ. Tunc allata sunt vasa aurea et argentea, quæ asportaverat de templo, quod fuerat in Jerusalem, et biberunt in eis rex et optimates ejus, uxores et concubinæ illius. Bibebant vinum, et laudabant deos suos aureos et argenteos, æreos, ferreos, ligneosque et lapideos. In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ

Digitized by Google

regiæ, et rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies regis commutata est, et cogitationes ejus conturbabant eum.

℣. Vidi Dominum, p. 568.

Lectio ij.

IGITUR introductus est Daniel coram rege. Ad quem præfatus rex ait: Tu es Daniel de filiis captivitatis Judæ, quem adduxit pater meus rex de Judæa? Audivi de te quoniam spiritum deorum habeas, et scientia, intelligentiaque, ac sapientia ampliores inventæ sunt in te. Et nunc introgressi sunt in conspectu meo sapientes magi, ut scripturam hanc legerent, et interpretationem ejus indicarent mihi, et nequiverunt sensum hujus sermonis edicere. Porro ego audivi de te, quod possis obscura interpretari, et ligata dissolvere: si ergo vales scripturam legere, et interpretationem ejus indicare mihi, purpura vestieris, et torquem auream circa collum tuum habebis, et tertius in regno meo princeps eris. Ad quæ respondens Daniel, ait coram rege: Munera tua sint tibi, et dona domus tuæ alteri da: scripturam autem legam tibi, rex, et interpretationem ejus ostendam tibi.

℣. Aspice Domine de, p. 568.

Lectio iij.

HÆC est autem scriptura, quæ digesta est: Mane, Thecel, Phares. Et hæc est interpretatio sermonis. Mane: numeravit Deus regnum tuum, et complevit illud. Thecel: appensus es in statera, et inventus es minus habens. Phares: divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis. Tunc, jubente rege, indutus est Daniel purpura, et circumdata est torques aurea collo ejus; et prædicatum est de eo, quod haberet potestatem tertius in regno suo. Eadem nocte interfectus est Baltassar rex Chaldæus. Et Darius Medus successit in regnum, annos natus sexagiuta duos.

℣. Aspice Domine quia, p. 568.

FERIA SEXTA.

De Daniele Propheta.

Lectio j. Cap. 6.

VIRI ergo illi curiosius inquirentes, invenerunt Danielem orantem, et obsecrantem Deum suum. Et accedentes locuti sunt regi super edicto: Rex, numquid non constituisti, ut omnis homo, qui rogaret quemquam de diis et hominibus usque ad dies triginta, nisi te, rex, mitteretur in lacum leonum? Ad quos respondens rex, ait: Verus est sermo juxta decretum Medorum atque Persarum, quod prævaricari non licet. Tunc respondentes dixerunt coram rege: Daniel de filiis captivitatis Juda, non curavit de lege tua, et de edicto quod constituisti: sed tribus temporibus per diem orat obsecratione sua. Quod verbum cum audisset rex, satis contristatus est, et pro Daniele posuit cor ut liberaret eum, et usque ad occasum solis laborabat ut erueret illum. Viri autem illi intelligentes regem, dixerunt ei: Scito, rex, quia lex Medorum atque Persarum est, ut omne decretum, quod constituerit rex, non liceat immutari.

℣. Super muros tuos, p. 568.

Lectio ij.

TUNC rex præcepit; et adduxerunt Danielem, et miserunt eum in lacum leonum. Dixitque rex Danieli: Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te. Allatusque est lapis unus, et positus est super os laci; quem obsignavit rex annulo suo, et annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem. Et abiit rex in domum suam, et dormivit incœnatus, cibique non sunt allati coram eo, insuper et somnus recessit ab eo. Tunc rex primo diluculo consurgens, festinus ad lacum leonum perrexit, appropinquansque lacui, Danielem voce lacrymabili inclamavit, et affatus est eum: Daniel serve Dei viventis, Deus tuus, cui tu servis semper, putasne valuit te liberare a leonibus?

Digitized by Google

℟. Muro tuo, *p.* 569.

Lectio iij.

ET Daniel regi respondens, ait: Rex, in æternum vive. Deus meus misit Angelum suum, et conclusit ora leonum, et non nocuerunt mihi, quia coram eo justitia inventa est in me: sed et coram te, rex, delictum non feci. Tunc vehementer rex gavisus est super eo, et Danielem præcepit educi de lacu: eductusque est Daniel de lacu, et nulla læsio inventa est in eo, quia credidit Deo suo. Jubente autem rege, adducti sunt viri illi qui accusaverant Danielem, et in lacum leonum missi sunt, ipsi, et filii, et uxores eorum, et non pervenerunt usque ad pavimentum laci, donec arriperent eos leones, et omnia ossa eorum comminuerunt.

℟. Sustinuimus pacem, *p.* 569.

SABBATO.

De Daniele Propheta.

Lectio j. Cap. 9.

IN anno primo Darii filii Assueri de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldæorum, anno uno regni ejus, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam Prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni. Et posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare et deprecari in jejuniis, sacco, et cinere. Et oravi Dominum Deum meum, et confessus sum, et dixi: Obsecro, Domine Deus magne et terribilis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus te et custodientibus mandata tua. Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, et recessimus, et declinavimus a mandatis tuis ac judiciis.

℟. Laudabilis populus, *p.* 569.

Lectio ij.

ADHUC me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Et docuit me, et locutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum ut docerem te, et intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum.

℟. Angustiæ mihi sunt, *p.* 570.

Lectio iij.

SCITO ergo, et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt: et rursum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.

℟. Misit Dominus, *p.* 570.

Ad Magnif. Ant. Qui cœlorum contines thronum, et abyssos intueris, Domine Rex regum, montes ponderas, terram palmo concludis: exaudi nos, Domine, in gemitibus nostris.

DOM. IV. NOVEMBRIS.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Oseæ Prophetæ.

Lectio j. Cap. 1.

VERBUM Domini quod factum est ad Osee filium Beeri, in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ, regum Juda, et in diebus Jeroboam fi-

Digitized by Google

lii Joas regis Israel. Principium loquendi Domino in Osee ; et dixit Dominus ad Osee : Vade , sume tibi uxorem fornicationum , et fac tibi filios fornicationum : quia fornicans fornicabitur terra a Domino. Et abiit , et accepit Gomer filiam Debelaim , et concepit , et peperit ei filium.

℟. Vidi Dominum , *p.* 568.

Lectio ij.

ET dixit Dominus ad eum : Voca nomen ejus Jezrabel , quoniam adhuc modicum , et visitabo sanguinem Jezrahel super domum Jehu , et quiescere faciam regnum domus Israel. Et in illa die conteram arcum Israel in valle Jezrahel. Et concepit adhuc , et peperit filiam. Et dixit ei : Voca nomen ejus Absque misericordia , quia non addam ultra misereri domui Israel , sed oblivione obliviscar eorum. Et domui Juda miserebor , et salvabo eos in Domino Deo suo , et non salvabo eos in arcu , et gladio , et in bello , et in equis , et in equitibus.

℟. Aspice Domine de , *p.* 568.

Lectio iij.

ET ablactavit eam quæ erat Absque Misericordia. Et concepit , et peperit filium. Et dixit : Voca nomen ejus non populus meus , quia vos non populus meus , et ego non ero vester. Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris , quæ sine mensura est , et non numerabitur. Et erit in loco ubi dicetur eis Non populus meus vos ; dicetur eis , Filii Dei viventis. Et congregabuntur filii Juda , et filii Israel pariter , et ponent sibimet caput unum , et ascendent de terra, quia magnus dies Jezrahel.

℟. Aspice Domine quia , *p.* 568

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Augustini Episcopi de Civitate Dei.

Lectio iv. *Lib.* 18. *c.* 28.

OSEE Propheta , quanto profundius quidem loquitur , tanto operosius penetratur. Sed aliquid inde sumendum est , et hic ex nostra promissione ponendum. Et erit , inquit , in loco , in quo dictum est eis , Non populus meus vos : vocabuntur et ipsi filii Dei vivi. Hoc testimonium propheticum de vocatione populi Gentium , qui prius non pertinebat ad Deum , etiam Apostoli intellexerunt.

℟. Super muros tuos , *p.* 568.

Lectio v.

ET quia ipse quoque populus Gentium spiritaliter est in filiis Abrahæ, ac per hoc recte dicitur Israel , propterea sequitur , et dicit : Et congregabuntur filii Juda, et filii Israel in idipsum , et ponent sibimet principatum unum , et ascendent a terra. Hoc si adhuc velimus exponere , eloquii prophetici obtundetur sapor. Recolatur tamen lapis ille angularis , et duo illi parietes , unus ex Judæis , alter ex Gentibus : ille nomine filiorum Juda , iste nomine filiorum Israel : eidem uni principatui suo in idipsum innitentes , et ascendentes agnoscantur in terra.

℟. Muro tuo , *p.* 569.

Lectio vj.

ISTOS autem carnales Israelitas , qui nunc nolunt credere in Christum , postea credituros , id est , filios eorum , (nam utique isti in suum locum moriendo transibunt) idem Propheta testatur , dicens : Quoniam diebus multis sedebunt filii Israel sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine sacerdotio, sine manifestationibus. Quis non videat nunc sic esse Judæos?

℟. Sustinuimus pacem , *p.* 569.

In III. Noct. ℟. vij. *et* viij. *ut ibid.*

FERIA SECUNDA.

De Osee Propheta.

Lectio j. Cap. 4.

AUDITE verbum Domini, filii Israel , quia judicium Domino cum habitatoribus terræ : non est enim veritas , et non est misericordia ,

Digitized by Google

et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, et in volucre cœli: sed et pisces maris congregabuntur.

℟. Redemit populum, *p.* 569.

Lectio ij.

VERUMTAMEN unusquisque non judicet, et non arguatur vir: populus enim tuus, sicut hi qui contradicunt sacerdoti. Et corrues hodie, et corruet etiam propheta tecum; nocte tacere feci matrem tuam. Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam: quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi: et oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego.

℟. Angustiæ mihi sunt, *p.* 570.

Lectio iij.

SECUNDUM multitudinem eorum sic peccaverunt mihi: gloriam eorum in ignominiam commutabo. Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum. Et erit sicut populus, sic sacerdos, et visitabo super eum vias ejus, et cogitationes ejus reddam ei. Et comedent, et non saturabuntur; fornicati sunt, et non cessaverunt, quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo.

℟. Misit Dominus, *p.* 570.

FERIA TERTIA.

Incipit Joel Propheta.

Lectio j. Cap. 1.

VERBUM Domini quod factum est ad Joel filium Phatuel. Audite hoc, senes, et auribus percipite, omnes habitatores terræ: si factum est istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum? Super hoc filiis vestris narrate, et filii vestri filiis suis, et filii eorum generationi alteri. Residuum eruca comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo.

℟. A facie furoris, *p.* 570.

Lectio ij.

EXPERGISCIMINI, ebrii, et flete, et ululate, omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro. Gens enim ascendit super terram meam, fortis et innumerabilis: dentes ejus ut dentes leonis, et molares ejus ut catuli leonis. Posuit vineam meam in desertum, et ficum meam decorticavit undans spoliavit eam, et projecit: albi facti sunt rami ejus.

℟. Civitatem istam, *p.* 570.

Lectio iij.

PLANGE quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ. Periit sacrificium et libatio de Domo Domini; luxerunt sacerdotes ministri Domini. Depopulata est regio, luxit humus: quoniam devastatum est triticum, confusum est vinum, elanguit oleum. Confusi sunt agricolæ, ululaverunt vinitores super frumento et hordeo, quia periit messis agri.

℟. Genti peccatrici, *p.* 570.

FERIA QUARTA.

De Joele Propheta.

Lectio j. Cap. 3.

IN diebus illis, et in tempore illo, cum convertero captivitatem Juda et Jerusalem, congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi super populo meo, et hæreditate mea Israel, quos disperserunt in nationibus, et terram meam diviserunt. Et super populum meum miserunt sortem, et posuerunt puerum in prostibulo, et puellam vendiderunt pro vino ut biberent.

℟. Indicabo tibi, *p.* 570.

Lectio ij.

VERBUM quid mihi et vobis, Tyrus et Sidon, et omnis terminus Pa-

Digitized by Google

læstinorum? Numquid ultionem vos reddetis mihi? et si ulciscimini vos contra me, cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum. Argentum enim meum et aurum tulistis, et desiderabilia mea et pulcherrima intulistis in delubra vestra. Et filios Juda, et filios Jerusalem vendidistis filiis Græcorum, ut longe faceretis eos de finibus suis. Ecce ego suscitabo eos de loco, in quo vendidistis eos, et convertam retributionem vestram in caput vestrum.

℟. Angustiæ mihi sunt, *p.* 570.

Lectio iij.

ET vendam filios vestros et filias vestras in manibus filiorum Juda, et venumdabunt eos Sabæis genti longinquæ, quia Dominus locutus est. Clamate hoc in gentibus, sanctificate bellum, suscitate robustos: accedant, ascendant omnes viri bellatores. Concidite aratra vestra in gladios, et ligones vestros in lanceas. Infirmus dicat: Quia fortis ego sum. Erumpite, et venite, omnes gentes de circuitu, et congregamini: ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos. Consurgant, et ascendant gentes in vallem Josaphat: quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu.

℟. Misit Dominus, *p.* 570.

FERIA QUINTA.

Incipit Amos Propheta.

Lectio j. Cap I.

VERBA Amos, qui fuit in pastoribus de Thecue, quæ vidit super Israel in diebus Oziæ regis Juda, et in diebus Jeroboam filii Joas regis Israel, ante duos annos terræmotus. Et dixit: Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam: et luxerunt speciosa pastorum, et exsiccatus est vertex Carmeli.

℟. Vidi Dominum, *p.* 568.

Lectio ij.

HÆC dicit Dominus: Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum, eo quod triturayerint in plaustris ferreis Galaad. Et mittam ignem in domum Azael, et devorabit domos Benadad. Et conteram vectem Damasci, et disperdam habitatorem de campo idoli, et tenentem sceptrum de domo voluptatis; et transferetur populus Syriæ Cyrenen, dicit Dominus.

℟. Aspice Domine de, *p.* 568.

Lectio iij.

HÆC dicit Dominus: Super tribus sceleribus Gazæ, et super quatuor non convertam eum, eo quod transtulerint captivitatem perfectam, ut concluderent eam in Idumæa. Et mittam ignem in murum Gazæ, et devorabit ædes ejus. Et disperdam habitatorem de Azoto, et tenentem sceptrum de Ascalone: et convertam manum meam super Accaron, et peribunt reliqui Philisthinorum, dicit Dominus Deus.

℟. Aspice Domine quia, *p.* 568.

FERIA SEXTA.

Incipit Abdias Pro pheta.

Lectio j. Cap. I.

VISIO Abdiæ. Hæc dicit Dominus Deus ad Edom: Auditum audivimus a Domino, et legatum ad gentes misit. Surgite, et consurgamus adversus eum in prælium. Ecce parvulum dedi te in gentibus: contemptibilis tu es valde. Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum; qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te dicit Dominus.

℟. Super muros tuos, *p.* 568.

Lectio ij.

SI fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses? Nonne furati essent sufficientia sibi? Si vindemiatores introissent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi? Quomodo scrutati sunt Esau, investigaverunt abscondita ejus? Usque ad terminum emiserunt te; omnes viri fœderis tui illuserunt tibi; in-

Digitized by Google

valuerunt adversum te viri pacis tuæ : qui comedunt tecum , ponent insidias subter te : non est prudentia in eo.

℟. Muro tuo , *p.* 569.

Lectio iij.

NUMQUID non in die illa , dicit Dominus , perdam sapientes de Idumæa , et prudentiam de monte Esau ? Et timebunt fortes tui a Meridie ut intereat vir de monte Esau. Propter interfectionem, et propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob, operiet te confusio, et peribis in æternum. In die cum stares adversus eum, quando capiebant alieni exercitum ejus , et extranei ingrediebantur portas ejus, et super Jerusalem mittebant sortem: tu quoque eras quasi unus ex eis.

℟. Sustinuimus pacem , *p.* 569.

SABBATO.

Incipit Jonas Propheta.

Lectio j. Cap. I.

ET factum est verbum Domini ad Jonam filium Amathi , dicens : Surge , et vade in Niniven civitatem grandem, et prædica in ea, quia ascendit malitia ejus coram me. Et surrexit Jonas , ut fugeret in Tharsis a facie Domini , et descendit in Joppen , et invenit navem euntem in Tharsis , et dedit naulum ejus , et descendit in eam, ut iret cum eis in Tharsis a facie Domini. Dominus autem misit ventum magnum in mare , et facta est tempestas magna in mari , et navis periclitabatur conteri.

℟. Laudabilis populus, *p.* 569.

Lectio ij.

ET timuerunt nautæ , et clamaverunt viri ad Deum suum , et miserunt vasa, quæ erant in navi, in mare, ut alleviaretur ab eis. Et Jonas descendit ad interiora navis , et dormiebat sopore gravi. Et accessit ad eum gubernator , et dixit ei : Quid tu sopore deprimeris ? Surge , invoca Deum tuum , si forte recogitet Deus de nobis , et non pereamus. Et dixit vir ad collegam suum : Venite , et mittamus sortes , et sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes , et cecidit sors super Jonam.

℟. Angustiæ mihi sunt , *p.* 570.

Lectio iij.

ET dixerunt ad eum : Indica nobis cujus causa malum istud sit nobis ; quod est opus tuum ? quæ terra tua , et quo vadis ? vel ex quo populo es tu ? Et dixit ad eos : Hebræus ego sum : et Dominum Deum cœli ego timeo , qui fecit mare et aridam. Et timuerunt viri timore magno , et dixerunt ad eum : Quid hoc fecisti ? Cognoverunt enim viri quod a facie Domini fugeret , quia indicaverat eis. Et dixerunt ad eum: Quid faciemus tibi , et cessabit mare a nobis? quia mare ibat et intumescebat. Et dixit ad eos : Tollite me , et mittite in mare, et cessabit mare a vobis : scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos.

℟. Misit Dominus , *p.* 570.

SABBATO

Ante Dom. V. Novembris.

Ad Magnif. Ant. Super muros tuos Jerusalem , constitui custodes : tota die et nocte non tacebunt laudare nomen Domini.

DOM. V. NOVEMBRIS.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Michæas Propheta.

Lectio j. Cap. I.

VERBUM Domini quod factum est ad Michæam Morasthiten in diebus Joathan , Achaz , et Ezechiæ , regum Juda ; quod vidit super Samariam et Jerusalem. Audite, populi omnes , et attendat terra et plenitudo ejus ; et sit Dominus Deus vobis in testem , Dominus de templo sancto suo. Quia ecce Dominus egredietur de loco suo , et descendet , et calcabit super excelsa terræ.

℟. Vidi Dominum, *p.* 568.

Lectio ij.

ET consummentur montes subtus eum, et valles scindentur sicut

Digitized by Google

cera a facie ignis, et sicut aquæ quæ decurrunt in præceps. In scelere Jacob omne istud, et in peccatis domus Israel. Quod scelus Jacob? nonne Samaria? et quæ excelsa Judæ? nonne Jerusalem? Et ponam Samariam quasi acervum lapidum in agro, cum plantatur vinea; et detrahan in vallem lapides ejus, et fundamenta ejus revelabo.

℟. Aspice Domine de, *p.* 568.

Lectio iij.

ET omnia sculptilia ejus concidentur, et omnes mercedes ejus comburentur igne, et omnia idola ejus ponam in perditionem, quia de mercedibus meretricis congregata sunt, et usque ad mercedem meretricis revertentur. Super hoc plangam, et ululabo: vadam spoliatus et nudus: faciam planctum velut draconum, et luctum quasi struthionum, quia desperata est plaga ejus quia venit usque ad Judam, tetigit portam populi mei usque ad Jerusalem.

℟. Aspice Domine quia, *p.* 568.

IN II. NOCTURNO.

De sermone S. Basilii Magni in psalmum trigesimum tertium.

Lectio iv.

CUM te appetitus invaserit peccandi, velim cogites horribile illud et intolerabile Christi tribunal, in quo præsidebit judex in alto et excelso throno: astabit autem omnis creatura ad gloriosum illius conspectum contremiscens. Adducendi etiam nos sumus singuli, eorum quæ in vita gesserimus, rationem reddituri. Mox illis qui multa mala in vita perpetrarint, terribiles quidam et deformes assistent Angeli, igneos vultus præ se ferentes, atque ignem spirantes, ea re propositi et voluntatis acerbitatem ostendentes, nocti vultu similes, propter mœrorem et odium in humanum genus.

℟. Super muros tuos, *p.* 568.

Lectio v.

AD hæc cogites profundum barathrum, inextricabiles tenebras, ignem carentem splendore: urendi quidem vim habentem, sed privatum lumine; deinde vermium genus venenum immittens, et carnem vorans, inexplebiliter edens, neque unquam saturitatem sentiens, intollerabiles dolores corrosione ipsa infigens: postremo, quod suppliciorum omnium gravissimum est, opprobrium illud et confusionem sempiternam. Hæc time, et hoc timore correptus, animam a peccatorum concupiscentia tanquam fræno quodam reprime.

℟. Muro tuo, *p.* 569.

Lectio vj.

NUNC timorem Domini se docturum Propheta promisit: docere autem non simpliciter promisit, sed eos qui eum audire voluerint: non eos qui longius prolapsi sunt, sed qui salutem appetentes accurrunt: non alienos a promissionibus, sed ex baptismate filiorum adoptionis, verbo ipsi conciliatos atque conjunctos. Propterea, Venite, inquit hoc est, per bona opera accedite ad me, filii, quippe qui per regenerationem filii lucis effici digni facti estis: audite, qui aures cordis habetis apertas, timorem Domini docebo vos: illum scilicet, quem paulo ante oratione nostra descripsimus.

℟. Sustinuimus pacem, *p.* 569.

In III. Noct. ℟. vij. *et* viij. *ut ibid.*

FERIA SECUNDA

Incipit Nahum Propheta.

Lectio j. Cap. 1.

ONUS Ninive: Liber visionis Nahum Elcesæi. Deus æmulator, et ulciscens Dominus: ulciscens Dominus, et habens furorem; ulciscens Dominus in hostes suos, et irascens ipse inimicis suis. Dominus patiens, et magnus fortitudine, et mundans non faciet innocentem. Dominus in tempestate et turbine viæ ejus, et nebulæ pulvis pedum ejus. Increpans mare, et exsiccans illud, et omnia flumina ad desertum deducens.

Digitized by Google

℣. Redemit populum, *p.* 569.

Lectio ij.

INFIRMATUS est Basan, et Carmelus, et flos Libani elanguit. Montes commoti sunt ab eo, et colles desolati sunt, et contremuit terra a facie ejus, et orbis, et omnes habitantes in eo. Ante faciem indignationis ejus quis stabit? et quis resistet in ira furoris ejus? Indignatio ejus effusa est ut ignis, et petræ dissolutæ sunt ab eo.

℣. Angustiæ mihi sunt, *p.* 570.

Lectio iij.

BONUS Dominus, et confortans in die tribulationis, et sciens sperantes in se. Et in diluvio prætereunte consummationem faciet loci ejus, et inimicos ejus persequentur tenebræ. Quid cogitatis contra Dominum? Consummationem ipse faciet: non consurget duplex tribulatio. Quia sicut spinæ se invicem complectuntur sic convivium eorum pariter potantium: consumentur quasi stipula ariditate plena.

℣. Misit Dominus, *p.* 570.

FERIA TERTIA.

Incipit Habacuc Propheta.

Lectio j. Cap. 1.

ONUS quod vidit Habacuc Propheta. Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem et laborem, videre prædam et injustitiam contra me? Et factum est judicium, et contradictio potentior. Propter hoc lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem judicium: quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum.

℣. A facie furoris, *p.* 570.

Lectio ij.

ASPICITE in gentibus, et videte: admiramini, et obstupescite: quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur. Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram et velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua. Horribilis et terribilis est, ex semetipsa judicium, et onus ejus egredietur.

℣. Civitatem istam, *p.* 570.

Lectio iij.

LEVIORES pardis equi ejus, et velociores lupis vespertinis, et diffundentur equites ejus: equites namque ejus de longe venient, et volabunt quasi aquila festinans ad comedendum. Omnes ad prædam venient; facies eorum ventus urens: et congregabit quasi arenam, captivitatem. Et ipse de regibus triumphabit, et tyranni ridiculi ejus erunt: ipse super omnem munitionem ridebit; et comportabit aggerem, et capiet eam.

℣. Genti peccatrici, *p.* 570.

FERIA QUARTA.

Incipit Sophonias Propheta.

Lectio j. Cap. 1.

VERBUM Domini quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, filii Godoliæ, filii Amariæ, filii Eziciæ, in diebus Josiæ filii Amon regis Judæ. Congregans congregabo omnia a facie terræ, dicit Dominus; congregans hominem et pecus: congregans volatilia cœli, et pisces maris: et ruinæ impiorum erunt: et disperdam homines a facie terræ, dicit Dominus.

℣. Judicabo tibi, *p.* 570.

Lectio ij.

ET extendam manum meam super Judam, et super omnes habitantes Jerusalem, et disperdam de loco hoc reliquias Baal, et nomina ædituorum cum sacerdotibus, et eos qui adorant super tecta militiam cœli, et adorant et jurant in Domino, et jurant in Melchom. Et qui avertuntur de post tergum Domini,

Digitized by Google

et qui non quæsierunt Dominum: nec investigaverunt eum.

℟. Angustiæ mihi sunt, *p.* 570.

Lectio iij.

SILETE a facie Domini Dei, quia juxta est dies Domini; quia præparavit Dominus hostiam, sanctificavit vocatos suos. Et erit: in die hostiæ Domini, visitabo super principes, et super filios regis, et super omnes qui induti sunt veste peregrina: et visitabo super omnem, qui arroganter ingradietur super limen in die illa: qui complent domum Domini Dei sui iniquitate et dolo.

℟. Misit Dominus, *p.* 570.

FERIA QUINTA.

Incipit Aggæus Propheta.

Lectio j. Cap. 4.

IN anno secundo Darii regis, in mense sexto, in die una mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ, ad Zorobabel filium Salathiel, ducem Juda, et ad Jesum filium Josedech, sacerdotem magnum, dicens: Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Populus iste dicit: Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ.

℟. Vidi Dominum, *p.* 568.

Lectio ij.

ET factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ, dicens: Numquid tempus vobis est, ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ista deserta? Et nunc hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, et intulistis parum: comedistis, et non estis satiati: bibistis et non estis inebriati: operuistis vos, et non estis calefacti: et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.

℟. Aspice Domine de, *p.* 568.

Lectio iij.

HEC dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras: ascendite in montem, portate ligna, et ædificate domum: et acceptabilis mihi erit, et glorificabor, dicit Dominus. Respexistis ad amplius, et ecce factum est minus: et intulistis in domum, et exsufflavi illud: quam ob causam, dicit Dominus exercituum? quia domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam. Propter hoc super vos prohibiti sunt cœli ne darent rorem, et terra prohibita est ne daret germen suum.

℟. Aspice Domine quia, *p.* 568.

FERIA SEXTA.

Incipit Zacharias Propheta.

Lectio j. Cap. I.

IN mense octavo; in anno secundo Darii regis, factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filii Addo, Prophetam, dicens: Iratus est Dominus super patres vestros iracundia. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.

℟. Super muros tuos, *p.* 568.

Lectio ij.

NE sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant Prophetæ priores, dicentes: Hæc dicit Dominus exercituum: Convertimini de viis vestris malis, et de cogitationibus vestris pessimis; et non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus. Patres vestri ubi sunt? et Prophetæ numquid in sempiternum vivent?

℟. Muro tuo, *p.* 569.

Lectio iij.

VERUMTAMEN verba mea, et legitima mea, quæ mandavi servis meis Prophetis, numquid non comprehenderunt patres vestros, et conversi sunt, et dixerunt: Sicut cogitavit Dominus exercituum facere nobis secundum vias nostras, et secundum adinventiones nostras fecit nobis.

℟. Sustinuimus pacem, *p.* 569.

Digitized by Google

SABBATO.

Incipit Malachias Propheta.

Lectio j. Cap. I.

ONUS verbi Domini ad Israel in manu Malachiæ. Dilexi vos, dicit Dominus, et dixistis: In quo dilexisti nos? Nonne frater erat Esau Jacob, dicit Dominus, et dilexi Jacob, Esau autem odio habui? et posui montes ejus in solitudinem, et hæreditatem ejus in dracones deserti. Quod si dixerit Idumæa: Destructi sumus, sed revertentes ædificabimus quæ destructa sunt, hæc dicit Dominus exercituum: Isti ædificabunt, et ego destruam; et vocabuntur termini impietatis, et populus cui iratus est Dominus usque in æternum.

℟. Laudabilis populus, *p.* 569.

Lectio ij.

ET oculi vestri videbunt, et vos dicetis: Magnificetur Dominus super terminum Israel. Filius honorat patrem, et servus Dominum suum; si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum. Ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum, et dixistis: in quo despeximus nomen tuum? offertis super altare meum panem pollutum, et dicitis: In quo polluimus te? In eo quod dicitis, Mensa Domini despecta est.

℟. Angustiæ mihi sunt, *p.* 570.

Lectio iij.

SI offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? et si offeratis claudum et languidum, nonne malum est? Offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum. Et nunc deprecamini vultum Dei, ut misereatur vestri; de manu enim vestra factum est hoc, si quo modo suscipiat facies vestras, dicit Dominus exercituum. Quis est in vobis qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito? Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.

℟. Misit Dominus, p. 570.

Ad Vesp. Ant. cum Psalmis de Psalt., p. 97. *Capit. Hymnus*, ℣. *Ant. ad* Magnificat, *et Oratio, ut in Sabb. ante Dom. I. Adventus.*

Digitized by Google

HOMILIÆ ET ORATIONES IN DOMINICIS

PER ORDINEM DISPOSITÆ

A tertia post Pentecosten usque ad Adventum.

DOM. III. POST. PENT.

Oratio.

PROTECTOR in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, multiplica super nos misericordiam tuam, ut te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Per.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 15.

IN illo tempore: Erant appropinquantes ad Jesum publicani et peccatores, ut audirent illum. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 34. *in Evangelia.*

AUDISTIS in lectione Evangelica, fratres mei, quia peccatores et publicani accesserunt ad Redemptorem nostrum, et non solum ad colloquendum, sed etiam ad convescendum recepti sunt. Quod videntes Pharisæi dedignati sunt. Ex qua re colligite quia vera justitia compassionem habet, falsa justitia dedignationem, quamvis et justi soleant recte peccatoribus dedignari. Sed aliud est quod agitur typho superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ.

Lectio viij.

DEDIGNANTUR etenim, sed non dedignantes: desperant, sed non desperantes: persecutionem commovent, sed amantes: quia etsi foris increpationes per disciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per charitatem servant. Præponunt sibi in animo ipsos plerumque quos corrigunt, meliores existimant eos quoque quos judicant. Quod videlicet agentes, et per disciplinam subditos, et per humilitatem custodiunt semetipsos.

Lectio ix.

AT contra hi qui de falsa justitia superbire solent, cæteros quosque despiciunt, nulla infirmantibus misericordia condescendunt; quo se peccatores esse non credunt, eo deterius peccatores fiunt. De quorum profecto numero Pharisæi extiterant, qui dijudicantes Dominum quod peccatores susciperet, arenti corde ipsum fontem misericordiæ reprehendebant. Sed quia ægri erant, ita ut ægros se esse nescirent, quatenus quod erant agnoscerent, cœlestis eos medicus blandis fomentis curat, benignum paradigma objicit, et in eorum corde vulneris tumorem premit.

Ad Bened. Ant. **Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam? alleluia.**

Ad. Magnif. Ant. **Quæ mulier habens drachmas decem, et si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter donec inveniat?**

DOM. IV. POST PENT.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Domine, ut et mundi cursus pacifice nobis tuo ordine dirigatur, et Ecclesia tua tranquilla devotione lætetur. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Digitized by Google

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo tempore : Cum turbæ irruerent in Jesum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 4. in Luc. cap. 5.

UBI Dominus multis impartivit varia genera sanitatum, nec tempore, nec loco potuit ab studio sanandi turba cohiberi. Vesper incubuit, sequebantur : stagnum occurrit. urgebant : et ideo ascendit in Petri navim. Hæc est illa navis, quæ adhuc secundum Matthæum fluctuat, secundum Lucam repletur piscibus, ut et principia Ecclesiæ fluctuantis, et posterióra exuberantis agnoscas. Pisces enim sunt, qui hanc enavigant vitam : ibi adhuc discipulis Christus dormit, hic præcipit : dormit enim tepidis, perfectis vigilat.

Lectio viij.

NON turbatur hæc navis, in qua prudentia navigat, abest perfidia, fides aspirat. Quemadmodum enim turbari poterat, cui præerat is, in quo Ecclesiæ firmamentum est ? Illic ergo turbatio, ubi modica fides : hic securitas, ubi perfecta dilectio. Et si aliis imperatur ut laxent retia sua, soli tamen Petro dicitur: Duc in altum ; hoc est, in profundum disputationum. Quid enim tam altum, quam altitudinem divitiarum videre, scire Dei Filium, et professionem divinæ generationis assumere ? Quam licet mens non queat humana plene rationis investigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur.

Lectio ix.

NAM etsi non licet mihi scire quemadmodum natus sit, non licet tamen nescire quod natus sit. Seriem generationis ignoro, sed auctorem generationis agnosco. Non interfuimus cum ex Patre Dei Filius nasceretur, sed interfuimus cum a Patre Dei Filius diceretur. Si Deo non credimus, cui credemus ? Omnia enim quæ credimus, vel visu credimus vel auditu Visus sæpe fallitur, auditus in fide est.

Ad Bened. Ant. Ascendens Jesus in navim, et sedens docebat turbas, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus ; in verbo autem tuo laxabo reto.

DOM. V. POST. PENT.

Oratio.

DEUS, qui diligentibus te bona invisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut te in omnibus et super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Lib. I. de Serm. Domini in monte, cap. 9.

JUSTITIA Pharisæorum est, ut non occidant : justitia eorum qui intraturi sunt in regnum cælorum, ut non irascantur sine causa. Minimum est ergo, non occidere ; et qui illud solverit, minimus vocabitur in regno cælorum. Qui autem illud impleverit, ut non occidat, non continuo magnus erit ; et idoneus regno cælorum ; sed tamen ascendit aliquem gradum ; perficietur autem, si nec irascatur sine causa : quod si perfecerit, multo remotior erit ab homicidio. Quapropter qui docet ut non irascamur, non solvit legem ne occidamus, sed implet potius : ut et foris dum non occidimus, et in corde dum non irascimur, innocentiam custodiamus.

Digitized by Google

Lectio viij.

GRADUS itaque sunt in istis peccatis : ut primo quisque irascatur, et eum motum retineat corde conceptum. Jam si extorserit vocem indignantis ipsa commotio, non significantem aliquid, sed illum animi motum ipsa eruptione testantem, qua feriatur ille, cui irascitur : plus est utique, quam si surgens ira silentio premeretur. Si vero non solum vox indignantis audiatur, sed etiam verbum, quo jam certam ejus vituperationem, in quem profertur, designet et notet : quis dubitet amplius hoc esse, quam si solus indignationis sonus ederetur ?

Lectio ix.

VIDE nunc etiam tres reatus, judicii, concilii, et gehennæ ignis. Nam in judicio, adhuc defensioni datur locus. In concilio autem, quanquam et judicium esse soleat, tamen quia interesse aliquid hoc loco fateri cogit ipsa distinctio, videtur ad concilium pertinere sententiæ prolatio, quando non jam cum ipso reo agitur utrum damnandus sit, sed inter se, qui judicant, conferunt quo supplicio damnari oporteat, quem constat esse damnandum. Gehenna vero ignis nec damnationem habet dubiam, sicut judicium ; nec damnati pœnam, sicut concilium : in gehenna quippe ignis, certa est damnatio, et pœna damnati.

Ad Bened. Ant. Audistis quia dictum est antiquis : Non occides ; qui autem occiderit, reus erit judicio.

Ad Magnif. Ant. Si offers munus tuum ad altare, et recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversus te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offeres munus tuum, alleluia.

DOM. VI. POST PENT.

Oratio.

DEUS virtutum, cujus est totum quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, et præsta in nobis religionis augmentum, ut quæ sunt bona, nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita, custodias. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio vij. Cap. 8.

IN illo tempore : Cum turba multa esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis : Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 6. in Luc. c. 9.

POSTEAQUAM illa, quæ Ecclesiæ typum accepit, a fluxu curata est sanguinis, posteaquam Apostoli ad evangelizandum regnum Dei sunt destinati, gratiæ cœlestis impartitur alimentum. Sed quibus impartiatur, adverte : non otiosis, non in civitate, quasi in synagoga, vel sæculari dignitate residentibus, sed inter deserta quærentibus Christum. Qui enim non fastidiunt, ipsi excipiantur a Christo, et cum ipsis loquitur Dei Verbum, non de sæcularibus, sed de regno Dei. Et si qui corporalis gerunt ulcera passionis, his medicinam suam libenter indulget.

Lectio viij.

CONSEQUENS igitur erat, ut quos a vulnerum dolore sanaverat, eos alimoniis spiritalibus a jejunio liberaret. Itaque nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus, et illi qui vocantur ad cœnam, prius vocando sanantur. Si claudus fuit, gradiendi facultatem, ut veniret, accepit : si lumine oculorum privatus, domum utique Domini, nisi refusa luce, intrare non potuit.

Lectio ix.

UBIQUE igitur mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, post alimonia mensæ cœlestis exuberet: quamquam nondum valido-

ribus hæc turba reficiatur alimentis, neque Christi corpore et sanguine jejuna solidioris fidei corda pascantur. Lacte, inquit, vos potavi, non esca: nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis. In modum lactis quinque sunt panes: esca autem solidior, corpus est Christi; potus vehementior, sanguis est Domini.

Ad Bened. Ant. Cum turba multa esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis: Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent; et si dimisero eos jejunos, deficient in via, alleluia.

DOM. VII. POST PENT.

Oratio.

DEUS, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus, ut noxia cuncta submoveas, et omnia nobis profutura concedas. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 7.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Et reliqua.

Homilia S. Hilarii Episcopi.

In Comment. in Matth. cap. 6.

BLANDIMENTA verborum, et mansuetudinis simulationem admonet fructu operationis expendi oportere, ut non qualem quis verbis referat, sed qualem se rebus efficiat spectemus; quia in multis vestitu ovium rabies lupina contegitur. Ergo ut spinæ uvas, ut tribuli ficus non generant, et ut iniquæ arbores utilia poma non afferunt: ita ne in istis quidem consistere docet boni operis effectum, et idcirco omnes cognoscendos esse de fructibus. Regnum enim cœlorum sola verborum officia non obtinent; neque qui dixerit, Domine, Domine, hæres illius erit.

Lectio viij.

QUID enim meriti est Domino dicere, Domine? Numquid Dominus non erit, nisi fuerit dictus a nobis? Et quæ officii sanctitas est, nominis nuncupatio, cum cælestis regni iter obedientia potius voluntatis Dei, non nuncupatio, repertura sit? Multi mihi dicent in illa die: Domine, Domine, nonne in tuo nomine prophetavimus? Etiam nunc pseudoprophetarum fraudulentiam, et hypocritarum simulamenta condemnat, qui gloriam sibi ex verbi virtute præsumunt, in doctrinæ prophetia, et dæmoniorum fuga, et istiusmodi operum virtutibus.

Lectio ix.

ATQUE hinc sibi regnum cælorum pollicentur; quasi vero eorum aliquid proprium sit, quæ loquuntur aut faciunt, et non omnia virtus Dei invocata perficiat; cum doctrinæ scientiam lectio afferat, dæmonia Christi nomen exagitet. De nostro igitur est beata illa æternitas promerenda, præstandumque est aliquid ex proprio, ut bonum velimus, malum omne vitemus, totoque affectu præceptis cœlestibus obtemperemus, ac talibus officiis cogniti Deo simus; agamusque potius quod vult, quam quod potest, gloriemur, repudians eos ac repellens, quos a cognitione sua opera iniquitatis averterint.

Ad Bened. Ant. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: a fructibus eorum cognoscetis eos, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Non potest arbor bona fructus malos facere, nec arbor mala fructus bonos facere: omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur, alleluia.

Digitized by Google

DOM. VIII. POST PENT.

Oratio.

LARGIRE nobis, quæsumus, Domine, semper spiritum cogitandi quæ recta sunt, propitius et agendi, ut qui sine te esse non possumus, secundum te vivere valeamus. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum; et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Epist. 151. ad Algasiam.

SI dispensator iniqui mammonæ domini voce laudatur, quod de re iniqua sibi justitiam præpararit; et passus dispendia dominus laudat dispensatoris prudentiam, quod adversus dominum quidem fraudulenter, sed pro se prudenter egerit; quanto magis Christus, qui nullum damnum sustinere potest, et pronus est ad clementiam, laudabit discipulos suos, si in eos qui crediturі sibi sunt, misericordes fuerint?

Lectio viij.

DENIQUE post parabolam intulit: Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de iniquo mammona. Mammona autem non Hebræorum, sed Syrorum lingua divitiæ nuncupantur, quod de iniquitate collectæ sint. Si ergo iniquitas bene dispensata vertitur in justitiam; quanto magis sermo divinus, in quo nulla est iniquitas, qui et Apostolis creditus est, si bene fuerit dispensatus, dispensatores suos levabit in cœlum?

Lectio ix.

QUAMOBREM sequitur: Qui fidelis est in minimo, hoc est, in carnalibus, et in multis fidelis erit, hoc est, in spiritualibus. Qui autem in parvo iniquus est, ut non det fratribus ad utendum, quod a Deo pro omnibus est creatum; iste et in spirituali pecunia dividenda iniquus erit, ut non pro necessitate, sed pro personis doctrinam Domini dividat. Si autem, inquit, carnales divitias, quæ labuntur, non bene dispensatis, veras æternasque divitias doctrinæ Dei quis credet vobis?

Ad Bened. Ant. Ait dominus villico: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco: scio quid faciam, ut, cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas.

DOM. IX. POST PENT.

Oratio.

PATEANT aures misericordiæ tuæ, Domine, precibus supplicantium; et ut petentibus desiderata concedas, fac eos, quæ tibi sunt placita, postulare. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: cum appropinquaret Jesus Jerusalem, videns civitatem, flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 39. *in Evangelia.*

QUOD a flente Domino illa Jerosolymorum subversio describitur, quæ a Vespasiano et Tito Romanis Principibus facta est, nullus qui historiam eversionis ejusdem legit, ignorat. Romani etenim Principes denuntiantur, cum dicitur: Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo. Hoc quoque quod additur, Non relinquent in te lapidem super lapidem; etiam jam ipsa ejus-

Digitized by Google

dem civitatis transmigratio testatur, quia dum nunc in eo loco constructa est, ubi extra portam fuerat Dominus crucifixus, prior illa Jerusalem, ut dicitur, funditus est eversa.

Lectio viij.

CUI ex qua culpa eversionis sum pœna fuerit illata, subjungitur: Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. Creator quippe hominum per incarnationis suæ mysterium hanc visitare dignatus est; sed ipsa timoris et amoris illius recordata non est. Unde etiam per Prophetam in increpatione cordis humani aves cœli ad testimonium deducuntur, dum dicitur: Milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini.

Lectio ix.

FLEVIT etenim prius Redemptor ruinam perfidæ civitatis, quam ipsa sibi civitas non cognoscebat esse venturam. Cui a flente Domino recte dicitur, Quia si cognovisses et tu; subaudi, fleres, quæ modo, quia nescis quod imminet, exultas. Unde et subditur, Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. Cum enim carnis se voluptatibus daret, et ventura mala non prospiceret; in die sua, quæ ad pacem esse ei poterant, habebat.

Ad Bened. Ant. Cum approqinquaret Dominus Jerusalem, videns civitatem, flevit super illam, et dixit: Quia si cognovisses et tu; quia venient dies in te, et circumdabunt te, inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te; eo quod non cognovisti tempus visitationis tuæ, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Scriptum est enim: Quia domus mea, domus orationis est cunctis gentibus; vos autem fecistis illam speluncam latronum: et erat quotidie docens in templo.

DOM. X. POST PENT.

Oratio.

DEUS, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas, multiplica super nos misericordiam tuam, ut ad tua promissa currentes, cœlestium bonorum facias esse consortes. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij, Cap. 18.

IN illo tempore: Dixit Jesus ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros, parabolam istam: Duo homines ascenderunt in templum ut orarent, unus Pharisæus, et alter publicanus. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Serm. 36. *de Verb. Domini.*

DICERET saltem Pharisæus: Non sum sicut multi homines. Quid est, Cæteri homines, nisi omnes præter ipsum? Ego, inquit, justus sum, cæteri peccatores. Non sum sicut cæteri homines, injusti, raptores, adulteri. Ecce tibi ex vicino publicano majoris tumoris occasio. Sicut, inquit, publicanus iste. Ego, inquit, solus sum; iste de cæteris est. Non sum, inquit, talis qualis iste, per justitias meas, quibus iniquus non sum.

Lectio viij.

JEJUNO bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Quid rogaverit Deum, quære in verbis ejus, nihil invenies. Ascendit orare, noluit Deum rogare, sed se laudare. Parum est, non Deum rogare; sed se laudare, insuper et roganti insultare. Publicanus autem de longinquo stabat, et Deo tamen ipse appropinquabat; cordis coscientia eum removebat, pietas applicabat. Publicanus autem de longinquo stabat, sed Dominus eum de propinquo attendebat.

Lectio ix.

EXCELSUS enim Dominus, et humilia respicit: excelsos autem,

Digitized by Google

qualis erat ille Pharisæus, a longe cognoscit. Excelsa quidem Deus a longe cognoscit, sed non ignoscit. Adhuc audi humilitatem publicani. Parum est quia de longinquo stabat; nec oculos suos ad cœlum levabat: ut aspiceretur, non aspiciebat; respicere sursum non audebat; premebat conscientia, spes sublevabat. Adhuc audi, Percutiebat pectus suum. Pœnas a seipso exigebat: propterea Dominus confitenti parcebat. Percutiebat pectus suum, dicens: Domine, propitius esto mihi peccatori. Ecce qui rogat. Quid miraris, si Deus ignoscit, quando ipse agnoscit?

Ad Bened. Ant. Stans a longe publicanus, nolebat oculos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori.

Ad Magnif. Ant. Descendit hic justificatus in dómum suam ab illo: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.

DOM. XI. POST PENT.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ et merita supplicum excedis et vota, effunde super nos misericordiam tuam, ut dimittas quæ conscientia metuit, et adjicias quod oratio non præsumit. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio vij. Cap. 7.

IN illo tempore: Exiens Jesus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Homil. 10. lib. 1. in Ezechielem.

QUID est quod creator omnium Deus, cum surdum et mutum sanare voluisset, in aures illius suos digitos misit, et expuens linguam ejus tetigit? Quid per digitos Redemptoris, nisi dona sancti Spiritus designantur? Unde cum in alio loco ejecisset dæmonium: dixit: Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. Qua de re per Evangelistam alium dixisse describitur: Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei. Ex quo utroque loco colligitur, quia digitus Spiritus vocatur. Digitos ergo in auriculas mittere, est per dona Spiritus sancti mentem surdi ad obediendum aperire.

Lectio viij.

QUID est vero quod expuens linguam ejus tetigit? Saliva nobis est ex ore Redemptoris, accepta sapientia in eloquio divino. Saliva quippe ex capite defluit in ore. Ea ergo sapientia, quæ ipse est, dum lingua nostra tangitur, mox ad prædicationis verba formatur. Qui suspiciens in cœlum, ingemuit, non quod ipse necessarium gemitum haberet, qui dabat quod postulabat: sed nos ad eum gemere, qui cœlo præsidet, docuit: ut et aures nostræ per donum Spiritus sancti aperiri, et lingua per salivam oris, id est, per scientiam divinæ locutionis, solvi debeat ad verba prædicationis.

Lectio ix.

CUI mox, ephpheta, id est, adaperire, dicitur: et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus. Qua in re notandum est, quia propter clausas aures dictum est, adaperire. Sed cui aures cordis ad obediendum apertæ fuerint, ex subsequenti procul dubio etiam linguæ ejus vinculum solvitur, ut bona quæ ipse fecerit, etiam facienda aliis loquatur. Ubi bene additur, Et loquebatur recte. Ille enim recte loquitur, qui prius obediendo fecerit, quæ loquendo admonet esse facienda.

Ad Bened. Ant. Cum transisset Dominus fines Tyri, surdos fecit audire et mutos loqui.

Ad Magnif. Ant. Bene omnia fecit; et surdos fecit audire, et mutos loqui.

Digitized by Google

DOM. XII. POST. PENT.

Oratio.

OMNIPOTENS et misericors Deus, de cujus munere venit ut tibi a fidelibus tuis digne et laudabiliter serviatur, tribue, quæsumus, nobis, ut ad promissiones tuas sine offensione curramus. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis, Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis quod multi Prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt. Et reliqua.

Homilia ven. Bedæ Presbyteri.

Lib. 3. *c.* 43. *in Luc.* 10.

NON oculi Scribarum et Pharisæorum, qui corpus tantum Domini videre, sed illi beati oculi, qui ejus possunt cognoscere sacramenta, de quibus dicitur, Et revelasti ea parvulis. Beati oculi parvulorum, quibus et se et Patrem Filius revelare dignatur. Abraham exultavit ut videret diem Christi: et vidit, et gavisus est. Isaias quoque, et Michæas, et multi alii Prophetæ viderunt gloriam Domini, qui et propterea Videntes sunt appellati: sed hi omnes a longe aspicientes et salutantes, per speculum et in ænigmate viderunt.

Lectio viij.

APOSTOLI autem in præsentiarum habentes Dominum, convescentesque ei, et quæcumque voluissent interrogando discentes, nequaquam per Angelos aut varias visionum species opus habebant doceri. Quos vero Lucas multos Prophetas et reges dicit, Matthæus apertius Prophetas et justos appellat. Ipsi sunt enim reges magni: quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præsse noverunt.

Lectio ix.

ET ecce quidam Legisperitus surrexit, tentans eum, et dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? Legisperitus, qui de vita æterna Dominum tentans interrogat, occasionem, ut reor, tentandi de ipsis Domini sermonibus sumpsit, ubi ait: Gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. Sed ipsa sua tentatione declarat, quam vera sit illa Domini confessio, qua Patri loquitur: Quod abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.

Ad Bened. Ant. Magister; quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? Quomodo legis? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et, plagis impositis, abierunt, semivivo relicto.

DOM. XIII. POST. PENT.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, da nobis fidei, spei, et charitatis augmentum, et, ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 17.

IN illo tempore: Dum iret Jesus in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam. Et cum ingrederetur quoddam castellum occurrerunt ei decem viri leprosi. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi

Lib. 2. *quæst. Evang. c.* 40.

DE decem leprosis, quos Dominus ita mundavit, cum ait: Ite, ostendite vos sacerdotibus: quæri potest, cur eos ad sacerdotes miserit, ut cum irent, mundarentur. Nullum

Digitized by Google

enim eorum, quibus hæc corporalia beneficia præstitit, invenitur misisse ad sacerdotes, nisi leprosos. Nam et illum a lepra mundaverat, cui dixit: Vade, ostende te sacerdotibus, et offer pro te sacrificium, quod præcepit Moyses, in testimonium illis. Quærendum igitur est quid ipsa lepra significet: non enim sanati, sed mundati dicuntur, qui ea caruerunt. Coloris quippe vitium est, non valetudinis, aut integritatis sensuum atque membrorum.

Lectio viij.

LEPROSI ergo non absurde intelligi possunt, qui scientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. Non enim abscondunt imperitiam suam, sed pro summa peritia proferunt in lucem, et jactantia sermonis ostentant. Nulla porro falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat. Vera ergo falsis inordinate permixta, in una disputatione vel narratione hominis tanquam in unius corporis colore apparentia, significant lepram, tanquam veris falsisque colorum fucis humana corpora variantem atque maculantem.

Lectio ix.

Hi autem tam vitandi sunt Ecclesiæ, ut, si fieri potest, longius remoti, magno clamore Christum interpellent: sicut isti decem steterunt a longe, et levaverunt vocem, dicentes: Jesu præceptor, miserere nostri. Nam et quod præceptorem vocant, quo nomine nescio utrum quisquam Dominum interpellaverit pro medicina corporali, satis puto significare, lepram falsam esse doctrinam, quam bonus præceptor abstergit.

Ad Bened. Ant. Cum transiret Jesus quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe, et levaverunt vocem, dicentes, Jesu præceptor, miserere nostri.

Ad Magnif. Ant. Unus autem ex illis, ut vidit quod mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, alleluia.

DOM. XIV. POST. PENT.

Oratio.

CUSTODI, Domine, quæ sumus, Ecclesiam tuam propitiatione perpetua, et quia sine te labitur humana mortalitas, tuis semper auxiliis et abstrahatur a noxiis, et ad salutaria dirigatur. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nemo potest duobus dominis servire. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Lib. 2. de serm. Domini in monte, cap. 14.

NEMO potest duobus dominis servire. Ad hanc ipsam intentionem referendum est quod consequenter exponit, dicens; Aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut alterum patietur, et alterum contemnet. Quæ verba diligenter considerandа sunt, nam qui sint duo domini deinceps ostendit, cum dicit: Non potestis Deo servire et mammonæ. Mammona apud Hebræos divitiæ appellari dicuntur. Congruit et Punicum nomen: nam lucrum Punice mammon dicitur.

Lectio viij.

SED qui servit mammonæ, illi utique servit, qui rebus istis terrenis merito suæ perversitatis præpositus, magistratus hujus sæculi a Domino dicitur. Aut enim unum odio habebit homo, et alterum diliget, id est, Deum; aut alterum patietur, et alterum contemnet. Patietur enim durum et perniciosum dominum, quisquis servit mammonæ: sua enim cupiditate implicatus, subditur diabolo, et non eum diligit. Quis enim est qui diligat diabolum? sed tamen patitur.

Lectio ix.

IDEO, inquit, dico vobis, non habere sollicitudinem animæ vestræ quid edatis, neque corpori vestro quid

Digitized by Google

induatis : ne forte quamvis jam superflua non quærantur, propter ipsa necessaria cor duplicetur, et ad ipsa conquirenda, nostra detorqueatur intentio, cum aliquid quasi misericorditer operamur, id est, ut cum consulere alicui videri volumus, nostrum emolumentum ibi potius quam illius utilitatem attendamus; et ideo nobis non videamur peccare, quia non superflua, sed necessaria sunt, quæ consequi volumus.

Ad Bened. Ant. Nolite sulliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus? scit enim Pater vester quid vobis necesse sit, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis, alleluia.

DOM. XV. POST. PENT.

Oratio.

ECCLESIAM tuam, Domine, miseratio continuata mundet et muniat, et quia sine te non potest salva consistere, tuo semper munere gubernetur. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 7.

IN illo tempore : Ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur Naim; et ibant cum eo discipuli ejus, et turba copiosa. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Serm. 44. de Verbis Domini.

DE juvene illo resuscitato gavisa est mater vidua : de hominibus in spiritu quotidie suscitatis gaudet mater Ecclesia. Ille quidem mortuus erat corpore; illi autem mente. Illius mors visibilis visibiliter plangebatur; illorum mors invisibilis nec quærebatur, nec videbatur. Quæsivit ille, qui noverat mortuos· Ille solus noverat mortuos, qui poterat facere vivos. Nisi enim ad mortuos suscitandos venisset, Apostolus non diceret : Surge, qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus.

Lectio viij.

TRES autem mortuos invenimus a Domino resuscitatos visibiliter, millia invisibiliter. Quot autem mortuos visibiliter suscitaverit, quis novit? Non enim omnia, quæ fecit, scripta sunt. Joannes hoc dixit : Multa alia fecit Jesus, quæ si scripta essent, arbitror totum mundum non posse libros capere. Multi ergo sunt alii sine dubio suscitati, sed non tres frustra commemorati. Dominus enim noster Jesus Christus ea, quæ faciebat corporaliter, etiam spiritaliter volebat intelligi. Neque enim tantum miracula propter miracula faciebat, sed ut illa quæ faciebat, mira essent videntibus, vera essent intelligentibus.

Lectio ix.

QUEMADMODUM qui videt litteras in codice optime scripto, et non novit legere, laudat quidem antiquarii manum, admirans apicum pulchritudinem · sed quid sibi velint, quid indicent illi apices, nescit, et est oculis laudator, mente non cognitor. Alius autem et laudat artificium, et capit intellectum; ille utique, qui non solum videre, quod commune est omnibus, potest, sed etiam legere : quod, qui non didicit, non potest. Ita qui viderunt Christi miracula, et non intellexerunt quid sibi vellent, et quid intelligentibus quodammodo innuerent, mirati sunt tantum quia facta sunt : alii vero et facta mirati, et intellecta assecuti. Tales nos in schola Christi esse debemus.

Ad Bened. Ant. Ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur Naim : et ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ.

Ad Magnif. Ant. Propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam.

DOM. XVI. POST PENT.

Oratio.

TUA nos, quæsumus, Domine, gratia semper et præveniat et se-

Digitized by Google

quatur, ac bonis operibus jugiter præsiet esse intentos Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 14.

IN illo tempore: Cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 7. in Lucæ c. 14.

CURATUR hydropicus, in quo fluxus carnis exuberans animæ gravabat officia, spiritus extinguebat ardorem. Deinde docetur humilitas, dum in illo convivio nuptiali appetentia loci superioris arcetur: clementer tamen, ut persuasio humanitatis asperitatem coercitionis excluderet, ratio proficeret ad persuasionis effectum, et correctio emendaret affectum. Huic quasi proximo limine humanitas copulatur: quæ ita Dominicæ sententiæ definitione distinguitur, si in pauperes et debiles conferatur: nam hospitalem esse remuneraturis, affectus avaritiæ est.

Lectio viij.

POSTREMO jam quasi emeritæ militiæ viro contemnendarum stipendium præscribitur facultatum: quod neque ille, qui studiis intentus inferioribus possessiones sibi terrenas coemit, regnum cæli possit adipisci, cum Dominus dicat: Vende omnia tua, et sequere me: nec ille, qui emit boves, cum Eliseus occiderit, et populo diviserit quos habebat: et ille, qui duxit uxorem, cogitet quæ mundi sunt, non quæ Dei. Non quo conjugium reprehendatur, sed quia ad majorem honorem vocetur integritas: quoniam mulier innupta et vidua cogitat quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore et spiritu.

Lectio ix.

SED ut in gratiam, ut supra cum viduis, ita nunc etiam cum conjugibus revertamur, non refugimus opinionem, quam sequuntur plerique, ut tria genera hominum a consortio magnæ illius cœnæ æstimemus excludi, Gentilium, Judæorum, Hæreticorum. Et ideo Apostolus avaritiam dicit esse fugiendam, ne impediti more Gentili, iniquitate, malitia, impudicitia, avaritia ad regnum Christi pervenire nequeamus. Omnis enim immundus aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei.

Ad Bened. Ant. Cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, ecce homo quidam hydropicus erat ante illum: ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit.

Ad Magnif. Ant. Cum vocatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco, ut dicat tibi qui te invitavit: Amice, ascende superius: et erit tibi gloria coram simul discumbentibus, alleluia.

DOM. XVII. POST PENT.

Oratio.

DA, quæsumus, Domine, populo tuo diabolica vitare contagia, et te solum pura mente sectari. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 22.

IN illo tempore: Accesserunt ad Jesum Pharisæi, et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege? Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homilia 72. in Matth.

SADDUCÆIS confusis, Pharisæi sursus aggrediuntur: eumque quiescere oporteret, decertare voluerunt, et legis peritiam profitentem præmittunt, non discere, sed tentare cupientes, ac ita interrogant: Quodnam primum mandatum in lege sit? Nam cum primum illud sit: Diliges

Digitized by Google

DominumDeum tuum; putantes causas sibi allaturum ad mandatum hoc corrigendum, aliquid addendo, quoniam Deum se faciebat, hoc modo interrogant. Quid igitur Christus? Ut osteudat idcirco ad hæc eos devenisse, quia nulla in eis esset charitas, sed invidiæ livore tabescerent: Diliges, inquit, Dominum Deum tuum: hoc primum et magnum mandatum est. Secundum autem simile huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.

Lectio viij.

QUAMOBREM simile est huic? quoniam hoc illud inducit, et ab illo rursus munitur. Quicumque enim male agit, odio habet lucem, et non venit ad lucem. Et rursus: Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Deinde sequitur: Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis. Et iterum: Radix omnium malorum avaritia est; quam quidam appetentes, erraverunt a fide. Et, Qui diligit me, mandata mea servabit: quorum caput et radix est, Diliges Dominum Deum tuum, et proximum tuum sicut teipsum.

Lectio ix.

SI ergo diligere Deum, diligere proximum est: (nam si diligis me, o Petre, inquit, pasce oves meas:) si etiam dilectio proximi facit ut mandata custodias, merito ait in his totam legem et Prophetas pendere. Et quemadmodum in superioribus, cum de resurrectione interrogaretur, plus docuit quam tentantes petebant: sic in hoc loco de primo interrogatus mandato, secundum etiam non valde quam primum inferius, sponte attulit: secundum enim est primo simile. Ita occulte insinuavit, odio illos ad quærendum incitari. Charitas enim, inquit, non æmulatur.

Ad Bened. Ant. Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei omnes: David. Dicit eis Jesus: Quomodo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis?

DOM. XVIII. POST PENT.

Oratio.

DIRIGAT corda nostra, quæsumus, Domine, tuæ miserationis operatio, quia tibi sine te placere non possumus. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 9.

IN illo tempore: Ascendens Jesus in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chrysologi.

Serm. 50.

CHRISTUM in humanis actibus divina gessisse mysteria, et in rebus visibilibus invisibilia exercuisse negotia, lectio hodierna monstravit. Ascendit, inquit, in naviculam, et transfretavit, et venit in civitatem suam. Nonne ipse est, qui fugatis fluctibus, maris profunda nudavit, ut Israeliticus populus inter stupentes undas sicco vestigio velut montium concava pertransiret? Nonne hic est, qui Petri pedibus marinos vortices inclinavit, ut iter liquidum humanis gressibus solidum præberet obsequium?

Lectio viij.

ET quid est quod ipse sibi sic maris denegat servitutem, ut brevissimi lacus transitum sub mercede nautica transfretaret? Ascendit, inquit, in naviculam, et transfretavit. Et quid mirum, fratres? Christus venit suscipere infirmitates nostras, et suas nobis conferre virtutes; humana quærere, præstare divina; accipere injurias, reddere dignitates; ferre tædia, referre sanitates: quia medicus, qui non fert infirmitates, curare nescit; et qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem.

Lectio ix.

CHRISTUS ergo, si in suis mansisset virtutibus, commune cum hominibus nihil haberet; et nisi implesset carnis ordinem, carnis in illo esset otiosa susceptio. Ascendit, inquit, in naviculam, et transfretavit, et venit in civitatem suam. Creator rerum orbis Dominus, posteaquam se propter nos nostra angustavit in carne, cœpit habere humanam patriam, cœpit civitatis Judaicæ esse civis, parentes habere cœpit parentum omnium ipse parens; ut invitaret amor, attraheret charitas, vinciret affectio, suaderet humanitas, quos fugarat dominatio, metus disperserat, fecerat vis potestatis extorres.

Ad Bened. Ant. Dixit Dominus paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.

Ad Magnif. Ant. Tulit ergo paralyticus lectum suum, in quo jacebat, magnificans Deum; et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

DOM. XIX. POST PENT.

Oratio.

OMNIPOTENS et misericors Deus, universa nobis adversantia propitiatus exclude, ut mente et corpore pariter expediti, quæ tua sunt liberis mentibus exequamur. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 22.

IN illo tempore: Loquebatur Jesus principibus sacerdotum et Pharisæis in parabolis, dicens: Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 38. *in Evangelia.*

SÆPE jam me dixisse memini, quod plerumque in sancto Evangelio regnum cælorum præsens Ecclesia nominatur: congregatio quippe justorum, regnum cælorum dicitur. Quia enim per Prophetam Dominus dicit: Cœlum mihi sedes est; et Salomon ait: Anima justi sedes est sapientiæ, Paulus etiam dicit Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam: aliquando colligere debemus, quia si Deus sapientia, anima autem justi sedes sapientiæ; dum cœlum dicitur sedes Dei, cœlum ergo est anima justi. Hinc per Psalmistam de sanctis prædicatoribus dicitur: Cœli enarrant gloriam Dei.

Lectio viij.

REGNUM ergo cœlorum est Ecclesia justorum: quia dum eorum corda in terra nil ambiunt, per hoc quod ad superna suspirant, jam in eis Dominus quasi in cœlestibus regnat. Dicatur ergo: Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Jam intelligit charitas vestra, quis est iste Rex Regis Filii Pater, ille nimirum, cui Psalmista ait: Deus, judicium tuum Regi da, et justitiam tuam Filio Regis. Qui fecit nuptias filio suo. Tunc enim Deus Pater Deo Filio suo nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humanæ naturæ conjunxit, quando Deum ante sæcula fieri voluit hominem in fine sæculorum.

Lectio ix.

SED quia ex duabus personis fieri solet ista nuptialis conjunctio, absit hoc ab intellectibus nostris, ut personam Dei et hominis Redemptoris nostri Jesu Christi ex duabus personis credamus unitam. Ex duabus quippe, atque in duabus hunc naturis existere dicimus: sed ex duabus personis compositum credi, ut nefas, vitamus. Apertius ergo atque securius dici potest, quia in hoc Pater Regi Filio nuptias fecit, quo ei per incarnationis mysterium sanctam Ecclesiam sociavit. Uterus autem Genitricis virginis hujus sponsi thalamus fuit. Unde et Psalmista dicit: In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.

Ad Bened. Ant. Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, venite ad nuptias, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Intravit autem rex, ut videret discumbentes: et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?

DOM. XX. POST PENT.

Oratio.

LARGIRE, quæsumus, Domine, fidelibus tuis indulgentiam placatus et pacem, ut pariter ab omnibus mundentur offensis, et secura tibi mente deserviant. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 4.

IN illo tempore: Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 28 *in Evangelia*

LECTIO sancti Evangelii, quam modo, fratres, audistis, expositione non indiget; sed ne hanc taciti præterisse videamur, exhortando potius quam exponendo in ea aliquid loquamur. Hoc autem nobis solummodo de expositione video esse requirendum, cur is, qui ad salutem filio petendam venerat, audivit: Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. Qui enim salutem quærebat filio, procul dubio credebat: neque enim ab eo quæreret salutem, quem non crederet salvatorem. Quare ergo dicitur, Nisi signa et prodigia videritis, non creditis: qui ante credidit, quam signa videret?

Lectio viij.

SED mementote quid petiit, et aperte cognoscetis, quia in fide dubitavit. Poposcit namque ut descenderet et sanaret filium ejus. Corporalem ergo Domini præsentiam quærebat, qui per spiritum nusquam deerat. Minus itaque in illum credidit, quem non putavit posse salutem dare, nisi præsens esset et corpore. Si enim perfecte credidisset, procul dubio sciret, quia non esset locus ubi non esset Deus.

Lectio ix.

EX magna ergo parte diffisus est, qui virtutem non dedit majestati, sed præsentiæ corporali. Salutem itaque filio petiit, et tamen in fide dubitavit: quia eum ad quem venerat, et potentem ad curandum credidit, et tamen morienti filio esse absentem putavit. Sed Dominus, qui rogatur ut vadat, quia non desit ubi invitatur, indicat: solo jussu salutem reddidit, qui voluntate omnia creavit.

Ad Bened. Ant. Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum: hic cum audisset quod Jesus veniret in Galilæam, rogabat eum, ut sanaret filium ejus.

Ad Magnif. Ant. Cognovit autem pater, quia illa hora erat, in qua dixit Jesus: Filius tuus vivit, et credidit ipse, et domus ejus tota.

DOM. XXI. POST PENT.

Oratio.

FAMILIAM tuam, quæsumus, Domine, continua pietate custodi, ut a cunctis adversitatibus, te protegente, sit libera, et in bonis actibus tuo nomini sit devota. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 18.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 3. Comm. in Matth. c. 18.

FAMILIARE est Syris, et maxime Palæstinis, ad omnem sermonem suum parabolas jungere: ut quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exemplaque teneatur. Præcepit itaque Dominus Petro sub compara-

Digitized by Google

tione regis et domini, et servi, qui debitor decem millium talentorum a domino rogans veniam impetraverat, ut ipse quoque dimittat conservis suis minora peccantibus. Si enim ille rex et dominus servo debitori decem millia talentorum tam facile dimisit, quanto magis servi conservis suis debent minora dimittere.

Lectio viij.

QUOD ut manifestius fiat, dicamus sub exemplo. Si quis nostrum commiserit adulterium, homicidium, sacrilegium; majora crimina decem millium talentorum rogantibus dimittuntur, si et ipsi dimittant minora peccantibus. Sin autem ob factam contumeliam simus implacabiles: et propter amarum verbum perpetes habeamus discordias, nonne nobis videmur recte redigendi in carcerem, et sub exemplo operis nostri hoc agere, ut majorum nobis delictorum venia non relaxetur?

Lectio ix.

SIC et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. Formidolosa sententia, si juxta nostram mentem sententia Dei flectitur, atque mutatur: si parva fratribus non dimittimus, magna nobis a Deo non dimittentur. Et quia potest unusquisque dicere: Nihil habeo contra eum, ipse novit, habet Deum judicem; non mihi curæ est quid velit agere, ego ignovi ei: confirmat sententiam suam, et omnem simulationem fictæ pacis evertit, dicens: Si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Ad Bened. Ant. Dixit autem dominus servo: Redde quod debes. Procidens autem servus ille, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

Ad Magnif. Ant. Serve nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? alleluia.

DOM. XXII. POST PENT.

Oratio.

DEUS refugium nostrum et virtus, adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus auctor ipse pietatis, et praesta, ut quod fideliter petimus efficaciter consequamur. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 22.

IN illo tempore: Abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut caperent Jesum in sermone. Et reliqua.

Homilia sancti Hilarii Episcopi.

In Comm. in Matth. cap. 23.

FREQUENTER Pharisæi commoventur, et occasionem insimulandi eum habere ex præteritis non possunt. Cadere enim vitium in gesta ejus et dicta non poterat; sed de malitiæ affectu, in omnem se inquisitionem reperiundæ accusationis extendunt. Namque a sæculi vitiis, atque a superstitionibus humanarum religionum universos ad spem regni cœlestis vocabat. Igitur an violaret sæculi potestatem, de propositæ interrogationis conditione pertentant: an videlicet reddi tributum Cæsari oporteret.

Lectio viij.

QUI interna cognitionum secreta cognoscens (Deus enim nihil eorum, quæ intra hominem sunt abconsa, non speculatur) afferri sibi denarium jussit, et quæsivit cujus et inscriptio esset et forma. Pharisæi responderunt, Cæsaris eam esse. Quibus ait, Cæsari redhibenda esse, quæ Cæsaris sunt: Deo autem reddenda esse, quæ Dei sunt. O plenam miraculi responsionem, et perfectam dicti cœlestis absolutionem! Ita omnia inter contemptum sæculi, et contumeliam lædendi Cæsaris temperavit, ut curis omnibus et officiis humanis devotas Deo mentes absolveret, cum Cæsari quæ ejus essent, reddenda decernit.

Digitized by Google

Lectio ix.

SI enim nihil ejus penes nos resederit, conditione reddendi ei quæ sua sunt, non tenebimur. Porro autem si rebus illius incubamus, si jure potestatis ejus utimur, et nos tanquam mercenarios alieni patrimonii procurationi subjicimus; extra querelam injuriæ est, Cæsari redhiberi quod Cæsaris est; Deo autem quæ ejus sunt propria, reddere nos oportere, corpus, animam, voluntatem. Ab eo enim hæc profecta atque aucta retinemus: proinde condignum est, ut ei se totum reddant, cui debere se recolunt et originem et profectum.

Ad Bened. Ant. Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo, alleluia.

Si sequens Dom. fuerit ultima post Pentec. ejus loco ponitur XXIV, ut infra: et Officium hujus Dom. ponitur in Sabbato præced. non impedito Festo ix. Lectionum: alioquin Feria vj. vel alia similiter non impedita.

DOM. XXIII. POST PENT.

Oratio.

ABSOLVE, quæsumus, Domine, tuorum delicta populorum, ut a peccatorum nostrorum nexibus, quæ pro nostra fragilitate contraximus, tua benignitate liberemur. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 9.

IN illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, ecce princeps unus accessit, et adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. I. Comm. in c. 9. *Matth.*

OCTAVUM signum est, in quo princeps suscitari postulat filiam suam, nolens de mysterio veræ circumcisionis excludi: sed subintrat mulier sanguine fluens, et octavo sanatur loco, ut principis filia de hoc exclusa numero, veniat ad nonum, juxta illud quod in psalmis dicitur: Æthiopia præveniet manus ejus Deo; et, Cum intraverit plenitudo Gentium, tunc omnis Israel salvus fiet.

Lectio viij.

ET ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus. In Evangelio secundum Lucam scribitur, quod principis filia duodecim annos haberet ætatis. Nota ergo, quod eo tempore hæc mulier, id est, Gentium populus cæperit ægrotare, quo genus Judæorum crediderat. Nisi enim ex comparatione virtutum, vitium non ostenditur.

Lectio ix.

HÆC autem mulier sanguine fluens, non in domo, non in urbe accedit ad Dominum, quia juxta legem urbibus excludebatur, sed in itinere, ambulante Domino, ut dum pergit ad aliam, alia curaretur. Unde dicunt et Apostoli: Vobis quidem prius oportebat prædicari verbum Dei: sed quoniam vos judicastis indignos salute, transgredimur ad Gentes.

Ad Bened. Ant. Dicebat enim intra se: Si tetigero fimbriam vestimenti ejus tantum, salva ero.

Ad Magnif. Ant. At Jesus conversus, et videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te salvam fecit, alleluia.

Cum fuerint plus quam 24. *Dominicæ post Pentec., post xxiij resumuntur quæ eo anno superfuerunt post Epiph., hoc ordine: Si fuerint* 25. *vj. post Epiph. erit xxiv; si* 26, *v. et vj. erunt xxiv. et xxv. si* 27, *iv. v. et vj. erunt xxiv, xxv. et xxvj.; si* 28, *iij. iv. v. et vj. erunt xxiv. xxv. xxvj. et xxvij. post Pentec.; et ultimo loco semper ponitur sequens.*

itized by Google

DOM. XXIV. ET ULTIMA POST PENTECOSTEN.

Oratio.

EXCITA, quæsumus, Domine, tuorum fidelium voluntates, ut divini operis fructum propensius exequentes, pietatis tuæ remedia majora percipiant. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24.

IN illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis: Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto: qui legit, intelligat. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 4. Comm. in c 24. Matth.

QUANDO ad intelligentiam provocamur, mysticum monstratur esse quod dictum est. Legimus autem in Daniele hoc modo: Et in dimidio hebdomadis auferetur sacrificium et libamina: et in templo abominatio desolationum erit usque ad consummationem temporis, et consummatio dabitur super solitudinem. De hoc et Apostolus loquitur, quod homo iniquitatis, et adversarius elevandus sit contra omne quod dicitur Deus, et colitur: ita ut audeat stare in templo Dei, et ostendere quod ipse sit Deus: cujus adventus secundum operationem satanæ destruat eos, et ad Dei solitudinem redigat qui se susceperint.

Lectio viij.

POTEST autem simpliciter aut de Antichristo accipi, aut de imagine Cæsaris, quam Pilatus posuit in templo, aut de Adriani equestri statua, quæ in ipso sancto sanctorum loco usque in præsentem diem stetit. Abominatio quoque secundum veterem scripturam idolum nuncupatur; et idcirco additur, desolationis, quod in desolato templo atque destructo idolum positum sit.

Lectio ix.

ABOMINATIO desolationis intelligi potest et omne dogma perversum: quod cum viderimus stare in loco sancto, hoc est, in Ecclesia, et se ostendere Deum, debemus fugere de Judæa ad montes, hoc est, dimissa occidente littera, et Judaica pravitate, appropinquare montibus æternis, de quibus illuminat mirabiliter Deus, et esse in tecto, et in domate, quo non possint ignita diaboli jacula pervenire, nec descendere et tollere aliquid de domo conversationis pristinæ, nec quærere quæ retrorsum sunt: sed magis serere in agro spiritualium scripturarum, ut fructus capiamus ex eo: nec tollere alteram tunicam, quam Apostoli habere prohibentur.

Ad Bened. Ant. Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto: qui legit, intelligat.

Ad Magnif. Ant. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant: cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt, dicit Dominus.

Digitized by Google

PROPRIUM SANCTORUM.

Die 29 Novembris.

Pro commemoratione

S. SATURNINI, MARTYRIS.

Ad Vesperas, Ant. et ℣. de Com. unius Martyris.

Et sic in aliis Festis, quæ non inveniuntur propriu in Proprio Sanctorum, desumuntur ex variis Communibus pro qualitate Sancti de Com. Apost., si fuerit Apostolus; de Com. unius Martyris, si fuerit martyr; et sic de cæteris.

Oratio.

DEUS, qui nos beati Saturnini Martyris tui concedis natalitio perfrui, ejus nos tribue meritis adjuvari. Per Dominum.

De festis occ. in Adv. non fit Officium, nisi fuerint Duplex vel Semid. Quod si venerit in Dom., transferetur in Feriam ij. *imiliter non impeditam. De Simpl. autem fit tantum commemoratio.*

IN. VIGIL. S. ANDREÆ, AP.

De ea nihil fit in Adventu.
In Laud. comm. S. Saturnini.

Die 30. S. Andreæ,

Apostoli. *Duplex.* 2. *Classis.*

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laudibus.

Ad Magnif. Ant. Unus ex duobus, qui secuti sunt Dominum, erat Andreas, frater Simonis Petri, alleluia.

Oratio ut infra in Laudibus.

Deinde fit commemorat. Feriæ.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Vidit Dominus Petrum et Andream, et vocavit eos.

2. Venite post me, dicit Dominus, faciam vos fieros piscatores hominum.

3. Relictis retibus suis, secuti sunt Dominum Redemptorem.

℣. In omnem terram. ℟. Et in fines.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Lectio i. Cap. 10.

FINIS legis, Christus, ad justitiam omni credenti. Moyses enim scripsit, quoniam justitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea. Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cœlum? id est, Christum deducere: Aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum a mortuis revocare. Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.

℟. Cum perambularet Dominus juxta mare Galilææ, vidit Petrum et Andream retia mittentes in mare, et vocavit eos, dicens: ' Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. ℣. Erant enim piscatores, et ait illis. Venite.

Lectio ij.

CORDE enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Judæi et Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent

Digitized by Google

ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!

℟. Mox ut vocem Domini prædicantis audivit beatus Andreas, relictis retibus, quorum usu actuque vivebat, * Æternæ vitæ secutus est præmia largientem. ℣. Hic est qui pro amore Christi pependit in cruce, et pro lege ejus sustinuit passionem. Æternæ.

Lectio iij.

SED non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Sed dico: Numquid Israel non cognovit? Primus Moyses dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem insipientem, in iram vos mittam. Isaias autem audet, et dicit: Inventus sum a non quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant. Ad Israel autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem.

℟. Doctor bonus, et amicus Dei Andreas ducitur ad crucem, quam a longe aspiciens, dixit: Salve, crux, * Suscipe discipulum ejus, qui pependit in te magister meus Christus. ℣. Salve, crux, quæ in corpore Christi dedicata es, et ex membris ejus tanquam margaritis ornata. Suscipe. Gloria. Suscipe.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. Dignum sibi Dominus computavit martyrem, quem vocavit Apostolum, dum esset in mari, alleluia.

2. Dilexit Andream Dominus in odorem suavitatis.

3. Biduo vivens pendebat in cruce beatus Andreas pro Christi nomine, et docebat populum.

℣. Constitues eos. ℟. Memores erunt.

Lectio iv.

ANDREAS Apostolus Bethsaidæ natus, qui est Galilææ vicus, frater Petri, discipulus Joannis Baptistæ, cum eum de Christo dicentem audisset, Ecce Agnus Dei: secutus Jesum, fratrem quoque suum ad eumdem perduxit. Cum postea una cum fratre piscaretur in mari Galilææ, ambo a prætereunte Christo Domino ante alios Apostolos vocati illis verbis: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum; nullam interponentes moram, et relictis retibus secuti sunt eum. Post cujus passionem et resurrectionem, Andreas, cum in Scythiam Europæ, quæ ei provincia ad Christi fidem disseminandam obtigerat, venisset, deinde Epirum ac Thraciam peragrasset, doctrina et miraculis innumerabiles hominesad Christum convertit. Postea Patras Achaiæ profectus, et in ea urbe plurimis ad veritatem Evangelicam perductis, Ægeam proconsulem prædicationi Evangelicæ resistentem, liberrime increpavit, quod qui judex hominum haberi vellet, Christum Deum omnium judicem a dæmonibus elusus non agnosceret.

℟. Homo Dei ducebatur ut crucifigerent eum: populus autem clamabat voce magna, dicens: * Innocens ejus sanguis sine causa damnatur. ℣. Cumque ducerent eum ut crucifigeretur, factus est concursus populorum clamantium, et dicentium. Innocens.

Lectio v.

TUM Ægeas iratus: Desine, inquit, Christum jactare, cui similia verba nihil profuerunt, quominus a Judæis crucifigeretur. Andream vero de Christo nihilominus libere prædicantem quod pro salute humani generis se crucifigendum obtulisset, impia oratione interpellat,

Digitized by

ac demum hortatur, ut sibi consulens, diis velit immolare. Cui Andreas: Ego omnipotenti Deo, qui unus et verus est, immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in Altari: cujus carnem posteaquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus qui sacrificatus est, integer perseverat et vivus. Quamobrem ira accensus Ægeas, jubet eum in carcerem detrudi; unde populus Andream facile liberasset, nisi ipse sedasset multitudinem, vehementius rogans ne se ad optatissimam martyrii coronam properantem impedirent.

℟. O bona crux, quæ decorem et pulchritudinem de membris Domini suscepisti, accipe me ab hominibus, et redde me magistro meo: * Ut per te me recipiat, qui per te me redemit. ℣. Beatus Andreas, expansis manibus ad cœlum, orabat, dicens: Salva me, bona crux. — Ut.

Lectio vj.

IGITUR paulo post in Tribunal productum, cum Ægeas crucis extollentem mysteria, sibique suam impietatem exprobrantem, diutius ferre non posset, in crucem tolli, et Christi mortem imitari jussit. Adductus Andreas ad locum martyrii, cum crucem vidisset, longe exclamare cœpit: O bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita, et aliquando cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, et redde me magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit. Itaque cruci affixus est: in qua biduum vivus pendens, et Christi fidem prædicare nunquam intermittens, ad eum migravit, cujus mortis similitudinem concupierat. Quæ omnia Presbyteri et Diaconi Achaiæ, qui ejus passionem scripserunt, se ita, ut commemorata sunt, audisse et vidisse testantur. Ejus ossa primum, Constantino Imperatore, Constantinopolim, deinde Amalphim translata sunt. Caput, Pio Secundo Pontifice, Romam allatum, in Basilica sancti Petri collocatum est.

℟. Expandi manus meas tota die in cruce ad populum non credentem, sed contradicentem mihi: * Qui ambulant vias non bonas, sed post peccata sua. ℣. Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit: exaltare, qui judicas terram, redde retributionem superbis. — Qui. Gloria. Qui.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. Non me permittas, Domine, famulum tuum a te separari: tempus est ut commendetur terræ corpus meum, et me ad te venire jubeas.

2. Andreas vero rogabat populum, ut non impediret passionem ipsius.

3. Accipe me ab hominibus, et redde me magistro meo; ut per te me recipiat, qui per te me redemit, allelula.

℣. Nimis honorati sunt. ℟. Nimis confortatus est.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 4.

IN illo tempore: Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 5. in Evangelia.

AUDISTIS, fratres charissimi quia ad unius jussionis vocem Petrus et Andreas, relictis retibus, secuti sunt Redemptorem. Nulla vero hunc facere adhuc miracula viderant, nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant, et tamen ad unum Domini præceptum, hoc quod possidere videbantur, obliti sunt. Quanta nos ejus miracula videmus, quot flagellis affligimur, quantis minarum asperitatibus deterremur! et tamen vocantem sequi contemnimus.

℟. Oravit sanctus Andreas, dum

itized by Google

respiceret in cœlum, et voce magna clamavit, et dixit: Tu es Deus meus, quem vidi; ne me patiaris ab impio judice deponi: * Quia virtutem sanctæ crucis agnovi. ℣. Tu es magister meus Christus, quem dilexi, quem cognovi, quem confessus sum: tantummodo in ista voce exaudi me. Quia.

Lectio viij.

IN cœlo jam sedet, qui de conversione nos admonet: jam jugo fidei colla Gentium subdidit, jam mundi gloriam stravit; jam ruinis ejus crebrescentibus, districti sui judicii diem propinquantem denuntiat: et tamen superba mens nostra adhuc non vult hoc sponte deserere, quod quotidie perdit invita. Quid ergo, fratres charissimi, quid in ejus judicio dicturi sumus, qui ab amore præsentis sæculi nec præceptis flectimur, nec verberibus emendamur?

℟. Videns crucem Andreas exclamavit, dicens: O crux admirabilis, o crux desiderabilis, o crux quæ per totum mundum rutilas, * Suscipe discipulum Christi, ac per te me recipiat, qui per te morieus me redemit. ℣. O bona crux, quæ decorem et pulchritudinem de membris Domini suscepisti. Suscipe. Gloria. Suscipe.

Lectio ix.

SED fortasse aliquis tacitis sibi cogitationibus dicat: Ad vocem Dominicam uterque iste piscator quid aut quantum dimisit, qui pene nihil habuit? Sed hac in re, fratres charissimi, affectum debemus potius pensare, quam censum. Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit: multum reliquit, qui quantumlibet parum, totum deseruit. Certe nos et habita cum amore possidemus, et ea quæ minime habemus, ex desiderio quærimus. Multum ergo Petrus et Andreas dimisit, quando uterque etiam desideria habendi dereliquit.

Ad Laudes

et per horas, Antiphonæ.

1. SALVE, crux pretiosa, * suscipe discipulum ejus, qui pependit in te magister meus Christus.

2. Beatus Andreas * orabat, dicens: Domine Rex æternæ gloriæ, suscipe me pendentem in patibulo.

3. Andreas Christi famulus, * dignus Dei Apostolus, germanus Petri, et in passione socius.

4. Maximilla Christo amabilis, tulit corpus Apostoli, optimo loco cum aromatibus sepelivit.

5. Qui persequebantur justum, * demersisti eos, Domine, in inferno, et in ligno crucis dux justi fuisti.

Capitulum. Rom. 10.

FRATRES, Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur.

Ad Bened. Ant. Concede nobis hominem justum, redde nobis hominem sanctum; ne interficias hominem Deo charum, justum, mansuetum, et pium.

Oratio.

MAJESTATEM tuam, Domine, suppliciter exoramus, ut sicut Ecclesiæ tuæ beatus Andreas Apostolus extitit prædicator et rector, ita apud te sit pro nobis perpetuus intercessor. Per Dominum.

Deinde fit commemorat. Feriæ.

Ad Tertiam.

Capit. Fratres Corde, *ut supra.*

℟. *br.* In omnem terram. ℣. Constitues eos.

Ad Sextam.

Capitulum. Rom. 10.

NON enim est distinctio Judæi et Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.

℟. *br.* Constitues eos. ℣. Nimis honorati sunt.

Digitized by Google

Ad Nonam.

Capitulum. Rom. 10.

ISAIAS enim dicit : Domine, quis credidit auditui nostro ? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico : Numquid non audierunt ? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.

℟. br. Nimis honorati sunt.

℣. Annuntiaverunt.

In II. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laudibus.

Ad Magnif. Ant. Cum pervenisset beatus Andreas ad locum, ubi crux parata erat, exclamavit et dixit: O bona crux, diu desiderata, et jam concupiscenti animo præparata, securus et gaudens venio ad te; ita et tu exultans suscipias me discipulum ejus, qui pependit in te.

Et fit commemoratio Feriæ.

FESTA DECEMBRIS.

Die 2. S. Bibianæ,

Virg. et Mart. *Semiduplex.*

Oratio.

DEUS omnium largitor bonorum, qui in famula tua Bibiana cum virginitatis flore martyrii palmam conjunxisti, mentes nostras ejus intercessione tibi charitate conjunge, ut amotis periculis, præmia consequamur æterna. Per Dominum.

Et fit commemoratio Feriæ.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BIBIANA virgo Romana, nobili genere nata, Christiana fide nobilior fuit. Ejus enim pater Flavianus sub Juliano apostata impiissimo tyranno expræfectus, servilibusque notis compunctus, ad aquas Taurinas deportatus, martyr occubuit. Mater Dafrosa, et filiæ primum conclusæ domi, ut inedia conficerentur; mox relegata mater extra Urbem capite plexa est. Mortuis autem piis parentibus, Bibiana cum sorore sua Demetria bonis omnibus expoliatur; Apronianus Urbis Prætor, pecuniis inhians, sorores persequitur: quas humana prorsus ope destitutas, Deo mirabiliter, qui dat escam esurientibus, enutriente, cum vivaciores vegetioresque conspexisset, vehementer est admiratus.

Lectio v.

SUADET nihilominus Apronianus, ut venerentur deos Gentium, amissas ideo opes, Imperatoris gratiam, præclarissimas nuptias consecuturæ. Si secus fecerint, minatur carceres, virgas, secures. At illæ neque blanditiis, neque minis a recta fide declinantes, paratæ potius mori, quam fœdari moribus Ethnicorum, Prætoris impietatem constantissime detestantur. Quare Demetria ob oculos Bibianæ repente corruens, obiit in Domino. Bibiana Rufinæ mulieri vaferrimæ seducenda traditur; quæ ab incunabulis edocta Christianas leges, et illibatum servare virginitatis florem, se ipsa fortior feminæ superavit insidias, et Prætoris astus delusit.

Lectio vj.

NIHIL autem proficiente Rufina, quæ præter dolosa verba illam, quotidie verberibus affligebat, ut de sancto proposito dimoveret, spe sua frustratus Prætor, accensus ira, quod in Bibiana perdidisset operam, a lictoribus eam denudari, vinctisque manibus columnæ alligari, eamque plumbatis cædi jubet, donec efflaret animam. Cujus sacrum corpus objectum canibus biduo jacuit in foro Tauri, illæsum tamen, et divinitus servatum; quod deinde Joannes Presbyter sepelivit noctu juxta sepulchrum sororis et matris, ad palatium Licinianum, ubi usque in præsens extat Ecclesia Deo, sanctæ Bibianæ nomine, dicata: quam Urbanus Octavus instauravit, sanctarum Bibianæ, Demetriæ, et Dafrosæ corporibus in

Digitized by Google

ea repertis, et sub ara maxima collocatis.

In III. Noct. Homilia. Cœlorum regnum fratres, *de Com. non Virg.* p. 74'. *cum* ℟. vij. *et* viij. *de Com. Virg.*

In Laud. fit commemor. Feriæ.

Vesperæ de sequenti.

Die 3. S. Fr. Xaverii.

Confess. *Duplex.*

In Hymno Iste Confessor *mutatur tertius versus; quod servandum erit, quoties occurrent litteræ* m. t. v.

Oratio.

DEUS, qui Indiarum gentes beati Francisci prædicatione et miraculis Ecclesiæ tuæ aggregare voluisti, concede propitius, ut cujus gloriosa merita veneramur, virtutum quoque imitemur exempla. Per Dominum.

Ei fit comm. præced. et Feriæ.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

FRANCISCUS in Xaverio Diœcesis Pampelonensis nobilibus parentibus natus, Parisiis sancto Ignatio sese comitem et discipulum junxit: Ipso magistro, eo brevi devenit, ut in rerum divinarum contemplatione defixus, a terra aliquando sublimis elevaretur: quod illi sacrificanti coram populi multitudine aliquoties evenit. Has animi delicias magnis sui corporis cruciatibus merebatur. Nam interdicto sibi, non carnis solum et vini, sed panis quoque tritici usu, vilibus cibis vesci solitus, per biduum subinde triduumque omni prorsus alimento abstinuit. Ferreis in se flagellis ita sævit, ut sæpe copioso cruore diffluceret; somnum brevissimum humi jacens carpebat.

Lectio v.

VITÆ austeritate ac sanctitate Apostolico muneri jam maturus, cum Joannes Tertius Lusitaniæ rex aliquot nascentis Societatis viros a Paulo Tertio pro Indiis postulasset, sancti Ignatii hortatu, ab eodem Pontifice ad tantum opus cum Apostolici Nuncii potestate deligitur. Eo appulsus, illico variarum gentium difficillimis et variis linguis divinitus instructus apparuit. Quin cum quandoque unico idiomate ad diversas gentes concionantem unaquæque sua lingua loquentem audivit. Provincias innumeras pedibus semper, et sæpe nudis peragravit. Fidem Japoniæ, et sex aliis regionibus invexit. Multa centena hominum millia ad Christum in Indiis convertit, magnosque principes, regesque complures sacro Fonte expiavit. Et cum tam magna pro Deo ageret, ea erat humilitate, ut sancto Ignatio, tunc Præposito suo, flexis genibus scriberet.

Lectio vj.

HUNC dilatandi Evangelii ardorem multitudine et excellentia miraculorum Dominus roboravit. Cæco visum reddidit. Tantum marinæ aquæ signo Crucis convertit in dulcem, quantum quingentis vectoribus, qui siti adigebantur ad mortem, die suffecit; qua in varias quoque regiones asportata, ægri plurimi subito curati sunt. Plures mortuos revocavit ad vitam; inter quos pridie sepultum erui jussum e tumulo suscitavit, duosque alios, dum efferrentur, apprehensa eorum manu, parentibus e feretro vivos restituit. Prophetiæ spiritu passim afflatus, plurima et loco et tempore remotissima enuntiavit. Demum in Sanciano Sinarum insula, die secunda Decembris, obiit plenus meritis, laboribusque confectus. Demortui cadaver viva calce per multos menses bis obrutum, sed penitus incorruptum, odore et sanguine manavit; et ubi Malacam delatum est, pestem sævissimam confestim extinxit. Denique ubique terrarum novis maximisque fulgentem miraculis Gregorius Decimus quintus Sanctis adscripsit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Digitized by Google

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 29. *in Evangelia.*

POTEST omnis creaturæ nomine, omnis natio Gentium designari. Ante enim dictum fuerat, in viam Gentium ne abieritis; nunc autem dicitur, Prædicate omni creaturæ; ut scilicet prius a Judæa Apostolorum repulsa prædicatio, tunc nobis in adjutorium fieret, cum hanc illa ad damnationis suæ testimonium superba repulisset. Sed cum discipulos ad prædicandum Veritas mittit, quid aliud in mundo facit, nisi grana seminis spargit? Et pauca grana mittit in semine, ut multarum messium fruges recipiat ex nostra fide.

Lectio viij.

NEQUE etenim in universo mundo tanta fidelium messis exurgeret, si de manu Domini super rationalem terram illa electa grana prædicantium non venissent. Sequitur: Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. Fortasse unusquisque apud semetipsum dicat: Ego jam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit: Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.

Lectio ix.

SIGNA autem eos qui credituri sunt, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, et bene habebunt. Numquidnam, fratres mei, quia ista signa non facitis, minime creditis? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Ut enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda. Quia et nos, cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra jam coaluisse videamus: et si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. Hinc est enim quod Paulus dicit: Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus.

In Laud. fit commemor. Feriæ.
Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 4. s. P. Chrysologi.

Episc. Conf. et Ecclesiæ Doctoris.

Duplex. (m. t. v.)

In utrisq. Vesp. Ant. O Doctor.

Oratio.

DEUS, qui beatum Petrum Chrysologum doctorem egregium divinitus præmonstratum ad regendam et instruendam Ecclesiam tuam eligi voluisti, præsta, quæsumus, ut quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum.

Et fit comm. S. Fr. Xaverii, Feriæ, ac S. Barbaræ Virg. et Mart. Oratio Deus qui inter cætera p. 62*.

Lect. I. Noct. Fidelis sermo.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PETRUS, qui ob auream ejus eloquentiam Chrysologi cognomen adeptus est, Foro Cornelii in Æmilia honestis parentibus natus, a prima ætate animum ad religionem adjiciens, Cornelio Romano, tunc ejusdem urbis Corneliensis Episcopo, operam dedit: a quo et scientia, et vitæ sanctitate cum brevi profecisset, Diaconus creatus est. Postmodum contigit, ut Ravennates ob mortem Archipræsulis sui, alium (ut moris erat) ab eis electum Romam ad sanctum Sixtum Papam Tertium pro confirmatione miserint una cum Legatis suis, et cum prædicto Cornelio, qui eumdem Levitam secum perduxit. Interim sanctus Petrus Apostolus, et

Digitized by Google

Martyr Apollinaris Summo Pontifici in somnis apparuerunt, mediumque habentes hunc juvenem jusserunt ut illum, et non alium, in Archiepiscopum Ravennæ crearet. Hinc Pontifex, mox ut vidit Petrum, cognovit eum a Domino Deo prælectum: propterea rejecto illo, quem ipsi offerebant, hunc solum, anno Christi quadringentesimo trigesimo tertio, illi Metropolitanæ præfecit Ecclesiæ. Quod cum Legati Ravennatenses ægre ferrent, audita visione, divinæ voluntati libenter acquiescentes, novum Archiepiscopum maxima cum reverentia susceperunt.

Lectio v.

PETRUS igitur licet invitus in Archipræsulem consecratus, Ravennam deducitur: ubi a Valentiniano Imperatore et Galla Placidia ejus matre, ac ab universo populo maxima lætitia exceptus est. Et ille ab eis illud unum petere dixit, ut quando tantum oneris pro ipsorum salute subire non recusavit, studerent ipsi monitis suis obtemperare, divinisque præceptis non obsistere. Duorum Sanctorum tunc ibi defunctorum corpora optimis unguentis condita sepelivit; Barbatiani videlicet Presbyteri, et Germani Antisiodorensis Episcopi, cujus etiam cucullum et cilicium sibi vendicavit in hæreditatem. Projectum et Marcellinum in Episcopos ordinavit. In Classe fontem extruxit magnitudinis vere admirabilis, et templa quædam magnifica ædificavit tum beato Andreæ Apostolo, tum aliis Sanctis. Ludos ab hominibus personatis cum variis saltationibus Kalendis Januarii fieri solitos concione cohibuit acerrima; ubi inter alia illud præclare dixit: Qui jocari voluerit cum diabolo, non poterit gaudere cum Christo. Jussu sancti Leonis Papæ Primi scripsit postea ad Chalcedonense Concilium adversus hæresim Eutychetis. Respondit præterea ad Eutychen ipsum et alia epistola, quæ eidem Concilio in novis editionibus præfixa, et in annales Ecclesiasticos relata fuit.

Lectio vj.

DUM publice sermones haberet ad populum, adeo vehemens erat in dicendo, ut præ nimio ardore vox illi interdum defecerit, sicut contigit in concione mulieris Hæmorrhoissæ. Unde Ravennates commoti, tot lacrymis, clamoribus, et orationibus locum repleverunt, ut postea ipse gratias ageret Deo, quod in lucrum amoris verterit damnum ejusdem sermonis. Cum tandem annos circiter decem et octo eam Ecclesiam sanctissime rexisset, laborum suorum finem adesse divinitus prænoscens, in patriam se contulit. Ubi sancti Cassiani templum ingressus, magnum diadema aureum, gemmis distinctum pretiosissimis, offerens, super altare majus posuit, necnon aureum craterem, et patenam argenteam, quam tum rabidi canis morsus, tum febres sanare sæpius expertum est, aqua inde demissa. Ex tunc Ravennates, qui eumdem secuti fuerant, dimisit, admonens, ut in eligendo optimo Pastore invigilarent attente. Mox Deum humiliter precatus, et sanctum Cassianum patronum, ut benigne animam ejus exciperet, tertio Nonas Decembris placide ex hac vita migravit, anno Domini circiter quadringentesimo quinquagesimo. Sacrum illius corpus communi totius civitatis fletu ac pietate prope corpus ejusdem sancti Cassiani honorifice conditum nostris etiam temporibus religiose colitur: cujus tamen brachium auro et gemmis ornatum, Ravennam delatum, in Ursiana æde veneratur.

In III. Noct. Homilia Ostendit Dominus, *pro Doct. I. loco*, p. 49*.

In Laud. fit commemor. Feriæ et s. Barbaræ.

In II. Vesp. comm. Feriæ et seq.

Die 5. s. Sabbæ,

Abbatis,

Commemorat. in Vesp. et Laud. Oratio. Intercessio nos p. 51*.

Die 6. S. Nicolai, Episc. et Confess. *Duplex*

Oratio.

DEUS, qui beatum Nicolaum Pontificem innumeris decorasti miraculis, tribue, quæsumus, ut ejus meritis et precibus, a gehennæ incendiis liberemur. Per Dominum.

Deinde fit commemor. Feriæ.
Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

NICOLAUM illustri loco Pataræ in Lycia natum parentes a Deo precibus impetrarunt. Cujus viri sanctitas quanta futura esset, jam abincunabulis apparuit. Nam infans, cum reliquos dies lac nutricis frequens sugeret, quarta et sexta feria semel dumtaxat, idque vesperi sugebat: quam jejunii consuetudinem in reliqua vita semper tenuit. Adolescens parentibus orbatus, facultates suas pauperibus distribuit. Cujus illud insigne est Christianæ benignitatis exemplum, quod, cum ejus civis egeus tres filias jam nubiles in matrimonio collocare non posset, earumque pudicitiam prostituere cogitaret, re cognita, Nicolaus noctu per fenestram tantum pecuniæ in ejus domum injecit, quantum unius virginis doti satis esset: quod cum iterum et tertio fecisset, tres illæ virgines honestis viris in matrimonium datæ sunt.

Lectio v.

CUM vero se totum Deo dedisset, in Palæstinam profectus est, ut loca sancta viseret, et præsens veneraretur. Qua in peregrinatione navem conscendens sereno cœlo, et tranquillo mari, horribilem nautis tempestatem prædixit, moxque ortam, cum essent omnes in summo periculo, orans mirabiliter sedavit. Unde cum domum reversus singularis sanctitatis omnibus documenta præberet, Dei admonitu, Myram, quæ Lyciæ metropolis erat, venit, quo tempore ejus urbis Episcopo mortuo, provinciales Episcopi de successore deligendo consultabant. Itaque in ea deliberatione divinitus admoniti sunt ut eum eligerent, qui postridie mane primus in Ecclesiam ingrederetur, Nicolaus nomine. Qua observatione adhibita, in Ecclesiæ janua deprehensus est Nicolaus, et summo omnium consensu Myræ Episcopus creatur. In Episcopatu cartitatem, quam semper coluerat, gravitatem, orationis assiduitatem, vigilias, abstinentiam, liberalitatem, et hospitalitatem, in adhortando mansuetudinem, in reprehendendo severitatem perpetuo adhibuit.

Lectio vj.

VIDUIS et orphanis pecunia, consilio, opera non defuit: oppressos adeo sublevavit, ut etiam tres Tribunos, per calumniam a Constantino Augusto condemnatos, qui se propter famam ejus miraculorum orationibus longissime absenti commendarant, adhuc vivens, cum Imperatori, minaciter eum terrens, apparuisset, liberaverit. Cum vero contra edictum Diocletiani et Maximiani Christianæ fidei veritatem Myræ prædicaret, ab Imperatorum satellitibus comprehensus, et longissime abductus, in carcerem conjectus est; ubi fuit usque ad Constantinum Imperatorem: cujus jussu ex custodia ereptus, Myram rediit. Mox ad Nicænum Concilium se contulit, ubi cum trecentis illis decem et octo Patribus Arianam hæresim condemnavit. Inde reversus ad Episcopatum, non ita multo post, instante morte, suspiciens in cœlum, cum Angelos sibi occurrentes intueretur, illo psalmo pronuntiato, in te Domine speravi; usque ad eum locum, in manus tuas commendo spiritum meum; in cœlestem patriam migravit. Ejus corpus Barium in Apulia translatum, ibidem summa celebritate ac veneratione colitur.

In III. Noct. Homilia in Evang.

Digitized by

Homo peregte: *de com. conf. Pontif. I. loco.*

In Laud. fit commemor. Feriæ. Vesp. a Capit. de sequenti.

Die 7. S. Ambrosii,

Episc. Conf. et Eccl. Doctoris.

Duplex. (m. t. v.)

In utrisq. Vesp. Ant. O Doctor. *Orat.* Deus, qui populo *p.* 39*. *Et fit comm. præced. et Feriæ. Lect. I. Noct.* Fidelis sermo.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

AMBROSIUS Episcopus Mediolanensis, Ambrosii civis Romani filius, patre Galliæ Præfecto natus est. In hujus infantis ore examen apum consedisse dicitur: quæ res divinam viri eloquentiam præmonstrabat. Romæ liberalibus disciplinis eruditus est. Post a Probo Præfecto, Liguriæ et Æmiliæ præpositus: unde postea ejusdem Probi jussu cum potestate Mediolanum venit: ubi, mortuo Auxentio Ariano Episcopo, populus de successore deligendo dissidebat. Quare Ambrosius, pro officii sui munere Ecclesiam ingressus, ut commotam seditionem sedaret, cum multa de quiete et tranquillitate reipublicæ præclare dixisset, derepente puero Ambrosium Episcopum exclamante, universi populi vox erupit, Ambrosium Episcopum deposcentis.

Lectio v.

RECUSANTE illo, et eorum precibus resistente, ardens populi studium ad Valentinianum Imperatorem delatum est: cui gratissimum fuit, a se delectos judices ad sacerdotium postulari. Fuit id etiam Probo Præfecto jucundum, qui Ambrosio proficiscenti quasi divinans dixerat: Vade, age, non ut judex, sed ut Episcopus. Itaque cum ad populi desiderium Imperatoris voluntas accederet, Ambrosius baptizatus (erat enim Catechumenus) sacrisque initiatus, ac servatis omnibus ex instituto Ecclesiæ Ordinum gradibus, octavo die, qui fuit septimo Idus Decembris, Episcopale onus suscepit. Factus Episcopus, Catholicam fidem et disciplinam Ecclesiasticam acerrime defendit; multosque Arianos, et alios hæreticos ad fidei veritatem convertit, in quibus clarissimum Ecclesiæ lumen sanctum Augustinum Jesu Christo peperit.

Lectio vj.

GRATIANO Imperatore occiso, ad Maximum ejus interfectorem legatus iterum profectus est: eoque pœnitentiam agere recusante, se ab ejus communione semovit. Theodosium Imperatorem, propter cædem Thessalonicæ factam, ingressu Ecclesiæ prohibuit. Cui cum ille David quoque regem adulterum, et homicidam fuisse dixisset, respondit Ambrosius: Qui secutus es errantem, sequere pœnitentem. Quare Theodosius sibi ab eo impositam publicam pœnitentiam humiliter egit. Ergo sanctus Episcopus pro Ecclesia Dei maximis laboribus curisque perfunctus, multis libris etiam egregie conscriptis, antequam in morbum incideret, mortis suæ diem prædixit. Ad quem ægrotum Honoratus Vercellensis Episcopus, Dei voce ter admonitus, accurrit, eique sanctum Domini corpus præbuit: quo ille sumpto, conformatis in crucis similitudinem manibus, orans, animam Deo reddidit pridie Nonas Aprilis, anno post Christum natum trecentesimo nonagesimo septimo.

In III. Noct. Homilia Ostendit Dominus, *pro Doct. I. loco*, p. 49.*

In Laud. fit commemor. Feriæ. Vesperæ de sequenti.

Die 8. In Conceptione

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Duplex 2. *Classis.*

In I. Vesperis.

Ant. de Laud. Psalmi, Capit., Hymnus et alia hic non propria ut in festis B. M. V., p. 93*.

itized by Google

℣. Conceptio est hodie sanctæ Mariæ virginis. ℟. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

Ad Magnif. Ant. Gloriosæ virginis Mariæ Conceptionem dignissimam recolamus, quæ et genitricis dignitatem obtinuit, et virginalem pudicitiam non amisit.

Oratio.

FAMULIS tuis, quæsumus, Domine, cœlestis gratiæ munus impertire, ut quibus beatæ Virginis partus extitit salutis exordium, Conceptionis ejus votiva solemnitas, pacis tribuat incrementum. Per Dominum.

Deinde fit comm. S. Ambrosii, et Feria.

Ad Matutinum

Invit. Conceptionem virginis Mariæ celebremus: * Christum ejus Filium adoremus Dominum.

IN I. NOCTURNO.

De libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 24.

EGO ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in cælis ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram. Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. Gyrum cæli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi, et in omni terra steti: et in omni populo, et in omni gente primatum habui, et omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi; et in his omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices.

℟. Hodie concepta est beata virgo Maria ex progenie David: * Per quam salus mundi credentibus apparuit, cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo. ℣. Conceptionem beatæ Mariæ virginis cum gaudio celebremus. Per.

Lectio ij.

AB initio et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea. Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion. Quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho. Quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi; quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris: et quasi storax, et galbanus, et ungula, et gutta, et quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam, et quasi balsamum non mistum odor meus.

℟. Beatissimæ virginis Mariæ Conceptionem devotissime celebremus: * Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum. ℣. Cum jucunditate Conceptionem beatæ Mariæ virginis devotissime celebremus. Ut.

Lectio iij.

EGO quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiæ. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris; et flores mei, fructus honoris et honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. In me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis. Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. Memoria mea in generationes sæculorum. Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur; et qui operantur in

me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

℟. Gloriosæ virginis Mariæ Conceptionem dignissimam recolamus, * Cujus Dominus humilitatem respexit, quæ Angelo nuntiante concepit Salvatorem mundi. ℣. Beatissimæ virginis Mariæ Conceptionem devotissime celebremus. Cujus. Gloria. Cujus.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro S. Ambrosii Episcopi de Virginibus.

Lectio iv. Cap. 7.

SIT vobis tanquam in imagine descripta virginitas, vitaque beatæ Mariæ, de qua velut in speculo refulget species castitatis, et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor, nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit? Quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generavit?

℟. Conceptio gloriosæ virginis Mariæ ex semine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David: * Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. ℣. Hodie concepta est beata virgo Maria ex progenie David. Cujus.

Lectio v.

NAM de cæteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens: intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita, non hominem, sed Deum quærere: nullum lædere, bene velle omnibus, assurgere majoribus natu: æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem.

℟. Cum jucunditate Conceptionem beatæ Mariæ celebremus, * Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum. ℣. Corde et animo Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate præcelsæ genitricis Dei Mariæ. Ut.

Lectio vj.

QUANDO ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit a propinquis? quando fastidivit humilem? quando derisit debilem? quando vitavit inopem? Eos solos solita cœtus virorum invisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu invercundum. Non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior: ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis.

℟. Conceptio tua, Dei genitrix virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: * Ex te enim ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster: * Qui solvens maledictionem, dedit benedictionem, et confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam. ℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Ex. Gloria. Qui.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. I.

LIBER generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Lib. 2. de cons. Evang. cap. I.

MATTÆUS Evangelista sic orsus est: Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Quo exordio suo satis ostendit, generationem Christi secundum carnem se suscepisse narrandam. Secundum hanc

Digitized by Google

enim Christus filius hominis est : quod etiam se ipse sæpissime appellat, commendans nobis quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis. Nam illa superna et æterna generatio, secundum quam Filius Dei unigenitus est ante omnem creaturam, quia omnia per ipsum facta sunt, ita ineffabilis est, ut de illa dictum a Propheta intelligatur : Generationem ejus quis enarrabit ?

℟. Beatam me dicent omnes generationes : * Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia.

Bened. Cujus festum colimus, ipsa Virgo virginum.

Lectio viij.

EXEQUITUR ergo humanam generationem Christi Matthæus, ab Abraham generatores commemorans, quos perducit ad Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus. Neque enim fas erat, ut ob hoc eum a conjugio Mariæ separandum putaret, quod non ex ejus concubitu, sed virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo magnifice insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servata pari consensu continentiâ, posse permanere, vocarique conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu : præsertim quia nasci eis etiam filius potuit sine ullo complexu carnali, qui propter solos gignendos filios adhibendus est.

℟. Felix namque es, sacra virgo Maria, et omni laude dignissima : * Quia ex te ortus est sol justitiæ, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu : sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem. Quia. Gloria. Christus.

Lectio ix.

CUM autem evidenter dicat Apostolus Paulus, ex semine David secundum carnem Christum, ipsam quoque Mariam de stirpe David aliquam consanguinitatem duxisse dubitare utique non debemus. Cujus feminæ quoniam nec sacerdotale genus tacetur, insinuante Luca quod cognata ejus esset Elizabeth, quam dicit de filiabus Aaron, firmissime tenendum est carnem Christi ex utroque genere propagatam, et regum scilicet, et sacerdotum, in quibus personis apud illum populum Hebræorum etiam mystica unctio figurabatur, id est, chrisma unde Christi nomen elucet, tanto ante etiam ista evidentissima significatione prænuntiatum.

Ad Laudes.

et per Horas, Antiphonæ.

1. Conceptio gloriosæ virginis Mariæ, ex semine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David.

2. Conceptio est hodie sanctæ Mariæ virginis, cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

3. Regali ex progenie Maria exorta refulget ; cujus precibus nos adjuvari mente et spiritu devotissime poscimus.

4. Corde et animo Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate præcelsæ genitricis Dei Mariæ.

5. Cum jucunditate Conceptionem beatæ Mariæ celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

℣. Conceptio est hodie sanctæ Mariæ virginis. ℟. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

Ad Bened. Ant. Conceptionem hodiernam perpetuæ virginis genitricis Dei Mariæ solemniter celebremus, qua celsitudo throni processit, alleluia.

Deinde fit commemor. Feriæ.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. præter

Ad Magnif. Ant. Conceptio tua, Dei genitrix virgo, gaudium annuntiavit universo mundo : ex te enim ortus est sol justitiæ Christus Deus noster : qui solvens maledictionem, dedit benedictionem, et confundens

Digitized by Google

mortem; donavit nobis vitam sempiternam.

Et fit commemorat. Feriæ.

Die 9.

II. infra Oct. Conceptionis.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

De sermone S. Augustini Episcopi.

Lectio iv. *Serm.* 18. *de Sanctis.*

EXULTAT Maria, matrem se læta miratur, et de Spiritu sancto se peperisse gaudet: nec quia peperit innupta, terretur; sed quia genuerit, cum exultatione miratur. O femina super feminas benedicta, quæ virum omnino non novit, et virum suo utero circumdedit! Circumdat virum Maria, Angelo fidem dando, quia Heva perdidit virum, serpenti consentiendo. O felix obedientia, o insignis gratia! quæ dum fidem humiliter dedit, cœli in se Opificem corporavit. Hinc promeruit gloriam, quam ipse postmodum auxit. Ecce, ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Lectio v.

O beata Maria, quis tibi digne valeat jura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quæ solo tuo commercio recuperandi aditum invenit? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones: et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, et reporta nobis antidotum reconciliationis.

Lectio vj.

SIT per te excusabile, quod per te ingerimus; fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod roganus, excusa quod timemus, quia tu es spes unica peccatorum. Per te speramus veniam delictorum, et in te, beatissima, nostrorum est expectatio præmiorum. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. I.

LIBER generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. I. Comment. in Matth.

IN Isaia legimus: Generationem ejus quis enarrabit? Non ergo putemus Evangelistam Prophetæ esse contrarium, ut quod ille impossibile dixit effatu, hic narrare incipiat: quia ibi de generatione divinitatis, hic de incarnatione est dictum. A carnalibus autem cœpit, ut per hominem, Deum discere incipiamus. Filii David, filii Abraham. Ordo præposterus, sed necessario commutatus. Si enim primum posuisset Abraham, et postea David, rursus ei repetendus fuerat Abraham, ut generationis series texeretur.

Lectio viij.

IDEO autem cæteris prætermissis, horum filium nuncupavit, quia ad hos tantum facta est de Christo repromissio. Ad Abraham: In semine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes, quod est Christus: Ad David: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Judas autem genuit Phares, et Zaram de Thamar. Notandum in genealogia Salvatoris nullam sanctarum assumi mulierum, sed eas quas Scriptura reprehendit: ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret. Unde et in consequentibus Ruth Moabitis ponitur, et Bethsabee uxor Uriæ.

itized by Google

Lectio ix.

JACOB autem genuit Joseph. Hunc locum objecit nobis Julianus Augustus de dissonantia Evangelistarum, cur Evangelista Matthæus Joseph dixerit filium Jacob, et Lucas eum filium appellarit Heli : non intelligens consuetudinem Scripturarum, quod alter secundum naturam, alter secundum legem ei pater sit. Scimus enim hoc per Moysen, Deo jubente, præceptum, ut si frater aut propinquus absque liberis mortuus fuerit, alius accipiat uxorem ad suscitandum semen fratris, vel propinqui sui. Joseph virum Mariæ. Cum virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum, sed recordare consuetudinis Scripturarum, quod sponsi viri, et sponsæ vocentur uxores.

Et fit comm. Feriæ in Laud.

In Vesp. comm. Feriæ et S. Melchiadis Papæ et Mart. Oratio Infirmitatem p. 14*.

Die 10.

III. infra Oct. Conceptionis.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Serm. in c. 12. *Apocal.*

Lectio iv.

NOVUM fecit Dominus super terram, ut mulier circumdaret virum, nec alium quam Christum, de quo dicitur : Ecce vir, Oriens nomen ejus. Novum quoque fecit in cœlo, ut mulier sole appareret amicta. Denique et coronavit eum, et vicissim ab eo meruit corouari. Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua. Verum hoc alias. Interim sane ingredimini magis, et videte reginam in diademate, quo coronavit eum Filius suus. In capite, inquit, ejus corona stellarum duodecim.

Lectio v.

DIGNUM plane stellis coronari caput, quod et ipsis longe clarius micans, ornet eas potius, quam ornetur ab eis. Quidni coronent sidera, quam sol vestit? Sicut dies veni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Nimirum læva sponsi sub capite ejus, et jam dextera illius amplexatur eam. Quis illas æstimet gemmas, quis stellas nominet, quibus Mariæ regium diadema compactum est?

Lectio vj.

QUID ergo sidereum micat in generatione Mariæ? Plane quod ex regibus orta, quod ex semine Abrahæ, quod generosa ex stirpe David. Si id parum videtur, adde, quod generationi illi ob singulare privilegium sanctitatis divinitus noscitur esse concessa, quod longe ante eisdem patribus cœlitus repromissa, quod mysticis præfigurata miraculis, quod oraculis prænuntiata propheticis. Hanc enim sacerdotalis virga, dum sine radice floruit; hanc Gedeonis vellus, dum in medio siccæ areæ maduit; hanc in Ezechielis visione Orientalis porta, quæ nulli unquam patuit, præsignabat.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. I.

LIBER generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia sancti Hilarii Episcopi.

Comment. in Matth. c. I.

NON refert quis in originis numero atque ordine collocetur, dummodo universorum familia cœpta esse intelligatur ab uno. Itaque cum ejusdem tribus sit Joseph et Maria, dum profectus esse ex Abrahæ genere Joseph ostenditur, profecta quoque docetur et Maria. Hæc enim in lege ratio servata est, ut si mortuus sine filiis familiæ princeps esset, defuncti uxorem posterior frater ejusdem cognationis acciperet, susceptosque fi-

Digitized by Google

lios in familiam ejus qui mortuus esset, referret; maneretque ita in primogenitis successionis ordo, cum patres eorum, qui post se nati essent, aut nomine haberentur, aut genere.

Lectio viij.

SEQUENS illud est, ut, quia diximus secundum rerum fidem generationis istius ordinem, nec numero sibi, nec successione constare, hujus quoque rei ratio afferatur. Non enim levis causa est, ut aliud in narratione sit, aliud fuerit in gestis; et aliud referatur in summa, aliud vero teneatur in numero. Namque ab Abraham usque ad David quatuordecim generationes numeratæ sunt, et a David usque ad transmigrationem Babylonis in quibusdam libris decem et septem deprehenduntur. Sed in hoc non mendacii, aut negligentiæ vitium est: tres enim generationes præteritæ sunt. Nam Joras genuit Ochoziam, Ochozias vero genuit Joam, Joas deinde Amasiam, Amasias autem Oziam; et in Matthæo Joras Oziam genuisse scribitur, cum quartus ab eo sit. Hoc ita, quia ex gentili femina Joras Ochoziam genuit, ex Achab scilicet, qui Jezabel habuit uxorem.

Lectio ix.

DENIQUE per Prophetam non nisi quarta generatione in throno regio Israelis quemquam de domo Achab esse sessurum dicitur. Purgata igitur labe familiæ gentilis, tribus quæ præteritis jam regulis in quarto generationum consequentium ordine numeratur, et usque ad Mariam generationes quatuordecim esse scribuntur, cum in numero decem et septem reperiantur, nullus error esse poterit scientibus non eam solum esse Domino nostro Jesu Christo originem, quæ cœpit ex Maria, sed in procreatione corporea nativitatis æternæ significantiam comprehendi.

In Laud. fit commemor. Feriæ et S. Melchiadis.

Vesp. a Capit. de sequenti.

Die 11. S. Damasi,

Papæ et Confessoris. *Semid.*

Oratio.

EXAUDI, Domine, preces nostras, et interveniente beato Damaso Confessore tuo atque Pontifice, indulgentiam nobis tribue placatus et pacem. Per Dominum.

Et fit comm. Oct. et Feriæ.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

DAMASUS Hispanus, vir egregius et eruditus in Scripturis, indicto primo Constantinopolitano Concilio, nefariam Eunomii et Macedonii hæresim extinxit. Idem Ariminensem conventum, a Liberio jam ante rejectum, iterum condemnavit: in quo ut scribit sanctus Hieronymus, Valentis potissimum et Ursacii fraudibus damnatio Nicænæ fidei conclamata fuit, et ingemiscens orbis terrarum, se Arianum esse miratus est.

Lectio v.

BASILICAS duas ædificavit, alteram sancti Laurentii nomine ad theatrum Pompeji, quam maximis muneribus auxit, eique domos et prædia attribuit: alteram via Ardeatina ad Catacumbas. Platoniam etiam, ubi corpora sanctorum Petri et Pauli aliquamdiu jacuerunt, dedicavit, et exornavit elegantibus versibus. Idemque prosa et versu scripsit de virginitate, multaque alia metro edidit.

Lectio vj.

PŒNAM talionis constituit iis, qui alterum falsi criminis accussassent. Statuit, ut, quod pluribus jam locis erat in usu, psalmi per omnes Ecclesias die noctuque ab alternis canerentur, et in fine cujusque psalmi diceretur, Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Ejus jussu sanctus Hieronymus novum Testamentum græcæ fidei reddidit. Cum Ecclesiam rexisset annos decem et septem, menses duos, dies viginti sex, et ha-

Digitized by Google

huisset Ordinationes quinque, mense Decembri, quibus creavit Presbyteros triginta unum, Diaconos undecim, Episcopos per diversa loca sexaginta duos, virtute, doctrina, ac prudentia clarus, prope octogenarius, Theodosio seniore imperante, obdormivit in Domino, et via Ardeatina una cum matre et sorore sepultus est in Basilica quam ipse ædificaverat. Illius reliquiæ postea translatæ sunt in Ecclesiam sancti Laurentii, ab ejus nomine in Damaso vocatam.

In III. Noct. Homilia Ut ignorantiam, *de Com. 2. loco*, p. 47 *.

Vesp. a Capit. de Oct. cum comm. S. Damasi. Ant. Dum esset summus, *et deinde Feriæ.*

Die 12.

V. infra Oct. Conceptionis.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN I. NOCTURNO.

Ex libro S. Epiphanii Episcopi adversus hæreses.

Lectio iv. *Lib.* 3. *hæresi* 78.

BEATA mater Dei Maria per Hevam significatur, quæ per ænigma accepit, ut mater viventium vocetur. Illa etenim mater viventium vocata est, etiam postquam audivit: Terra es, et in terram reverteris, post transgressionem. Et mirum est quod post transgressionem hoc magnum cognomen habuit. Et quod quidem pertinet ad rem sensibilem, ab illa Heva omnis hominum generatio deducta est in terra: hic autem vere a Maria hæc vita Mundo genita est, ut viventem gigneret, et fieret Maria mater viventium. Per ænigma igitur Maria mater viventium appellata est.

Lectio v.

HEVÆ datum est operire corpus sensibile propter nuditatem sensibilem: Mariæ vero datum est a Deo ut pareret nobis Agnum et ovem, et ex gloria ipsius Agni et ovis fieret nobis velut a vellere in sapientia per virtutem ipsius indumentum incorruptibilitatis. Heva etiam mortis causa facta est hominibus; per ipsam enim mors ingressa est in mundum: Maria vero causa vitæ, per quam genita est nobis vita, et per hanc Filius Dei advenit in mundum, et ubi abundavit peccatum, ibi superabundavit et gratia; et unde illata est mors, illinc processit et vita; ut vita pro morte fieret, et qui per mulierem nobis vita factus est, mortem ex muliere inductam excluderet. Et quoniam illic Heva, cum adhuc esset virgo, per inobedientiam transgressa est: e contrario per virginem obedientia gratiæ facta est, annuntiato adventu in carne de cœlo, et vita æterna.

Lectio vj.

DE Maria accipitur (liceat mihi hoc dicere) quod scriptum est de Ecclesia: Relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una. Sanctus autem Apostolus dicit: Mysterium hoc magnum est, ego autem dico in Christo et Ecclesia. Et vide Scripturarum accuratam dicendi proprietatem, quod de Adam quidem dixit, Formavit, de Heva vero, non formatam esse, sed ædificatam. Accepit enim, inquit, unam de costis ejus, et ædificavit ipsi in uxorem. Quo ostendat Dominum quidem de Maria efformasse sibi ipsi corpus, ab ipsa vero costa ædificatam esse Ecclesiam, in eo quod punctum et apertum est ipsius latus, et mysteria sanguinis et aquæ, pretia redemptionis facta sunt.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 1.

LIBER generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Digitized by Google

Homilia 2. in Matth.

AUDITU quidem mirabile est, quod ineffabilis Deus, et qui nec sermonibus explicari potest, nec cogitationibus comprehendi, Patrique per omnia coæqualis, per Virginis ad nos venit uterum, et fieri ex muliere dignatus est, et habere progenitores David et Abraham. Et quid dico David et Abraham? etiam illas, quod magis stupendum est, feminas, quas paulo ante memoravi. Hæc igitur audiens mente consurge, nihilque humile suspiceris, sed potius propter hoc ipsum maxime mirare, quia, cum verus et dilectus Filius sit sempiterni Dei, etiam filius David esse dignatus est, modo ut te filium faceret Dei: servum patrem habere dignatus est, ut tibi servo Patrem faceret ipsum Deum.

Lectio viij.

VIDES ab ipso statim principio quam læta sint hæc nuntia. Quod si ambigis de his quæ ad tuum spectant honorem, ab iis quæ illius sunt, etiam tua disce credere. Quantum enim consequi potest humana ratio, multo est difficilius Deum hominem fieri, quam hominem Dei filium consecrari. Cum ergo audieris quia Filius Dei filius sit et David et Abrahæ, dubitare jam desine quod et tu, qui filius es Adæ, futurus sis filius Dei. Non enim semetipsum ita humiliasset, nisi nos esset exaltaturus. Natus est enim secundum carnem, ut tu nascerere spiritu: natus est ex muliere, ut tu desineres filius esse mulieris.

Lectio ix.

PROPTEREA duplex facta generatio est, hæc scilicet nostræ similis, illa nostram eminenter excedens. Quod enim natus ex femina est, et nobis competit; quod vero non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, aut viri, sed ex Spiritu sancto, aliam nobis sublimiorem, futuramque, et spiritu consequendam generationem promittit. Sed alia quoque omnia ex simili diversitate constabant. Nam et baptisma profecto tale suscepit, quod haberet quidem aliquid veteris, haberet et novi. Quod enim baptizatus est a Propheta, expressit vetus, quod autem descendit Spiritus, adumbravit novum.

In Laud. fit comm. Feriæ.
Vesperæ de sequenti.

Die 13. S. Luciæ,

Virginis et Martyris. *Duplex.*
In I. Vesp. Ant. de Laud.

Ad Magnif. Ant. In tua patientia possedisti animam tuam, Lucia sponsa Christi: odisti quæ in mundo sunt, et coruscas cum Angelis: sanguine proprio inimicum vicisti.

Oratio.

Exaudi. *de com. Virg. pag.* 62*.
Et fit comm. Oct. et Feriæ.
Lect. I. Noct. De Virginibus.

℟. *j.* Lucia virgo, quid a me petis, quod ipsa poteris præstare continuo matri tuæ? nam et fides tua illi subvenit, et ecce salvata est: * Quia jucundum Deo in tua virginitate habitaculum præparasti. ℣. Sicut per me civitas Catanensium sublimatur a Christo, ita per te Syracusana civitas decorabitur. Quia.

℟. *ij.* Rogavi Dominum meum Jesum Christum, ut ignis iste non dominetur mei: * Et impetravi a Domino inducias martyrii mei. ℣. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam. Et.

℟. *iij.* Grata facta est a Domino in certamine, quia apud Deum et apud homines glorificata est: in conspectu principis loquebatur sapientiam, * Et Dominus omnium dilexit eam. ℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo: Deus in medio ejus, non commovebitur. Et. Gloria. Et.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

LUCIA virgo Syracusana, genere et Christiana fide ab infantia nobilis, una cum matre Eutychia, quæ sanguinis fluxu laborabat, Cata-

Digitized by Google

nam ad venerandum corpus beatæ Agathæ venit. Quæ ad ejus sepulchrum cum suppliciter orasset, Agathæ intercessione matri sanitatem impetravit. Statim vero matrem exoravit, ut quam dotem sibi datura esset, Christi pauperibus tribui pateretur. Ut igitur Syracusas rediit, omnem pecuniam, quam ex facultatibus venditis redegerat, pauperibus distribuit.

℟. Veni, sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum: pro cujus amore sanguinem tuum fudisti: * Et cum Angelis in paradisum introisti. ℣. Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum, quia concupivit Rex speciem tuam. Et.

Lectio v.

QUOD ubi rescivisset is, cui eam parentes contra virginis voluntatem desponderant, apud Paschasium præfectum Luciam, quod Christiana esset, accusavit. Quam ille cum nec precibus, nec minis ad cultum idolorum posset perducere, imo tanto magis incensam videret ad celebraudas Christianæ fidei laudes, quanto magis ipse eam a sententia avertere conabatur: Cessabunt, inquit, verba, cum ventum erit ad verbera. Cui virgo: Dei servis verba deesse non possunt, quibus a Christo Domino dictum est: Cum steteritis ante reges et præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus sanctus, qui loquitur in vobis.

℟. Diffusa est gratia in labiis tuis: * Propterea benedixit te Deus in æternum. ℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Propterea,

Lectio vj.

QUAM cum Paschasius interrogasset. Estne in te Spiritus sanctus? respondit: Caste et pie viventes templum sunt Spiritus sancti. At ille: Jubebo te ad lupanar duci, ut te Spiritus sanctus deserat. Cui virgo: Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam. Quare Paschasius ira inflammatus, Luciam eo trahi jussit, ubi ejus virginitas violaretur: sed divinitus factum est ut firma virgo ita consisteret, ut nulla vi de loco dimoveri posset. Quamobrem præfectus circum ipsam, pice, resina, ac ferventi oleo perfusam, ignem accendi imperavit: sed cum ne flamma quidem eam læderet, multis tormentis excruciatæ guttur gladio transfigitur. Quo vulnere accepto, Lucia prædicens Ecclesiæ tranquillitatem quæ futura erat, Diocletiano et Maximiano mortuis, Idibus Decembris spiritum Deo reddidit. Cujus corpus Syracusis sepultum, deinde Constantinopolim, postremo Venetias translatum est.

℟. Specie tua et pulchritudine tua, * Intende, prospere procede, et regna. ℣. Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Intende. Gloria. Intende.

In III. Noct. Homilia Cælorum regnum, *de Com. non Virg.* p. 74 *.

℟. *vij.* Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Et.

℟. *vij.* Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Propterea. Gloria. Propterea.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Orante sancta Lucia, * apparuit ei beata Agatha, et consolabatur ancillam Christi.

2. Lucia virgo, * quid a me petis, quod ipsa poteris præstare continuo matri tuæ?

3. Per te, Lucia virgo, * civitas

Digitized by Google

Syracusana decorabitur a Domino Jesu Christo.

4. Benedico te, Pater Domini mei Jesu Christi, quia per Filium tuum ignis extinctus est a latere meo.

5. Soror mea Lucia, virgo Deo devota, quid a me petis, quod ipsa poteris præstare continuo matri tuæ?

Ad Bened. Ant. Columna es immobilis, Lucia sponsa Christi, quia omnis plebs te expectat, ut accipias coronam vitæ, alleluia.

Deinde fit comm. Oct. et Feriæ.

In II. Vesp. Ant. de Laudibus.

Ad Magnif. Ant. Tanto pondere eam fixit Spiritus sanctus, ut virgo Christi immobilis permaneret.

Deinde fit Comm. Oct. et Feriæ.

Quando Festum S. Luciæ incidit in Dom. III. Adv., transferetur in diem sequentem; et tunc in II. Vesp. S. Luciæ omnia dicuntur de die Oct., ut in I. Vesp. Festi cum comm. S. Luciæ et Feriæ.

Die 14.

VII. infra Oct. Conceptionis.

Lect: I. Noct. de Script. occ.

In quatuor Temp. Ego sapientia, *ut in festis B. M. V.*, p. 95*.]

IN II. NOCTURNO.

Ex Epistola S. Ambrosii Episcopi ad Siricium Papam.

Lectio iv. *Epist.* 81. *alias* 7.

DE via perversitatis produntur dicere: Virgo concepit, sed non virgo generavit. Potuit ergo virgo concipere, non potuit virgo generare, cum semper conceptus præcedat, partus sequatur. Sed si doctrinis non creditur sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorum dicentium: Quia non est impossibile Deo omne verbum. Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit et servat. Audivit Maria vocem Angeli, et quæ ante dixerat: Quomodo fiet istud? non de fide generationis interrogans, respondit postea: Ecce ancilla Domini: contingat mihi secundum verbum tuum.

Ex libro S. Hieronymi Presbyteri adversus Jovinianum.

Ex Apol. ad Pammachium pro libro adversus Iovinianum.

Lectio v.

CHRISTUS virgo, mater virginis nostri virgo perpetua, mater et virgo. Jesus enim clausis ingressus est ostiis; et in sepulchro ejus, quod novum et in petra durissima fuerat excisum, nec antea quis, nec postea positus est. Hortus conclusus, fons signatus; de quo fonte ille fluvius manat juxta Joel, qui irrigat torrentem vel funium, vel spinarum: funium peccatorum, quibus ante alligabamur: spinarum, quæ suffocant sementem patrisfamilias. Hæc est porta Orientalis, ut ait Ezechiel, semper clausa, et lucida, operiens in se, vel ex se proferens Sancta sanctorum, per quam Sol justitiæ et Pontifex noster secundum ordinem Melchisedech ingreditur et egreditur.

Ex libro S. Irenæi Episcopi et mart. adversus hæreses.

Lectio vj. *Lib.* 5. c. 19.

IN sua propria veniente Domino, et sua propria eum bajulante conditione, quæ bajulatur ab ipso, et recapitulationem ejus quæ in ligno fuit inobedientiæ, per eam quæ in ligno est obedientiam faciente, et seductione illa soluta, qua seducta est male illa quæ jam viro destinata erat virgo Heva, per veritatem evangelizata est bene ab Angelo jam sub viro virgo Maria. Quemadmodum enim illa per angelicum sermonem seducta est, ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus: ita et hæc per Angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum, obediens ejus verbo. Et sicut illa seducta est, ut effugeret Deum, sic hæc suasa est obedire Deo, ut virginis Hevæ virgo Maria fieret advocata; et quemadmodum adstrictum est morte genus huma-

num per virginem, solvatur per virginem, æqua lance disposita virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. I.

LIBER generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

De Homilia S. J. Chrysostomi.

Unde supra, paulo post.

CUJUS vero rei gratia librum ipsum generationis Christi vocat, ubi non sola utique generatio, sed tota prorsus ipsius mysterii dispensatio continetur? quia totius scilicet dispensationis caput, radix atque principium omnium nobis in hoc consistit bonorum. Ut enim Moyses librum cœli appellavit ac terræ, cum certe non de cœlo solum terraque loqueretúr, sed de cunctis quæ inter ipsa subsistunt: ita etiam Evangelista ab ipso omnium fonte et capite bonorum librum vocavit.

Lectio vij.

TUA vero de causa non eum ante filium Abrahæ, et postea filium David nuncupavit? Non, sicut opinantur aliqui, ab inferioribus volens ad superiora conscendere. Cæterum fecisset quod fecit et Lucas; nunc autem e contrario facit. Cur ergo commemoravit priorem David? Quia ipse procul dubio in omnium versabatur ore, ob insigne honoris et gloriæ, ob ipsius quoque temporis spatia junctiora. Etsi enim utrique promiserat Deus, sed tamen illud quasi antiquum retiçebatur, hoc vero quasi novum et recens ab omnibus celebrabatur.

In Quatuor Temp. Lectio ix. *de Homilia Feriæ.*

Lectio ix.

IPSI namque Judæi dicunt: Nonne ex semine David, et Bethlehem castello, unde erat David, venit Christus? nemo igitur illum filium Abrahæ, sed omnes filium David nominabant; qui etiam honorabiliores quosque de sanctitate reges, qui post David fuisse referuntur, ab illo omnes vocabant. Nec ipsi solum, verum etiam Deus: nam et Ezechiel, et alii Prophetæ dicunt, David surrecturum esse eis, atque venturum, non de illo utique mortuo jam loquentes, sed de iis qui illius virtutem erant imitaturi. Propterea igitur a notiore interim et celebratiore persona sumit exordium, et tum demum ad antiquiorem recurrit parentem.

In Laud. fit commem. Feriæ.

Ad Vesp. Duplex: omnia ut in I. Vesp. diei cum comm. Feriæ.

Si dies Oct. Concept. incidat in III. Dom. Adv., fit Offic. de Dom. hoc modo. Vesp. in Sabb. præced. dicuntur de Feria, ut in Psalt., p. 97, et a Capit. fit de Dom. cum commemor. diei Octavæ, ut in I. Vesp. Festi, sine suffragiis nec precibus. Die seq. fit de Dom. prædicta cum comm. Octavæ in Laud. et Vesp.

Die 15.

VIII. Conceptionis beatæ Mariæ.

Lect. I. Noct. de Script. occ. In Quatuor Temp. Ego Sapientia, *ut in festis B. M. V*, p. 95*.

IN II. NOCTURNO.

De Expositione S. Gregorii Papæ in libros Regum.

Lectio iv. *In* I. *Reg.* I.

FUIT vir unus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim. Potest hujus montis nomine beatissima semper virgo Maria Dei genitrix designari. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ, ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros, usque ad solium Deitatis erexit? Hujus enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias

Digitized by Google

vaticinans, ait: Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ supra omnes Sanctos refulsit.

Ex Epistola sancti Leonis Papæ ad Pulcheriam Augustam.

Lectio v. *Epist.* 93.

SACRAMENTUM reconciliationis nostræ ante tempora æterna dispositum, nullis implebant figuræ; quia nondum supervenerat Spiritus sanctus in Virginem, nec virtus Altissimi obumbraverat ei, ut et intra intemerata viscera, ædificante sibi Sapientia domum, Verbum caro fieret, et forma Dei ac forma servi in unam conveniente personam, Creator temporum nasceretur in tempore, et per quem facta sunt omnia, ipse inter omnia gigneretur. Nisi enim novus homo, factus in similitudinem carnis peccati, nostram susciperet vetustatem; et consubstantialis Patri consubstantialis esse dignaretur et matri, naturamque sibi nostram solus a peccato liber uniret, sub jugo diaboli generaliter teneretur humana captivitas.

De expositione S. Basilii Episcopi in Isaiam Prophetam.

Lectio vj. *In cap.* 8.

ACCESSI, inquit, ad prophetissam, et in utero accepit, et peperit filium. Quod Maria prophetissa fuerit, ad quam proxime accessit Isaias per prænotionem spiritus, nemo contradixerit, qui sit memor verborum Mariæ, quæ prophetico afflata spiritu elocuta est. Quid enim ait? Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quod si animum accomodaveris universis ejus verbis, non utique contentiose negaveris eam fuisse prophetissam, quod Domini spiritus in eam supervenerit, et virtus Altissimi obumbraverit ei.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. I.

LIBER generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

De Homilia S. Joan. Chrysostomi.

Unde supra, paulo post.

DUO sunt quæ pariunt quæstionem: Unum, quæ causa sit, ut in generationum catalogo Virgo sileatur: alterum vero, qua ratione Joseph memoretur, cui certe nihil cum Christi generatione est commune. Videtur enim et unum abundare, et alterum deesse. Quid ergo dicemus? quod utique primum illud necesse fuerit memorari, quemadmodum ex David Virgo descenderit. Unde hoc itaque discemus? Audi ad Gabriel loquentem Dominum: Vade ad virginem desponsatam viro, cui nomen Joseph, ex domo et familia David. Quid vis audire manifestius, cum ex domo et familia David illam virginem esse cognoscas?

Lectio viij.

NON erat mos apud Hebræos generationum catalogum per feminas texere. Ut ergo et morem custodiret, ne in ipso statim principio videretur antiqua destruere, et nobis Virginem certius indicaret, parentes ejus reticens atque majores, de Joseph generatione non tacuit. Sive enim hæc fecisset in Virgine, novitatis non effugisset invidiam: sive Joseph reticuisset, non agnosceremus ex qua tribu Virgo subsisteret. Ut ergo et nos discerneremus quæ esset Maria, vel unde, et consuetudo legis permaneret immobilis, generationum catalogum usque ad sponsum ejus perduxit, ac de domo illum David esse monstravit.

Digitized by Google

In Quatuor Tem. Lectio ix. *de Homil. Feriæ.*

Lectio ix.

HOC enim declarato, illud quoque pariter ostendit, quod scilicet inde esset et Virgo; quia utique nequaquam justus iste pateretur uxorem sibi aliunde, quam unde lex præcipiebat, eligere. Possumus vero aliam quoque et altiorem quidem proferre rationem, ob quam parentes Virginis prætermissi sunt. Sed quæ ea est? Noluit Evangelista recenti adhuc tempore novi illius admirandique partus Judæis esse manifestum, quod Christus natus fuisset ex virgine. Neque proprius noster hic sermo est, sed a nobis de Patrum atque insignium virorum traditione susceptus.

In Laud. fit commemor. Feriæ.

In II. Vesp. comm. sequentis et Feriæ.

Die 16. S. Eusebii

Episcopi et Martyris. *Semid.*

Oratio.

DEUS, qui nos beati Eusebii Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate lætificas, concede propitius, ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.

Deinde fit commemor. Feriæ.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

In Quatuor Temp. A Mileto.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

EUSEBIUS natione Sardus, Romanæ Urbis Lector, post Vercellensis Episcopus, ad hanc regendam Ecclesiam merito est creditus divino electus judicio: nam quem nunquam ante constituti electores cognoverant, posthabitis civibus, simul ut viderunt et probaverunt, tantumque interfuit ut probaretur, quantum ut videretur. Primus in occidentis partibus in eadem Ecclesia eosdem monachos instituit esse, quos Clericos, ut esset in ipsis viris et contemptus rerum, et accuratio Levitarum. Arianis impietatibus ea tempestate per Occidentem longe lateque traductis, adversus eas viriliter sic dimicavit, ut ejus invicta fides Liberium Summum Pontificem ad vitæ solatium erigeret. Quare hic sciens in ipso fervere Spiritum Dei, cum ei significasset ut penes Imperatorem una cum suis legatis patrocinium fidei susciperet, mox cum illis profectus est ad Constantium: apud quem enixius agens, quidquid legatione petebatur, obtinuit, ut Episcoporum nempe cœtus celebraretur.

Lectio ij.

COLLECTUM est Mediolani anno sequenti Concilium, ad quod a Constantio invitatum Eusebium, concipitumque, ac vocatum a Liberii legatis, tantum abest ut malignantium synagoga Arianorum contra sanctum Athanasium furentium in suas partes adduceret, ut potius diserte statim ipse declarans, e præsentibus quosdam sibi compertos hæretica labe pollutos, Nicænam imo fidem proposuerit iis subscribendam, antequam cætera tractarentur. Quod Arianis acerbe iratis negantibus, nedum in Athanasium recusavit ipse subscribere, quin sancti Dionysii martyris, qui deceptus ab ipsis subscripserat, captivatam simplicitatem ingeniosissime liberavit. Quamobrem illi graviter indignantes, post multas illatas injurias, exilio illum mulctarunt; sed sanctus vir, excusso pulvere, nec Cæsaris minas veritus, nec cæses obstrictos, exilium veluti sui ministerii officium accepit, missusque Scythopolim: famem, sitim, verbera, diversaque supplicia perpessus, pro fide strenue vitam contempsit, mortem non metuit, corpus carnificibus tradidit.

Lectio vj.

QUANTA in eum tunc Arianorum crudelitas fuerit, ac effrons inverecundia, ostendunt graves litteræ plenæ roboris, pietatis, ac religionis,

Digitized by Google

quas e Scythopoli scripsit ad Vercellensem Clerum, et populum; aliosque finitimos; e quibus etiam est exploratum, ipsorum nec minis, inhumanaque sævitia potuisse unquam eum deterreri, nec serpentina blanda subtilitate ad eorum societatem perduci. Hinc in Cappadociam, postremoque ad superiores Ægypti Thebaidas præ constantia sua deportatus, exilii rigores tulit ad mortem usque Constantii, post quam ad gregem suum reverti permissus, non prius redire voluit, quam reparandis fidei jacturis ad Alexandrinam Synodum sese conferret, postque, medici præstantis instar, peragrans Orientis provincias in fide infirmos ad integram valetudinem restitueret, eos instituens in Ecclesiæ doctrina. Inde salubritate pari digresso in Illyricum, tandemque in Italiam delato, ad ejus reditum lugubres vestes Italia mutavit: ubi postquam psalmorum omnium expurgatos a se commentarios Origenis edidit, Eusebiique Cæsariensis, quos verterat de græco in latinum: demum tot egregie factis illustris ad immarcescibilem gloriæ coronam tantis meritis promeritam sub Valentiniano et Valente Vercellis migravit.

In III. Noct. Homilia Quia Dominus ac Redemptor, *de Com.* 2. *loco*, p. 22*.

℣. *vij.* Domine prævenisti eum.

In Quatuor Temp. Lectio ix. *de Homil. et comm. Feriæ in Laud.*

IN VIGILIA S. THOMÆ.

Nihil fit de ea nisi in Missa.

Die 21. S. Thomæ

Apostoli. *Duplex* 2. *Classis.*

Ad Magnif. *in utrisque Vesp. et ad* Bened. *in Laud. Ant.* Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, et crediderunt, alleluia.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Domine, beati Apostoli tui Thomæ solemnitatibus gloriari, ut ejus semper et patrociniis sublevemur, et fidem congrua devotione sectemur. Per Dominum.

Pro comm. Adv. Ant. O clavis. *Si autem Festum transferatur in* ij. *Feriam, Ant.* O oriens.

Lect. I. Noct. Sic nos existimet.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

THOMAS Apostolus, qui et Didymus, Galilæus, post acceptum Spiritum sanctum in multas provincias profectus est ad prædicandum Christi Evangelium. Parthis, Medis, Persis, Hyrcanis, et Bactris Christianæ fidei et vitæ præcepta tradidit. Postremo ad Indos se conferens, eos in Christiana religione erudivit. Qui ad extremum, vitæ doctrinæque sanctitate, et miraculorum magnitudine, cum cæteris omnibus sui admirationem, et Jesu Christi amorem commovisset, illius gentis regem, idolorum cultorem, magis ad iram accendit: cujus sententia condemnatus, telisque confossus, Calaminæ Apostolatus honorem martyrii corona decoravit.

Lectio v. *et* vj. Scriptum est, *de Com.* I *loco*, *cum* ℣. v. *et* vj.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 20.

IN illo tempore: Thomas unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorii Papæ.

Homilia 26 *in Evangelia.*

QUID, fratres charissimi, quid inter hæc animadvertitis? Numquid casu gestum creditis, ut electus ille discipulus tunc deesset, post autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet? Non hoc casu, sed divina dispensatione gestum est. Egit namque miro modo superna clementia, ut di-

Digitized by Google

scipulus ille dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens, omni dubitatione postposita, in fide solidatur.

Lectio viij.

SIC quippe discipulum Dominus post resurrectionem suam dubitare permisit, nec tamen in dubitatione deseruit: sicut ante nativitatem suam habere Mariam sponsum voluit, qui tamen ad ejus nuptias non pervenit. Nam ita factus est discipulus dubitans et palpans, testis veræ resurrectionis, sicut sponsus matris fuerat custos integerrimæ virginitatis. Palpavit autem, et exclamavit: Dominus meus, et Deus meus. Dicit ei Jesus: Quia vidisti me, credidisti. Cum Paulus Apostolus dicat: Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium; profecto liquet quia fides illarum rerum argumentum est, quæ apparere non possunt. Quæ etenim apparent, jam fidem non habent, sed agnitionem.

In Quatuor Tem. Lectio ix. *de Homilia Feriæ.*

Lectio ix.

DUM ergo vidit Thomas, dum palpavit, cur ei dicitur, Quia vidisti me, credidisti? Sed aliud vidit, aliud credidit. A mortali quippe homine divinitas videri non potuit. Hominem ergo vidit, et Deum confessus est, dicens: Dominus meus, et Deus meus. Videndo ergo credidit, qui considerando verum hominem, hunc Deum, quem videre non poterat, exclamavit. Lætificat valde quod sequitur: Beati qui non viderunt, et crediderunt. In qua nimirum sententia nos specialiter signati sumus, qui eum, quem carne non vidimus, mente retinemus. Nos signati sumus, sed si fidem nostram operibus sequimur. Ille etenim vere credit, qui exercet operando quod credit.

Pro comm. Adv. Ant. Nolite timere.

Si hoc Festum transferatur, tunc Ant. Nolite *dicitur ad* Bened. *in Dom. loco Ant.* Ave Maria, *et in offic. S. Thomæ pro comm. Adv. ponitur Ant. Feriæ* ij. Dicit Dominus.

FESTA JANUARII.

Prima die non impedita dicitur Officium defunctorum.

Die 11. S. Hygini,
Papæ et Martyris.

Commemorat. infra Oct. Epiph. in Vesp. et Laud. Oratio Infirmitatem.

DOM. II. POST EPIPH.

IN FESTO SS. NOMINIS JESU.

Duplex 2. *Classis.*

Occurrente Dom. Septuag., reponitur hoc Festum quoad Offic. in diem 28 *Januarii tanquam in sedem propriam, translato quovis alio Festo, nisi altioris sit ritus, et tunc omittitur* Alleluia *ubicumque occurrit, et legitur* ix. *Lectio de S. Agnete secundo, de qua comm. in Laud. tantum.*

In I. Vesperis.

Ant. 1. Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.

Psalmi de Dom. et loco ult. Credidi, *p.* 88.

2. Sanctum et terribile nomen ejus, initium sapientiæ timor Domini.

3. Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo.

4. A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini.

5. Sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Capitulum. Philip. 2.

FRATRES, Christus humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur.

HYMNUS.

JESU dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia:
Sed super mel et omnia
Ejus dulcis præsentia.
Nil canitur suavius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Jesus Dei Filius.
Jesu spes pœnitentibus,
Quam pius es petentibus!
Quam bonus te quærentibus!
Sed quid invenientibus?
Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere:
Expertus potest credere,
Quid sit Jesum diligere.
Sis, Jesu, nostrum gaudium,
Qui es futurus præmium:
Sit nostra in te gloria,
Per cuncta semper sæcula. Amen.

℣. Sit nomen Domini benedictum, alleluia. ℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus, alleluia.

Oratio ut infra in Laudibus.

Et fit comm. Dom. II. post Epiph.

Ad Complet. et Horas in fine Hymnorum dicitur.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine.

Ad Matutinum.

Invit. Admirabile nomen Jesu, quod est super omne nomen, Venite, adoremus.

HYMNUS.

JESU Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis:
Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet charitas.
Jesu dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.
Jesum omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite,
Jesum ardenter quærite,
Quærendo inardescite.
Te nostra, Jesu, vox sonet,
Nostri te mores exprimant,
Te corda nostra diligant,
Et nunc, et in perpetuum. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Psalmi ut in festis B. M. V.

2. In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum.

3. Confitemini Domino, et invocate nomen ejus: mementote quoniam excelsum est nomen ejus.

℣. Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo.

℟. Multum est enim.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. 3.

PETRUS autem et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. Is cum vidisset Petrum et Joannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit: Respice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit. Argentum et aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula. Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum, et protinus consolidatæ sunt bases ejus et plantæ. Et exiliens stetit, et ambulabat; et intravit cum illis in templum ambulans, et exiliens, et laudans Deum.

℟. Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum: Ipse enim salvum faciet populum suum a

Digitized by Google

ne in hujus nominis luce Deus nos vocavit in admirabile lumen suum; quibus illuminatis, et in lumine isto videntibus lumen, dicat merito Paulus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino?

℟. Sperent in te, qui noverunt nomen tuum: * Quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine. ℣. Exurge, Domine, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum. Quoniam.

Lectio v.

HOC denique nomen coram regibus et gentibus, et filiis Israel portare jussus est idem Apostolus, et portabat nomen tanquam lumen, et illuminabat patriam, et clamabat ubique: Nox præcessit, dies autem approquinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus. Et monstrabat omnibus lucernam super candelabrum, annuntians in omni loco Jesum, et hunc crucifixum. Quomodo lux ista resplenduit, ac perstrinxit cunctorum intuentium oculos, quando de ore Petri tanquam fulgur egrediens, claudi unius corporales plantas solidavit et bases, multosque spiritualiter cæcos illuminavit? Numquid non ignem sparsit, cum ait: In nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula?

℟. Confiteamur nomini tuo magno, * Quoniam terribile et sanctum est. ℣. Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus. Quoniam.

Lectio vj.

NEC tantum lux est nomen Jesu, sed est et cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid æque mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones? Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur; insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum. Si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed est et medicina. Tristatur aliquis nostrum? Veniat in cor ejus Jesus, et inde saliat in os. Et ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen? currit insuper ad laqueum mortis desperando? Nonne si invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam?

℟. Lætentur omnes, qui sperant in te, Domine; in æternum exultabunt, et habitabis in eis, et gloriabuntur in te omnes, * Qui diligunt nomen tuum. ℣. Domine, in lumine vultus tui ambulabunt: et in nomine tuo exultabunt tota die. Qui. Gloria. Qui.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. Cantate Domino, et benedicite nomini ejus: annuntiate de die in diem salutare ejus.

2. Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ: justitia plena est dextera tua.

3. Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus; iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.

℣. Afferte Domino gloriam et honorem. ℟. Afferte Domino gloriam nomini ejus.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo tempore: Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbatis.

Serm. I. *de Circumcisione.*

MAGNUM et mirabile Sacramentum! Circumciditur puer, et vocatur Jesus. Quid sibi vult ista connexio? Circumcisio nempe magis salvandi, quam Salvatoris esse videtur, et Salvatorem circumcidere potius decet, quam circumcidi. Sed agnosce mediatorem Dei et hominum, qui ab ipso nativitatis suæ exordio divinis humana sociat, ima summis. Nasci-

Digitized by Google

O Jesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animæ!
Te quærunt piæ lacrymæ
Te clamor mentis intimæ.
Mane nobiscum, Domine,
Et nos illustra lumine;
Pulsa mentis caligine,
Mundum reple dulcedine.
Jesu, flos Matris virginis,
Amor nostræ dulcedinis,
Tibi laus, honor nominis,
Regnum beatitudinis. Amen.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum et terram.

Ad Bened. Ant. Dedit se ut liberaret populum, et acquireret sibi nomen æternum, alleluia.

Oratio.

DEUS, qui unigenitum Filium tuum constituisti humani generis Salvatorem, et Jesum vocari jussisti, concede propitius, ut cujus sanctum nomen veneramur in terris, ejus quoque aspectu perfruamur in cœlis. Per eumdem.

Et fit comm. Dom. II. post Epiph.

Ad Primam in ℟. br. ℣. Qui natus es de Maria virgine.

Ad Tertiam.

Capit. Fratres Christus.

℟. *br.* Sit nomen Domini benedictum, * Alleluia, alleluia. Sit. ℣. Ex hoc nunc et usque in sæculum. Alleluia, alleluia. Gloria. Sit. ℣. Afferte Domino gloriam et honorem, alleluia. ℟. Afferte Domino gloriam nomini ejus, allel.

Ad Sextam.

Capitulum. Philip. 2.

IN nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

℟. *br.* Afferte Domino gloriam et honorem, * Alleluia, alleluia. Afferte. ℣. Afferte Domino gloriam nomini ejus. Alleluia, allel. Gloria. Afferte. ℣. Magnificate Dominum mecum, alleluia. ℟. Et exaltemus nomen ejus in idipsum, alleluia.

Ad Nonam.

Capitulum. Col 3.

OMNE quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite, gratias agentes Deo, et Patri per ipsum.

℟. *br.* Magnificate Dominum mecum, * Alleluia, allel. Magnificate. ℣. Et exaltemus nomen ejus in idipsum. Alleluia, alleluia. Gloria. Magnificate. ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini, alleluia. ℟. Qui fecit cœlum et terram, allel.

In II. Vesperis.

Omnia dicuntur ut in I. præter

Ad Magnif. Ant. Vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum, alleluia.

Et fit comm. Dom. II. post Epiph.

Die 14. S. Hilarii,

Episc. Conf. et Ecclesiæ Doct.

Semiduplex. (m. t. v.)

Ant. Sacerdos. ℣. Amavit.

Oratio.

Deus qui populo ec. *de com. Doct. pag.* 39*.

Comm. S. Felicis Presb. et Mart.

℟. *Ant.* Iste Sanctus. ℣. Gloria et honore.

℟. Et constituisti.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut ad meliorem vitam, Sanctorum tuorum exempla nos provocent, quatenus quorum solemnia agimus, etiam actus imitemur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Scrip. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

HILARIUS in Aquitania nobili genere natus, doctrina et elo-

Digitized by Google

quentia excelluit. Qui primum in matrimonio, quasi monachi vitam egit: deinde propter singulares virtutes Pictavorum Episcopus creatur: quod munus Episcopale sic gessit, ut a fidelibus summam laudem consequeretur. Quo tempore, cum terroribus, bonorum spoliatione, exilio, et omni crudelitate Constantius Imperator Catholicos vexaret, nisi ad Arianas partes transirent, Hilarius tanquam firmissimum murum se Arianis opponens, illorum furorem in se concitavit. Itaque multis petitus insidiis, tandem dolo Saturnini Arelatensis Episcopi, de Synodo Biterrensi in Phrygiam relegatus est: ubi et mortuum suscitavit, et libros duodecim scripsit de Trinitate contra Arianos.

Lectio v.

QUADRIENNIO post, coacto concilio ad Seleuciam Isauriæ urbem, Hilarius adesse compulsus est, ac deinde Constantinopolim profectus, ubi extremum fidei periculum animadvertit, tribus libellis publice datis, audientiam Imperatoris poposcit, ut de fide cum adversariis coram disputaret. Verum cum Ursacius et Valens Ariani Episcopi, quos Hilarius scriptis confutarat, præsentis eruditionem pertimescerent, Constantio persuaserunt, ut specie honoris eum in suum Episcopatum restitueret. Tunc Hilarium e prælio hæreticorum revertentem; ut ioquit sanctus Hieronymus, Galliarum Ecclesia complexa est. Quem ad Episcopatum secutus est Martinus, qui postea Turonensi præfuit Ecclesiæ; tantumque illo doctore profecit, quantum ejus postea sanctitas declaravit.

Lectio vj.

MAGNA deinceps tranquillitate Pictavorum Ecclesiam administravit, Galliamque universam adduxit, ut Arianorum impietatem condemnaret. Multos libros scripsit mira eruditione, quos omnes sanctus Hieronymus ad Lætam sine ulla erroris suspicione legi posse testatur illis verbis: Hilarii libros inoffenso decurrat pede. Migravit in cœlum Idibus Januarii, Valentiniano et Valente Imperatoribus, anno post Christum natum trecentesimo sexagesimo nono.

In III. Noct. Homilia Vos estis sal terræ *pro Doct. 2. loco*, p. 49*. *Ex tribus Lect. sunt duæ: prior desinit ad* *.

Pro S. Felice Presb. et Mart.

Lectio ix.

FELIX Nolanus Presbyter, cum in idola vehementius invehereture, ab infidelibus varie vexatus, in carcerem conjicitur. Unde ab Angelo nocte eductus, quærere jussus est Maximianum Nolæ Episcopum; qui, cum senio confectus desperaret se ferre posse supplicia persequentium, se abdiderat in silvam. Quo cum Felix Deo duce pervenisset, sanctum Episcopum humi jacentem pene mortuum videt: quem recreatum, ac sublatum in humeros apud fidelem viduam reficiendum curavit. Sed cum is iterum idolorum cultores impietatis argueret, facto in ipsum impetu, fugiens in angusto duorum parietum intervallo se occultavit. Qui aditus cum repente aranearum telis pertextus visus esset, nemini recentis latebræ suspicionem reliquit. Inde igitur evadens Felix, in ædibus piæ mulieris tres menses latuit. Cum vero Dei Ecclesia requiescere cœpisset, Nolam rediens, multisque ibi vitæ exemplis, et doctrinæ præceptis, miraculisque ad Christi fidem conversis, constanter etiam recusato ejus urbis Episcopatu, obdormivit in Domino, sepultusque est prope Nolam, in loco, quem in Pincis appellabant.

In laud. fit comm. S. Felicis.

Vesperæ de sequenti.

Die 15. S. Pauli,

Primi Eremitæ. *Dupl.* (m. 1. v.).

Orat. Deus, qui nos *p.* 51*.

Fit comm. præced. Ant. Amavit.

℣. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi. ℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Digitized by Google

Deinde S. Mauri Abbatis, Ant. Euge serve. ℣. Justum. *Oratio* Intercessio *p.* 51*.

Sed si Festum S. Pauli transferatur, non variantur Ant. et ℣.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PAULUS, Eremitarum auctor et magister, apud inferiorem Thebaidem natus, cum quindecim esset annorum, orbatus parentibus, declinandæ causa persecutionis Decii et Valeriani, et Deo liberius inserviendi, in eremi speluncam se contulit: ubi, palma ei victum et vestitum præbente vixit ad centesimum et decimum tertium annum, quo tempore ab Antonio nonagenario Dei admonitu invisitur. Quibus inter se, cum antea non nossent, proprio nomine consalutantibus, et multa de regno Dei colloquentibus, corvus, qui antea semper Paulo dimidiatum panem attulerat, integrum detulit.

Lectio v.

POST corvi discessum, Eia, inquit Paulus, Dominus nobis prandium misit; vere pius, vere misericors. Sexaginta jam anni sunt, cum accipio quotidie dimidii panis fragmentum, nunc ad adventum tuum militibus suis Christus duplicavit annonam. Quare cum gratiarum actione ad fontem capientes cibum, ubi tantisper recreati sunt, iterum gratiis de more Deo actis, noctem in divinis laudibus consumpserunt. Diluculo Paulus de morte, quæ sibi instaret, admonens Antonium, hortatur ut pallium, quod ab Athanasio acceperat, ad involvendum suum corpus, afferret. Quo ex itinere redieus ille, vidit inter Angelorum choros, inter Prophetarum et Apostolorum cœtus Pauli animam in cœlum ascendere.

Lectio vj.

CUMQUE ad ejus cellam pervenisset, invenit genibus complicatis, erecta cervice, extensisque in altum manibus corpus exanime: quod pallio obvolvens, hymnosque et psalmos ex Christiana traditione decantans, cum sarculum, quo terram foderet, non haberet, duo leones ex interiore eremo rapido cursu ad beati senis corpus feruntur, ut facile intelligeretur eos, quo modo poterant, ploratum edere; qui certatim terram pedibus effodientes, foveam, quæ hominem commode caperet, effecerunt. Qui cum abiissent, Antonius sanctum corpus in eum locum intulit, et injecta humo, tumulum ex Christiano more composuit: tunicam vero Pauli, quam in sportæ modum ex palmæ foliis ille sibi contexuerat, secum auferens, eo vestitu diebus solemnibus Paschæ et Pentecostes, quoad vixit, usus est.

In III. Noct. Homilia Venite ad me omnes *pro Abb. 2. loco*, p. 60*

Pro S. Mauro Abbate.

Lectio ix.

MAURUS nobilis Romanus, puer a patre Eutychio Deo sub sancti Benedicti disciplina oblatus, brevi tantum divina gratia profecit, ut ipsi magistro admirationi esset, qui illum sæpe veluti regularis observantiæ et virtutum omnium speciem cæteris discipulis ad imitandum proponebat. Cujus adhuc adolescentis illud admirabilis obedientiæ exemplum a sancto Gregorio Papa commemoratur. Nam cum Placidus monachus in lacum prolapsus, aquarum impetu raperetur, sancti patris jussu accurrens Maurus, et super aquas incedens socium capillis apprehensum, ad terram attraxit. Missus in Galliam ab eodem sancto Benedicto, celebri monasterio extructo, cui annos quadraginta præfuit, monasticam disciplinam mirifice propagavit. Denique sanctitate et miraculis clarus, septuagenario major migravit in cœlum, anno salutis quingentesimo sexagesimo quinto.

Digitized by Google

In Laud. pro comm. S. Mauri.
Ant. Similabo. ℣. Amavit.
In II. Vesp. fit comm. sequentis,

Die 16. S. Marcelli,

Papæ et Martyris. *Semidupl.*
Oratio.

PRECES populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi, ut beati Marcelli Martyris tui atque Pontificis meritis adjuvemur, cujus passione lætamur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio vi.

MARCELLUS Romanus a Constantio et Galerio usque ad Maxentium Pontificatum gessit. Cujus hortatu, Lucina matrona Romana bonorum suorum Dei Ecclesiam fecit hæredem. Viginti quinque titulos in Urbe instituit, quasi dioceses quasdam, et ad baptismum pœnitentiamque eorum, qui ex infidelibus Christianam religionem susciperent, et ad martyrum sepulturam. Quibus rebus ira incensus Maxentius, Marcello gravia supplicia minatur, nisi, deposito Pontificatu, idolis immolaret.

Lectio v.

QUI cum insanas hominis voces negligeret, misit eum in catabulum, ut bestiarum, quæ publice alebantur, curam sustineret. Ubi Marcellus assiduis jejuniis et precibus novem menses vitam duxit, parochias, quas præsens non poterat, visitans per epistolas. Inde ereptus a clericis, hospitio recipitur a beata Lucina: in cujus ædibus Ecclesiam dedicavit, quæ hodie titulo sancti Marcelli nominatur. In qua et Christiani orabant, et ipse beatus Marcellus prædicabat.

Lectio vj.

QUIBUS cognitis, Maxentius in eam Ecclesiam catabuli bestias transferi, et a Marcello custodiri jubet: ubi loci fœditate, multisque ærumnis afflictus, obdormivit in Domino. Cujus corpus in cœmeterio Priscillæ via Salaria a beata Lucina sepultum est decimo septimo Kalendas Februarii. Sedit annos quinque, mensem unum, dies viginti quinque. Scripsit epistolam ad Episcopos Antiochenæ provinciæ de primatu Romanæ Ecclesiæ, quam caput Ecclesiarum appellandam demonstrat. Ubi etiam illud scriptum est, nullum Concilium jure celebrari, nisi ex auctoritate Romani Pontificis. Ordinavit mense Decembri Romæ Presbyteros viginti quinque, Diaconos duos, Episcopos per diversa loca viginti unum.

In III. Noct. Homilia, Quia Dominus ac Redemptor *de Com. 2. loco* p. 22*.

℟. *vij.* Domine prævenisti.
Vespera de sequenti.

Die 17. S. Antonii,

Abbatis. *Duplex.*

Orat. Intercessio nos, *p.* 51.*

Deinde fit comm. S. Marcelli.
Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ANTONIUS Ægyptius, nobilibus et Christianis parentibus natus, quibus adolescens orbatus est, cum ingressus Ecclesiam ex Evangelio audivisset: Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus; tanquam ea sibi dicta essent, sic Christo Domino obtemperandum existimavit. Itaque, vendita re familiari, pecuniam omnem pauperibus distribuit. Quibus solutus impedimentis, cœlestis vitæ genus in terris colere instituit. Sed cum in periculosum illud certamen descenderet, ad fidei præsidium, quo erat armatus, adhibendum sibi putavit subsidium reliquarum virtutum: quarum tanto studio incensus fuit, ut quemcumque videret aliqua virtutis laude excellentem, illum imitari studeret.

Digitized by Google

Lectio v.

NIHIL igitur eo continentius, nihil vigilantius erat. Patientia, mansuetudine, misericordia, humilitate, labore, ac studio divinarum Scripturarum superabat omnes. Ab hæreticorum et schismaticorum hominum, maxime Arianorum, congressu et colloquio sic abhorrebat, ut ne prope quidem ad eos accedendum diceret. Humi jacebat, cum eum necessarius somnus occupasset. Jejunium autem adeo coluit, ut salem tantummodo ad panem adhiberet, sitim aqua extingueret: neque se ante solis occasum cibo aut potu recreabat, sæpe etiam biduum cibo abstinebat, sæpissime in oratione pernoctabat. Cum talis tantusque Dei miles evasisset Antonius, sanctissimum juvenem hostis humani generis variis tentationibus aggreditur, quas ille jejunio et oratione vincebat. Nec vero frequens de satana triumphus securum reddebat Antonium, qui diaboli innumerabiles artes nocendi noverat.

Lectio vj.

ITAQUE contulit se in vastissimam Ægypti solitudinem, ubi quotidie ad Christianam perfectionem proficiens, dæmones (quorum tanto erant acriores impetus, quanto Antonius ad resistendum fortior evadebat) ita contempsit, ut illis exprobraret imbecillitatem: ac sæpe discipulos suos excitans ad pugnandum contra diabolum, docensque quibus armis vinceretur: Mihi credite, dicebat, fratres, pertimescit satanas piorum vigilias, orationes, jejunia, voluntariam paupertatem, misericordiam, et humilitatem, maxime vero ardentem amorem in Christum Dominum, cujus unico sanctissimæ crucis signo debilitatus aufugit. Sic autem dæmonibus erat formidolosus, ut multi per Ægyptum ab illis agitati, invocato nomine Antonii, liberarentur: tantaque erat ejus fama sanctitatis, ut per litteras se ejus orationibus Constantinus Magnus et filii commendarent. Qui aliquando quintum et centesimum annum agens, cum innumerabiles sui instituti imitatores haberet, convocatis monachis, et ad perfectam Christianæ vitæ regulam instructis, sanctitate et miraculis clarus migravit in cœlum, decimo sexto Kalendas Februarii.

In III. Noct. Homilia Sancti Evangelii fratres *de Com. I. loco.*

Vesperæ de sequenti.

Die 18. Cathedræ S. Petri,

Qua Romæ primum sedit.

Duplex majus.

Ad I. Vesperis.

Ant. Psalmi, Capit. et alia hic non propria de Com. Conf. Pont.

HYMNUS.

QUODCUMQUE in orbe nexibus revinxeris,
Erit revinctum, Petre, in arce siderum:
Et quod resolvit hic potestas tradita,
Erit solutum cœli in alto vertice:
In fine mundi judicabis sæculum.

Patri perenne sit per ævum gloria,
Tibique laudes concinamus inclytas,
Æterne Nate; sit, superne Spiritus,
Honor tibi decusque: sancta jugiter
Laudetur omne Trinitas per sæculum.
Amen.

℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Ad Magnif. Ant. Tu es pastor ovium, princeps Apostolorum, tibi traditæ sunt claves regni cœlorum.

Oratio ut infra in Laudibus.

Fit comm. S. Pauli, ut ibi; deinde S. Antonii Abbatis; postremo S. Priscæ Virginis et Martyris.

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beatæ Priscæ Virginis et Martyris tuæ natalitia colimus, et annua solemnitate lætemur, et tantæ fidei proficiamus exemplo. Per Dominum.

Digitized by Google

Ad Matutinum.

Invit. Tu es pastor ovium, princeps Apostolorum: * Tibi tradidit Deus claves regni cælorum.

Hymn. Quodcumque, *ut supra.*

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epistola prima beati Petri Apostoli.

Lectio j. Cap. I.

PETRUS Apostolus Jesu Christi, electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ, secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, et aspersionem sanguinis Jesu Christi, gratia vobis et pax multiplicetur. Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cœlis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo.

℟. Simon Petre, antequam de navi vocarem te, novi te, et super plebem meam principem te constitui, * Et claves regni cœlorum tradidi tibi. ℣. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Et.

Lectio ij.

IN quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus: ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem, in revelatione Jesu Christi, quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili et glorificata, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum.

℟. Si diligis me, Simon Petre, pasce oves meas. Domine, tu nosti quia amo te, * Et animam meam pono pro te. ℣. Si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Et.

Lectio iij.

DE qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias. Quibus revelatum est quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos qui evangelizaverunt vobis, Spiritu sancto misso de cœlo, in quem desiderant Angeli prospicere.

℟. Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam: * Et tibi dabo claves regni cœlorum. ℣. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Et. Gloria. Et.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Leonis Papæ.

Sermo I. *de sanctis Apostolis Petro et Paulo.*

Lectio iv.

CUM duodecim Apostoli, accepta per Spiritum sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Evangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus, suscepissent; beatissimus Petrus princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur Imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. Cujus autem nationis homines in hac tunc urbe non essent? aut quæ usquam gentes ignorarent, quod Roma didicisset?

℟. Tu es pastor ovium, princeps Apostolorum; tibi tradidit Deus omnia regna mundi: * Et ideo tibi traditæ sunt claves regni cœlorum. ℣. Quodcumque ligaveris super terram, erit

Digitized by Google

ligatum et in cælis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Et.

Lectio v.

HIC conculcandæ philosophiæ opiniones, hic dissolvendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates, hic confutandi dæmonum cultus, hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda, ubi diligentissima superstitione habebatur collectum quidquid usquam fuerat vanis erroribus institutum. Ad hanc ergo Urbem tu, beatissime Petre Apostole, venire non metuis, et consorte gloriæ tuæ Paulo Apostolo, aliarum adhuc Ecclesiarum ordinationibus occupato, silvam istam fremeatium bestiarum, et turbulentissimæ profunditatis Oceanum, constantior, quam cum supra mare gradereris, ingrederis.

℣. Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua: * Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. ℣. Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis. Et.

Lectio vj.

JAM populos, qui ex circumcisione crediderant, erudieras: jam Antiochenam Ecclesiam, ubi primum Christiani nominis dignitas est orta, fundaveras: jam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam legibus Evangelicæ prædicationis impleveras: nec aut dubius de provectu operis, aut de spatio tuæ ignarus ætatis, trophæum crucis Christi Romanis arcibus inferebas, quo te divinis præordinationibus anteibant et honor potestatis, et gloria passionis,

℟. Petre, amas me? Tu scis, Domine, quia amo te. * Pasce oves meas. ℣. Simon Joannis, diligis me plus his? Tu scis, Domine, quia amo te. Pasce. Gloria. Pasce.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo tempore: Venit Jesus in partes Cæsareæ philippi, et interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? Et reliqua.

Homilia sancti Hilarii Episcopi.

Comm. in Matth. c. 16.

DOMINUS a discipulis requirit, quem se homines esse dicerent: et adjecit, Hominis filium. Hæc enim confessionis tenenda ratio est, ut sicut Dei Filium, ita et filium hominis meminerimus: quia alterum sine altero nihil spei tribuit ad salutem. Editis itaque, quæ diversæ de eo erant, hominum opinionibus, quid de se ipsi sentiant, quærit. Petrus respondit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Sed Petrus conditiones propositionis expenderit. Dominus enim dixerat: Quem me homines esse dicunt, filium hominis? Et certe filium hominis contemplatio corporis præferebat. Sed addendo, Quem me esse dicunt; significavit, præter id quod in se videbatur, esse aliud sentiendum: erat enim hominis filius. Quod igitur de se opinandi judicium desiderabat? Non illud arbitramur, quod de se ipse confessus est: sed occultum erat, de quo quærebatur, in quod se credentium fides debebat extendere.

℟. Quem dicunt homines esse filium hominis? dixit Jesus discipulis suis. Respondens Petrus, dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. * Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. ℣. Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis. Et.

Quando opus erit, ex seq. Lectione fiant duæ, quarum prior desinet ad.

Lectio viij.

ET dignum plane confessio Petri præmium consecuta est: quia Dei Filium in homine vidisset. Beatus hic est, qui ultra humanum oculos in-

Digitized by Google

tendisse et vidisse laudatus est : non id quod ex carne et sanguine erat contuens, sed Dei Filium cœlestis Patris revelatione conspiciens, dignusque judicatus, qui quod in Christo Dei esset, primus agnosceret. * O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum ! dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, et tartari portas, et omnia mortis claustra dissolveret ! O beatus cœli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terrestre judicium præjudicata auctoritas sit in cœlo! ut quæ in terris aut ligata sint aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant et in cœlo.

℟. Elegit te Dominus sacerdotem sibi, ad sacrificandum ei * Hostiam laudis. ℣. Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. Hostiam. Gloria. Hostiam.

Pro S. Prisca Virg. et Mart.

Lectio ix.

PRISCA nobilis virgo Romana, tredecim annos nata, Claudio Imperatore, Christianæ fidei accusata, ejusdem jussu ducta ad Apollinis templum, ut idolis immolaret, cum rem detestaretur, colaphis cæsa, in carcerem traditur ; atque inde emissa, cum in fidei constantia perseveraret, affecta verberibus, ferventique adipe delibuta, rursus in carcerem includitur. Post triduum in amphitheatrum producta, leoni objicitur, qui suæ feritatis oblitus, humiliter se ad ejus pedes abjecit. Quæ postea in ergastulo triduo inedia afflicta, in equuleo suspenditur, et ungulis ferreis excarnificata in rogum injicitur; unde etiam mirabiliter evasit incolumis. Denique extra Urbem capite abscisso, virginitatis palmam martyrii corona cumulavit. Cujus corpus via Ostiensi, decimo ab Urbe milliario, a Christianis decimo quinto Kalendas Februarii sepelitur.

Ad Laudes.

HYMNUS.

BEATE pastor Petre, clemens accipe
Voces precantum, criminumque vincula
Verbo resolve, cui potestas tradita,
Aperire terris cœlum, apertum claudere.

Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas ; atque jubilatio,
In unitate quæ gubernat omnia
Per universa æternitatis sæcula.
Amen.

℣. Exaltent eum in Ecclesia plebis. ℟. Et in cathedra seniorum laudent eum.

Ad Bened. Ant. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis ; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis, dicit Dominus Simoni Petro.

Oratio.

DEUS, qui beato Petro Apostolo tuo, collatis clavibus regni cœlestis, ligandi atque solvendi pontificium tradidisti, concede, ut intercessionis ejus auxilio, a peccatorum nostrorum nexibus liberemur. Qui vivis.

Deinde fit commemor. S. Pauli. Ant. Sancte Paule Apostole, prædicator veritatis, et Doctor Gentium, intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit.

℣. Tu es vas electionis, sancte Paule Apostole. ℟. Prædicator veritatis in universo mundo.

Oratio.

DEUS, qui multitudinem Gentium beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti, da nobis, quæsumus, ut cujus commemorationem colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus.

Postea S. Priscæ Virg. et Mart.

In II. Vesperis.

Hymnus ut in I. Vesperis.

℣. Elegit te Dominus sacerdotem sibi. ℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Digitized by Google

Ad Magnif. Ant. Dum esset summus Pontifex, terrena non metuit, sed ad cœlestia regna gloriosus migravit.

Et fit comm. S. Pauli, ut supra. Deinde sequentis, etc. ut infra.

Die 19. S. Canuti,

Martyris. *Semid.* ad libitum.

Si venerit in Dom. vel infra aliquam Octavam, omittitur.

Oratio.

DEUS, qui ad illustrandam Ecclesiam tuam beatum Canutum regem, martyrii palma et gloriosis miraculis decorare dignatus es, concede propitius, ut sicut ipse Dominicæ passionis imitator fuit, ita nos per ejus vestigia gradientes, ad gaudia sempiterna pervenire mereamur. Per eumdem.

Et SS. Marii et soc. Martyrum.

Oratio.

EXAUDI, Domine, populum tuum cum Sanctorum tuorum patrocinio supplicantem, ut et temporalis vitæ nos tribuas pace gaudere, et æternæ reperire subsidium. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CANUTUS Quartus Suenonis Esthritii Danorum regis filius, fide, pietate, et morum honestate conspicuus, eximiæ sanctitatis a teneris annis specimen dedit. Paternum sceptrum summa omnium acclamatione adeptus, religioni promovendæ sedulo incumbere, Ecclesias reditibus augere, et pretiosa supellectili ornare cœpit. Tum zelo propagandæ fidei succensus, barbara regna justo certamine aggressus, devictas subditasque nationes Christianæ legi subjugavit. Victoriis autem plurimis gloriosus, et divitiis auctus, regale diadema ad Christi crucifixi pedes abjecit, se et regnum illi subjiciens, qui Rex regum est, et Dominus dominantium. Corpus suum jejuniis, ciliciis et flagellis castigavit. In oratione et contemplatione assiduus, erga pauperes profusus, erga omnes beneficus semper fuit, nec unquam a justitiæ divinæque legis semita deflexit.

Lectio v.

HIS aliisque virtutibus imbutus, ad supremum perfectionis apicem sanctus rex properabat. Accidit autem ut Angliæ regnum a Wilhelmo Normannorum duce, formidabili exercitu invaderetur. Anglis vero Danorum opem implorantibus cum succurrere rex decrevisset, belli expeditionem Olao fratri commisit. Qui regnandi cupiditate illectus, arma vertit in regis perniciem, militibus et populo contra illum concitatis. Nec defuerunt rebellioni fomenta, cum enim rex editis legibus Decimas Ecclesiis solvi, Dei et Ecclesiæ præcepta servari, transgressores puniri sanxisset, plerique perversi ac scelerati homines exacerbati, primum quidem tumultuari, tum plebem commovere, ac tandem sanctissimo regi necem moliri cœperunt.

Lectio vj.

SCIENS igitur rex, futurorum præscius, mortem sibi propter justitiam imminere, ea prænuntiata, ad Ecclesiam sancti Albani martyris Othoniæ, tanquam ad locum certaminis, profectus est, et Sacramentis munitus agonem suum Domino commendabat. Mox ibi adveniens conjuratorum multitudo, Ecclesiæ ignem admovere, fores confringere, et in eam irrumpere tentarunt. Quod cum perficere non possent, ad fenestras accedentes, saxa et sagittas in sanctum regem, flexis genibus pro inimicis orantem, magno impetu jaculari non cessarunt, donec lapidum et telorum ictibus, ac tandem lancea confossus, glorioso martyrio, ante altare extensis brachiis procumbens, coronatus est, sedente in Apostolica

Digitized by Google

throno Gregorio Septimo. Multis postea miraculis Martyrem suum illustravit Deus, nam gravi penuria et diversis calamitatibus oppressa Dania, patrati sacrilegii pœnas luit. Plures etiam variis languoribus afflicti, ad ejus tumulum remedium et incolumitatem consecuti sunt. Cumque regina sacrum ejus corpus noctu clam surripere, et alio transferre conaretur, emisso cœlitus ingenti splendore perterrita a proposito cessavit.

In III. Noct. Homilia Quia Dominus ac Redemptor *de Com. 2. loco*, p. 22*.

Pro SS. Mario et Sociis Mart.

Lectio IX.

MARIUS Persa nobili loco natus cum Martha conjuge pari nobilitate, et duobus filiis Audifaco et Abachum, Romam venit, Claudio imperatore, ut Martyrum sepulchra veneraretur. Ibi Christianos in vincula conjectos fovebant, et opera ac facultatibus suis sustentabant, et Sanctorum corpora sepeliebant. Quamobrem comprehensi omnes, cum nec impiorum minis nec terrore commoverentur ut diis sacrificarent, primum fustibus debilitati, deinde funibus attracti, tum admotis candentibus laminis combusti, et ungulis ferreis excarnificati sunt. Postremo præcisis manibus, et ad collum alligatis, ducti per mediam Urbem, via Cornelia ad tertium decimum ab urbe milliarium in eum locum qui Nymphe dicebatur, necantur; ac primum Martha, quæ virum ac filios ad supplicia pro Jesu Christi fide constanter perferenda, vehementer fuerat cohortata: mox cæteris in eadem arenaria cervices abscinduntur, eorumque corpora conjiciuntur in ignem. Quæ semiusta, Felicitas matrona Romana nobilis, colligenda, et in suo prædio sepelienda curavit.

In Laud. comm. SS. Marii et sociorum Martyrum.

Vesperæ de sequenti.

Die 20. SS. Fabiani

ET SEBASTIANI,

Martyrum. *Duplex.*

Oratio.

INFIRMITATEM nostram respice, omnipotens Deus, et quia pondus propriæ actionis gravat, beatorum martyrum tuorum Fabiani et Sebastiani intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum.

Deinde fit comm. S. Canuti.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

FABIANUS Romanus a Maximino usque ad Decium regens Ecclesiam, septem Diaconis regiones divisit, qui pauperum curam haberent. Totidem Subdiaconos creavit, qui res gestas Martyrum a septem Notariis scriptas colligerent. Idem statuit ut quotannis Feria quinta in Cœna Domini, vetere combusto, Chrisma renovaretur. Denique Decimo tertio Kalendas Februarii in persecutione Decii martyrio coronatus, in cœmeterio Callisti via Appia sepelitur, cum sedisset annos quindecim, dies quatuor. Hic fecit ordinationes quinque mense Decembri, quibus creavit Presbyteros viginti duos, Diaconos septem, Episcopos per diversa loca undecim.

Lectio V.

SEBASTIANUS ex patre Narbonensi, matre Mediolanensi natus ob generis nobilitatem et virtutem Diocletiano charus fuit. Dux primæ cohortis, Christianos, quorum fidem clam colebat, opera et facultatibus adjuvabat, et qui ex eis tormentorum vim reformidare videbantur, cohortatione sic confirmabat, ut pro Jesu Christo multi se ultro tortoribus offerrent. In illis fuere Marcus et Marcellianus fratres, qui Romæ in custodia erant apud Nicostratum: cujus uxor Zoe vocem, quam amiserat, Sebastiani oratione recuperavit.

Digitized by Google

Quibus Diocletiano delatis, Sebastianum accersit, et vehementius objurgatum omnibus artificiis a Christi fide conatur avertere. Sed cum nihil nec pollicendo nec terrendo proficeret, ad palum alligatum sagittis configi jubet.

Lectio vj.

QUEM omnium opinione mortuum, noctu sancta mulier Irene sepeliendi gratia jussit auferri; sed vivum repertum, domi suæ curavit. Itaque paulo post, confirmata valetudine, Diocletiano obviam factus, ejus impietatem liberius accusavit. Cujus aspectu cum ille primum obstupuisset, quod mortuum crederet, rei novitate, et acri Sebastiani reprehensione excandescens, eum tamdiu virgis cædi imperavit, donec animam Deo redderet. Ejus corpus in cloacam dejectum, Lucina a Sebastiano in somnis admonita ubi esset, et quo loco humari vellet, ad Catacumbas sepelivit, ubi sancti Sebastiani nomine celebris Ecclesia est ædificata.

In III. Noct. Homilia Adverte omnia diligenter *de Com.* 2. *loco*, p. 37*.

Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 21. S. Agnetis,

Virg. et Mart. *Dupl.*

Quando I. Vesp. dicendæ sunt integræ, Ant. et Capit. de Laud. Psalmi de Dom. loco ult. Laudate Dominum omnes gentes.

Ad Magnif. Ant. Beata Agnes in medio flammarum expansis manibus, orabat: Te deprecor, omnipotens, adorando, colende, Pater metuende, quia per sanctum Filium tuum evasi minas sacrilegi tyranni, et carnis spurcitias immaculato calle transivi: et ecce venio ad te, quem amavi, quem quæsivi, quem semper optavi.

Oratio ut infra in Laudibus.

Deinde fit comm. SS. Fabiani et Sebastiani Mart.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Discede a me, pabulum mortis, quia jam ab alio amatore præventa sum.

Psalm. in I. et II. Noct. de Com. unius Mart.

2. Dexteram meam et collum meum cinxit lapidibus pretiosis, tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas.

3. Posuit signum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam.

℣. Specie tua. ℟. Intende.

Lect. I. Noct. Confitebor tibi Domine *de Com.* 2. *loco*, p. 70*.

℟. *j.* Diem festum sacratissimæ virginis celebremus, qualiter passa sit beata Agnes, ad memoriam revocemus: tertiodecimo ætatis suæ anno mortem perdidit, et vitam invenit: * Quia solum vitæ dilexit auctorem. ℣. Infantia quidem computabatur in annis, sed erat senectus mentis immensa. Quia.

℟. *ij.* Dexteram meam et collum meum cinxit lapidibus pretiosis, tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas: * Et circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis ℣. Posuit signum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam. Et.

℟. *iij.* Amo Christum, in cujus thalamum introibo, cujus mater virgo est, cujus Pater feminam nescit, cujus mihi organa modulatis vocibus cantant: * Quem cum amavero, casta sum; cum tetigero, munda sum; cum accepero, virgo sum. ℣. Annulo fidei suæ subarrhavit me, et immensis monilibus ornavit me. Quem Gloria. Quem.

IN II. NOCTURNO

Ant. 1. Induit me Dominus cyclade auro texta, et immensis monilibus ornavit me.

2. Mel et lac ex ejus ore suscepi, et sanguis ejus ornavit genas meas.

3. Ipsi soli servo fidem, ipsi me tota devotione committo.

℣. Adjuvabit. ℟. Deus in medio.

Digitized by Google

Ex libro S. Ambrosii Episcopi. de Virginibus.

Lectio iv. *Lib. I.*

HODIE natalis est virginis, integritatem sequamur. Natalis est martyris, hostias immolemus. Natalis est sanctæ Agnetis, mirentur viri, non desperent parvuli, stupeant nuptæ, imitentur innuptæ. Sed quid dignum ea loqui possumus, cujus ne nomen quidem vacuum laudis est? Devotio supra ætatem, virtus supra naturam: ut mihi videatur non hominis habuisse nomen, sed oraculum martyris, quod indicavit quid esset futura. Nomen virginis, titulus est pudoris. Appellabo martyrem, prædicavi satis. Prolixa laudatio est, quæ non quæritur, sed tenetur. Nemo est laudabilior, quam qui ab omnibus laudari potest. Quot homines, tot præcones, qui martyrem prædicant, dum loquuntur.

℟. Induit me Dominus vestimento salutis, et indumento lætitiæ circumdedit me: * Et tanquam sponsam decoravit me corona.

℣. Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis. Et.

Lectio v.

HÆC tredecim annorum martyrium fecisse traditur. Quo detestabilior crudelitas, quæ nec minusculæ pepercit ætati: imo magna vis fidei, quæ etiam ab illa testimonium invenit ætate. Fuitne in illo corpusculo vulneri locus? Et quæ non habuit quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret. Hæc inter cruentas carnificum impavida manus, hæc stridentium gravibus immobilis tractibus catenarum, nunc furentis mucroni militis totum offerre corpus, mori adhuc nescia, sed parata: vel si ad aras invita raperetur, tendere Christo inter igues manus, atque in ipsis sacrilegis focis trophæum Domini signare victoris: nunc ferratis colla manusque ambas inserere nexibus; sed nullus tam tenuia membra poterat nexus includere. Novum martyrii genus. Nondum idonea pœnæ, et jam matura victoriæ: certare difficilis, facilis coronari: magisterium virtutis implevit, quæ præjudicium vehebat ætatis.

℟. Mel et lac ex ejus ore suscepi, * Et sanguis ejus ornavit genas meas. ℣. Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi se daturum repromisit. Et.

Lectio vj.

NON sic ad thalamum nupta properaret, ut ad supplicii locum, læta successu, gradu festina virgo processit. Flere omnes, ipsa sine fletu. Mirari plerique quod tam facile vitæ suæ prodiga, quam nondum hauserat, jam quasi perfuncta donaret. Stupere universi quod jam divinitatis testis existeret, quæ adhuc arbitra sui per ætatem esse non posset. Quanto terrore egit carnifex ut timeretur, quantis blanditiis ut suaderet, quantorum vota ut sibi ad nuptias proveniret! At illa: Et hæc sponsi injuria est, inquit, expectare placituram. Qui me sibi prior elegit, accipiet: quid, percussor, moraris? Pereat corpus quod amari potest oculis, quibus nolo. Stetit, oravit, cervicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem, quasi ipse addictus fuisset, tremere percussoris dexteram, pallere ora alieno timentis periculo, cum puella non timeret suo. Habetis igitur in una hostia duplex martyrium, pudoris et religionis. Et virgo permansit, et martyrium obtinuit.

℟. Jam corpus ejus corpori meo sociatum est, et sanguis ejus ornavit genas meas, * Cujus mater virgo est, cujus Pater feminam nescit. ℣. Ipsi sum desponsata: cui Angeli serviunt, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur. Cujus. Gloria. Cujus.

IN III. NOCTURNO.

Ant. I. Cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, ipsi soli servo fidem.

Digitized by Google

Psalm. Domine quis, *p.* 18*.

2. Christus circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis pretiosis.

Psalm. Eructavit, *p.* 65*.

3. Ipsi sum desponsata, cui Angeli serviunt, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur.

Psalm. Deus noster, *p.* 65*.

℣. Elegit. ℟. In tabernaculo.

Homilia Sæpe vos fratres *de Com.* I. *loco*, p. 68*.

℟. *vij.* Ipsi sum desponsata, cui Angeli serviunt, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur: * Ipsi soli servo fidem, ipsi me tota devotione committo. ℣. Dexteram meam et collum meum cinxit lapidibus pretiosis, tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas. Ipsi.

℟. *viij.* Omnipotens, adorande, colende, tremende, benedico te: * Quia per Filium tuum unigenitum evasi minas hominum impiorum, et spurcitias diaboli impolluto calle transivi. ℣. Te confiteor labiis, te corde, te totis visceribus concupisco. Quia. Gloria. Quia.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Ingressa Agnes * turpitudinis locum, Angelum Domini præparatum invenit.

2. Mecum enim habeo * custodem corporis mei, Angelum Domini.

3. Annulo suo * subarrhavit me Dominus meus Jesus Christus, et tanquam sponsam decoravit me corona.

4. Benedico te, Pater Domini mei Jesu Christi, quia per Filium tuum ignis extinctus est a latere meo.

5. Congaudete mecum, * et congratulamini, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi.

Capitulum. Eccli. 51.

CONFITEBOR tibi, Domine Rex, et collaudabo te Deum Salvatorem meum. Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum a perditione.

Ad Bened. Ant. Ecce quod concupivi, jam video; quod speravi, jam teneo: ipsi sum juncta in cœlis, quem in terris posita, tota devotione dilexi.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas, concede propitius, ut qui beatæ Agnetis Virginis et Martyris tuæ solemnia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum.

Ad Tertiam.

Capit. Confitebor, *ut supra.*

℟. *br.* Specie tua. ℣. Adjuvabit eam.

Ad Sextam.

Capitulum Eccli. 51.

LIBERASTI me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui a rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, et de multis tribulationibus quæ circumdederunt me.

℟. *br.* Adjuvabit eam. ℣. Elegit eam.

Ad Nonam.

Capitulum. Eccli. 51.

LAUDABIT usque ad mortem anima mea Dominum, quoniam eruis sustinentes te, et liberas eos de manu angustiæ, Domine Deus noster.

℟. *br.* Elegit eam. ℣. Diffusa est.

In. II. Vesperis

Ant. et Capit de Laud. Psalmi de Dom. loco ult. Lauda Jerusalem, *p.* 93*.

Ad Magnif. Ant. Stans beata Agnes in medio flammæ, expansis manibus orabat ad Dominum: Omnipotens, adorande, colende, tremende, benedico te, et glorifico nomen tuum in æternum.

Deinde fit comm. sequentis.

Digitized by Google

Die 22. SS. Vincentii

ET ANASTASII,

Martyrum. *Semiduplex.*

Oratio.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, ut qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, beatorum martyrum tuorum Vincentii et Anastasii intercessione liberemur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

VINCENTIUS, Oscæ in Hispania citeriore natus; a prima ætate studiis deditus, sacras litteras a Valerio Cæsaraugustano Episcopo didicit: cujus etiam partes suscepit prædicandi Evangelium, quod Episcopus, propter linguæ impedimentum, prædicationis officio fungi non poterat. Ea re ad Dacianum, provinciæ a Diocletiano et Maximiano præpositum, delata, Vincentius Cæsaraugustæ comprehenditur, et vinctus ad Dacianum Valentiam adducitur. Ubi verberibus et equuleo tortus, multis præsentibus, cum nulla aut tormentorum vi, aut acerbitate, vel lenitate verborum a proposito deterreri posset, in craticula impositus, prunis ardentibus suppositis, ac ferreis unguibus excarnificatus, candentibusque laminis exustus, iterum ducitur in carcerem stratum testaceis fragmentis, ut ejus nudum corpus somno oppressum, a subjectis etiam testarum aculeis torqueretur.

Lectio v.

VERUM illo in tenebricosa inclusa custodia, clarissimus splendor obortus totum carcerem illustravit; quæ lux cum summa admiratione omnes, qui aderant, affecisset, res a custode carceris ad Dacianum defertur. Qui eductum in molli culcitra collocat, et quem cruciatibus in suam sententiam trahere non poterat, deliciis perducere conatur. Sed invictus Vincentii animus, Jesu Christi fide speque munitus vicit omnia, et ignis, ferri, tortorum immanitate superata, victor ad cœlestem martyrii coronam advolavit undecimo Kalendas Februarii. Cujus corpus, cum projectum esset inhumatum, corvus et a volucribus et a lupo, unguibus, rostro, alis mirabiliter defendit. Qua re cognita, Dacianus illud in altum mare demergi jubet: sed inde etiam divinitus ejectum ad littus Christiani sepeliunt.

Lectio vj.

ANASTASIUS Persa, monachus Heraclio Imperatore, cum sanctam Jerosolymorum terram visitasset, ad Cæsaream Palæstinæ pro Christi religione vincula et verbera constanter perpessus est. Mox a Persis ob eamdem causam variis cruciatibus affectus, a rege Cosroa una cum septuaginta aliis Christianis securi percutitur. Cujus reliquiæ primum Jerosolymam ad monasterium, in quo monasticam vitam professus erat, deinde Romam delatæ, collocatæ sunt in monasterio ad aquas Salvias.

In III. Noct. Homilia Dominus ac Redemptor *de comm.* I. *loco.*

Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 23. S. Raymundi

DE PEGNAFORT,

Confess. *Semidupl.* (m. t. v.)

Oratio.

DEUS, qui beatum Raymundum pœnitentiæ Sacramenti insignem ministrum elegisti, et per maris undas mirabiliter traduxisti, concede, ut ejus intercessione dignos pœnitentiæ fructus facere, et ad æternæ salutis portum pervenire valeamus. Per Dominum.

Et fit comm. SS. Vincentii et Anastasii.

Deinde S. Emerentianæ Virg. et Mart. Oratio Indulgentiam p. 62*.

Lect. I Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Digitized by Google

Lectio iv.

BEATUS Raymundus Barcinonensis ex nobili familia de Peguafort, Christianæ religionis rudimentis imbutus, adhuc parvulus eximia animi et corporis indole magnum aliquid portendere visus est. Nam adolescens humaniores litteras in patria professus, Bononiam se contulit, ubi pietatis officiis, ac Pontificio Civilique juri sedulo incumbens, et doctoris laurea insignitus, ibidem sacros Canones magna cum hominum admiratione est interpretatus. Ejus virtutum fama percrebrescente, Berengarius BarcinonensisEpiscopus, cum Roma suam ad Ecclesiam rediret, eum conveniendi causa Bononiam iter instituit, et tandem summis precibus, ut secum in patriam reverteretur, obtinuit. Mox ejusdem Ecclesiæ canonicatu et præpositura ornatus, universo Clero et populo, integritate, modestia, doctrina, et morum suavitate præfulsit, ac Deiparæ virginis, quam singulari pietatis affectu venerabatur, honorem, et cultum semper pro viribus auxit.

Lectio v.

ANNUM circiter quintum supra quadragesimum agens, in Ordine Fratrum Prædicatorum solemni emissa professione, ut novus miles, in omni virtutum genere, sed præcipue in charitate erga egenos, et maxime captivos ab infidelibus detentos, se exercuit. Unde cum ejus hortatu sanctus Petrus Nolascus (cujus ipse confessiones audiebat) suas opes plissimo huic operi conferret, tum eidem, tum beato Raymundo, et Jacobo Primo Aragoniæ regi apparens beatissima Virgo, gratissimum sibi, et Unigenito Filio suo fore dixit, si in suum honorem institueretur Ordo Religiosorum, quibus captivos ex infidelium tyrannide liberandi cura incumberet. Quare collatis inter se consiliis, Ordinem beatæ Mariæ de Mercede redemptionis Captivorum fundaverunt; cui beatus Raymundus certas vivendi leges præscripsit ad ejusdem Ordinis vocationem accommodatissimas: quarum approbationem aliquot post annos a Gregorio Nono impetravit, et dictum sanctum Petrum primum Generalem Ordinis magistrum suis ipse manibus habitu eodem indutum creavit.

Lectio vj.

AB eodem Gregorio Romam accersitus, et Capellani, ac Pœnitentiarii, et Confessarii sui munere decoratus, ejusdem jussu Romanorum Pontificum decreta, in diversis Conciliis et Epistolis sparsa, in unum Decretalium volumen redegit. Archiepiscopatum Tarraconensem ab ipso Pontifice sibi oblatum constantissime recusavit, et totius Ordinis Prædicatorum generale Magisterium, quod per biennium sanctissime administraverat, sponte dimisit. Jacobo Aragoniæ regi sacræ Inquisitionis officii suis in regnis instituendi auctor fuit. Multa patravit miracula, inter quæ illud clarissimum, quod ex insula Baleari majori Barcinonem reversurus, strato super aquas pallio, centum sexaginta milliaria sex horis confecerit, et suum cœnobium januis clausis fuerit ingressus. Tandem prope centenarius, virtutibus et meritis cumulatus obdormivit in Domino, anno salutis millesimo ducentesimo septuagesimoquinto. Quem Clemens Octavus in Sanctorum numerum retulit.

In III. Noct. Homilia Sancti Evangelii fratres, *de Com. I. loco.*

Pro S. Emerentiana.

Lectio ix.

EMERENTIANA virgo Romana, collactanea beatæ Agnetis, adhuc catechumena, fide et charitate flagrans, furentes in Christianos idolorum cultores cum vehementius accusaret, a concitata multitudine lapidibus obruta est. Quæ in cruciatibus orans ad sepulchrum sanctæ Agnetis, proprio sanguine, quem pro Christo constanter effudit, baptizata, animam Deo reddidit.

Digitized by Google

In Laud. fit comm. S. Emerentianæ Virg. et Mart.

Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 24. S. Timothei,

Episcopi et Martyris. *Semidupl.*

Oratio.

INFIRMITATEM nostram respice, omnipotens Deus, et quia pondus propriæ actionis gravat, beati Timothei Martyris tui atque Pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum.

Deinde fit comm. S. Raymundi.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

TIMOTHEUS, Lystris in Licaonia natus ex patre Gentili et matre Judæa, Christianam colebat religionem, cum in ea loca venit Paulus Apostolus. Qui fama commotus, quæ de Timothei sanctitate percrebuerat, ipsum adhibuit socium suæ peregrinationis: sed propter Judæos, qui se ad Christum converterant, scientes Timothei patrem esse Gentilem, eum circumcidit. Cum igitur ambo Ephesum venissent, ibi ordinatus est Episcopus ab Apostolo, ut eam Ecclesiam gubernaret.

Lectio v.

AD quem Apostolus duas epistolas scripsit, alteram Laodicea, alteram Roma: quibus in pastoralis officii cura confirmatus, cum sacrificium, quod uni Deo debetur, fieri dæmonum simulacris ferre non posset, populum Ephesinum Dianæ in ejus celebritate immolantem, ab illa impietate removere conatus, lapidibus obrutus est, ac pene mortuus a Christianis ereptus, et in montem oppido vicinum delatus, nono Kalendas Februarii obdormivit in Domino.

Lectio vj. Triumphalis beati *de Com.* I. *loco, cum* ℟. vj.

In III. Noct. Homilia Si consideremus fratres *de Com. I. loco p.* 19*.

Vesperæ de sequenti.

Die 25. in Conversione

SANCTI PAULI,

Apost. *Duplex majus.*

Ad II. Vesperas.

Ant. et Capit. de Laud. Psalm. de Dom. loco ult. Laudate Dominum omnes gentes.

HYMNUS.

EGREGIE Doctor Paule, mores instrue,
Et nostra tecum pectora in cœlum trahe:
Velata dum meridiem cernat fides,
Et solis instar sola reguet charitas.
Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque jubilatio,
In unitate quæ gubernat omnia,
Per universa æternitatis sæcula.
Amen.

℣. Tu es vas electionis, sancte Paule Apostole.

℟. Prædicator veritatis in universo mundo.

Ad Magnif. Ant. Vade, Anania, et quære Saulum: ecce enim orat: quia vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram Gentibus, et regibus, et filiis Israel.

Oratio ut infra in Laudibus.

Et fit comm. S. Petri, ut ibi; deinde S. Timothei Mart.

Ad Matutinum.

Invit. Laudemus Deum nostrum, * in Conversione Doctoris Gentium.

Hymnus Egregie, *ut supra.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Qui operatus est Petro in Apostolatum, operatus est et mihi inter Gentes: et cognoverunt gratiam, quæ data est mihi a Christo Domino.

2. Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem, justus judex.

3. Mihi vivere Christus est, et mori lucrum: gloriari me oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi.

℣. In omnem terram. ℟. Et in fines.

De Actibus Apostolorum.

Digitized by Google

Lectio j. Cap. 9.

SAULUS adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas; ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. Et cum iter faceret, contigit ut approqinquaret Damasco, et subito circumfulsit eum lux de cœlo. Et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris? Qui dixit: Quis es, Domine? Et ille: Ego sum Jesus, quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare.

℟. Qui operatus est Petro in Apostolatum, operatus est et mihi inter Gentes: * Et cognoverunt gratiam Dei, quæ data est mihi. ℣. Gratia Dei in me vacua non fuit, sed gratia ejus semper in me manet. Et.

Lectio ij.

ET tremens ac stupens, dixit: Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eum: Surge, et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum. Et erat ibi tribus diebus non videns, et non manducavit, neque bibit.

℟. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: * Ideoque reposita est mihi corona justitiæ. ℣. Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem. Ideoque.

Lectio iij.

ERAT autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias; et dixit ad illum in visu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego, Domine. Et Dominus ad eum: Surge, et vade in vicum qui vocatur Rectus, et quære in domo Judæ Saulum nomine Tarsensem: ecce enim orat. (Et vidit virum, Ananiam nomine, introeuntem, et imponentem sibi manus ut visum recipiat.) Respondit autem Ananias: Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Jerusalem: et hic habet potestatem a principibus sacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus, et regibus, et filiis Israel. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

℟. Reposita est mihi corona justitiæ, * Quam reddet mihi Dominus in illum diem, justus judex. ℣. Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem. Quam. Gloria. Quam.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. Tu es vas electionis, sancte Paule Apostole, prædicator veritatis in universo mundo.

2. Magnus sanctus Paulus vas electionis, vere digne est glorificandus, qui et meruit thronum duodecimum possidere.

3. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.

℣. Constitues eos. ℟. Memores erunt.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 14. *de Sanctis.*

Lectio iv.

HODIE nobis de Actibus Apostolorum lectio hæc pronuntiata est, ubi Paulus Apostolus ex persecutore Christianorum, annuntiator factus est Christi. Prostravit enim Christus persecutorem, ut faceret Ecclesiæ doctorem: percutiens eum et sanans, occidens et vivificans: occisus Agnus a lupis, et faciens agnos de lupis. Ita enim in præclara prophetia, cum Jacob Patriarcha benediceret filiis suis (præsentes tangens, futura pro-

Digitized by Google

spiciens) prædictum erat, quod in Paulo contigit. Erat autem Paulus, sicut ipse testatur, de tribu Benjamin. Cum autem Jacob benedicens filios suos, venisset ad benedictionem Benjamin, ait de illo: Benjamin lupus rapax.

℟. Tu es vas electionis, sancte Paule Apostole, prædicator veritatis in universo mundo: * Per quem omnes gentes cognoverunt gratiam Dei. ℣. Intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit. Per.

Lectio v.

QUID ergo? lupus rapax semper? Absit; sed qui mane rapit prædam, ad vesperam dividit escas. Hoc in Apostolo Paulo impletum est, quia et de illo dictum erat. Jam, si placet, audiamus illum mane rapientem, et ad vesperam escas dividentem. Mane et vespere posita sunt pro eo, ac si diceretur, prius et postea. Sic ergo accipiamus: Prius rapiet, postea dividet escas. Attendite raptorem: Saulus, inquit, acceptis epistolis a principibus sacerdotum, ibat, ut ubicumque inveniret Christianos, ad sacerdotes attraheret et adduceret, utique puniendos.

℟. Gratia Dei sum id quod sum: * Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed semper in me manet.

℣. Qui operatus est Petro in Apostolatum, operatus est et mihi inter Gentes. Et.

Lectio vj.

IBAT spirans et anhelans cædes, hoc est, mane rapiens. Nam et quando lapidatus est Stephanus primus martyr pro nomine Christi, evidentius aderat et Saulus, et sic aderat lapidantibus, ut non ei sufficeret si tantum suis manibus lapidaret. Ut enim esset in omnium lapidantium manibus, ipse omnium vestimenta servabat: magis sæviens omnes adjuvando, quam suis manibus lapidando. Audivimus, mane rapiet; videamus ad vesperam qualiter dividat escas. Voce Christi prostratus de cælo, et accipiens desuper interdictum jam sæviendi, cecidit in faciem suam, prius prosternendus, postea erigendus; prius percutiendus, postea sanandus.

℟. Saulus, qui et Paulus, magnus prædicator, * A Deo confortatus convalescebat, et confundebat Judæos. ℣. Ostendens quia hic est Christus Filius Dei. A Deo. Gloria. A Deo.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. Saulus, qui et Paulus, magnus prædicator, a Deo confortatus convalescebat, et confundebat Judæos.

2. Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus sanatæ qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogavi, ut auferretur a me; et dixit mihi Dominus: Sufficit tibi, Paule, gratia mea.

3. Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex.

℣. Nimis honorati sunt. ℟. Nimis confortatus est.

In III. Noct. Homilia Perfectus ille est de *Com.* 2, *loco*, p. 11*.

℟. vij. Sancte Paule Apostole, prædicator veritatis, et doctor Gentium, * Intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit, ut digni efficiamur gratia Dei. ℣. Tu es vas electionis, sancte Paule Apostole, prædicator veritatis. Intercede.

℟. viij. Damasci, præpositus gentis Aretæ regis voluit me comprehendere: * Et a fratribus per murum demissus sum in sporta; * Et sic evasi manus ejus in nomine Domini. ℣. Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi scit quia non mentior. Et a. Gloria. Et sic.

Ad Laudes

et per Horas, *Antiphonæ*.

1. Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit, alleluia.

2. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.

itized by Google

3. Gratia Dei in me vacua non fuit, sed gratia ejus semper in me manet.

4. Damasci, præpositus gentis Aretæ regis voluit me comprehendere; a fratribus per murum demissus sum in sporta, et sic evasi manus ejus in nomine Domini.

5. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium pertuli pro Christi nomine.

Capitulum. Act. 9.

SAULUS adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas, ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem.

℣. Tu es vas electionis, sancte Paule Apostole. ℟. Prædicator veritatis in universo mundo.

Ad Bened. Ant. Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israel, dicit Dominus.

Oratio.

DEUS, qui universum mundum beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti, da nobis, quæsumus, ut qui ejus hodie Conversionem colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

Et fit commemoratio S. Petri. Ant. Tu es pastor ovium, princeps Apostolorum, tibi traditæ sunt claves regni cœlorum.

℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Oratio.

DEUS, qui beato Petro Apostolo tuo, collatis clavibus regni cœlestis, ligandi atque solvendi pontificium tradidisti, concede, ut intercessionis ejus auxilio a peccatorum nostrorum nexibus liberemur. Qui vivis.

Ad Tertiam.

Capit. Saulus adhuc spirans.

℟. *br.* In omnem terram. ℣. Constitues eos.

Ad Sextam.

Capitulum. Act. 9.

SURREXIT autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum. Et erat ibi tribus diebus non videns, et non manducavit, neque bibit.

℟. *br.* Constitues eos. ℣. Nimis honorati sunt.

Ad Nonam.

Capitulum. Act. 9.

SAULUS autem multo magis convalescebat, et confundebat Judæos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus.

℟. *br.* Nimis honorati sunt. ℣. Annuntiaverunt.

In II. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. Psalmi ut in II. Vesp. Apost. Hymnus et ℣. ut supra in I. Vesperis.

Ad Magnif. Ant. Sancte Paule Apostole, prædicator veritatis, et Doctor Gentium, intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit.

Et fit comm. S. Petri, ut in Laudibus; deinde sequentis.

Die 26. S. Polycarpi, Episc. et Mart. *Semiduplex.*

Oratio.

DEUS, qui nos beati Polycarpi Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate lætificas, concede propitius, ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro S. Hieronymi Presbyteri de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Lectio IV.

POLYCARPUS Joannis Apostoli discipulus, et ab eo Smyrnæ E-

Digitized by Google

piscopus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit, quippe qui nonnullos Apostolorum, et eorum qui viderant Dominum, magistros habuerit, et viderit. Hic propter quasdam super die Paschæ quæstiones, sub Imperatore Antonino Pio, Ecclesiam in Urbe regente Aniceto, Romam venit: ubi plurimos credentium, Marcionis et Valentini persuasione deceptos, reduxit ad fidem. Cumque ei fortuito obviam fuisset Marcion, et diceret: Cognoscis nos? respondit: Cognosco primogenitum diaboli. Postea vero, regnante Marco Antonino et Lucio Aurelio Commodo, quarta post Neronem persecutione, Smyrnæ sedente Proconsule, et universo populo in amphitheatro adversus eum personante, igni traditus est. Scripsit ad Philippenses valde utilem epistolam, quæ usque hodie in Asiæ conventu legitur.

Lectio v. *et* vj. Principes persecuti sunt *de Com.* 2. *loco*, p. 21* *cum* ℣. v. *et* vj.

In III. Noct. Homilia Dominus diem judicii *de eodem Com.* 3. *loco*, p. 22*.

Vesperæ de sequenti.

Die 27. S. J. Chrysostomi,

Episc. Conf. et Eccl. Doct.

Duplex. (m. t. v.)

In utrisq. Vesp. Ant. O Doctor.

Oratio.

ECCLESIAM tuam, quæsumus, Domine, gratia cœlestis amplificet, quam beati Joannis Chrysostomi Confessoris tui atque Pontificis illustrare voluisti gloriosis meritis et doctrinis. Per Dominum.

Deinde fit comm. S. Policarpi.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JOANNES Antiochenus, propter aureum eloquentiæ flumen cognomento Chrysostomus, a forensibus et sæcularibus studiis ad divinas litteras summa cum ingenii et industriæ laude se contulit. Itaque sacris initiatus, ac presbyter Antiochenæ Ecclesiæ factus, mortuo Nectario, Arcadii Imperatoris opera, invitus Constantinopolitanæ Ecclesiæ præficitur. Quo suscepto pastorali munere, depravatos mores, et nobiliorum hominum vivendi licentiam vehementius objurgare cæpit. Qua ex libertate magnam multorum subiit invidiam. Apud Eudoxiam etiam, quod eam propter Callitropæ viduæ pecuniam, et alterius viduæ agrum reprehendisset, graviter offendit.

Lectio v.

QUARE aliquot Episcoporum acto Chalcedone conventu, quo ipse vocatus ire noluit, quod nec legitimum concilium, nec publicum esse diceret, nitente in primis ipsa contra Chrysostomum Eudoxia, ejicitur in exilium: sed paulo post propter ejus desiderium seditione populi facta, admirabili civitatis plausu ab exilio revocatur. Verum cum perditos mores increpare non desisteret, et ad argenteam Eudoxiæ statuam in foro sanctæ Sophiæ ludos fieri prohiberet, conspiratione inimicorum Episcoporum iterum exulare cogitur, viduis et egentibus omnibus communis parentis ejectionem lugentibus. In exilio Chrysostomus incredibile est et quanta mala perpessus sit, et quam multos ad Jesu Christi fidem converterit.

Lectio vj.

VERUM dum Concilio Romæ habito, decreto Innocentii Primi Pontificis restituitur, a militibus, qui eum custodiebant, miris in itinere malis et calamitatibus afficitur. Cumque per Armeniam duceretur, sanctus Basiliscus martyr, in cujus templo antea oraverat, noctu sic eum affatus est: Joannes frater, crastinus dies nos loco conjunget. Quare postridie, sumpto Eucharistiæ Sacramento, seque crucis signo muniens, animam Deo reddidit decimo octavo Kalendas Octobris. Quo mortuo, horribilis grando Constantinopoli cecidit,

et quatriduo Augusta cessit e vita. Ejus corpus insigni pompa et hominum multitudine celebratum, Theodosius Arcadii filius Constantinopolim portandum, et honorifice sepeliendum curavit sexto Kalendas Februarii; cujus etiam reliquias veneratus, parentum suorum veniam petiit: quod deinde Romam translatum, in Basilica Vaticana canditum est. Multitudinem, pietatem, ac splendorem concionum, cæterorumque ejus scriptorum; interpretandi etiam rationem, et inhærentem sententiæ sacrorum librorum explanationem omnes admirantur, dignumque existimant, cui Paulus Apostolus, quem ille mirifice coluit, scribenti et prædicanti multa dictasse videatur.

In III. Noct. Homilia Attendite quid dixerit *pro Doct.* 3. *loco*, p. 50*.

In II. Vesp. comm. sequentis.

Die 28. S. Agnetis,

Virginis et Martyris *Secundo.*

Ant. Stans a dextris ejus agnus nive candidior, Christus sibi sponsam et martyrem consecravit.

℣. Specie tua. ℟. Intende.

Oratio.

DEUS, qui nos annua beatæ Agnetis Virginis et Martyris tuæ solemnitate lætificas, da, quæsumus, ut quam veneramur officio, etiam piæ conversationis sequamur exemplo. Per Dominum.

Ad Matut. Invit. et Hymnus de Communi.

Nocturnum Feriæ occ. ℣. et duo ℟℟. ex Nocturnis Festi, eo ordine quo sumuntur ℟℟. ex Communibus SS. in aliis Festis simpl.

Lectio iij.

BEATA Agnes, parentibus ad ejus sepulchrum assidue vigilantibus, quadam nocte choro virginum comitata cum apparuisset, sic ad eos locuta dicitur: Ne me, parentes, mortuam lugeatis; nam una cum his virginibus vivo apud illum in cœlis, quem in terris tota mente dilexi. Cum aliquot post annos Constantia, Constantini Imperatoris filia, insanabili ulceri medicinam quærens, nondum Christiana ad idem sepulchrum accessisset, obdormiscens sibi audire visa est vocem hanc Agnetis: Constanter age, Constantia: crede in Jesum Christum Filium Dei, qui te sanam faciet. Quæ sanata, paulo post una cum multis ex familia Imperatoris baptismum suscipiens, ibi Ecclesiam nomine beatæ Agnetis ædificavit.

Ad Laud. et Horas Ant. et reliqua ut in die festo præter Orationem, et post Nonam nihil amplius fit de ea.

Die 29. S. Francisci Salesii,

Episc. et Conf. *Duplex.* (m. t. v.)

Oratio.

DEUS, qui ad animarum salutem beatum Franciscum Confessorem tuum atque Pontificem omnibus omnia factum esse voluisti, concede propitius, ut charitatis tuæ dulcedine perfusi, ejus dirigentibus monitis, ac suffragantibus meritis, æterna gaudia consequamur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

FRANCISCUS in Oppido Salesio, unde familiæ cognomen, piis et nobilibus parentibus natus, a teneris annis futuræ sanctitatis indicia præbuit, morum innocentia et gravitate. Adolescens liberalibus disciplinis eruditus, mox Philosopihæ ac Theologiæ Parisiis operam dedit, et ne quid sibi deesset ad animi culturam, juris utriusque lauream summa cum laude Patavii obtinuit. In sacra æde Lauretana perpetuæ virginitatis votum, quo pridem Parisiis se obstrinxerat, innovavit. A cujus virtutis proposito nullis unquam dæmonum fraudibus, nullis sensuum illecebris potuit dimoveri.

Lectio v.

RECUSATA in Sabaudiæ Senatu amplissima dignitate, Clericali

Digitized by Google

militiæ nomen dedit : tum Sacerdotio initiatus, et Genevensis Ecclesiæ præposituram adeptus, ejus muneris partes adeo perfecte explevit, ut eum Granerius Episcopus vindicandis ab hæresi Calviniana Chaballicensibus, aliisque Genevæ finitimis populis, divini verbi præconem destinarit. Quam expeditionem alacri animo suscipiens, asperrima quæque perpessus est, sæpe ab hæreticis conquisitus ad necem, variisque calumniis et insidiis vexatus. Sed inter tot discrimina et agones, insuperabilis ejus constantia semper enituit ; Deique ope protectus septuaginta duo millia hæreticorum ad Catholicam fidem reduxisse dicitur, inter quos multi nobilitate, et doctrina insignes numerantur.

Lectio vj.

MORTUO Granerio, qui eum sibi Coadjutorem decerni curaverat, Episcopus consecratus, sanctitatis suæ radios circumquaque diffudit, zelo Ecclesiasticæ disciplinæ, pacis studio, misericordia in pauperes, omnique virtute conspicuus. Ad divini cultus augmentum, novum Ordinem sanctimonialium instituit, a Visitatione beatæ Virginis nuncupatum, sub regula sancti Augustini, cui addidit constitutiones sapientia, discretione, et suavitate mirabiles. Suis etiam scriptis cœlesti doctrina refertis Ecclesiam illustravit, quibus iter ad Christianam perfectionem tutum et planum demonstrat. Annum denique agens quinquagesimum quintum, dum e Gallia Annesium regreditur, post Sacrum in die sancti Joannis Evangelistæ Lugduni celebratum, gravi morbo correptus, sequenti die migravit in cœlum, anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo secundo. Ejus corpus Annesium delatum, in Ecclesia monialium dicti Ordinis honorifice conditum fuit, cœpitque statim miraculis clarescere. Quibus rite probatis ab Alexandro Septimo Pontifice Maximo in Sanctorum numerum relatus est, assignata ejus festivitati die vigesima nona Januarii.

In III. Noct. Homilia Lectio sancti Evangelii *de Com. I. loco.*

In II. Vesp. comm. sequentis.

Die 30. S. Martinæ,

Virg. et Mart. *Semid.*

In I. vel II. Vesp. quando dicendæ sunt, dicitur Hymnus Martinæ celebri *usque ad* Quærit præmia, *et in fine* A nobis abigas. *Ad Matutinum autem incipitur tantum a* Non illam *usque in finem.*

Oratio.

DEUS, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti, concede propitius, ut qui beatæ Martinæ Virginis et Martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

Ad Matutinum.

HYMNUS.

MARTINÆ celebri plaudite nomini,
Cives Romulei, plaudite gloriæ :
Insignem meritis dicite virginem,
Christi dicite martyrem.
Hæc dum conspicuis orta parentibus
Inter delicias, inter amabiles
Luxus illecebras, ditibus affluit
Fauste muneribus domus :
Vitæ despiciens commoda, dedicat
Se rerum Domino, et munifica manu,
Christi pauperibus distribuens opes,
Quærit præmia Cœlitum.

NON illam crucians ungula, non feræ,
Non virgæ horribili vulnere commovent :
Hinc lapsi e Superum sedibus Angeli
Cœlesti dape recreant.
Quin et deposita sævitie leo
Se rictu placido projicit ad pedes :
Te, Martina, tamen dans gladius [illegible]ecti
Cœli cœtibus inserit.
Te thuris redolens ara vaporibus

Quæ fumat, precibus jugiter invocat,
Et falsum perimens auspicium, tui
Delet nominis omine.
A nobis abigas lubrica gaudia
Tu, qui Martyribus dexter ades, Deus
Une et Trine: tuis da famulis jubar,
Quo clemens animos beas.
Amen.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

MARTINA virgo Romana, patre consulari, illustri genere nata, teneris adhuc annis orbata parentibus, Christianæ pietatis ardore succensa, divitias, quibus affluebat, mira in pauperes liberalitate distribuit. Sub Alexandro Principe, cum deos omnes colere juberetur, immane facinus summa libertate detestatur. Quapropter iterum atque iterum affecta verberibus, uncis, ungulis ferreis, testarum fragmentis lacerata, acutissimis gladiis membratim concisa, adipe ferventi peruncta, demum in amphiteatro damnatur ad bestias: a quibus illæsa divinitus evadens, in ardentem rogum injecta, incolumis pari beneficio servatur.

Lectio v.

EX ejus tortoribus nonnulli, miraculi novitate correpti, Dei aspirante gratia, Christi fidem amplexi, post cruciatus gloriosam martyrii palmam capitis abscissione promeruere. Ad ejusdem preces nunc terræmotibus exortis, nunc ignibus e cælo tonante delapsis, deorum templa prostrata sunt, et simulacra consumpta. Interdum ex vulneribus lac cum sanguine erupit, splendorque nitidissimus, ac suavissimus odor e corpore emanavit: interdum sublimis regia in sede divinis laudibus una cum Cælitibus interesse visa est.

Lectio vj.

HISCE prodigiis, ejusque in primis constantia, acriter permotus Judex, caput virgini amputari præcepit. Qua perempta, auditaque de cœlo voce, qua ad Superos evocabatur, Urbs tota contremuit, ac multi idolorum cultores ad Christi fidem conversi sunt. Sacrum Martinæ corpus, sedente sancto Urbano Primo, martyrio affectum, Urbano Octavo Pontifice Maximo, in pervetusta ejusdem Ecclesia, ad Mamertinum carcerem, in Capitolini clivi radicibus, cum sanctorum martyrum Concordii, Epiphanii, et sociorum corporibus repertum, eodem loco in meliorem formam redacto, atque decentius ornato, magno populi concursu, totius Urbis lætitia, solemni ritu ac pompa repositum est.

In III. Noct. Homilia Sæpe vos fratres *de Com. I. loco.*

Ad Laudes.

HYMNUS.

TU natale solum protege, tu bone
Da pacis requiem Christiadum plagis,
Armorum strepitus, et fera prælia
In fines age Thracios.
Et regum socians agmina sub crucis
Vexillo, Solymas nexibus eximе,
Vindexque innocui sanguinis, hosticum
Robur funditus erue.
Tu nostrum columen, tu decus inclytum,
Nostrarum obsequium respice mentium:
Romæ vota libens excipe, quæ pio
Te ritu canit, et colit.
A nobis abigas lubrica gaudia
Tu, qui Martyribus dexter ades Deus
Une et Trine: tuis da famulis jubar,
Quo clemens animos beas.
Amen.

Vesperæ de sequenti.

Die 31. S. Petri Nolasci,

Confess. *Duplex.* (m. t. v.)

Oratio.

DEUS, qui in tuæ charitatis exemplum, ad fidelium redemptio-

Digitized by Google

nem sanctum Petrum Ecclesiam tuam nova prole fœcundare divinitus docuisti, ipsius nobis intercessione concede, a peccati servitute solutis, in cœlesti patria perpetua libertate gaudere. Qui vivis.

Deinde fit comm. S. Martinæ.
Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PETRUS Nolascus, Recaudi prope Carcassonam in Gallia nobili genere natus, singulari erga proximum charitate excelluit. Cujus virtutis præsagium fuit, quod cum adhuc in cunabulis vagiret infans, examen apum ad eum convolavit, et favum mellis in ejus dextera construxit. Adolescens parentibus orbatus, Albigensium hæresim, quæ tunc in Gallia grassabatur, execrans, divendito patrimonio, in Hispaniam secessit, et apud beatam Virginem Montis Serrati votum, quo pridem se obstrinxerat, exolvit. Tum Barcinonam pergens, cum Christi fidelibus ab hostium servitute redimendis omnem pecuniam consumpsisset, se ipsum pro iis liberandis venumire, aut in illorum vincula suffici cupere dictitabat.

Lectio v.

QUAM gratum Deo fuerit hoc sancti viri desiderium, subsequens declaravit eventus. Nam noctu oranti, et de Christianorum in captivitate degentium subsidio multa animo volventi beata Virgo apparens, Filio suo sibique acceptissimum fore suggessit, si ad sui honorem Religiosorum Ordo institueretur, quibus præcipue esset cura captivos ab infidelium tyrannide liberare. Huic cœlesti monito illico obtemperans, una cum sancto Raymundo de Pegnafort, et Jacobo Primo rege Aragoniæ de eadem re a Dei Genitrice ipsa nocte præmonitis, Religionem beatæ Mariæ de Mercede redemptionis Captivorum instituit, sodalibus suis quarto voto obstrictis manendi in pignus sub Paganorum potestate, si pro Christianorum liberatione opus fuerit.

Lectio vj.

EDITO virginitatis voto, illibatam perpetuo castitatem servavit. Patientia, humilitate, abstinentia, cæterisque virtutibus mirabiliter enituit. Prophetiæ dono illustris, futura prædixit; inter quæ maxime celebratur, quod Jacobus rex Valentiam a Mauris occupatam expugnaverit, accepta prius ab eo obtinendæ victoriæ securitate. Angeli Custodis, ac Deiparæ virginis frequenti apparitione recreabatur. Senio tandem confectus, de imminenti morte certior factus, in morbum incidit, sanctisque refectus Sacramentis, fratres suos ad charitatem erga captivos cohortatus, et psalmum, Confitebor tibi Domine in toto corde meo, devotissime recitans, ad illa verba, Redemptionem misit Dominus populo suo, spiritum Deo reddidit, media nocte Vigiliæ Nativitatis Domini, anno millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto. Cujus festivitatem Alexander Septimus die trigesima prima Januarii celebrari præcepit.

In III. Noct. Homilia Pusillum gregem electorum *de Com. 2. loco*, p. 60*.

In II. Vesp. comm. sequentis.

FESTA FEBRUARII.

Prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum.

die 1. S. Ignatii,

Episc. et Mart. *Semiduplex.*

Oratio. Infirmitatem p. 14*.
Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro S. Hieronymi Presbyteri de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Lectio iv.

IGNATIUS Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum Episcopus, commovente persecutionem Trajano, damnatus ad bestias,

Digitized by Google

Romam vinctus mittitur. Cumque navigans Smyrnam venisset, ubi Polycarpus auditor Joannis, Episcopus erat, scripsit unam epistolam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos; tertiam ad Trallenses, quartam ad Romanos: et inde egrediens scripsit ad Philadelphios, et ad Smyrnæos, et propriam ad Polycarpum, commendans illi Antiochensem Ecclesiam: in qua et de Evangelio, quod nuper a me translatum est, super persona Christi ponit testimonium.

Lectio v.

DIGNUM autem videtur, quia tanti viri fecimus mentionem, et de epistola ejus, quam ad Romanos scribit, pauca ponere. De Syria usque ad Romam pugno ad bestias in mari et in terra, nocte dieque ligatus cum decem leopardis, hoc est militibus, qui me custodiunt; quibus et cum benefeceris, pejores fiunt. Iniquitas autem eorum mea doctrina est, sed non idcirco justificatus sum. Utinam fruar bestiis, quæ mihi sunt præparatæ: quas et oro mihi veloces esse ad interitum, et ad supplicia, et allici ad comedendum me, ne sicut et aliorum Martyrum, non audeant corpus attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me urgebo, ut devorer. Ignoscite mihi, filioli: quid mihi prosit, ego scio.

Lectio vj.

NUNC incipio Christi esse discipulus, nihil de his, quæ videntur, desiderans, ut Jesum Christum inveniam. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, et totius corporis contritio, et tota tormenta diaboli in me veniant: tantum ut Christo fruar. Cumque jam damnatus esset ad bestias, et ardore patiendi rugientes audiret leones, ait: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar. Passus est anno undecimo Trajani. Reliquiæ corporis ejus Antiochiæ jacent extra portam Daphniticam, in cœmeterio.

In III. Noct. Homilia Ipse Dominus Jesus *ut in die* 10. *Aug.*, *cum* j. vij. *et* viij. *de Com.*

Vesp. de seq. sine comm. præc.

Die 2. in Purificatione

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Duplex 2. *Classis.*

Si hoc Festum inciderit in aliquam Dom. privilegiatam, transfertur in Feriam ij. *tanquam in sedem propriam, translato quocumque Festo etiam æqualis, non tamen altioris ritus.*

Ad I. Vesperas.

Ant. 1. O Admirabile commercium! Creator generis humani animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est; et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem.

Psalmi et alia hic non propria, ut in festis B. M. V., p. 94*.

2. Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ: sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum: te laudamus, Deus noster.

3. Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem: Dei genitrix, intercede pro nobis.

4. Germinavit radix Jesse, orta est stella ex Jacob, Virgo peperit Salvatorem: te laudamus, Deus noster.

5. Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns, exclamavit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, alleluia.

Capitulum. Malach. 3.

ECCE ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.

℣. Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto. ℟. Non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.

Digitized by Google

Ad Magnif. Ant. Senex puerum portabat, puer autem senem regebat: quem virgo peperit, et post partum virgo permansit, ipsum, quem genuit, adoravit.

Oratio ut infra in Laudibus.

Ad Matutinum.

Invit. Ecce venit ad templum sanctum suum Dominator Dominus: * Gaude et lætare, Sion, occurrens Deo tuo.

IN I. NOCTURNO.

De libro Exodi.

Lectio j. Cap. 13.

LOCUTUS est Dominus ad Moysen, dicens: Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus, quam de jumentis: mea enim sunt omnia. Et ait Moyses ad populum: Cum introduxerit te Dominus in terram Chananæi, sicut juravit tibi et patribus tuis, et dederit tibi eam, separabis omne quod aperit vulvam, Domino, et quod primitivum est in pecoribus tuis; quidquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino. Primogenitum asini mutabis ove: quod si non redemeris, interficies. Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis pretio redimes.

℟. Adorna thalamum tuum, Sion, et suscipe Regem Christum, * Quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum, quem genuit, adoravit. ℣. Accipiens Simeon puerum in manibus, gratias agens benedixit Dominum. Quem.

De libro Levitici.

Lectio ij. Cap. 12.

LOCUTUS est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israel, et dices ad eos: Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, juxta dies separationis menstruæ. Et die octavo circumcidetur infantulus: ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ. Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, juxta ritum fluxus menstrui, et sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ.

℟. Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino: * Sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. ℣. Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum. Sicut.

Lectio iij.

CUMQUE expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio sive pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ sive turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonii, et tradet sacerdoti, qui offeret illa coram Domino, et orabit pro ea, et sic mundabitur a profluvio sanguinis sui. Ista est lex parientis masculum aut feminam. Quod si non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccato; orabitque pro ea sacerdos, et sic mundabitur.

℟. Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum, * Sicut scriptum est in lege Domini. ℣. Postquam autem impleti sunt dies purgationis Mariæ, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Sicut. Gloria. Sicut.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Lectio iv. *Serm.* 13. *de Temp.*

SIC olim prædictum est: Mater-Sion dicit: Homo et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus. O omnipotentia nascentis! o magnificentia de cœlo ad terram descendentis! Adhuc in utero portabatur, et

Digitized by Google

ex utero matris a Joanne Baptista salutabatur. In templo præsentabatur et a Simeone sene, famoso, annoso, probato, coronato agnoscebatur. Tunc cognovit tunc adoravit, tunc dixit: Nunc, Domine, dimittis servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.

℟. Simeon justus et timoratus expectabat redemptionem Israel: * Et Spiritus sanctus erat in eo. ℣. Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini. Et.

Lectio v.

DIFFEREBATUR exire de sæculo, ut videret natum, per quem conditum est sæculum. Agnovit infantem senex, factus est in puero puer. Innovatus in ætate, qui plenus erat pietate. Simeon senex ferebat Christum infantem, Christus regebat Simeonis senectutem. Dictum ei fuerat a Domino quod non gustaret mortem, nisi videret Christum Domini natum. Natus est Christus, et impletum est desiderium senis in mundi ipsius senectute. Ipse ad senem hominem venit, qui mundum inveteratum invenit.

℟. Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini: * Et benedixit Deum, et dixit: Nunc dimittis servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, Domine. ℣. Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo: ipse accepit eum in ulnas suas. Et.

Lectio vj.

IN isto quidem sæculo diu esse nolebat, et Christum in hoc sæculo videre cupiebat, cantans cum Propheta, et dicens: Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis. Denique, ut noveritis ita esse istius lætitiam, conclusit, dicens: Nunc dimittis servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum. Prophetæ ceciderunt Conditorem cœli et terræ in terra cum hominibus futurum: Angelus nuntiavit Creatorem carnis et spiritus in carne venturum: salutavit Joannes ex utero in utero Salvatorem: Simeon senex Deum agnovit infantem.

℟. Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus in templum, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, accepit eum Simeon in ulnas suas, et benedixit Deum, dicens: * Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace. ℣. Suscipiens Simeon puerum in manibus, exclamavit, dicens. Nunc. Gloria. Nunc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo tempore: Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 2. Comm. in Lucæ c. 2.

ET ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, expectans consolationem Israel. Non solum ab Angelis, et Prophetis, et a pastoribus, sed etiam a senioribus et justis generatio Domini accepit testimonium. Omnis ætas, et uterque sexus, eventorumque miracula fidem astruunt. Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elisabeth prophetat, Magus adorat, utero clausus exultat, vidua confitetur, justus expectat.

℟. Suscipiens Jesum in ulnas suas Simeon, exclamavit et dixit: * Tu es vere lumen ad illuminationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel. ℣. Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit. Tu.

Digitized by Google

Benèd. Cujus.... ipsa Virgo virginum.

Lectio viij.

ET bene justus, qui non suam, sed populi gratiam requirebat, cupiens ipse corporeæ vinculis fragilitatis exolvi, sed expectans videre promissum : sciebat enim quia beati oculi qui eum viderent. Et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit : Nunc dimitte servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Vide justum, velut corporeæ carcere molis inclusum, velle dissolvi, ut incipiat esse cum Christo. Dissolvi enim, et cum Christo esse multo melius est.

℟. Senex puerum portabat, puer autem senem regebat : * Quem virgo concepit, virgo peperit ; virgo post partum, quem genuit, adoravit. ℣. accipiens Simeon puerum in manibus, gratias agens benedixit Dominum. Quem. Gloria. Quem.

Lectio ix.

SED qui vult dimitti, veniat in templum, veniat in Jerusalem, expectet Christum Domini, accipiat in manibus Verbum Dei, complectatur operibus velut quibusdam suæ fidei brachiis : tunc dimittetur, ut non videat mortem, qui viderit vitam. Vides uberem in omnes gratiam, Domini generatione diffusam, et prophetiam incredulis negatam esse, non justis. Ecce et Simeon prophetat in ruinam et resurrectionem plurimorum venisse Dominum Jesum Christum : ut justorum iniquorumque merita discernat, et pro nostrorum qualitate factorum, judex verus et justus aut supplicia deceroat, aut præmia.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Simeon justus et timoratus expectabat redemptionem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo.

2. Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Dominum.

3. Accipiens Simeon puerum in manibus, gratias agens benedixit Dominum.

4. Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.

5. Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum.

Capitulum. Malach. 3.

ECCE ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Bened. Ant. Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, accepit eum Simeon in ulnas suas, et benedixit Deum, dicens : Nunc dimittis servum tuum in pace.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, majestatem tuam supplices exoramus, ut sicut unigenitus Filius tuus hodierna die cum nostræ carnis substantia in templo est præsentatus, ita nos facias purificatis tibi mentibus præsentari. Per eumdem.

Ad Tertiam.

Capit. Ecce ego mitto, *ut supra.*

℟. *br.* Specie tua. ℣. Adjuvabit eam.

Ad Sextam.

Capitulum. Malach. 3.

ECCE veniet, dicit Dominus exercituum, et quis poterit cogitare diem adventus ejus, et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum.

℟. Adjuvabit eam. ℣. Elegit eam.

Ad Nonam.

Capitulum. Malach. 3.

ET placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem, sicut dies sæ-

Digitized by Google

culi, et sicut anni antiqui, dicit Dominus omnipotens.

℟. br. Elegit eam. ℣. Diffusa est.

In II. Vesperis.

Ant. de Laud. reliqua ut in I. Vesperis.

Ad Magnif. Ant. Hodie beata virgo Maria puerum Jesum præsentavit in templo, et Simeon repletus Spiritu sancto, accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum in æternum.

Deinde fit comm. sequentis.

Die 3. S. Blasii,

Episcopi et Martyris.

Oratio. Deus qui nos beati, p. 14.

Lectio iij.

BLASIUS, Sebaste in Armenia cum virtutum laude floreret, ejusdem civitatis Episcopus eligitur. Qui, quo tempore, Diocletianus insatiabilem crudelitatem in Christianos exercebat, se in speluncam abdidit montis Argæi, ubi tamdiu latuit, dum ab Agricolai Præsidis militibus venantibus deprehensus, et ad Præsidem ductus, ejus jussu conjectus est in vincula. Quo in loco multos ægrotos sanavit, qui ad Blasium, ejus fama sanctitatis adducti, deferebantur. In illis puer fuit, qui desperata a medicis salute, transversa spina faucibus inhærente, animam agebat. Productus autem ad Præsidem Blasius semel et iterum, cum nec blanditiis nec minis adduci posset, ut diis sacrificaret, primum virgis cæsus, deinde in equuleo ferreis pectinibus dilaniatus est, postremo dempto capite, illustre fidei testimonium Christo Domino dedit, tertio nonas Februarii.

Die 4. S. Andr. Corsini,

Episc. et Conf. *Dupl.* (m. 4. v.)

Oratio.

DEUS, qui in Ecclesia tua nova semper instauras exempla virtutum, da populo tuo beati Andreæ Confessoris tui atque Pontificis ita sequi vestigia, ut assequatur et præmia. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Scrip. occ.

In Quadrag. Fidelis sermo *et Lectio* ix. *de Homilia, et comm. Feriæ in Laud. et Vesp.*

Quod servatur in aliis Festis Temp. Quadrag.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ANDREAM Florentiæ ex nobili Corsinorum familia natum, parentes precibus a Deo impetrarunt, et beatæ Virgini spoponderunt. Qualis autem futurus esset, divino præsagio, antequam nasceretur, ostensum est: nam mater gravida sibi visa est per quietem lupum edidisse, qui ad Carmelitarum ædem pergens, in ipso templi vestibulo statim in agnum conversus est. Adolescens pie et ingenue educatus, cum sensim ad vitia declinaret, sæpe a matre increpatus fuit. Ubi autem cognovit se parentum voto Deiparæ Virgini dicatum fuisse, Dei amore succensus, deque visu matris admonitus, Carmelitarum Institutum amplexus est: in quo variis tentationibus a dæmone vexatus, nunquam tamen potuit a Religionis proposito dimoveri. Mox Lutetiam missus, emenso studiorum curriculo, et laurea donatus, in patriam revocatur, suique Ordinis regimini in Hetruria præficitur.

Lectio v.

INTEREA Fesulana Ecclesia suo viduata Pastore, eum sibi Episcopum elegit. Quo munere se indignum æstimans, diu latuit ignotus, donec pueri voce mirabiliter loquentis proditus, et extra urbem inventus, ne divinæ contradiceret voluntati, Episcopatum suscepit. Ea dignitate auctus, humilitati, quam semper coluerat, impensius incubuit: et pastorali sollicitudini misericordiam in pauperes, liberalitatem, orationis assiduitatem, vigilias, aliasque virtu-

Digitized by Google

tes adjunxit, et spiritu etiam prophetico clarus fuit, adeo ut ejus sanctitas ab omnibus celebraretur.

Lectio vj.

HIS permotus Urbanus Quintus, ad sedandas Bononiæ turbas Andream legatum misit: quo in munere multa perpessus, civium odia, quæ ad internecionem exarserant, summa prudentia restinxit: tum restituta tranquillitate, ad propria reversus est. Nec multo post assiduis laboribus, et voluntaria carnis maceratione confectus, obitus die a beata Virgine sibi prædicto, ad cœlestia regna migravit, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo tertio, ætatis suæ septuagesimo primo. Quem Urbanus Octavus multis magnisque miraculis clarum Sanctorum numero adscripsit. Ejus corpus Florentiæ in Ecclesia sui Ordinis quiescit, et maxima civium veneratione colitur, quibus non semel in præsenti discrimine præsidio fuit.

In III. Noct. Homilia Lectio sancti Evangelii *de Com. I. loco.*

Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 5. S. Agathæ,

Virginis et Martyris. *Duplex.*

In I. Vesperis.

Quando dicuntur integræ, Ant. de Laud. Psalmi de Dom. loco ult. Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum de Laudibus.

Ad Magnif. Ant. Stans beata Agatha in medio carceris, expansis manibus orabat ad Dominum: Domine Jesus Christe, magister bone, gratias tibi ago, qui me fecisti vincere tormenta carnificum. Jube me, Domine, ad tuam immarcescibilem gloriam feliciter pervenire.

Oratio ut infra in Laudibus.

Et fit comm. præcedentis.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Ingenua sum, et ex spectabili genere, ut omnis parentela mea testatur.

Psalmi de Com. unius Martyris.

2. Summa ingenuitas ista est, in qua servitus Christi comprobatur.

3. Ancilla Christi sum, ideo me ostendo servilem habere personam.

℣. Specie tua. ℟. Intende.

Lect. I. Noct. Confitebor tibi Domine *de Com. 2. loco*, p. 70*.

℟. *j.* Dum torqueretur beata Agatha in mamilla graviter, dixit ad judicem: * Impie, crudelis, et dire tyranne, non es confusus amputare in femina, quod ipse in matre suxisti? ℣. Ego enim habeo mamillas integras intus in anima mea, quas ab infantia Domino consecravi. Impie.

℟. *ij.* Agatha lætissime et glorianter ibat ad cercerem, * Quasi ad epulas invitata, et agonem suum Domino precibus commendabat. ℣. Nobilissimis orta natalibus, ab ignobili gaudens trahebatur ad carcerem. Quasi.

℟. *iij.* Quis es tu, qui venisti ad me curare vulnera mea? Ego sum Apostolus Christi: nihil in me dubites, filia: ipse me misit ad te, * Quem dilexisti mente, et puro corde. ℣. Nam et ego Apostolus ejus sum, et in nomine ejus scias te esse curandam. Quem. Gloria. Quem.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. Agatha sancta dixit: Si feras mihi promittis, audito Christi nomine, mansuescunt.

2. Si ignem adhibeas, rorem mihi salvificum de cœlo Angeli ministrabunt.

3. Agatha lætissime et glorianter ibat ad carcerem, quasi ad epulas invitata, et agonem suum Domino precibus commendabat.

℣. Adjuvabit. ℟. Deus in medio.

Lectio iv.

AGATHA virgo, in Sicilia nobilibus parentibus nata, quam Panormitani et Catanenses civem suam esse dicunt, in persecutione Decii Imperatoris, Catanæ gloriosi martyrii coronam consecuta est. Nam cum pari pulchritudinis et castitatis laude com-

Digitized by Google

mendaretur, Quintianus Siciliæ prætor, ejus amore captus est. Sed cum, tentata modis omnibus ejus pudicitia, Agatham in suam sententiam perducere non posset, Christianæ superstitionis nomine comprehensam, Aphrodisiæ cuidam mulieri depravandam tradit. Quæ Aphrodisiæ consuetudine cum de constantia colendæ Christianæ fidei, et servandæ virginitatis, removeri non posset, nuntiat illa Quintiano, se in Agatha operam perdere. Quare ille ad se virginem adduci jubet, et: Nonne, inquit, te pudet nobili genere natam, humilem et servilem Christianorum vitam agere? Cui Agatha: Multo præstantior est Christiana humilitas et servitus, regum opibus ac superbia.

℟. Ego autem adjuta a Domino, perseverabo in confessione ejus qui me salvam fecit, * Et consolatus est me. ℣. Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, qui misisti ad me Apostolum tuum curare vulnera mea. Et.

Lectio v.

QUAMOBREM iratus Prætor hanc ei optionem dat, velitne potius venerari deos, an vim tormentorum subire. At illa constans in fide, primum colaphis cæsa mittitur in carcerem, unde postridie educta, cum in sententia permaneret, admotis candentibus laminis in equuleo torquetur; tum ei mamilla abscinditur. Quo in vulnere Quintianum appellans virgo: Crudelis, inquit, tyranne, non te pudet amputare in femina, quod ipse in matre suxisti? Mox conjecta in vincula, sequenti nocte a sene quodam, qui se Christi Apostolum esse dicebat, sanata est. Rursum evocata a Prætore, et in Christi confessione perseverans, in acutis testulis, et candentibus carbonibus ei subjectis volutatur.

℟. Ipse me curavit, qui per Apostolum Petrum in custodia me confortavit, pro eo quod jussa sum suspendi in equuleo. * Propter fidem castitatis adjuva me, Domine Deus meus, in tortura mamillarum mearum. ℣. Ipse me dignatus est ab omni plaga curare, et mamillam meam meo pectori restituere. Propter.

Lectio vj.

QUO tempore ingenti terræmotu urbs tota contremuit, ac duo parietes corruentes Silvinum et Falconium intimos Prætoris familiares oppresserunt. Quare vehementer commota civitate, veritus populi tumultum Quintianus, Agatham semimortuam clam reduci imperat in carcerem. Quæ sic Deum precata: Domine, qui me custodisti ab infantia, qui abstulisti a me amorem sæculi, qui me carnificum tormentis superiorem præstitisti, accipe animam meam. Ea in oratione migravit in cœlum, nonis Februarii: cujus corpus a Christianis sepelitur.

℟. Vidisti, Domine, et spectasti agonem meum, quomodo pugnavi in stadio: sed quia nolui obedire mandatis Principum, * Jussa sum in mamilla torqueri. ℣. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Jussa. Gloria. Jussa.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Nisi diligenter perfeceris corpus meum a carnificibus attrectari, non potest anima mea in paradisum Domini cum palma intrare martyrii.

Psalm. In Domino confido, *p.* 18.*

Ant. Vidisti, Domine, agonem meum, quomodo pugnavi in stadio: sed quia nolui obedire mandatis Principum, jussa sum in mamilla torqueri.

Psalm. Domine quis, *p.* 18*.

Ant. Propter fidem castitatis jussa sum suspendi in equuleo: adjuva me, Domine Deus meus, in tortura mamillarum mearum.

Psalm. Conserva me, *p.* 31.*

℣. Elegit. ℟. In tabernaculo.

In III. Noct. Homilia Dominus noster *de Com.* 2. *loco*, p. 71*.

℟. *vij.* Beata Agatha ingressa carcerem, expandit manus suas ad Deum,

Digitized by Google

et dixit : Dominé, qui me fecisti vincere tormenta carnificum, * Jube me ad tuam misericordiam pervenire. ℣. Domine, qui me creasti, et tulisti a me amorem sæculi, qui corpus meum a pollutione separasti. Jube.

℟. viij. Medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui, sed habeo Dominum Jesum Christum. * Qui solo sermone restaurat universa. ℣. Qui me dignatus est ab omni plaga curare, et mamillam meam meo pectori restituere, ipsum invoco Deum vivum. Qui. Gloria. Qui.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Quis es tu, * qui venisti ad me curare vulnera mea? Ego sum Apostolus Christi : nihil in me dubites, filia.

2. Medicinam carnalem * corpori meo nunquam exhibui, sed habeo Dominum Jesum Christum, qui solo sermone restaurat universa.

3. Gratias tibi ago, * Domine Jesu Christe, quia memor es mei, et misisti ad me Apostolum tuum curare vulnera mea.

4. Benedico te, Pater Domini mei Jesu Christi, quia per Apostolum tuum mamillam meam meo pectori restituisti.

5. Qui me dignatus est * ab omni plaga curare, et mamillam meam meo pectori restituere, ipsum invoco Deum vivum.

Capitulum. Eccli. 51.

CONFITEBOR tibi, Domine Rex, et collaudabo te Deum salvatorem meum. Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum a perditione.

Ad Bened. Ant. Paganorum multitudo fugiens ad sepulchrum virginis, tulerunt velum ejus contra ignem; ut comprobaret Dominus, quod a periculis incendii, meritis beatæ Agathæ martyris suæ eos liberaret.

Oratio.

DEUS, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti, concede propitius, ut qui beatæ Agathæ Virginis et Martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

Ad Tertiam.

Capit. Confitebor tibi.

℟. br. Specie tua. ℣. Adjuvabit eam.

Ad Sextam.

Capitulum. Eccli. 51.

LIBERASTI me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui a rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, et de multis tribulationibus quæ circumdederunt me.

℟. br. Adjuvabit eam. ℣. Elegit eam.

Ad Nonam.

Capitulum. Eccli. 51.

LAUDABIT usque ad mortem anima mea Dominum : quoniam eruis sustinentes te, et liberas eos de manu angustiæ, Domine Deus noster.

℟. br. Elegit eam. ℣. Diffusa est.

In II. Vesperis.

Ant. de Laud Psalmi de Dom. loco ult. Lauda Jerusalem, *p.* 93.*

Capit. Confitebor tibi.

Ad Magnif. Ant. Stans beata Agatha in medio carceris, expansis manibus orabat ad Dominum : Domine Jesu Christe, magister bone, gratias tibi ago, qui me fecisti vincere tormenta carnificum : jube me, Domine, ad tuam immarcescibilem gloriam feliciter pervenire.

Deinde fit comm. sequentis.

Die 6. S. Dorotheæ

Virginis et Martyris.

Orat. Indulgentiam, *p.* 62*.

Digitized by Google

Lectio iij.

DOROTHEA virgo, ex Cæsarea Cappadociæ, propter Christi confessionem ab Apricio Præside comprehensa, Crystæ et Callistæ sororibus, quæ a fide defecerant tradita est, ut eam a proposito removerent. Sed contra factum est: nam eas Dorothea ad cultum Christianæ religionis reduxit, propter quam etiam martyrium susceperunt. Quare virgo equuleo diu torta, et palmis cæsa, ad extremum capitis damnata, duplicatam virginitatis et martyrii palmam accepit.

Die 7. S. Romualdi,

Abbatis. *Duplex.* (m. t. v.)
Oratio. Intercessio nos, *p.* 51.*
Lect. I. Noct. de Script. occ.
In Quadrag. Beatus vir. *p.* 58.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ROMUALDUS Ravennæ, Sergio patre, nobili genere natus, adolescens in propinquum monasterium Classense pœnitentiæ causa secessit: ubi religiosi hominis sermone ad pietatis studium vehementius incensus, viso etiam semel et iterum per noctem in Ecclesia beato Apollinari, quod Dei servus illi futurum promiserat, monachus efficitur. Mox ad Marinum, vitæ sanctitate ac severiore disciplina in finibus Venetorum eo tempore celebrem, se contulit, ut ad arctam et sublimem perfectionis viam eo magistro ac duce uteretur.

Lectio v.

MULTIS satanæ insidiis, et hominum invidia oppugnatus, tanto humilior se assidue jejuniis et orationibus exercebat, et rerum cœlestium meditatione, vim lacrymarum profundens, fruebatur: vultu tamen adeo læto semper erat, ut intuentes exhilararet. Magno apud principes et reges in honore fuit: multique ejus consilio, mundi illecebris abjectis, solitudinem petierunt. Martyrii quoque cupiditate flagravit, cujus causa dum in Pannoniam proficiscitur, morbo, quo afflictabatur cum progrederetur, levabatur cum recederet, reverti cogitur.

Lectio vj.

IN vita et post mortem miraculis clarus, spiritu etiam prophetiæ non caruit. Scalam a terra cœlum pertingentem, in similitudinem Jacob Patriarchæ, per quam homines in veste candida ascendebant et descendebant, per visum conspexit, eoque Camaldulenses monachos, quorum Instituti auctor fuit, designari mirabiliter agnovit. Denique, cum annos centum et viginti ageret, et centum ipsos in summa vitæ asperitate Deo servisset, ad eum migravit anno salutis millesimo vigesimo septimo. Ejus corpus quinquennio postquam sepultum fuerat, integrum repertum, Fabriani in Ecclesia sui Ordinis honorifice conditum est.

In III. Noct. Homilia Grandis fiducia *de Com. Apost.* I. *loco*, p 7*. *cum* §. vij. *et* viij. *de Com.*
Vesp. a Capit. de sequenti.

Die 8. S. Joan. De Matha,

Confessoris. *Duplex.* (m. t. v.)
Oratio.

DEUS, qui per sanctum Joannem Ordinem sanctissimæ Trinitatis, ad redimendum de potestate Saracenorum captivos cœlitus instituere dignatus es, præsta, quæsumus, ut ejus suffragantibus meritis, a captivitate corporis et animæ, te adjuvante, liberemur. Per Dominum.

Deinde fit comm. S. Romualdi.
Lect. I. Noct. de Script. occ.
In Quadrag. Beatus vir p. 58.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JOANNES de Matha, Ordinis sanctissimæ Trinitatis redemptionis Captivorum institutor, Falcone in Provincia natus est parentibus pietate et nobilitate conspicuis. Studiorum causa

Digitized by Google

Aquas Sextias, mox Parisios profectus, confectoque Theologiæ curriculo, magisterii lauream adeptus, doctrinæ et virtutum splendore enituit. Quibus motus Parisiensis Antistes, ad sacrum Presbyteratus ordinem præ humilitate reluctantem promovit, eo consilio, ut in ea civitate commorans, sapientia et moribus studiosæ juventuti præluceret. Cum autem in sacello ejusdem Episcopi, ipso cum aliis astante, primum Deo Sacrum offerret, cœlesti favore meruit recreari. Nam Angelus candida et fulgenti veste indutus, cui in pectore crux rubei et cærulei coloris assuta erat, brachiis cancellatis, et super duos captivos ad latera positos, Christianum unum, alterum Maurum, extensis, apparuit. Qua visione in extasim raptus, intellexit protinus vir Dei, se ad redimendos ab infidelibus captivos destinari.

Lectio v.

QUO vero maturius in re tanti momenti procederet, in solitudinem secessit, ibique divino nutu factum est, ut Felicem Valesium in ipsa eremo jam multis annis degentem reperirit: cum quo inita societate, se per triennium in oratione, et contemplatione, omniumque virtutum studio exercuit. Contigit autem, ut dum secum de rebus divinis prope fontem colloquerentur, cervus ad eos accesserit, crucem inter cornua gerens rubei et cærulei coloris. Cumque Felix ob rei novitatem miraretur, narravit ei Joannes visionem in prima Missa habitam, et exinde ferventius orationi incumbentes, ter in somnis admoniti, Romam proficisci decreverunt, ut a Summo Pontifice novi Ordinis pro redimendis captivis institutionem impetrarent. Electus fuerat eo tempore Innocentius Tertius, qui, illis benigne acceptis, dum secum de re proposita deliberat, in festo sanctæ Agnetis secundo, Lateranı intra Missarum solemnia ad sacræ Hostiæ elevationem, Angelus ei candida veste, cruce bicolori, specie redimentis captivos apparuit. Quo viso, Pontifex institutum approbavit, et novum Ordinem sanctissimæ Trinitatis redemptionis Captivorum vocari jussit, ejusque professoribus albas vestes cum cruce rubei et cærulei coloris præbuit.

Lectio vj.

SIC stabilito Ordine, sancti Fundatores in Galliam redieruot, primoque cœnobio Cervi frigidi in diœcesi Meldensi constructo, ad ejus regimen Felix remansit, et Joannes Romam cum aliquot sociis reversus est, ubi Innocentius domum, Ecclesiam, et hospitale sancti Thomæ de Formis in monte Cœlio eis donavit cum multis reditibus, et possessionibus: datis quoque litteris ad Miramolinum regem Marochii, opus redemptionis felici auspicio inchoatum fuit. Tum ad Hispanias, sub jugo Saracenorum magna ex parte oppressas, Joannes profectus est, regumque, principum, atque aliorum fidelium animos ad captivorum et pauperum commiserationem commovit. Monasteria ædificavit, hospitalia erexit, magnoque lucro animarum plures captivos redemit. Romam tandem reversus, sanctisque operibus incumbens, assiduis laboribus attritus, et morbo confectus, ardentissimo Dei et proximi amore exæstuans, ad extremum devenit. Quare fratribus convocatis, eisque ad opus redemptionis cœlitus præmonstratum efficaciter cohortatis, obdormivit in Domino sextodecimo Kalendas Januarii, anno salutis millesimo ducentesimo decimo tertio, ejusque corpus in ipsa Ecclesia sancti Thomæ de Formis condigno honore tumulatum fuit.

In III. Noct. Homilia Sancti Evangelii fratres *de Com. I. loco.*

In II, Vesp. comm. sequentis.

Die 9. S. Apolloniæ,

Virginis et Martyris.

Oratio Deus qui inter, *p.* 62.*

Lectio iij.

APOLLONIA, virgo Alexandrina, sub Decio Imperatore, cum

Digitized by Google

ingravescente jam ætate ad idola sisteretur, ut eis venerationem adhiberet, illis contemptis, Jesum Christum verum Deum colendum esse prædicabat. Quamobrem omnes ei contusi sunt et evulsi dentes, ac, nisi Christum detestata, deos coleret, accenso rogo combusturos vivam minati sunt impii carnifices. Quibus illa se quamvis mortem pro Jesu Christi fide subituram respondit. Itaque comprehensa ut combureretur, cum paulisper, quasi deliberans quid agendum esset, stetisset, ex illorum manibus elapsa, alacris in ignem sibi paratum, majori Spiritus sancti flamma intus accensa, se injecit. Unde, brevi consumpto corpore, purissimus spiritus in cœlum ad sempiternam martyrii coronam evolavit.

Die 10. S. Scholasticæ,

Virginis. *Duplex.*

Oratio.

DEUS, qui animam beatæ Virginis tuæ Scholasticæ ad ostendendam innocentiæ viam, in columbæ specie cœlum penetrare fecisti, da nobis ejus meritis et precibus ita innocenter vivere, ut ad æterna mereamur gaudia pervenire. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.
in Quadrag. De Virginibus. *p.* 64.*

IN II. NOCTURNO.

Ex libro secundo Dialogorum
S. Gregorii Papæ.

Lectio iv. Cap. 33.

SCHOLASTICA venerabilis patris Benedicti soror, omnipotenti Domino ab ipso infantiæ tempore dedicata, ad eum semel per annum venire consueverat. Ad quam vir Dei non longe extra januam in possessione monasterii descendebat. Quadam vero die venit ex more, atque ad eam cum discipulis venerabilis ejus descendit frater, qui totum diem in Dei laudibus sacrisque colloquiis ducentes, incumbentibus jam noctis tenebris, simul acceperunt cibum. Cumque adhuc ad mensam sederent, et inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem sanctimonialis femina soror ejus eum rogavit, dicens: Quæso te ut ista nocte me non deseras, ut usque mane de cœlestis vitæ gaudiis loquamur. Cui ille respondit: Quid est quod loqueris, soror? manere extra cellam nullatenus possum. Tanta vero erat cœli serenitas, ut nulla in aere nubes appareret. Sanctimonialis autem femina, cum verba fratris negantis audivisset, insertas digitis manus super mensam posuit, et caput in manibus omnipotentem Dominum rogatura declinavit. Cumque levaret de mensa caput, tanta coruscationis et tonitrui virtus, tantaque inundatio pluviæ erupit, ut neque venerabilis Benedictus, neque fratres qui cum eo aderant, extra loci limen, quo consederant, pedem movere potuerint.

Lectio v.

SANCTIMONIALIS quippe femina caput in manibus declinans, lacrymarum fluvium in mensam fuderat, per quas serenitatem aeris ad pluviam rtaxit. Nec paulo tardius post orationem inundatio illa secuta est; sed tanta fuit convenientia orationis et inundationis, ut de mensa caput jam cum tonitruo levaret, quatenus unum idemque esset momentum, et levare caput, et pluviam deponere. Tunc vir Dei inter coruscos, et tonitruos, atque ingentis pluviæ inundationem, videns se ad monasterium non posse remeare, cœpit conqueri contristatus, dicens: Parcat tibi omnipotens Deus, soror; quid est quod fecisti? Cui illa respondit: Ecce rogavi te, et audire me noluisti: rogavi Deum meum, et audivit me: modo ergo, si potes, egredere, et me dimissa, ad monasterium recede. Ipse autem exire extra tectum non valens, qui remanere sponte noluit, in loco mansit invitus. Sicque factum est, ut totam noctem pervigilem ducerent,

Digitized by Google

atque per sacra spiritalis vitæ colloquia, sese vicaria relatione satiarent.

Lectio vj.

CUMQUE die altero eadem venerabilis femina ad cellam propriam recessisset, vir Dei ad monasterium rediit. Cum ecce post triduum in cella consistens, elevatis in aera oculis, vidit ejusdem sororis suæ animam de corpore egressam, in columbæ specie cœli secreta penetrare. Qui tantæ ejus gloriæ congaudens, omnipotenti Deo in hymnis et laudibus gratias reddidit, ejusdemque obitum fratribus denuntiavit. Quos etiam protinus misit, ut ejus corpus ad monasterium deferrent, atque in sepulchro, quod sibi ipsi paraverat, ponerent. Quo facto contigit, ut quorum mens una semper in Deo fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret.

In III. Noct. Homilia Sæpe vos fratres *de Com. I. loco.*

Die 14. S. Valentini,

Presbiteri et Martyris.

Orat. Præsta ut qui *p.* 14*.

Lecto iij.

Triumphalis beati *de Com.* I. *loco* p. 15*.

Die 15. SS. Faust. et Jov.

Martyrum.

Orat. Deus, qui nos annua, *p.* 29.*

ℓ. ij. Hæc est vera fraternitas.

Lectio iij.

FAUSTINUS et Jovita fratres, nobiles Brixiani, in multis Italiæ urbibus, quo vincti, sæviente Trajani persecutione, ducebantur, acerbissima supplicia perpessi, fortes in Christianæ fidei confessione perstiterunt. Nam Brixiæ diu vinculis constricti, feris etiam objecti, in ignemque conjecti, et a bestiis et a flamma integri et incolumes servati sunt; inde vero iisdem catenis colligati, Mediolanum venerunt, ubi eorum fides tentata exquisitissimis tormentis, tanquam igne aurum, in cruciatibus magis enituit. Postea Romam missi, ab Evaristo Pontifice confirmati, ibi quoque crudelissime torquentur. Denique perducti Neapolim, in ea etiam urbe varie cruciati, vinctis manibus pedibusque in mare demerguntur: unde per Angelos Mirabiliter erepti sunt. Quare multos et constantia in tormentis, et miraculorum virtute ad Christi fidem converterunt. Postremo reducti Brixiam, initio suscepti ab Adriano Imperii, securi percussi, illustrem martyrii coronam acceperunt.

Die 18. S. Simeonis,

Episcopi et Martyris.

Oratio. Enfirmitatem, *p.* 14*.

Lectio iij.

SIMEON, filius Cleophæ, post Jacobum proximus Jerosolymis ordinatus Episcopus, Trajano Imperatore, apud Atticum consularem est accusatus, quod Christianus esset, et Christi propinquus. Comprehendebantur enim omnes eo tempore, quicumque ex genere David orti essent. Quare multis cruciatus tormentis, eodem passionis genere, quod Salvator noster subierat, afficitur, mirantibus omnibus quod homo ætate confectus (erat enim centum et viginti annorum) acerbissimos crucis dolores fortiter constanterque pateretur.

Die 22. Cathedræ S. Petri

ANTIOCHIÆ. *Dupl. maj.*

Omnia ut in Cathedra Romana, p. 641. *præter*

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 15. de Sanctis.

Lectio iv.

INSTITUTIO solemnitatis hodiernæ a senioribus nostris Cathedræ nomen accepit, ideo quod primus Apostolorum Petrus hodie Episcopatus cathedram suscepisse referatur. Recte

Digitized by Google

ergo Ecclesiæ natalem sedis illius colunt, quam Apostolus pro Ecclesiarum salute suscepit, dicente Domino: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Lectio v.

PETRUM itaque fundamentum Ecclesiæ Dominus nominavit, et ideo digne fundamentum hoc Ecclesia colit, supra quod Ecclesiastici ædificii altitudo consurgit. Unde convenienter psalmus, qui lectus est, dicit: Exaltent eum in ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum. Benedictus Deus, qui beatum Petrum Apostolum in Ecclesia exaltari præcepit, quia dignum est ut fundamentum hoc in Ecclesia honoretur, per quod ad cœlum conscenditur.

Lectio vj.

QUOD natalis ergo Cathedræ hodie colitur, sacerdotale honoratur officium. Sibi hoc Ecclesiæ invicem præstant, quia tanto necesse plus habet Ecclesia dignitatis, quanto sacerdotale officium plus honoris. Cum solemnitatem hanc Ecclesiis merito religiosa observatio introduxerit, miror cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos et vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo tempore: Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogabat discipulos suos: dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? Et reliqua.

Homilia S. Leonis Papæ.

Serm. 3. in Annivers. ass. suæ.

APOSTOLOS Dominus, quid de se homines opinentur, interrogat et tamdiu sermo respondentium communis est, quamdiu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur. At ubi quid habeat sensus discipulorum exigitur, primus est in Domini confessione, qui primus est in Apostolica dignitate. Qui cum dixisset; Tu es Christus Filius Dei vivi; respondit ei Jesus: Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Id est, ideo beatus es, quia Pater meus te docuit: nec terrena opinio te fefellit, sed inspiratio cœlestis instruxit; et non caro et sanguis, sed ille me tibi, cujus sum unigenitus Filius, indicavit.

Lectio viij.

ET ego, inquit, dico tibi, hoc est, sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita et ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus; id est, cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum præter quod nemo potest aliud ponere, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum; et Ecclesiæ meæ cœlo inserenda sublimitas, in hujus fidei firmitate consurget.

Si hoc Festum ante Quadrag. venerit in Sabbato, vel transferatur in ij. *Feriam, et annus non fuerit bissextilis, legitur Lectio* ix. *de Homilia Vigiliæ S. Mathiæ, et de ea fit comm. ad Laudes post comm. S. Pauli. In Quadrag. autem Lectio* ix. *erit de Homilia Feriæ occ. cum comm. de ea, et nihil fit de vigilia, nisi in Missa.*

Lectio ix.

HANC confessionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula

Digitized by Google

non ligabunt : vox enim ista vox vitæ est. Et sicut confessores suos in cœlestia provehit, ita negatores ad inferna demergit. Propter quod dicit beatissimo Petro : Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlis, et quæcumque solveris susuper terram erunt soluta et in cœlis. Transivit quidem etiam in alios Apostolos vis potestatis istius, et ad omnes Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio commeavit: sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur,quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri privilegium ubicumque ex ipsius fertur æquitate judicium. Nec nimia est vel severitas vel remissio, ubi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod beatus Petrus aut solverit, aut ligaverit.

In II. Vesp. comm. sequentis,

Die 23. S. Petri Damiani,

Episc. Conf. et Eccl. Doct.

Duplex.

In utrisq. Vesp. Ant. O Doctor.

Oratio.

CONCEDE nos, quæsumus, omnipotens Deus, beati Petri Confessoris tui atque Pontificis monita et exempla sectari, ut per terrestrium rerum contemptum æterna gaudia consequamur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de script. occ.

In Quadrag. Fidelis sermo.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PETRUS, Ravennæ honestis parentibus natus, adhuc lactens a matre numerosæ prolis pertæsa abjicitur ; sed domesticæ mulieris opera semivivus exceptus ac recreatus, genitrici ad humanitatis sensum revocatæ redditur. Utroque orbatus parente, tanquam vile mancipium sub aspera fratris tutela duram servitutem exercuit. Religionis in Deum, ac pietatis erga patrem, egregium tunc specimen dedit : inventum siquidem forte nummum, non propriæ inediæ sublevandæ, sed Sacerdoti, qui divinum Sacrificium ad illius expiationem offerret, erogavit. A Damiano fratre, a quo, uti fertur, cognomentum accepit, benigne receptus ejus cura litteris eruditur, in quibus brevi tantum profecit, ut magistris admirationi esset. Cum autem liberalibus scientiis floreret et nomine, eas cum laude docuit. Interim, ut corpus rationi subderet, sub mollibus vestibus cilicium adhibuit, jejuniis, vigiliis, et orationibus solerter insistens. Calente juventa, dum carnis stimulis acriter urgeretur, insultantium libidinum faces, rigentibus fluvii mersus aquis, noctu extinguebat ; tum venerabilia quæque loca obire, totumque Psalterium recitare consueverat. Ope assidua pauperes levabat, quibus frequenter pastis convivio, propriis ipse manibus ministrabat.

Lectio v.

PERFICIENDÆ magis vitæ causa, in Avellanensi Eugubinæ diœcesis cœnobio, Ordini monachorum sanctæ Crucis Fontis Avellanæ a beato Ludulpho, sancti Romualdi discipulo, fundato, nomen dedit. Non ita multo post in monasterium Pomposianum, mox in cœnobium sancti Vincentii Petræ Pertusæ ab Abbate suo missus, utrumque asceterium verbo sacro, præclaris institutionibus, et moribus excoluit. Ad suos revocatus, post Præsidis obitum, Avellanitarum familiæ præficitur, quam novis variis in locis extructis domiciliis, et sanctissimis institutis ita auxit, ut alter ejus Ordinis parens ac præcipuum ornamentum jure sit habitus. Salutarem Petri sollicitudinem alia quoque diversi Instituti cœnobia, Canonicorum Conventus, et populi sunt experti. Urbinati diœcesi non uno nomine pro-

fuit. Theuzoni Episcopo in causa gravissima assedit, ipsumque in recte administrando Episcopatu consilio et opera juvit. Divinorum contemplatione, corporis macerationibus, cæterisque spectatæ sanctimoniæ exemplis excelluit. His motus Stephanus Nonus Pontifex Maximus eum licet invitum et reluctantem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem creavit, et Ostiensem Episcopum. Quas Petrus dignitates splendidissimis virtutibus, et consentaneis Episcopali ministerio operibus gessit.

Lectio vj.

DIFFICILLIMO tempore Romanæ Ecclesiæ, Summisque Pontificibus doctrina, legationibus, aliisque susceptis laboribus mirifice adfuit. Adversus Nicolaitarum et Simoniacam hæreses ad mortem usque strenue decertavit. Hujusmodi depulsis malis, Mediolanensem Ecclesiæ Romanæ conciliavit. Benedicto et Cadolao falsis Pontificibus fortiter restitit. Henricum Quartum Germaniæ regem ab iniquo uxoris divortio deterruit: Ravennates ad debita Romano Pontifici obsequia revocatos sacris restituit: Canonicos Velitermos ad sanctioris vitæ leges composuit. In provincia præsertim Urbinate vix ulla fuit Episcopalis Ecclesia, de qua Petrus non sit bene meritus; Eugubinam, quam aliquando creditam habuit, multis levavit incommodis: alias alibi, quando oportuit, perinde curavit, ac suæ essent tutelæ commissæ. Cardinalatu et Episcopali dignitate depositis, nihil de pristina juvandi proximos sedulitate remisit. Jejunium sextæ Feriæ in honorem sanctæ Crucis Jesu Chsisti, horarias beatæ Dei Genitricis preces, ejusque die Sabbato cultum propagavit. Inferendæ quoque sibi verberationis morem ad patratorum scelerum expiationem provexit. Demum sanctitate, doctrina, miraculis, et præclare actis illustris, dum e Ravennate legatione rediret, Faventiæ octavo kalendas Martii migravit ad Chsistum. Ejus corpus ibidem apud Cistercienses multis miraculis clarum frequenti populorum veneratione colitur. Ipsum Faventini non semel in præsenti discrimine propitium experti, Patronum apud Deum delegerunt. Leo vero Duodecimus Pontifex Maximus officium Missamque in ejus honorem tanquam Confessoris Pontificis, quæ aliquibus in diœcesibus, atque in Ordine Camaldulensium jam celebrabantur, ex sacrorum Rituum Congregationis consulto, addita Doctoris qualitate, ad universam extendit Ecclesiam.

In III. Noct. Homilia Ostendit Dominus, *pro Doct.* I. *loco*, p. 49.*

Lectio ix. *extra Quadrag. et annum bissextilem de Homilia Vigiliæ S. Mathiæ, ut infra.*

In Quadrag. autem de Homilia Feriæ, et nihil fit de Vigilia, nisi in Missa.

DE VIGILIA SANCTI MATHIÆ

In anno bissext. fit die 24.

Extra Quadrag. Homilia Cum sancta *ut in Vigil. Apost.*, p. 1*.

In Quadrag. nihil fit de Vigil. nisi in Missa.

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati Mathiæ Apostoli tui, quam prævenimus, veneranda solemnitas, et devotionem nobis augeat, et salutem. Per Dominum.

Die 24.

vel 25. *anno bissext.*

S. Mathiæ,

Apost. *Duplex* 2. *Classis.*

Oratio.

DEUS, qui beatum Mathiam Apostolorum tuorum collegio sociasti, tribue, quæsumus, ut ejus interventione, tuæ circa nos pietatis semper viscera sentiamus. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO.

De Actibus Apostolorum.

Digitized by Google

Lectio j. Cap. I.

IN diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum, dixit: (erat autem turba hominum simul fere centum viginti) Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum: qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hnius. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus.

Lectio ij.

ET notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum, Haceldama, hoc est, ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea; et episcopatum ejus accipiat alter. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis usque in diem qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.

Lectio iij.

ET statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est justus, et Mathiam. Et orantes dixerunt: Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum accipere locum ministerii hujus, et Apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Mathiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis.

Lect. II. Noct. Fundamenta ejus *de Com.* 2. *loco*, p. 11*.

In III. Noct. Homilia Venite ad me omnes *pro Abb.* 2. *loco*, p. 60*. *cum* ij. vij. *et* viij. *de Com. Apost.*

In Quadrag. Lectio ix. *et comm. Feriæ in Laudibus et Vesperis.*

FESTA MARTII

Ante Quadrag. prima die non impedita dicitur Offic. Defunct.

Die 4. S. Casimiri,

Confessoris. *Semiduplex.*

Oratio.

DEUS, qui inter regales delicias et mundi illecebras, sanctum Casimirum virtute constantiæ roborasti, quæsumus, ut ejus intercessione fideles tui terrena despiciant, et ad cœlestia semper aspirent. Per Dominum.

In Quadrag. fit. comm. Feriæ.

Deinde S. Lucii, Papæ et Martyris. Oratio Deus qui nos beati. p. 14*.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

In Quadrag. Justus si morte. p. 32*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CASIMIRUS, patre Casimiro, matre Elisabetha Austriaca, Poloniæ regibus ortus, a pueritia sub optimis magistris, pietate et bonis artibus instructus, juveniles artus aspero domabat cilicio, et assiduis extenuabat jejuniis. Regii spreta lecti mollitie, dura cubabat humo, et clam intempesta nocte, præ foribus templorum pronus in terra divinam exorabat clementiam. In Christi contemplanda passione assiduus, Missarum solemniis adeo erecta in Deum mente solebat adesse, ut extra se rapi videretur.

Lectio v.

CATHOLICAM promovere fidem summopere studuit, et Ruthenorum schisma abolere. Quapropter Casimirum patrem induxit, ut legem ferret, ne schismatici nova templa construerent, nec vetera collabentia restaurarent. Erga pauperes et calamitatibus oppressos beneficus et misericors, patris et defensoris egenorum nomen obtinuit. Virginitatem, quam ab incunabulis servavit illæsam, sub extremo vitæ termino fortiter asseruit, dum gravi pressus infirmitate, mori potius quam castitatis ja-

Digitized by Google

cturam ex medicorum consilio subire, constanter decrevit.

Lectio vj.

CONSUMMATUS in brevi, virtutibus et meritis plenus, prænuntiato mortis die, inter Sacerdotum et Religiosorum choros spiritum Deo reddidit, anno ætatis vigesimo quinto. Corpus Vilnam delatum multis claret miraculis. Etenim, præterquam quod puella defuncta vitam, cæci visum, claudi gressum, et varii infirmi sanitatem ad ejus sepulchrum recuperarunt, Lithuanis exiguo numero ad potentissimi hostis insperatam irruptionem trepidantibus in aere apparens, insignem tribuit victoriam. Quibus permotus Leo Decimus eundem Sanctorum catalogo adscripsit.

In III. Noct. Homilia Sancti Evangelii fratres *de Com. I. loco.*

In Quadrag. Lectio ix. *de Homilia et comm. Feriæ et S. Lucii in Laudibus.*

Die 7. S. Thomæ de Aquino,

Conf. et Eccl. Doct. *Duplex.*

In utrisq. Vesp. Ant. O Doctor.

Oratio.

DEUS, qui Ecclesiam tuam beati Thomæ Confessoris tui mira eruditione clarificas, et sancta operatione fœcundas, da nobis, quæsumus, et quæ docuit, intellectu conspicere, et quæ egit, imitatione complere. Per.

In Quadrag. fit comm. Feriæ. Deinde SS. Martyrum Perpetuæ, et Felicitatis.

In Vesp. et Laud. Ant. Istarum est enim regnum cœlorum, quæ contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

℣. Gloria et honore coronasti eas, Domine. ℟. Et constituisti eas super opera manuum tuarum.

Oratio.

DA nobi, quæsumus, Domine Deus noster, sanctarum Martyrum tuarum Perpetuæ et Felicitatis palmas incessabili devotione venerari, ut quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum.

Lect. I. Noct. Sapientiam, *p.* 48*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

THOMAS, Landulpho Comite Aquinate, et Theodora Neapolitana, nobilibus parentibus natus, quintum annum agens, monachis sancti Benedicti Cassinatibus custodiendus traditur. Inde Neapolim studiorum causa missus, jam adolescens Fratrum Prædicatorum Ordinem suscepit. Sed matre ac fratribus id indigne ferentibus, Lutetiam Parisiorum mittitur. Quem fratres in itinere per vim raptum, in arcem castri sancti Joannis perducunt: ubi varie exagitatus, ut sanctum propositum mutaret, mulierem etiam, quæ ad labefactandam ejus constantiam introducta fuerat, fuga fugavit. Mox beatus juvenis, flexis genibus ante signum Crucis orans, ibique somno correptus, per quietem sentire visus est, sibi ab Angelis constringi lumbos: quo ex tempore omni postea libidinis sensu caruit. Sororibus, quæ, ut eum a pio consilio removerent, in castrum venerant, persuasit, ut, contemptis curis sæcularibus ad exercitationem cœlestis vitæ se conferrent.

Lectio v.

EMISSUS e castro per fenestram, Neapolim reducitur: unde Romam, postea Parisium a fratre Joanne Teutonico, Ordinis Prædicatorum Generali Magistro ductus, Alberto magno doctore, Philosophiæ ac Theologiæ operam dedit. Viginti quinque annos natus, magister est appellatus, publiceque Philosophos ac Theologos summa cum laude est interpretatus. Nunquam se lectioni aut scriptioni dedit, nisi post orationem. In difficultatibus locorum sacræ Scripturæ, ad orationem jejunium adhibebat. Quin etiam sodali suo fratri Reginaldo dicere solebat, quidquid sciret, non

Digitized by Google

tam studio aut labore suo peperisse, quam divinitus traditum accepisse. Neapoli cum ad imaginem Crucifixi vehementius oraret, hanc vocem audivit: Bene scripsisti de me, Thoma; quam ergo mercedem accipies? Cui ille: Non aliam, Domine, nisi teipsum.

Lectio vj.

NULLUM fuit scriptorum genus, in quibus non esset diligentissime versatus. Collationes Patrum assidue pervolutabat: nec tamen a prædicatione divini verbi desistebat. Quod cum faceret per Octavam Paschæ in Basilica sancti Petri, mulierem, quæ ejus fimbriam tetigerat, a fluxu sanguinis liberavit. Scripta ejus et multitudine, et varietate, et facilitate explicandi res difficiles, adeo excellunt, ut ob eam causam etiam nomen Doctoris Angelici jure sit adeptus. Ab Urbano Quarto Romam vocatus, adduci non potuit ut honores acciperet. Archiepiscopatum Neapolitanum, etiam deferente Clemente Quarto Pontifice, recusavit. Missus a Gregorio Decimo ad Concilium Lugdunense, in monasterio Fossæ novæ in morbum incidit, ubi ægrotus Cantica canticorum explanavit. Ibidem obiit quinquagenarius, anno salutis millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, Nonis Martii. Miraculis et vivus et mortuus floruit. A Joanne Vigesimo secundo in Sanctorum numerum relatus est, anno millesimo trecentesimo vigesimo tertio: cujus corpus postea, Urbano Quinto summo Pontifice, Tolosam translatum est.

In III. Noct. Homilia Ostendit Dominus *pro Doct. l. loco*, p. 49*.

In Quadrag. Lectio ix. *de Homilia et comm. Feriæ in Laud. Deinde SS. Martyrum, ut supra.*

Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 8. S. Joannis de Deo

Confessoris. *Duplex.*

Oratio.

DEUS, qui beatum Joannem, tuo amore succensum, inter flammas innoxium incedere fecisti, et per eum Ecclesiam tuam nova prole fœcundasti, præsta, ipsius suffragantibus meritis, ut igne charitatis tuæ vitia nostra curentur, et remedia nobis æterna proveniant. Per Dominum.

Et fit comm. S. Thomæ et Feriæ in Quadrag.

Lect. I. Noct. de Scrip. occ.

In Quadrag. Beatus vir, p. 58*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JOANNES de Deo, ex Catholicis piisque parentibus in oppido Montis Majoris, junioris regni Lusitaniæ natus, quam sublimiter in sortem Domini fuerit electus, insuetus splendor super ejus domo refulgens, sonitusque æris campani sua sponte emissus, ab ipso ejus nativitatis tempore, non obscure prænuntiarunt? A laxiori vivendi ratione, divina operante virtute revocatus, magnæ sanctitatis exhibere specimen cœpit, et ob auditam prædicationem verbi Dei, sic ad meliora se excitatum sensit, ut jam ab ipso sanctioris vitæ rudimento consummatum aliquid perfectumque visus sit attigisse. Bonis omnibus in pauperes carceribus inclusos erogatis, admirabilis pœnitentiæ, suique ipsius contemptus cuncto populo spectaculum factus, a plerisque ceu demens graviter afflictus, in carcerem amentibus destinatum conjicitur. At Joannes cœlesti charitate magis incensus, gemino atque amplo valetudinario ex piorum eleemosynis in civitate Granatensi extructo, jactoque novi Ordinis fundamento, Ecclesiam nova prole fœcundavit Fratrum Hospitalitatis, infirmis præclaro animarum corporumque profectu inservientium, et longe lateque per orbem diffusorum.

Lectio v.

PAUPERIBUS ægrotis, quos propriis quandoque humeris domum deferebat, nulla re ad animæ corporisque salutem proficua deerat.

Digitized by Google

Effusa quoque extra nosocomium charitate, indigentibus mulieribus viduis, et præcipue virginibus periclitantibus clam alimenta subministrabat, curamque indefessam adhibebat, ut carnis concupiscentiam a proximis hujusmodi vitio inquinatis exterminaret. Cum autem maximum in regio Granatensi valetudinario excitatum fuisset incendium, Joannes impavidus prosiliit in ignem, huc illuc discurrens, quousque tum infirmos humeris exportatos, tum lectulos e fenestris projectos, ab igne vindicavit, ac per dimidiam horam inter flammas jam in immensum succrescentes versatus, exinde divinitus incolumis, universis civibus admirantibus, exivit, in schola charitatis edocens, segniorem in eum fuisse ignem, qui foris usserat, quam qui intus accenderat.

Lectio vj.

MULTIPLICI asperitatum genere, demississima obedientia, extrema paupertate, orandi studio, rerum divinarum contemplatione, ac in beatam Virginem pietate mirifice excelluit, et lacrymarum dono enituit. Denique gravi morbo correptus, omnibus Ecclesiæ Sacramentis rite sancteque refectus, viribus licet destitutus, propriis indutus vestibus e lectulo surgens, ac provolutus in genua, manu et corde Christum Dominum e cruce pendentem perstringens, octavo Idus Martii anno millesimo quingentesimo quinquagesimo obiit in osculo Domini, quem etiam mortuus tenuit, nec dimisit, et in eadem corporis constitutione sex circiter horas, quousque inde dimotus fuisset, tota civitate inspectante, mirabiliter permansit, odorem mire fragrantem diffundens. Quem ante et post obitum plurimis miraculis clarum, Alexander Octavus Pontifex Maximus in Sanctorum numerum retulit.

In III. Noct. Homilia Sadducæis confusis *ut in Dom.* 17. *post Pentec.* p. 601. *cum* ℟. *vij. et viij. de Com.*

In Quadrag. Lectio ix. *de Homilia et comm. Feriæ in Laud.*

Vesperæ a Capit de sequenti.

Die 9. S. Francisca

Viduæ Romanæ *Dupl.*

Oratio.

DEUS, qui beatam Franciscam famulam tuam, inter cætera gratiæ tuæ dona, familiari Angeli consuetudine decorasti, concede, quæsumus, ut intercessionis ejus auxilio, Angelorum consortium consequi mereamur. Per Dominum.

Et fit comm. præced. et Feriæ.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

In Quadrag. Mulierem fortem. p. 72*.

Lectio iv.

FRANCISCA nobilis matrona Romana, ab ineunte ætate illustria dedit virtutum exempla. Etenim pueriles ludos et illecebras mundi respuens, solitudine et oratione magnopere delectabatur. Undecim annos nata, virginitatem suam Deo consecrare et monasterium ingredi proposuit. Parentum tamen voluntati humiliter obtemperans, Laurentio de Pontianis juveni æque diviti ac nobili nupsit. In matrimonio arctioris vitæ propositum, quantum licuit, semper retinuit, a spectaculis, conviviis, aliisque hujusmodi oblectamentis abhorrens, lanea ac vulgari veste utens, et quidquid a domesticis curis supererat temporis, orationi aut proximorum utilitati tribuens; in id vero maxima sollicitudine incumbens, ut matronas Romanas a pompis sæculi et ornatus vanitate revocaret. Quapropter domum Oblatarum, sub regula sancti Benedicti, Congregationis montis Oliveti, adhuc viro alligata, in Urbe instituit. Viri exilium, bonorum jacturam, ac universæ domus mœrorem, non modo constantissime toleravit, sed gratias agens cum beato Job illud frequenter usurpabat: Dominus dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum.

Digitized by Google

Lectio v.

VIRO defuncto, ad prædictam Oblatarum domum convolans, nudis pedibus, fune ad collum alligato, humi prostrata, multis cum lacrymis earum numero adscribi suppliciter postulavit. Voti compos facta, licet esset omnium mater, non alio tamen quam ancillæ, vilissimæque feminæ, et immunditiæ vasculi titulo gloriabatur. Quam vilem sui existimationem et verbo declaravit, et exemplo: sæpe enim e suburbana vinea revertens, et lignorum fascem proprio capiti impositum deferens, vel eisdem onustum agens per Urbem asellum, pauperibus subveniebat, in quos etiam largas eleemosynas erogabat: ægrotantesque in xenodochiis visitans, non corporali tantum cibo, sed salutaribus monitis recreabat. Corpus suum vigiliis, jejuniis, cilicio, ferreo cingulo, crebrisque flagellis in servitutem redigere jugiter satagebat: Cibum illi semel in die herbæ et legumina, aqua potum præbuit. Hos tamen corporis cruciatus aliquando Confessarii mandato, a cujus ore nutuque pendebat, modice temperavit.

Lectio vj.

DIVINA mysteria, præsertim vero Christi Domini passionem, tanto mentis ardore, tantaque lacrymarum vi contemplabatur, ut præ doloris magnitudine pene confici videretur. Sæpe etiam, cum oraret, maxime sumpto sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento, spiritu in Deum elevata, ac cœlestium contemplatione rapta, immobilis permanebat. Quapropter humani generis hostis variis eam contumeliis ac verberibus a proposito dimovere conabatur; quem tamen illa imperterrita semper elusit, Angeli præsertim præsidio, cujus familiari consuetudine gloriosum de eo triumphum reportavit. Gratia curationum et prophetiæ dono enituit, quo et futura prædixit, et cordium secreta penetravit. Non semel aquæ, vel per rivum decurrentes, vel e cœlo labentes, intactam prorsus, dum Deo vacaret, reliquerunt. Modica panis fragmenta, quæ vix tribus sororibus reficiendis fuissent satis, sic ejus precibus Dominus multiplicavit, ut quindecim inde exsaturatis, tantum superfuerit, ut canistrum impleverit; et aliquando earumdem sororum, extra Urbem mense Januario ligna parantium, sitim recentis uvæ racemis ex vite in arbore pendentibus mirabiliter obtentis, abunde expleverit. Denique meritis et miraculis clara migravit ad Dominum, anno ætatis suæ quinquagesimo sexto: quam Paulus Quintus Pontifex Maximus in Sanctorum numerum retulit.

In III. Noct. Homilia Cœlorum regnum fratres, *de Com.*

In Quadrag. Lectio ix *de Homilia et comm. Feriæ in Laud.*

In II. Vesp. comm. seq. et Feriæ.

Die 10. SS. XL. Martyrum,

Semiduplex.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui gloriosos Martyres fortes in sua confessione cognovimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum.

Lect. I. Noct. Fratres debitores.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

LICINIO Imperatore, et Agricolao Præside, ad Sebasten Armeniæ urbem, quadraginta militum fides in Jesum Christum, et fortitudo in cruciatibus perferendis enituit. Qui sæpius in horribilem carcerem detrusi vinculisque constricti, cum ora ipsorum lapidibus contusa fuissent, hiemis tempore frigidissimo nudi sub aperto aere supra stagnum rigens pernoctare jussi sunt, ut frigore congelati necarentur. Una autem erat omnium oratio: Quadraginta in stadium ingressi sumus, quadraginta item, Domine, corona donemur: ne una quidem huic numero desit. Est in ho-

Digitized by Google

more hic numerus, quem tu quadraginta dierum jejunio decorasti, per quem divina lex ingressa est in orbem terrarum. Elias quadraginta dierum jejunio Deum quærens, ejus visionem consecutus est. Et hæc quidem illorum erat oratio.

Lectio v.

CÆTERIS autem custodibus somno deditis, solus vigilabat janitor, qui et illos orantes, et luce circumfusos, et quosdam e cœlo descendentes Angelos tanquam a Rege missos, qui coronas triginta novem militibus distribuerent, intuens, ita secum loquebatur: Quadraginta hi sunt, quadragesimi corona ubi est? Quæ dum cogitaret, unus ex illo numero, cui animus ad frigus ferendum defecerat, in proximum tepefactum balneum desiliens, sanctos illos summo dolore affecit. Verum Deus illorum preces irritas esse non est passus: nam rei eventum admiratus janitor, mox custodibus e somno excitatis, detractisque sibi vestibus, ac se Christianum esse clara voce professus, Martyribus se adjunxit. Cum vero Præsidis satellites janitorem quoque Christianum esse cognovissent, bacillis comminuta omnium eorum crura fregerunt.

Lectio vj.

IN eo supplicio mortui sunt omnes, præter Melithonem, natu minimum. Quem cum præsens mater ejus, fractis cruribus adhuc viventem vidisset, sic cohortata est: Fili, paulisper sustine, ecce Christus ad januam stat adjuvans te. Cum vero reliquorum corpora plaustris imponi cerneret, ut in rogum inferrentur, ac filium suum relinqui, quod speraret impia turba puerum, si vixisset, ad idolorum cultum revocari posse, ipso in humeros sublato, sancta mater vehicula Martyrum corporibus onusta strenue prosequebatur: in cujus amplexu Melithon spiritum Deo reddidit, ejusque corpus in eumdem illum cæterorum Martyrum rogum pia mater injecit, ut qui fide et virtute conjunctissimi fuerant, funeris etiam societate copulati, una in cœlum pervenirent. Cumbustis illis, eorum reliquiæ projectæ in profluentem, cum mirabiliter in unum confluxissent locum, salvæ et integræ repertæ, honorifico sepulchro conditæ sunt.

In III. Noct. Homilia Adverte omnia diligenter *de Com. 2. loco*, p. 37*.

Lectio ix. *de Homilia et comm. Feriæ in Laudibus.*

die 12. S. Gregorii,

Papæ, Confess. et Eccl. Doct.

Duplex.

In utrisq. Vesp. Ant. O Doctor.

Oratio.

DEUS, qui animæ famuli tui Gregorii æternæ beatitudinis præmia contulisti, concede propitius: ut qui peccatorum nostrorum pondere premimur, ejus apud te precibus sublevemur. Per Dominum.

Deinde fit commemor. Feriæ.

Lect. I. Noct. Sapientiam, *p.* 48.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

GREGORIUS Magnus, Romanus, Gordiani senatoris filius, adolescens Phiosophiæ operam dedit, et prætorio officio functus, patre mortuo, sex monasteria in Sicilia ædificavit, Romæ septimum sancti Andreæ nomine in suis ædibus, prope Basilicam sanctorum Joannis et Pauli ad clivum Scauri, ubi Hilarione ac Maximiano magistris, monachi vitam professus, postea Abbas fuit. Mox Diaconus Cardinalis creatus, Constantinopolim a Pelagio Pontifice ad Tiberium Constantinum Imperatorem legatus mittitur: apud quem memorabile etiam illud effecit, quod Eutychium Patriarcham, qui scripserat contra veram ac tractabilem corporum resurrectionem, ita convicit, ut ejus librum Imperator in ignem injiceret. Quare Eutychius paulo post, cum in morbum incidisset, instante

Digitized by Google

morte, pellem manus suæ tenebat, multis præsentibus, dicens: Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus.

Lectio v.

ROMAM rediens, Pelagio pestilentia sublato, summo omnium consensu Pontifex eligitur: quem honorem ne acciperet, quamdiu potuit, recusavit. Nam alieno vestitu in spelunca delituit: ubi deprehensus indicio igneæ columnæ, ad sanctum Petrum consecratur. In Pontificatu multa successoribus doctrinæ ac sanctitatis exempla reliquit. Peregrinos quotidie ad mensam adhibebat, in quibus et Angelum, et Dominum Angelorum peregrini facie accepit. Pauperes et urbanos et externos, quorum numerum descriptum habebat, benigne sustentabat. Catholicam fidem multis locis labefactatam restituit: nam Donatistas in Africa, Arianos in Hispania repressit: Agnoitas Alexandria ejecit; pallium Syagrio Augustodunensi Episcopo dare noluit, nisi Neophitos hæreticos expelleret ex Gallia; Gothos hæresim Arianam relinquere coegit. Missis in Britanniam doctis et sanctis viris Augustino et aliis monachis, insulam ad Jesu Christi fidem convertit, vere a Beda presbytero, Angliæ vocatus Apostolus; Joannis Patriarchæ Constantinopolitani audaciam fregit, qui sibi universalis Ecclesiæ Episcopi nomen arrogabat. Mauritium Imperatorem, eos qui milites fuissent, monachos fieri prohibentem, a sententia deterruit.

Lectio vj.

ECCLESIAM ornavit sanctissimis institutis et legibus. Apud sanctum Petrum coacta Synodo, multa constituit; in iis, Ut in Missa Kyrie eleison novies repeteretur; Ut extra id tempus, quod continetur Septuagesima et Pascha, Alleluia diceretur: Ut adderetur in Canone, Diesque nostros in tua pace disponas. Litanias, Stationes, et Ecclesiasticum officium auxit. Quatuor conciliis, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi, tanquam quatuor Evangeliis, honorem haberi voluit. Episcopis Siciliæ, qui ex antiqua Ecclesiarum consuetudine Romam singulis triennüis conveniebant, quinto quoque anno semel venire indulsit. Multos libros confecit: quos cum dictaret, testatus est Petrus diaconus, se Spiritum sanctum columbæ specie in ejus capite sæpe vidisse. Admirabilia sunt quæ dixit, fecit, scripsit, decrevit, præsertim infirma semper et ægra valetudine. Qui denique, multis editis miraculis, Pontificatus anno decimo tertio, mense sexto, die decimo, quarto Idus Martii, qui dies festus a Græcis etiam propter insignem hujus Pontificis sapientiam ac sanctitatem præcipuo honore celebratur, ad cœlestem beatitudinem evocatus est. Cujus corpus sepultum est in Basilica sancti Petri, prope Secretarium.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Ex Homil. 17. *in Lucæ* 10.

CONSIDERANDUM nobis est, ut qui una eademque exhortationis voce non sufficit simul cunctos admonere, studeat singulos, in quantum valet, instruere, privatis locutionibus ædificare. Debemus namque pensare continuo quod sanctis Apostolis dicitur, et per Apostolos nobis: Vos estis sal terræ. Si ergo sal sumus, condire mentes fidelium debemus. Vos igitur, qui pastores estis, pensate quia Dei animalia pascitis; de quibus profecto animalibus Deo per Psalmistam dicitur: Animalia tua habitabunt in ea. Et sæpe videmus quod petra salis brutis anima-

Digitized by Google

libus anteponitur, ut ex eadem salis petra lambere debeant, et meliorari. quasi ergo inter bruta animalia petra salis, debet esse sacerdos in populis. Curare namque sacerdotem necesse est, quæ singulis dicat, unumquemque qualiter admoneat; ut quisquis sacerdoti jungitur, quasi ex salis tactu æternæ vitæ sapore condiatur.

Lectio viij.

SAL etenim terræ non sumus, si corda audientium non condimus: quod profecto condimentum ille veraciter proximo impendit, qui prædicationis verbum non subtrahit. Sed tunc vere aliis recta prædicamus, si dicta rebus et exemplis ostendimus. Nullum, puto, fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium, quam a sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus, nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia eo ipso, quo cæteris prælati sumus, ad agenda quælibet majorem licentiam habemus, susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum, Dei causam relinquimus, ad terrena negotia vacamus, locum sanctitatis accipimus, et terrenis actibus implicamur.

℣. In medio Ecclesiæ *p.* 48*.

Lect. ix. *de Homilia et com. Feriæ in Laud. et Vesp.*

Si dies crastina vel alia ex sequentibus fuerit Feria vj. post Dom. Passionis, fiat Offic. septem Dolorum B. M. V. ut infra.

Si quod ex seq. Festis incidat in maj. Hebd., vel infra Oct. Paschæ, transferatur post Oct.

Die 17. S. Patritii,

Episcopi et Confessoris. *Semid.*

Oratio.

DEUS, qui ad prædicandam Gentibus gloriam tuam beatum Patritium Confessorem atque Pontificem mittere dignatus es, ejus meritis et intercessione concede, ut quæ nobis agenda præcipis, te miserante, adimplere possimus. Per Dominum.

Et fit commemoratio Feriæ.

Lect. I. Noct. Fidelis sermo.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PATRITIUS, Hiberniæ dictus Apostolus, Calphurnio patre, matre Conchessa sancti Martini Turonensis Episcopi, ut perhibent, consanguinea, major in Britannia natus, puer in Barbarorum sæpius incidit captivitatem. Eo in statu pascendis gregibus præpositus, jam tum futuræ sanctitatis specimen præbuit. Fidei namque, divinique timoris, et amoris spiritu repletus, antelucano tempore per nives, gelu, ac pluvias, ad preces Deo fundendas impiger consurgebat; solitus centies interdiu, centiesque noctu Deum orare. A servitute tertio exemptus, et inter Clericos relatus, in divinis lectionibus longo se tempore exercuit. Galliis, Italia, insulisque Tyrrheni maris labore summo peragratis, divino tandem monitu ad Hibernorum salutem advocatur, et facta a beato Cælestino Papa Evangelii nuntiandi potestate, consecratusque Episcopus, in Hiberniam perrexit.

Lectio v.

EO in munere mirum quot vir Apostolicus mala, quot ærumnas et labores, quot pertulerit adversarios. Verum Dei afflante benignitate, terra illa, idolorum antea cultrix, eum mox, prædicante Patritio, fructum dedit, ut Sanctorum insula deinde fuerit appellata. Frequentissimi ab eo populi sacro sunt regenerati lavacro, Episcopi, clericique plurimi ordinati; virgines ac viduæ ad continentiæ leges institutæ. Armachanam Sedem, Romani Pontificis auctoritate, totius insulæ principem Metropolim constituit, Sanctorumque reliqiis ab

Urbe relatis decoravit. Supernis visionibus, prophetiæ dono, ingentibusque signis, et prodigiis a Deo exornatus adeo refulsit, ut longe lateque celebrior Patritii se fama diffuderit.

Lectio vj.

PRÆTER quotidianam Ecclesiarum sollicitudinem, invictum ab oratione spiritum nunquam relaxabat. Aiunt enim integrum quotidie Psalterium una cum canticis et hymnis, ducentisque orationibus consuevisse recitare; ter centies per dies singulos flexis genibus Deum adorare, ac in qualibet Hora diei Canonica centies se crucis signo munire. Noctem tria in spatia distribuens, primum in centum psalmis percurrendis, et bis centies genuflectendo, alterum in reliquis quinquaginta psalmis, algidis aquis immersus, ac corde, oculis, manibusque ad cœlum erectus, absolvendis insumebat, tertium vero super nudum lapidem stratus tenui dabat quieti. Humilitatis eximius cultor, Apostolico more a manuum suarum labore non abstinuit. Assiduis tandem curis pro Ecclesia consumptus, verbo et opere clarus, in extrema senectute divinis Mysteriis refectus, obdormivit in Domino, sepultusque est apud Dunum in Ultonia, a Christiana salute sæculo quinto.

In III. Noct. Homilia Lectio sancti Evangelii *de Com. I. loco.*

Lectio ix. *de Homilia et comm. Feriæ in Laud. et Vesp.*

Die 19. S. Josephi,

Sponsi B. Mariæ Virg. Conf.

Duplex 2. Classis.

In I. Vesperis.

Ant. I. Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

Psalmi de Dom. loco ult. Laudate Dominum omnes gentes.

2. Missus est Angelus Gabriel a Deo ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria.

3. Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.

4. Joseph vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.

5. Angelus Domini apparuit Joseph, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum.

Capitulum. Prov. 28 *et* 27.

VIR fidelis mutum laudabitur, et qui custos est Domini sui, glorificabitur.

HYMNUS.

TE, Joseph, celebrent agmina Cœlitum,
Te cuncti resonent Christiadum chori:
Qui clarus meritis junctus es inclytæ
Casto fœdere Virgini.
Almo cum tumidam germine conjugem
Admirans, dubio tangeris anxius,
Afflatu superi Flaminis Angelus
Conceptum puerum docet.
Tu natum Dominum stringis, ad exteras
Ægypti profugum tu sequeris plagas;
Amissum Solymis quæris et invenis,
Miscens gaudia fletibus.
Post mortem reliquos mors pia consecrat,
Palmamque emeritos gloria suscipit;
Tu vivens, Superis par, frueris Deo,
Mira sorte beatior.
Nobis, summa Trias, parce precantibus,
Da Joseph meritis sidera scandere:
Ut tandem liceat nos tibi perpetim,
Gratum promere canticum.
Amen.

℣. Constituit eum dominum domus suæ. ℟. Et principem omnis possessionis suæ.

Ad Magnif. Ant. Exurgens Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, et accepit conjugem suam.

Digitized by Google

Oratio ut infra in Laudibus.
In Quadrag. fit. comm. Feriæ.

Ad Matutinum.

Invit. Christum Dei Filium, qui putari dignatus est filius Joseph, * Venite, adoremus.

HYMNUS.

CŒLITUM Joseph decus, atque nostræ
Certa spes vitæ, columenque mundi,
Quas tibi læti canimus, benignus
Suscipe laudes.

Te Sator rerum statuit pudicæ
Virginis sponsum, voluitque Verbi
Te patrem dici, dedit et ministrum
Esse salutis.

Tu Redemptorem stabulo jacentem,
Quem chorus Vatum cecinit futurum,
Aspicis gaudens, humilisque natum
Numen adoras.

Rex Deus regum, Dominator orbis,
Cujus ad nutum tremit inferorum
Turba, cui pronus famulatur æther,
Se tibi subdit.

Laus sit excelsæ Triadi perennis,
Quæ tibi præbens superos honores,
Det tuis nobis meritis beatæ
Gaudia vitæ. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Ascendit Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, ut profiteretur cum Maria.

Psalmi de Com. Conf. non Pont.

2. Venerunt pastores festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio.

3. Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum.

℣. Constituit eum dominum domus suæ. ℟. Et principem omnis possessionis suæ.

De libro Genesis.

Lectio j. Cap. 39.

JOSEPH igitur ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphar Eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir Ægyptius, de manu Ismaelitarum a quibus perductus erat. Fuitque Dominus cum eo, et erat vir in cunctis prospere agens: habitavitque in domo domini sui, qui optime noverat Dominum esse cum eo, et omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius. Invenitque Joseph gratiam coram domino suo, et ministrabat ei, a quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, et universa quæ ei tradita fuerant; benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joseph.

℟. Fuit Dominus cum Joseph, et dedit ei gratiam in conspectu principis carceris: * Qui tradidit in manu illius universos vinctos. ℣. Quidquid fiebat, sub ipso erat: Dominus enim erat cum illo, et omnia opera ejus dirigebat. Qui.

Lectio ij. Genes. 41.

PLACUIT Pharaoni consilium Joseph, et cunctis ministris ejus, locutusque est ad eos: Num invenire poterimus talem virum, qui Spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Joseph: Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es, numquid sapientiorem et consimilem tui invenire potero? Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet; uno tantum regni solio te præcedam.

℟. Esuriente terra Ægypti, clamavit populus ad regem alimenta petens. Quibus ille respondit: Ite ad Joseph, et quidquid vobis dixerit, facite. ℣. Crescebat quotidie fames in omni terra, aperuitque Joseph universa horrea, et vendebat Ægyptiis. Ite.

Lectio iij.

DIXITQUE rursus Pharao ad Joseph: Ecce constitui te super universam terram Ægypti. Tulitque annulum de manu sua, et dedit eum in manu ejus; vestivitque eum stola byssina, et collo torquem auream circumposuit. Fecitque eum a-

Digitized by Google

scendere super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genuflecterent, et præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti. Dixitque rex ad Joseph: Ego sum Pharao; absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti.

℟. Fecit me Dominus quasi patrem regis, et dominum universæ domus ejus: nolite pavere: * Pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum. ℣. Venite ad me, et ego dabo vobis omnia bona Ægypti, et comedetis medullam terræ. Pro. Gloria. Pro.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. Consurgens Joseph, accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum: et erat ibi usque ad obitum Herodis.

2. Defuncto Herode, Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens: Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel: defuncti sunti enim qui quærebant animam pueri.

3. Accepit Joseph puerum et matrem ejus, et venit in terram Israel.

℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo. ℟. Gloriam et magnum decorem impones super eum.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Hom. 2. *super* Missus.

Lectio iv.

QUIS et qualis homo fuerit beatus Joseph, conjice ex appellatione, qua, licet dispensatoria, meruit honorari adeo, ut pater Dei et dictus et creditus sit: conjice et ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubitas interpretari. Simul et memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto, et scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed et castimoniam adeptum, innocentiam assecutum et gratiam.

℟. Ascendit Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem: * Eo quod esset de domo et familia David. ℣. Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore. Eo.

Lectio v.

SI quidem ille Joseph, fraterna ex invidia venditus, et ductus in Ægyptum, Christi venditionem præfiguravit: iste Joseph, Herodianam invidiam fugiens, Christum in Ægyptum portavit. Ille domino suo fidem servans, dominæ noluit commisceri: iste dominam suam, Domini sui matrem, virginem agnoscens, et ipse continens, fideliter custodivit. Illi data est intelligentia in mysteriis somniorum: isti datum est conscium fieri atque participem cœlestium sacramentorum.

℟. Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum: * Et esto ibi usque dum dicam tibi. ℣. Ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum. Et.

Lectio vj.

ILLE frumenta servavit non sibi, sed omni populo: iste panem vivum e cœlo servandum accepit tam sibi, quam toti mundo. Non est dubium, quin bonus et fidelis homo fuerit iste Joseph, cui mater desponsata est Salvatoris. Fidelis, inquam, servus et prudens, quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutritium, solum denique in terris magni consilii coadjutorem fidissimum.

℟. Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo: * Accepit eum Simeon in ulnas suas, et benedixit Deum. ℣. Et erat pater ejus et mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Accepit. Gloria. Accepit.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. Audiens Joseph quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illuc ire.

Digitized by Google

2. Admonitus in somnis Joseph secessit in partes Galilææ, et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.

3. Erat pater Jesu et mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo, et benedixit illis Simeon.

℣. Justus germinabit sicut lilium. ℟. Et florebit in æternum ante Dominum.

In III. Noct. Hom. Quare non de simplici, *ut in Vigil. Nativ.* p.136.

In Quadrag. Lectio ix. *de Hom. et comm. Feriæ in Laudibus.*

℟. *vij.* Dicit mater Jesu ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? * Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te. ℣. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Ecce.

℟. *viij.* Descendit Jesus cum eis, et venit Nazareth: * Et erat subditus illis. ℣. Proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines. Et. Gloria. Et.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. IBANT parentes Jesu * per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ.

2. Cum redirent, * remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus.

3. Non invenientes * Jesum, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum; et post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem, et interrogantem eos.

4. Dixit mater ejus ad illum, Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te.

5. Descendit Jesus * cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis.

Capitulum. Prov. 28. et 27.

VIR fidelis multum laudabitur; et qui custos est Domini sui, glorificabitur.

HYMNUS.

ISTE, quem læti colimus fideles,
Cujus excelsos canimus triumphos,
Hac die Joseph meruit perennis
Gaudia vitæ.

O nimis felix, nimis o beatus,
Cujus extremam vigiles ad horam
Christus et Virgo simul astiterunt
Ore sereno.

Hinc stygis victor, laqueo solutus
Carnis, ad sedes placido sopore
Migrat æternas, rutilisque cingit
Tempora sertis.

Ergo regnantem flagitemus omnes,
Adsit ut nobis, veniamque nostris
Obtinens culpis, tribuat supernæ
Munera pacis.

Sint tibi plausus, tibi sint honores
Trine, qui regnas, Deus, et coronas
Aureas servo tribuis fideli
Omne per ævum. Amen.

℣. Os justi meditabitur sapientiam. ℟. Et lingua ejus loquetur judicium.

Ad Bened. Ant. Ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph.

Oratio.

SANCTISSIMÆ Genetricis tuæ Sponsi, quæsumus, Domine, meritis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis.

Ad Tertium.

Capit. Vir fidelis.

℟. *br.* Constituit eum, Dominum domus suæ. Constituit. ℣. Et principem omnis possessionis suæ. Dominum. Gloria. Constituit.

℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo. ℟. Gloriam et magnum decorem impones super eum.

Digitized by Google

Ad Sextum.

Capitulum. Eccli. 45.

DILECTUS Deo et hominibus cujus memoria in benedictione est. In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne.

℟. *br.* Magna est gloria ejus: * In salutari tuo. Magna. ℣. Gloriam et magnum decorem impones super eum. In. Gloria. Magna. ℣. Justus germinabit sicut lilium ℟. Et florebit in æternum ante Dominum.

Ad Nonam.

Capitulum. Sap. 10

PROFUGUM justum deduxit Sapientia per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum, honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius.

℟. *br.* Justus germinabit, * Sicut lilium. Justus, ℣. Et florebit in æternum ante Dominum. Sicut. Gloria. Justus. ℣. Plantatus in domo Domini. ℟. In atriis domus Dei nostri.

In II. Vesperis.

Ant. de Laud. Psalmi, Capit. et Hymnus ut in I. Vesperis

℣. Gloria et divitiæ in domo ejus ℟. Et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Ad Magnif. Ant. Ecce fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.

In Quadrag. fit comm. Feriæ.

Die 21. S. Benedicti,

Abbatis. *Duplex.*

Oratio.

INTERCESSIO nos, quæsumus Domine, beati Benedicti Abbatis commendet, ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur. Per Dominum.

In Quadrag. fit comm. Feriæ.

Lect. I. Noct. Laudemus viros *de Com. Conf. Pont. 2. loco*, p. 46*. *cum* ℟℟. *de Com.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

BENEDICTUS, Nursiæ nobili genere ortus, Romæ liberalibus disciplinis eruditus, ut totum se Jesu Christo daret, ad eum locum, qui Sublacus dicitur, in altissimam speluncam penetravit: in qua sic per triennium delituit, ut unus id sciret Romanus monachus, quo ad vitæ necessitatem ministro utebatur. Dum igitur ei quodam die ardentes ad libidinem faces a diabolo subjicerentur, se in vepribus tamdiu volutavit, dum lacerato corpore, voluptatis sensus dolore opprimeretur. Sed jam erumpente ex illis latebris fama ejus sanctitatis, quidam monachi se illi instituendos tradiderunt: quorum vivendi licentia cum ejus objurgationes ferre non posset, venenum in potione ei dare constituunt. Verum poculum ei præbentibus, crucis signo vas confregit, ac relicto monasterio, in solitudinem se recepit.

Lectio V.

SED cum multi ad eum quotidie discipuli convenirent, duodecim monasteria ædificavit, eaque sanctissimis legibus communivit. Postea Cassinum migravit, ubi simulacrum Apollinis, qui adhuc ibi colebatur comminuit: aram evertit, et lucos succendit: ibique sancti Martini sacellum, et sancti Joannis ædiculam extruxit: oppidanos autem et incolas Christianis præceptis imbuit. Quare augebatur in dies magis divina gratia Benedictus, ut etiam prophetico spiritu ventura prædiceret. Quod ubi accepit Totila Gothorum rex, exploraturus an res ita esset, spatharium suum regio ornatu et comitatu præmittit, qui se regem simularet. Quem ut ille vidit: Depone, inquit, fili, depone quod geris: nam tuum non est. Totilæ vero prædixit adventum ejus in Urbem, maris transmissionem, et post novem annos mortem.

Lectio VI.

QUI aliquot mensibus antequam e vita migraret, præmonuit di-

Digitized by Google

scipulos quo die esset moriturus, ac sepulchrum, in quo suum corpus condi vellet, sex diebus antequam eo inferretur, aperiri jussit: sextoque die deferri voluit in Ecclesiam, ubi sumpta Eucharistia, sublatis in cœlum oculis orans, inter manus discipulorum efflavit animam. Quam duo monachi euntem in cœlum viderunt pallio ornatam pretiosissimo, circum eam fulgentibus lampadibus, et clarissima et gravissima specie virum stantem supra caput ipsius dicentem audierunt. Hæc est via, qua dilectus Domini Benedictus in cœlum ascendit.

In III. Noct. Homilia Grandis fiducia *de Com. Apost.* I. *loco*, p. 7*. cum ℟. vij. *et* viij. *de Com.*

In Quadrag. Lectio ix. *de Hom. et comm. Feriæ in Laud. et Vesp.*

Die 25. In Annuntiat.

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Duplex 2. *Classis.*

Si hoc Festum venerit in Dom. privilegiata, transfertur in Feriam ij. *seq., translato quocumque Festo etiam æqualis, non tamen altioris ritus. Si vero occurrerit in Hebd. maj. vel Paschali, trasfertur pari cum privilegio in Feriam* ij. *post Dom. in Albis.*

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. Psalmi et alia hic non propria ut in festis B. M. V. p. 92*.

℣. Ave Maria, gratia plena.

℟. Dominus tecum.

Ad Magnif. Ant. Spiritus sanctus in te descendet, Maria, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

Oratio ut infra in Laudibus.

In Quadrag. fit comm. Feriæ

Ad Matutinum

Invit. Ave, Maria, gratia plena: * Dominus tecum.

IN I. NOCTURNO.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 7.

ET adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo domus David: Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.

℟. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam virginem desponsatam Joseph, nuntians ei verbum, et expavescit virgo de lumine. Ne timeas, Maria: invenisti gratiam apud Dominum: * Ecce concipies et paries, et vocabitur Altissimi Filius. ℣. Dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus; et regnabit in domo Jacob in æternum. Ecce.

Lectio ij. Cap. II.

ET egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet: sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ: et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus. et fides cinctorium renum ejus.

℟. Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum: * Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: quod enim ex te nascetur sanctum vocabitur Filius Dei. ℣. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei. Spiritus.

Digitized by Google

Lectio iij. Cap. 35.

LÆTABITUR deserta et invia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium. Germinans germinabit, et exultabit lætabunda et laudans: gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron, ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri. Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate. Dicite pusillanimis: Confortamini, et nolite timere; ecce Deus vester ultionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, et salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum: quia scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine. Et quæ erat arida erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum.

℟. Suscipe verbum, virgo Maria, quod tibi a Domino per Angelum transmissum est: concipies et paries Deum pariter et hominem; * Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres. ℣. Paries quidem filium, et virginitatis non patieris detrimentum, efficieris gravida, et eris mater semper intacta. Ut. Gloria. Ut.

IN III. NOCTURNO.

De serm. sancti Leonis Papæ.
Serm. 2. de Nativitate Domini.

Lectio iv.

DEUS omnipotens et clemens, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est, statim ut nos diabolica malignitas veneno suæ mortificavit invidiæ, prædestinata renovandis mortalibus suæ pietatis remedia, inter ipsa mundi primordia præsignavit, denuntians serpenti futurum semen mulieris, quod noxii capitis elationem sua virtute contereret, Christum scilicet in carne venturum, Deum hominemque signans, qui natus ex Virgine, violatorem humanæ propaginis incorrupta nativitate damnaret.

℟. Ecce virgo concipiet, et pariet filium, dicit Dominus: * Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Deus, Fortis. ℣. Super solium David, et super regnum ejus sedebit in æternum. Et.

Lectio v.

NAM quia gloriabatur diabolus, sua fraude deceptum hominem divinis caruisse muneribus, et immortalitatis dote nudatum, duram mortis subiisse sententiam, seque in malis suis quoddam de prævaricatoris consortio invenisse solatium, Deum quoque, justæ severitatis exigente ratione, erga hominem quem in tanto honore condiderat, antiquam mutasse sententiam; opus fuit, dilectissimi, secreti dispensatione consilii, ut incommutabilis Deus, cujus voluntas non potest sua benignitate privari, primam pietatis suæ dispositionem sacramento occultiore compleret, et homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam, contra Dei propositum non periret.

℟. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet: * Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus. ℣. Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis. Et.

Lectio vi.

ADVENIENTIBUS ergo temporibus, dilectissimi, quæ redemptioni hominum fuerant præstituta, ingreditur hæc intima Jesus Christus Dominus noster, de cœlesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus: novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris: incomprehensibilis, voluit comprehendi: ante tempora manens, esse cœpit ex tempore: universitatis Dominus, servilem formam, obumbrata majestatis suæ dignitate, suscepit: impassibilis Deus, non dedignatus est homo esse passibilis; et immortalis, mortis legibus subjacere.

℟. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: * Quia quem cœli capere non poterant tuo gremio contulisti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia. Gloria. Quia.

In III. Nocturno Homilia Latent quidem divina, *ut Feria* iv. *infra Hebdomadam tertiam Adventus*, p. 126.

℟. *vij.* Congratulamini mihi, omnes qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula, placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum et hominem. ℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et.

℟. *viij.* Gaude, Maria virgo, cunctas hæreses sola interemisti, quæ Gabrielis Archangeli dictis credidisti:* Dum virgo Deum et hominem genuisti, et post partum virgo inviolata permansisti. ℣. Beata es, quæ credidisti, quia perfecta sunt ea quæ dicta sunt tibi a Domino. Dum. Gloria. Dum.

In Quadrag. Lectio ix. *de Homilia et comm. Feriæ in Laud.*

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Missus est Gabriel * Angelus ad Mariam virginem desponsatam Joseph.

2. Ave, Maria, * gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.

3. Ne timeas, Maria: * invenisti gratiam apud Dominum: ecce concipies et paries filium.

4. Dabit ei Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in æternum.

5. Ecce ancilla Domini: * fiat mihi secundum verbum tuum.

Capitulum Isaiæ 7.

ECCE virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.

℣. Ave, Maria, gratia plena.
℟. Dominus tecum.

Ad Bened. Ant. Quomodo fiet istud, Angele Dei, quoniam virum non cognosco? Audi, Maria virgo: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

Oratio.

DEUS, qui de beatæ Mariæ virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti, præsta supplicibus tuis; ut qui vere eam genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem.

Ad Tertiam.

Capit. Ecce virgo.

℟. *br.* Specie tua. ℣. Adjuvabit eam.

Ad Sextam.

Capitulum. Luc. I.

DABIT illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.

℟. *br.* Adjuvabit eam. ℣. Elegit eam.

Ad Nonam.

Capitulum. Isaiæ II.

EGREDIETUR virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini.

℟. *br.* Elegit eam. ℣. Diffusa est.

In II. Vesperis.

Omnia dicuntur ut in I. *præter*

Ad Magnif. Ant. Gabriel Angelus locutus est Mariæ, dicens: Ave, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.

In Quadrag. fit comm. Feriæ.

FERIA VI. POST DOM. PASS.

OFFICIUM 7. DOLORUM.

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Duplex majus.

Si hæc Feria vj. *fuerit impedita Festo altioris ritus vel dignitatis, transfertur in Sabbatum sequens, dum-*

Digitized by Google

modo non fiat in eo de Festo altioris gradus; quia tunc illo anno omittitur.

Si ob aliquam causam omittendæ sunt I. Vesperæ, *Hymnus* Stabat Mater *jungatur cum* Sancta Mater *ad Matutinum.*

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. cum Psalmis Credidi, Ad Dominum, Eripe me, Domine clamavi, Voce mea, *p.* 323.

HYMNUS.

STABAT Mater dolorosa,
Juxta crucem lacrymosa,
Dum pendebat filius.
Cujus animam gementem,
Contristatam, et dolentem,
Pertransivit gladius.
O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater unigeniti!
Quæ mœrebat, et dolebat,
Pia Mater, dum videbat
Nati pœnas inclyti.
Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio?
Quis non posset contristari
Christi Matrem contemplari
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis suæ gentis
Vidit Jesum in tormentis,
Et flagellis subditum.
Vidit suum dulcem Natum
Moriendo desolatum,
Dum emisit spiritum.
Eia, Mater fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.
Fac ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam. Amen.

℣. Ora pro nobis, Virgo dolorosissima.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnif. Ant. Tuam ipsius animam (ait ad Mariam Simeon) pertransibit gladius.

Oratio ut infra in Laudibus.

Et fit commemoratio Feriæ.

Ad Complet. et Horas in fine Hymnorum dicitur

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine.

Ad Matutinum.

Invit. Dolores gloriosæ recolentes Virginis, Dominum pro nobis passum, * Venite, adoremus.

HYMNUS.

SANCTA Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.
Tui Nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum divide.
Fac me tecum pie flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Juxta crucem tecum stare,
Et me tibi sociare
In planctu desidero. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Psalm. Quare fremuerunt, *p.* 3.

Ant. Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo.

Psalm. Domine quid, *p.* 3.

Ant. Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.

Psalm. Usquequo Domine, *p.* 6.

℣. Posuit me desolatam. ℟. Tota die mœrore confectam.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 53.

QUIS credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neque decor: et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum, et novissimum virorum;

Digitized by Google

virum dolorum, et scientem infirmitatem: et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit, et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus.

℟. Dilectus meus candidus, et rubicundus, et totus desiderabilis: * Omnis enim figura ejus amorem spirat, et ad redamandum provocat, caput inclinatum, manus expansæ, pectus apertum. ℣. Piis, o Virgo, spectas eum oculis, contemplans in eo non tam vulnerum livorem, quam mundi salutem. Omnis.

Lectio ij.

OMNES nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustia, et de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum. * Et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.

℟. Manus ejus tornatiles, clavorum cuspide terebratæ, * Humanæ salutis pretio quasi hyacinthis refertæ. ℣. Cornua in manibus ejus: ibi abscondita est fortitudo ejus: sunt enim manus ejus. Humanæ.

Lectio iij.

ET Dominus voluit conterere eum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur: in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. ** Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est: et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

℟. Diligebat Jesus Joannem, quoniam specialis prærogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum: * Quia virgo electus ab ipso, virgo in ævum permansit. ℣. In cruce denique moriturus huic matrem virginem virgini commendavit. Quia. Gloria. Quia.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, et peribit nomen ejus?

Psalm. Beatus qui intelligit, *p.* 43.

Ant. Deus, vitam meam annuntiavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Psalm. 55. Miserere mei, *p.* 50.

Ant. Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ: et lingua eorum gladius acutus.

Psalm. 56. Miserere mei, *p.* 51.

℣. Facies mea intumuit a fletu.

℟. Et palpebræ meæ caligaverunt.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Ex Sermone de 12. *stellis.*

Lectio iv.

MARTYRIUM Virginis tam in Simeonis prophetia, quam in ipsa Dominicæ passionis historia commendatur. Positus est hic, ait sanctus senex de puero Jesu, in signum cui contradicetur: et tuam ipsius animam (ad Mariam autem dicebat) pertransibit gladius. Vere tuam, o beata Mater, animam pertransivit: alioquin non nisi eam pertransiens, carnem Filii tui penetraret. Et quidem posteaquam emisit spiritum tuus ille Jesus, ipsius plane non attigit animam crudelis lancea, quæ ipsius aperuit latus, sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirum anima jam

Digitized by Google

ibi non erat, sed tua plane inde nequibat avelli.

℟. Tenebræ factæ sunt, cum crucifixissent Jesum Judæi, et circa horam nonam exclamavit Jesus voce magna: Deus meus, ut quid dereliquisti me? * Et inclinato capite emisit spiritum. ℣. Quis tibi nunc sensus, dum cernis talia, Virgo? Et.

Lectio v.

TUAM ergo pertransivit animam vis doloris, ut plusquam martyrem non immerito prædicemus in qua nimirum corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus. An non tibi plusquam gladius fuit sermo ille revera pertransiens animam, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus: Mulier, ecce filius tuus? O commutationem! Joannes tibi pro Jesu traditur, servus pro Domino, discipulus pro magistro, filius Zebedæi pro filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quando et nostra, licet saxea, licet ferrea pectora, sola recordatio scindit?

℟. Passio Domini, * Ipsam ejus matrem, carnali orbitate graviter percussam, vehementissime contristavit. ℣. Ferrum lanceæ militaris latus quidem Salvatoris, animam vero transivit virginis Matris. Ipsam.

Lectio vj.

NON miremini, fratres, quod Maria martyr in anima fuisse dicatur. Miretur qui non meminerit se audivisse Paulum inter maxima gentium crimina memorantem, quod sine affectione fuissent. Longe id fuit a Mariæ visceribus, longe sit a servulis ejus. Sed forte quis dicat: Numquid non eum præscierat moriturum? Et indubitanter. Numquid non sperabat continuo resurrecturum? Et fideliter. Super hæc dolult crucifixum? Et vehementer. Alioquin quisnam tu, frater, aut unde tibi hæc sapientia, ut mireris plus Mariam compatientem, quam Mariæ Filium patientem? Ille etiam mori corpore potuit, ista commori corde non potuit? Fecit illud charitas, qua majorem nemo habuit; fecit et hoc charitas, cui post illam similis altera non fuit.

℟. Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, et inhærendo lateri tuo, ut sanguis tuus sanguinem meum tangat, et tergat: * Ut fons aquæ tuæ de scaturigine recti cordis, per venas boni operis, in finem æternæ felicitatis exiliat? ℣. Filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent. Ut. Gloria. Ut.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Psalm. 63. Exaudi Deus, *p.* 53.

Ant. Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Psalm. Domine Deus, *p.* 69.

Ant. Replevit me amaritudine, inebriavit me absynthio.

Psalm. Deus laudem, *p.* 82.

℣. Deus, vitam meam annuntiavi tibi. ℟. Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 19. *in Joannem.*

HÆC nimirum est illa hora, de qua Jesus, aquam conversurus in vinum, dixerat matri: Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea. Hanc itaque horam prædixerat, quæ tunc nondum venerat, in qua deberet agnoscere moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Tunc ergo divina facturus, non divinitatis, sed infirmitatis matrem velut incognitam repellebat. Nunc autem humana jam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu commendat humano; mo-

Digitized by Google

ralis igitur insinuatur locus. Facit quod faciendum admonet, et exemplo suo suos ministros instruxit præceptor bonus, ut a filiis piis impendatur cura parentibus: tanquam lignum illud, ubi fixa erant membra morientis, etiam cathedra fuerit Magistri docentis.

℣. Doleo super te, fili mi, Jesu, decorus nimis, et amabilis super amorem mulierum: * Sicut enim mater unicum diligit filium, ita ego te diligebam. ℣. Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus. Sicut.

Bened. Cujus.... ipsa Virgo virginum.

Lectio viij.

EX hac sana doctrina didicerat Paulus Apostolus, quod docebat quando dicebat: Si quis autem suis, et maxime domesticis non providet, fidem negavit, et est infideli deterior. Quid autem tam cuique domesticum, quam parentes filiis, aut parentibus filii? Hujus itaque saluberrimi præcepti ipse Magister sanctorum de seipso constituebat exemplum, quando non ut famulæ Deus, quam creaverat, et regebat, sed ut matri homo, de qua creatus fuerat, et quam relinquebat, alterum pro se quodammodo filium providebat.

℟. Eia, mater fons amoris, fac nos sentire vim doloris, ut tecum lugeamus, * Et Dominicæ passionis fructum sentiamus. ℣. Ut sicut filius tuus Jesus pro nobis mortuus est, et resurrexit: ita et nos commortui cum eodem resurgamus. Et. Gloria. Et.

Lectio ix. *de Homilia Feriæ.*

Ad Laudes.

et per Horas, Antiphonæ.

1. Vadam ad montem * myrrhæ, et ad collem thuris.

2. Dilectus meus * candidus, et rubicundus, comæ capitis ejus sicut purpura regis vincta canalibus.

3. Quo abiit * dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo dilectus tuus declinavit?

4. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

5. Fulcite me floribus, * stipate me malis, quia amore langueo.

Capitulum. Isaiæ 53.

QUIS credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti.

HYMNUS.

VIRGO virginum præclara,
Mihi jam non sis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Fac me cruce inebriari,
Et cruore Filii.
Flammis ne urar succensus,
Per te, Virgo, sim defensus
In die judicii.
Christe, cum sit hinc exire
Da per Matrem me venire
Ad palmam victoriæ.
Quando corpus morietur,
Fac ut animæ donetur
Paradisi gloria. Amen.

℣. Ora pro nobis, Virgo dolorosissima. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Bened. Ant. Cum vidisset Jesus matrem stantem juxta crucem, et discipulum quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.

Oratio.

DEUS, in cujus passione, secundum Simeonis prophetiam, dulcissimam animam gloriosæ virginis et matris Mariæ doloris gladius pertransivit, concede propitius, ut qui transfixionem ejus et passionem venerando recolimus, gloriosis meritis et precibus omnium Sanctorum cruci fideliter astantium intercedentibus, passionis tuæ effectum felicem consequamur. Qui vivis.

Et fit commemoratio Feriæ.

Digitized by Google

Ad Primam in ℟. br. ℣. Qui passus es pro homine.

Ad Tertiam.

Capit. Quis credidit.

℟. *br.* Posuit me * Desolatam. Posuit. ℣. Tota die mœrore confectam. Desolatam. Gloria. Posuit. ℣. Facies mea intumuit a fletu. ℟. Et palpebræ meæ caligaverunt.

Ad Sextam.

Capitulum. Isaiæ 53.

IPSE vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus.

℟. *br.* Facies mea * Intumuit a fletu. Facies. ℣. Et palpebræ meæ caligaverunt. Intumuit. Gloria. Facies. ℣. Deus, vitam meam annuntiavi tibi. ℟. Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Ad Nonam.

Capitulum. Isaiæ 53.

GENERATIONEM ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum.

℟. *br.* Deus, vitam meam * Annuntiavi tibi. Deus. ℣. Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. Annuntiavi. Gloria. Deus. ℣. Ora pro nobis, Virgo dolorosissima. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

In II. Vesperis.

Omnia dicuntur ut in I. præter

Ad Magnif. Ant. Cum vidisset Jesus matrem stantem juxta crucem, et discipulum quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier: ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.

Et fit commemoratio Feriæ.

FESTA APRILIS.

Die 2. S. Franc. de Paula, Confessoris. *Duplex.*

Oratio.

DEUS humilium celsitudo, qui beatum Franciscum Confessorem Sanctorum tuorum gloria sublimasti, tribue, quæsumus, ut ejus meritis et imitatione promissa humilibus præmia feliciter consequamur. Per Dominum.

In Quadrag. fit. comm. Feriæ.

Lect. I. Noct. Beatus vir, *p.* 38*.

Extra Quadrag. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

FRANCISCUS Paulæ, quod est Calabriæ oppidum, loco humili natus est: quem parentes, cum diu prole caruissent, voto facto, beati Francisci precibus susceperunt. Is adolescens divino ardore succensus, in eremum secessit, ubi annis sex, victu asperam, sed meditationibus cœlestibus suavem vitam duxit. Sed cum virtutum ejus fama longius manaret, multique ad eum pietatis studio concurrerent, fraternæ charitatis causa e solitudine egressus, Ecclesiam prope Paulam ædificavit, ibique prima sui Ordinis fundamenta jecit.

Lectio v.

ERAT in eo mirifica loquendi gratia: perpetuam virginitatem servavit: humilitatem sic coluit, ut se omnium minimum diceret, suosque alumnos Minimos appellari voluerit. Rudi amictu, nudis pedibus incedens, humi cubabat. Cibi abstinentia fuit admirabilis, semel in die post solis occasum reficiebatur, et ad panem, et aquæ potum, vix aliquid ejusmodi obsonii adhibebat, quo vesci in quadragesima licet, quam consuetudinem ut fratres sui toto anni tempore retinerent, quarto eos voto adstrinxit.

Lectio vi.

MULTIS miraculis servi sui sanctitatem Deus testari voluit; quorum illud in primis celebre, quod a nautis rejectus, Siciliæ fretum, strato super fluctibus pallio, cum socio

Digitized by Google

transmisit. Multa etiam futura prophetico spiritu prædixit. A Ludovico Undecimo Francorum rege expetitus, magnoque in honore est habitus. Denique annum primum et nonagesimum agens. Turonis migravit ad Dominum, anno salutis millesimo quingentesimo septimo: cujus corpus dies undecim insepultum ita incorruptum permansit, ut suavem etiam odorem efflaret. Eum Leo Papa Decimus in Sanctorum numerum retulit.

In III. Noct. Homilia Pusillum gregem *de com. 2. loco*, p. 60'.

In Quadrag. Lectio IX. *de Homilia et comm. Feriæ in Laud.*

Die 4. S. Isidori,

Episc. Conf. et Eccl. Doct. *Duplex.*

In utrisq. Vesp. Ant. O Doctor.

Oratio.

DEUS, qui populo tuo æternæ salutis beatum Isidorum ministrum tribuisti, præsta, quæsumus, ut quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum.

In Quadrag. fit comm. Feriæ.

Lect. I. Noct. Sapientiam, *p.* 48'.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

ISIDORUS natione Hispanus, doctor egregius, ex nova Carthagine Severiano patre provinciæ duce natus, a sanctis Episcopis Leandro Hispalensi, et Fulgentio Carthaginensi fratribus suis, pie et liberaliter educatus, latinis, græcis, et hebraicis litteris, divinisque et humanis legibus instructus, omni scientiarum atque Christianarum virtutum genere præstantissimus evasit. Adhuc adolescens hæresim Arianam, quæ gentem Gothorum Hispaniæ latissime dominantem jam pridem invaserat, tanta constantia palam oppugnavit, ut parum abfuerit, quin ab hæreticis necaretur. Leandro vita functo, ad Hispalensem cathedram invitus quidem, sed urgente in primis Recaredo rege, magnoque etiam cleri populique consensu assumitur, ejusque electionem sanctus Gregorius Magnus, nedum auctoritate Apostolica confirmasse, sed et electum transmisso de more pallio decorasse, quin etiam suum et Apostolicæ Sedis in universa Hispania Vicarium constituisse perhibetur.

Lectio V.

IN Episcopatu quantum fuerit constans, humilis, patiens, misericors, in Christiana et Ecclesiastica disciplina instauranda sollicitus, eaque verbo et scriptis stabilienda indefessus, atque omni demum virtutum ornamento insignitus, nullius lingua enarrare sufficeret. Monastici quoque Instituti per Hispaniam promotor, et amplificator eximius, plura construxit monasteria: collegia itidem ædificavit, ubi studis sacris et lectionibus vacans, plurimos discipulos, qui ad eum confluebant, erudivit: quos inter sancti Ildephonsus Toletanus, et Braulio Cæsaraugustanus Episcopi emicuerunt. Coacto Hispali Concilio, Acephalorum hæresim Hispaniæ jam minitantem, acri et eloquenti disputatione fregit atque contrivit. Tantam apud omnes sanctitatis et doctrinæ famam adeptus est; ut elapso vix ab ejus obitu sextodecimo anno, universa Toletana synodo duorum supra quinquaginta Episcoporum plaudente, ipsoque etiam sancto Ildephonso suffragante, doctor egregius, catholicæ Ecclesiæ novissimum decus in sæculorum fine doctissimus, et cum reverentia nominandus appellari meruerit; eumque sanctus Braulio non modo Gregorio Magno comparaverit, sed et erudiendæ Hispaniæ loco Jacobi Apostoli cœlitus datum esse censuerit.

Lectio VI.

SCRIPSIT Isidorus libros Etymologiarum, et de Ecclesiasticis officiis, aliosque quamplurimos Christianæ et Ecclesiasticæ disciplinæ adeo utiles, ut sanctus Leo Papa Quartus ad Episcopos Britanniæ scribere non

dubitaverit, sicut Hieronymi et Augustini, ita Isidori dicta retinenda esse, ubi contigerit inusitatum negotium, quod per Canones minime definiri possit. Plures etiam ex ejusdem scriptis sententiæ inter Canonicas Ecclesiæ leges relatæ conspiciuntur. Præfuit Concilio Toletano quarto, omnium Hispaniæ celeberrimo. Denique cum ab Hispania Arianam hæresim eliminasset, morte sua, et regni vastatione a Saracenorum armis publice prænuntiata, postquam quadraginta circiter annos suam rexisset Ecclesiam, Hispali migravit in cœlum anno sexcentesimo trigesimo sexto. Ejus corpus inter Leandrum fratrem, et Florentinam sororem, ut ipse mandaverat, primo conditum, Ferdinandus Primus Castellæ et Legionis rex, ab Eneto Saraceno Hispali dominante, magno pretio redemptum, Legionem transtulit, et in ejus honorem templum ædificatum est, ubi miraculis clarus magna populi devotione colitur.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo tempore; Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. Et reliqua

Homilia S. Isidori Episcopi.

Ex lib. 2. *Officiorum ad S. Fulgentium, cap.* 5.

QUI in erudiendis atque instituendis ad virtutem populis præerit, necesse est ut in omnibus sanctus sit, et in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse a peccato debet esse alienus. Nam qua fronte subjectos arguere poterit, cum illi statim possit correctus ingerere, Ante doce te quæ recta sunt? Primitus quippe semetipsum corrigere debet, qui alios ad bene vivendum admonere studet, ita ut in omnibus semetipsum formam vivendi præbeat, cunctosque ad bonum opus et doctrina et opere provocet. Cui etiam scientia Scripturarum necessaria est: quia si Episcopi tantum sancta sit vita, sibi soli prodest, sic vivens. Porro si et doctrina et sermone fuerit eruditus, potest cæteros quoque instruere, et docere suos, et adversarios repercutere, qui nisi refutati fuerint atque convicti, facile possunt simplicium corda pervertere.

Lectio viij.

CUJUS sermo debet esse purus, simplex, apertus, plenus gravitatis, et honestatis, plenus suavitatis et gratiæ, tractans de mysterio legis, de doctrina fidei, de virtute continentiæ, de disciplina justitiæ: unumquemque admonens diversa exhortatione, juxta professionem morumque qualitatem, scilicet, ut prænoscat quid, cui, quando, vel quomodo proferat. Cujus præ cæteris speciale officium est Scripturas legere, percurrere Canones, exempla Sanctorum imitari, vigiliis, jejuniis, orationibus incumbere, cum fratribus pacem habere, nec quemquam de membris suis discerpere, nullum damnare nisi comprobatum, nullum excommunicare nisi discussum. Quique ita humilitate pariter et auctoritate præesse debet, ut neque per nimiam humilitatem suam subditorum vitia convalescere faciat, neque per immoderantiam severitatis potestatem exerceat: sed tanto cautius erga commissos sibi, quanto durius a Christo indagari formidat.

℟. In medio Ecclesiæ *p.* 43*.

In Quadrag. Lectio ix. *de Homilia et comm. Feriæ in Laud.*

Lectio ix.

TENEBIT quoque illam supereminentem donis omnibus charitatem, sine qua omnis virtus nihil est. Custos enim castitatis charitas;

Digitized by Google

locus autem hujus custodis humilitas. Habebit etiam inter hæc omnia castitatis eminentiam : ita ut mens Christo dedita, ab omni inquinamento carnis sit munda et libera. Inter hæc oportebit eum sollicita dispensatione curam pauperum gerere, esurientes pascere, vestire nudos, suscipere peregrinos, captivos redimere, viduas ac pupillos tueri, pervigilem in cunctis exhibere curam, providentiam habere distributione discreta. In quo etiam hospitalitas ita erit præcipua, ut omnes cum benignitate et charitate suscipiat. Si enim omnes fideles illud Evangelicum audire desiderant, Hospes fui, et suscepistis me, quanto magis Episcopus, cujus diversorium cunctorum debet esse receptaculum ?

Vesperæ a Capit. de sequenti

Die 5. S. Vincen. Ferreri,

Confessoris *Duplex*.

Oratio.

DEUS, qui Ecclesiam tuam beati Vincentii Confessoris tui meritis et prædicatione illustrare dignatus es, concede nobis famulis tuis, ut et ipsius instruamur exemplis, et ab omnibus ejus patrocinio liberemur adversis. Per Dominum.

Et fit comm. S. Isidori, et Feriæ in Quadragesima.

Lect. I. Noct. Justus si morte p. 52*.

Extra Quadrag. de Scrip. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

VINCENTIUS honesta stirpe Valentiæ in Hispania natus, ab ineunte ætate cor gessit senile. Qui dum caliginosi hujus sæculi labilem cursum pro ingenii sui modulo consideraret, Religionis habitum in Ordine Prædicatorum decimo octavo ætatis suæ anno suscepit, et emissa solemni professione, sacris litteris sedulo incumbens, Theologiæ lauream summa cum laude consecutus est. Mox obtenta a superioribus licentia, verbum Dei prædicare, Judæorum perfidiam arguere, Saracenorum errores confutare, tanta virtute et efficacia cœpit, ut ingentem ipsorum infidelium multitudinem ad Christi fidem perduxerit, et multa Christianorum millia a peccatis ad pœnitentiam, a vitiis ad virtutem revocarit. Electus enim a Deo, ut monita salutis in omnes gentes, tribus, et linguas diffunderet, et extremi tremendique judicii diem appropinquare ostenderet, omnium auditorum animos terrore concussos, atque a terrenis affectibus avulsos, ad Dei amorem excitabat.

Lectio v.

IN hoc autem Apostolico munere hic vitæ ejus tenor perpetuus fuit. Quotidie Missam summo mane cum cantu celebravit, quotidie ad populum concionem habuit ; inviolabile semper jejunium, nisi urgens adesset necessitas, servavit ; sancta et recta consilia nulli denegavit ; carnes nunquam comedit, nec vestem lineam induit, populorum jurgia sedavit, dissidentia regna pace composuit : et cum vestis inconsutilis Ecclesiæ diro schismate scinderetur, ut uniretur, et unita servaretur, plurimum laboravit. Virtutibus omnibus claruit, suosque detractores et persecutores, in simplicitate et humilitate ambulans, cum mansuetudine recepit, et amplexus est.

Lectio vj.

PER ipsum divina virtus, in confirmationem vitæ et prædicationis ejus, multa signa et miracula fecit. Nam frequentissime super ægros manus imposuit, et sanitatem adepti sunt : spiritus immundos e corporibus expulit ; surdis auditum, mutis loquelam, cæcis visum restituit, leprosos mundavit, mortuos suscitavit. Senio tandem et morbo confectus infatigabilis Evangelii præco, plurimis Europæ provinciis cum ingenti animarum fructu peragratis, Venetiæ in Britannia minori prædicationis et vitæ

Digitized by Google

cursum feliciter consummavit, anno salutis millesimo quadringentesimo decimo nono: quem Calixtus Tertius Sanctorum numero adscripsit.

In III. Noct. Homilia Sancti Evangelii fratres *de Com.* 1. *loco.*

In Quadrag. Lectio ix. *de Homilia et comm. Feriæ in Laud.*

Die 11. S. Leonis,

Papæ, Conf. et Eccl. Doct. *Dupl.*

In utrisq. Vesp. Ant. O Doctor. *Orat* Exaudi, quæsumus *p.* 39.*

In Quadrag. ft comm. Feriæ.

Lect. I. Noct. Incipit Epistola prima B. Petri, *ut in Dom.* v. *post Pascha*, p. 383.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

LEO Primus, Hetruscus, eo tempore præfuit Ecclesiæ, cum rex Hunnorum Attila, cognomento Flagellum Dei, in Italiam invadens, Aquileiam triennio obsidione captam diripuit et incendit. Unde cum Romam ardenti furore raperetur, jamque copias, ubi Mincius in Padum influit, trajicere pararet, occurrit ei Leo, malorum Italiæ impendentium misericordia permotus: cujus divina eloquentia persuasum est Attilæ, ut regrederetur. Qui interrogatus a suis, quid esset quod præter consuetudinem, tam humiliter Romani Pontificis imperata faceret, respondit se astantem quemdam alium, illo loquente, sacerdotali habitu veritum esse, sibi stricto gladio minitantem mortem, nisi Leoni obtemperaret. Quare in Pannoniam reversus est.

Lectio v.

LEO autem Romæ singulari omnium lætitia exceptus, paulo post invadenti Urbem Genserico, eadem eloquentiæ vi, et sanctitatis opinione persuasit, ut ab incendio, igominiis, ac cædibus abstineret. Sed cum Ecclesiam a multis hæresibus oppugnari, maximeque a Nestorianis et Eutychianis exagitari videret, ad eam purgandam, et in fide Catholica confirmandam, Concilium Chalcedonense indixit: ubi sexcentis triginta coactis Episcopis, Eutyches et Dioscorus, et iterum Nestorius condemnati sunt, ejusdem Concilii decreta sua auctoritate confirmavit.

Lectio vj.

HIS actis, sanctus Pontifex se ad reficiendas et ædificandas Ecclesias convertit. Cujus suasu Demetria, pia femina, sancti Stephani Ecclesiam construxit in suo fundo via Latina, tertio ab Urbe milliario. Ipse via Appia sub nomine sancti Cornelii alteram condidit. Multas præterea et sacras ædes, et sacra earum vasa restituit. In tribus Basilicis, Petri, Pauli, et Constantiniana, cameras extruxit: ædificavit monasterium vicinum Basilicæ sancti Petri: sepulchris Apostolorum custodes adhibuit, quos cubicularios appellavit. Statuit ut in actione mysterii diceretur, Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. Sanxit ne monacha benedictum capitis velamen reciperet, nisi quadraginta annorum virginitatem probasset. His et aliis præclare gestis, cum multa sancte et luculenter scripsisset, tertio Idus Aprilis obdormivit in Domino. Sedit in Pontificatu annos viginti, menses decem, dies viginti octo.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo tempore: Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? Et reliqua.

Homilia sancti Leonis Papæ.

Serm. 2. in Anniv. assumpt. suæ.

CUM, sicut Evangelica lectione reseratum est, interrogasset Dominus discipulos, quem ipsum (multis diversa opinantibus) crederent, re-

Digitized by Google

spondissetque beatus Petrus, dicens: Tu es Christus Filius Dei vivi; Dominus ait: Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans, susceptа Ecclesiæ gubernacula non reliquit.

Lectio viij.

IN universa namque Ecclesia, Tu es Christus Filius Dei vivi, quotidie Petrus dicit, et omnis lingua, quæ confitetur Dominum, magisterio hujus vocis imbuitur. Hæc fides diabolum vincit, et captivorum ejus vincula dissolvit. Hæc erutos mundo, inserit cœlo, et portæ inferi adversus eam prævalere non possunt. Tanta enim divinitus soliditate munita est, ut eam neque hæretica unquam corrumpere pravitas, nec pagana potuerit superare perfidia. His itaque modis, dilectissimi, rationabili obsequio celebratur hodierna festivitas: ut in persona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo et omnium pastorum sollicitudo cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat, et cujus etiam dignitas in indigno hærede non deficit.

℟. In medio Ecclesiæ *p.* 45*.

In Quadrag. Lect. ix. *de Homilia et comm. Feriæ in Laud.*

Lectio ix.

CUM ergo cohortationes nostras auribus vestræ sanctitatis adhibemus, ipsum vobis, cujus vice fungimur, loqui credite: quia et illius vos affectu monemus, et non aliud vobis, quam quod docuit, prædicamus, obsecrantes, ut succincti lumbos mentis vestræ castam et sobriam vitam in Dei timore ducatis. Corona mea, sicut Apostolus ait, et gaudium vos estis, si fides vestra, quæ ab initio Evangelii in universo mundo prædicata est, in dilectione et sanctitate permanserit. Nam licet omnem Ecclesiam, quæ in toto est orbe terrarum, cunctis oporteat florere virtutibus, vos tamen præcipue inter cæteros populos decet meritis pietatis excellere, quos in ipsa Apostolicæ petræ arce fundatos, et Dominus noster Jesus Christus cum omnibus redemit, et beatus Apostolus Petrus præ omnibus erudivit.

Die 13. S. Hermenegildi,

Martyris *Semiduplex.*

Quando ob aliquam causam omittuntur I. Vesp., Hymnus Regali solio *ponitur ad Matut., et Hymnus Matut. dicitur in Laud.*

In utrisque Vesp. et Laud.

HYMNUS.

REGALI solio fortis Iberiæ
Hermenegilde jubar, gloria Martyrum,
Christi quos amor almis
Cœli cœtibus inserit.
Ut perstas patiens pollicitum Deo
Servans obsequium! quo potius tibi
Nil proponis, et arces
Cautus noxia, quæ placent.
Ut motus cohibes, pabula qui parant
Surgentis vitii, non dubios agens
Per vestigia gressus,
Quo veri via dirigit!
Sit rerum Domino jugis honor Patri,
Et Natum celebrent ora precantium,
Divinumque supremis
Flamen laudibus efferant.
Amen.

Oratio.

DEUS, qui beatum Hermenegildum Martyrem tuum cœlesti regno terrenum postponere docuisti, da, quæsumus, nobis ejus exemplo

Digitized by Google

caduca despicere, atque æterna sectari. Per Dominum.

In Quadrag. fit comm. Feriæ.

Ad Matutinum.

HYMNUS.

NULLIS te genitor blanditiis trahit,
Non vitæ caperis divitis otio,
Gemmarumque nitore,
Regnandive cupidine.
Diris non acies te gladii minis,
Nec terret perimens carnificis furor;
Nam mansura caducis
Præfers gaudia Cœlitum.
Nunc nos e Superum protege sedibus
Clemens atque preces, dum canimus tua
Quæsitam nece palmam,
Pronis auribus excipe.
Sit rerum Domino jugis honor Patri,
Et Natum celebrent ora precantium,
Divinumque supremis
Flamen laudibus efferant.
Amen.

Lect. I. Noct. in Quadrag. Fratres debitores *de Com. pp.MM.* I. *loco*, p. 20*. *cum* ℟ ℟. *de Com. unius Mart. Extra Quadrag. de Script. occ.*

IN II. NOCTURNO.

Ex libro Dialogorum S. Gregorii Papæ.

Lectio iv. *Lib.* 3. *Cap.* 31.

HERMENEGILDUS rex, Leovigildi regis Visigothorum filius, Ab Ariana hæresi ad fidem Catholicam viro reverendissimo Leandro Hispalensi Episcopo, dudum mihi in amicitiis familiariter juncto, prædicante, conversus est. Quem pater Arianus, ut ad eamdem hæresim rediret, et præmiis suadere, et minis terrere conatus est. Cumque ille constantissime responderet, nunquam se veram fidem posse relinquere, quam semel agnovisset, iratus pater eum privavit regno, rebusque expoliavit omnibus. Cumque nec sic virtutem mentis illius emollire valuisset, in arcta illum custodia concludens, collum manusque illius ferro ligavit. Cœpit itaque Hermenegildus rex juvenis terrenum regnum despicere, et forti desiderio cœleste quærens, in ciliciis vinculatus jacens, omnipotenti Deo, ad confortandum se, preces effundere, tantoque sublimius gloriam transeuntis mundi despicere, quanto et religatus agnoverat nihil fuisse, quod potuerit auferri.

Lectio v.

SUPERVENIENTE autem Paschalis festivitatis die, intempestæ noctis silentio ad eum perfidus pater Arianum Episcopum misit, ut ex ejus manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus, Ariano Episcopo venienti exprobravit, ut debuit, ejusque a se perfidiam dignis increpationibus repulit: quia etsi exterius jacebat ligatus, apud se tamen in magno mentis culmine stabat securus. Ad se itaque reverso Episcopo, Arianus pater infremuit, statimque suos apparitores misit, qui constantissimum Confessorem Dei illic, ubi jacebat, occiderent: quod et factum est. Nam mox, ut ingressi sunt, securim cerebro ejus infigentes, vitam corporis abstulerunt; hocque in eo valuerunt perimere, quod ipsum quoque, qui peremptus est, in se constituerat despexisse. Sed pro ostendenda vera ejus gloria, superna quoque non defuere miracula. Nam cœpit in nocturno silentio psalmodiæ cantus ad corpus ejusdem regis et martyris audiri, atque ideo veraciter regis, quia et martyris.

Lectio vj.

QUIDAM etiam ferunt, quod illic nocturno tempore accensæ lampades apparebant. Unde et factum est, quatenus corpus illius, ut videlicet martyris, jure a cunctis fidelibus venerari debuisset. Pater vero perfidus et parricida, commotus pœni-

Digitized by Google

tentia, hoc fecisse se doluit, nec tamen usque ad obtinendam salutem pœnituit. Nam quia vera esset Catholica fides agnovit, sed gentis suæ timore perterritus, ad hanc pervenire non meruit. Qui, oborta ægritudine, ad extrema perductus est, et Leandro Episcopo, quem prius vehementer afflixerat, Reccaredum regem filium suum, quem in sua hæresi relinquebat, commendare curavit, ut in ipso quoque talia faceret, qualia et in fratre suis exhortationibus fecisset. Qua commendatione expleta, defunctus est. Post cujus mortem Reccaredus rex non patrem perfidum, sed fratrem martyrem sequens, ab Arianæ hæreseos pravitate conversus est, totamque Visigothorum gentem ita ad veram perduxit fidem, ut nullum in suo regno militare permitteret, qui Regni Dei hostis existere per hæreticam pravitatem non timeret. Nec mirum quod veræ fidei prædicator factus est, qui frater est martyris, cujus hunc quoque merita adjuvant, ut ad omnipotentis Dei gremium tam multos reducat.

In III. Noct. etiam temp. Pasch. Homilia. Si consideremus fratres *de Com.* I. *loco*, p. 19*.

In Quadrag. Lectio ix. *de Homilia et comm. Feriæ in Laud.*

In II. Vesp. comm. Feriæ et sequentis in Quadrag.

Commune Apost., Evang. et Mart. temp. Pasch. habetur, p. 27*.

Die 14. SS. Tiburtii, Valeriani et Maximi, Martyrum.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui sanctorum martyrum tuorum Tiburtii, Valeriani et Maximi solemnia colimus, eorum etiam virtutes imitemur. Per Dominum.

Lectio ij.

VALERIANUS, Romanus, nobili genere ortus, Alexandro Severo Imperatore, hortatu beatæ Cæciliæ virginis, quam sibi pari nobilitate uxorem desponderat, una cum Tiburtio fratre a sancto Urbano Papa baptizatur. Quos ubi præfectus Urbis Almachius Christianos esse cognovit, et patrimonio pauperibus distributo, Christianorum corpora sepelire, accersitos graviter reprehendit: atque ubi Christum Deum constanter confitentes, deos autem dæmoniorum inania simulacra prædicantes videt, virgis cædi jubet.

Lectio iij.

SED cum verberibus cogi non possent ut Jovis simulacrum venerarentur, imo fortes in fidei veritate permanerent, ad quartum ab Urbe lapidem securi feriuntur. Quorum virtutem admiratus Maximus præfecti cubicularius, qui eos ad supplicium perduxerat, Christianum se esse professus est, cum multis præterea præfecti ministris: qui paulo post plumbatis contusi, omnes ex diaboli ministris, Christi Domini martyres evaserunt.

Die 17. S. Aniceti Papæ Martyris.

Oratio. Deus qui nos beati. p. 14*,

Lectio iij.

ANICETUS Syrus, imperatore Marco Aurelio Antonino, præfuit Ecclesiæ. Decrevit ne Clerici comam nutrirent. Quinquies mense Decembri ordinavit Presbyteros decem et septem, Diaconos quatuor, Episcopos per diversa loca novem. Vixit in Pontificatu annos octo, menses octo, dies viginti quatuor. Propter Christi fidem martyrio coronatus, sepultus est via Appia in cœmeterio, quod postea Callisti appellatum est, decimo quinto Kalendas Maii.

Die 21. S. Anselmi, Episc. Conf. et Eccl. Doct. *Duplex.*

In utrisq. Vesp. Ant. O Doctor.

Oratio.

DEUS, qui populo tuo æternæ salutis beatum Anselmum mi-

Digitized by Google

nistrum tribuisti, præsta, quæsumus: ut quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum.

Lect. I. Noct. Sapientiam, *p.* 48*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ANSELMUS Augustæ Prætoriæ in finibus Italiæ Gundulpho et Hermemberga nobilibus et catholicis parentibus natus, a teneris annis assiduo litterarum studio, atque perfectioris vitæ desiderio, non obscurum futuræ sanctitatis et doctrinæ specimen dedit. Et licet juvenili ardore aliquando ad sæculi illecebras traheretur, brevi tamen in pristinam viam revocatus, patria et bonis omnibus derelictis, ad monasterium Beccense Ordinis sancti Benedicti se contulit: ubi emissa regulari professione sub Herluino Abbate observantissimo, et Lanfranco viro doctissimo tanto animi fervore, et jugi studio in litteris et virtutibus assequendis profecit, ut mirum in modum tanquam sanctitatis et doctrinæ exemplar ab omnibus haberetur.

Lectio v.

ABSTINENTIÆ et continentiæ tantæ fuit, ut assiduitate jejunii omnis pene ciborum sensus in eo videretur extinctus. Diurno enim tempore in exercitiis monasticis, docendo, et respondendo variis de religione quæsitis, emenso, quod reliquum erat noctis, somno subtrahebat, ut divinis meditationibus, quas perenni lacrymarum imbre fovebat, mentem recrearet. Electus in Priorem monasterii, invidos fratres ita charitate, humilitate, et prudentia lenivit, ut, quos æmulos acceperat, sibi et Deo amicos, maximo cum regularis observantiæ emolumento, redderet. Mortuo Abbate, et in ejus locum (licet invitus) suffectus, tanta doctrinæ et sanctitatis fama ubique refulsit, ut non modo regibus et Episcopis venerationi esset, sed sancto Gregorio Septimo etiam acceptus, qui tunc magnis persecutionibus agitatus, litteras amoris plenas ad eum dedit, quibus se et Ecclesiam Catholicam ejus orationibus commendabat.

Lectio vj.

DEFUNCTO Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi ejus olim præceptore, Anselmus, urgeante Willelmo Angliæ rege, et istantibus clero ac populo, ipso tamen repugnante, ad ejusdem Ecclesiæ regimen vocatus, statim (ut corruptos populi mores reformaret) verbo et exemplo prius: dein scriptis et Conciliis celebratis, pristinam pietatem, et Ecclesiasticam disciplinam reduxit. Sed cum mox idem Willelmus rex vi et minis Ecclesiæ jura usurpare tentasset, ipse sacerdotali constantia restitit; bonorumque direptionem et exilium passus, Romam ad Urbanum Secundum se contulit, a quo honorifice exceptus, et summis laudibus ornatus est, cum in Barensi Concilio Spiritum sanctum etiam a Filio procedentem, contra Græcorum errorem, innumeris Scripturarum et sanctorum Patrum testimoniis propugnasset. E vivis Willelmo sublato, ab Henrico rege ejus fratre in Angliam revocatus, obdormivit in Domino, famam non solum miraculorum et sanctitatis (præcipue ob insignem devotionem erga Domini nostri passionem, et beatam Virginem ejus matrem) assecutus, sed etiam doctrinæ, quam ad defensionem Christianæ religionis, animarum profectum, et omnium Theologorum, qui sacras litteras scholastica methodo tradiderunt, normam cœlitus hausisse ex ejus libris omnibus apparet.

In III. Noct. Homilia Vos estis sal terræ *pro Doct.* 2. *loco*, p. 49*.

In II. Vesp. fit comm. sequent.

Die 23. SS. Soteris et Caii,
Pont. et Mart. *Semiduplex.*
Oratio.

BEATORUM Martyrum pariterque Pontificum Soteris et Caii

nos, quæsumus, Domine, festa tueantur, et eorum commendet oratio veneranda. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

SOTER, Fundis in Campania natus, sancivit ne sacræ virgines vasa sacra et pallas attingerent, neve thuris ministerio in Ecclesia uterentur. Idem statuit ut Christi Corpus in Cœna Domini sumeretur ab omnibus, iis exceptis, qui propter grave peccatum id facere prohiberentur. Sedit in Pontificatu annos tres, menses undecim, dies decem et octo: martyrio coronatur sub Marco Aurelio Imperatore, et in cœmeterio, quod postea Callisti dictum est, sepelitur, more majorum, mense Decembri creatis Presbyteris decem et octo, Diaconis novem, Episcopis per diversa loca undecim.

Lectio v.

CAIUS Dalmata, ex genere Diocletiani Imperatoris, constituit ut his Ordinum et honorum gradibus in Ecclesia ad Episcopatum ascenderetur: Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri. Hic Diocletiani crudelitatem in Christianos fugiens, aliquamdiu in spelunca delituit, verum octo post annis una cum Gabino fratre martyrii coronam consecutus est, cum sedisset annos duodecim, menses quatuor, dies quinque, creatis mense Decembri Presbyteris viginti quinque, Diaconis octo, Episcopis quinque. Sepultus est in cœmeterio Callisti decimo Kalendas Maii. Ejus memoriam Urbanus Octavus in Urbe renovavit, dirutam Ecclesiam restituit, Titulo, Statione, et ipsius reliquiis decoravit.

Lectio vj. Dignum et congruum *ut in Com. Mart. temp. Pasch.* I. *loco*, *cum* ℟. vj.

In III. Noct. Homilia Ne quisquam putaret *de Com. Mart. temp. Pasch.* 2. *loco*, p. 28.*

Vesperæ a Capit. de sequent.

Die 23. S. Georgii,

Martyris. *Semidupl.*

Oratio.

DEUS, qui nos beati Georgii Martyris tui meritis et intercessione lætificas, concede propitius, ut qui tua per eum beneficia poscimus, dono tuæ gratiæ consequamur. Per Dominum.

Et fit comm. SS. Mart. præced.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

In II. Noct. Quibus ego vos *de Com. Mart.* 2. *loco*, p. 27*.

In III. Noct. Homilia Iste locus Evangelicus *ut ibid.*, p. 25*.

Vesperæ de sequenti.

Die 24. S. Fidelis

A SIGMARINGA,

Martyris. *Duplex.*

Oratio.

DEUS, qui beatum Fidelem Seraphico spiritus ardore succensum in veræ fidei propagatione martyrii palma et gloriosis miraculis decorare dignatus es, ejus, quæsumus, meritis et intercessione, ita nos per gratiam tuam in fide et charitate confirma, ut in servitio tuo fideles usque ad mortem inveniri mereamur. Per Dominum.

Et fit comm. S. Georgii Mart.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

FIDELIS in oppido Sueviæ Sigmaringa ex honesta Reyorum familia natus, ab ineunte ætate singularibus naturæ et gratiæ donis ornatus præfulsit. Egregiam quippe sortitus indolem, morumque optima imbutus disciplina, dum Friburgi Philosophiæ et Juris utriusque laurcam emeruit, in schola etiam Christi ad perfectionis apicem sedulo virtutum exercitio contendere cœpit. Nobilium exinde virorum, varias Europæ provincias lustrantium comes adscitus,

Digitized by Google

eos ad Christianam pietatem sectandam tam verbis quam operibus excitare non destitit. Quinimo in eodem itinere crebris austeritatibus desideria carnis mortificare, ac ita seipsum regere studuit, ut in tanta rerum vicissitudine nullo unquam visus fuerit iræ motu perturbari. Juris præterea, et justitiæ strenuus propugnator, post reditum in Germaniam, celebre sibi nomen acquisivit in Advocati munere, in quo tamen cum Fori pericula esset expertus, tutiorem æternæ salutis viam ingredi deliberavit, et superna vocatione illustratus, paulo post Ordini Seraphico inter Fratres Minores Capuccinos adscribi petiit.

Lectio v.

PIÆ petitionis compos redditus, mundi suique contemptor insignis in ipso statim tyrocinio, magisque cum solemnis professionis vota in gaudio spiritus Domino nuncupasset, in regulari observantia omnibus admirationi fuit ac exemplo. Orationi maxime et sacris litteris vacans, in verbi quoque ministerio singulari gratia excellens, nedum Catholicos ad meliorem frugem, verum etiam heterodoxos ad veritatis cognitionem attraxit. Pluribus in locis cœnobii Præfectus constitutus, prudentia, justitia, mansuetudine, discretione, et humilitatis laude, munus sibi demandatum exercuit. Arctissimæ paupertatis zelator egregius, quidquid vel minus necessarium videretur, e cœnobio penitus eliminavit. Inter austera jejunia, vigilias, et flagella salutari seipsum prosequens odio, in alios amorem, quasi mater in filios, ostendit. Cum pestifera febris Austriacas militares copias dire affligeret, ipse in extremis infirmorum indigentiis ad assidua charitatis officia toto spiritu incubuit. In componendis etiam animorum dissidiis, aliisque proximi necessitatibus sublevandis, consilio et opere adeo præclare se gessit, ut Pater patriæ meruerit appellari.

Lectio vj.

DEIPARÆ Virginis, et Rosarii cultor eximius, illius præcipue, aliorumque Sanctorum patrociniis a Deo postulavit, ut in Catholicæ fidei obsequium vitam sibi, et sanguinem fundere liceret. Cumque ardens hoc desiderium in quotidiana Sacri devota celebratione magis accenderetur, mira Dei providentia factum est, ut fortis Christi athleta præses eligeretur illarum Missionum, quas Congregatio de Propaganda Fide pro Rhætia tunc temporis instituerat. Quod arduum munus prompto hilarique animo suscipiens, tanto fervore executus est, ut, pluribus hæreticis ad orthodoxam fidem conversis, spes non modica effulserit totius illius gentis Ecclesiæ et Christo reconciliandæ. Prophetiæ dono præditus futuras Rhetiæ calamitates, sibique necem ab hæreticis inferendam sæpius prædixit. Postquam vero insidiarum probe conscius impendenti agoni se præparasset, die vigesima quarta Aprilis anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, ad Ecclesiam loci, Sevisium nuncupati, se contulit; ubi ab hæreticis, qui pridie conversionem simulantes eum dolose ad prædicandum invitaverant, concione tumultuarie interrupta, per verbera et vulnera eidem crudeliter inflicta, gloriosam mortem magno et alacri corde perpessus, primitias Martyrum memoratæ Congregationis proprio sanguine consecravit, pluribus signis et miraculis exinde clarus, præsertim Curiæ et Veldkirchii, ubi summa populi veneratione illius reliquiæ asservantur.

In III. Noct. Homilia Iste locus Evangelicus *de Com. Mart.*, p. 25*.

Vesperæ de sequenti.

Die 25. S. Marci,

Evangelistæ. *Duplex 2. Classis.*

Oratio.

DEUS, qui beatum Marcum Evangelistam tuum Evangelicæ præ-

dicationis gratia sublimasti, tribue, quæsumus, ejus nos semper et eruditione proficere, et oratione defendi. Per Dominum.

Et fit comm. S. Fidelis Mart.

Lect. I. Noct. Incipit liber Ezechielis *ut in Dom. I. Nov.*, p. 568.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro S. Hieronymi Presbyteri de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Lectio iv.

MARCUS discipulus et interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ a fratribus, breve scripsit Evangelium. Quod cum Petrus audisset, et probavit, et Ecclesiæ legendum sua auctoritate dedit. Assumpto itaque Evangelio quod ipse confecerat, perrexit in Ægyptum, et primus Alexandriæ Christum annuntians, constituit Ecclesiam tanta doctrina et vitæ continentia, ut omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret.

Lectio v.

DENIQUE Philo, disertissimus Judæorum, videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc judaizantem, quasi in laudem gentis suæ librum super eorum conversatione scripsit. Et quo modo Lucas narrat Jerosolymæ credentes omnia habuisse communia, sic et ille quod Alexandriæ sub Marco fieri doctore cernebat, memoriæ tradidit. Mortuus est autem octavo Neronis anno, et sepultus Alexandriæ, succedente sibi Aniano.

Lectio vj. Sancta quatuor *pro Evangelistis*, p. 12*. *cum* ꝙ. vj.

In III. Noct. Homilia Dominus et Salvator, *p.* 13.*

Hodie qui non intersunt Processioni Litaniarum, dicant illas privatim post Matut. cum suis Precibus et Orat. sine Psalmis Pœnit. etiamsi hoc Festum transferatur in aliam diem.

Si Litaniæ majores occurrunt in die Paschali, transferuntur in Feriam iij. *sequentem.*

In II. Vesp. fit. comm. sequent.

Die 26. SS. Cleti et Marcel.

Pont. et Mart. *Semiduplex.*

Oratio.

BEATORUM Martyrum pariterque Pontificum Cleti et Marcellini nos, Domine, foveat pretiosa confessio, et pia jugiter intercessio tueatur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

In Feria ij. *Rogat.* Fratres debitores, *et Lectio* ix. *de Homilia Feriæ.*

Similiter si quod ex seq. Festis venerit in dicta Feria vel in Vigil. Ascens., Lect. I. Noct. leguntur de Com. illius Sancti extra tempus Paschale.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CLETUS Romanus, patre Æmiliano, de regione quinta, e vico Patricio, Imperatoribus Vespasiano et Tito, Ecclesiam gubernavit. Is ex præcepto Principis Apostolorum in Urbe viginti quinque Presbyteros ordinavit. Primus in litteris verbis illis usus est: Salutem et Apostolicam benedictionem. Qui, Ecclesia optime constituta, cum ei præfuisset annos duodecim, menses septem, dies duos, Domitiano Imperatore, secunda post Neronem persecutione, martyrio coronatus est, et in Vaticano juxta corpus beati Petri sepultus.

Lectio v.

MARCELLINUS Romanus, in immani illa Diocletiani Imperatoris persecutione, terrore perterritus, deorum simulacris thus adhibuit. Cujus peccati mox illum tantopere pœnituit, ut Sinuessam ad Concilium plurimorum Episcoporum venerit cilicio indutus, ubi lacrymis profusis scelus suum palam confessus est. Quem tamen damnare ausus est nemo, sed omnes una voce clamaverunt: Tuo te ore, non nostro judicio, judica; nam prima sedes a nemine judicatur: Petrum quoque propter eamdem animi

Digitized by Google

infirmitatem deliquisse, et a Deo similibus lacrymis veniam impetrasse.

Lectio vj.

MARCELLINUS Romam reversus Imperatorem adit, graviter eum accusans, quod se ad tantam impietatem impulisset. Quam ob rem ille Marcellinum, una cum tribus aliis Christianis, Claudio, Cyrino, et Antonino, capite plecti jubet. Quorum projecta corpora cum triginta sex dies jussu Imperatoris sepultura caruissent, beatus Marcellus a sancto Petro in somnis admonitus, Presbyteris et Diaconis, hymnis ac luminibus adhibitis, honorifice sepelienda curavit in cœmeterio Priscillæ, via Salaria. Rexit Ecclesiam annos septem, menses undecim, dies viginti tres: quo tempore fecit Ordinationes duas mense Decembri, quibus creavit Presbyteros quatuor, Episcopos per diversa loca quinque.

In III. Noct. Homilia Ne quisquam putaret *de Com. Mart. temp. Pasch.* 2. *loco*, p. 27*.

Die 28. S. Vitalis,

Martyris.

Oratio. Præsta.... ut qui, p. 14*.

Lectio iij.

VITALIS miles, sanctorum Gervasii et Protasii pater, una cum Paulino judice Ravennam ingressus, cum vidisset Ursicinum medicum ob Christianæ fidei confessionem ductum ad supplicium, paululum in tormentis titubare, exclamavit: Ursicine medice, qui alios curare solitus es, cave ne te mortis æternæ jaculo confícias. Qua voce confirmatus Ursicinus martyrium fortiter subivit. Quare Paulinus incensus Vitalem comprehendi jubet, et equuleo tortum, atque in profundam foveam demersum, lapidibus obrui. Quo facto, quidam Apollinis sacerdos, qui Paulinum in Vitalem incitarat, oppressus a dæmone, clamare cœpit: Tu me nimium, Vitalis Christi martyr, incendis: et illo æstu jactatus, se præcipitavit in flumen.

Die 29. S. Petri,

Mart. *Duplex*.

Oratio.

PRÆSTA quæsumus, omnipotens Deus, ut beati Petri Martyris tui fidem congrua devotione sectemur, qui pro ejusdem fidei dilatatione martyrii palmam meruit obtinere. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PETRUS, Veronæ parentibus Manichæorum hæresi infectis natus, ab ipsa pene infantia contra hæreses pugnavit. Puer annorum septem, cum scholas frequentaret, aliquando a patruo hæretico interrogatus, quid tandem in iis didicisset; Christianæ fidei Symbolum se didicisse respondit, neque ullis unquam patris patruive blanditiis aut minis, a fidei constantia dimoveri potuit. Adolescens Bononiam studiorum causa venit, ubi a Spiritu sancto ad sublimioris vitæ formam vocatus, Ordinis Prædicatorum Institutum suscepit.

Lectio v.

MAGNO virtutum splendore in religione eluxit: corpus et animam ab omni impuritate ita custodivit, ut nullius mortiferi peccati labe se inquinatum unquam senserit. Carnem jejuniis et vigiliis macerabat: mentem divinis contemplationibus exercebat. In salute animarum procuranda assidue versabatur: peculiaris gratiæ dono hæreticos acriter confutabat. Tantam in concionando vim habuit, ut innumerabilis hominum multitudo ad eum audiendum confluueret, multique ad pœnitentiam converterentur.

Lectio vj.

TANTO fidei ardore incensus erat, ut pro ea mortem subire optaret, eamque a Deo gratiam enixe pre-

Digitized by Google

caretur. Itaque hæretici necem, quam is paulo ante concionando prædixerat, illi intulerunt. Nam cum sanctæ Inquisitionis munus gereret, illum Como Mediolanum redeuntem, impius sicarius semel atque iterum in capite gladio vulneravit : jamque pene mortuus Symbolum fidei, quam infans virili fortitudine confessus fuerat, in ipso supremo spiritu pronuntiavit ; iterumque latera mucrone transverberatus, ad martyrii palmam migravit in cœlum, anno salutis millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo. Quem multis illustrem miraculis Innocentius Quartus anno sequenti sanctorum Martyrum numero adscripsit.

In III. Noct. Homilia Iste locus *de Com. Mart. temp. Pasch.*, p.25*. *Extra t. P.* Si consideremus, *p.* 19*.

Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 30. S. Catharinæ Sen.,

Virginis. *Duplex.*

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beatæ Catharinæ Virginis tuæ natalitia colimus, et annua solemnitate lætemur, et tantæ virtutis proficiamus exemplo. Per Dominum.

Et fit comm. S. Petri Martyris.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CATHARINA, virgo Senensis, piis orta parentibus, beati Dominici habitum, quem Sorores de Pœnitentia gestant, impetravit. Summa ejus fuit abstinentia, et admirabilis vitæ austeritas. Inventa est aliquando a die Cinerum usque ad Ascensionem Domini jejunium perduxisse, sola Eucharistiæ communione contenta. Luctabatur quam frequentissime cum dæmonibus, multisque illorum molestiis vexabatur : æstuabat febribus, nec aliorum morborum cruciatu carebat. Magnum et sanctum erat Catharinæ nomen, et undique ad eam ægroti, et malignis vexati spiritibus deducebantur. Languoribus et febribus in Christi nomine imperabat, et dæmones cogebat ab obsessis abire corporibus.

Lectio v.

CUM Pisis immoraretur, die Dominico, refecta cibo cœlesti, et in extasim rapta, vidit Dominum crucifixum magno cum lumine advenientem, et ex ejus vulnerum cicatricibus quinque radios ad quinque loca sui corporis descendentes : ideoque mysterium advertens, Dominum precata, ne cicatrices apparerent, continuo radii colorem sanguineum mutaverunt in splendidum, et in formam puræ lucis pervenerunt ad manus, pedes, et cor ejus ; ac tantus erat dolor, quem sensibiliter patiebatur, ut nisi Deus minuisset, brevi se crederet morituram. Hanc itaque gratiam amantissimus Dominus nova gratia cumulavit, ut sentiret dolorem illapsa vi vulnerum, et cruenta signa non apparerent. Quod ita contigisse cum Dei famula confessario suo Raymundo retulisset, ut oculis etiam repræsentaretur, radios in imaginibus beatæ Catharinæ ad dicta quinque loca pertingentes, pia fidelium cura pictis coloribus expressit.

Lectio vj.

DOCTRINA ejus infusa, non acquisita fuit : sacrarum litterarum professoribus difficillimas de Divinitate quæstiones proponentibus respondit. Nemo ad eam accessit, qui non melior abierit ; multa extinxit odia, et mortales sedavit inimicitias. Pro pace Florentinorum, qui cum Ecclesia dissidebant, et interdicto Ecclesiastico suppositi erant, Avenionem ad Gregorium Undecimum Pontificem Maximum profecta est : cui etiam votum ejus de petenda Urbe soli Deo notum, sese divinitus cognovisse monstravit : deliberavitque Pontifex, ea etiam suadente, ad Sedem suam Romanam personaliter accedere, quod et fecit. Eidem Grego-

Digitized by Google

rio, et Urbano Sexto ejus successori, acceptissima fuit, adeo ut legationibus eorum fungeretur. Denique post innumera virtutum insignia, dono prophetiæ, et pluribus clara miraculis, anno ætatis suæ tertio circiter et trigesimo, migravit ad Sponsum. Quam Pius Secundus Pontifex Maximus sanctarum Virginum numero adscripsit.

In III. Noct. Homilia Sæpe vos fratres *de Com.* I. *loco.*

Vesperæ de sequenti.

FESTA MAII.

Prima die non impedita extra T. P. dicitur Offic. Defunct.

Die 1. SS. Phil. et Jac.,

Apostol. *Duplex* 2. *Classis.*

In. I. Vesperis

Ant. de Laud. Psalmi et alia hic non propria de Com., p. 23*.

Ad Magnif. Ant. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Creditis in Deum, et in me credite. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, alleluia, alluluia.

Oratio ut infra in Laudibus.

Et fit comm. S. Catharinæ.

In I. Noct. si tunc temporis non legitur de Epist. B. Jacobi, ponitur initium ejus Epistolæ, ut in Dom. iv. *post. Pascha*, p. 377.

Si autem ea tunc legitur, ponitur de ea, quod illo die contigerit.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PHILIPPUS Bethsaidæ natus, unus ex duodecim Apostolis, qui primum a Christo Domino vocati sunt a quo cum accepisset Nathanael, venisse Messiam in lege promissum, ad Dominum deductus est. Quam vero Christus eum familiariter adhiberet, illud facile declarat, quod Gentiles Salvatorem videre cupientes, ad Philippum accesserunt: et Dominus, cum in solitudine hominum multitudinem pascere vellet, sic Philippum affatus est: Unde ememus panes, ut manducent hi? Is, accepto Spiritu sancto, cum ei Scythia ad prædicandum Evangelium obtigisset, omnem fere illam gentem ad Christianam fidem convertit. Postremo cum Hierapolim Phrygiæ venisset, pro Christi nomine cruci affixus, lapidibusque obrutus est, Kalendis Maii. Ejus corpus ibidem a Christianis sepultum, postea Romam delatum, in Basilica duodecim Apostolorum una cum corpore beati Jacobi Apostoli conditum est.

Lectio v.

JACOBUS frater Domini, cognomento Justus, ab ineunte ætate vinum et siceram non bibit, carne abstinuit, nunquam tonsus est, nec unguento nec balneo usus. Huic uni licebat ingredi in Sancta sanctorum. Idem lineis vestibus utebatur: cui etiam assiduitas orandi ita callum genibus obduxerat, ut duritie cameli pellem imitaretur. Eum post Christi Ascensionem Apostoli Jerosolymorum Episcopum creaverunt: ad quem etiam Princeps Apostolorum misit, qui nuntiaret se e carcere ab Angelo eductum fuisse. Cum autem in Concilio Jerosolymis controversia esset orta de lege et circumcisione, Jacobus Petri sententiam secutus, ad fratres habuit concionem, in qua vocationem Gentium probavit, fratribusque absentibus scribendum esse dixit, ne Gentibus jugum Mosaicæ legis imponerent. De quo et loquitur Apostolus ad Galatas: Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.

Lectio vj.

TANTA autem erat Jacobi vitæ sanctitas, ut fimbriam vestimenti ejus certatim homines cuperent attingere. Nam is nonagiuta sex annos natus, cum triginta annis illi Ecclesiæ sanctissime præfuisset, Christum Dei Filium constantissime prædicans, lapidibus primum appetitur, mox in altissimum templi locum adductus, inde præcipitatus est. Qui confractis cruribus jacens semivivus, manus ten-

Digitized by Google

debat ad cælum, Deumque pro illorum salute deprecabatur his verbis : Ignosce eis, Domine, quia nesciunt quid faciunt. Qua in oratione graviter ejus capite fullonis fuste percusso, animam Deo reddidit, septimo Neronis anno, et juxta templum ubi præcipitatus fuerat, sepultus est. Unam scripsit Epistolam, quæ de septem Catholicis est.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 14.

IN illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 67. *in Joannem.*

ERIGENDA est nobis, fratres, ad Deum major intentio, ut verba sancti Evangelii, quæ modo in nostris auribus sonuerunt, etiam mente capere utcumque possimus. Ait enim Dominus Jesus : Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite. Ne mortem tanquam homines timerent, et ideo turbarentur, consolatur eos, etiam se Deum esse contestans. Creditis, inquit in Deum et in me credite. Consequens est enim, ut si in Deum creditis, et in me credere debeatis : quod non esset consequens, si Christus non esset Deus.

Lectio viij.

CREDITIS in Deum, et in eum credite, cui natura est, non rapina, esse æqualem Deo: semetipsum enim exinanivit, non tamen formam Dei amittens, sed formam servi accipiens. Mortem metuitis huic formæ servi, non turbetur cor vestrum, suscitabit illam forma Dei. Sed quid est quod sequitur, In domo Patris mei mansiones multæ sunt, nisi quia et sibi metuebant? Unde audire debuerunt, Non turbetur cor vestrum. Quis enim eorum non metueret, cum Petro dictum esset fidentiori atque promptiori : Non cantabit gallus, donec ter me neges.

Lectio ix.

TAMQUAM ergo essent ab illo perituri, merito turbabantur; sed cum audiunt in domo Patris mei mansiones multæ sunt, si quo minus dixissem vobis quia vado parare vobis locum; a perturbatione recreantur, certi ac fidentes, etiam post pericula tentationum, se apud Deum cum Christo esse mansuros : quia etsi alius est alio fortior, alius alio sapientior, alius alio justior, alius alio sanctior, In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Domine, * ostende nobis Patrem, et sufficit nobis, alleluia.

2. Philippe, * qui videt me, videt et Patrem meum, alleluia.

3. Tanto tempore * vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum, alleluia.

4. Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis, et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum, alleluia, allel. allel.

5. Si diligitis me, * mandata mea servate, alleluia, allel. allel.

Ad. Bened. Ant. Ego sum via, veritas, et vita : nemo venit ad Patrem, nisi per me, alleluia.

Oratio.

DEUS, qui nos annua Apostolorum tuorum Philippi et Jacobi solemnitate lætificas, præsta, quæsumus, ut quorum gaudemus meritis, instruamur exemplis. Per Dominum.

In II. Vesperis.

Ant. de Laud. reliqua de Com.

Digitized by Google

Ad Magnif. Ant. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque petieritis, fiet vobis, alleluia, allel. allel.

Deinde fit comm. sequentis.

Die 2. s. Athanasii,

Episc. Conf. et Eccl. Doct. *Duplex.*

In utrisq. Vesp. Ant. O Doctor. *Orat.* Exaudi, quæsumus, *p.* 39*.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

In Feria iv. *Rogat.* Sapientiam, *p.* 48*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ATHANASIUS Alexandrinus, Catholicæ religionis propugnator acerrimus, ab Alexandro Episcopo Alexandrino Diaconus factus est, in cujus locum successit; quem etiam antea secutus fuerat ad Nicænum Concilium, ubi cum Arii impietatem repressisset, tantum odium Arianorum suscepit, ut ex eo tempore ei insidias moliri nunquam destiterint. Nam coacto ad Tyrum Concilio magna ex parte Arianorum Episcoporum, subornarunt mulierculam, quæ accusaret Athanasium, quod hospitio acceptus sibi stuprum per vim intulisset. Introductus igitur est Athanasius, et una cum eo Timotheus Presbyter, qui simulans se esse Athanasium: Egone, inquit, mulier, apud te sum diversatus? ego te violavi? Cui illa petulanter: Tu mihi vim attulisti: idque jurejurando affirmans, judicum fidem obtestabatur, ut tantum flagitium vindicarent. Qua cognita fraude, rejecta est mulieris impudentia.

Lectio v.

ARSENIUM quoque Episcopum ab Athanasio interfectum Ariani pervulgaruut: quem dum occulte detinent, manum mortui deferunt in judicium, ab Athanasio ad usum magicæ artis Arsenio amputatam criminantes. At Arsenius noctu aufugiens, cum se in conspectu totius Concilii statuisset, Athanasii inimicorum impudentissimum scelus aperuit. Quod illi nihilominus magicis artibus Athanasii tribuentes, vitæ ejus insidiari non desistebant. Quamobrem in exilium actus, in Gallia apud Treviros exulavit. Gravibus deinceps ac diuturnis, sub Constantio Imperatore Arianorum fautore, tempestatibus jactatus, et incredibiles calamitates perpessus, magnam orbis terræ partem peragravit, ac sæpe e sua Ecclesia ejectus, sæpe etiam in eamdem et Julii Romani Pontificis auctoritate, et Constantis Imperatoris, Constantii fratris, patrocinio, decretis quoque Concilii Sardicensis, ac Jerosolymitani, restitutus est, Arianis interea illi semper infestis: quorum pertinacem iram, et summum vitæ discrimen fugiens, in sicca cisterna quinque annis se abdidit, ejus rei tantum conscio quodam Athanasii amico, qui eum clam sustentabat.

Lectio vj.

CONSTANTIO mortuo, cum Julianus apostata, qui ei in Imperio successit, exules Episcopos ad suas Ecclesias redire permisisset, Athanasius Alexandriam reversus, summo honore exceptus est. Sed non multo post, iisdem Arianis impellentibus, a Juliano exagitatus, rursus discedere cogitur. Cumque ab ejus satellitibus ad necem conquireretur, qua fugiebat navicula conversa in contrariam fluminis partem, iis, qui se insequebantur, ex industria occurrit; et quærentibus quantum inde abesset Athanasius, respondit eum non longe abesse. Itaque illos contrarium tenentes cursum effugit, atque Alexandriam rediens, ibidem usque ad Juliani obitum occultus permansit. Qui paulo post Alexandriæ, alia exorta tempestate, quatuor menses in paterno sepulchro delituit. Ac denique ex tot tantisque periculis divinitus ereptus, Alexandriæ mortuus est in suo lectulo, sub Valente. Cujus vita et mors magnis nobilitata est miraculis. Multa pie et ad illustrandam Ca-

Digitized by Google

tholicam fidem præclare scripsit, sexque et quadraginta annos in summa temporum varietate Alexandrinam Ecclesiam sanctissime gubernavit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis : Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Et reliqua.

Homilia S. Athanasii Episcopi.

In Apol. de fuga sua.

IN lege præceptum erat ut constituerentur civitates refugiorum, ut qui quomodocumque ad necem quærerentur, servari possent. In consummatione porro sæculorum, cum advenisset illud ipsum Verbum Patris, quod Moysi antea locutum fuerat, rursus hoc præceptum dedit : Cum vos, inquiens, persecuti fuerint in civitate ista, fugite in aliam. Paulo-que post subjicit : Cum videritis illam abominationem desolationis, quæ dicta est per Danielem Prophetam, consistentem in loco sancto (qui legit, intelligat) tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes; et qui in tecto est, ne descendat tollere aliquid de domo sua, et qui in agro est, non revertatur tollere tunicam suam.

Lectio viij.

HÆC cum scirent Sancti, ejusmodi tenuerunt suæ conversationis institutum. Quæ enim nunc præcepit Dominus, eadem quoque ante suum in carne adventum locutus est in Sanctis, et hoc institutum homines ad perfectionem ducit. Nam quod Deus jusserit, id omnino faciendum est. Ideoque et ipsum Verbum propter nos homo factum, non indignum putavit, cum quæreretur, quemadmodum et nos, abscondere se; et cum persecutionem pateretur, fugere, et insidias declinare : cum autem a se definitum tempus ipse adduxisset, in quo corporaliter pro omnibus pati volebat, ultro seipsum tradidit insidiantibus.

℟. In medio Ecclesiæ, *p.* 45*.

Lectio ix.

AT vero sancti homines cum hanc quoque formam a Salvatore didicissent (ab ipso enim et antea et semper omnes docebantur) adversus persecutores ut legitime certarent, fugiebant, et ab illis quæsiti se abscondebant. Cum enim præstituti sibi a divina providentia temporis finem ignorarent, nolebant insidiantibus se temere tradere : sed contra, cum scirent quod scriptum est, In manibus Dei esse hominum sortes; et, Dominum mortificare et vivificare, potius in finem usque perseverabant, circumeuntes, ut ait Apostolus, in melotis et pellibus caprinis, egentes, angustiati, in solitudinibus errantes, et in speluncis et cavernis terræ latentes, quoad vel definitum mortis tempus veniret, vel qui tempus ipsum definierat Deus, cum eis loqueretur, et insidiantes cohiberet, aut certe persecutoribus eos traderet, utcumque illi placuisset.

Vesperæ de sequenti.

Die 3. In Invent. S. Crucis

Duplex 2. *Classis.*

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. Psalmi de Dom. p. 86*. *loco ult.* Laudate Dominum omnes gentes.

In hymno Vexilla Regis *ut in Sabb. ante Dom. Pass.*, p. 294.

O Crux, ave, spes unica,
Paschale quæ fers gaudium.

℣. Hoc signum Crucis erit in cœlo, alleluia. ℟. Cum Dominus ad judicandum venerit, alleluia.

Ad Magnif. Ant. O Crux splendidior cunctis astris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, sanctior universis; quæ sola fuisti digna portare talentum mundi, dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera : salva præsentem catervam in tuis ho-

die laudibus congregatam, alleluia, alleluia.

Oratio ut infra in Laudibus.

Deinde fit comm. S. Athanasii.

Ad Matutinum.

Invit. Christum Regem crucifixum, * Venite, adoremus, alleluia.

Hymnus. Pange lingua, *p.* 293.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Inventæ Crucis festa recolimus, cujus præconium universum per orbem micanti lumine fulget, allel.

Psalmi de comm. unius Mart. p. 14.*

℣. Hoc signum Crucis erit in cœlo, alleluia. ℟. Cum Dominus ad judicandum venerit, alleluia.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Galatas.

Lectio j. Cap. 3.

QUICUMQUE ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est, quia justus ex fide vivit. Lex autem non est ex fide, sed, Qui fecerit ea, vivet in illis. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno: ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.

℟. Gloriosum diem sacra veneratur Ecclesia, dum triumphale reseratur lignum, * In quo Redemptor noster mortis vincula rumpens, callidum aspidem superavit, allel, allel. allel. ℣. In ligno pendens nostræ salutis semitam Verbum Patris invenit. — In.

De Epistola ad Philippenses.

Lectio ij. Cap. 2.

HOC enim sentite in vobis, quod et in Cristo Jesu; qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed emetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

℟. Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis, nulla silva talem profert, fronde, flore, germine:* Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinuit, alleluia. ℣. Super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior. — Dulce.

De Epistola ad Colossenses.

Lectio iij. Cap. 2.

IN Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter: et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis: in quo et circumcisi estis circumcisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi: consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis. Et vos cum mortui essetis in delictis et præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta: delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: et expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.

℟. Hæc est arbor dignissima: in paradisi medio situata, * In qua salutis auctor propria morte mortem omnium superavit, alleluia, allel. ℣. Crux præcellenti decore fulgida, quam Helena Constantini mater concupiscenti animo requisivit. — In. Gloria. In.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Felix ille triumphus fit salus

Digitized by Google

ægris, vitæ lignum, mortis remedium, alleluia.

℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, alleluia. ℟. Quia per Crucem tuam redemisti mundum, alleluia.

Lectio iv.

POST insignem victoriam, quam Constantinus Imperator, divinitus accepto signo Dominicæ Crucis, exMaxentio reportavit, Helena Constantini mater in somnis admonita, conquirendæ Crucis studio Jerosolymam venit: ubi marmoream Veneris statuam in Crucis loco a Gentibus collacatam ad tollendam Christi Domini passionis memoriam, post centum circiter octoginta annos evertendam curavit. Quod item fecit ad Præsepe Salvatoris, et in loco Resurrectionis: inde Adonidis, hinc Jovis sublato simulacro.

℟. Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi, in in quo est salus, vita, et resurrectio nostra: * Per quem salvati et liberati sumus, alleluia. ℣. Tuam Crucem adoramus Domine, et recolimus tuam gloriosam passionem. Per.

Lectio v.

ITAQUE loco Crucis purgato, alte defossæ tres cruces erutæ sunt, repertusque seorsum ab illis Crucis Dominicæ titulus: qui cum ex tribus cui affixus fuisset, non appareret, eam dubitationem sustulit miraculum. Nam Macarius Jerosolymorum Episcopus, factis Deo precibus, singulas cruces cuidam feminæ gravi morbo laboranti admovit; cui cum reliquæ nihil profuissent, adhibita tertia Crux statim eam sanavit.

℟. Dum sacrum pignus cœlitus revelatur, Christi fides roboratur: * Adsunt prodigia divina in virga Moysi primitus figurata, alleluia, allel. ℣. Ad Crucis contactum resurgunt mortui, et Dei magnalia reserantur. — Adsunt.

Lectio vi.

HELENA salutari Cruce inventa, magnificentissimam ibi extruxit Ecclesiam, in qua partem Crucis reliquit thecis argenteis inclusam, partem Constantino filio detulit, quæ Romæ reposita fuit in Ecclesia sanctæ Crucis in Jerusalem, ædificata in ædibus Sessorianis. Clavos etiam attulit filio, quibus sanctissimum Jesu Christi corpus fixum fuerat. Quo ex tempore Constantinus legem sancivit, ne crux ad supplicium cuiquam adhiberetur: ita res, quæ antea hominibus probro ac ludibrio fuerat, veneration et gloriæ esse cœpit.

℟. Hoc signum Crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit: * Tunc manifesta erunt abscondita cordis nostri, allel. allel. ℣. Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, et cœperit judicare sæculum per ignem. — Tunc. Gloria. Tunc.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemisti mundum, alleluia.

Psalmi de III. Noct. Virginum p. 67.*

℣. Omnis terra adoret te, et psallat tibi, allel. ℟. Psalmum dicat nomini tuo Domine, alleluia.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 3.

IN illo tempore: Erat homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei: Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. II. *in Joannem.*

NICODEMUS ex his erat, qui crediderant in nomine Jesu, videntes signa et prodigia quæ faciebat. Superius enim hoc dixit: Cum autem esset Jerosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine ejus. Qua-

Digitized by Google

re crediderunt in nomine ejus ? Sequitur, et dicit: Videntes signa ejus, quæ faciebat. Et de Nicodemo quid dicit ? Erat princeps Judæorum, nomine Nicodemus. Hic venit ad eum nocte, et ait illi : Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister. Et iste ergo crediderat in nomine ejus. Et ipse unde crediderat? Sequitur: Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.

℟. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinuit : * Quæ sola digna fuit portare pretium hujus sæculi, allel. ℣. Hoc signum Crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit. Quæ.

Bened. Divinum auxilium.

Lectio viij.

SI ergo Nicodemus de illis multis erat, qui crediderant in nomine ejus, jam in isto Nicodemo attendamus quare Jesus non se credebat eis. Respondit Jesus, et dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Ipsis ergo se credit Jesus, qui nati fuerint denuo. Ecce illi crediderant in eum, et Jesus non se credebat eis. Tales sunt omnes catechumeni : ipsi jam credunt in nomine Christi, sed Jesus non se credit eis. Intendat et intelligat charitas vestra. Si dixerimus catechumeno : Credis in Christum ? Respondet : Credo ; et signat se cruce Christi : portat in fronte et non erubescit de cruce Domini sui. Ecce credit in nomine ejus. Interrogemus eum : Manducas carnem Filii hominis, et bibis sanguinem Filii hominis ? Nescit quid dicimus, quia Jesus non se credidit ei.

℟. Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis : * Ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam, alleluia. ℣. Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Ut. Gloria. Ut.

Pro SS. Alexandro, Eventio, et Theodulo Martyribus, ac Juvenale Episcopo et Confessore.

Lectio ix.

ALEXANDER Romanus, Adriano Imperatore, regens Ecclesiam, magnam partem Romanæ nobilitatis ad Christum convertit. Is constituit ut tantummodo panis et vinum in mysterio offerretur : vinum autem aqua misceri jussit, propter sanguinem et aquam, quæ ex Jesu Christi latere profluxerunt ; et in Canone Missæ addidit, Qui pridie quam pateretur. Idem decrevit, ut aqua benedicta sale admixto, perpetuo in Ecclesia asservaretur, et in cubiculis adhiberetur ad fugandos dæmones. Sedit annos decem, menses quinque, et dies viginti, vitæ sanctitate, et salutaribus institutis illustris. Martyrio coronatus est una cum Eventio et Theodulo Presbyteris, sepultusque est via Nomentana, tertio ab Urbe lapide, eodem in loco ubi securi percussus fuerat : creatis diverso tempore mense Decembri Presbyteris sex, Diaconis duobus, et Episcopis per diversa loca quinque. Eorum corpora postea in Urbem translata, in Ecclesia sanctæ Sabinæ condita sunt. In eumdem diem incidit beata mors sancti Juvenalis Narniensis Episcopi, qui cum plurimos in ea urbe sanctitate et doctrina Christo peperisset, clarus miraculis in pace quievit, ibique honorifice sepultus est.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. O magnum pietatis opus!* mors mortua tunc est, in ligno quando mortua vita fuit, alleluia.

2. Salva nos, Christe Salvator, per virtutem Crucis,* qui salvasti Petrum in mari, miserere nobis, alleluia.

3. Ecce Crucem Domini, * fugite, partes adversæ ; vicit leo de tribu Juda, radix David, alleluia.

4. Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi, alleluia.

Digitized by Google

5. Per signum Crucis * de inimicis nostris libera nos, Deus noster, alleluia.

Capitulum. Philip. 2.

FRATRES, Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.

Hymnus. Lustra sex, *p.* 298.

℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, alleluia. ℟. Quia per Crucem tuam redemisti mundum, alleluia.

Ad Bened. Ant. Super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior, in qua vita mundi pependit, in qua Christus triumphavit, et mors mortem superavit in æternum, alleluia.

Oratio.

DEUS, qui in præclara salutiferæ Crucis Inventione, passionis tuæ miracula suscitasti, concede, ut vitalis ligni pretio æternæ vitæ suffragia consequamur. Qui vivis.

Et fit comm. SS. Martyrum.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui sanctorum tuorum Alexandri, Eventii, Theoduli, atque Juvenalis natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus, eorum intercessionibus liberemur. Per Dominum.

Ad Tertiam.

Capit. Fratres Hoc enim.

℟. *br.* Hoc signum Crucis erit in cœlo, * Alleluia, alleluia. Hoc. ℣. Cum Dominus ad judicandum venerit. Alleluia, alleluia. Gloria. Hoc. ℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, alleluia. ℟. Quia per Crucem tuam redemisti mundum, alleluia.

Ad Sextam.

Capitulum. Galat. 6.

MIHI autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

℟. *br.* Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, * Alleluia, allel. Adoramus. ℣. Quia per crucem tuam redemisti mundum. Alleluia, allel. Gloria. Adoramus. ℣. Omnis terra adoret te, et psallat tibi; alleluia. ℟. Psalmum dicat nomini tuo, Domine, alleluia.

Ad Nonam.

Capitulum. Philip. 2.

HUMILIAVIT semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen.

℟. *br.* Omnis terra adoret te, et psallat tibi, * Alleluia, allel. Omnis. ℣. Psalmum dicat nomini tuo, Domine. Alleluia, allel. Gloria. Omnis. ℣. Hoc signum Crucis erit in cœlo, allel. ℟. Cum Dominus ad judicandum venerit, allel.

In II. Vesperis.

Omnia dicuntur ut in I. præter

Ad Magnif. Ant. Crucem sanctam subiit, qui infernum confregit, accinctus est potentia, surrexit die tertia, alleluia.

Et fit commemoratio sequentis.

Die 4. S. Monicæ,

Viduæ *Duplex.*

Oratio.

DEUS mœrentium consolator, et in te sperantium salus, qui beatæ Monicæ pias lacrymas in conversione filii sui Augustini misericorditer suscepisti, da nobis utriusque interventu peccata nostra deplorare, et gratiæ tuæ indulgentiam invenire. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

Digitized by Google

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

MONICA, sancti Augustini dupliciter mater, quia eum et mundo et cœlo peperit, marito mortuo, quem senectute confectum Jesu Christo conciliavit, castam et operibus misericordiæ exercitam viduitatem agebat. In assiduis vero ad Deum orationibus pro filio, qui in Manichæorum sectam inciderat, lacrymas effundebat; quem etiam Mediolanum secuta est, ubi ipsum frequenter hortabatur, ut ad Episcopum Ambrosium se conferret. Quod cum ille fecisset, ejus et publicis concionibus, et privatis colloquiis Catholicæ fidei veritatem edoctus ab eodem baptizatus est.

Lectio v.

MOX in Africam redeuntes, cum ad Ostia Tiberina constitissent, incidit in febrem. Quo in morbo, cum eam quodam die anima defecisset, ut se collegit, Ubi, inquit, eram? Et astantes intuens: Ponite hic matrem vestram; tantum vos rogo, ut ad altare Domini memineritis mei. Nono autem die beata mulier animam Deo reddidit. Ejus corpus ibi in Ecclesia sanctæ Aureæ sepultum est: quod postea, Martino Quinto Summo Pontifice, Romam translatum, in Ecclesia sancti Augustini honorifice conditum est.

Lectio vj.

Ex lib. 9. Confess. cap. 12.

SUBDIT vero Augustinus de matris morte disserens: Neque enim decere arbitrabamur funus illud questibus lacrymosis, gemitibusque celebrare, quia illa nec misere, nec omnino moriebatur. Hoc et documentis morum ejus, et fide non ficta, rationibusque certis tenebamus. Atque inde paulatim reducebam in pristinum sensum ancillam tuam, conversationemque ejus piam in te et sanctam, in nos blandam atque morigeram, qua subito destitutus sum, et libuit flere de illa, et pro illa, et si quis peccatum inveuerit flevisse me matrem meam exigua parte horæ, matrem oculis meis mortuam, quæ me multos annos fleverat, ut oculis suis viverem, non irrideat; sed potius, si est grandi charitate, pro peccatis meis fleat ipse ad te Patrem omnium fratrum Christi tui.

In III. Noct. Homilia De juvene illo *ut in Dom. xv. post Pent.*, p. 600 *cum* ℟. vij. *et* viij. *de Com.*

Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 5. S. PII V.,

Papæ et Conf. *Dupl.* (m. t. v.)

Oratio.

DEUS, qui ad conterendos Ecclesiæ tuæ hostes, et ad divinum cultum reparandum, beatum Pium Pontificem Maximum eligere dignatus es, fac nos ipsius defendi præsidiis, et ita tuis inhærere obsequiis, ut omnium hostium superatis insidiis, perpetua pace lætemur. Per Dominum.

Et fit comm. S. Monicæ.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PIUS in Oppido Insubriæ, quod Boschum vocant, natus, sed e Bononia oriundus ex nobili Ghislieriorum familia, cum quatuordecim esset annorum, Ordinem Prædicatorum ingressus est. Erat in eo admirabilis patientia, profunda humilitas, summa vitæ austeritas, continuum orationis studium, et regularis observantiæ ac divini honoris ardentissimus zelus. Philosophiæ vero ac Theologiæ incumbens, adeo in iis excelluit, ut illas docendi munus magna cum laude per multos annos exercuerit. Sacras conciones pluribus in locis cum ingenti auditorum fructu habuit. Inquisitoris officium inviolabili animi fortitudine diu sustinuit, multasque civitates non sine vitæ discrimine ab hæresi tunc grassante immunes servavit.

Lectio v.

A Paulo Quarto, cui ob eximias virtutes charissimus erat, ad Nepesinum et Sutrinum Episcopatum promotus, et post biennium inter Romanæ Ecclesiæ Presbyteros Cardinales adscriptus fuit. Tum ad Ecclesiam Montis Regalis in Subalpinis a Pio Quarto translatus, cum plures in eam abusus irrepsisse cognovisset, totam Diœcesim lustravit, rebusque compositis, Romam reversus, gravissimis expediendis negotiis applicatus, quod justum erat, Apostolica libertate et constantia decernebat. Mortuo autem Pio, præter omnium expectationem electus Pontifex, nihil in vitæ ratione, excepto exteriori habitu, immutavit. Fuit in eo religionis propagandæ perpetuum studium, in Ecclesiastica disciplina restituenda indefessus labor, in extirpandis erroribus assidua vigilantia, in sublevandis egentium necessitatibus indeficiens beneficentia, in Sedis Apostolicæ juribus vindicandis robur invictum.

Lectio vj.

SELIMUM Turcarum tyrannum multis elatum victoriis, ingenti comparata classe, ad Echinadas insulas, non tam armis, quam fusis ad Deum precibus, devicit. Quam victoriam ea ipsa hora, qua obtenta fuit, Deo revelante, cognovit, suisque familiaribus indicavit. Dum vero novam in ipsos Turcas expeditionem moliretur, in gravem morbum incidit, et acerbissimis doloribus patientissime toleratis, ad extrema deveniens, cum Sacramenta de more suscepisset, animam Deo placidissime reddidit, anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, ætatis suæ sexagesimo octavo, cum sedisset annos sex, menses tres, dies viginti quatuor. Corpus ejus in Basilica sanctæ Mariæ ad Præsepe summa fidelium veneratione colitur, multis a Deo ejus intercessione patratis miraculis. Quibus rite probatis, a Clemente Undecimo Pontifice Maximo Sanctorum numero adscriptus est.

In III. Noct. Homilia Lectio sancti Evangelii *de Com.* I. loco.

Vesperæ de sequenti.

Die 6. S. Joannis
ANTE PORTAM LATINAM,

Apost. *Duplex majus.*

Ad Magnif. in utrisque Vesp.

Ant. In ferventis olei dolium missus beatus Joannes Apostolus, divina se protegente gratia, illæsus exivit, alleluia.

Oratio.

DEUS, qui conspicis, quia nos undique mala nostra perturbant, præsta, quæsumus, ut beati Joannis Apostoli tui et Evangelistæ intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum.

Pro comm. S. Pii, Ant. Dum.

Lect. I. Noct. de Script. occ. si tunc legitur de Apocalypsi vel de Epistolis S. Joannis. Alias, quod fuit ab initio *ut in Dom. infra Octavam Ascensionis*, p. 397..

IN II. NOCTURNO
Ex libro S. Hieronymi Presbyteri contra Jovinianum.

Lectio iv. *Lib. I.*

JOANNES Apostolus, unus ex discipulis Domini, qui minimus natu traditur fuisse inter Apostolos, et quem fides Christi virginem repererat, virgo permansit: et ideo plus amatur a Domino, et recumbit super pectus Jesu: et quod Petrus, qui uxorem habuerat, interrogare non audet, illum rogat ut interroget: et post resurrectionem, nuntiante Maria Magdalene quod Dominus resurrexisset, uterque cucurrit ad sepulchrum, sed ille prævenit: cumque essent in navi, et piscarentur in lacu Genesareth, Jesus stabat in littore, nec sciebant Apostoli quem viderent, solus virgo virginem agnoscit, et dicit Petro: Dominus est.

Lectio v.

FUIT autem Joannes et Apostolus, et Evangelista, et Propheta. A-

Digitized by Google

postolus, quia scripsit ad Ecclesias, ut magister; Evangelista, quia librum Evangelii condidit, quod, excepto Matthæo, alii ex duodecim Apostoli non fecerunt; Propheta, vidit enim in Patmos insula, in qua fuerat a Domitiano Principe ob Domini martyrium relegatus, Apocalypsim, infinita futurorum mysteria continentem. Refert autem Tertullianus quod Romæ missus in ferventis olei dolium, purior et vegetior exierit, quam intraverit.

Lectio vj.

SED et ipsum ejus Evangelium multum distat a cæteris. Matthæus quasi de homine incipit scribere, Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham: Lucas a sacerdotio Zachariæ: Marcus a Prophetia Malachiæ et Isaiæ. Primus habet faciem hominis, propter genealogiam; secundus faciem vituli, propter sacerdotium; tertius faciem leonis, propter vocem clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Joannes vero noster quasi aquila ad superna volat, et ad ipsum Patrem pervenit, dicens: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 20.

IN illo tempore: Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.
Lib. 3. Comm. in Matth. c. 20.

UNDE opinionem regni habet mater filiorum Zebedæi, ut cum Dominus dixerit: Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et Scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent Gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum; et ignominiam passionis timentibus discipulis nuntiaret, illa gloriam postulet triumphantis? Hac, ut reor, ex causa, quia post omnia dixerat Dominus: Et tertia die resurget: putavit eum mulier post resurrectionem illico reguaturum, et hoc quod in secundo adventu promittitur, in primo esse complendum; et aviditate feminea præsentia cupit, immemor futurorum.

Lectio viij.

MATER postulat, et Dominus discipulis loquitur, intelligens preces ejus ex filiorum descendere voluntate. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Calicem in Scripturis divinis passionem intélligimus, juxta illud: Pater, si possibile est, transeat a me calix iste. Et in psalmo: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Statimque infert quis iste sit calix: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

Lectio ix.

QUÆRITUR quomodo calicem martyrii filii Zebedæi, Jacobus videlicet et Joannes, biberint, cum Scriptura narret Jacobum tantum Apostolum ab Herode capite truncatum, Joannes autem propria morte vitam finierit. Sed si legamus Ecclesiasticas historias, in quibus fertur quod et ipse propter martyrium sit missus in ferventis olei dolium, et inde ad suscipiendam coronam Christi athleta processerit, statimque relegatus in Patmos insulam sit, videbimus martyrio animum non defuisse, et bibisse Joannem calicem confessionis, quem et tres pueri in camino ignis biberunt, licet persecutor non fuderit sanguinem.

In II. Vesp. comm. sequentis.

die 7. S. Stanislai,

Episcopi et Martyris. *Duplex.*

Oratio.

DEUS, pro cujus honore glorio-sus Pontifex Stanislaus gladiis

Digitized by Google

impiorum occubuit, præsta, quæsumus, ut omnes qui ejus imploraut auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

STANISLAUS Polonus, apud Cracoviam nobili genere natus, et piis parentibus, qui antea per annos triginta steriles, illum a Deo precibus impetrarunt, ab ineunte ætate futuræ sanctitatis specimen dedit. Adolescens bonis artibus operam navavit, multumque in sacra Canonum et Theologiæ doctrina profecit. Parentibus mortuis, amplum patrimonium pauperibus distribuit, vitæ monasticæ desiderio. Sed Dei providentia Canonicus Cracoviensis, et concionator factus a Lamperto Episcopo, in ejus postea locum, quamvis invitus, sufficitur. Quo in munere omnium pastoralium virtutum laude, et præcipue misericordia in pauperes enituit.

Lectio v.

ERAT tum Poloniæ rex Boleslaus, quem graviter offendit, quod illius notam libidinem publice arguebat. Quare in solemni regni conventu Stanislaum per calumniam in judicium coram se vocari curat, tamquam pagum occuparet quem Ecclesiæ suæ nomine coemerat. Quod cum neque tabulis probare posset, et testes veritatem dicere timerent, spondet Episcopus se Petrum pagi venditorem, qui triennio ante obierat, intra dies tres in judicium adducturum. Conditione cum risu accepta, vir Dei toto triduo jejuniis et orationi incumbit: ipso sponsionis die, post oblatum Missæ sacrificium, Petrum e sepulchro surgere jubet, qui statim redivivus Episcopum ad regium tribunal euntem sequitur, ibique, rege et cæteris stupore attonitis, de agro a se vendito, et pretio rite sibi ab Episcopo persoluto testimonium dicit, atque iterum in Domino obdormivit.

Lectio vj.

AT Boleslaum frustra sæpe admonitum Stanislaus tandem a fidelium communione removet. Ille iracundia furens, milites in Ecclesiam immittit, ut sanctum Episcopum confodiant: qui ter conati, occulta vi tertio divinitus sunt depulsi. Postremo impius rex Sacerdotem Dei, hostiam immaculatam ad altare offerentem sua manu obtruncat: corpus membratim concisum, et per agros projectum, aquilæ a feris mirabiliter defendunt. Mox Canonici Cracovienses sparsa membra nocturni de cælo splendoris indicio colligunt: et suis locis apte disponunt; quæ subito ita inter se copulata sunt, ut nulla vulnerum vestigia exstarent. Multis præterea miraculis servi sui sanctitatem Deus declaravit post ejus mortem; quibus permotus Innocentius Quartus Summus Pontifex, illum in Sanctorum numerum retulit. Clemens vero Octavus Pontifex Maximus, sancti Stanislai festo die in Romanum Breviarium relato, gloriosi Martyris memoriam duplici officio ubique celebrari jussit.

In III. Noct. Hom. (intra temp. Pasch.) Iste locus Evangelicus *de Com. Mart. temp. Pasch.* I. *loco*, p. 25*. *(extra temp. Pasch.)* Dominus ac Redemptor *de Com. plur. Mart.* l. *loco*, p. 35*.

Vesperæ de sequenti.

Die 8. In Apparitione

SANCTI MICHAELIS,

Archangeli. *Duplex majus.*

Officium fit ut in die 29. Sept. præter Lect. 2. et 3. Noct.

Temp. Pasch. additur Alleluia *in fine Ant. ℣. et ℟. br. et Psalmi in Noct. dicuntur sub una Ant.*

In I. Vesp. fit comm. præced.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BEATUM Michaelem Archangelum sæpius hominibus apparuis-

Digitized by Google

se, et sacrorum librorum auctoritate, et veteri sanctorum traditione comprobatur. Quamobrem multis in locis facti memoria celebratur. Eum ut olim synagoga Judæorum, sic nunc custodem et patronum, Dei veneratur Ecclesia. Gelasio autem Primo Pontifice Maximo, in Apulia in vertice Gargani montis, ad cujus radices incolunt Sipontini, Archangeli Michaelis fuit illustris apparitio.

Lectio v.

FACTUM est enim ut ex gregibus armentorum Gargani cujusdam taurus longe discederet quem diu conquisitum, in aditu speluncæ hærentem invenerunt. Cum vero quidam ex illis, ut taurum configeret, sagittam emisisset, retorta sagitta in ipsum recidit sagittarium. Quæ res cum præsentes, ac deinceps cæteros tanto timore affecisset, ut ad eam speluncam propius accedere nemo auderet, Sipontini Episcopum consulunt, qui, indicto trium dierum jejunio et oratione, rem a Deo respondit quæri oportere.

Lectio vj.

POST triduum Michael Archangelus Episcopum monet, in sua tutela esse eum locum, eoque indicio demonstrasse velle ibi cultum Deo in sui et Angelorum memoriam adhiberi. Quare Episcopus una cum civibus ad eam speluncam ire pergit. Quam cum in templi cujusdam similitudinem conformatam vidissent, locum illum divinis officiis celebrare cœperunt, qui multis postea miraculis illustratus est. Nec ita multo post Bonifacius Papa Romæ in summo Circo sancti Michaelis Ecclesiam dedicavit tertio Kalendas Octobris: quo die etiam omnium Angelorum memoriam Ecclesia celebrat. Hodiernus autem dies Archangeli Michaelis Apparitione consecratus est.

In III. Noct. Homilia Nonnisi reversos, *ut in die* 2. *Octobr.*

In II. Vesp. comm. sequentis.

Die 9. S. Gregorii Nazianz.,
Episc. Conf. et Eccl. Doct.
Duplex. (m. t. v.)
In utrisq. Vesp. Ant. O Doctor.
Orat. Deus, qui populo tuo, *p.* 39*.
Lect. I. Noct. de Script. occ.
In Feria iv. *Rogat.* Sapientiam, *p.* 48.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

GREGORIUS, nobilis Cappador, ex singulari divinarum litterarum scientia Theologi cognomen consecutus, Nazianzi in Cappadocia natus, Atheois in omni disciplinarum genere una cum sancto Basilio eruditus, ad studia sacrarum litterarum se convertit, in quibus se in cœnobio per aliquot annos exercuerunt, illarum sententiam non ex proprio ingenio, sed ex majorum ratione et auctoritate interpretantes. Qui cum doctrina et vitæ sanctitate florerent, vocati ad munus prædicandæ Evangelicæ veritatis, plurimos Jesu Christo filios pepererunt.

Lectio v.

GREGORIUS igitur aliquando domum reversus, primum Sasimorum Episcopus creatus est, deinde Nazianzenam Ecclesiam administravit. Tum Constantinopolim ad eam regendam Ecclesiam accersitus, cum civitatem hæresum purgatam erroribus ad Catholicam fidem reduxisset, quod ei summum omnium amorem conciliare debebat, multorum paravit invidiam. Itaque cum inter Episcopos magna propterea esset facta seditio, sponte cedens Episcopatu, illud Prophetæ dictum usurpavit: Si propter me commota est ista tempestas, dejicite me in mare, ut vos jactari desinatis. Quare Nazianzum reversus, cum illi Ecclesiæ Eulalium præficiendum curasset, totum se ad contemplationem et scriptionem divinarum rerum contulit.

Lectio vj.

SCRIPSIT autem multa et soluta oratione et versibus, mirabili pie-

Digitized by Google

tate et eloquentia : quibus doctorum hominum sanctorumque judicio id assecutus est, ut nihil in illis, nisi ex veræ pietatis et Catholicæ religionis regula reperiatur, nemo quidquam jure vocare possit in dubium. Consubstantialitatis Filii fuit acerrimus propugnator. Ut autem vitæ laude nemo ei præpositus est, sic et orationis gravitate omnes facile superavit. In iis scribendi ac legendi studiis ruri vitam monachi exercens, Imperatore Theodosio, ad cœlestem vitam senio confectus migravit.

In III. Noct. Homilia Ostendit Dominus, *pro. Doct.*I. *loco*, p. 49*.

In II. Vesp. comm. sequentis.

Die 10. S. Antonini,

Episc. et Conf. *Duplex.* (m. t. v.)

Oratio.

SANCTI Antonini, Domine, Confessoris tui atque Pontificis meritis adjuvemur, ut sicut te in illo mirabilem prædicamus, ita in nos misericordem fuisse gloriemur. Per Dominum.

Deinde SS. Gordiani et Epimachi Martyrum.

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beatorum Martyrum tuorum Gordiani et Epimachi solemnia colimus, eorum apud te intercessionibus adjuvemur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ANTONINUS Florentiæ honestis parentibus natus, ab ipsa jam pueritia egregium futuræ sanctitatis specimen exhibuit. Annum agens sextum decimum, Religionem Prædicatorum amplexus, cœpit exinde maximis clarere virtutibus. Otio perpetuum bellum indixit : post nocturnum brevem somnum primus matutinis precibus aderat ; quibus persolutis, reliquum tempus noctis orationibus, aut certe lectioni, et scriptioni librorum tribuebat ; et si quando importunior fessis membris somnus obrepperet, ad parietem paululum declinato capite, ac tantisper discusso somno, mox sacras vigilias avidius repetebat.

Lectio v.

DISCIPLINÆ regularis sui ipsius severissimus exactor, carnes, nisi in gravi ægritudine, nunquam edit. Humi, aut in nudo tabulato cubabat ; cilicio semper usus, et interdum zona ferrea ad vivam cutem incinctus, virginitatem integerrime semper coluit. In explicandis consiliis tantæ dexteritatis fuit, ut communi elogio Antoninus consiliorum diceretur. Adeo autem in eo humilitas enituit, ut etiam cœnobiis ac provinciis præfectus, abjectissima monasterii officia demississime obiret. Ab Eugenio Quarto Florentinus Archiepiscopus renuntiatus, ægerrime tandem, nec nisi Apostolicis minis perterrefactus, ut Episcopatum acciperet, acquievit.

Lectio vj.

IN eo munere vix dici potest, quantum prudentia, pietate, charitate, mansuetudine, et sacerdotali zelo excellucrit. Illud mirandum, tantum ingenio valuisse, ut omnes ferme scientias per se, nullo adhibito præceptore, absolutissime didicerit. Tandem post multos labores, multis etiam editis insignis doctrinæ libris, sacra Eucharistia et Unctione percepta, complexus Crucifixi imaginem, mortem lætus aspexit sexto Nonas Maii, anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono. Miraculis vivens et post mortem conspicuus, Sanctorum numero adscriptus est ab Adriano Sexto, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo tertio.

In III. Noct. Homilia Lectio sancti Evangelii *de Com.* I. *loco.*

Pro SS. Martyribus.

Lectio ix.

GORDIANUS judex, cum ad eum Januarius Presbyter, ut condem-

naretur, sub Juliano apostata ductus esset, ab eodem in Christiana fide instructus, cum uxore et quinquaginta tribus aliis ex eadem familia Romæ baptizatur. Quare præfectus, relegato Januario, Gordianum a Clementiano vicario includi jubet in carcerem; qui postea eumdem Gordianum vinctum catenis ad se accersitum, cum a fidei proposito deterrere non posset, plumbatis diu cæsum, capite plecti imperat. Cujus corpus ante Apollinis templum canibus objectum, noctu a Christianis via Latina sepelitur in eadem crypta, in quam reliquiæ beati Epimachi martyris translatæ fuerant ab Alexandria: ubi is diu propter Christi confessionem constrictus in carcere, postremo combustus, martyrio coronatus est.

In Laud. fit comm. SS. Mart.

Die 12. SS. Nerei, Achillei,

ET DOMITILLÆ, Virginis,

ATQUE PANCRATII,

Martyrum. *Semiduplex.*

Oratio.

SEMPER nos, Domine, Martyrum tuorum Nerei, Achillei, Domitillæ, atque Pancratii foveat, quæsumus, beata solémnitas, et tuo dignos reddat obsequio. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

NEREUS et Achilleus fratres, eunuchi Flaviæ Domitillæ, a beato Petro una cum ipsa ejusque matre Plautilla baptizati, cum Domitillæ persuasissent, ut virginitatem suam Deo consecraret, ab ejus sponso Aureliano tamquam Christiani accusati, ob præclaram fidei confessionem, in Pontiam insulam relegantur: ubi ad quæstionem iterum vocati, et verberibus cæsi, mox Tarracinam perducti, a Minutio Rufo, equuleo et flammis cruciati, cum constanter negarent, se a sancto Petro Apostolo baptizatos ullis tormentis cogi posse, ut idolis immolarent, securi percussi sunt: quorum corpora ab Auspicio eorum discipulo, et Domitillæ educatore, Romam delata, via Ardeatina sepulta sunt.

Lectio v.

FLAVIA Domitilla virgo Romana, Titi et Domitiani, Imperatorum neptis, cum sacrum virginitatis velamen a beato Clemente Papa accepisset, ab Aureliano sponso, Titi Aurelii Consulis filio delata quod Christiana esset, a Domitiano Imperatore in insulam Pontiam est deportata, ubi in carcere longum martyrium duxit. Demum Tarracinam deducta, iterum Christum confessa, cum semper constantior appareret, sub Trajano Imperatore, judicis jussu, incenso ejus cubiculo, una cum Theodora et Euphrosyna virginibus, et collactaneis suis, gloriosi martyrii cursum confecit, Nonis Maii, quarum corpora integra inventa, a Cæsario Diacono sepulta sunt. Hac vero die duorum fratrum ac Domitillæ corpora ex Diaconia sancti Adriani simul translata, in ipsorum Martyrum Basilicam, tituli Fasciolæ, restituta sunt.

Lectio vj.

PANCRATIUS, in Phrygia nobili genere natus, puer quatuordecim annorum Romam venit, Diocletiano et Maximiano Imperatoribus: ubi a Pontifice Romano baptizatus, et in fide Christiana eruditus, ob eamdem paulo post comprehensus, cum diis sacrificare constanter renuisset, virili fortitudine datis cervicibus, illustrem martyrii coronam consecutus est: cujus corpus Octavilla matrona noctu sustulit, et unguentis delibutum via Aurelia sepelivit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 4.

IN illo tempore: Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur

Capharnaum. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Ex Homil. 28. habita in Natali horum SS. Martyrum.

QUID est quod regulus Dominum rogat, ut ad ejus filium veniat, et tamen ire corporaliter recusat: ad servum vero centurionis non invitatur, et tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem præsentiam non dignatur adesse, centurionis servo non dedignatur occurrere. Quid est hoc, nisi quod superbia nostra retunditur, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores et divitias veneramur? Redemptor vero noster ut ostenderet quia quæ alta sunt hominum, despicienda sunt et quæ despecta sunt hominum, despicienda non sunt, ad filium reguli ire noluit, ad servum centurionis ire paratus fuit.

Lectio viij.

INCREPATA est ergo superbia nostra, quæ nescit pensare homines propter homines. Sola, ut diximus, quæ circumstant hominibus, pensat, naturam non aspicit, honorem Dei in hominibus non agnoscit. Ecce ire non vult Filius Dei ad filium reguli, et tamen venire paratus est ad salutem servi. Certe si nos cujuspiam servus rogaret, ut ad eum ire deberemus, protinus nobis nostra superbia in cogitatione tacita responderet, dicens: Non eas, quia temetipsum degeneras, honor tuus despicitur, locus vilescit. Ecce de cœlo venit, qui servo in terra occurrere non despicit, et tamen humiliari in terra contemnimus, qui de terra sumus.

Lectio ix.

NOLITE ergo intra vosmetipsos pensare quod habetis, sed quid estis. Ecce mundus qui diligitur, fugit. Sancti isti, ad quorum tumbam consistimus, florentem mundum mentis despectu calcaverunt. Erat tunc vita longa, salus continua, opulentia in rebus, fœcunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace; et tamen cum in seipso floreret, jam in eorum cordibus mundus aruerat. Ecce jam mundus in seipso aruit, et adhuc in cordibus nostris floret. Ubique mors, ubique luctus, ubique desolatio; undique percutimur, undique amaritudinibus replemur; et tamen cæca mente carnalis concupiscentiæ ipsas ejus amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhæremus.

Die 14. S. Bonifacii,

Martyris.

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati Bonifacii martyris tui solemnia colimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per Dominum.

Lectio ij.

BONIFACIUS, civis Romanus, quod cum Aglae nobili matrona impudice versatus esset, tanto illius intemperantiæ dolore captus est, ut pœnitentiæ causa se ad conquirenda et sepelienda martyrum corpora contulerit. Itaque relictis peregrinationis sociis, cum Tarsi multos propter Christianæ fidei professionem variis tormentis cruciatos vidisset, illorum vincula osculatus, eos vehementer hortabatur, ut constanter supplicia perferrent, quod brevem laborem sempiterna requies consecutura sit. Comprehensus igitur, ferreis ungulis excarnificatus est: cui etiam inter manuum ungues et carnem acuti calami sunt infixi, plumbumque liquefactum in os ejus infusum. Quibus in cruciatibus ea vox tantum Bonifacii audiebatur: Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, Fili Dei.

Lectio iij.

MOX in ollam ferventis picis demisso capite conjectus est: unde cum inviolatus exisset, ira incensus judex eum securi percuti jubet. Quo tempore magnus terræmotus factus est, ita ut multi infideles ad

Christi Domini fidem converterentur. Eum sequenti die quærentes socii, cum martyrio affectum cognovissent, quingentis solidis ejus corpus redemerunt, et conditum unguentis, linteisque involutum, Romam portandum curarunt. Quod factum cum ab Angelo Aglae matrona, quæ et ipsa pœnitens se piis operibus addixerat, cognovisset, prodiens obviam sancto corpori, Ecclesiam ejus nomine ædificavit, in qua corpus sepultum est Nonis Junii, cum ejus anima pridie Idus Maii apud Tarsum Ciliciæ Urbem migrasset in cœlum, Diocletiano et Maximiano Imperatoribus.

Die 16. S. Ubaldi,

Episcopi et Confessoris. *Semid.*

Oratio.

AUXILIUM tuum nobis Domine, quæsumus, placatus impende, et intercessione beati Ubaldi Confessoris tui atque Pontificis, contra omnes diaboli nequitias dexteram super nos tuæ propitiationis extende. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

UBALDUS Eugubii in Umbria nobili genere natus, a primis annis pietate et litteris egregie est institutus. Jamque adolescens, ut uxorem duceret, sæpe tentatus, nunquam tamen a proposito servandæ virginitatis recessit. Sacerdos effectus patrimonium suum pauperibus et Ecclesiis distribuit, et Canonicorum Regularium Ordinis sancti Augustini Institutum suscipiens, illud in patriam transtulit, atque in eo aliquandiu sanctissime vixit. Cujus sanctitatis opinione evulgata, ab Honorio II Secundo Summo Pontifice Ecclesiæ Eugubinæ invitus præficitur, et Episcopalis consecrationis munere decoratur.

Lectio v.

AD suam itaque revertens Ecclesiam, cum de consueta vivendi ratione nihil admodum immutasset, in omni tamen virtutum genere, eo magis eminere cœpit, quo efficacius aliorum etiam salutem verbo et exemplo procuraret, factus forma gregis ex animo. Nam victu parco, vestitu moderato, lectulo aspero et pauperrimo, crucis mortificationem jugiter in suo corpore circumferebat, dum inexplebili orationis studio spiritum quotidie recrearet. Hinc admirabilem illam mansuetudinem est adeptus, qua gravissimas injurias et contumelias non modo æquanimiter tulit, verum etiam mirifico dilectionis affectu persecutores suos omni benignitatis testimonio complectebatur.

Lectio vj.

BIENNIO antequam ex hac vita migraret; cum diutinis afflictaretur infirmitatibus, inter accerbissimos corporis cruciatus, velut aurum in fornace purgatum, Deo gratias indesinenter agebat. Adveniente autem sacro Pentecostes die, cum multis annis Ecclesiam sibi commissam summa cum laude gubernasset, sanctis operibus ac miraculis clarus quievit in pace. Quem Cœlestinus Papa Tertius in Sanctorum numerum retulit. Ejus virtus præcipue in effugandis spiritibus immundis elucet; corpus vero per tot sæcula incorruptum magna fidelium veneratione in patria colitur, quam non semel a præsenti discrimine liberavit.

In III. Noct. Homilia Lectio sancti Evangelii *de Com. I. loco.*

Vesperæ de sequenti.

Die 17. S. Pasch. Baylon,

Confessoris. *Duplex.*

Oratio.

DEUS, qui beatum Paschalem Confessorem tuum mirifica erga corporis et sanguinis tui sacra Mysteria dilectione decorasti, concede propitius, ut quam ille ex hoc divino convivio spiritus percepit pinguedinem, eamdem et nos percipere mereamur. Qui vivis.

Digitized by Google

Et fit comm. S. Ubaldi.
Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PASCHALIS Baylon, pauperibus piisque parentibus in oppido Turris Formosæ, Seguntinæ Diœcesis in Aragonia, natus, a teneris annis plura dedit futuræ sanctitatis indicia. Sortitus animam bonam, ac rerum cœlestium apprime studiosam, puritiam atque adolescentiam in gregis custodia transegit. Quam ille vivendi rationem ideo præcipue diligebat, quod humilitati fovendæ, ac innocentiæ conservandæ in primis utilem atque opportunam judicaret. Erat in victu modicus, in oratione assiduus, tantaque apud coævos et socios florebat auctoritate et gratia, ut eorum lites componens, errores corrigens, ignorantiam erudiens, ac desidiam excitans, velut omnium parens et magister maximo studio coleretur ac amaretur: Beatus etiam tum a plerisque appellatus.

Lectio v.

QUI vero in sæculo, terra nempe deserta et inaquosa, adeo feliciter adoleverat, flos convallium, plantatus in domo Domini, mirum ubique sparsit sanctitatis odorem. Igitur Paschalis arrepto vitæ severioris instituto, atque in Ordine Minorum strictioris Observantiæ Discalceatorum cooptatus, exultavit ut gigas ad currendam viam suam, totumque se Domino excolendum tradens, dies noctesque cogitabat, qua se ratione magis ei magisque conformaret. Ita factum est brevi, ut eum, tanquam Seraphicæ perfectionis exemplar, ipsi quoque provectiores imitandum sibi proponerent. Ipse autem in humili servientium gradu constitutus, se velut omnium peripsema reputans, ardua quæque et abjecta domus ministeria, veluti jure quodam peculiari sibi debita, summa cum hilaritate suscipiebat, et exercebat humilitate ac patientia pari. Carnem spiritui quandoque reluctari nitentem jugi macceratione afflictavit, atque in servitutem redegit; spiritum vero assidua sui abnegatione ferventiorem in dies ad anteriora extendebat.

Lectio vj.

DEIPARAM Virginem, cujus clientelæ se ab ineunte ætate dicaverat, tanquam matrem quotidianis colebat obsequiis, atque filiali exorabat fiducia. Porro erga sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, difficile dictu est, quam ardendi teneretur devotionis affectu: quem defunctus etiam in cadavere retinere visus est, dum jacens in feretro, ad sacræ Hostiæ elevationem bis oculos reseravit et clausit, magna omnium qui aderant, admiratione. Ejusdem veritatem inter hæreticos publice palamque professus, multa et gravia ob eam causam perpessus est: crebro etiam ad necem petitus, sed singulari Dei providentia ab impiorum manibus ereptus. Sæpe inter orandum omnibus destituebatur sensibus, dulcique languebat amoris deliquio: quo tempore cœlestem illam scientiam hausisse creditus est, qua homo rudis et illiteratus de mysteriis fidei difficillimis respondere, atque aliquot etiam libros conscribere potuit. Denique meritis plenus eadem, qua prædixerat hora, feliciter migravit ad Dominum, anno salutis millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, sexto decimo Kalendas Junii, eodem, quo natus fuerat, festo Pentecostes recurrente, annum agens secundum supra quinquagesimum. Quibus aliisque virtutibus insignem, ac miraculis tam in vita, quam post mortem clarum, Paulus Quintus Pontifex Maximus illum Beatum appellavit: Alexander autem Octavus Sanctorum catalogo adscripsit.

In III. Noct. Homilia Sancti Evangelii fratres *de Com* I. *loco.*

Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 18. S. Venantii, Martyris. *Duplex.*

Hymnus sequens, quando non fuit dictus in I. Vesp., jungitur cum Hymno ad Matut. sub una conclusione. Sit laus Patri.

Ad Vesperas.

HYMNUS.

MARTYR Dei Venantius,
Lux et decus Camertium,
Tortore victo et judice,
Lætus triumphum concinit.
Annis puer, post vincula,
Post carceres, post verbera,
Longa fame frementibus
Cibus datur leonibus.
Sed ejus innocentiæ
Parcit leonum immanitas,
Pedesque lambunt martyris,
Iræ famisque immemores.
Verso deorsum vertice
Haurire fumum cogitur:
Costas utrimque et viscera
Succensa lampas ustulat.
Sit laus Patri, sit Filio,
Tibique, sancte Spiritus,
Da per preces Venantii
Beata nobis gaudia. Amen.

Oratio.

DEUS, qui hunc diem beati Venantii Martyris tui triumpho consecrasti, exaudi preces populi tui, et præsta, ut qui ejus merita veneramur, fidei constantiam imitemur. Per Dominum.

Et fit comm. præcedentis.

Ad Matutinum.

HYMNUS.

ATHLETA Christi nobilis
Idola damnat Gentium,
Deique amore saucius
Vitæ pericla despicit.
Loris revinctus asperis,
E rupe præceps volvitur:
Spineta vultum lancinant,
Per saxa corpus sciditur.
Dum membra raptant martyris
Languent siti satellites:
Signo crucis Venantius
E rupe fontes elicit.
Bellator o fortissime,
Qui perfidis tortoribus
E caute præbes poculum,
Nos rore gratiæ irriga.
Sit Laus Patri, sit Filio
Tibique, sancte Spiritus;
Da per preces Venantii
Beata nobis gaudia. Amen.

Lect. I. Noct. de Script. occ

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

VENANTIUS Camers quindecim annos natus, cum Christianæ religionis accusaretur apud Antiochum, qui sub Decio Imperatore Camerino præerat, in porta civitatis Præsidi se obtulit: quem ille pollicitationibus ac terroribus diu tentatum, flagris cædi, et vinculis astringi jussit; sed iis mirabiliter ab Angelo solutus, lampadibus postea aduritur, atque inverso ore fumo supposito suspenditur. Ejus constantiam in tormentis demiratus Anastasius Cornicularius, et quod eum ab Angelo iterum solutum candida veste supra fumum ambulantem vidisset, in Christum credidit, et a beato Porphyrio Presbytero cum familia baptizatus, paulo post martyrii palmam cum eodem promeruit.

Lectio V.

AT Venantius Præsidi sistitur, et ab eo iterum frustra tentatus, ut Christi fidem desereret, in carcerem conjicitur, quo Attalus præco mittitur, qui ei dicat se quoque Christianum fuisse, et ei nomini propterea renuntiasse, quod cognovisset inane esse fidei commentum, quo Christiani præsentibus se abdicant ob vanam futurorum spem. Verum nobilis Christi athleta callidi hostis insidias non ignorans, diaboli ministrum a se penitus rejecit. Quare ad Præsidem iterum adducto omnes contusi sunt dentes, maxillæque confractæ, atque ita cæsus in sterquilinium dejicitur. Sed inde ab Angelo quoque ereptus, rursus stetit ante judicem, qui, Venantio adhuc loquente, e tri-

Digitized by Google

bunali cecidit, et in ea voce, Verus est Venantii Deus, nostros deos destruite, exclamans expiravit.

Lectio vj.

QUOD cum Præsidi nuntiatum esset, extemplo Venantium leonibus objici jussit, qui, naturali feritate omissa, ad ejus se pedes abjecerunt. Interim ille populum Christi fidem edocebat. Quare inde amotus, iterum in carcerem traditur. Cumque postridie Præsidi referret Porphyrius, se per visum noctu populos, quos Venantius aqua tingebat, clarissima luce fulgentes, ipsum vero Præsidem obscurissima caligine opertum vidisse, Præses ira incensus eum illico capite plecti imperat, deinde Venantium per loca vepribus et carduis consita trahi usque ad vesperam. Is cum semianimis relictus esset, mane se iterum Præsidi præsentavit, cujus jussu statim e rupe præcipitatur: sed inde etiam divinitus ereptus, denuo per loca aspera ad mille passus trahitur, ubi militibus siti æstuantibus, in proxima convalle, ex lapide in quo et genuum formam reliquit, sicut etiam nunc in ejus Ecclesia videre licet, crucis signo a Venantio facto, aquæ manarunt. Eo miraculo plures permoti in Christum credidere runt: quos omnes Præses eo loci una cum Venantio capite feriri jussit. Fulgura et terræmotus eo tempore ita magni fuere, ut Præses aufegeret; qui paucis tamen post diebus divinam haud valens effugere justitiam, turpissimam mortem oppetiit. Christiani interim Venantii et aliorum corpora honorifico loco sepelierunt, quæ Camerini in Ecclesia Venantio dicata, condita adhuc sunt.

In III. Noct. Homil. (intra temp. Pasch.) Iste locus Evanglicus, *de Com. Mart. temp. Pasch.* I. *loco*, p. 23*; *(extra temp. Pasch.)* Si consideremus fratres, *de Com. unius Mart.* I. *loco*, p. 19*.

Ad Laudes

HYMNUS.

DUM nocte pulsa lucifer
Diem propinquam nuntiat,
Nobis refert Venantius
Lucis beatæ munera.
Nam criminum caliginem
Stygisque noctem depulit,
Veroque cives lumine
Divinitatis imbuit.
Aquis sacri baptismatis
Lustravit ille patriam:
Quos tinxit unda milites,
In astra misit martyres.
Nunc Angelorum particeps,
Adesto votis supplicum:
Procul repelle crimina,
Tuumque lumen ingere.
Sit laus Patri, sit Filio,
Tibique, sancte Spiritus;
Da per preces Venantii
Beata nobis gaudia. Amen.

Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 19. S. Petri Cœlestini,

Papæ et Confessoris. *Duplex.*

Oratio.

DEUS, qui beatum Petrum Cœlestinum ad summi Pontificatus apicem sublimasti, quique illum humilitati postponere docuisti, concede propitius, ut ejus exemplo cuncta mundi despicere, et ad promissa humilibus præmia pervenire feliciter mereamur. Per Dominum.

Et fit comm. S. Venantii.
Deinde S. Pudentianæ Virginis.
Orat. Exaudi nos, *p.* 62.*
Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PETRUS a nomine, quo Pontifex est appellatus, Cœlestinus dictus, honestis catholicisque parentibus Æserniæ in Samnitibus natus, adolescentiam vix ingressus, ut animum a mundi illecebris custodiret, in solitudinem secessit. Ibi contemplationibus mentem nutriens, corpus in servitutem redigens, ferream catenam ad nudam carnem adhibebat. Congregatio-

Digitized by Google

nem, quæ postea Cœlestinorum dicta est, sub regula sancti Benedicti instituit. Hinc quasi lucerna supra candelabrum posita, cum abscondi nequiret (Romana Ecclesia diu viduata Pastore) in Petri Cathedram ignorans et absens adscitus, magna novitatis admiratione non minus quam repentino gaudio cunctos affecit. Cum autem in Pontificatus sublimitate collocatus, variis distentus curis, assuetis incumbere meditationibus vix posse cognosceret, oneri pariter et honori voluntarie cessit, indeque priscam vitæ rationem repetens, obdormivit in Domino, ejusque pretiosam mortem crux præfulgens in aere ante cubiculi ostium reddidit amplius gloriosam. Miraculis multis tam vivens, quam post obitum claruit: quibus rite examinatis, Clemens Quintus, anno postquam decessit undecimo, Sanctorum numero adscripsit.

Lectio v. *et* vj. Deridetur justi, *de Com. Conf.* 2. *loco*, p. 59* *cum* ij. v. *et* vj. *de Com.*

In III. Noct. Hom. Perfectus ille est *de Com. Apost.* 2. *loco*, p. 11*.

Pro S. Pudentiana Virg.

Lectio ix.

PUDENTIANA virgo, Pudentis Romani filia, parentibus orbata, cum admirabili pietate Christianam religionem coleret, una cum sorore Praxede pecuniam ex vendito patrimonio redactam pauperibus distribuit, seque jejuniis et orationibus dedit. Cujus etiam opera tota ejus familia, in qua erant nonaginta sex homines, a Pio Pontifice baptizata est. Quod autem ab Antonino Imperatore sancitum erat, ne Christiani publice sacrificia facerent, Pius Pontifex in ædibus Pudentianæ cum Christianis sacra celebrabat. Quibus illa benigne acceptis, quæ ad vitam necessaria essent, suppeditabat. Itaque in his Christianæ pietatis officiis migravit e vita, et in sepulchro patris ad cœmeterium Priscillæ via Salaria sepulta est, decimo quarto Kalendas Junii.

In Laud. fit comm. S. Pudent.
In II. Vesp. ad Magnif. Ant. Dum.
Et comm. sequentis.

Die 20. S. Bernard. Sen., Confessoris. *Semiduplex.*

Oratio.

DOMINE Jesu, qui beato Bernardino Confessori tuo eximium sancti nominis tui amorem tribuisti, ejus, quæsumus, meritis et intercessione, Spiritum nobis tuæ dilectionis benignus infunde: Qui vivis... in unitate ejusdem.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BERNARDINUS Albizesca nobili Senensi familia ortus, ab ineunte ætate non obscura sanctitatis dedit indicia. Nam a piis parentibus honeste educatus, neglectis puerilibus ludis, inter prima grammaticæ studia, pietatis operibus animum intendit, jejuniis, orationi, et beatissimæ Virginis cultui præcipue addictus. Misericordia vero in pauperes fuit insignis; quæ quidem omnia, procedente tempore, quo melius posset excolere, eorum numero adscribi voluit, qui Senis in hospitali domo beatæ Mariæ de Scala Deo inserviunt, unde complures sanctitate celebres viri prodierunt. Ibi corporis afflictatione, et ægrotantium cura, dum atrox pestilentia grassaretur, incredibili charitate sese exercuit. Inter cæteras autem virtutes, castitatem, egregia forma repugnante, sanctissime custodivit, adeo ut eo præsente nemo unquam, ne impudentissimus quidem, verbum minus honestum proferre auderet.

Lectio v.

GRAVI morbo tentatus, eoque ad quatuor menses patientissime tolerato, demum incolumis, de religiosæ vitæ instituto capessendo deliberare cœpit: quo, ut sibi viam muniret, ædiculam in extrema urbe conduxit, in quam cum sese abdidisset,

Digitized by Google

asperrimam omni ex parte vitam trahebat, Deum assidue orans, ut quid sibi sequendum esset, ostenderet. Quare divinitus factum est ut beati Francisci Ordinem præ cæteris optaret, in quo humilitate, patientia, aliisque religiosi hominis virtutibus excelluit. Id cum cœnobii rector animadverteret, jamque antea Bernardini doctrinam et sacrarum litterarum peritiam perspectam haberet, prædicandi onus eidem imposuit : quo humillime suscepto, cum se minus idoneum agnosceret ob vocis exilitatem ac raucitatem, Dei ope implorata, non sine miraculo ejusmodi impedimento liberatus est.

Lectio vj.

CUMQUE ea tempora vitiis criminibusque redundarent, et cruentis factionibus in Italia divina humanaque omnia permixta essent, Bernardinus urbes atque oppida concursans, in nomine Jesu quem semper in ore et in pectore gerebat, collapsam pietatem moresque verbo et exemplo magna ex parte restituit ; quo factum est ut præclaræ civitates eum sibi Episcopum a Summo Pontifice postularent : quod ille munus invicta humilitate constantissime rejecit. Denique vir Dei immensis laboribus exhaustus, multis magnisque editis miraculis, libris etiam pie docteque conscriptis, cum vixisset annos sex ac sexaginta, in urbe Aquila in Vestinis beato fine quievit. Quem novis in dies coruscantem signis, anno post obitum sexto, Nicolaus Quintus Pontifex Maximus in Sanctorum numerum retulit.

In III. Noct. Homilia Grandis fiducia, *de Com. Apost.* I. *loco*, p. 7°. cum ℣. vij. *et* viij. *de Com.*

Die 25. S. Gregorii VII.

Papæ et Confessoris. *Duplex.*

Oratio.

DEUS in te sperantium fortitudo, qui beatum Gregorium Confessorem tuum atque Pontificem, pro tuenda Ecclesiæ libertate, virtute constantiæ roborasti, da nobis ejus exemplo et intercessione, omnia adversantia fortiter superare. Per Dominum.

Comm. S. Urbani Papæ et Mart.

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati Urbani Martyris tui atque Pontificis solemnia colimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

GREGORIUS Papa Septimus, antea Hildebrandus, Suanæ in Hetruria natus, doctrina, sanctitate, omnique virtutum genere cum primis nobilis, mirifice universam Dei illustravit Ecclesiam. Cum parvulus ad fabri ligna edolantis pedes, jam litterarum inscius luderet, ex rejectis tamen segmentis illa Davidici elementa oraculi. Dominabitur a mari usque ad mare, casu formasse narratur, manum pueri ductante Numine : quo significaretur ejus fore amplissimam in mundo auctoritatem. Romam deinde profectus, sub protectione sancti Petri educatus est. Juvenis Ecclesiæ libertatem a laicis oppressam, ac depravatos Ecclesiasticorum mores vehementius doleus, in Cluniacensi monasterio, ubi sub regula sancti Benedicti austerioris vitæ observantia eo tempore maxime vigebat, monachi habitum induens, tanto pietatis ardore divinæ majestati deserviebat, ut a sanctis ejusdem cœnobii patribus Prior sit electus. Sed divina providentia majora de eo disponente in salutem plurimorum, Cluniaco eductus Hildebrandus, Abbas primum monasterii sancti Pauli extra muros Urbis electus, ac postmodum Romanæ Ecclesiæ Cardinalis creatus, sub Summis Pontificibus, Leone Nono, Victore Secundo, Stephano Nono, Nicolao Secundo, et Alexandro Secundo, præcipuis muneribus et legationibus per-

Digitized by Google

functus est, sanctissimi et purissimi consilii vir a beato Petro Damiano nuncupatus. A Victore Papa Secundo legatus a latere in Galliam missus, Lugduni Episcopum simoniaca labe infectum ad sui criminis confessionem miraculo adegit: Berengarium in Concilio Turonensi ad iteratam hæresis abjurationem compulit: Cadolai quoque schisma sua virtute compressit.

Lectio v.

MORTUO Alexandro Secundo, invitus et mœrens unanimi omnium consensu, decimo Kalendas Maii, anno Christi millesimo septuagesimo tertio, Summus Pontifex electus, sicut sol effulsit in Domo Dei: nam potens opere et sermone, Ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ, fidei propagandæ, libertati Ecclesiæ restituendæ, extirpandis erroribus et corruptelis, tanto studio incubuit, ut ex Apostolorum ætate nullus Pontificum fuisse tradatur, qui majores pro Ecclesia Dei labores molestiasque pertulerit, aut qui pro ejus libertate acrius pugnaverit. Aliquot provincias a simoniaca labe expurgavit. Contra Henrici Imperatoris impios conatus, fortis per omnia athleta, impavidus permansit, seque pro muro domui Israel ponere non timuit, ac eumdem Henricum in profundum malorum prolapsum fidelium communione, regnoque privavit, atque subditos populos fide ei data liberavit.

Lectio vj.

CUM Missarum solemnia perageret, visa est viris piis columba e cœlo delapsa, humero ejus dextro insidens, alis extensis caput ejus velare: quo significatum est, Spiritus sancti afflatu, non humanæ prudentiæ rationibus ipsum duci in Ecclesiæ regimine. Cum ab iniqui Henrici exercitu Roma gravi obsidione premeretur, excitatum ab hostibus incendium signo crucis extinxit. De ejus manu tandem a Roberto Guiscardo duce Northmanno ereptus, Cassinum se contulit, atque inde Salernum ad dedicandam Ecclesiam sancti Matthæi Apostoli contendit. Cum aliquando in ea civitate sermonem habuisset ad populum, ærumnis confectus, in morbum incidit, quo se interiturum præscivit. Postrema morientis Gregorii verba fuere: Dilexi justitiam, et odivi iniquitatem, propterea morior in exilio. Innumerabilia sunt, quæ vel fortiter sustinuit, vel, multis coactis in urbe Synodis, sapienter constituit vir vere sanctus, criminum vindex, et acerrimus Ecclesiæ defensor. Exactis itaque in Pontificatu annis duodecim, migravit in cœlum anno salutis millesimo octogesimo quinto, pluribus in vita et post mortem miraculis clarus, ejusdem sacrum corpus in Cathedrali Basilica Salernitana est honorifice conditum.

In III. Noct. Homil. Ut ignorantiam illam, *de Com.* 2. *loco*, p. 47*.

Pro S. Urbano Papa et Mart.

Lectio ix.

URBANUS Romanus, Alexandro Severo Imperatore, doctrina et vitæ sanctitate multos ad Christi fidem convertit: in illis Valerianum, beatæ Cæciliæ sponsum, et Tiburtium Valeriani fratrem, qui postea martyrium forti animo subierunt. Hic de bonis Ecclesiæ attributis scripsit his verbis: Ipsæ res fidelium, quæ Domino offeruntur, non debent in alios usus, quam Ecclesiasticos, et Christianorum fratrum, vel indigentium converti, quia vota sunt fidelium, et pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum. Sedit annos sex, menses septem, dies quatuor: ac martyrio coronatus, sepultus est in cœmeterio Prætextati, octavo Kalendas Junii. Ordinationibus quinque habitis mense Decembri, creavit Presbyteros novem, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca octo.

In Laud. comm. S. Martyris.

Vesp. a Capit. de sequenti.

Die 26. S. Phil. Nerii,

Confessoris. *Duplex.*

Digitized by Google

Oratio.

DEUS, qui beatum Philippum Confessorem tuum Sanctorum tuorum gloria sublimasti, concede propitius, ut cujus solemnitate lætamur, ejus virtutum proficiamus exemplo. Per Dominum.

Et fit comm. præced. Ant. Dum. *Deinde S. Eleutherii Papæ et Martyris.*

Oratio Infirmitatem. p. 14*.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PHILIPPUS Nerius piis honestisque parentibus Florentiæ natus, ab ipsa ineunte ætate non obscura dedit futuræ sanctitatis indicia. Adolescens, ampla patrui hæreditate dimissa, Romam se contulit: ubi philosophia ac sacris litteris eruditus, totum se Christo dicavit. Ea fuit abstinentia ut sæpe jejunus triduum permanserit. Vigiliis et orationibus intentus, septem Urbis Ecclesias frequenter visitans, apud cœmeterium Callisti in cœlestium rerum contemplatione pernoctare consuevit. Sacerdos ex obedientia factus, in animarum salute procuranda totus fuit, et in confessionibus audiendis ad extremum usque diem perseverans, innumeros pene filios Christo peperit, quos verbi Dei quotidiano pabulo, Sacramentorum frequentia, orationis assiduitate, aliisque piis excercitationibus enutriri cupiens Oratorii Congregationem instituit.

Lectio v.

CHARITATE Dei vulneratus languebat jugiter; tantoque cor ejus æstuabat ardore, ut cum intra fines suos contineri non posset, illius sinum, confractis atque elatis duabus costulis, mirabiliter Dominus ampliaverit. Sacrum vero faciens, aut ferventius orans, in aera quandoque sublatus, mira undique luce fulgere visus fuit. Egenos et pauperes omni charitatis officio prosequebatur: dignus, qui et Angelo in specie pauperis eleemosynam erogaret, et dum egentibus noctu panem deferret, in foveam lapsus, inde pariter ab Angelo incolumis eriperetur. Humilitati addictus, ab honoribus semper abhorruit, atque Ecclesiasticas dignitates, etiam primarias, non semel ultro delatas, constantissime recusavit.

Lectio vj.

PROPHETIÆ dono fuit illustris, et in animorum sensibus penetrandis mirifice enituit. Virginitatem perpetuo illibatam servavit, idque assecutus est, ut eos, qui puritatem colerent, ex odore, qui vero secus, ex fætore dignosceret. Absentibus interdum apparuit, iisque periclitantibus opem tulit. Ægrotos plurimos, et morti proximos sanitati restituit. Mortuum quoque ad vitam revocavit; cœlestium Spirituum, et ipsius Deiparæ Virginis frequenter fuit apparitione dignatus; ac plurimorum animas splendore circumfusas in cœlum conscendere vidit. Denique anno salutis millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, octavo Kalendas Junias, in quem diem inciderat festum Corporis Christi, Sacro maxima spiritus exultatione peracto, cæterisque functionibus expletis, post mediam noctem, qua prædixerat hora, octogenarius obdormivit in Domino. Quem Gregorius Decimus quintus miraculis clarum in Sanctorum numerum retulit.

In III. Noct. Homilia Sancti Evangelii fratres, *de Com.* I. *loco.*

Pro S. Eleutherio Papa et Mart.

Lectio ix.

ELEUTHERIUS, Nicopoli in Græcia natus, Aniceti Pontificis Diaconus, Commodo Imperatore, præfuit Ecclesiæ. Huic initio Pontificatus supplices litteræ venerunt a Lucio Britannorum rege, ut se ac suos in Christianorum numerum reciperet. Quamobrem Fugatium et Damianum, doctos et pios viros, misit in Britanniam, per quos rex, et reliqui fidem susciperent. Hoc Pontifice, Irenæus

Polycarpi discipulus Romam veniens ab eo benigne acceptus est. Quo tempore summa pace et quiete fruebatur Ecclesia Dei, ac per totum orbem terrarum, maxime Romæ, fides propagabatur. Vixit Eleutherius in pontificatu annos quindecim, dies viginti tres. Fecit Ordinationes tres mense Decembri, quibus creavit Presbyteros duodecim, Diaconos octo, Episcopos per diversa loca, quindecim, sepultusque est in Vaticano prope corpus sancti Petri.

Comm. S. Eleutherii in Laud.
In II. Vesp. comm. sequentis.

Die 27. S. Maria Magd.

DE PAZZIS,

Virginis. *Semiduplex.*

Oratio.

DEUS virginitatis amator, qui beatam Mariam Magdalenam Virginem tuo amore succensam, cœlestibus donis decorasti, da, ut quam festiva celebritate veneramur, puritate et charitate imitemur. Per Dominum.

Deinde S. Joannis Papæ et Mart.
Oratio Deus qui nos beati, *p.* 14*.
Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

MARIA Magdalena illustriori Pazziorum genere Florentiæ nata, fere ab incunabulis iter perfectionis arripuit. Decennis perpetuam virginitatem vovit, susceptoque habitu in monasterio sanctæ Mariæ Angelorum Ordinis Carmelitarum, se omnium virtutum exemplar exhibuit. Adeo casta fuit, ut quidquid puritatem lædere potest, penitus ignoraverit. Quinquennium, Deo jubente, solo pane et aqua transegit, exceptis diebus Dominicis, quibus cibis quadragesimalibus vescebatur. Corpus suum cilicio, flagellis, frigore, inedia, vigiliis, nuditate, atque omni pœnarum genere cruciabat.

Lectio v.

TANTO igne divini amoris æstuabat, ut ei ferendo impar, ingesta aqua pectus refrigerare cogeretur. Extra sensus frequenter rapta, diuturnas et admirabiles extases passa est, in quibus et arcana cœlestia penetravit, et eximiis a Deo gratiis illustrata fuit. His autem munita longum certamen a principibus tenebrarum sustinuit, arida, desolata, ab omnibus derelicta, variisque tentationibus vexata, Deo sic permittente, ut invictæ patientiæ, ac profundissimæ humilitatis exemplar præberet.

Lectio vj.

CHARITATE erga proximum singulariter enituit: nam sæpe noctes ducebat insomnes, vel obeundis sororum ministeriis, vel inserviendo infirmis occupata, quarum aliquando ulcera lambens sanavit. Infidelium et peccatorum perditionem amare deflens, se ad quælibet pro illorum salute tormenta paratam offerebat. Multis ante obitum annis, universis cœli deliciis, quibus copiose affluebat, heroica virtute renuntians, illud frequenter in ore habebat: Pati, non mori. Tandem longa et gravissima infirmitate exhausta, transivit ad Sponsum die vigesima quinta Maii, anno millesimo sexcentesimo septimo, expleto anno quadragesimo primo ætatis suæ. Eam multis in vita et post mortem miraculis claram Clemens Nonus sanctarum Virginum numero adscripsit; cujus corpus in præsentem diem incorruptum conservatur.

In III. Noct. Homilia Sæpe vos fratres, *de Com. I. loco.*

Pro S. Joanne.

Lectio ix.

JOANNES Hetruscus, Justino seniore Imperatore, rexit Ecclesiam: ad quem profectus est Constantinopolim auxilii causa, quod Theodoricus rex hæreticus divexabat Italiam: cujus etiam iter Deus miraculis illustravit. Nam cum ei nobilis vir ad Corinthum equum, quo ejus uxor man-

Digitized by Google

sueto utebatur, itineris causa commodasset, factum est, ut domino postea remissus equus ita ferox evaderet, ut fremitu et totius corporis agitatione, semper deinceps dominam expulerit, tanquam indignaretur mulierem recipere, ex quo sedisset in eo Jesu Christi Vicarius. Quamobrem illi equum Pontifici donaverunt. Sed illud majus miraculum, quod Constantinopoli in aditu portæ aureæ, inspectante frequentissimo populo, qui una cum Imperatore Pontifici honoris causa occurrerat, cæco lumen restituit. Ad cujus pedes prostratus etiam Imperator, eum veneratus est. Rebus cum Imperatore compositis, in Italiam rediit: statimque epistolam scripsit ad omnes Italiæ Episcopos, jubens eos Arianorum Ecclesias ad Catholicum ritum consecrare, illud subjungens: Quia et nos quando fuimus Constantinopoli, tam pro religione Catholica, quam pro regis Theodorici causa, quascumque illis in partibus eorum Ecclesias reperire potuimus, Catholicas eas consecravimus. Quod iniquissimo animo ferens Theodoricus, dolo accersitum Pontificem Ravennam in carcerem conjecit: ubi squalore inediaque afflictus, paucis diebus cessit e vita: cum sedisset annos duos, menses novem, dies quatuordecim, ordinatis eo tempore Episcopis quindecim. Paulo post moritur Theodoricus: quem quidam eremita, ut scribit sanctus Gregorius, vidit inter Joannem Pontificem et Symmachum patricium, quem idem occiderat, demergi in ignem Liparitanum: ut videlicet illi, quibus mortem attulerat, tanquam judices essent ejus interitus. Joannis corpus Ravenna Romam portatum est, et in Basilica sancti Petri sepultum.

Die 30. S. Felicis,

Papæ et Martyris.

Orat. Infirmitatem nostram, *p.* 14*.
Lectio iij.

FELIX Romanus, patre Constantio, Aureliano Imperatore, præfuit Ecclesiæ. Constituit ut Missa supra memorias et sepulchra Martyrum celebraretur. Qui cum mense Decembri habuisset Ordinationes duas, et creasset Presbyteros novem, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca quinque, martyrio coronatus, via Aurelia sepelitur in Basilica, quam a se ædificatam dedicarat. Vixit in Pontificatu annos duos, menses quatuor, dies viginti novem.

Die 31. S. Petronillæ,

Virginis.

Orat. Exaudi nos Deus, *p.* 62*.
Lectio iij. Nunc nobis ad virgines *de Com. 2. loco.* p. 70*.

FESTA JUNII.

Prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum.

Die 2. S. Marcellini,

PETRI ET ERASMI,

Martyrum.

Orat. Deus qui nos annua, *p.* 29*
Lectio ij.

PETRUS exorcista, Diocletiano Imperatore, Romæ a Sereno judice propter Christianæ fidei confessionem missus in carcerem, Paulinam Artemii, qui carceri præerat, filiam a dæmone agitatam liberavit. Quo facto et parentes puellæ cum tota familia, et vicinos, qui ad rei novitatem concurrerant, Jesu Christo conciliatos ad Marcellinum Presbyterum adduxit, a quo omnes baptizati sunt. Quod ubi rescivit Serenus, Petrum et Marcellinum ad se vocatos asperius objurgat, et ad verborum acerbitatem minas ac terrores adjungit, nisi Christo renuntient. Cui cum Marcellinus Christiana libertate responderet, pugnis contusum, et a Petro sejunctum, nudum includit in carcerem stratum vitri fragmentis, sine cibo ac sine lumine. Petrum item constringi imperat arctissimis vinculis. Sed cum utrique ex tormentis fides et animus cresceret, constanti

confessione, et abscisso capite, illustre testimonium Jesu Christo dederunt.

Lectio iij.

ERASMUS Episcopus, Imperatoribus Diocletiano et Maximiano, in campania plumbatis et fustibus cæsus, resina quoque, sulphure, plumbo liquefacto, et ferventi pice, cera, oleoque perfusus, inde tamen integer et inviolatus evasit. Quo miraculo multi se ad Christi fidem converterunt. Verum is iterum detrusus in carcerem, constrictus ferreis gravissimisque vinculis, inde ab Angelo mirabiliter ereptus est. Deinde Formiis a Maximiano variis affectus suppliciis, tunicaque ærea candenti indutus, illa etiam tormenta divina virtute superavit. Denique plurimis et in fide confirmatis et ad fidem conversis, insignem martyrii palmam adeptus est.

Die 4. S. Francisci Caracc.

Confessoris. *Duplex.*

Oratio.

DEUS, qui beatum Franciscum novi Ordinis institutorem, orandi studio, et pœnitentiæ amore decorasti, da famulis tuis in ejus imitatione ita proficere, ut semper orantes, et corpus in servitutem redigentes, ad cœlestem gloriam pervenire mereantur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

FRANCISCUS, dictus antea Ascanius, ex nobili familia Caracciolo in oppido sanctæ Mariæ de Villa in Aprutio ortus, a primis annis eximio enituit pietatis cultu. Adolescens unice Deo famulari exoptans, dum e gravi morbo convalesceret, sæculo valedixit. Mox Neapolim profectus, sacerdotio initiatus, sacroque adscriptus Sodalitio, contemplationi, lucrandisque animabus se totum devovit, ac extremo supplicio damnatis hortatorem se præbuit assiduum. Contigit autem ut epistolium alteri destinatum ei per errorem redderetur, quo a piissimis viris Joanne Augustino Adorno, et Fabricio Caracciolo ad novi religiosi Instituti fundationem vocabatur. Rei novitate captus, et divinæ voluntatis demiratus consilia, alacri animo sese illis adjunxit. Conditis autem in Camaldulensium eremo, quo secesserant, novi Ordinis legibus, inde Romam simul profecti, confirmationem a Sixto Quinto impetrarunt, qui eosdem Clericos Regulares Minores appellari voluit, addito ad tria consueta altero de non ambiendis dignitatibus voto.

Lectio v.

SOLEMNI emissa professione, ob singularem ejus in divum Franciscum Assisinatem cultum Francisci nomen assumpsit. Adorno biennio post vita functo, ipse toti Religioni quanquam invitus præficitur: quo in munere virtutum omnium præclara præbuit exempla. Instituti amplificandi studiosissimus, id assiduis orationibus, lacrymis, et jugi corporis maceratione enixe a Deo postulabat. Quamobrem tertio in Hispaniam se contulit peregrini habitu indutus, victumque ostiatim mendicans. In itinere asperrima quæque perpessus, Omnipotentis auxilium mirum in modum expertus, navim quam conscenderat ab imminenti naufragio orationis præsidio servavit incolumem. Ut in regnis illis voti compos fieret, plurimum laboravit; sed ejus sanctitatis fama prælucente, amplissimaque Catholicorum regum Philippi Secundi et Philippi Tertii munificentia, adversariorum conatibus singulari animi fortitudine superatis, plura sui Ordinis domicilia fundavit: quod pari eventu per Italiam præstitit.

Lectio vj.

HUMILITATE adeo excelluit, ut Romam veniens, in pauperum hospitio receptus, se leproso sociaverit, et Ecclesiasticas dignitates

itized by Google

a Paulo Quinto sibi oblatas constantissime recusaverit. Illibatam perpetuo servavit virginitatem, effrontesque mulieres ejus castimoniæ insidiantes Christo lucrifecit. Erga divinissimum Eucharistiæ mysterium ardenti æstuans amore, noctes pene integras in ejus adoratione insomnes ducebat : quod pium exercitium, veluti sui Ordinis tesseram, in eo perpetuo servandum constituit. Deiparæ Virginis cultum impense fovit. In proximum eximia exarsit charitate. Prophetiæ dono, et cordium scrutatione ditatus fuit. Quadragesimum quartum ætatis suæ annum agens, dum in sacra Lauretana æde in oratione persisteret, sibi vitæ finem imminere agnovit. Aprutium statim deflexit, et in oppido Agnoni apud alumnos sancti Philippi Nerii morbo correptus, Sacramentis Ecclesiæ devotissime susceptis, pridie Nonas Junii anni millesimi sexcentesimi octavi, in pervigilio festi Corporis Christi, placidissime obdormivit in Domino. Sacrum ejus corpus Neapolim delatum, in Ecclesia sanctæ Mariæ Majoris, ubi prima sui Ordinis jecerat fundamenta, honorifice conditum fuit. Eum postea miraculis clarum Clemens Decimus quartus Pontifex Maximus solemni ritu inter Beatos : Pius vero Septimus pontifex Maximus novis fulgentem signis, anno millesimo octingentesimo septimo Sanctorum albo adscripsit.

. *In III. Noct. homilia* Sancti Evangelii fratres *de Com.* I. *loco.*

Die 6. S. Norberti,

Episcopi et Confess. *Duplex.*

Oratio.

DEUS, qui beatum Norbertum Confessorem tuum atque Pontificem verbi tui præconem eximium effecisti, et per eum Ecclesiam tuam nova prole fœcundasti, præsta, quæsumus, ut ejusdem suffragantibus meritis, quod ore simul et opere docuit, te adjuvante, exercere valeamus. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

NORBERTUS, nobilissimis parentibus natus, adolescens liberalibus disciplinis eruditus, in ipsa postea imperatoris aula, spretis mundi illecebris, Ecclesiasticæ militiæ adscribi voluit. Sacris initiatus, rejectis mollibus ac splendidis vestibus, pellicea melote indutus, prædicationi verbi Dei se totum dedit. Abdicatis Ecclesiasticis proventibus satis amplis et patrimonio in pauperes erogato, semel in die sub vesperam solo cibo quadragesimali utens, nudisque pedibus et lacera veste sub brumali rigore incedens, miræ austeritatis vitam est aggressus. Potens igitur opere et sermone innumeros hæreticos ad fidem, peccatores ad pœnitentiam, dissidentes ad pacem et concordiam revocavit.

Lectio v.

CUM Lauduni esset, ab Episcopo rogatus, ne a sua Diœcesi discederet, desertum in ea locum, qui Præmonstratus dicebatur, sibi delegit, ibique tredecim sociis aggregatis, Præmonstratensem Ordinem instituit, divinitus accepta per visum regula a sancto Augustino. Cum vero ejus fama sanctitatis in dies magis augeretur, ac plurimi ad eum quotidie discipuli convenirent, idem Ordo ab Honorio Secundo, aliisque Summis Pontificibus confirmatus, ac pluribus ab eo monasteriis ædificatis, mirifice propagatus est.

Lectio vj.

ANTUERPIAM accersitus, in ea urbe Tanchelini nefariam hæresim profligavit. Prophetico spiritu et miraculis claruit. Archiepiscopus tandem (licet reluctans) Magdeburgensis creatus, Ecclesiasticam disciplinam, præsertim cœlibatum, constanter propugnavit. Rhemis in Concilio Innocentium Secundum egregie adjuvit, et Romam cum aliis Episcopis profectus, schisma Petri Leonis compres-

Digitized by Google

sit. Postremo vir Dei, meritis, et Spiritu sancto plenus, Magdeburgi obdormivit in Domino, anno salutis millesimo centesimo trigesimo quarto, die sexta Junii.

In III. Noct. Homilia Lectio sancti Evangelii, *de Com.* I. *loco.*

Die 9. SS. Primi et Felic., Martyrum.

Oratio.

FAC nos, quæsumus, Domine, sanctorum Martyrum tuorum Primi et Feliciani semper festa sectari, quorum suffragiis protectionis tuæ dona sentiamus. Per Dominum.

Lectio ij.

PRIMUS et Felicianus fratres, in persecutione Diocletiani et Maximiani accusati Christianæ religionis, in vincula conjiciuntur: quibus solutis, inde eripiuntur ab Angelo. Mox ad Prætorem adducti, cum Christianam fidem acerrime tuerentur, alter ab altero distracti sunt: ac primum varie tentata est constantia Feliciani. Sed cum suasores impietatis se posse quidquam verbis proficere desperarent, affixis stipiti manibus ejus et pedibus, ipsum sine cibo et potu inde triduum pendentem reliquerunt. Postridie ejus diei Prætor vocatum ad se Primum sic affatur: Vides quanto sit prudentior quam tu frater tuus, qui obsecutus Imperatoribus, apud ipsos est honoratus? Quem si tu quoque imitari volueris, particeps eris ejus honoris et gratiæ.

Lectio iij.

CUI Primus: Quid factum sit fratri meo cognovi ex Angelo. Utinam quemadmodum sum cum eo voluntate conjunctissimus, sic ab eodem ne martyrio disjungar! Quo dicto excanduit Prætor, et ad cæteros cruciatus, quibus Primum affecit, præsente jam Feliciano, liquatum igne plumbum in os ejus jussit infundi. Mox utrumque perduci imperat in theatrum, in eosque immitti duos leones: qui prostrati ad eorum genua, capite et cauda ipsis blandiebantur. Ad id spectaculum cum amplius duodecim millia hominum convenissent, quingenti cum suis familiis Christianam religionem susceperunt. Quibus rebus permotus Prætor eos securi percuti jussit.

Die 10. S. Margaritæ, Reginæ Scotorum, Viduæ. *Sem.*

Oratio.

DEUS, qui beatam Margaritam Scotorum reginam eximia in pauperes charitate mirabilem effecisti, da ut ejus intercessione et exemplo tua in cordibus nostris charitas jugiter augeatur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

MARGARITA, Scotorum regina, paterno Angliæ regum, materno Cæsarum sanguine clarissima, illustrior adhuc fuit Christiana virtute. Hæc in Hungaria nata, ubi pater tunc temporis exulabat, post exactam summa cum pietate puerilem ætatem, una cum genitore, qui a sancto Eduardo patruo, Anglorum rege, ad paterni regni fastigium vocabatur, in Angliam venit. Mox alternante parentum fortuna, ex Angliæ littore solvens, vi tempestatis expulsa, seu verius divinæ providentiæ consilio deducta est in oram maritimam Scotiæ. Ibi cum ex matris imperio Malcholmo Tertio Scotorum regi, egregiis ejus dotibus capto, nupsisset, sanctimoniæ et pietatis operibus triginta, quibus regnavit annis, toti regno mirifice profuit.

Lectio v.

INTER regales delicias corpus afflictationibus ac vigiliis macerans magnam noctis partem piis precationibus extrahebat. Præter alia jejunia, quæ identidem usurpabat, integros quadraginta dies ante natalitia festa, tanta cum severitate jejunare consuevit, ut ne in gravissimis quidem doloribus intermiserit. Divino cultui addictissima, templa plurima

et cœnobia partim ex integro excitavit, partim resarcivit, et sacra supellectili ac largo censu ditavit. Regem conjugem ad meliorem frugem, et ad similia suis exercitationibus opera saluberrimo exemplo traduxit, liberosque omnes tam sancte et feliciter educavit, ut eorum plerique, quemadmodum et Agatha mater, et Christina soror, sanctissimum vitæ genus amplexi sint. Universi demum regni felicitati consulens, a vitiis omnibus, quæ furtim irrepserant, populos expurgavit, eisque mores Christiana pietate dignos restituit.

Lectio vj.

NIHIL tamen æque in illa mirabile fuit, ac flagrantissima charitas erga proximos, præsertim egenos, quorum numerosis gregibus non modo stipem affatim suppeditare, verum etiam trecentis quotidie materna benignitate dapes præbere, flexis genibus in morem ancillæ ministrare, regiis manibus pedes abluere, et pressis etiam osculis ulcera fovere, solemne habuit. His porro aliisque piis sumptibus non regias tantum vestes, et pretiosa monilia distraxit, sed ipsum non semel exhausit ærarium. Toleratis demum ad patientiæ miraculum acerbissimis doloribus, animam semestri corporis ægrotatione purgatam Auctori suo, quarto Idus Junii, reddidit. Quo temporis momento facies ejus diuturni morbi macie ac pallore fœdata, insolita quadam venustate refloruit. Miris etiam post mortem prodigiis clara, et Clementis Decimi auctoritate in Scotiæ Patronam accepta, ubique terrarum religiosissime colitur.

In III. Noct. Homilia Cœlorum regnum, *de Com.*

Vesperæ de sequenti.

Die 11. S. Barnabæ,

Apost. *Duplex majus.*

Oratio.

DEUS, qui nos beati Barnabæ Apostoli tui meritis et intercessione lætificas, concede propitius, ut qui tua per eum beneficia poscimus, dono tuæ gratiæ consequamur. Per Dominum.

Et fit comm. S. Margaritæ,

IN I. NOCTURNO.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. 13.

CUM dimissa esset synagoga, secuti sunt multi Judæorum, et colentium advenarum, Paulum et Barnabam: qui loquentes suadebant eis ut permanerent in gratia Dei. Sequenti vero sabbato pene universa civitas convenit audire verbum Dei. Videntes autem turbas Judæi, repleti sunt zelo, et contradicebant his quæ a Paulo dicebantur, blasphemantes. Tunc constanter Paulus et Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem Gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ.

Lectio ij.

AUDIENTES autem Gentes gavisæ sunt, et glorificabant verbum Domini, et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem. Judæi autem concitaverunt mulieres religiosas et honestas, et primos civitatis, et excitaverunt persecutionem in Paulum et Barnabam, et ejecerunt eos de finibus suis. At illi, excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. Discipuli quoque replebantur gaudio, et Spiritu sancto.

Lectio iij. Cap. 14.

FACTUM est autem Iconii ut simul introirent in synagogam Judæorum, et loquerentur, ita ut crederet Judæorum et Græcorum copiosa multitudo. Qui vero incredduli fuerunt Judæi, suscitaverunt et ad iracundiam concitaverunt animas Gen-

tium adversus fratres. Multo igitur tempore demorati sunt, fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa et prodigia fieri per manus eorum.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BARNABAS Levites, Cyprius genere, qui et Joseph, cum Paulo Gentium Apostolus ordinatus est ad prædicandum Jesu Christi Evangelium. Is agro vendito quem habebat, redactam ex eo pecuniam attulit Apostolis. Missus autem Antiochiam prædicationis causa, cum ibi multos ad Christi Domini fidem conversos esse comperisset, incredibiliter lætatus, eos hortabatur ut in Christi fide permanerent. Qua cohortatione multum proficiebat, quod ab omnibus vir bonus, et Spiritu sancto plenus habebatur.

Lectio v.

PROFECTUS inde Tarsum, ut quæreret Paulum, cum eo Antiochiam venit. In ejus urbis Ecclesia annum commorati, Christianæ fidei et vitæ illis hominibus præcepta dederunt: ubi etiam Jesu Christi cultores primum Christiani sunt appellati. Discipuli autem Pauli et Barnabæ suis facultatibus Christianos, qui in Judæa erant, sustentabant, eo mittentes pecuniam per Paulum et Barnabam. Qui perfuncti illo charitatis officio, adhibito Joanne, cui cognomen erat Marcus, redierunt Antiochiam.

Lectio vj.

CUM autem Antiochiæ in Ecclesia cum cæteris Prophetis et Doctoribus, Paulus et Barnabas in jejunio et oratione Domino deservirent, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Itaque Seleuciam venerunt, inde in Cyprum, ac multas præterea urbes regionesque; prædicantes Evangelium summa cum audientium utilitate, peragrarunt. Postremo Barnabas digressus a Paulo, una cum Joanne, qui cognominatus est Marcus, navigavit in Cyprum, ibique circiter septimum Neronis annum, tertio Idus Junii, ad Apostolici muneris laudem martyrii coronam adjunxit. Ejus corpus, Zenone Imperatore, repertum est in insula Cypro, ad cujus pectus erat Evangelium Matthæi, Barnabæ manu conscriptum.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homilia 34. *in Matth.*

CUM Dominus omnem sollicitudinem a discipulorum cordibus ejecerit, et ostensione signorum armaverit, atque ab omnibus negotiis sæcularibus alienatos, et ab omni temporalium rerum cura liberatos, ferreos quodammodo atque adamantinos fecerit, tum denique, ventura illis adversa prædicit. Multa enim ex hac prædictione futurarum rerum commoda consequebantur. Primum, ut ejus præscientiæ vim ediscerent. Deinde, ut nemo suspicaretur ex magistri infirmitate tam gravia mala descendere. Præterea, ne qui ea passuri erant, subito ac inopinato rerum eventu perturbarentur. Denique, ne, cum ista sub ipsum passionis suæ tempus audirent, nimium commoverentur.

Lectio viij.

JAM vero, ut intelligant novum hoc esse belli genus, et insolitum præliandi morem, cum illos nudos mitteret, una indutos tunica, sine calceis, absque virga, et absque zona et pera, et ab excipientibus ali

Digitized by Google

Juberet, non fecit hic dicendi finem, sed inexplicabilem virtutem suam proferens. Etiam sic euntes, inquit, mansuetudinem tamen ovium ostendite, quamvis ad lupos ituri, nec simpliciter ad lupos, sed etiam in medio luporum: neque vero ovium tantum mansuetudinem habere jubet, sed etiam columbæ simplicitatem; sic enim virtutem meam maxime ostendam, cum ab ovibus lupi superabuntur; et quamvis illæ sint in medio luporum, et innumeris morsibus lacerentur, non modo non consumptæ fuerint, verum etiam illos in sui naturam transmutaverint.

Lectio ix.

MAJUS certe atque admirabilius est, mentem adversariorum commutare, et animum in diversum transferre, quam illos occidere: præsertim cum duodecim tantum essent, et lupis plenus esset orbis universus. Erubescamus igitur, qui longe diversa facientes, tanquam lupi in adversarios ruimus. Nam quamdiu oves fuerimus, vincimus: etiam si mille circumstent lupi, superamus, et victores sumus: quod si lupi fuerimus, vincimur. Tunc enim a nobis pastoris auxilium recedit, qui non lupos, sed oves pascit.

In II. Vesp. fit comm. sequentis.

Die 12. S. Joannis

A S. FACUNDO,

Confessoris. *Duplex.*

Oratio.

DEUS auctor pacis et amator charitatis, qui beatum Joannem Confessorem tuum mirifica dissidentes componendi gratia decorasti, ejus meritis et intercessione concede, ut in tua charitate firmati nullis a te tentationibus separemur. Per Dominum.

Deinde SS. Mart. Basilidis et soc.

Oratio.

SANCTORUM Martyrum tuorum Basilidis, Cyrini, Naboris, atque Nazarii, quæsumus, Domine, natalitia nobis votiva resplendeant, et quod illis contulit excellentia sempiterna, fructibus nostræ devotionis accrescat. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JOANNEM Sahaguni in Hispania nobili genere natum, parentes, cum diu prole caruissent, piis operibus et orationibus a Deo impetrarunt. Ab ineunte ætate egregium futuræ sanctitatis specimen dedit: nam e loco superiori ad cæteros pueros crebro verba faciebat, quibus eos ad virtutem, et Dei cultum hortabatur, eorumque dissidia componebat. In patria monachis sancti Facundi, Ordinis sancti Benedicti, primis litterarum rudimentis imbuendus tradi tur. Dum iis operam daret, curavit pater, ut Parochus Ecclesiam administraret: quod munus juvenis nullis rationibus adduci potuit ut retineret. Inter familiares Episcopi Burgensis adscriptus, ob spectatam ipsius probitatem intimus ei fuit, ab eoque Presbyter, et Canonicus factus, multis beneficiis auctus est. Sed relicta aula Episcopi, ut Deo quietius serviret, omnibus Ecclesiæ proventibus abdicatis, se cuidam sacello addixit, ubi Sacrum quotidie faciebat, ac de rebus divinis magna cum auditorum ædificatione frequenter concionabatur.

Lectio v.

POSTEA studiorum causa Salmanticam profectus, in celebre collegium divi Bartholomæi cooptatus, Sacerdotis munus ita exercuit, ut simul optatis studiis incumberet, et in sacris etiam concionibus assidue versaretur. Cum vero in gravissimum morbum incidisset, arctioris disciplinæ voto se obstrinxit, quod ut redderet, cum prius cuidam pauperi pene nudo ex duabus, quas tantum habebat vestes, meliorem dedisset, ad cœnobium sancti Augustini severiori disciplina tum maxime florens se contulit, in quo admissus, ob-

Digitized by Google

dientia, animi demissione, vigiliis, ac oratione provectiores anteibat. Triclinii cura cum ipsi demandata esset, vini doliolum, ipso attingente, omnibus monachis per annum abunde suffecit. Exacto tyrocinii anno, Præfecti jussu munus concionandi suscepit. Salmanticæ id temporis adeo cruentis factionibus divina humanaque omnia permixta erant, ut singulis propemodum horis cædes fierent, et omnium ordinum, ac præsertim nobilium sanguine, non viæ solum et fora, sed templa etiam redundarent.

Lectio vj.

AT Joannes tum concionibus, tum privatis colloquiis civium animos demulcens, ad tranquillitatem urbem reduxit. Virum principem graviter offendit, quod illius in subditos sævitiam increpasset. Qua de causa equites duos immisit, qui eum in itinere confoderent. Jamque ad ipsum propinquaverant, cum, stupore divinitus immisso, simul cum equis immobiles steterunt, donec ad pedes sancti viri provoluti, sceleris veniam precarentur. Ipse quoque princeps repentino terrore perculsus jam de salute desperaverat, cum, revocato Joanne, facti pœnitens incolumitati redditus est. Factiosi etiam homines, cum eum fustibus peterent, brachiis diriguere, nec ante redditæ vires, quam delicti veniam precarentur. Christum Dominum, dum Sacrum faceret, præsentem contueri, atque ex ipso divinitatis fonte cœlestia mysteria haurire solitus. Abdita cordis inspicere, ac futura raro eventu præsagire frequens illi fuit, fratrisque filiam septennem mortuam excitavit. Denique mortis die prænuntiato, et Ecclesiæ Sacramentis devotissime susceptis, extremum diem clausit, multis ante et post obitum miraculis gloriosus. Quibus rite probatis Alexander Octavus Sanctorum numero eum adscripsit.

In III. Nocl. Homilia Sancti Evangelii fratres, *de Com. I. loco.*

Pro SS. Martyribus.

Lectio ix.

BASILIDES, Cyrinus, Nabor, et Nazarius, Romani milites, nobiles genere, et virtute illustres, Christiana religione suscepta, cum Christum Dei Filium, Diocletiano Imperatore, prædicarent, ab Aurelio præfecto Urbis comprehensi, et ut diis sacra facerent admoniti, ejus jussa contemnentes, missi sunt in carcerem. Quibus orantibus, cum subito clarissima lux oborta omnium oculis, qui ibidem essent, carcerem collustrasset, illo cœlesti splendore commotus Marcellus custodiæ præpositus, multique alii, Christo Domino crediderunt. Verum postea e carcere emissi, ab Imperatore Maximiano, cum ejus etiam neglecto imperio, unum Christum Deum et Dominum in ore haberent, scorpionibus cruciati, iterum conjiciuntur in vincula: unde septimo die educti, et ante pedes Imperatoris constituti, perstiterunt in irrisione inanium deorum, Jesum Christum Deum constantissime confitentes. Quamobrem damnati, securi feriuntur. Quorum corpora feris objecta, nec ab illis tacta, a Christianis honorifice sepulta sunt.

In Laud. fit. comm. SS. Mart.
Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 13. S. Antonii de Padua

Confessoris *Duplex.*

Oratio.

ECCLESIAM tuam, Deus, beati Antonii Confessoris tui solemnitas votiva lætificet, ut spiritualibus semper muniatur auxiliis, et gaudiis perfrui mereatur æternis. Per Dominum.

Et fit commemor. præcedentis.
Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ANTONIUS, Ulyssipone in Lusitania honestis ortus parentibus,

et ab iis pie educatus, adolescens Institutum Canonicorum Regularium suscepit. Sed cum corpora beatorum quinque martyrum Fratrum Minorum Conimbriam transferrentur, qui paulo ante apud Marrochium pro Christi fide passi erant, martyrii desiderio incensus, ad Franciscanum Ordinem transivit. Mox eodem ardore impulsus, ad Saracenos ire perrexit: sed adversa valetudine afflictus, et redire coactus, cum navi ad Hispaniæ littora tenderet, ventorum vi in Siciliam delatus est.

Lectio v.

ASSISIUM e Sicilia ad Capitulum generale venit: inde in eremum montis Pauli in Æmilia secessit, ubi divinis contemplationibus, jejuniis, et vigiliis diu vacavit. Postea sacris Ordinibus initiatus, et ad prædicandum Evangelium missus, dicendi sapientia et copia tantum profecit, tantamque sui admirationem commovit, ut eum Summus Pontifex aliquando concionantem audiens, Arcam testamenti appellarit. In primis vero hæreses summa vi profligavit, ideoque perpetuus hæreticorum malleus est vocatus.

Lectio vj.

PRIMUS ex suo Ordine, ob doctrinæ præstantiam, Bononiæ et alibi sacras litteras est interpretatus, fratrumque suorum studiis præfuit. Multis vero peragratis provinciis, anno ante obitum Patavium venit, ubi illustria sanctitatis suæ monumenta reliquit. Denique magnis laboribus pro gloria Dei perfunctus, meritis et miraculis clarus obdormivit in Domino, idibus Junii, anno salutis millesimo ducentesimo trigesimo primo. Quem Gregorius Nonus Pontifex Maximus sanctorum Confessorum numero adscripsit.

In III. Noct. Homilia Sancti Evangelii fratres *de Com.* l. *loco.*

Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 14. S. Basilii Magni, Episc. Conf. et Eccl. Doct. *Dupl.* (m. t. v.)

In utrisq. Vesp. Ant. O Doctor. *Orat.* Exaudi, quæsumus *p.* 39*. *Deinde fit comm. S. Antonii. Lect. I. Noct. de Script. occ.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BASILIUS nobilis Cappadox, Athenis una cum Gregorio Nazianzeno ejus amicissimo sæcularibus litteris, deinde in monasterio sacris mirabiliter eruditus, eum brevi cursum fecit ad omnem doctrinæ et morum excellentiam, ut inde Magni cognomen invenerit. Is ad prædicandum Jesu Christi Evangelium in Pontum accersitus, eam provinciam a Christianis institutis aberrantem, ad viam salutis revocavit. Mox ab Eusebio Cæsareæ Episcopo ad erudiendam eam civitatem adjutor adhibetur: in cujus locum postea successit. Is Filium Patri consubstantialem esse in primis defendit ac Valentem Imperatorem sibi iratum miraculis adeo flexit, ut incumbentem ad voluntatem ejiciendi ipsum in exilium, a sententia discedere coegerit.

Lectio v.

NAM et Valentis sella, in qua facturus decretum de ejiciendo e civitate Basilio sedere volebat, confracta est, et tribus ab eo calamis adhibitis ad scribendam exilii legem, nullus eorum reddidit atramentum; et cum nihilominus in proposito scribendi impium decretum persisteret, ipsius dextera dissolutis nervis tota contremuit. His commotus Valens chartam utraque manu conscidit. Ea autem nocte, quæ ad deliberandum Basilio data est, Valentis uxor intimis est cruciata doloribus, et unicus filius in gravem morbum incidit. Quibus ille perterritus, iniquitatem suam recognoscens, Basilium accersit; quo præsente, puer cœpit convalescere: verum, vocatis a Valente ad visen-

Digitized by Google

dum puerum hæreticis, paulo post moritur.

Lectio vj.

ABSTINENTIA et continentia fuit admirabili: una tunica contentus erat; in jejunio servando diligentissimus, in oratione assiduus, in qua sæpe totam noctem consumebat. Virginitatem perpetuo coluit. Monasteriis extructis, ita monachorum institutum temperavit, ut solitariæ atque actuosæ vitæ utilitates præclare simul conjungeret. Multa erudite scripsit, ac nemo, teste Gregorio Nazianzeno, sacræ Scripturæ libros verius aut uberius explicavit. Obiit Kalendis Januarii, cum tantum spiritu vivens, præter ossa et pellem, nulla præterea corporis parte constare videretur.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 14.

IN illo tempore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Et reliqua.

Homilia S. Basilii Episcopi.

Lib. Regul. fusius explicat.

PERFECTA quidem renuntiatio in eo consistit, ut id assequamur, ne ad ipsius etiam vitæ affectionem propensi simus, et responsum mortis habeamus, ut non simus fidentes in nobis ipsis. Hujusmodi autem renuntiatio initium sumit ab alienatione rerum externarum, veluti a possessionibus, ab inani gloria, a vivendi consuetudine, a rerum inutilium amore, quemadmodum etiam suo exemplo nobis ostenderunt sancti Domini nostri discipuli; Jacobus quidem et Joannes, relicto patre Zebedæo, et ipsa quoque navicula, de qua omnis illorum victus ratio pendebat; Matthæus vero cum ab ipso telonio surrexit, ac Dominum secutus est.

Lectio viij.

SED quid opus est nostris rationibus, aut sanctorum virorum exemplis, id quod dicimus, confirmare, cum ipsa Domini verba in medium liceat afferre, iisque ipsis religiosam ac Deum timentem animam commovere? Quibus ille perspicue et sine controversia protestatur, dicens: Sic igitur quicumque ex vobis non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Et alio in loco, cum prius dixisset: Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus; postea subjunxit: Veni, sequere me.

℣. In medio Ecclesiæ, *p.* 46*.

Lectio ix.

EST igitur renuntiatio, quemadmodum docuimus, vinculorum terrenæ hujus ac temporalis vitæ solutio, atque ab humanis negotiis liberatio, per quam ad ineundam viam, qua ad Deum pervenitur, aptiores et promptiores efficimur, et expedita ratio ad acquisitionem usumque rerum, quæ super aurum et lapidem pretiosum multum longe sunt pretiosiores, et in summa, cordis humani ad cœlestem conversationem translatio, ita ut dicere liceat: Nostra conversatio in cœlis est: et (quod maximum est) initium unde ad Christi similitudinem evadimus, qui cum dives esset, propter nos pauper est factus.

In II. Vesp. comm. sequent.

Die 15. SS. Viti, Modesti, atque Crescentiæ MM.

Oratio.

DA Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Domine, sanctis Martyribus tuis Vito, Modesto, atque Crescentia intercedentibus, superbe non sapere, sed tibi placita humilitate proficere, ut prava despiciens, quæcumque re-

cta sunt, libera exerceat charitate. Per Dominum.

Lectio ij.

VITUS admodum puer inscio patre baptizatus est: quod cum ille resciviſset, nihil prætermisit, quo filium a Christiana religione removeret. Qua in voluntate permanentem, Valeriano judici verberibus castigandum tradidit. Sed nihilominus in sententia persistens patri redditus est. Sed dum eum pater gravius punire cogitat, Vitus Angeli monitu, comitibus Modesto et Crescentia ejus educatoribus, migrat in alienas terras: ibique eam sanctitatis laudem adeptus est, ut ejus fama ad Diocletianum perlata, ipsum Imperator accerseret, ut filium suum a dæmone vexatum liberaret. Quo liberato, cum ei amplissimis præmiis ingratus Imperator, ut deos coleret, persuadere non potuisset, una cum Modesto et Crescentia, vinculis constrictum mittit in carcerem.

Lectio iij.

QUOS ubi constantiores esse comperit, demitti jubet in ingens vas, liquato plumbo, ferventi resina ac pice plenum: in quo cum trium Hebræorum puerorum more divinos hymnos canerent, inde erepti, leoni objiciuntur: qui prosterneos se, eorum pedes lambebat. Quare inflammatus ira Imperator, quod multitudinem videbat miraculo commoveri, eos in catasta sterni jubet, et ita cædi eorum membra, atque ossa divelli. Quo tempore tonitrua, fulgura, magnique terræmotus fuere: quibus templa deorum corruerunt, et multi oppressi sunt. Eorum reliquias Florentia, nobilis femina, unguentis conditas honorifice sepelivit.

Die 18. SS. Marci et Marcel.

Martyrum.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui sanctorum Martyrum tuorum Marci et Marcelliani natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus, eorum intercessionibus liberemur. Per Dominum.

℣. *ij.* Hæc est vera fraternitas.

Lectio iij.

MARCUS et Marcellianus fratres Romani, propter Christianam fidem a Fabiano duce comprehensi, ad stipitem alligati sunt, pedibus clavis confixis. Ad quos cum ita loqueretur judex: Resipiscite, miseri, et vos ipsos ab his cruciatibus eripite, responderunt: Nunquam tam jucunde epulati sumus, quam hæc libenter Jesu Christi causa perferimus, in cujus amore nunc fixi esse cœpimus: utinam tamdiu nos hæc pati sinat, quamdiu hoc corruptibili corpore vestiti erimus. Qui diem noctemque in tormentis divinas laudes canentes, denique telis transfixi, ad martyrii gloriam pervenerunt. Quorum corpora via Ardeatina sepulta sunt.

Die 19. S. Julian. de Falc.

Virginis. *Duplex.*

AD VESP. ET MATUT.

HYMNUS.

CŒLESTIS Agni nuptias,
O Juliana, dum petis,
Domum paternam deseris,
Chorumque ducis virginum.

Sponsumque suffixum cruci
Noctes diesque dum gemis,
Doloris icta cuspide
Sponsi refers imaginem.

Quin septiformi vulnere
Fles ad genu Deiparæ;
Sed crescit infusa fletu,
Flammasque tollit charitas.

Hinc morte fessam proxima
Non usitato te modo
Solatur et nutrit Deus,
Dapem supernam porrigens.

Æterne rerum Conditor,
Æterne Fili par Patri,
Et par utrique Spiritus,
Soli tibi sit gloria. Amen.

Digitized by Google

Oratio.

DEUS, qui beatam Julianam Virginem tuam extremo morbo laborantem, pretioso Filii tui Corpore mirabiliter recreare dignatus es, concede, quæsumus, ut, ejus intercedentibus meritis, nos quoque eodem in mortis agone refecti ac roborati, ad cœlestem patriam perducamur. Per eumdem Dominum.

Deinde fit comm. SS. Mart. Gervasii et Protasii. Orat. Deus qui nos annua, *p.* 29*.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JULIANA ex nobili Falconeria familia, clarissimo Patre, qui templum Deiparæ ab Angelo salutatæ ære suo magnifice a fundamentis Florentiæ, ut nunc visitur, erexit, matre Reguardata, ambobus jam senescentibus, ac ad id tempus sterilibus, nata est anno millesimo ducentesimo septuagesimo. Ab incunabulis non exiguum futuræ sanctitatis specimen dedit: vagientibus quippe labris, suavissima Jesu et Mariæ nomina ultro proferre audita est. Pueritiam postmodum ingressa, totam se Christianis virtutibus mancipavit, in quibus adeo excelluit, ut beatus Alexius patruus, cujus institutis ac exemplis instruebatur, matri dicere non dubitaverit, ipsam non feminam peperisse, sed Angelum: nam ita modesto vultu, animoque ab omni vel levissima erroris macula pura fuit, ut oculos nunquam in toto vitæ cursu ad hominis faciem intuendam erexerit, auditoque peccati vocabulo contremuerit; imo sceleris narratione perculsa, illico prope exanimis corruerit. Expleto nondum decimo quinto ætatis suæ anno, re familiari, licet opulenta, terrenisque posthabitis nuptiis, Deo virginitatem in manibus divi Philippi Benitii solemniter vovit, ab eoque omnium prima religiosum Mantellatarum habitum, ut dicunt, sumpsit.

Lectio v.

JULIANÆ exemplum secutæ sunt plurimæ ex nobilioribus familiis feminæ, ac mater ipsa filiæ sese religiose instituendam dedit, ita ut, aucto paulatim numero, Ordinem Mantellatarum instituerit, ac illi pie vivendi leges summa prudentia ac sanctitate tradiderit. Ejus virtutes cum optime perspectas divus Benitius haberet, morti proximus, nulli melius, quam Julianæ, non feminas tantum, sed et totum Servorum Ordinem, cujus propagator et moderator extiterat, commendatum voluit. Verum ipsa demisse semper de se cogitabat, et cum cæterarum esset magistra, in re quaque domestica, licet vili, sororibus famulabatur. Assiduitate orandi integros insumebat dies, in extasim sæpissime rapta; et si reliquum, in sedandis civium dissidiis, criminosis a via iniquitatis retrahendis, ac inserviendis impendebat ægrotis, quorum quandoque saniem ex ulceribus manantem admoto ore lambens, eos sanitati restituebat. Corpus suum flagris, nodosis funiculis, ferreis cingulis, vigiliis, humi nudæ cubando, terere solita fuit. Parcissimo cibo, et hoc vili, quatuor hebdomadæ diebus, et reliquis duobus, solo Angelorum pane contenta, excepto die sabbati, quo pane solo et aqua nutriebatur.

Lectio vj.

DURA hujusmodi vivendi ratione in stomachi morbum incidit, quo ingravescente, cum septuagesimum ætatis annum ageret, ad extremum vitæ spatium redacta est. Diuturnæ valetudinis incommoda hilari vultu, constantique animo pertulit. De uno tantum conqueri audita est, quod cum cibum capere, ac retinere nullo modo posset, ab Eucharistica mensa ob Sacramenti reverentiam, arceretur. Verum his in angustiis constituta, Sacerdotem rogavit, ut allatum divinum panem, quem ore sumere nequibat, pectori saltem exterius admoveret. Precibus illius mo-

Digitized by Google

rem gessit Sacerdos; et mirum! eodem temporis momento divinus panis disparuit, et Juliana sereno ac ridenti vultu expiravit. Res supra fidem tamdiu fuit, donec virgineum de more curaretur corpus: inventa enim est circa sinistrum pectoris latus carni veluti sigillo impressa forma Hostiæ, quæ Christi crucifixi effigiem repræsentabat. Hujus prodigii fama, cæterorumque miraculorum non Florentiæ tantum, sed totius Christiani orbis venerationem illi conciliavit, ac per quatuor prope integra sæcula adeo aucta est, ut tandem Benedictus Papa Decimus tertius in ejus celebritate Officium proprium recitari ab universo Ordine beatæ Mariæ Virginis Servorum jusserit. Clemens vero Duodecimus, munificentissimus ejusdem Ordinis protector, novis in dies miraculis coruscantem sanctarum Virginum catalogo adscripsit.

In III. Noct. Homilia Sæpe vos fratres *de Com.* 1. *loco.*

Pro SS. Martyribus.

Lectio ix.

GERVASIUS et Protasius Vitalis et Valeriæ filii, quorum pater Ravennæ, mater Mediolani, pro Christi Domini fide martyrium subierunt, distributo pauperibus patrimonio, domesticos servos libertate donarunt. Quo facto Gentilium sacerdotes immane in illos conceptum odium habebant. Quare cum Astasius Comes in bellum proficisci vellet, hanc occasionem perdendi pios fratres se nactos esse putaverunt. Itaque Astasio persuadent, se a diis admonitos esse, nullo modo eum in bello victorem futurum, nisi Gervasio et Protasio coactis Christum negare, eosdem ad sacra diis facienda compelleret. Quod cum illi detestarentur, Astasius imperavit Gervasium tamdiu cædi, dum inter verbera expiraret: Protasium fustibus contusum securi percuti jubet. Quorum corpora Philippus Christi servus clam sustulit, et in suis ædibus sepelivit: quæ postea sanctus Ambrosius Dei monitu inventa, in loco sacro et insigni collocanda curavit. Passi sunt Mediolani decimo tertio Kalendas Iulii.

Comm. SS. Martyrum in Laud.
In II. Vesp. comm. sequentis.

Die 20. S. Silverii,

Papæ et Martyris.

Oratio. Infirmitatem p. 14*.

Lectio ij.

SILVERIUS Campanus, post Agapitum proxime Pontifex creatus est. Cujus doctrina et sanctitas illuxit in insectandis hæreticis, et constantis animi magnitudo perspecta est in tuendo judicio Agapiti. Nam Anthimum, quem, quia Eutychianam hæresim defendebat, Agapitus ab Episcopatu Constantinopolitano deposuerat, cum a Theodora Augusta sæpissime rogatus esset, restituere noluit.

℟. Domine prævenisti, *p.* 20*.

Lectio iij.

QUAMOBREM irata mulier mandat Bellisario, ut Silverium mittat in exilium. Qui exulavit in Insula Pontia, unde his verbis scripsisse fertur ad Amatorem Episcopum: Sustentor pane tribulationis, et aqua angustiæ; nec tamen dimisi, aut dimitto officium meum. Quod re ipsa probavit: nam ibi coacto Concilio multorum Episcoporum, quædam constituit, quæ ad integritatem fidei Catholicæ, et ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam pertinebant. Ubi brevi incommodis, ærumnisque confectus, obdormivit in Domino, duodecimo Kalendas Julii: cujus sepulchrum multis miraculis illustratum fuit: cum Ecclesiæ præfuisset annos tres et amplius, creatis mense Decembri Presbyteris tredecim, Diaconis quinque, Episcopis per diversa loca decem et novem.

Die 22. S. Paulini,

Episcopi et Confessoris.

Oratio. Da quæsumus, *p.* 39*.

Digitized by Google

Lectio ij.

PAULINUS Nolæ Episcopus, eruditus studiis humanitatis, doctus etiam divinis litteris, multa eleganter et ornate scripsit versibus et soluta oratione. Hujus viri charitas præcipue celebratur, quod vastata a Gothis Campania, omnem facultatem, ne relictis quidem sibi rebus ad vitam necessariis, in alendos pauperes, et captivos redimendos contulerit. Quo tempore, ut scribit sanctus Augustinus, ex opulentissimo divite voluntate pauperrimus, et copiosissime sanctus, captus a Barbaris sic Deum precabatur: Domine, ne excrucier propter aurum et argentum: ubi enim sint omnia mea, tu scis. Postea vero Wandalis easdem regiones infestantibus, cum ab eo posceret vidua, ut filium sibi redimeret, consumptis rebus omnibus in officio pietatis, seipsum pro illo in servitutem tradidit.

Lectio iij.

IGITUR in Africam profectus, domini sui, qui regis erat gener, hortum colendum suscepit. Verum cum prophetiæ dono, regis mortem ipsi domino prædixisset, et rex in somnis Paulinum sedentem medium inter duos judices, sibique de manibus eripientem flagellum vidisset, tantus vir cognitus honorificentissime dimissus est, condonatis ei omnibus suis civibus, qui captivi fuerant. Nolam reversus ad Episcopale officium, cum verbo et exemplo omnes ad pietatem Christianam inflammaret, laterum dolore correptus est; mox cubiculum, quo jacebat, terræmotu contremuit, ac paulo post animam Deo reddidit.

Die 23. in Vigilia

SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio j. Cap. I.

FUIT in diebus Herodis regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia; et uxor illius de filiabus Aaron, et nomen ejus Elisabeth. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. I. in Lucam.

DOCET nos Scriptura divina, non solum mores in iis qui prædicabiles sunt, sed etiam parentes oportere laudari, ut veluti transmissa immaculatæ puritatis hæreditas, in iis quos volumus laudare, præcellat. Quæ enim alia intentio hoc loco sancti Evangelistæ, nisi ut sanctus Joannes Baptista nobilitetur parentibus, miraculis, moribus, munere, passione? Sic etiam sancti Samuel mater Anna laudatur: sic Isaac a parentibus nobilitatem pietatis accepit, quam posteris dereliquit. Sacerdos itaque Zacharias, nec solum sacerdos, sed etiam de vice Abia, id est, nobilis inter superiores familias.

℟. *de Feria occurrente.*

Lectio ij.

ET uxor, inquit, illi de filiabus Aaron. Non solum igitur a parentibus, sed etiam a majoribus sancti Joannis nobilitas propagatur, non sæculari potestate sublimis, sed religionis successione venerabilis. Tales enim majores habere debuit prænuntius Christi, ut non repente conceptam, sed a majoribus acceptam, et ipso infusam jure naturæ prædicare fidem Dominici videretur adventus. Erant, inquit, ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, et justificationibus Domini sine querela. Quid ad hoc referunt, qui peccatis suis solatia præferentes, sine peccatis frequentibus hominem putant esse non posse, et utuntur versiculo, quia scriptum est in Job: Nemo mundus a sorde, nec si unius diei vita ejus sit in terra?

Lectio iij.

QUIBUS respondendum est, prius ut, quid sit hominem sine peccato esse, definiant: utrum nunquam omnino peccasse, an desiisse peccare. Si enim hoc putant sine peccato esse,

nunquam omnino peccasse, et ipse consentio. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. Sin autem eum, qui veterem errorem correxerit, et in eam se vitæ transformaverit qualitatem, ut temperet a peccato, negant abstinere a delictis, non possum in eorum convenire sententiam, cum legamus: Quia sic Dominus dilexit Ecclesiam, ut exhibeat ipsam sibi gloriosam, et non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.

Ad Bened. *Ant. ut in Psalt. et post Ant. Preces flexis genibus.*

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua per viam salutis incedat, et beati Joannis præcursoris hortamenta sectando, ad eum, quem prædixit, secura perveniat, Dominum nostrum.

Si cras occurrat solemnitas Corporis Christi, Festum S. Joannis Baptistæ transfertur in diem 25. *tanquam in sedem propriam, translato quocumque alio Festo post Octavam: sed si fuerit* j. *vel* ij. *classis, transfertur in primam diem infra Oct. Offic. duplici non impeditam.*

Die 24. In Nativitate
SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.
Duplex 2. *Classis.*

In I. Vesperis.

Ant. 1. Ipse præibit ante illum in spiritu et virtute Eliæ, parare Domino plebem perfectam.

Psalmi de Dom. loco ult. Laudate Dominum omnes gentes.

2. Joannes est nomen ejus: vinum et siceram non bibet, et multi in nativitate ejus gaudebunt.

3. Ex utero senectutis et sterili Joannes natus est præcursor Domini.

4. Iste puer magnus coram Domino: nam et manus ejus cum ipso est.

5. Nazaræus vocabitur puer iste: vinum et siceram non bibet, et omne immundum non manducabit ex utero matris suæ.

Capitulum. Isaiæ 49.

AUDITE, insulæ, et attendite, populi de longe: Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.

HYMNUS.

UT queant laxis resonare fibris
Mira gestorum famuli tuorum,
Solve polluti labii reatum,
Sancte Joannes.

Nuntius celso veniens olympo,
Te patri magnum fore nasciturum,
Nomen et vitæ seriem gerendæ,
Ordine promit.

Ille promissi dubius superni,
Perdidit promptæ modulos loquelæ;
Sed reformasti genitus peremptæ
Organa vocis.

Ventris obstruso recubans cubili,
Senseras Regem thalamo manentem,
Hinc parens, nati meritis, uterque
Abdita pandit.

Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi, compar utriusque virtus
Spiritus semper, Deus unus, omni
Temporis ævo. Amen.

℣. Fuit homo missus a Deo.
℟. Cui nomen erat Joannes.

Ad Magnif. Ant. Ingresso Zacharia templum Domini, apparuit ei Gabriel Angelus, stans a dextris altaris incensi.

Oratio ut infra in Laudibus.

Ad Matutinum.

Invit. Regem præcursoris Dominum, * Venite, adoremus.

HYMNUS.

ANTRA deserti teneris sub annis,
Civium turmas fugiens, petisti,
Ne levi posses maculare vitam
Crimine linguæ.

Præbuit durum tegumen camelus
Artubus sacris, strophium bidentes,
Cui latex haustum, sociata pastum
Mella locustis.

Cæteri tantum cecinere Vatum
Corde præsago jubar affuturum:
Tu quidem mundi scelus auferentem
Indice prodis.

Non fuit vasti spatium per orbis

Digitized by Google

Sanctior quisquam genitus Joanne,
Qui nefas sæcli meruit lavantem
Tingere lymphis.

Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi, compar utriusque virtus
Spiritus semper, Deus unus, omni
Temporis ævo. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Priusquam te formarem in utero, novi te: et antequam progredereris, sanctificavi te.

Psalmi de Com. Conf.

2. Ad omnia quæ mittam te, dicit Dominus: ibis: ne timeas, et quæ mandavero tibi, loqueris ad eos.

3. Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum, dicit Dominus.

℣. Fuit homo missus a Deo.

℟. Cui nomen erat Joannes.

Incipit Jeremias Propheta.

Lectio j. Cap. 1.

VERBA Jeremiæ filii Helciæ, de sacerdotibus, qui fuerunt in Anathoth, in terra Benjamin; quod factum est verbum Domini ad eum in diebus Josiæ filii Amon regis Juda, in tertiodecimo anno regni ejus. Et factum est in diebus Joakim filii Josiæ regis Juda usque ad consummationem undecimi anni Sedeciæ filii Josiæ regis Juda, usque ad transmigrationem Jerusalem in mense quinto. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Priusquam te formarem in utero, novi te: et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et Prophetam in Gentibus dedi te.

℟. Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Joannes: * Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, et pararet Domino plebem perfectam. ℣. Erat Joannes in deserto prædicans baptismum pœnitentiæ. Hic.

Lectio ij.

ET dixi, A a a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dominus ad me: Noli dicere, Puer sum: quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis, et universa quæcumque mandavero tibi, loqueris. Ne timeas a facie eorum, quia tecum ego sum, ut eruam te, dicit Dominus. Et misit Dominus manum suam, et tetigit os meum, et dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te hodie super Gentes et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes.

℟. Elisabeth Zachariæ magnum virum genuit, Joannem Baptistam præcursorem Domini, * Qui viam Domino præparavit in eremo. ℣. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Qui.

Lectio iij.

TU ergo accinge lumboe tuos, et surge, et loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi. Ne formides a facie eorum: nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum, super omnem terram, regibus Juda, principibus ejus, et sacerdotibus, et populo terræ. Et Bellabunt adversum te, et non prævalebunt: quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.

℟. Priusquam te formarem in utero, novi te: et antequam exires de ventre, sanctificavi te: * Et Prophetam in Gentibus dedi te. ℣. Vir dilectus a Deo et hominibus, honoratus est. Et. Gloria. Et.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. Misit Dominus manum suam, et tetigit os meum, et Prophetam in Gentibus dedit me Dominus.

2. Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te super Gentes et regna.

3. Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.

℣. Inter natos mulierum non surrexit major. ℟. Joanne Baptista.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Sermone 20. *de Sanctis.*

Digitized by Google

Lectio iv.

POST illum sacrosanctum Domini natalis diem, nullius hominum nativitatem legimus celebrari, nisi solius beati Joannis Baptistæ. In aliis sanctis et electis Dei novimus illum diem coli, quo illos, post consummationem laborum, et devictum triumphatumque mundum, in perpetuas æternitates præsens hæc vita parturiit. In aliis consummata ultimi diei merita celebrantur: in hoc etiam prima dies, et ipsa etiam hominis initia consecrantur: pro hac absque dubio causa, quia per hunc Dominus adventum suum, ne subito homines insperatum non agnoscerent, voluit esse testatum. Joannes autem figura fuit veteris testamenti, et in se formam prætulit legis; et ideo Joannes prænuntiavit Salvatorem, sicut lex gratiam præcucurrit.

℟. Descendit Angelus Domini ad Zachariam, dicens: Accipe puerum in senectute tua: * Et habebit nomen Joannes Baptista. ℣. Iste puer magnus coram Domino: nam et manus ejus cum ipso est. Et.

Lectio v.

QUOD autem nondum natus, de secreto materni uteri prophetavit, et expers lucis, jam testis est veritatis, hoc est intelligendum, quod latens sub velamine et carne litteræ, et Redemptorem mundo spiritu prædicavit, et nobis Dominum nostrum de quodam legis utero proclamavit. Ergo quia Judæi erraverunt a ventre, id est, a lege, quæ a Christo gravida erat, erraverunt a ventre, locuti sunt falsa. Ideo hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine.

℟. Hic est præcursor dilectus, et lucerna lucens ante Dominum: * Ipse est enim Joannes, qui viam Domino præparavit in eremo: sed et Agnum Dei demonstravit, et illuminavit mentes hominum. ℣. Ipse præibit ante illum in spiritu et virtute Eliæ. Ipse.

Lectio vj.

QUOD autem Joannes in carcere constitutus ad Christum discipulos suos ordinat, lex ad Evangelium transmittit. Quæ lex juxta typum Joannis, quasi ignorantiæ clausa carcere, in obscuro et in occulto jacebat, et Judaica cæcitate sensus intra litteram tenebatur inclusus. De hoc beatus Evangelista proloquitur: Ille erat lucerna ardens, id est, Spiritus sancti igne succensus, ut mundo ignorantiæ nocte possesso, lumen salutis ostenderet, et quasi inter densissimas delictorum tenebras, splendidissimum justitiæ solem lucis suæ radio demonstraret, de seipso dicens: Ego vox clamantis in deserto.

℟. Innuebant patri ejus, quem vellet vocari eum; et postulans pugillarem, scripsit, dicens: * Joannes est nomen ejus. ℣. Apertum est os Zachariæ, et prophetavit, dicens. Joannes. Gloria. Joannes.

IN III. NOCTURNO.

Ant. I. Posuit os meum Dominus quasi gladium acutum: sub umbra manus suæ protexit me.

2. Formans me ex utero servum sibi Dominus, dicit: Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.

3. Reges videbunt, et consurgent principes, et adorabunt Dominum Deum tuum, qui elegit te.

Psalm. Benedicam, *p.* 34*.

℣. Elisabeth Zachariæ magnum virum genuit. ℟. Joannem Baptistam præcursorem Domini.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. I.

ELISABETH impletum est tempus pariendi, et peperit filium. Et audierunt vicini et cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei. Et reliqua.

Digitized by Goog

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.
Lib. 2. Comm. in Lucæ cap. 1.

PEPERIT filium Elisabeth, et congratulabantur vicini. Habet sanctorum editio lætitiam plurimorum, quia commune est bonum. Justitia enim communis est virtus; et ideo in ortu justi futuræ vitæ insigne præmittitur, et gratia secuturæ virtutis exultatione vicinorum præfigurante signatur. Pulchre autem tempus, quo fuit in utero Propheta, describitur, ne Mariæ præsentia taceatur: sed tempus siletur infantiæ, eo quod præsentia Domini, matris in utero roboratur, qui infantiæ impedimenta nescivit. Et ideo in Evangelio nihil super eo legimus, nisi ortum ejus, et oraculum, exultationem in utero, vocem in deserto.

℣. Præcursor Domini venit, de quo ipse testatur: * Nullus major inter natos mulierum Joanne Baptista. ℣. Hic est enim Propheta, et plus quam propheta, de quo Salvator ait. Nullus.

Lectio viij.

NEQUE enim ullam infantiæ sensit ætatem, qui supra naturam, supra ætatem in utero positus matris, a mensura cœpit ætatis plenitudinis Christi. Mire sanctus Evangelista præmittendum putavit, quod plurimi infantem patris nomine Zachariam appellandum putaverint: ut advertas matri non nomen alicujus displicuisse degeneris, sed id sancto infusum Spiritu, quod ab Angelo ante Zachariæ fuerat prænuntiatum. Et quidem ille mutus intimare vocabulum filii nequivit uxori: sed per prophetiam Elisabeth didicit, quod non didicerat a marito.

℟. Gabriel Angelus apparuit Zachariæ, dicens: Nascetur tibi filius, nomen ejus Joannes vocabitur: * Et multi in nativitate ejus gaudebunt. ℣. Erit enim magnus coram Domino, vinum et siceram non bibet. Et. Gloria. Et.

Lectio ix.

JOANNES est, inquit, nomen ejus: hoc est, nos non ei nomen imponimus, qui jam a Deo nomen accepit. Habet vocabulum suum, quod agnovimus, non quod elegimus. Habent hoc merita sanctorum, ut a Deo nomen accipiant. Sic Jacob Israel dicitur, quia Deum vidit. Sic Dominus noster Jesus nominatus est antequam natus cui non Angelus, sed Pater nomen imposuit. Vides Angelos, quæ audierint, non quæ usurpaverint, nuntiare. Nec mireris, si nomen mulier, quod non audivit, asseruit, quando Spiritus ei sanctus, qui angelo mandaverat, revelavit.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Elisabeth Zachariæ magnum virum genuit, Joannem Baptistam præcursorem Domini.

2. Innuebant patri ejus, * quem vellet vocari eum; et scripsit dicens: Joannes est nomen ejus.

3. Joannes vocabitur * nomen ejus: et in nativitate ejus multi gaudebunt.

4. Inter natos mulierum, * non surrexit major Joanne Baptista.

5. Tu puer * Propheta Altissimi vocaberis: præibis ante Dominum parare vias ejus.

Capitulum. Isaiæ 49.

AUDITE, insulæ, et attendite, populi de longe: Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.

HYMNUS.

O NIMIS felix, meritique celsi,
Nesciens labem nivei pudoris,
Præpotens martyr, nemorumque cultor,
Maxime Vatum.
Serta ter denis alios coronant
Aucta crementis, duplicata quosdam;
Trina te fructu cumulata centum
Nexibus ornant.
Nunc potens nostri meritis opimis
Pectoris duros lapides revelle,

Digitized by Google

Asperum planans iter, et reflexos
Dirige calles.
Ut pius mundi Sator et Redemptor,
Mentibus culpæ sine labe puris,
Rite dignetur venions beatos
Ponere gressus.
Laudibus cives celebrent superni,
Te, Deus simplex pariterque Trine,
Supplices et nos veniam precamur,
Parce redemptis. Amen.

℣. Iste puer magnus coram Domino.

℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Ad Bened. Ant. Apertum est os Zachariæ, et prophetavit, dicens: Benedictus Deus Israel.

Oratio.

DEUS, qui præsentem diem honorabilem nobis in beati Joannis nativitate fecisti, da populis tuis spiritualium, gratiam gaudiorum, et omnium fidelium mentes dirige in viam salutis æternæ. Per Dominum.

Ad Tertiam.

Capit. Audite insulæ.

℟. *br.* Fuit homo, * Missus a Deo. Fuit. ℟. Cui nomen erat Joannes. Missus. Gloria. Fuit. ℣. Inter natos mulierum non surrexit major. ℟. Joanne Baptista.

Ad Sextam.

Cap. Isaiæ 49.

ET nunc hæc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi: Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.

℟. *br.* Inter natos mulierum * Non surrexit major. Inter. ℣. Joanne Baptista. Non. Gloria. Inter. ℣ Elisabeth Zachariæ magnum virum genuit. ℟. Joannem Baptistam præcursorem Domini.

Ad Nonam.

Capitulum. Isaiæ. 49.

REGES videbunt, et consurgent principes, et adorabunt Dominum Deum tuum, et Sanctum Israel, qui elegit te.

℟. *br.* Elisabeth Zachariæ * Magnum virum genuit. Elisabeth.

℣. Joannem Baptistam præcursorem Domini. Magnum. Gloria. Elisabeth. ℣. Iste puer magnus coram Domino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

In II. Vesperis.

Ant. de Laud. reliqua ut in I.

℣. Iste puer magnus coram Domino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Ad Magnific. Ant. Puer, qui natus est nobis, plus quam Propheta est: hic est enim de quo Salvator ait: Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.

Deinde fit comm. sequentis.

Die 25. S. Guilelmi Abb.

Duplex.

Oratio.

DEUS, qui infirmitati nostræ ad terendam salutis viam in Sanctis tuis exemplum et præsidium collocasti, da nobis ita beati Gulielmi Abbatis merita venerari, ut ejusdem excipiamus suffragia, et vestigia prosequamur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

GULIELMUS, nobilibus parentibus Vercellis in Insubria natus, vix quartumdecimum ætatis annum expleverat, cum miro quodam pietatis ardore flagrans, Compostellanam peregrinationem ad celeberrimum sancti Jacobi templum aggressus est. Quod iter una amictus tunica, ac duplici ferreo circulo præcinctus, nudisque pedibus prosecutus, asperrima frigoris et æstus, famis et sitis, summo cum vitæ discrimine perpessus est incommoda. Reversus in Italiam, novam ad sanctum Domini Sepulchrum peregrinationem molitur.

Digitized by Google

Sed quominus propositum exequatur, varia atque gravissima intercedunt impedimenta, divino numine ad altiora et sanctiora religiosam juvenis indolem retrahente. Porro in Soliculo monte biennium inter assiduas preces, vigilias, chameunias et jejunia commoratus, divina subnixus ope, cæco lumen restituit. Cujus miraculi fama percrebrescente, jam Gulielmus latere non poterat; quare iterum Hierosolymam cogitat, et alacris se itineri committit.

Lectio v.

DEI autem monitu, qui eidem apparuit, a proposito revocatur, utilior ac fructuosior tam apud Italos, quam apud exteras nationes futurus. Tum monasterium in Virgiliani montis cacumine, quod deinde Virginis est appellatum, loco aspero et inaccesso miranda exædificat celeritate. Socios deinde viros et religiosos adsciscit, eosque ad vivendi normam Evangelicis præceptis et consiliis summopere accomodatam, tum certis legibus ex beati Benedicti institutis magna ex parte desumptis, tum verbo et sanctissimæ vitæ exemplis informat.

Lectio vj.

ALIIS deinde monasteriis erectis, clarior in dies Gulielmi facta sanctitas multos ad eum undique viros perducit, sanctitatis odore, et miraculorum fama allectos. Nam muti loquelam, surdi auditum, aridi vigorem, varioque et immedicabili morbo laborantes sanitatem ipsius intercessione receperunt. Aquam in vinum convertit, aliaque complura mirabilia patravit: inter quæ illud non silendum, quod, muliercula ad ejus castitatem tentandam missa, in ardentibus prunis humi stratis illæsum se volutavit. De qua re certior factus Rogerius Neapolis rex, in summam viri Dei venerationem adducitur. Demum tempore sui obitus regi aliisque prænuntiato, innumeris virtutibus et miraculis clarus, obdormivit in Domino, anno salutis millesimo centesimo quadragesimo secundo.

In III. Noct. Homilia Grandis fiducia, *de Com. Apost. 1. loco*, p. 7°. *cum* ℟. vij. et viij. *de Comm.*

In Laud. fit comm. octavæ.

Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 26. SS. Joan. et Pauli,

Mart. Duplex.

In I. Vesp., quando dicendæ sunt, Ant. de Laudibus.

Ad Magnif. Ant. Astiterunt justi ante Dominum, et ab invicem non sunt separati: calicem Domini bibesunt, et amici Dei appellati suni.

Oratio ut infra in Laudibus.

Et fit comm. præc. et Oct.

Lect. I. Noct. Fratres debitores.

℟. *i.* Isti sunt duo viri misericordiæ qui assistunt ante Dominum, * Dominatorem universæ terræ. ℣. Isti sunt duæ olivæ, et duo candelabra lucentia ante Dominum. Dominatorem.

℟. *ij.* Vidi conjunctos viros habentes splendidas vestes, et Angelus Domini locutus est ad me, dicens: * Isti sunt viri sancti, facti amici Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volantem per medium cœlum, voce magna clamantem et dicentem. Isti.

℟. *iij.* Tradiderunt, *cum reliq. de commun.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JOANNES et Paulus fratres Romani, cum facultatibus a Constantia Constantini filia, cui pie fideliterque servierant, sibi relictis, Christi pauperes alerent, a Juliano apostata in numerum familiarium suorum invitati, libere negaverunt, se apud eum esse velle, qui a Jesu Christo defecisset. Quibus ille ad deliberandum decem dies præfinit, ut nisi ad eam diem ei adhærere, et Jovi sacrificare constituerint, sibi moriendum esse certo sciant.

Lectio v.

ILLI intra id tempus reliqua sua bona distribuerunt pauperibus,

quo expeditores ad Dominum migrare possent, et plures juvarent, a quibus in æterna tabernacula reciperentur. Die decima Terentianus prætoriæ cohortis præfectus, ad eos missus, cum allata Jovis effigie, ut eam venerarentur, Imperatoris mandatum eis exponit, ut nisi Jovi cultum adhibeant, moriantur. Qui, ut erant orantes, responderunt se pro Christi fide, quem Deum mente et ore venerabantur, non dubitanter mortem subituros.

Lectio vj.

AT Terentianus veritus ne, si publice interficerentur, populus commoveretur, domi ubi tunc erant, abscissis eorum capitibus sexto Kalendas Julii, secreto eos sepeliendos curavit, rumoremque sparsit, Joannem et Paulum in exilium ejectos esse. Verum eorum mors a spiritibus immundis, qui multorum corpora vexabant, pervulgata est: in quibus Terentiani filius, et ipse oppressus a dæmone, ad sepulchrum Martyrum perductus, liberatus est. Quo miraculo et is in Christum credidit, et ejus pater Terentianus, a quo etiam horum beatorum Martyrum vita scripta esse dicitur.

In III. Noct. Homilia De hoc fermento, *de Com. 3. loco*, p. 38*. *cum q. viij.* Hæc est vera.

Ad Laudes

Et per horas, Antiphonæ.

1. Paulus et Joannes * dixerunt Juliano: Nos unum Deum colimus, qui fecit cœlum et terram.

2. Paulus et Joannes * dixerunt Terentiano: Si tuus Dominus est Julianus, habeto pacem cum illo; nobis alius non est, nisi Dominus Jesus Christus.

3. Joannes et Paulus * agnoscentes tyrannidem Juliani, facultates suas pauperibus erogare cœperunt.

4. Sancti spiritus et animæ justorum, hymnum dicite Deo, allel.

5. Joannes et Paulus * dixerunt ad Gallicanum: Fac votum Deo cœli, et eris victor melius quam fuisti.

Ad Bened. Ant. Isti sunt sancti, qui pro Christi amore minas hominum contempserunt: sancti martyres in regno cœlorum exultant cum Angelis. O quam pretiosa est mors sanctorum, qui assidue assistunt ante Dominum, et ab invicem non sunt separati.

Oratio.

QUÆSUMUS, omnipotens Deus, ut nos geminata lætitia hodiernæ festivitatis excipiat, quæ de beatorum Joannis et Pauli glorificatione procedit, quos eadem fides et passio vere fecit esse germanos. Per Dominum.

Deinde fit comm. Octavæ.

In II. Vesp. Ant. de Laudibus.

Ad Magnif. Ant. Isti sunt duæ olivæ, et duo candelabra lucentia ante Dominum: habent potestatem claudere cœlum nubibus, et aperire portas ejus, quia linguæ eorum claves cœli factæ sunt.

Et fit comm. Octav. S. Joannis.

Die 27.

IV. inf. oc. Nat. S. Joan.

Lect. 4. Noct. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Basilii Magni.

Homilia 2. in Psalm. 28.

Lectio iv.

VOX Domini super aquas? Qualis vox? super quas aquas? Velut prophetiam accipiamus quod dictum est. Memineris Joannis, qui interrogatus a Judæis, Tu quis es? quod responsum dabimus iis, qui miserunt nos? respondit: Ego vox clamantis in deserto. Igitur vox Domini est Joannes, angelus a Deo missus ante faciem Domini, ut pararet Domino plebem perfectam. Hæc igitur vox super aquas, erat super Jordanem, in quo baptizabat prædicans pœnitentiæ baptismum. Et non solum in Jordane, sed etiam in Ænon prope Salim, quia aquæ multæ erant illic.

Digitized by Google

Lectio v.

IGITUR vox Domini super aquas, Joannes est super baptismum. Illic et Deus majestatis intonuit. Venit enim vox de cœlo, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Tunc etiam Dominus super aquas multas dignatus est descendere in baptisma Joannis, ut compleret omnem justitiam, quæ in lege est. Vox Domini in virtute. Aufert enim debilitates populi per pœnitentiæ baptismum, per ipsum baptizans in aqua ad pœnitentiam. In virtute est vox, dicens: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum, et, Facite fructus dignos pœnitentiæ.

Lectio vj.

VOX Domini confringentis cedros. Potest dici, quod parans Domino populum perfectum, elatas impietates, et contra cognitionem Dei exaltata confringens ac conterens, obliqua faciebat recta. Qui enim omnem collem ac montem humiliat, hic erat qui confrigebat cedros, et Domino viam adæquabat, per hoc quod ad pœnitentiam inducebat altum, et elatum, et superbum cor. Unde ejus præparationem suscipiens Dominus, suo adventu confregit oppositas potentias, cedros Libani figurate dictas. Oportet enim Dominum regnare, donec ponat inimicos sub pedes suos, et cedros istas comminuat.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 1.

ELISABETH impletum est tempus pariendi, et peperit filium. Et audierunt vicini et cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei. Et reliqua.

De Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 2. *cap.* 1.

ET Zacharias pater ejus impletus est Spiritu sancto, et prophetabat. Vide quam bonus Deus, et facilis indulgere peccatis. Non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit. Ille dudum mutus prophetat. Hæc enim gratia Dei maxima, quod eum qui negaverat, confitetur. Nemo ergo diffidat, nemo veterum conscius delictorum, præmia divina desperet. Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum.

Lectio viij.

ET tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis. Pulchre, cum de Domino prophetaret, ad Prophetam sua verba convertit, ut hoc quoque beneficium esse Domini designaret: ne cum publice enumeraret sua, quasi ingratus tacuisse videretur quæ agnoscebat in filio. Sed fortasse aliqui quasi irrationabilem mentis excessum putent, quod octo dierum alloquitur infantem. Verum, si teneamus, intelligemus profecto quod potuit vocem patris natus audire, qui Mariæ salutationem, antequam nasceretur, audivit.

Lectio ix.

SCIEBAT profecto alias esse aures Prophetæ, quæ Spiritu Dei, non corporis ætate, reserantur. Habebat intelligendi sensum, qui exultandi habebat affectum. Simul illud adverte, quam paucis Elisabeth, quam multis Zacharias prophetet; et uterque sancto repletus Spiritu loquebatur, sed disciplina servatur, ut mulier discere magis, quæ divina sunt, studeat, quam docere.

Vesp. a cap. de sequenti.

Die 28. S. Leonis II. P. M.

Semiduplex.

Si hoc Festum venerit in Dominica, transfertur post Octavam Apostolorum, et in Sabbato, in quo fit de Octava S. Joannis, legitur Lectio ix. *de Homilia Vigil. Apost. cum com. ejusdem ad Laudes tantum.*

Oratio.

DEUS, qui beatum Leonem Pontificem Sanctorum tuorum me-

ritis cœquasti, concede propitius, ut qui commemorationis ejus festa percolimus, vitæ quoque imitemur exempla. Per Dominum.

Et fit comm. Oct. S. Joannis.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

LEO Secundus, Pontifex Maximus Siculus, humanis et divinis litteris græce et latine doctus, musicis etiam eruditus fuit: ipse enim sacros hymnos et psalmos in Ecclesia ad concentum meliorem reduxit. Probavit acta sextæ Synodi, quæ Constantinopoli celebrata est, præsidentibus Legatis Apostolicæ Sedis, præsente quoque Constantino Imperatore, et duobus Patriarchis, Constantinopolitano et Antiocheno, ac centum septuaginta Episcopis: quam et in Latinum transtulit.

Lectio v.

IN eo Concilio Cyrus, Sergius, et Pyrrhus condemnati sunt, unam tantummodo voluntatem et operationem in Christo prædicantes. Hic fregit superbiam AntistitumRavennatum qui exarchorum freti potentia, Sedi Apostolicæ non obtemperabant. Quamobrem decrevit, ut electio cleri Ravennatis irrita esset, nisi Romani Pontificis auctoritate comprobaretur.

Lectio vj.

VERE pater pauperum fuit; non enim pecunia solum, sed opera, labore, et consiliis egentium viduarum et pupillorum inopiam ac solitudinem sublevabat. Qui dum singulos, non magis prædicatione, quam vita, ad pie sancteque vivendum adhortaretur, mense sui Pontificatus decimo, et diebus decem et septem, obdormivit in Domino, sepultusque est in Basilica sancti Petri, quarto Kalendas Julii. Ordinatione una mense Junio creavit Presbiteros novem, Diaconos tres, Episcopos diversis in locis viginti tres.

In III. Noct. Homil. Lectio sancti Evangelii, *de Com. 1. loco.*

Pro Vigilia SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio ix. Cap. 21.

IN illo tempore: Dixit Jesus Simoni Petro: Simon Joannis, diligis me plus his? Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 123. in Joannem.

REDDITUR negationi trinæ trina confessio, ne minus amori lingua serviat, quam timori: et plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quam vita præsens. Sit amoris officium pascere Dominicum gregem, si fuit timoris indicium negare pastorem. Qui hoc animo pascunt oves Christi, ut suas velint esse, non Christi, se convincuntur amare, non Christum; vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi, et subveniendi, et Deo placendi charitate.

In Laud. fit comm. Octavæ; deinde Vigiliæ, pro qua Ant. et ℣. de Feria occurrente.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in Apostolicæ confessionis petra solidasti. Per Dominum.

Die 29. SS. Petri et Pauli

App. Dupl. 1. Clas.

Ad I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. Psalm de Dom. loco ult. Laudate Dominum omnes gentes,

HYMNUS

DECORA lux æternitatis, auream
Diem beatis irrigavit ignibus,
Apostolorum quæ coronat principes,
Reisque in astra liberam pandit viam.
Mundi Magister, atque cœli janitor,
Romæ parentes, arbitrique gentium,

Digitized by Google

Per ensis ille, hic per crucis victor necem
Vitæ senatum laureati possident.
O Roma felix, quæ duorum principum
Es consecrata glorioso sanguine:
Horum cruore purpurata cæteras
Excellis orbis una pulchritudines.
Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque jubilatio,
In unitate, quæ gubernat omnia,
Per universa sæculorum sæcula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

De actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. 3.

PETRUS autem et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. Is cum vidisset Petrum et Joannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit: Respice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis.

℣. Simon Petre, antequam de navi vocarem te, novi te, et super plebem meam principem te constitui: * Et claves regni cœlorum tradidi tibi. ℣. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Et.

Lectio ij.

PETRUS autem dixit: Argentum et aurum non est mihi: Quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula. Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum, et protinus consolidatæ sunt bases ejus et plantæ. Et exiliens stetit, et ambulabat, et intravit cum illis in templum ambulans, et exiliens, et laudans Deum. Et vidit omnis populus eum ambulantem, et laudantem Deum. Cognoscebant autem illum, quod ipse erat qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi, et impleti sunt stupore et extasi, in eo quod contigerat illi.

℣. Si diligis me, Simon Petre, pasce oves meas: Domine, tu nosti quia amo te. * Et animam meam pono pro te. ℣. Si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Et.

Lectio iij.

CUM teneret autem Petrum et Joannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum, quæ appellatur Salomonis, stupentes. Videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, et negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. Vos autem sanctum, et justum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis: auctorem vero vitæ interferistis, quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus. Et in fide nominis ejus, hunc, quem vos vidistis et nostis, confirmavit nomen ejus: et fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.

℣. Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam: * Et tibi dabo claves regni cœlorum. ℣. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Et. Gloria. Et

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Leonis Papæ.

Serm. 1. in Nat. SS. Petri et Pauli.

Lectio iv.

OMNIUM quidem sanctarum solemnitatum, dilectissimi, totus

Digitized by Google

mundus est particeps, et unius fidei pietas exigit, ut, quidquid pro salute universorum gestum recolitur, communibus ubique gaudiis celebretur. Verumtamen hodierna festivitas, præter illam reverentiam, quam toto terrarum orbe promeruit, speciali et propria nostræ Urbis exultatione veneranda est, ut, ubi præcipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die martyrii eorum sit lætitiæ principatus. Isti enim sunt viri, per quos tibi Evangelium Christi, Roma, resplenduit, et quæ eras magistra erroris, facta es discipula veritatis.

℟. Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas: * Et extendens manum, apprehendit eum, et dixit Jesus: Modicæ fidei, quare dubitasti? ℣. Cumque vidisset ventum validum venientem, timuit: et cum cœpisset mergi, clamavit, dicens: Domine salvum me fac. Et.

Lectio v.

ISTI sunt patres tui, verique pastores, qui te regnis cœlestibus inserendam multo melius multoque felicius condiderunt, quam illi, quorum studio prima mœnium tuorum fundamenta locata sunt: ex quibus is, qui nomen dedit, fraterna te cæde fœdavit. Isti sunt, qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis et regia, per sacram beati Petri Sedem caput orbis effecta, latius præsideres religione divina, quam dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis, jus imperii tui terræ marique protuleris, minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subjecit.

℟. Surge, Petre, et indue te vestimentis tuis, accipe fortitudinem ad salvandas Gentes, * Quia ceciderunt catenæ de manibus tuis. ℣. Angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo carceris, percussoque latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter. Quia.

Lectio vj.

DISPOSITO namque divinitus operi maxime congruebat, ut multa regna uno confœderarentur imperio, et cito pervios haberet populos prædicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis. Hæc autem civitas ignorans suæ provectionis auctorem, cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus; et magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem. Unde quantum erat per diabolum tenacius illigata, tantum per Christum est mirabilius absoluta.

℟. Tu es pastor ovium, princeps Apostolorum, tibi tradidit Deus omnia regna mundi: * Et ideo tibi traditæ sunt claves regni cœlorum. ℣. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Et. Gloria. Et.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo tempore: Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 4. Comm. in Matth. c. 16.

PULCHRE interrogat: Quem dicunt homines esse Filium hominis? quia qui de filio hominis loquuntur, homines sunt: qui vero divinitatem ejus intelligunt, non homines, sed dii appellantur. At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam. Miror quosdam interpretes causas errorum inquirere singulorum, et disputationem longissimam texere, quare Dominum nostrum Jesum Christum alii Joannem putaverint, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex Prophetis, cum sic potuerint errare in Elia et Jeremia, quo modo Hero-

des erravit in Joanne, dicens: Quem ego decollavi Joannem, ipse surrexit a mortuis, et virtutes operantur in eo.

℟. Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua: * Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. ℣. Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis. Et.

Lectio viij.

VOS autem quem me esse dicitis? Prudens lector, attende quod ex consequentibus textuque sermonis, Apostoli nequaquam homines, sed dii appellantur. Cum enim dixisset, Quem dicunt homines esse Filium hominis? subjecit: Vos autem quem me esse dicitis? illis quia homines sunt, humana opinantibus, vos qui estis dii, quem me esse existimatis? Petrus ex persona omnium Apostolorum profitetur: Tu es Christus Filius Dei vivi. Deum vivum appellat, ad distinctionem eorum deorum, qui putantur dii, sed mortui sunt.

℟. Quem dicunt homines esse Filium hominis, dixit Jesus discipulis suis? Respondens Petrus, dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. * Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. ℣. Beatus es, Simon Barjona quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis. Et. Gloria Et.

Lectio ix.

RESPONDENS autem Jesus dixit ei: Beatus es, Simon Bariona. Testimonio de se Apostoli reddit vicem. Petrus dixerat, Tu es Christus Filius Dei vivi; mercedem recepit vera confessio: Beatus es, Simon Barjona. Quare? Quia non revelavit tibi caro et sanguis, sed revelavit Pater. Quod caro et sanguis revelare non potuit, Spiritus sancti gratia revelatum est. Ergo ex confessione sortitur vocabulum, quod, revelationem ex Spiritu sancto habeat, cujus et filius appellandus sit. Siquidem Barjona in nostra lingua sonat filius columbæ.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Petrus et Joannes * ascendebant in templum ad horam orationis nonam.

2. Argentum et aurum * non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do.

3. Dixit Angelus * ad Petrum: Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me.

4. Misit Dominus * Angelum suum, et liberavit me de manu Herodis, alleluia.

5. Tu es Petrus, * et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Capitulum Act. 12.

MISIT Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. Videns autem quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet et Petrum.

HYMNUS.

BEATE pastor Petre, clemens accipe.
Voces precantum, criminumque vincula.
Verbo resolve, cui potestas tradita.
Aperire terris cœlum, apertum claudere.
Egregie Doctor Paule, mores instrue.
Et nostram tecum pectora in cœlum trahe.
Velata dum meridiem cernat fides,
Et solis instar sola regnet charitas.
Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque jubilatio,
In unitate quæ gubernat omnia,
Per universa æternitatis sæcula. Amen.

℣. Annuntiaverunt opera Dei.
℟. Et facta ejus intellexerunt.

Ad Bened. Ant. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis dicit Dominus Simoni Petro.

Digitized by Google

Oratio.

DEUS, qui hodiernam diem Apostolorum tuorum Petri et Pauli martyrio consecrasti, da Ecclesiæ tuæ eorum in omnibus sequi præceptum, per quos religionis sumpsit exordium. Per Dominum.

Ad Tertiam.

Capit. Misit Herodes.

℟. *br.* In omnem terram. ℣. Constitues eos.

Ad Sextam.

Capitulum. Act. 12.

PETRUS quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.

℟. *br.* Constitues eos. ℣. Nimis honorati sunt.

Ad Nonam.

Capitulum. Act. 12.

ET Petrus ad se reversus, dixit: Nunc scio vere quia misit Dominus Angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni expectatione plebis Judæorum.

℟. *br.* Nimis honorati sunt.

℣. Annuntiaverunt.

In II. Vesperis.

Ubi non est faciendum Officium S. Pauli in propria Ecclesia.

Ant. et Psalmi de Com. Capit. de Laud. Hymnus, ut in I. Vesp.

℣. Annuntiaverunt opera Dei.

℟. Et facta ejus intellexerunt.

Ad Magnif. Ant. Hodie Simon Petrus ascendit crucis patibulum, alleluia: hodie clavicularius regni gaudens migravit, ad Christum: hodie Paulus Apostolus, lumen orbis terræ, inclinato capite, pro Christi nomine martyrio coronatus est, alleluia.

Et nulla fit commemoratio.

Ubi vero fit officium S. Pauli in propria Ecclesia.

Ad Vesperas

Ant. et Capit. de Laud. Psalmi de Dom. loco ult. Laudate Dominum omnes gentes.

Hymnus Egregie Doctor, *ut supra in hymno ad Laudes.*

℣. Tu es vas electionis, sancte Paule Apostole.

℟. Prædicator veritatis in universo mundo.

Ad Magnif. Ant. Sancte Paule Apostole, prædicator veritatis, et doctor Gentium, intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit.

Oratio ut infra in Laudibus.

Deinde fit comm. S. Petri tantum, ut ibi.

Si Comm. S. Pauli venerit in die Octava Corporis Christi, extra propriam Eccl. transfertur in primam diem infra Oct. Dominica vel Festo non impeditam, et totum Offic. fit ut in propria Eccl.

Die 30. In Com. S. Pauli Ap.

Duplex.

Ad Matut. Hymnus Egregie Doctor, *ut supra.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Qui operatus est Petro in Apostolatum, operatus est et mihi inter Gentes; et cognoverunt gratiam, quæ data est mihi a Christo Domino.

2. Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem, justus judex.

3. Mihi vivere Christus est, et mori lucrum: gloriari me oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eorum.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. 13.

ERANT autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ et Doctores, in quibus Barnabas et Simon, qui vocabatur Niger, et Lucius Cyrenensis, et Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, et Saulus. Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum

Digitized by Google

et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidem missi a Spiritu sancto abierunt Seleuciam, et inde navigaverunt Cyprum.

℟. Qui operatus est Petro in Apostolatum, operatus est et mihi inter Gentes; * Et cognoverunt gratiam Dei, quæ data est mihi. Gratia Dei in me vacua non fuit, sed gratia ejus semper in me manet. Et.

Lectio ij.

ET cum venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in Synagogis Judæorum. Habebant autem et Joannem in ministerio. Et cum perambulassent universam insulam usque Paphum, invenerunt quemdam virum magum pseudoprophetam, Judæum, cui nomen erat Barjesu, qui erat cum Proconsule Sergio Paulo viro prudente. Hic, accersitis Barnaba et Saulo, desiderabat audire verbum Dei. Resistebat autem illis Elimas magus (sic enim interpretatur nomen ejus) quærens avertere Proconsulem a fide.

℟. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: * Ideoque reposita est mihi corona justitiæ. ℣. Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem. Ideoque.

Lectio iij.

SAULUS autem, qui et Paulus, repletus Spiritu sancto, intuens in eum, dixit: O plene omni dolo, et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, et eris cæcus, non videns solem usque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo, et tenebræ, et circuiens quærebat cui manum daret. Tunc Proconsul cum vidisset factum, credidit, admirans super doctrina Domini. Et cum a Papho navigassent Paulus et qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ. Joannes autem discedens ab eis, reversus est Jerosolymam.

℟. Reposita est mihi corona justitiæ, * Quam reddet mihi Dominus in illum diem, justus judex. ℣. Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem. Quam. Gloria. Quam.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. Tu es vas electionis, sancte Paule Apostole, prædicator veritatis in universo mundo.

2. Magnus sanctus Paulus vas electionis, vere digne est glorificandus, qui et meruit thronum duodecimum possidere.

3. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.

℣. Constitues eos principes super omnem terram. ℟. Memores erunt nominis tui, Domine.

Ex libro S. Augustini Episcopi de gratia et libero arbitrio.

Lectio iv. Cap. 6.

APOSTOLUS Paulus, quem certe invenimus sine ullis meritis bonis, imo cum multis meritis malis Dei gratiam consecutum reddentis bona pro malis, videamus quid dicat, sua jam propinquante passione, scribens ad Timotheum: Ego enim jam immolor, inquit, et tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. Ista utique jam merita sua bona commemorat, ut post bona merita consequatur coronam, qui post merita mala consecutus est gratiam. Denique attendite quid sequatur: Superest, inquit, mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex. Cui redderet coronam justus Judex, si non donasset gratiam misericors pater? Et quomodo esset ista corona justitiæ, nisi præcessisset gratia, quæ justificat impium? Quomodo ista debita redderetur, nisi prius illa gratuita donaretur?

℟. Tu es vas electionis, Sancte Paule Apostole, prædicator veritatis in universo mundo: * Per quem omnes Gentes cognoverunt gratiam Dei. ℣.

Digitized by Google

Intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit. Per.

Lectio v.

PROINDE consideremus ipsa merita Apostoli Pauli, quibus dixit coronam redditurum judicem justum, et videamus utrum merita ipsius, tamquam ipsius, id est ex ipso ei comparata, an dona sint Dei. Bonum, inquit, certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. Primo ista bona opera, si non ea præcessissent cogitationes bonæ, nulla essent. Attendite itaque quid de ipsis cogitationibus dicat. Ait enim scribens ad Corinthios: Non quia idonei sumus cogitare aliquid a nobis, tamquam a nobismetipsis; sed sufficientia nostra ex Deo est. Deinde singula inspiciamus.

℟. Gratia Dei sum id quod sum: * Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed semper in me manet. ℣. Qui operatus est Petro in Apostolatum, operatus est et mihi inter Gentes. Et.

Lectio vj.

BONUM, inquit, certamen certavi. Quæro qua virtute certaverit: utrum quæ illi ex semetipso fuerit, an quæ desuper data sit? Sed absit, ut tantus doctor ignoraverit legem Dei, cujus vox est in Deuteronomio: Ne dicas in corde tuo; Fortitudo mea, et potentia manus meæ fecit mihi virtutem magnam hanc; sed memoraberis Domini Dei tui, quia ipse tibi dat fortitudinem facere virtutem. Quid autem prodest bonum certamen, nisi sequatur victoria? Et quis dat victoriam, nisi ille, de quo dicit ipse: Gratias Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum?

℟. Saulus, qui et Paulus, magnus prædicator, * A Deo confortatus convalescebat, et confundebat Judæos. ℣. Ostendens quia hic est Christus Filius Dei. A Deo. Gloria. A Deo.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. Saulus, qui et Paulus, magnus prædicator, a Deo confortatus convalescebat, et confundebat Judæos.

2. Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut auferretur a me; et dixit mihi Dominus: Sufficit tibi, Paule, gratia mea.

3. Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex.

℣. Nimis honorati sunt amici tui, Deus. ℟. Nimis confortatus est principatus eorum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homilia 34. *in Matth.*

SIC dicere videtur: Nolite turbari, si cum vos inter lupos mitto, tamquam oves et columbas esse jubeo. Nam etsi possum contrarium quoque præstare, et non permittere ut grave aliquid patiamini, nec lupis tamquam oves subjecti sitis, sed efficere ut leonibus terribiliores evadatis: tamen sic expedit fieri: hoc et vos quoque illustriores faciet, et meam declarabit virtutem. Sic enim postea dixit Paulo: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus mea in infirmitate perficitur. Ipse igitur vos, ut tales essetis, feci.

℟. Sancte Paule Apostole, prædicator veritatis, et Doctor Gentium, * Intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit, ut digni efficiamur gratia Dei. ℣. Tu es vas electionis, sancte Paule Apostole, prædicator veritatis. Intercede.

Lectio viij.

SED inspiciamus quam prudentiam exigit: serpentis certe. Nam quemadmodum serpens totum

Digitized by Google

seipsum tradit, nec minimum curat, si ipsum quoque corpus incidi necesse sit, dummodo caput suum integrum servet: eodem tu quoque modo, præter fidem cætera perdere non cures, sive pecunias, sive corpus, sive etiam vitam ipsam profundere necesse sit. Fides enim caput est et radix, qua servata, etiam si omnia perdas, omnia tamen rursus majore cum gloria recuperabis. Idcirco nec simplices solum jussit esse, nec prudentes solum, sed ambo hæc in unum miscuit, ut ea in virtutem convertantur.

℟. Damasci, præpositus gentis Aretæ regis voluit me comprehendere: * Et a fratribus per murum demissus sum in sporta, * Et sic evasi manus ejus in nomine Domini ℣. Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi scit quia non mentior. Et. Gloria. Et sic.

Lectio IX.

QUOD si rebus ipsis id ita fieri videre desideras, lege Actuum Apostolorum librum: perspicies profecto, cum sæpe Judæorum populus in Apostolos insurrexerit, ac dentes exacuerit, illos, columbæ simplicitatem imitando, et cum decenti modestia respondendo, iram ipsorum superasse, furorem extinxisse, impetum retardasse. Nam cum illi dicerent: Nonne præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto? quamvis innumera possent edere miracula, nihil tamen asperum neque dixerunt, neque fecerunt; sed summa cum mansuetudine respondentes, dicebant: Si justum est vos audire magis quam Deum, judicate. Perspexisti simplicitatem columbæ, vide nunc serpentis prudentiam. Non enim possumus, inquiunt, nos quæ vidimus et audivimus, non loqui.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Ego plantavi, * Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit, alleluja.

2. Libenter gloriabor * in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.

3. Gratia Dei * in me vacua non fuit, sed gratia ejus semper in me manet.

4. Damasci, præpositus gentis Aretæ regis voluit me comprehendere: a fratribus per murum demissus sum in sporta, et sic evasi manus ejus in nomine Domini.

5. Ter virgis cæsus sum, * semel lapidatus sum, ter naufragium pertuli pro Christi nomine.

Capitulum. 2. Tim. 4.

BONUM certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex.

Hymn. Exultet orbis, *de Com.* ℣. Tu es vas electionis, sancte Paule Apostole. ℟. Prædicator veritatis in universo mundo.

Ad Bened. Ant. Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israel, dicit Dominus.

Oratio.

DEUS, qui multitudinem Gentium beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti, da nobis, quæsumus, ut cujus natalitia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum.

Et fit cammemor. S. Petri.

Ant. Tu es pastor ovium, princeps Apostolorum, tibi traditæ sunt claves regni cœlorum.

℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Oratio.

DEUS, qui beato Petro Apostolo tuo, collatis clavibus regni cœlestis, ligandi atque solvendi pontificium tradidisti, concede, ut intercessionis ejus auxilio, a peccatorum nostrorum nexibus liberemur.

Deinde Octavæ S. Joannis.

Digitized by Google

Ad Tertiam.

Capit. Bonum certamen.

℟. *br.* In omnem terram ℣. Constitues eos.

Ad Sextam.

Capitulum. 2. Cor. 12.

NE magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me; et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea.

℟. *br.* Constitues eos. ℣. Nimis honorati sunt.

Ad Nonam.

Capitulum. 1. Cor. 15.

EGO enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit.

℟. *br.* Nimis honorati sunt.

℣. Annuntiaverunt.

In II Vesperis.

Ant. et Psalmi ut in II. Vesp. Apostolorum.

A capit. fit de Octava S. Joannis, ut in I. Vesp. Festi.

Et fit comm. SS. Apost. Petri et Pauli, ut infr.

Sed in Eccl. propria S. Pauli. Vesperæ integræ dicuntur de eo.

Ant. et Psalmi ut in II. Vesp. Apostolorum.

Capit. et reliqua ut in I. Vesp.

Et fit comm. S. Petri, ut supra in Laudibus.

Deinde Octavæ S. Joannis, ut in I. Vesp. Festi, p. 749.

FESTA JULII.

Prima die non impedita dicitur Officium Sanctorum.

Die 1. Oct. S. Joan. Bapt.

Duplex.

Omnia ut in die Festi præter Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Maximi Episcopi.

Hom. 3. in Nat. S. Joannis Bapt.

Lectio iv.

FESTIVITATEM præsentis diei, fratres charissimi, venerandi Joannis Baptistæ genuina nativitas consecravit: qui idcirco in hoc sæculum superna dispensatione directus est, ut non solum ipse prophetali sublimaretur gloria, sed ut et omnium etiam per eum prophetarum præconia firmarentur. Nec immerito illum præcipuo honore nunc veneramur, qui speciali quadam gratia, ob hoc Redemptorem mundi novissimus prophetavit, ut ostenderet eum primus. Hic enim solus est Prophetarum, qui Dominum nostrum Jesum Christum, quem alii in longa tempora futurum præscierunt, propriis oculis videre meruit, et annuntiare præsentem.

Lectio v.

HIC est ille quem, inspirante Deo, præscius annuntiat Isaias, dicens: Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini. Quam congrue, fratres charissimi, beatus Joannes prædicatus est vox, qui cœlestis Verbi et præco mittebatur et testis! Hic est ille, cujus per Angelum Gabrielem prænuntiatur nativitas, et nomen, et meritum. Hic est, qui judicio cœlestis sententiæ cunctis mortalibus antefertur, dicente Domino: Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. Quam pulchre dictum est, inter natos mulierum non esse majorem, quia ille omnimodis major erat Joanne, qui de virgine nascebatur!

Lectio vj.

QUIBUS perspectis, advertite, dilectissimi, quantam huic reverentiam, quantum devotionis debeamus impendere, qui ut honorabilis sit, a sancto est Spiritu prophetatus, promissus ab Angelo, laudatus a Domino, et perpetua sanctæ mortis gloria consecratus. Decebat namque ut mysticam nativitatem ejus mirabilis

Digitized by Google

vita sequeretur, et sanctam perfectamque vitam mors Deo devota concluderet. Propter quod, fratres, rectissime toto hodie orbe Christi Ecclesia primordia nativitatis ejus lætissima festivitate concelebrat, qui æterna mortalibus adesse gaudia, stupenti mundo testis fidelissimus revelavit.

In Laud. fit comm. SS. Apost. Petri et Pauli, ut infra p. 770.

Vesperæ de sequenti.

Die 2. In Visitatione

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Duplex Majus.

Ad I. Vesperas.

Ant. de Laud. Psalmi et reliqua hic non propria ut in festis B. M. V. p. 92*.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Magnif. Ant. Beata es, Maria, quæ credidisti: perficientur in te quæ dicta sunt tibi a Domino, alleluja.

Oratio ut infra in Laudibus.

Et fit comm. Oct. S. Joannis.

Deinde SS. Apost. Petri et Pauli. ut infra, p. 770.

Postremo SS. Mart. Processi et Martiniani.

Oratio.

DEUS, qui nos sanctorum Martyrum tuorum Processi et Martiniani gloriosis confessionibus circumdas et protegis, da nobis et eorum imitatione proficere, et intercessione gaudere. Per Dominum.

Ad Matutinum.

Invit. Visitationem virginis Mariæ celebremus, * Christum ejus filium adoremus Dominum.

IN I. NOCTURNO.

De Canticis Canticorum.

Lectio j. Cap. 2.

EGO flos campi, et lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.

℟. Surge, propera, amica mea, formosa mea, et veni: jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit: * Vox turturis audita est in terra nostra. ℣. Intravit Maria in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Vox.

Lectio ij.

VOX dilecti mei; ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advènit, vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum.

℟. Quæ est ista, quæ processit sicut sol, et formosa tanquam Jerusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, et beatam dixerunt, et reginæ laudaverunt eam. ℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt.

Lectio iij.

SURGE, amica mea, speciosa mea, et veni: columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora. Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit. Dilectus meus mihi, et

Digitized by Google

ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies et inclinentur umbræ. Revertere; similis esto, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum super montes Bether.

℟. Repleta est Spiritu sancto Elisabeth, et exclamavit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. * Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? ℣. Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Et. Gloria. Et.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Apud Metaph. Mense Julio.

Lectio iv.

CUM ad nos advenisset Redemptor nostri generis, venit protinus ad suum amicum Joannem, dum adhuc esset in ventre matris. Quem cum ex utero in utero aspexisset Joannes, terminos naturæ concutiens, exclamat: Video Dominum, qui naturæ imposuit terminos, et non expecto tempus nascendi; novem mensium tempus mihi non est hic necessarium: in me est enim, qui est æternus; egrediar ex hoc tenebroso tabernaculo, rerum admirabilium compendiosam prædicabo cognitionem. Sum signum: significabo Christi adventum. Sum tuba: proferam Filii Dei in carne dispensationem. Tuba canam, eo ipso paternæ linguæ benedicam, et eam traham, ut loquatur. Tuba canam, et uterum maternum vivificabo.

℟. Ecce iste veniet saliens in montibus, transiliens colles. * Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum. ℣. Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus. Similis.

Lectio v.

VIDES, o dilecte, quam sit novum et admirabile mysterium. Nondum nascitur, et saltibus loquitur; nondum apparet, et minas intendat; nondum ei permittitur clamare, et per facta auditur; nondum ducit vitam et Deum prædicat nondum aspicit lucem, et solem indicat: nondum paritur, et properat præcurrere: non fert enim præsente Domino, contineri, non sustinet naturæ expectare terminos, sed contendit rumpere carcerem ventris, et studet præsignificare venientem Salvatorem. Accessit, inquit, qui solvit vincula: et quid ego sedeo vinctus, et retineor ut maneam? venit Verbum, ut omnia constituat, et ego adhuc maneo detentus? Exibo præcurram, et prædicabo omnibus: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

℟. Congratulamini mihi, omnes qui diligitis Dominum: quia, cum essem parvula, placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum et hominem. ℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et.

Lectio vj.

SED dic nobis, Joannes, cum adhuc in tenebroso matris utero continearis, quomodo intueris et audis? quomodo res divinas contemplaris? quomodo exilis et exultas? Magnum est, inquit, quod peragitur mysterium, et actus ab humana remotus comprehensione. Merito innovo naturam propter eum, qui est innovaturus ea quæ sunt supra naturam. Video etsi adhuc in utero sim, quoniam in utero gestari video solem justitiæ. Auribus percipio, quoniam nascor vox magni Verbi. Exclamo, quoniam Filium Patris unigenitum considero carne indutum. Exulto, quoniam universi Effectorem video formam hominis suscipere. Exilio, quoniam mundi Redemptorem cogito incorporatum. Præcurro adventum ejus, et quodammodo vobis præeo confessione.

℟. Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi a Domino. Et ait Maria: * Magnificat anima mea Dominum. ℣. Venite et audite, et narrabo quanta fecit

Digitized by Google

Deus animæ meæ. Magnificat. Gloria. Magnificat.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 1. d.

IN illo tempore: Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda. Et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 2. *Comm. in Luc. cap.* 1.

CONTUENDUM est, quia superior venit ad inferiorem, ut inferior adjuvetur Maria ad Elisabeth, Christus ad Joannem. Denique etiam postea, ut sanctificaret baptismum Joannis, Dominus venit ad baptismum. Cito quoque adventus Mariæ, et præsentiæ divinæ beneficia declarantur. Vide distinctionem, singulorumque verborum proprietatem. Vocem prior Elisabeth audivit, sed Joannes prior gratiam sensit. Illa naturæ ordine audivit, iste exultavit ratione mysterii. Illa Mariæ, iste Domini sensit advcntum. Istæ gratiam loquuntur, illi intus operantur, pietatisque mysterium maternis adoriuntur profectibus, duplicique miraculo prophetant matres spiritu parvulorum. Exultavit infans, repleta est mater. Non prius mater repleta, quam filius sed cum filius esset repletus Spiritu sancto, replevit et matrem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericordia ejus a progenie in progenie timentibus eum. Quia.

Lectio viij.

ET unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Hoc est, quo tantum bonum mihi accidit, ut Mater Domini mei veniat ad me? Miraculum sentio, agnosco mysterium. Mater Domini verbo fœta, Deo plena est. Mansit autem Maria cum illa mensibus tribus, et reversa est in domum suam. Bene inducitur sancta Maria et exhibuisse officium, et mysticum numerum custodisse.* NON enim sola familiaritatis est causa quod diu mansit, sed etiam tanti Vatis profectus. Nam si primo ingressu tantus profectus extitit, ut ad salutationem Mariæ exultaret infans in utero, repleretur Spiritu sancto mater infantis: quantum putamus usu tanti temporis sanctæ Mariæ addidisse præsentiam? Ungebatur itaque, et quasi bonus athleta exercebatur in utero matris propheta: amplissimo enim virtus ejus certamini parabatur.

℣. Felix namque es, sacra virgo Maria, et omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est sol justitiæ, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam Visitationem. Quia. Gloria. Christus.

Pro SS. Martyribus.

Lectio ix.

QUO tempore Petrus et Paulus tenebantur sub custodia Mamertini in monte Tarpejo, duo custodes Processus et Martinianus cum aliis quadraginta, Apostolorum prædicatione miraculisque commoti, se ad Jesu Christi fidem converterunt: et cum repente fons e saxo ortus esset, baptizati sunt. Qui permiserunt Apostolis, ut si vellent, abirent. Sed Paulinus militum præfectus, re cognita, Processum et Martinianum a suscepto consilio revocare conatur. Qui cum frustra tempus contereret, ipsorum ora saxa contundi, dentesque comminui jubet. Mox ad Jovis statuam adductos, cum eadem constantia veneraturos se idola negarent, imperat equuleo torqueri, candentibus laminis ad eorum corpus admotis, accædi fustibus. Quibus in cruciatibus una hæc illorum vox audiebatur: Sit nomen Domini benedictum. Denique

itized by Google

conjecti in carcerem, paulo post extra Urbem via Aurelia securi feriuntur. Quorum corpora Lucina in prædio suo sepelivit, sexto Nonas Julii: quæ postea in Urbem translata, in Basilica Principis Apostolorum condita sunt.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Exurgens Maria * abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda.

2. Intravit Maria * in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth.

3. Ut audivit * salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu sancto, alleluja.

℣. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.

5. Ex quo * facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in utero meo, alleluia.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Bened. Ant. Cum audisset salutationem Mariæ Elisabeth, exclamavit voce magna, et dixit: unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? alleluja.

Oratio.

FAMULIS tuis, quæsumus Domine, cœlestis gratiæ munus impertire, ut quibus beatæ Virginis partus extitit salutis exordium, Visitationis ejus votiva solemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum.

Et fit comm. SS. Apost. ut sequit.

Deinde SS. Mart. Processi et Martiniani.

Ad II. Vesperis.

Omnia dicuntur ut in I. præter

Ad Magnific. Ant. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus, allel.

Deinde fit comm. SS. Apost. ut sequitur.

Infra Octav. SS. Apost. Petri et Pauli omnia dicuntur de Com. præter Lect. et

Ad Bened. Ant. Gloriosi principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum.

℟. Et in fines orbis terræ verba eorum.

Ad Magnific. Ant. Petrus Apostolus, et Paulus Doctor Gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam Domine.

℣. Constitues eos principes super omnem terram.

℟. Memores erunt nominis tui Domine.

Oratio.

DEUS, qui hodiernam diem Apostolorum tuorum Petri et Pauli martyrio consecrasti, da Ecclesiæ tuæ eorum in omnibus sequi præceptum, per quos religionis sumpsit exordium. Per Dominum.

Die 3. Quinta

INFRA OCTAV. SS. PETRI ET PAULI.

Lect. I. Noct. de Scrip. occurr.

IN II. NOCTURNO

De Sermone S. Leonis Papæ.

Ex Serm. I. in Natali SS. Apost. Petri et Pauli in fine.

Lectio IV.

PRETIOSA est in conspectu Domini mors sanctorum ejus, nec ullo crudelitatis genere destrui potest sacramento crucis Christi fundata religio. Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur; et semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. Unde duo ista præclara divini seminis germina in quantam sobolem germinarint, beatorum millia martyrum protestantur, qui Apostolicorum æmuli triumphorum, Urbem nostram purpuratis, et longe lateque rutilantibus populis ambierunt, et quasi ex

Digitized by Google

multarum honore gemmarum conserto uno diademate coronarunt.

Lectio v.

DE quorum præsidio, dilectissimi divinitus nobis ad exemplum patientiæ, et confirmatione fidei præparato, universaliter quidem in omnium Sanctorum commemoratione lætandum est : sed in horum excellentia Patrum merito est excellentius gloriandum, quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesiæ membra provexit, ut eos in corpore, cui caput est Christus, quasi geminum constitueret lumen oculorum. De quorum meritis atque virtutibus, quæ omnem loquendi superant facultatem, nihil diversum, nihil debemus sentire discretum : quia illos et electio pares, et labor similes, et finis fecit æquales.

Lectio vj.

SICUT autem et nos experti sumus, et nostri probavere majores, credimus atque confidimus inter omnes labores istius vitæ ad obtinendam misericordiam Dei semper nos specialium patronorum orationibus adjuvandos, ut, quantum propriis peccatis deprimimur, tantum Apostolicis meritis erigamur : per Dominum nostrum Jesum Christum, cui est cum Patre et sancto Spiritu eadem potestas, una divinitas in sæcula sæculorum. Amen.

In III. Noct. Homilia Perfectus ille est *de Com.* 2 *loco* p. 11'.

Die 4. Sexta.

INFRA OCTAV. SS. PETRI ET PAULI.

Lect. I. Noct. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

De Expositione S. Joannis Chrysostomi in Epistolam ad Romanos.

Serm. 32 *in moral. exhort.*

Lectio iv.

CUM Paulus Apostolus gratiam Domini nostri Jesu Christi matrem omnium bonorum nobis precetur, reliquum est, ut nos tali patrocinio dignos exhibeamus, ut non hic solum vocem Pauli audiamus, sed et postquam illuc migraverimus, athletam Christi videre mereamur. Imo si hic audiverimus, et illic ipsum omnino videbimus; licet non e propinquo stantes, videbimus tamen prope regalem thronum splendentem ubi Cherubim Deum glorificant, ubi Seraphim volant, illuc Paulum videbimus cum Petro Sanctorum chori principem ac ducem, et ejus germana charitate fruemur.

Lectio v.

SI enim, cum hic esset, usque adeo diligebat homines, ut, cum dissolvi et cum Christo esse cuperet, elegerit tamen hic esse; multo magis illic ferventiorem charitatem ostendet. Ego et Romam propterea diligo, tametsi aliunde illam laudare queam, nempe, a magnitudine, ab antiquitate, a pulchritudine, a multitudine, ab imperio, a divitiis, et a rebus in bello fortiter gestis. Sed his omnibus omissis, ob id illam beatam prædico, quod erga illos Paulus, dum viveret, adeo fuit benevolus, adeo illos amavit, et coram disseruit, et postremo vitam apud eos finivit. Cujus sanctum corpus ipsi possident, et propterea civitas illa hinc facta est insignis magis quam ab aliis rebus omnibus; et tamquam corpus magnum ac validum duos habet oculos fulgentes, sanctorum videlicet horum corpora.

Lectio vj.

NON ita cælum splendescit, quando radios sol demittit, quemadmodum Romanorum Urbs duos istos fulgores ubique terrarum emittens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Considerate, et horrete quale spectaculum visura sit Roma : Paulum videlicet repente ex theca illa cum Petro resurgentem, in occursum Domini sursum ferri. Qualem rosam Christo mittet Roma, qualibus coronis duabus ornatur Urbs ista? qualibus catenis aureis cincta est? quales habet

Digitized by Google

fontes? Propterea admiror hanc Urbem, non propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam quamcumque rerum speciem, sed propter columnas illas Ecclesiæ. Quis mihi nunc dabit circumvolvi corpori Pauli, affigi sepulchro, videre pulverem corporis illius, quæ adhuc in Christo deerant adimplentis, stigmata illius gestantis, prædicationem Evangelii ubique seminantis?

In III. Noct. Homil. Duo sunt ordines, *pro Abb: 5. loco, p.* 61*.

Die 5. Septima.

INFRA OCT. SS. PETRI ET PAULI.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Maximi Episcopi.

Homil. 5. de SS. Petro et Paulo

Lectio iv.

NON sine causa factum putemus, fratres charissimi, quod gloriosissimi Christianæ fidei principes Petrus et Paulus, una die, uno in loco, unius tyranni toleravere sententiam. Una die passi sunt, ut ad Christum pariter pervenirent; uno in loco, ne alteri Roma deesset; sub uno persecutore, ut æqualis crudelitas utrumque constringeret. Dies ergo, puto, pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro virtute. Et in quo tandem loco martyrium pertulerunt? In urbe Roma, quæ principatum et caput obtinet nationum, scilicet ut ubi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis; et ubi Gentilium principes habitabant, illic Ecclesiarum principes morerentur.

Lectio v.

CUJUS autem meriti sint beatissimi Petrus et Paulus hinc possumus intelligere, quod, cum Dominus Orientis regionem propria illustraverit passione, Occidentis plagam, ne quid minus esset, vice sui Apostolorum sanguine illuminare dignatus est. Et licet illius passio nobis sufficiat ad salutem, tamen etiam horum martyrium nobis contulit ad exemplum. Hodierna igitur die beati Apostoli sanguinem profuderunt. Sed videamus causam, quare ista perpessi sunt: scilicet, quod inter cætera mirabilia etiam magum illum Simonem orationibus suis de aeris vacuo præcipiti ruina prostraverunt.

Lectio vj.

CUM enim idem Simon se Christum diceret, et tanquam Filium ad Patrem assereret volando se posse conscendere, atque elatus subito magicis artibus volare cœpisset, tunc Petrus fixis genibus precatus est Dominum, et precatione sancta vicit magicam levitatem. Prior enim ascendit ad Dominum oratio, quam volatus, et ante pervenit justa petitio, quam iniqua præsumptio; ante Petrus in terris positus obtinuit quod petebat, quam Simon perveniret in cælestibus, quo tendebat. Tunc igitur Petrus velut vinctum illum de sublimi aere deposuit, et quodam præcipitio in saxo elidens: ejus crura confregit: et hoc in opprobrio facti illius, ut qui paulo ante volare tentaverat subito ambulare non posset; et qui pennas assumpserat, plantas amitteret.

In III. Noct. Homil. Grandis fiducia *de com.* 1. *loco.*

Die 6. Octava.

SANCTORUM PETRI ET PAULI

Duplex.

In I. Vesp. omnia de communi.

℣. Constitues eos principes super omnem terram. ℟. Memores erunt nominis tui, Domine.

Ad Magnif. Ant: Petrus Apostolus, et Paulus doctor Gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam Domine.

Oratio.

DEUS, cujus dextera beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit; et Coapostolum ejus Paulum tertio naufragantem,

Digitized by Google

de profundo pelagi liberavit, exaudi nos propitius, et concede, ut amborum meritis, æternitatis gloriam consequamur. Qui vivis.

Lect. I. Noct. de script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Apud Metaphrasten.

Lectio iv.

QUASNAM vobis, o beati Apostoli, referemus gratias, qui tantum pro nobis laborastis? Memini tui, Petre, et obstupesco: recordor tui, Paule, et excedens mente, opprimor lacrymis. Quid enim dicam, aut quid loquar, vestras contemplans afflictiones, nescio. Quot carceres sanctificastis? quot catenas decorastis? quot tormenta sustinuistis? quot maledicta tolerastis? quomodo Christum portastis? quomodo prædicatione Ecclesias lætificastis? Sunt benedicta vestræ linguæ instrumenta: sanguine conspersa sunt membra vestra propter Ecclesiam. Vos Christum imitati estis in omnibus. In omnem terram exiit vester sonus, et verba vestra in fines orbis terræ.

Lectio v.

GAUDEAS, Petre, cui datum est ut ligno crucis Christi fruereris. Et ad Magistri quidem similitudinem volnisti crucifigi, non recta quidem figura, ut Christus Dominus, sed capite in terram verso, tanquam qui a terra in cœlum iter faceres. Beati clavi, qui sancta illa membra penetrarunt! Tu cum omni fiducia in manus Domini animam tradidisti, qui assidue ei et ejus sponsæ Ecclesiæ servisti, qui fervenli spiritu Dominum dilexisti omnium apostolorum fidelissimus.

Lectio vj.

GAUDEAS et tu, beate Paule, cui caput fuit gladio amputatum, cujus virtutes nullis verbis explicari possunt. Quisnam gladius sanctum guttur tuum pervasit, Dominicum, inquam, instrumentum, quod a cœlo habetur in admiratione; et quod terra reveretur? Quisnam locus tuum sanguinem excepit, lactis specie in ejus, qui te percussit, tunica apparentem? qui animam illius barbari supra modum dulciorem reddens, fidelem effecit cum sociis. Sit mihi gladius ille pro corona, et clavi Petri pro gemmis infixis in diademate.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 14.

IN illo tempore: Compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 2. Comment. in c. 14. Matth.

DISCIPULIS Dominus præcepit transfretare, et compulit ut ascenderent naviculam. Quo sermone ostenditur, invitos eos a Domino recessisse, dum amore præceptoris, ne punctum quidem temporis ab eo volunt separari. Et, dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Si fuissent cum eo discipuli Petrus et Jacobus et Joannes, qui viderant gloriam transformati, forsitan ascendissent in montem cum eo: sed turba ad sublimia sequi non potest, nisi docuerit eam juxta mare in littore, et aluerit in deserto.

Lectio viij.

QUOD autem ascendit solus orare, non ad eum referas, qui de quinque panibus quinque millia satiavit hominum, exceptis parvulis et mulieribus; sed ad eum, qui, audita morte Joannis, secessit in solitudinem; non quod personam Domini separemus, sed quod opera ejus inter Deum hominemque divisa sint. Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus. Recte quasi inviti et retractantes Apostoli a Domino recesserant, ne illo absente naufragia sustinerent.

Digitized by Google

Lectio ix.

DENIQUE Domino in montis cacumine commorante, statim ventus contrarius oritur, et turbat mare, et periclitantur Apostoli; et tamdiu imminens naufragium perseverat, quamdiu Jesus veniat. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans supra mare. Stationes et vigiliæ militares in terna horarum spatia dividuntur. Quando ergo dicit, quarta vigilia noctis venisse ad eos Dominum, ostendit tota nocte periclitatos, et extremo noctis, atque in consummatione mundi, eis auxilium præbiturum.

Ad Laudes

℟. In omnem terram exivit sonus eorum· ℣. Et in fines orbis terræ verba eorum.

Ad Bened. Ant. Gloriosi principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati.

In II. Vesp. omnia de Com. præter ℣. et Ant. ad Magnif. *quæ dicuntur ut in I. Vesperis.*

Die S. S. Elisabeth
Reginæ Portug. Viduæ *Semidupl.*

In I. Vesp. Ant. de Laudibus.

HYMNUS

DOMARE cordis impetus Elisabeth
Fortis inopsque, Deo
Servire regno prætulit.

En fulgidis recepta cœli sedibus,
Sidereæque domus
Ditata sanctis gaudiis.

Nunc regnat inter Cœlites beatior,
Et premit astra, docens
Quæ vera sint regni bona.

Patri potestas, Filioque gloria,
Perpetuumque decus
Tibi sit, alme Spiritus. Amen.

℣. Ora pro nobis, beata Elisabeth. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnif. Ant. Et nunc, reges, intelligite; erudimini, qui judicatis terram.

Oratio ut infra in Laudibus.

Ad Matut. Invit. Laudemus Deum nostrum, * In sanctis operibus beatæ Elisabeth.

Hymn. Domare cordis, *ut sup.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Elevata est magnificentia Elisabeth super cœlos.

2. Veni, electa mea, ponam in te thronum meum, quia concupivit Rex speciem tuam.

3. Accepit benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.

℣. Multæ filiæ congregaverunt divitias ℟. Tu supergressa es universas.

Lect. I. Noct. Mulierem fortem.

℟. *j.* Regali exorta progenie triumphat in cœlis Elisabeth triplici circumdata varietate meritorum:* Nam in terra in triplici vitæ gradu posteris imitanda virtutum reliquit exempla. ℣. Virginalem statum, conjugalem, et vidualem inoffenso pede cucurrit. Nam.

℟. *ij.* Os suum aperuit sapientiæ, * Et lex clementiæ in lingua ejus. ℣. Quoniam prævenisti eam in benedictionibus dulcedinis. Et.

℟. *iij.* Desiderium animæ ejus tribuisti ei, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eam. ℣. Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eam, Domine. Et. Gloria. Et.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam deducet te mirabiliter dextera tua.

2. Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni.

3. Justitia et misericordia plena est dextera tua.

℣. Virga tua et baculus tuus.

℟. Ipsa me consolata sunt.

Lectio iv.

ELISABETH Aragoniæ regibus ortam Christi anno millesimo ducentesimo septuagesimo primo, in præsagium futuræ sanctimoniæ parentes,

Digitized by Google

præter morem, relicto matris aviæque nomine, a magna ejus matertera, Turingiæ domina, sancta Elisabeth, in baptismo nominatam voluere. Ubi nata est, statim patuit, quam felix regum regnorumque esset futura pacatrix; natalitia enim ejus lætitia perniciosas avi patrisque dissensiones in concordiam convertit. Pater vero crescentis postea filiæ admiratus indolem, affirmabat fore, ut una Elisabeth reliquas Aragoniorum regum sanguine creatas feminas virtute longe superaret. Sic cœlestem ipsius vitam in contemnendo corporis ornatu, in fugiendis voluptatibus, in jejuniis frequentandis, in divinis præcibus assidue recitandis, in charitatis operibus exercendis, veneratus, rerum suarum regnique felicitatem unius filiæ meritis referebat acceptam. Tandem ubique nota, et a multis principibus exoptata, Dionysio Lusitaniæ regi Christianis cæremoniis rite est in matrimonium collocata.

℣. Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui: * Et concupiscet Rex decorem tuum. ℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Et.

Lectio v.

JUNCTA conjugio, non minorem excolendis virtutibus, quam liberis educandis operam dabat, viro placere studens, sed magis Deo. Mediam fere anni partem solo pane tolerabat et aqua, quæ in quodam ipsius morbo divinitus versa est in vinum, cum id a medicis præscriptum bibere recusasset. Pauperis feminæ ulcus horrendum exosculata, derepente sanavit. Pecunias pauperibus distribuendas, ut regem laterent, hiberno tempore in rosas convertit. Virginem cæcam a nativitate illuminavit; multos alios solo crucis signo a gravissimis morbis liberavit: plurima id genus miracula patravit. Monasteria, collegia, et templa non modo extruxit, sed etiam magnifice dotavit. In regum discordiis componendis admirabilis fuit, in privatis publicisque mortalium sublevandis calamitatibus indefessa.

℟. Manum suam misit ad fortia: * Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem. ℣. Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. Manum.

Lectio vj.

DEFUNCTO rege Dionysio sicut virginibus in prima ætate, in matrimonio conjugibus, ita viduis in solitudine fuit omnium virtutum exemplar. Illico enim religiosis sanctæ Claræ vestibus induta, regio funeri constanter interfuit, ac paulo post Compostellam proficiscens, multa ex holoserico, argento, auro, gemmisque donaria pro regis anima obtulit. Inde reversa domum, quidquid sibi charum aut pretiosum supererat, in sacros ac pios usus convertit: absolvendoque suo vere regio Conimbricensi virginum cœnobio, et alendis pauperibus, et protegendis viduis, defendendis pupillis, miseris omnibus juvandis intenta, non sibi, sed Deo, et mortalium omnium commodis vivebat. Reges duos, filium et generum pacificatura, Stremotium nobile oppidum veniens, morbo ex itinere contracto, ibidem a Virgine Dei-para visitata, sanctissime obiit, anno millesimo trecentesimo trigesimo sexto, die quarta Julii. Post mortem multis miraculis claruit præsertim suavissimo corporis jam per annos fere trecentos incorrupti odore, semper etiam reginæ sanctæ cognomento celebris. Tandem anno jubilæi, et nostræ salutis millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, totius Christiani orbis concursu et applausu, ab Urbano Octavo rite inter Sanctos adscripta est.

℟. Regnum mundi, et omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini mei Jesu Christi: * Quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi. ℣. Eructavit cor meum

verbum bonum ; dico ego opera mea Regi. Quem. Gloria. Quem.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. Confessio et pulchritudo in conspectu ejus , sanctitas et magnificentia in sanctificatione ejus.

2. Annuntiaverunt cœli justitiam ejus , et viderunt omnes populi gloriam ejus.

3. Judicavit in justitia , et populos in æquitate.

℣. Ignis ante ipsam præcedet.

℟. Et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Hom. Cœlorum regnum, *de Com.*

℟. *vij.* Os suum aperuit sapientiæ , et lex clementiæ in lingua ejus : consideravit semitas domus suæ , * Et loquebatur de testimoniis Domini. ℣. Gustavit , et vidit quia bona est negotiatio ejus , non extinguetur in nocte lucerna ejus. Et.

℟. *viij.* Invocavi , et venit in me spiritus sapientiæ , et præposui illam regnis et sedibus : * Et divitias nihil esse duxi in comparatione illius. ℣. Melior est enim sapientia cunctis opibus pretiosissimis. Et. Gloria. Et.

Ad Laudes.

et per Horas , Antiphonæ.

1. Dum esset Rex * in accubitu suo , nardus mea dedit odorem suavitatis.

2. Et concupiscet Rex * decorem tuum , quia ipse est Dominus Deus tuus.

3. Potens in opere * et sermone , lenivit iracundiam Domini , et conciliavit cor patris ad filium.

4. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ , et quasi flos rosarum in diebus vernis.

5. Quasi stella matutina * in medio nebulæ , et quasi luna plena in diebus suis.

HYMNUS.

OPES , decusque regium reliquerat ,
Elisabeth , Dei dicata numini :
Recepta nunc beatis inter Angelos ;
Libens ab hostium tuere nos dolis.

Præi , viamque dux salutis indica ,
Sequemur. O sit una mens fidelium ,
Odor bonus sit omnis actio , tuis
Id innuit rosis operta charitas.

Beata charitas in arce siderum
Potens locare nos per omne sæculum ;
Patrique , Filioque summa gloria ,
Tibique laus perennis , alme Spiritus.
Amen.

℣. Meritis et precibus beatæ Elisabeth. ℟. Propitius esto , Domine , populo tuo.

Ad Bened. Ant. Tu gloria Jerusalem , tu lætitia Israel , tu honorificentia populi tui.

Oratio.

CLEMENTISSIME Deus , qui beatam Elisabeth reginam inter cæteras egregias dotes , bellici furoris sedandi prærogativa decorasti ; da nobis ejus intercessione , post mortalis vitæ , quam suppliciter petimus , pacem , ad æterna gaudia pervenire. Per Dominum.

In II. Vesp. omnia ut in I.

Ad Magnif. Ant. Elisabeth pacis et patriæ mater , in cœlo triumphans , dona nobis pacem.

Die 10. SS. 7. Fratrum,

AC RUFINÆ ET SECUNDÆ.

Virg. et Mart. *Semidupl.*

Officium de Com. plur. Mart.

Oratio.

PRÆSTA , quæsumus , omnipotens Deus , ut qui gloriosos Martyres fortes in sua confessione cognovimus , pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IX.

SEPTEM fratres, filii sanctæ Felicitatis , Romæ in persecutione Marci Aurelii Antonini a Publio præfecto primum blanditiis , deinde terroribus tentati , ut Christo renuntiantes, deos venerarentur: et sua vir-

Digitized by Google

tute, et matre hortante, in fidei confessione perseverantes, varie necati sunt. Januarius plumbatis cæsus, Felix et Philippus fustibus contusi, Silvanus ex altissimo loco præceps dejectus est, Alexander, Vitalis, et Martialis capite plectuntur. Mater eorum quarto post mense eamdem martyrii palmam consecuta est: illi sexto idus Julii spiritum Domino reddiderunt.

Lectio v.

RUFINA et Secunda, sorores, virgines Romanæ, rejecto connubio Armentarii et Verini, quibus a parentibus desponsæ fuerant, quod Jesu Christo virginitatem vovissent, Valeriano et Gallieno Imperatoribus, comprehenduntur. Quas cum nec promissis, nec terrore Junius præfectus a proposito posset abducere, Rufinam primum virgis cædi jubet: in cujus verberibus Secunda judicem sic interpellat: Quid est quod sororem meam honore, me afficis ignominia? Jube ambas simul cædi, quæ simul Christum Deum confitemur. Quibus verbis incensus judex imperat utramque detrudi in tenebricosum et fœtidum carcerem. Quo loco statim clarissima luce et suavissimo odore completo, in ardente balnei solio includuntur. Et cum inde etiam integræ evasissent, mox saxo ad collum alligato, in Tiberim projectæ sunt: unde ab Angelo liberatæ, extra Urbem via Aurelia milliario decimo, capite plectuntur. Quarum corpora a Plautilla matrona in ejus prædio sepulta ac postea in Urbem translata, in Basilica Constantiniana prope Baptisterium condita sunt.

Sermo S. Augustini Episcopi.
Serm. 11o. de diversis.

Lectio vj.

MAGNUM spectaculum, fratres, positum est ante oculos fidei nostræ. Aure audivimus, corde vidimus optantem matrem ante se finire istam vitam filios suos, longe contrariis votis consuetudini humanæ. Omnes enim homines filios suos, ex hac vita migrando, præcedere volunt, non sequi; illa autem optavit posterior mori. Non enim amittebat filios, sed præmittebat, nec intuebatur quam vitam finirent, sed quam inchoarent. Desinebant enim vivere, ubi quandoque fuerant morituri; et incipiebant vivere, sine fine victuri. Parum est fuisse spectatricem: mirati sumus potius hortatricem. Fœcundior virtutibus, quam fœtibus, videns certantes, in quibus omnibus ipsa certabat, et in omnibus vincentibus ipsa vincebat.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, ecce Mater ejus et fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.
Homilia 3. *in Evangelia.*

SANCTI Evangelii, fratres charissimi, brevis est lectio recitata, sed magnis mysteriorum ponderibus gravida. Jesus etenim Conditor et Redemptor noster, matrem se nosse dissimulat, et quæ ei mater sit, et qui propinqui, non per cognationem carnis, sed per conjunctionem spiritus designat, dicens: Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est. Quibus nobis verbis quid aliud innuit, nisi quod obsequentes jussionibus suis multos ex Gentilitate colligit, et Judæam, ex cujus carne est genitus, non agnoscit?

Lectio viij.

SED cum is, qui voluntatem Patris fecerit, soror et frater Domini dicitur, propter utrumque sexum qui ad fidem colligitur, mirum non est: mirandum vero valde est quomodo etiam mater dicatur. Fideles enim discipulos fratres vocare dignatus est, dicens: Ite, nuntiate fratri-

bus meis. Qui ergo frater Domini fieri ad fidem veniendo potuerit, quæreudum est quomodo etiam et mater esse possit.

Lectio ix.

SED sciendum nobis est, quia qui Christi soror et frater est credendo, mater efficitur prædicando. Quasi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit; et mater ejus prædicando efficitur, si per ejus vocem amor Domini in proximi mente generatur. Ad quam rem nobis idonee confirmandam adest Beata Felicitas, cujus hodie natalitia celebramus, quæ credendo extitit ancilla Christi., et prædicando facta est mater Christi. Septem quippe filios, sicut in gestis ejus emendatioribus legitur, sic post se timuit vivos in carne relinquere, sicut carnales parentes solent metuere, ne mortuos præmittant.

In II. Vesp. comm. sequentis.

Die 11. S. Pii.

Papæ et Martyris.

Oratio Infirmitatem nostram, *p.* 14*.

Lectio iij.

PIUS Aquileiensis, Imperatore Antonino Pio, Pontifex creatus, pœnam statuit in sacerdotem, cujus negligentia de sanguine Domini aliquid stillaverit. Pœnitentiam enim, inquit, agant quadraginta diebus, si in terram aliquid deciderit; si super altare tribus diebus; si super linteum superius, quatuor; si in inferius defluxerit, novem diebus; si usque ad quartum, viginti diebus: ubicumque ceciderit, si recipi potest, lambatur: sin aliter, aut lavetur, aut radatur: quidquid lotum, aut rasum est, comburatur, et cinis in sacrarium reponatur. Multis præterea utiliter decretis, martyrio coronatur, et sepelitur in Vaticano, quinto Idus Julii, cum sedisset annos novem, menses quinque, dies viginti septem, et Presbyteros decem et octo, Diaconos viginti unum Episcopos per diversa loca duodecim mense Decembri, quinque Ordinationibus creasset.

Die 12. S. Joan. Gualb.

Abbatis. *Duplex.*

Oratio Intercessio nos, *p.* 51*.

Deinde fit comm. SS. Nabor is et Felicis Martyrum.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, Domine, ut sicut nos sanctorum Martyrum tuorum Naboris et Felicis natalitia celebranda non desefunt, ita jugiter suffragiis comitentur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

JOANNES Gualbertus Florentiæ nobili genere ortus, dum patri obsequens rem militarem sequitur, Ugo unicus ejus frater occiditur a consanguineo: quem cum solum et inermem, sancto Parasceves die, Joannes armis ac militibus stipatus obvium haberet, ubi neuter alterum poterat declinare, ob sanctæ Crucis reverentiam, quam homicida supplex mortem jamjam subiturus brachiis signabat, vitam ei clementer indulget. Hoste in fratrem recepto, proximum sancti Miniatis templum oraturus ingreditur, ubi adoratam Crucifixi imaginem caput sibi flectere conspicit. Quo mirabili facto permotus Joannes, Deo exinde, etiam invito patre, militare decernit, atque ibidem propriis sibi manibus comam totondit, ac monasticum habitum induit: adeoque piis ac religiosis virtutibus brevi coruscat, ut multis se perfectionis specimen ac normam præberet; ita ut, ejusdem loci Abbate defuncto, communi omnium voto in Superiorem eligeretur. At Dei famulus cupiens subesse potius, quam præesse, ad majora divina voluntate servatus, ad Camaldulensis eremi incolam Romualdum proficiscitur a quo cœlicum sui instituti vaticinium accipit; tum

Digitized by Google

suum Ordinem sub regula sancti Benedicti apud Umbrosam vallem instituit.

Lectio v.

DEINDE plurimis ad eum ob ejus sanctitatis famam undique convolantibus, una cum iis in socios adscitis, ad hæreticam et simoniacam pravitatem extirpandam, et Apostolicam fidem propagandam sedulo incumbit, innumera propterea in se et suis incommoda expertus. Nam ut eum ejusque socios adversarii perdant, noctu sancti Salvii cœnobium repente aggrediuntur, templum incendunt, ædes demoliuntur, et monachos omnes lethali vulnere saucient: quos vir Dei unico crucis signo incolumes protinus reddit. et Petro ejus monacho per immensum ardentissimumque ignem illæso mirabiliter transeunte, optatam sibi et suis tranquilitatem obtinet. Inde simoniacam labem ab Hetruria expulit, ac in tota Italia fidem pristinæ integritati restituit.

Lectio vj.

MULTA funditus erexit monasteria, eademque et alia ædificiis ac regulari observantia instaurata, sanctis legibus communivit. Ad egenos alendos sacram suppellectilem vendidit: ad improbos coercendos elementa sibi famulari conspexit: ad dæmones comprimendos crucem quasi ensem adhibuit. Demum abstinentiis, vigiliis, jejuniis, orationibus, carnis macerationibus, ac senio confectus, dum infirma valetudine gravaretur, Davidica illa verba persæpe repetebat: Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? Jamque morti proximus, convocatos discipulos ad fraternam concordiam cohortatur, et in breviculo, cui consepeliri voluit, jussit hæc scribi: Ego Joannes credo, et confiteor fidem, quam sancti Apostoli prædicaverunt, et sancti Patres in quatuor Conciliis confirmaverunt. Tandem triduano Angelorum obsequio dignatus, septuagesimum octavum annum agens, apud Passinianum, ubi summa veneratione colitur, migravit ad Dominum anno salutis millesimo septuagesimo tertio, quarto Idus Julii. Quem Cœlestinus Tertius innumeris miraculis clarum, in Sanctorum numerum retulit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. I. Comm. in cap. 5. Matth.

EGO autem dico vobis: Diligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos. Multi præcepta Dei imbecillitate sua, non sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt, et dicunt sufficere virtutibus, non odisse inimicos: cæterum diligere, plus præcipi, quam humana natura patiatur. Sciendum est ergo Christum non impossibilia præcipere sed perfecta. Quæ fecit David in Saul, et in Absalom: Stephanus quoque martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus est, et Paulus anathema cupit esse pro persecutoribus suis. Hæc autem Jesus et docuit, et fecit, dicens: Pater, ignosce illis: quod enim faciunt, nesciunt.

Lectio viij.

IN reliquis operibus bonis interdum potest aliquis qualemcumque excusationem prætendere: ad habendam vero dilectionem nullus se poterit excusare. Potest mihi aliquis dicere: Non possum jejunare; numquid potest dicere, Non possum amare? Potest aliquis dicere, Virginitatem non possum servare, non possum res totas vendere, et pauperibus erogare; num-

quid potest dicere, Non possum diligere inimicos.

Lectio ix.

NON enim ibi aut pedes laborant currendo, aures audiendo, aut manus operando laxantur, ut nos per ipsam excusationem liberare conemur. Non nobis dicitur: Ite ad Orientem, et quærite charitatem; navigate ad Occidentem, et invenietis dilectionem. Intus in nostro corde est, ubi redire jubemur, dicente Propheta: Redite, prævaricatores, ad cor. Non enim in longinquis regionibus invenitur, quod a nobis petitur.

Et fit comm. SS. Mart. in Laud.
In II. Vesp. comm. sequentis.

Die 13. S. Anacleti P. M.

Semiduplex.

Oratio Deus qui nos beati, p. 14*.
Lect. I. noct. de script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ANACLETUS Atheniensis, Trajano Imperatore, rexit Ecclesiam. Decrevit ut Episcopus a tribus Episcopis, neque a paucioribus consecraretur; et clerici sacris Ordinibus publice a proprio Episcopo initiarentur, et ut in Missa, peracta consecratione, omnes communicarent. Beati Petri sepulchrum ornavit, Pontificumque sepulturæ locum attribuit. Fecit Ordinationes duas mense Decembri, quibus creavit Presbyteros quinque, Diaconos tres, Episcopos sex. Sedit annos novem, menses tres, dies decem. Martyrio coronatus, sepultus est in Vaticano.

Lectio v. et vj. Principes *de Com. 2. loco, p. 2* cum* ℟. v. *et* vi.

In III. Noct. Homilia Si consideremus, *de Com. I. loco.*

Vesperæ de sequenti.

Die 14.

S. Bonavent. Ep. C. Ec. D.

Duplex.

In utrisque vesp. Ant. O Doctor.

Oratio. Deus qui populo tuo, p. 39*.

Deinde fit comm. præc.
Lect. I. Noct. Sapientiam, p. 48*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BONAVENTURA Balneoregii in Hetruria natus, cum infans incidisset in vitæ periculum, mater ejus vovit, si inde evasisset, se eum Religioni beati Francisci dicaturam. Itaque adoloscens in Ordinem fratrum Minorum adscribi voluit: ubi Alexandro de Ales magistro, ad eam doctrinæ perfectionem brevi pervenit, ut septimo post anno libros Sententiarum Parisiis publice summa cum laude sit interpretatus: quos etiam præclaris postea commentariis illustravit. Post sex annos, sui Ordinis generalis Minister Romæ factus, ea prudentiæ ac sanctitatis laude ministerium gessit, ut in omnium ore et admiratione esset.

Lectio v.

MULTA scripsit, in quibus summam eruditionem cum pari pietatis ardore conjungens, lectorem docendo movet. Quem Gregorius Decimus, ejus sanctimoniæ et sapientiæ fama commotus, Cardinalem et Episcopum Albanensem creavit. Eumdem adhuc viventem beatus Thomas Aquinas Sanctum appellavit. Cum enim vitam sancti Francisci scribentem comperisset: Sinamus, inquit, Sanctum pro Sancto laborare. Migravit e vita pridie Idus Julii, in concilio Lugdunensi, quinquaginta tres annos natus, multis editis miraculis. Quem Xystus Quartus Pontifex Maximus retulit in Sanctorum numerum.

Lect. vi. Qui post Orionas, *pro Doct.* p. 48*. *cum* ℟. vi.

In III. Noct. Hom. Attendite quid dixerit, *pro Doct. 3. loco*, p. 50*.

In II. Vesp. comm. sequent.

Die 15. S. Henrici Conf.

Semiduplex. (m. t. v.)

Oratio.

DEUS, qui hodierna die beatum Henricum Confessorem tuum e

Digitized by Google

terreni culmine imperii ad regnum æternum transtulisti, te supplices exoramus, ut sicut illum gratiæ tuæ ubertate præventum illicebras sæculi superare fecisti, ita nos facias ejus imitatione mundi hujus blandimenta vitare, et ad te puris mentibus pervenire. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

HENRICUS, cognomento Pius, e duce Bavariæ rex Germaniæ, ac postmodum Romanorum Imperator, temporalis regni non contentus angustiis, pro adipiscenda immortalitatis corona sedulam æterno Regi exhibuit servitutem. Adepto enim imperio, religioni amplificandæ studiose incumbens, Ecclesias ab infidelibus destructas magnificentius reparavit, plurimisque largitionibus et prædiis locupletavit. Monasteria, aliaque loca pia vel ipse ædificavit, vel assignatis reditibus auxit. Episcopatum Bambergensem, hæreditariis opibus fundatum, beato Petro, Romanoque Pontifici vectigalem fecit. Benedictum Octavum, a quo imperii coronam acceperat, profugum excepit, suæque Sedi restituit.

Lectio v.

IN Cassinensi Monasterio gravi detentus infirmitate, a sancto Benedicto, insigni miraculo sanatus est. Romanam Ecclesiam amplissimo diplomate muneratus, eidem tuendæ bellum adversus Græcos suscepit, et Apuliam diu ab illis possessam recuperavit. Nihil sine precibus aggredi solitus, Angelum Domini sanctosque Martyres tutelares pro se pugnantes ante aciem interdum vidit. Divina autem protectus ope, barbaras nationes precibus magis quam armis expugnavit. Pannoniam adhuc infidelem, tradita Stephano regi sorore sua in uxorem, eoque baptizato, ad Christi fidem perduxit. Virginitatem raro exemplo matrimonio junxit, sanctamque Cunegundam conjugem suam proinquis ejus morti proximus illibatam restituit.

Lectio vj.

DENIQUE rebus omnibus, quæ ad imperii honorem et utilitatem pertinebant, summa prudentia dispositis, et illustribus per Galliam, Italiam, et Germaniam religiosæ munificentiæ vestigiis passim relictis, postquam heroicæ virtutis, suavissimum odorem longe lateque diffuderat, sanctitate quam sceptro clarior, ad regni cœlestis præmia, consummatis vitæ laboribus, a Domino vocatus est anno salutis millesimo vigesimo quarto. Cujus corpus in Ecclesia beatorum Apostolorum Petri et Pauli Bambergæ conditum fuit, statimque ad ejus tumulum multa miracula, Deo ipsum glorificante, patrata sunt. Quibus postea rite probatis, Eugenius Tertius Sanctorum numero illum adscripsit.

In III. Noct. Homilia Sancti Evangelii fratres, *de Com. 1. loco.*

Vesperæ de sequenti.

Die 16. B. Mariæ Virgin. DE MONTE CARMELO.

Duplex Majus.

Ut in Festis B. M. V. p. 92.*

Oratio.

DEUS, qui beatissimæ semper virginis et genitricis tuæ Mariæ singulari titulo Carmeli ordinem decorasti, concede propitius, ut cujus hodie Commemorationem solemni celebramus officio, ejus muniti præsidiis, ad gaudia sempiterna pervenire mereamur. Qui vivis.

Deinde fit comm. S. Henrici.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CUM sacra Pentecostes die Apostoli cœlitus afflati, variis linguis loquerentur, et invocato augustissimo Jesu nomine, mira multa patrarent, viri plurimi (ut fertur) qui vestigiis sanctorum Prophetarum Eliæ ac Elisei insistiterant, et Joannis Baptistæ præconio ad Christi adventum compa-

rati fuerant, rerum veritate perspecta atque probata, evangelicam fidem confestim amplexati sunt, ac peculiari quodam affectu beatissimam Virginem (cujus colloquiis ac familiaritate feliciter frui potuere) adeo venerari cœperunt, ut primi omnium in eo montis Carmeli loco, ubi Elias olim ascendentem nebulam, Virginis typo insignem, conspexerat, eidem purissimæ Virgini sacellum construxerint.

Lectio v.

AD novum ergo sacellum sæpe quotidie convenientes, ritibus piis, precationibus, ac laudibus beatissimam Virginem, velut singularem Ordinis tutelam, colebant. Quamobrem fratres beatæ Mariæ de Monte Carmelo passim ab omnibus appellari cœperunt, eumque titulum Summi Pontifices non modo confirmarunt, sed et indulgentias peculiares iis, qui eo titulo vel Ordinem vel fratres singulos nuncuparent, concessere. Nec vero nomenclaturam tantum magnificentissima Virgo tribuit et tutelam, verum et insigne sacri Scapularis quod beato Simoni Anglico præbuit, ut cœlesti hac veste ordo ille sacer dignosceretur, et a malis ingruentibus protegeretur. Ac demum, cum olim in Europa Ordo esset ignotus, et ob id apud Honorium Tertium non pauci pro illius extinctione instarent, astitit Honorio noctu piissima virgo Maria, planeque jussit, ut institutum et homines benigne complecteretur.

Lectio vj.

NON in hoc tantum sæculo ordinem sibi tam acceptum multis prærogativis beatissima Virgo insignivit, verum et in alio (cum ubique et potentia et misericordia plurimum valeat) filios in Scapularis societatem relatos, qui abstinentiam modicam, precesque paucas eis præscriptas frequentarunt, ac pro sui status ratione castitatem coluerunt, materno plane affectu, dum igne Purgatorii expiantur, solari, ac in cœlestem patriam obitu suo quantocyus pie creditur efferre. Tot ergo tantisque beneficiis Ordo cumulatus, solemnem beatissimæ Virginis Commemorationem ritu perpetuo ad ejusdem Virginis gloriam quotannis celebrandam instituit.

In Laud. Ad Bened. Ant. Caput tuum ut Carmelus, et comæ capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus, alleluia.

In II. Vesp. Ad Magnif. Ant. Gloria Libani data est ei; decor Carmeli et Saron, alleluia,

Deinde fit comm. sequentis.

Die 17. S. Alexii Conf.

Semiduplex.

Oratio. Deus, qui nos. p. 81*.

Lect. I. Noct. de script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ALEXIUS Romanorum nobilissimus, propter eximium Jesu Christi amorem, prima nocte nuptiarum, peculiari Dei monitu, relinquens intactam sponsam, illustrium orbis terræ Ecclesiarum peregrinationem suscepit. Quibus in itineribus cum ignotus septemdecim annos fuisset, aliquando apud Edessam Syriæ urbem per imaginem sanctissimæ Mariæ virginis ejus nomine divulgato, inde navi discessit. Ad portum Romanum appulsus, a patre suo tanquam alienus pauper hospitio accipitur: apud quem omnibus incognitus, cum decem et septem annos vixisset, relicto scripto sui nominis, sanguinis, ac totius vitæ cursus, migravit in cœlum, Innocentio Primo Summo Pontifice.

Lectio v. *et* vj Deridetur justi, *de Com.* 2. *loco*, p. 89*. *cum* ℟. v. *et* vj.

In III. Noct. Homilia Grandis fiducia, *de Com. Apost.* 1. *loco*, p. 7*. *cum* ℟. *de Com.*

Vespera de sequenti.

Die 18. S. Cam. de Lell. C.

Duplex.

Oratio.

DEUS, qui sanctum Camillum, ad animarum in extremo agone

Digitized by Google

luctantium subsidium, singulari charitatis prærogativa decorasti, ejus, quæsumus, meritis spiritum nobis tuæ dilectionis infunde, ut in hora exitus nostri hostem vincere, et ad cœlestem mereamur coronam pervenire. Per. in unitate ejusdem.

Deinde fit comm. S. Alexii.

Postea SS. Symphorosæ et filiorum ejus, Martyrum.

Oratio.

DEUS, qui nos concedis sanctorum Martyrum tuorum Symphorosæ et filiorum ejus natalitia colere, da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Scriptura occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CAMILLUS Bucclanici, Theatinæ Diœcesis oppido, ex nobili Lelliorum familia natus est matre sexagenaria, cui gravidæ visum est per quietem, puerulum Crucis signo in pectore munitum, et agmini puerorum idem signum gestantium præeuntem se peperisse. Adolescens rem militarem secutus, sæculi vitiis aliquandiu indulsit, donec vigesimum quintum agens ætatis annum, tanto supernæ gratiæ lumine, divinæque offensæ dolore correptus fuit, ut uberrimo lacrymarum imbre illico perfusus, anteactæ vitæ sordes indesinenter abstergere, novumque induere hominem firmiter decreverit. Quare ipso, quo id contigit, purificationis beatissimæ Virginis festo die, ad fratres minores, quos Capuccinos vocant, convolans, ut eorum numero adscriberetur, summis precibus exoravit. Voti compos semel atque iterum factus est; sed fœdo ulcere quo aliquando laboraverat, in ejus tibia iterato recrudescente, divinæ Providentiæ majora de eo disponentis consilio humiliter se subjecit, suique victor, illius Religionis bis expetitum et susceptum habitum bis dimisit.

Lectio v.

ROMAM profectus, in Nosocomium, quod Insanabilium dicitur, receptus est: cujus etiam administrationem ob perspectas ejus virtutes sibi demandatam, summa integritate, ac sollicitudine vere paterna peregit. Omnium ægrorum servum se reputans, eorum sternere lectulos, sordes tergere, ulceribus mederi, agonique extremo piis precibus et cohortationibus opem ferre solemne habuit: quibus in muneribus præclara præbuit admirabilis patientiæ, invictæ fortitudis, et heroicæ charitatis exempla. Verum cum animarum in extremis periclitantium, quod unice intendebat, levamini subsidium litterarum plurimum conferre intelligeret, triginta duos annos natus, in primis grammaticæ elementis tyrociuium inter pueros iterum subire non erubuit. Sacerdotio postea rite initiatus, nonnullis sibi adjunctis sociis, prima jecit CongregationisClericorum Regularium Infirmis Ministrantium fundamenta, irrito conatu obuitente humani generis hoste. Nam Camillus cœlesti voce e Christi crucifixi, manus etiam de ligno avulsas admirando prodigio protendentis, simulacro emissa mirabiliter confirmatus, Ordinem suum a Sede Apostolica approbari obtinuit, Sodalibus quarto obstrictis maxime arduo voto, infirmis, quos etiam pestis infecerit, ministrandi. Quod Institutum, quam foret Deo acceptum, et animarum saluti proficuum, sanctus Philippus Nerius, qui Camillo a sacris confessionibus erat, comprobavit, dum ejus alumnis decedentium agoni opem ferentibus Angelos suggerentes verba sæpius, se vidisse testatus est.

Lectio vj.

ARCTIORIBUS hisce vinculis ægrotantium ministerio mancipatus, mirum est qua alacritate, nullis fractus laboribus, nullis deterritus vitæ periculis, diu noctuque ad supremum usque spiritum, eorum commodis vigilaverit. Omnibus

Digitized by Google

ominia factus, vilissima quæque officia demississimo obsequio, flexisque plerumque genibus, veluti Christum ipsum cerneret in infirmis, hilari promptoque animo arripiebat: utque omnium indigentiis præsto esset, generalem Ordinis præfecturam, cœlique delicias, quibus in contemplatione defixus affluebat, sponte dimisit. Paternus vero illius erga miseros amor tum maxime effulsit, cum et Urbs contagioso morbo primum, deinde extrema annonæ laboraret inopia, et Nolæ in Campania dira pestis grassaretur. Tanta denique in Deum et proximum charitate exarsit, ut Angelus nuncupari, et Angelorum opem in vario itenerum discrimine experiri promereretur. Prophetiæ dono, et gratia sanitatum præditus, arcana quoque cordium inspexit: ejusque precibus nunc cibaria multiplicata sunt, nunc aqua in vinum conversa. Tandem vigiliis, jejuniis, et assiduis attritus laboribus, cum pelle tantum et ossibus constare videretur, quinque molestis æque ac diutinis morbis, quos misericordias Domini appellabat, fortiter toleratis, Sacramentis munitus Romæ inter suavissima Jesu et Mariæ nomina, ad ea verba. Mitis atque festivus Christi Jesu tibi aspectus appareat, qua prædixerat hora, obdormivit in Domino, pridie Idus Julii anno salutis millesimo sexcentesimo decimo quarto, ætatis suæ sexagesimo quinto. Quem pluribus illustrem miraculis Benedictus Decimus quartus solemni ritu Sanctorum fastis adscripsit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 15.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.
Tract. 83. *in Joann. Evang.*

QUID putamus, fratres mei? numquidnam solum ejus de ista dilectione mandatum est, qua diligimus invicem? Nonne est et aliud majus, ut diligamus Deum? Aut vero de sola Deus nobis dilectione mandavit, ut alia non requiramus? Tria certe commendat Apostolus, dicens: Manent autem Fides, Spes, Charitas, tria hæc: major autem horum Charitas. Et si in charitate, hoc est, in dilectione, concluduntur duo illa præcepta, major tamen dicta est esse, non sola. De Fide igitur nobis quam multa mandata sunt, quam multa de Spe! Quis potest cuncta colligere, quis enumerando sufficere? Sed intueamur quod ait idem Apostolus: Plenitudo legis Charitas.

Lectio viij.

UBI ergo Charitas est, quid est, quod possit deesse? Ubi autem non est, quid est quod possit prodesse? Dæmon credit, nec diligit; nemo diligit, qui non credit. Frustra quidem, sed tamen potest sperare veniam qui non diligit: nemo autem potest desperare qui diligit. Itaque ubi dilectio est, ibi necessario Fides, et Spes: et ubi dilectio proximi, ibi necessario etiam dilectio Dei. Qui enim non diligit Deum, quomodo diligit proximum tanquam seipsum, quandoquidem non diligit et seipsum? Est quippe impius, et iniquus: Qui autem diligit iniquitatem, non plane diligit, sed odit animam suam.

Pro SS. Martyribus.
Lectio ix.

SYMPHOROSA Tiburtina, Getulii martyris uxor, ex eo septem filios peperit, Crescentium, Julianum, Nemesium, Primitivum, Justinum, Stacteum, et Eugenium, qui omnes propter Christianæ fidei professionem una cum matre, Adriano Imperatore, comprehensi sunt. Quorum pietas multis variisque tentata supplициis, cum stabilis permaneret, mater, quæ filiis fidei magistra fuerat, dux eisdem ad martyrium extitit. Nam saxo ad collum alligato, in profu-

entem dejicitur : cujus corpus conquisitum a fratre ejus Eugenio sepelitur. Postridie ejus diei, qui fuit decimo quinto Kalendas Augusti, septem fratres singuli ad palum alligati, varie sunt interfecti. Crescentio guttur ferro transfigitur ; Juliano pectus confoditur, Nemesio cor transverberatur ; Primitivo trajicitur umbilicus ; Justinus membratim secatur ; Stacteus telis configitur ; Eugenius a pectore in duas partes dividitur Ita octo hostiæ Deo gratissimæ sunt immolatæ. Corpora in altissimam foveam projecta sunt via Tiburtina, nono ab Urbe lapide : quæ postea Romam translata, condita sunt in Ecclesia sancti Angeli in piscina.

Si transferatur, legatur sequens

Lectio ix.

HOC ergo præceptum Domini teneamus, ut nos invicem diligamus, et quidquid aliud præcepit, faciemus : quoniam quidquid est aliud, hic habemus. Discernitur quippe ista dilectio ab illa dilectione, qua se invicem diligunt homines : nam ut discerneretur, adjunctum est, Sicut dilexi vos. Ut quid enim diligit nos Christus, nisi ut regnare possimus cum Christo ? Ad hoc ergo et nos invicem diligamus, ut dilectionem nostram discernamus a cæteris, qui non ad hoc se invicem diligunt, quia nec diligunt. Qui autem se propter habendum Deum diligunt, ipsi se diligunt : ergo ut se diligant, Deum diligunt. Non est hæc dilectio in omnibus hominibus: pauci se propterea diligunt, ut sit Deus omnia in omnibus.

In Laud. fit comm. S. Symphorosæ et filiorum ejus Martyrum.

Vesperæ a Capit de sequenti.

Die 19. S. Vinc.a Paul.

Confess. *Duplex.* (m. t. v.)

Oratio.

DEUS, qui ad evangelizandum pauperibus, et Ecclesiastici ordinis decorem promovendum, beatum Vincentium Apostolica virtute roborasti, præsta, quæsumus, ut cujus pia merita veneramur, virtutum quoque instruamur exemplis. Per Dominum.

Et fit commemor. S. Camilli.

Lect. I. Noct. de Scripi. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

VINCENTIUS a Paulo, natione Gallus, Podii non procul ab Aquis Tarbellis in Aquitania natus, jam tum a puero eximiam in pauperes charitatem præ se tulit. A custodia paterni gregis ad litteras evocatus, humanas Aquis, divinas cum Dolosæ, tum Cæsaraugustæ didicit. Sacerdotio initiatus, ac Theologiæ laurea insignitus, in Turcas incidit, qui captivum in Africam adduxerunt ; sed in captivitate positus, herum ipsum Christo rursus lucrifecit. Cum eo igitur ex barbaris oris, opitulante Deipara, sese proripiens, ad Apostolica limina iter instituit : unde in Galliam reversus, Clippiaci primum, mox Castellionis Parœcias sanctissime rexit. Renuntiatus a rege primarius Sacrorum minister in Galliæ triremibus, mirum quo zelo et ducum et remigum saluti operam posuerit. Monialibus Visitationis a sancto Francisco Salesio præpositus, tanta prudentia per annos circiter quadraginta eam curam sustinuit, ut maxime comprobaverit judicium sanctissimi Præsulis, qui Sacerdotem Vincentio digniorem nullum se nosse fatebatur.

Lectio v.

EVANGELIZANDIS pauperibus, præsertim ruricolis, ad decrepitam usque ætatem indefessus incubuit, eique Apostolico operi tum se, tum alumnos Congregationis, quam sub nomine Presbyterorum sæcularium Missionis instituit, perpetuo voto a sancta sede confirmato, speciatim obstrinxit. Quantum autem augendæ Cleri disciplinæ allaboraverit, testantur erecta majorum Clericorum

Digitized by Google

seminaria, collationum de divinis inter Sacerdotes frequentia, et sacræ Ordinationi præmittenda exercitia, ad quæ, sicut et ad pios laicorum secessus, Instituti sui domicilia libenter patere voluit. Insuper ad amplificandam fidem et pietatem, evangelicos misit operarios, non in solas Galliæ provincias, sed et in Italiam, Poloniam, Scotiam, Hiberniam, atque ad Barbaros, et Indos. Ipse vero, vita functo Ludovico Decimo tertio, cui morienti hortator adstitit, a regina Anna Austriaca, matre Ludovici Decimi quarti, in sanctius Concilium accitus, studiosissime egit, ut nonnisi digniores Ecclesiis ac monasteriis præficerentur; civiles discordiæ, singularia certamina, serpentes errores, quos simul sensit et exhorruit, amputarentur; debitaque judiciis Apostolicis obedientia præstaretur ab omnibus.

Lectio vj.

NULLUM fuit calamitatis genus, cui paterne non occurrerit. Fideles sub Turcarum jugo gementes, infantes expositos, juvenes dyscolos, virgines periclitantes, moniales dispersas, mulieres lapsas, ad triremes damnatos, peregrinos infirmos, artifices invalidos, ipsosque mente captos, ac innumeros mendicos subsidiis, et hospitiis etiamnum superstitibus excepit, ac pie fovit. Lotharingiam, Campaniam, Picardiam, aliasque regiones peste, fame, belloque vastatas, prolixe refecit. Plurima ad perquirendos et sublevandos miseros sodalitia fundavit: inter quæ celebris matronarum cœtus, et late diffusa sub nomine Charitatis puellarum societas. Puellas quoque tum de Cruce, tum de Providentia, ac sanctæ Genovefæ ad sequioris sexus educationem, erigendas curavit. Hæc inter et alia gravissima negotia Deo jugiter intentus, cunctis affabilis, ac sibi semper constans, simplex, rectus, humilis, ab honoribus, divitiis, ac deliciis semper abhorruit, auditus dicere: rem nullam sibi placere, præterquam in Christo Jesu, quem in omnibus studebat imitari. Corporis demum afflictatione, laboribus, senioque attritus, die vigesima septima Septembris, anno salutis supra millesimum sexcentesimo sexagesimo, ætatis suæ octogesimo quinto, Parisiis in domo sancti Lazari, quæ caput est Congregationis Missionis, placide obdormivit. Quem virtutibus, meritis, ac miraculis clarum, Clemens Duodecimus inter Sanctos retulit, ipsius celebritati die decima nona mensis Julii quotannis assignata.

In III. Noct. Homilia Dominus et Salvator, *pro Evangelistis*, p. 13*. *cum* ℣. *de Com.*

Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 20. S. Hieron. Æmil.

Confess. *Duplex.* (m. t. v.)

Oratio.

DEUS misericordiarum pater, per merita et intercessionem beati Hieronymi, quem orphanis adjutorem et patrem esse voluisti, concede, ut spiritum adoptionis, quo filii tui nominamur et sumus, fideliter custodiamus. Per Dominum.

Et fit comm. præced. et S. Margaritæ Virg. et Mart. Oratio Indulgentiam, *p.* 62*.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

HIERONYMUS e gente patricia Æmiliana Venetiis ortus, a prima adolescentia militiæ addictus, difficillimis Reipublicæ temporibus Castro novo ad Quarum in montibus Tarvisinis præficitur. Arce ab hostibus capta, ipse in teterrimum carcerem detruditur, manibus ac pedibus vinctus: cui omni humana ope destituto beatissima Virgo, ejus precibus exorata, clemens adest, vincula solvit, et per medios hostes, qui vias omnes obsederant, in Tarvisii conspectum incolumem ducit. Urbem ingressus, ad Deiparæ aram, cui se voverat, manicas, compedes, catenas, quas secum detule-

Digitized

rat, in accepti beneficii testimonium suspendit. Reversus Venetias, cœpit pietatis studia impensius colere, in pauperes mire effusus, sed puerorum præsertim misertus, qui parentibus orbati, egeni et sordidi per urbem vagabantur, quos in ædes a se conductas recepit de suo alendos, et Christianis moribus imbuendos.

Lectio v.

PER eos dies Venetias appulerant beatus Cajetanus, et Petrus Carafa postmodum Paulus Quartus, qui Hieronymi spiritu, novoque instituto colligendi orphanos probato, illum in Incurabilium hospitale adduxerunt, in quo orphanos simul educaret, atque ægrotis pari charitate inserviret. Mox eorumdem hortatu in proximam continentem profectus, Brixiæ primum, deinde Bergomi, atque Novocomi orphanotrophia erexit: Bergomi præsertim, ubi præter duo, pro pueris unum, et pro puellis alterum, domum excipiendis, novo in illis regionibus exemplo, mulieribus a turpi vita ad pœnitentiam conversis, aperuit. Somaschæ demum subsistens, in humili pago agri Bergomensis ad Venetæ ditionis fines, sibi ac suis ibi sedem constituit, formamque induxit Congregationis, cui propterea a Somascha nomen factum, quam subinde auctam et propagatam, nedum orphanorum regimini, et Ecclesiarum cultui, sed ad majorem Christianæ Reipublicæ utilitatem, adolescentium in litteris et bonis moribus institutioni, in Collegiis, Academiis, et Seminariis addictam sanctus Pius Quintus inter religiosos Ordines adscripsit. cæterique Pontifices privilegiis ornarunt.

Lectio vj.

ORPHANIS colligendis intentus Mediolanum proficiscitur, atque Ticinum, et utrobique collectis agminibus puerorum, tectum, victum, vestem, magistros, nobilibus viris faventibus, provide constituit. Inde Somaschum redux, omnibus omnia factus, a nullo abhorrebat opere, quod in proximi bonum cedere prævideret. Agricolis immixtus per agros sparsis, dum se illis adjutorem in metendis frugibus præbet, mysteria fidei explicabat, puerorum capita porrigine fœda abstergens, et patienter tractans curabat, putridis rusticorum vulneribus medebatur eo successu, ut gratia curationum donatus censeretur. In monte, qui Somaschæ imminet, reperta specu, in illam se abdidit, ubi se flagellis cædens, dies integros jejunus transigens, oratione in plurimam noctem protracta, super nudo saxo brevem somnum carpens, sui aliorumque noxarum pœnas luebat. In hujus specus interiori recessu ex arido silice extillat aqua precibus servi Dei, ut constans traditio est, impetrata, quæ usque in hodiernam diem jugiter manans, et in varias regiones delata, ægris sanitatem plerumque conciliat. Tandem ex contagione, quæ per omnem vallem serpebat, dum ægrotantibus inservit, et vita functos propriis humeris ad sepulturam defert, contracto morbo, annos natus sex et quinquaginta, quam paulo ante prædixerat, pretiosam mortem obiit anno millesimo quingentesimo trigesimo septimo. Quem pluribus in vita et post mortem miraculis illustrem Benedictus Decimus quartus Beatorum, Clemens vero Decimus tertius Sanctorum fastis solemniter adscripsit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: Oblati sunt Jesu parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homilia 26. *in Matth.*

CUR discipuli pueros abigebant? Dignitatis causa. Quid ergo ille? Ut doceat illos modeste sapere, fastumque mundanum conculcare, et

Digitized by Google

suscipit, et ulnis complectitur, talibusque regnum cœlorum pollicetur, id quod etiam dixit superius. Et nos igitur, si volumus hæredes esse cœlorum, hanc virtutem cum diligentia magna sectemur. Hoc est enim philosophiæ culmen, simplicem esse cum prudentia: hæc vita est Angelica. Anima enim pueruli omnibus animi morbis vacua est: non memoriam retinet injuriarum, sed eas inferentes adit, ut amicos, ac si nihil factum esset. Et quamvis a matre verberibus cædatur, eam semper quærit, et omnibus anteponit.

Lectio viij.

SI reginam ipsi ostendas diademate ornatam, non præfert eam matri pannis detritis vestitæ malletque illam incultam videre, quam reginam mirifice amictam. Nam quod suum, quod alienum est, non ex paupertate, vel divitiis, sed ex amore existimare solet, et nihil plus requirit, quam necessaria, atque ut lacte repletus est, statim a mamma abscedit. Non eisdem, quibus nos, ærumnis premitur, nec pecuniarum jactura, rebusque similibus; nec iisdem, quibus nos, fluxis rebus lætatur, neque corporum pulchritudinem miratur. Ideo dicebat: Talium est enim regnum cœlorum, ut ex proposito voluntatis illa operemur, quæ natura sua pueri faciunt.

Lectio ix.

QUIA enim Pharisæi non aliunde, quam a nequitia, et arrogantia ad agendum ferebantur, ideo ubique discipulos suos simplices esse jubet, illosque subindicat, dum hos instituit. Nihil enim ita superbiam parit, ut principatus, et primi consessus. Quoniam igitur discipuli per totum terrarum orbem multum honoris consecuturi erant, ipsorum animos prævenit, nec sinit eos humanum quid pati, nec honorem a vulgo expetere, vel ante alios sese efferre. Nam etiamsi hæc parva videntur esse, at malis ingentibus causam præbent. Sic enim instituti Pharisæi in malorum culmen ascenderunt; salutationes, primos consessus, et medios requirentes, hinc in ardentem gloriæ cupiditatem, inde vero in impietatem lapsi sunt.

In Laud. fit comm. S. Margaritæ Virg. et Mart.

In II. Vesp. comm. seq.

Die 21. S. Praxedis Virg

Oratio. Exaudi nos Deus, *p.*62*.

Lectio iij.

PRAXEDES, virgo Romana, Pudentianæ virginis soror, Marco Antonino Imperatore Christianos persequente, eos facultatibus, opera, consolatione, et omni charitatis officio prosequebatur. Nam alios domi occultabat, alios ad fidei constantiam hortabatur, aliorum corpora sepeliebat; iis, qui in carcere inclusi erant, qui in ergastulis exercebantur, nulla re deerat. Quæ cum tantam Christianorum stragem jam ferre non posset, Deum precata est, ut si mori expediret, se e tantis malis eriperet. Itaque duodecimo Kalendas Augusti ad pietatis præmia vocatur in cœlum. Cujus corpus a Pastore Presbytero in patris et sororis Pudentianæ sepulchrum illatum est, quod erat in cœmeterio Priscillæ, via Salaria.

Die 22.
S. Mar. Magd. nec V. nec M.

Duplex.

Ad Vesperas.

HYMNUS.

PATER superni luminis,
Cum Magdalenam respicis,
Flammas amoris excitas,
Geluque solvis pectoris.

Amore currit saucia
Pedes beatos ungere,
Lavare fletu, tergere
Comis, et ore lambere.

Astare non timet cruci,
Sepulchro inhæret anxia,
Truces nec horret milites:
Pellit timorem charitas.

Digitized by Google

O vera, Christe, charitas,
Tu nostra purga crimina,
Tu corda reple gratia,
Tu redde cœli præmia.
Patri simulque Filio,
Tibique, sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter
Sæclum per omne gloria. Amen.

℣. Diffusa. ℟. Propterea,

Ad Magnif. Ant. Mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod Jesus accubuit in domo Simonis leprosi, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes Jesu, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat.

Oratio.

BEATÆ Mariæ Magdalenæ, quæsumus, Domine, suffragiis adjuvemur, cujus precibus exoratus, quatriduanum fratrem Lazarum vivum ab inferis resuscitasti: Qui vivis.

Ad Matutinum

Invit. Laudemus Deum nostrum,
* In conversione Mariæ Magdalenæ.

HYMNUS.

MARIA castis osculis
Lambit Dei vestigia:
Fletu rigat, tergit comis,
Detersa nardo perlinit.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio
Cum Spiritu Paraclito
Nunc et per omne sæculum. Amen.

IN I. NOCTURNO.

De canticis canticorum.

Lectio j. Cap. 3.

IN lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea: quæsivi illum, et non inveni. Surgam, et circuibo civitatem; per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea: quæsivi illum, et non inveni. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. Num quem diligit anima mea, vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ.

℟. Maria Magdalene, et altera Maria ibant diluculo ad monumentum. * Jesus, quem quæritis, non est hic: surrexit, sicut locutus est; præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis. ℣. Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam sole, et introeuntes viderunt juvenem sedentem in dextris, qui dixit illis. Jesus.

Lectio ij Cap. 8.

QUIS mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te, et jam me nemo despiciat? Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

℟. Congratulamini mihi, omnes qui diligitis Dominum: quia quem quærebam apparuit mihi: * Et dum flerem ad monumentum, vidi Dominum meum, alleluia. ℣. Recedentibus discipulis, non recedebam, et amoris ejus igne succensa, ardebam desiderio. Et.

Lectio iij.

QUÆ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem; nec flumina obruent illam.

℟. Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. Dicunt ei

Digitized by Google

Angeli : Mulier, quid ploras, surrexit, sicut dixit : * Præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis. * ℣. Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum, et vidit duos Angelos in albis sedentes, qui dicunt ei. Præcedet. Gloria. Præcedet.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Gregorii Papæ.

Homilia 25. in Evangel.
Lectio iv.

MARIA Magdalene, quæ fuerat in civitate peccatrix, amando veritatem, lavit lacrymis maculas criminis, et vox Veritatis impletur, qua dicitur: Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Quæ enim prius frigida peccando remanserat, postmodum amando fortiter ardebat. Quæ a monumento Domini, etiam discipulis recedentibus, non recedebat : exquirebat, quem non invenerat : flebat inquirendo, et amoris sui igne succensa, ejus quem sublatum credidit, ardebat desiderio. Unde contigit, ut eum sola tunc videret, quæ remanserat ut quæreret : quia nimirum virtus boni operis perseverantia est.

℟. Propter veritatem, *cum reliq.*

Lectio v.

QUÆSIVIT ergo prius, et minime invenit : perseveravit ut quæreret, unde et contigit ut inveniret : actumque est, ut desideria dilata crescerent, et crescentia caperent quod invenissent. Hinc est enim, quod de eodem sponsa Ecclesia in Canticis canticorum dicit : In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea. Dilectum namque in lectulo quærimus, quando in præsentis vitæ aliquantula requie Redemptoris nostri desiderio suspiramus. Per noctem quærimus, quia etsi jam in illo mens vigilat, tamen adhuc oculus caligat.

Lectio vj.

SED qui dilectum suum non invenit, restat ut surgat, civitatem circumeat, id est, sanctam electorum Ecclesiam mente et inquisitione percurrat : per vicos eum et plateas quærat, id est, per angusta et lata gradientes aspiciat, ut si qua invenire in eis valeat, ejus vestigia exquirat : quia sunt nonnulli etiam vitæ sæcularis, qui imitandum aliquid habeant de actione virtutis. Quærentes autem nos vigiles inveniunt, qui custodiunt civitatem: quia sancti Patres, qui Ecclesiæ statum custodiunt, bonis nostris studiis occurrunt, ut suo vel verbo vel scripto nos doceant. Quos cum paululum pertransimus, invenimus quem diligimus : quia Redemptor noster etsi humilitate homo inter homines, divinitate tamen super homines fuit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam

Lectio vij. Cap. 7.

IN illo tempore : Rogabat Jesum quidam de Pharisæis ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Lib. 50. Homil. 23. tom. 10.

EVANGELIUM cum legeretur, attentissime audistis, et res gesta narrata atque versata est ante oculos cordis vestri. Vidistis enim non carne, sed mente, Dominum Jesum Christum in domo Pharisæi recumbentem et ab illo invitatum non fastidientem. Vidistis etiam in civitate mulierem famosam, mala utique fama, quæ erat peccatrix, non invitatam irruisse convivio, ubi suus medicus recumbebat, et quæsisse pia impudentia sanitatem: irruens, quasi importuna convivio, opportuna beneficio. Noverat enim quanto morbo laboraret ; et illum ad sanandum esse idoneum, ad quem venerat, sciebat.

Lectio viij.

ACCESSIT ergo non ad caput Domini, sed ad pedes. Et quæ diu male ambulaverat vestigia recta

Digitized by Google

quærebat. Prius fundit lacrymas cordis, et lavit Domini pedes obsequio confessionis, capillis suis tersit, osculata est, unxit: tacita loquebatur, non sermonem promebat, sed devotionem ostendebat. Quia ergo tetigit Dominum rigando, osculando, tergendo, ungendo pedes ejus, Pharisæus, qui invitaverat Dominum Jesum Christum, quia ex illo genere erat hominum superborum, de quibus Isaias Propheta dicit: Qui dicunt, Recede longe a me, noli me tangere, quoniam mundus sum: putavit Dominum nescisse mulierem.

Lectio ix.

O PHARISÆE invitator, et irrisor Domini, Dominum pascis, et a quo pascendus sis, non intelligis! Unde scis Dominum nescisse quæ fuerit illa mulier, nisi quia permissa est accedere, nisi quia, illo patiente, osculata est pedes ejus, nisi quia tersit, nisi quia unxit? Hæc enim non debuit permitti facere in pedibus mundis mulier immunda? Ad illius ergo Pharisæi pedes si talis mulier accessisset, dicturus erat, quod Isaias de talibus dicit: Recede a me, noli me tangere, quoniam mundus sum. Accessit autem ad Dominum immunda, ut rediret munda; accessit ægra, ut rediret sana; accessit confessa, ut rediret professa.

Ad Laudes

HYMNUS.

SUMMI Parentis Unice,
Vultu pio nos respice,
Vocans ad arcem gloriæ
Cor Magdalenæ pœnitens.

Amissa drachma regio
Recondita est ærario;
Et gemma, deterso luto,
Nitore vincit sidera.

Jesu medela vulnerum,
Spes una pœnitentium,
Per Magdalenæ lacrymas
Peccata nostra diluas.

Dei parens piissima,
Hevæ nepotes flebiles
De mille vitæ fluctibus
Salutis in portum vehas.

Uni Deo sit gloria,
Pro multiformi gratia,
Peccantium qui crimina
Remittit et dat præmia. Amen.

℣. Elegit eam. ℟. In tabernaculo.

Ad Bened. Ant. Maria unxit pedes Jesu, et extersit capillis suis, et domus impleta est odore unguenti.

Vesp. a cap. de seq.

Die 23. S. Apollinaris E. M.

Duplex.

Oratio.

DEUS fidelium remunerator animarum, qui hunc diem beati Apollinaris sacerdotis tui martyrio consecrasti, tribue nobis, quæsumus, famulis tuis, ut cujus venerandam celebramus festivitatem, precibus ejus indulgentiam consequamur. Per.

Et fit comm. S. Mariæ Magd.

Ant. Mulier, quæ erat in civitate peccatrix, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes Domini, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat.

℣. Elegit eam. ℟. In tabernaculo.

Deinde S. Liborii Episc. et Conf.

Oratio Da quæsumus, *p.* 39*.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

APOLLINARIS cum Principe Apostolorum Antiochia Romam venit, a quo ordinatus Episcopus, Ravennam ad Christi Domini Evangelium prædicandum mittitur: ubi cum ad Christi fidem plurimos converteret, captus ab idolorum sacerdotibus graviter cæsus est. Cumque, ipso orante, Bonifacius nobilis vir, qui diu mutus fuerat, loqueretur, ejusque filia immundo spiritu liberata esset, iterum est in illum commota seditio. Itaque virgis cæsus, ardentes carbones nudis pedibus premere cogitur: quem cum subjectus ignis nihil læderet, ejicitur extra urbem.

Digitized by Google

Lectio v.

IS vero latens aliquandiu cum quibusdam Christianis, inde profectus est in Æmiliam, ubi Rufini patricii filiam mortuam, ad vitam revocavit: ut propterea tota Rufini familia in Jesum Christum crederet. Quare vehementer incensus Præfectus accersit Apollinarem, et cum eo gravius agit, ut finem faciat disseminandi in urbe Christi fidem. Cujus cum Apollinaris jussa negligeret, equuleo cruciatur: in cujus plagas aqua fervens infunditur, saxoque os tunditur: mox ferreis vinculis constrictus includitur in carcere. Quarto die impositus in navem, mittitur in exilium, ac facto naufragio venit in Mysiam, inde ad ripam Danubii, postea in Thraciam.

Lectio vj.

CUM autem in Serapidis templo dæmon se responsa daturum negaret, dum ibidem Petri Apostoli discipulus moraretur, diu conquisitus inventus est Apollinaris: qui iterum jubetur navigare. Ita reversus Ravennam, ab iisdem illis idolorum sacerdotibus accusatus, Centurioni custodiendus traditur: qui cum occulte Christum coleret, noctu Apollinarem dimisit. Re cognita, satellites eum persequuntur, et plagis in itinere confectum, quod mortuum crederent, relinquunt. Quem cum inde Christiani sustulissent, septimo die exhortans illos ad fidei constantiam, martyrii gloria clarus migravit e vita. Cujus corpus prope murum urbis sepultum est.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 22.

IN illo tempore: Facta est contentio inter discipulos, quis eorum videretur esse major. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 10. in Luca cap. 22.

REGNUM Dei non est de hoc mundo. Non ergo æqualitatis homini ad Deum, sed similitudinis æmulatio est. Solus enim Christus est plena imago Dei, propter expressam in se paternæ claritudinis unitatem. Justus autem homo ad imaginem Dei est, si propter imitandam divinæ conversationis similitudinem, mundum hunc Dei cognitione contemnat, voluptatesque terrenas verbi perceptione despiciat, quo alimur in vitam: unde et corpus Christi edimus, ut vitæ æternæ possimus esse participes.

Lectio viij.

NON enim victus et potus nobis præmii loco spondetur et honoris, sed communicatio gratiæ cœlestis et vitæ. Neque duodecim throni tanquam aliqua corporalis sunt receptacula sessionis; sed quia sicut secundum divinam similitudinem judicat Christus cognitione cordium, non interrogatione factorum, virtutem remunerans, impietatemque condemnans: ita et Apostoli in judicium spiritale formantur remuneratione fidei, et execratione perfidiæ, virtute errorem redarguentes, sacrilegos odio prosequentes.

Lectio ix.

CONVERTAMUR igitur, et cavеamus, ne in perditionem aliqua inter nos de prælatione possit esse contentio. Si enim contendebant Apostoli, non excusationi obtenditur, sed cautioni proponitur. Si Petrus aliquando convertitur, qui ad primam Domini secutus est vocem: quis potest dicere cito se esse conversum? Cave ergo jactantiam, cave sæculum. Ille enim confirmare jubetur fratres suos, qui dixit: Omnia dimisimus, et secuti sumus te.

In Laud. fit comm. S. Liborii.

In II. Vesp. fit comm. S. Christinæ Virg. et Mart. Oratio Indulgentiam, *p.* 62*.

Die 24. In Vigil. S. Jacob.

Apostoli.

Homil. Cum cuncta sacra, *p.* 1*, *Dicuntur Preces flexis genibus.*

Digitized by Google

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati Jacobi Apostoli tui, quam prævenimus, veneranda solemnitas, et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum.

Deinde fit comm. S. Christinæ.

Die 25. S. Jacobi,

Apostoli. *Duplex 2. Classis.*

Oratio.

ESTO, Domine, plebi tuæ sanctificator et custos, ut Apostoli tui Jacobi munita præsidiis, et conversatione tibi placeat, et secura mente deserviat. Per Dominum.

Lect. I. Noct. Sic nos existimet.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JACOBUS Zebedæi filius, Joannis Apostoli germanus frater, Galilæus, inter primos Apostolos vocatus cum fratre, relictis patre ac retibus, secutus est Dominum, et ambo ab ipso Jesu Boanerges, id est, tonitrui filii, sunt appellati. Is unus fuit ex tribus Apostolis, quos Salvator maxime dilexit, et testes esse voluit suæ transfigurationis, et interesse miraculo, cum archisynagogi filiam a mortuis excitavit, et adesse cum secessit in montem Oliveti, Patrem oraturus, antequam a Judæis comprehenderetur.

Lectio v.

POST Jesu Christi ascensum in cœlum, in Judæa et Samaria ejus divinitatem prædicans, plurimos ad Christianam fidem perduxit. Mox in Hispaniam profectus, ibi aliquos ad Christum convertit: ex quorum numero septem postea Episcopi a beato Petro ordinati, in Hispaniam primi directi sunt. Deinde Jerosolymam reversus, cum inter alios Hermogenem magum fidei veritate imbuisset, Herodes Agrippa, Claudio Imperatore, ad regnum elatus, ut a Judæis gratiam iniret, Jacobum libere Jesum Christum Deum confitentem capitis condemnavit. Quem cum is, qui eum duxerat ad tribunal, fortiter martyrium subeuntem vidisset, statim se et ipse Christianum esse professus est.

Lectio vj.

AD supplicium cum raperentur, petiit ille a Jacobo veniam, quem Jacobus osculatus: Pax, inquit, tibi sit. Itaque uterque est securi percussus, cum paulo ante Jacobus paralyticum sanasset. Corpus ejus postea Compostellam translatum est, ubi summa celebritate colitur, convenientibus eo religionis et voti causa ex toto terrarum orbe peregrinis. Memoria ipsius natalis hodierno die, qui translationis dies est, ab Ecclesia celebratur, cum ipse circa festum Paschæ, primus Apostolorum Jerosolymis profuso sanguine testimonium Jesu Christo dederit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 20.

IN illo tempore: Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homilia 66. in Matth.

NON turbetur quisquam, si adeo imperfectos dicimus Apostolos fuisse; nondum enim mysterium crucis erat consummatum, nondum gratia Spiritus in corda ipsorum infusa. Quod si virtutem ipsorum discere cupis, quales post datam gratiam Spiritus fuerint, considera, et videbis omnem ab illis perversam affectionem fuisse superatam. Hac enim de causa eorum modo imperfectio revelatur, ut aperte percipere possis, quales subito per gratiam effecti fuerunt. Quod igitur nihil spiritale petebant, nec de cœlesti regno quidquam cogitabant perspicuum est. Sed tamen inspiciamus etiam quemodo accedant, et quid dicant: Volumus, inquiunt, ut quod-

Digitized by Google

cumque petierimus, facias nobis. Ad quod Christus : Quid vultis? respondit, non ignorans certe, sed ut eos respondere cogat, et ulcus detegat, et ita medicamentum apponat.

Lectio viij.

ILLI vero cum erubescerent, et verecundia prohiberentur, quoniam humano affectu eo devenerant, seorsum ab aliis discipulis Christum accipientes, interrogaverunt. Progressi sunt enim, inquit, ne illis manifesti fierent : et ita demum ea quæ volebant, dixerunt. Volebant autem, ut ego conjicio, quoniam super duodecim sedes sessuros discipulos audierunt, primatum hujus consessus impetrare : et præponi quidem se cæteris sciebant ; Petrum vero sibi præferri formidantes, dicere ausi sunt : Dic ut unus a dextris, alter a sinistris sedeat. Et urgent dicentes : Dic. Quid igitur ipse? ut significaret eos nihil petere spiritale, sed nec scire quidem quid postulent : non enim petere auderent, si scirent : Nescitis, ait, quid petatis ; nescitis quam magnum hoc sit, quam mirabile, ac ipsas superiores excedens virtutes.

Lectio ix.

ET adjecit : Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, et baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Perpendis quomodo statim ab hac opinione ipsos removit, contraria eis disserens. Nam vos, inquit, de honoribus et de coronis mecum agitis, ego vero de luctamine atque sudore dissero. Non præmiorum hoc tempus est, nec illa gloria mea modo apparebit ; sed cædis ac periculorum tempus præsens est. Perspice autem qualiter ipso interrogationis modo et hortatur et allicit. Non enim dixit: Potestisne cædem subire? potestisne vestrum effundere sanguinem? sed, Quonam pacto potestis bibere calicem? Deinde alliciens, inquit, Quem ego bibiturus sum ; ut ipsa cum eo communicatione laborum promptiores redderentur.

Et fit commem. S. Christophori Mart. in Laud. tantum. Oratio Præsta quæsumus ut qui, *p.* 14*.

In II. Vesp. fit comm. sequentis.

Die 26. S. Annæ,

Matris B. M. V.

Duplex Majus.

Oratio.

DEUS, qui beatæ Annæ gratiam conferre dignatus es, ut Genitricis Unigeniti Filii tui mater effici mereretur, concede propitius, ut cujus solemnia celebramus, ejus apud te patrociniis adjuvemur. Per eumdem.

Lect. I. Noct. Mulierem fortem, p. 72*.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Joannis Damasceni.

Orat. 2. *de nativit. B. Mariæ.*

Lectio iv.

PROPONITUR nobis Annæ thalamus, conjugalis vitæ simul et virginitatis formam referens, illam matris, hanc filiæ : quarum altera receus sterilitate liberata est, altera autem aliquanto post, Christi partum ad nostræ naturæ conditionem divino opificio formatum, supra naturam est editura. Merito igitur Anna divino spiritu plena, læto hilarique animo personat : Congaudete mecum, quæ promissionis germen ex sterili ventre peperi, ac benedictionis fructum uberibus meis, ut optaveram, nutrio. Sterilitatis mœstitiam exui, ac lætam fœcunditatis vestem indui. Congaudeat mecum hodie Anna illa Phenennæ adversaria, et novum hoc atque inopinatum miraculum, quod in me gestum est, suo exemplo concelebret.

Lectio v.

EXULTET Sara senili gaudio gestiens, meumque ab sterilitate conceptum prætigurans. Concinant simul steriles et infœcundæ visitationem meam admirabili modo cœlitus factam. Dicant item matres omnes hac fœcun-

Digitized by Google

ditate prædita : Benedictus qui orantibus id, quod optabant, largitus est, et fœcunditatem sterili dedit, ac felicissimum illud germen Virginis concessit, quæ Mater Dei secundum carnem fuit, cujus venter cœlum est, in qua habitavit is, qui nullo loco capi potest. Consonam his nos quoque ipsi, quæ vocabatur sterilis, nunc autem virginei thalami mater extitit, laudem offeramus. Dicamus ad eam cum Scriptura : Quam beata domus David, ex qua prodiisti, et venter in quo Deus sanctificationis arcam, hoc est, eam, a qua ipse sine semine conceptus est, fabricavit !

Lectio vj.

VERE beata es, ac ter beata, quæ beatitudine donatam a Deo infantem, hoc est, Mariam, nomine quoque ipso magnopere venerandam peperisti, ex qua Christus vitæ flos extitit, cujus Virginis et gloriosus fuit ortus, et partus mundo sublimior. Nos quoque, o beatissima femina, tibi gratulamur. Etenim nostrum omnium spem divinitus concessam, hoc est, promissionis fœtum peperisti. Beata revera es, et beatus fructus ventris tui. Piorum autem lingua germen tuum magnificat, ac sermo omnis lætus partum tuum prædicat. Dignum sane quidem ac maxime dignum est eam laudare, quæ divina benignitate oraculum accepit, ac talem et tantum nobis fructum edidit, ex quo dulcis Jesus prodiit.

In III. Noct. Homilia Cœlorum regnum, *de comm.* p. 74*.

In II. Vesp. comm. sequentis.

Die 27. S. Pantaleonis M.

Orat. Præsta ... ut intercedente, p. 14*.

Lectio iij.

PANTALEON Nicomediensis, nobilis medicus, ab Hermolao presbytero in Jesu Christi fide eruditus, baptizatus est ; qui mox patri Eustorgio persuasit, ut Christianus fieret. Quare cum Nicomediæ postea Christi Domini fidem libere prædicaret, et ad ejus doctrinam omnes cohortaretur, Diocletiano Imperatore, equuleo tortus, et admotis ad ejus corpus laminis candentibus, cruciatus est : quam tormentorum vim æquo et forti animo ferens, ad extremum gladio percussus, martyrii coronam adeptus est.

Die 28. SS. Nazarii, Celsi, ET VICTORIS, MARTYRUM, AC INNOCENTII, PAPÆ ET CONF.

Semiduplex.

Oratio.

SANCTORUM tuorum nos, Domine, Nazarii, Celsi, Victoris, ac Innocentii confessio beata communiat, et fragilitati nostræ subsidium dignanter exoret. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

NAZARIUS a beato Lino Papa baptizatus, cum in Galliam profectus esset, ibi Celsum puerum, a se Christianis præceptis prius instructum, baptizavit : qui una Trevirim euntes, Neronis persecutione, in mare uterque dejicitur, unde mirabiliter evaserunt. Postea Mediolanum venientes, cum ibi Christi fidem disseminarent, ab Anolino præfecto, constantissime Christum Deum confitentes, capite plectuntur : quorum corpora extra portam Romanam sepulta sunt. Quæ cum diu latuissent, Dei monitu a Beato Ambrosio conspersa recenti sanguine sunt inventa, tanquam si paulo ante martyrium passi essent : unde in urbem translata, honorifico sepulchro contecta sunt.

Lectio v.

VICTOR in Africa natus, Severo Imperatore, rexit Ecclesiam. Confirmavit decretum Pii Primi, ut sacrum Pascha die Dominico celebraretur : qui ritus, ut postea in morem induceretur, habita sunt multis in locis Concilia; et in Nicæna denique pri-

Digitized by Google

ma Synodo sancitum est, ut Paschæ dies festus post quartamdecimam lunam ageretur, ne Christiani Judæos imitari viderentur. Statuit, ut quavis aqua, modo naturali, si necessitas cogeret, quicumque baptizari posset. Theodotum Coriarium Bizantinum docentem Christum tantummodo hominem fuisse, ejecit ex Ecclesia. Scripsit de quæstione Paschæ, et alia quædam opuscula. Creavit duabus Ordinationibus mense Decembri Presbyteros quatuor, Diaconos septem, Episcopos per diversa loca duodecim. Martyrio coronatus sepelitur in Vaticano, quinto Kalendas Augusti. Sedit annos novem, mensem unum, dies viginti octo.

Lectio vj.

INNOCENTIUS Albanensis, sancti Hieronymi et Augustini ætate floruit. De quo ille ad Demetriadem virginem : Sancti Innocentii, qui Apostolicæ cathedræ, et beatæ memoriæ Anastasii successor et filius est, teneas fidem, nec peregrinam, quamvis tibi prudens callidaque videaris, doctrinam recipias. Eum tamquam justum Lot subtractum Dei providentia ad Ravennam servatum fuisse, scribit Orosius, ne Romani populi videret excidium. Is Pelagio et Cœlestio damnatis, contra eorum hæresim decretum fecit, ut parvuli ex Christiana etiam muliere nati, per baptismum renasci deberent, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Probavit etiam ut sabbato, ob memoriam Christi Domini sepulturæ, jejunium servaretur. Sedit annos quindecim, mensem unum, dies decem. Quatuor Ordinationibus mense Decembri creavit Presbyteros triginta, Diaconos quindecim, Episcopos per diversa loca quinquaginta quatuor. Sepultus est in cœmeterio ad Ursum pileatum.

In III. Noct. Homilia Dominus ac Redemptor, *de Comm.* 1. *loco*, p. 35*.

Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 29. S. Marthæ V.

Semiduplex.

Oratio Exaudi nos, p. 62*.

Et fit comm. præcedent.

Deinde SS. Felicis, Simplicii, Faustini et Beatricis, Mart.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, Domine, ut sicut populus Christianus Martyrum tuorum Felicis, Simplicii, Faustini et Beatricis temporali solemnitate congaudet, ita perfruatur æterna; et quod votis celebrat, comprehendat effectu. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

MARTHA, nobilibus et copiosis parentibus nata, sed Christi Domini hospitio clarior, post ejus ascensum in cœlum, cum fratre, sorore, et Marcella pedissequa, ac Maximino, uno ex septuaginta duobus discipulis Christi Domini, qui totam illam domum baptizaverat, multisque aliis Christianis, comprehensa a Judæis, in navem sine velo ac remigio imponitur, vastissimoque mari ad certum naufragium committitur : sed navis, Deo gubernante, salvis omnibus Massiliam appulsa est.

Lectio v.

EO miraculo, et horum prædicatione, primum Massilienses, mox Aquenses, ac finitimæ gentes in Christum crediderunt, Lazarusque Massiliensium, et Maximinus Aquensium Episcopus creatur. Magdalena vero assueta orationi et pedibus Domini, ut optima parte contemplandæ cœlestis beatitudinis, quam elegerat, frueretur, in vastam altissimi montis speluncam se contulit, ubi triginta annos vixit, ab omni hominum consuetudine disjuncta, quotidieque per id tempus ad audiendas cœlestium laudes in altum ab Angelis elata.

Lectio vj.

MARTHA autem, mirabili vitæ sanctitate et charitate omnium

Digitized by Google

Massiliensium animis in sui amorem et admirationem adductis, in locum a viris remotum cum aliquot honestissimis feminis se recepit, ubi summa cum laude pietatis et prudentiæ diu vixit, ac demum, morte sua multo ante prædicta, miraculis clara migravit ad Dominum, quarto Kalendas Augusti. Cujus corpus apud Tarascum magnam habet venerationem.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo tempore: Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Serm. 26. *de Verb. Domini.*

VERBA Domini nostri Jesu Christi, quæ modo ex Evangelio recitata sunt, admonent nos, esse unum aliquid quo tendamus, quando in hujus sæculi multitudine laboramus. Tendimus autem adhuc peregrinantes, nondum manentes; adhuc in via, nondum in patria; adhuc desiderando, nondum fruendo. Tamen tendamus, et sine pigritia et sine intermissione tendamus, ut aliquando pervenire valeamus. Martha et Maria duæ sorores erant, ambæ non solum carne, sed etiam religione germanæ: ambæ Domino cohæserunt, ambæ Domino in carne præsenti concorditer servierunt.

Lectio viij.

SUSCEPIT eum Martha, sicut solent suscipi peregrini: sed tamen suscepit famula Dominum, ægra Salvatorem, creatura Creatorem. Suscepit autem spiritu pascenda, in carne pascendum. Voluit enim Dominus formam servi accipere, et accepta forma servi, in illa pasci a servis, dignatione, non conditione. Nam et ista dignatio fuit, se præbere pascendum. Habebat carnem in qua esuriret quidem, et sitiret; sed nescitis, quia in eremo esurienti Angeli ministrabant? Ergo quod pasci voluit, pascenti præstitit. Quid autem mirum, si et de sancto Elia præstitit viduæ, quem prius, corvo ministrante, pascebat? Numquid pascendo defecerat, quando ad viduam mittebat? Nequaquam, sed religiosam viduam per obsequium exhibitum servo suo, benedicere disponebat.

Lectio ix.

HIC ergo susceptus est Dominus tanquam hospes, qui in sua propria venit, et sui eum non receperunt: sed quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, adoptans servos, et liberos faciens: redimens captivos, et faciens cohæredes. Ne quis tamen vestrum forsitan dicat: O beati, qui Christum suscipere in domum propriam meruerunt! Noli dolere, noli murmurare, quia temporibus natus es, quando jam Dominum non vides in carne. Non tibi abstulit istam dignationem. Cum uni, inquit, ex minimis fecistis, mihi fecistis. Hæc de Dominopascendo in carne, sed pascente in spiritu, pauca pro tempore dixerimus.

Et fit comm. SS. Mart. Felicis et sociorum in Laudibus.

In II. Vesp. comm. sequentis.

Die 30. SS. Abdon,

ET SENNEN, MARTYRUM.

Oratio.

DEUS, qui sanctis tuis Abdon et Sennen ad hanc gloriam veniendi copiosum munus gratiæ contulisti, da famulis tuis suorum veniam peccatorum, ut, Sanctorum tuorum intercedentibus meritis, ab omnibus mereantur adversitatibus liberari. Per Dominum.

Lectio iij.

ABDON et Sennen Persæ, Decio Imperatore, accusati quod corpora Christianorum, quæ inhumata projiciebantur, in suo prædio sepelissent, jussu Imperatoris comprehenduntur, et diis jubentur sacrificare.

Digitized by Google

Quod cum facere negligerent, et Jesum Christum Deum constantissime prædicarent, traditos in arctam custodiam, Romam postea rediens Decius, vinctos duxit in triumpho. Qui cum in Urbe ad simulacra attracti essent, ea detestati conspuerunt Quamobrem ursis ac leonibus objecti sunt: quos feræ non audebant attingere. Demum gladiis trucidati, colligatis pedibus tracti sunt ante Solis simulacrum: quorum corpora clam inde asportata, Quirinus diaconus sepelivit in suis ædibus.

Vesperæ de sequenti.

Die 31. S. Ignatii.

Confess. *Duplex.*

Oratio.

DEUS, qui ad majorem tui nominis gloriam propagandam, novo per beatum Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti, concede, ut ejus auxilio et imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cœlis: Qui vivis.

Lect. I. Noct. de script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

IGNATIUS natione Hispanus, nobili genere Loyolæ in Cantabria natus, primo Catholici regis aulam, deinde militiam secutus est. In propugnatione Pampelonensi accepto vulnere graviter decumbens, ex fortuita piorum librorum lectione, ad Christi Sanctorumque sectanda vestigia mirabiliter exarsit. Ad Montem Serratum profectus, ante aram beatæ Virginis suspensis armis, nocte excubans sacræ militiæ tyrocinium posuit. Inde, ut erat indutus sacco, traditis antea mendico pretiosis vestibus, Manresam secessit: ubi emendicato pane et aqua victitans, exceptisque diebus Dominicis jejunans, aspera catena cilicioque carnem domans, humi cubans, et ferreis se flagellis cruentans, per annum commoratus est, claris adeo illustrationibus a Deo recreatus, ut postea dicere solitus sit: Si sacræ Litteræ non extarent, se tamen pro fide mori paratum, ex iis solum, quæ sibi Manresæ patefecerat Dominus. Quo tempore, homo litterarum plane rudis, admirabilem illum composuit Exercitiorum librum, Sedis Apostolicæ judicio, et omnium utilitate comprobatum.

Lectio v.

UT vero se ad animarum lucra rite formaret, subsidium litterarum, a Grammatica inter pueros exorsus, adhibere statuit. Cumque nihil interim omitteret de studio alienæ salutis, mirum est quas ubique locorum ærumnas ac ludibria devoraverit, asperrima quæque, et vincula et verbera pene ad mortem usque perpessus: quibus tamen longe plura pro Domini sui gloria semper expetebat. Lutetiæ Parisiorum, adjunctis sibi ex illa Academia variarum nationum sociis novem, qui omnes Artium magisteriis, et Theologiæ gradibus insignes erant, ibidem in Monte Martyrum prima Ordinis fundamenta jecit, quem postea Romæ instituens, ad tria consueta, quarto addito de Missionibus voto, Sedi Apostolicæ arctius adstrinxit, et Paulus Tertius primo recepit, confirmavitque: mox alii Pontifices, ac Tridentina Synodus probavere. Ipse autem, misso ad prædicandum Indis Evangelium sancto Francisco Xaverio, aliisque in alias mundi plagas ad religionem propagandam disseminatis, ethnicæ superstitioni hæresique bellum indixit, eo successu continuatum, ut constans fuerit omnium sensus, etiam Pontificio confirmatus oraculo, Deum sicut alios aliis temporibus sanctos viros, ita Luthero, ejusdemque temporis hæreticis, Ignatium, et institutam ab eo Societatem objecisse.

Lectio vj.

SED in primis inter Catholicos instaurare pietatem curæ fuit. Templorum nitor, Catechismi traditio, concionum ac Sacramentorum frequentia ab ipso incrementum accepere. Ipse apertis ubique locorum ad

Digitized by Google

juventutem erudiendam in litteris ac pietate gymnasiis, erectis Romæ Germanorum collegio, male nuptarum et periclitantium puellarum cœnobiis, utriusque sexus tam Orphanorum, quam Catechumenorum domibus, aliisque pietatis operibus, indefessus lucrandis Deo animis instabat: auditus aliquando dicere, Si optio daretur, malle se beatitudinis incertum vivere, et interim Deo inservire, et proximorum saluti, quam certum ejusdem gloriæ statim mori. In dæmones mirum exercuit imperium. Vultum ejus cœlesti luce radiantem sanctus Philippus Nerius, aliique conspexere. Denique ætatis anno sexagesimo quinto, ad Domini sui amplexum, cujus majorem gloriam in ore semper habuerat, semper in omnibus quæsierat, emigravit. Quem Gregorius Decimus quintus, magnis in Ecclesiam meritis, et miraculis illustrem Sanctorum fastis adscripsit.

In III. Noct. Homilia Dominus et Salvator, *pro Evang.* p. 13*. *cum ℣ de Com.*

Vesperæ de sequenti.

FESTA AUGUSTI.

Prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum.

Die 1. S. Petri ad Vincula.

Duplex majus.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. Psalmi. et alia hic non propria de Com. Apostolorum.

HYMNUS

MIRIS modis repente liber, ferrea,
Christo jubente, vincla Petrus exuit:
Ovilis ille pastor et rector gregis
Vitæ recludit pascua et fontes sacros,
Ovesque servat creditas, arcet lupos.

Patri perenne sit per ævum gloria,
Tibique laudes concinamus inclytas,
Æterne Nate; sit, superne Spiritus,
Honor tibi decusque: sancta jugiter
Laudetur omne Trinitas per sæculum.
Amen.

℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Ad Magnif. Ant. Tu es pastor ovium, princeps Apostolorum, tibi traditæ sunt claves regni cœlorum.

Oratio ut infra in Laudibus.

Et fit comm. S. Pauli, ut ibi.

Deinde præced. et SS. Mart. Machabæorum.

Oratio.

FRATERNA nos, Domine, Martyrum tuorum corona lætificet, quæ et fidei nostræ præbeat incrementa virtutum, et multiplici nos suffragio consoletur. Per Dominum.

Ad Matutinum.

HYMNUS

QUODCUMQUE in orbe nexibus revinxeris,
Erit revinctum, Petre, in arce siderum:
Et quod resolvit hic potestas tradita,
Erit solutum cœli in alto vertice:
In fine mundi judicabis sæculum.

Patri perenne sit per ævum gloria,
Tibique laudes concinamus inclytas,
Æterne Nate; sit, superne Spiritus,
Honor tibi decusque: sancta jugiter,
Laudetur omne Trinitas per sæculum.
Amen.

IN 1. NOCTURNO.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap 12.

MISIT Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. Videns autem quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet et Petrum. Erant autem dies Azymorum. Quem, cum apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo. Et Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.

℟. Simon Petre, antequam de navi vocarem te, novi te, et super ple-

Digitized by Google

bem meam principem te constitui : * Et claves regni cœlorum tradidi tibi. ℣. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Et.

Lectio ij.

CUM autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus, et custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce Angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo; percussoque latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus. Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, et calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me.

℟. Si diligis me, Simon Petre, pasce oves meas. Domine, tu nosti quia amo te, * Et animam meam pono pro te. ℣. Si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Et.

Lectio iij.

ET exiens sequebatur eum, et nesciebat quia verum est, quod fiebat per Angelum; existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primam et secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem; quæ ultro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum, et continuo discessit Angelus ab eo. Et Petrus ad se reversus, dixit: Nunc scio vere quia misit Dominus Angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni expectatione plebis Judæorum.

℟. Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. * Et tibi dabo claves regni cœlorum. ℣. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Et. Gloria. Et.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

THEODOSIO juniore imperante, cum Eudocia ejus uxor Jerosolymam, solvendi voti causa, venisset, ibi multis est affecta muneribus: præ cæteris insigne donum accepit ferreæ catenæ, auro gemmisque ornatæ, quam illam esse affirmabant, qua Petrus Apostolus ab Herode vinctus fuerat. Eudocia catenam pie venerata, eam postea Romam ad filiam Eudoxiam misit, quæ illam Pontifici Maximo detulit: isque vicissim illi monstravit alteram catenam, qua, Nerone Imperatore, idem Apostolus constrictus fuerat.

℟. Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas. * Et extendens manum, apprehendit eum, et dixit Jesus: Modicæ fidei, quare dubitasti? ℣. Cumque vidisset ventum validum venientem, timuit; et cum cœpisset mergi, clamavit, dicens: Domine, salvum me fac. Et.

Lectio v.

CUM igitur Pontifex Romanam catenam cum ea, quæ Jerosolymis allata fuerat, contulisset, factum est, ut illæ inter se sic connecterentur, ut non duæ, sed una catena ab eodem artifice confecta esse videretur. Quo miraculo tantus honor sacris illis vinculis haberi cœpit, ut propterea hoc nomine sancti Petri ad Vincula Ecclesia, titulo Eudoxiæ, dedicata sit in Exquiliis, ejusque memoriæ dies festus institutus Kalendis Augusti.

℟. Surge Petre, et indue te vestimentis tuis, accipe fortitudinem ad salvandas Gentes: * Quia ceciderunt catenæ de manibus tuis. ℣. Angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo carceris; percussoque latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter. Quia.

Lectio vj.

QUO ex tempore honos, qui eo die profanis Gentilium celebritatibus tribui solitus erat, Petri vin-

Digitized by Google

culis haberi cæpit : quæ tacta ægros sanabant, et dæmones ejiciebant. Quo in genere anno salutis humanæ nongentesimo sexagesimo nono accidit, ut quidam Comes, Othonis Imperatoris familiaris, occupatus ab immundo spiritu seipsum dentibus dilaniaret. Quare is jussu Imperatoris ad Joannem Pontificem ducitur, qui ut sacra catena Comitis collum attigit, erumpens nefarius spiritus hominem liberum reliquit : ac deinceps in Urbe sanctorum Vinculorum religio propagata est.

℟. Tu es pastor ovium, princeps Apostolorum, tibi tradidit Deus omnia regna mundi:* Et ideo tibi traditæ sunt claves regni cœlorum. ℣. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Et. Gloria. Et.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo tempore : Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogabat discipulos suos, dicens : Quem dicunt homines esse Filium hominis ? Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Ex Serm. 29. *de Sanctis.*

SOLUS Petrus inter Apostolos meruit audire : Amen dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Dignus certe, qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum. De hoc ait sermo divinus : Et ponebant, inquit, infirmos suos, ut umbra saltem transeuntis Petri obumbraret eos. Si tunc opem ferre poterat umbra corporis, quanto magis nunc plenitudo virtutis ? Si tunc supplicantibus proderat aura quædam pertranseuntis, quanto magis gratia nunc permanentis ? Merito per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum.

℟. Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua : * Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. ℣. Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis. Et.

Lectio viij.

SI tam medicabilis fuit obumbratio visitantis, quanto magis catena vincientis ? Si inanis quædam species vacuæ imaginis habere potuit in se vim salutis, quanto plus de corpore meruerunt attrahere salubritatis ferreo pondere sacris impressa membris vincula passionis ? Si ad præsidia supplicautium tam potens fuit ante martyrium, quanto magis efficax post triumphum ? Felices illi nexus, qui de manicis et compedibus in coronam mutandi, Apostolum contingentes martyrem reddiderunt. Felicia vincula, quæ reum suum usque ad Christi crucem non tam condemnatura, quam consecratura miserunt.

℟. Quem dicunt homines esse Filium hominis ? dixit Jesus discipulis suis. Respondens Petrus, dixit : Tu es Christus Filius Dei vivi. * Et ego dico tibi, quia tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. ℣. Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis. Et, Gloria. Et.

Pro SS. Machabæis.

Lectio ix.

Sermo S. Gregorii Nazianzeni.

Orat. 20. *in Machabæos.*

QUIDNAM Machabæi ? Horum enim nomine dies festus præsenti frequentia celebratur. Qui etsi apud multos non sunt in honore, quod illud certamen post Christum non susceperunt : tamen digni sunt qui ab omnibus honorentur, quia pro patriis legibus et institutis fortes constantesque se præbuerunt. Nam qui martyrium subiere ante Christi passionem, quid facturi e-

Digitized by Google

rant, si post Christum persecutionem passi fuissent, ejusque mortem nostræ salutis causa susceptam, ad imitandum propositam habuissent? Quorum enim, nullo proposito exemplo, talis tantaque virtus fuit, an non ii exemplum illud intuentes, fortius in certamen descendissent? Quin etiam mystica quædam et occulta ratio mihi quidem, atque omnibus Dei amatoribus valde probabilis est, neminem eorum, qui ante Christi adventum martyrio consummati sunt, id sine fide in Christum consequi potuisse.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Herodes rex * apposuit ut apprehenderet et Petrum: quem cum apprehendisset, misit in carcerem, volens post Pascha producere eum populo.

2. Petrus quidem * servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.

3. Dixit Angelus * ad Petrum: Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me.

4. Misit Dominus Angelum suum, et liberavit me de manu Herodis, alleluia.

5. Tu es Petrus, * et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Capitulum. Act. 12.

MISIT Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. Videns autem quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet et Petrum.

HYMNUS.

BEATE pastor Petre, clemens accipe.
Voces precantum, criminumque vincula
Verbo resolve, cui potestas tradita.
Aperire terris cœlum, apertum claudere,
Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque jubilatio,
In Unitate, quæ gubernat omnia
Per universa æternitatis sæcula.
Amen.

℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Ad Bened. Ant. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis, dicit Dominus Simoni Petro.

Oratio.

DEUS, qui beatum Petrum Apostolum, a vinculis absolutum, illæsum abire fecisti, nostrorum, quæsumus, absolve vincula peccatorum, et omnia mala a nobis propitiatus exclude. Per.

Et fit commemor. S. Pauli.

Ant. Sancte Paule Apostole, prædicator veritatis, et Doctor Gentium, intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit.

℣. Tu es vas electionis, sancte Paule Apostole. ℟. Prædicator veritatis in universo mundo.

Oratio.

DEUS, qui multitudinem Gentium beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti, da nobis quæsumus, ut cujus commemorationem colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus.

Deinde SS. Machabæorum.

Ad Tertiam.

Capit. Misit Herodes.

℟. *br.* In omnem terram. ℣. Constitues eos.

Ad Sextam.

Capitulum. Act. 12.

PETRUS quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.

℟. *br.* Constitues eos. ℣. Nimis honorati sunt.

Ad Nonam.

Capitulum. Act. 12.

ET Petrus ad se reversus, dixit: Nunc scio vere quia misit Domi-

Digitized by Google

nus Angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni expectatione plebis Judæorum.

℟. *br.* Nimis honorati sunt.

℣. Annuntiaverunt.

In II. Vesperis

Ant. et Capit. de Laud. Psalmi ut in II. Vesp. Apost.

Hymnus et ℣. ut in I. Vesp.

Ad Magnif. Ant. Solve, jubente Deo, terrarum, Petre, catenas, qui facis ut pateant cœlestia regna beatis.

Deinde fit comm. S. Pauli, ut supra, et postea sequentis.

Die 2. S. Stephani.

Papæ et Martyris.

Oratio. Deus qui nos beati. *p.* 14*.

Lectio ij.

STEPHANUS Romanus Pontificatum gessit, Valeriano et Gallieno Imperatoribus. Instituit ut Sacerdotes et Diaconi nusquam sacris vestibus, nisi in Ecclesia uterentur. Baptizatos ab hæreticis, iterum baptizari vetuit, rescribens sancto Cypriano verbis illis: Nihil innovetur, nisi quod traditum est. Multos etiam ad Christum convertit: in iis Olympium tribunum cum uxore Exuperia, et filio Theodulo; item Nemesium tribunum cum tota familia, oculis Lucillæ ejus filiæ restitutis: qui omnes Jesu Christi martyres fuerunt. Sed vehementius jam ingravescente persecutione Imperatorum, Stephanus, convocato clero, ad martyrium suos hortabatur, in cryptisque martyrum assidue Missas et Concilia celebrabat.

Lectio iij.

QUI cum aliquando raptus esset ab infidelibus ad templum Martis, ut ei sacrificaret, libere negavit se dæmonibus eum honorem velle tribuere, qui uni Deo deberetur. Quibus in verbis Martis statua terræmotu concidit, templumque contremuit. Quare omnibus aufugientibus, qui Stephanum tenebant, Pontifex ad suos revertitur in cœmeterium Lucinæ; quos divinis præceptis instruens, sacramento Corporis Christi communicavit: ibique dum Missarum solemnia perficit, advenientibus iterum Imperatorum satellitibus, ei in sua sede caput abscinditur. Corpus cum eadem sede conspersa Martyris sanguine, a clericis sepultum est in cœmeterio Callisti, quarto Nonas Augusti. Vixit in Pontificatu annos tres, menses tres, dies viginti duos. Habuit Ordinationes duas mense Decembri, quibus creavit Presbyteros sex, Diaconos quinque, Episcopos tres.

Die 3. In Inventione.

SANCTI STEPHANI,

Protomartyris. *Semiduplex.*

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. Psalmi de Dom. loco ult. Laudate Dominum omnes gentes.

Hymnus et ℣. de Communi.

Ad Magnif. Ant. Stephanus autem plenus gratia et fortitudine, faciebat signa magna in populo.

Oratio ut infra in Laudibus.

Lect. I. Noct. Dura cervice, *et ℟. ut in Octava ejusdem Sancti*, p. 173.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

SANCTORUM corpora Stephani protomartyris, Gamalielis, Nicodemi, et Abibonis, quæ diu in obscuro ac sordido loco jacuerant, Honorio Imperatore, Luciano Presbytero divinitus admonito, inventa sunt prope Jerosolymam. Cui Gamaliel cum in somnis apparuisset gravi quadam et præclara senis specie, locum jacentium corporum commonstravit, imperans ut Joannem Jerosolymitanum Antistitem adiret, ageretque cum eo, ut honestius illa corpora sepelirentur.

℟. Lapidabant Stephanum invocantem et dicentem: * Domine Jesu Christe, accipe spiritum meum, et ne statuas illis hoc peccatum ℣. Positis autem genibus clamavit voce magna, dicens. Domine.

Digitized by

Lectio v.

QUIBUS auditis, Jerosolymorum Antistes, finitimarum urbium Episcopis Presbyterisque convocatis, ad locum pergit; defossos loculos invenit, unde suavissimus odor efflabatur. Cujus rei fama commota magna hominum multitudo eo convenit, multique ex variis morbis ægroti ac debiles, sani et integri domum redierunt. Sacrum autem sancti Stephani corpus, quod summa tunc celebritate in sanctam Ecclesiam Sion illatum est, sub Theodosio juniore Constantinopolim, inde Romam, Pelagio Primo Summo Pontifice, translatum, in agro Verano, in sepulchro sancti Laurentii martyris collocatum est.

℟. Impetum fecerunt unanimiter in eum, et ejecerunt eum extra civitatem, invocantem et dicentem:* Domine Jesu, accipe spiritum meum, ℣. Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus; et lapidabant Stephanum invocantem et dicentem. Domine.

Ex libro S. Augustini Episcopi de Civitate Dei.

Lectio vj. Lib. xxii. c. 8.

AD aquas Tibilitanas Episcopo afferente Projecto reliquias martyris gloriosissimi Stephani, ad ejus memoriam veniebat magnæ multitudinis concursus, et occursus. Ibi cæca mulier, ut ad Episcopum portantem pignora sacra duceretur, oravit: flores, quos ferebat, dedit: recepit, oculis admovit, protinus vidit. Stupentibus qui aderant, præibat exultans, viam carpens, et vim ducem ulterius non requirens. Memorati memoriam Martyris, quæ posita est in castello Synicensi, quod Hipponensi coloniæ vicinum est, ejusdem loci Lucillus Episcopus, populo præcedente atque sequente, portabat: fistula, cujus molestia jamdiu laboraverat, et familiarissimi sui medici, qui eam secaret, operiebatur manus, illius pia sarcinæ vectatione, repente sanata est.

℟. Impii super justum jacturam fecerunt, ut eum morti traderent:* At ille gaudens suscepit lapides, ut mereretur accipere coronam gloriæ. ℣. Continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum. At. Gloria. At.

In III. Noct. Homilia Hoc quod antea dixeramus, *et* ℟℟. *ut in Festo S. Stephani*, p. 180.

Ad Laudes

et per Horas Antiph.

Ant. 1. Lapidaverunt Stephanum,* et ipse invocabat Dominum dicens: Ne statuas illis hoc peccatum.

2. Lapides torrentis* illi dulces fuerunt: ipsum sequuntur omnes animæ justæ.

3. Adhæsit anima mea* post te, quia caro mea lapidata est pro te, Deus meus.

4. Stephanus vidit cœlos apertos vidit et introivit; beatus homo, cui cœli patebant.

5. Ecce video* cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei.

Capitulum Act. 6.

STEPHANUS autem plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia, et signa magna in populo.

Hymnus de communi.

℣. Sepelierunt Stephanum viri timorati. ℟. Et fecerunt planctum magnum super eum.

Ad Bened. Ant. Stephanus autem plenus gratia et fortitudine, faciebat signa magna in populo.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Domine, imitari quod colimus, ut discamus et inimicos diligere, quia ejus Inventionem celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit.

Ad Tertiam.

Capit. Stephanus autem.

℟. *br.* Gloria et honore. ℣. Posuisti Domine.

Digitized by Google

Ad Sextum.

Capitulum. Act. 6.

SURREXERUNT autem quidam de synagoga, quæ, appellatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et eorum qui erant a Cilicia et Asia, disputantes cum Stephano: et non poterant resistere sapientiæ, et Spiritui, qui loquebatur.

℟. *br.* Posuisti Domine. ℣. Magna est gloria.

Ad Nonam.

Capitulum. Act. 7.

POSITIS autem genibus, clamavit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino.

℟. *br.* Magna est gloria. ℣. Justus ut palma.

Vesperæ de sequenti.

Die 4. S. Dominici Conf.

Duplex. (m. t. v.)

Oratio.

DEUS, qui Ecclesiam tuam beati Dominici Confessoris tui illuminare dignatus es meritis et doctrinis, concede ut ejus intercessione temporalibus non destituatur auxiliis, et spiritualibus semper proficiat incrementis. Per Dominum.

Deinde fit comm. S. Stephani.

Ant. Sepelierunt Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum.

℣. Stephanus vidit cœlos apertos. ℟. Vidit et introivit; beatus homo, cui cœli patebant.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

DOMINICUS, Calarogæ in Hispania, ex nobili Gusmanorum familia natus, Palentiæ liberalibus disciplinis et Theologiæ operam dedit. Quo in studio cum plurimum profecisset, prius Oxomensis Ecclesiæ Canonicus regularis, deinde Ordinis Fratrum Prædicatorum auctor fuit. Hujus mater gravida sibi visa est in quiete continere in alvo catulum ore præferentem facem, qua editus in lucem orbem terrarum incenderet. Quo somnio significabatur, fore ut splendore sanctitatis ac doctrinæ, gentes ad Christianam pietatem inflammarentur. Veritatem exitus comprobavit: id enim et præstitit per se, et per sui Ordinis socios deinceps est consecutus.

Lectio v.

HUJUS autem ingenium ac virtus maxime enituit in evertendis hæreticis, qui perniciosis erroribus Tolosates pervertere conabantur. Quo in negotio septem consumpsit annos. Postea Romam venit ad Lateranense Concilium cum Episcopo Tolosano, ut Ordo quem instituerat, ab Innocentio Tertio confirmaretur. Quæ res dum in deliberatione versatur, Dominicus hortatu Pontificis ad suos revertitur, ut sibi regulam deligeret. Romam rediens, ab Honorio Tertio, qui proximus Innocentio successerat confirmationem Ordinis Prædicatorum impetrat. Romæ autem duo instituit monasteria, alterum virorum, mulierum alterum. Tres etiam mortuos ad vitam revocavit, multaque alia edidit miracula, quibus Ordo Prædicatorum mirifice propagari cœpit.

Lectio vj.

VERUM cum ejus opera ubique terrarum monasteria jam ædificarentur, innumerabilesque homines religiosam ac piam vitam instituerent, Bononiæ anno Christi ducentesimo vigesimo primo supra millesimum, in febrem incidit: ex qua cum se morituram intelligeret, convocatis fratribus et alumnis suæ disciplinæ, eos ad innocentiam et integritatem cohortatus est. Postremo charitatem, humilitatem, paupertatem, tanquam certum patrimonium, eis testamento reliquit: fratribusque orantibus, in illis verbis, Subvenite Sancti Dei, occurrite

Digitized by Google

Angeli, obdormivit in Domino, octavo Idus Augusti. Quem postea Gregorius Nonus Pontifex retulit in Sanctorum numerum.

In III. Noct. Homilia Sancti Evangelii, fratres *de Com.* I. *loco.*

Vesp. de seq. comm. præced.

Die 5. S. Mariæ Ad Nives.

Duplex Majus.

Omnia ut in Festis B. M. V. p. 92*.*

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

LIBERIO Summo Pontifice, Joannes Patricius Romanus et uxor pari nobilitate, cum liberos non suscepissent, quos bonorum hæredes relinquerent, suam hæreditatem sanctissimæ Virgini Dei Matri voverunt, ab ea summis precibus assidue petentes, ut in quod pium opus eam pecuniam potissimum erogari vellet, aliquo modo significaret. Quorum preces et vota ex animo facta, beata virgo Maria benigne audiens, miraculo comprobavit.

Lectio v.

NONIS igitur Augusti, quo tempore in Urbe maximi calores esse solent, noctu nix partem collis Exquilini contexit. Qua nocte Dei mater separatim Joannem et conjugem in somnis admonuit, ut quem locum nive conspersum viderent, in eo Ecclesiam ædificarent, quæ Mariæ Virginis nomine dedicaretur: se enim ita velle ab ipsis hæredem institui. Quod Joannes ad Liberium Pontificem detulit, qui idem per somnium sibi contigisse affirmavit.

Lectio vj.

QUARE solemni Sacerdotum et populi supplicatione, ad collem venit nive coopertum, et in eo locum Ecclesiæ designavit, quæ Joannis et uxoris pecunia extructa est, postea a Xysto Tertio restituta. Variis nominibus primum est appellata, Basilica Liberii, Sancta Maria ad Præsepe. Sed cum multæ jam essent in Urbe Ecclesiæ sub nomine sanctæ Mariæ virginis, ut quæ Basilica novitate miraculi ac dignitate cæteris ejusdem nominis Basilicis præstaret, vocabuli etiam excellentia significaretur, Ecclesia sanctæ Mariæ majoris dicta est. Cujus dedicationis memoria ex nive, quæ hac die mirabiliter cecidit, anniversaria celebritate colitur.

Vesperæ de sequenti.

Die 6. In Transfiguratione

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Duplex Majus.

Ad I. Vesperas.

Ant. et Capit. de Laud. Psalm. de Dom. loco ult. Laudate Dominum omnes gentes.

HYMNUS.

QUICUMQUE Christum quæritis,
Oculos in altum tollite:
Illic licebit visere
Signum perennis gloriæ.

Illustre quiddam cernimus,
Quod nesciat finem pati,
Sublime, celsum, interminum,
Antiquius cælo et chao.

Hic ille Rex est Gentium,
Populique Rex Judaici.
Promissus Abrahæ patri,
Ejusque in ævum semini.

Hunc et Prophetis testibus,
Iisdemque signatoribus
Testator et Pater jubet
Audire nos et credere.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui te revelas parvulis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

Sic terminantur Hymni per omnes Horas.

℣. Gloriosus apparuisti in conspectu Domini. ℟. Propterea decorem induit te Dominus.

Ad Magnif. Ant. Christus Jesus splendor Patris, et figura substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, in monte excelso gloriosus apparere hodie dignatus est.

Oratio ut infra in Laudibus.

Digitized by Google

Et fit commem. S. Mariæ, ant. Beatam. ℣. Dignare.

Deinde SS. Xysti, Felicissimi et Agapiti Mart. Oratio Deus qui nos concedis, *p.* 29.*

Ad Matutinum.

Invit. Summum Regem gloriæ, * Christum adoremus.

Hymn. Quicumque, *ut supra.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Paulo minus ab Angelis minoratus, gloria et honore coronatus est, et constitutus super opera manuum Dei.

Psalm. Domine Dominus, *p.* 4.

Ant. Revelavit Dominus condensa, et in templo ejus omnes dicent gloriam.

Psalm. Afferte Domino, *p.* 33.

Ant. Speciosus forma præ filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis.

Psalm. Eructavit cor, *p.* 45.

℣. Gloriosus apparuisti in conspectu Domini. ℟. Propterea decorem induit te Dominus.

De Epistola secunda Beati Petri Apostoli.

Lectio j. Cap. I.

FRATRES, magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi. Propter quod incipiam vos semper commonere de his, et quidem scientes et confirmatos vos in præsenti veritate. Justum autem arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo suscitare vos in commonitione: certus quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi.

℟. Surge, illumiuare, Jerusalem, quia venit lumen tuum: * Et gloria Domini super te orta est. ℣. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Et.

Lectio ij.

DABO autem operam et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis. Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.

℟. In splendenti nube Spiritus sanctus visus est, Paterna vox audita est: * Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite ℣. Apparuit nubes obumbrans, et vox Patris intonuit. Hic.

Lectio iij.

ET hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris, hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, loculi sunt sancti Dei homines.

℟. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus Pater, * Ut filii Dei nominemur, et simus. ℣. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Ut. Gloria. Ut.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis: turbati sunt omnes insipientes corde.

Psalm. Notus in Judæa, *p.* 61.

Ant. Melior est dies una in atriis tuis super millia.

Psalm. Quam dilecta, *p.* 68.

Ant. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.

Psalm. Fundamenta ejus, *p.* 69.

Digitized by Google

℣. Gloria et honore coronasti eum, Domine. ℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Sermo S. Leonis Papæ.

Serm. de Transfiguratione.

Lectio IV.

APERIT Dominus coram electis testibus gloriam suam, et communem illam cum cæteris corporis formam tanto splendore clarificat, ut et facies ejus solis fulgori similis, et vestitus candori nivium esset æqualis. In qua transfiguratione illud quidem principaliter agebatur, ut de cordibus discipulorum crucis scandalum tolleretur, nec conturbaret eorum fidem voluntariæ humilitas passionis, quibus revelata esset absconditæ excellentia dignitatis. Sed non minore providentia spes sanctæ Ecclesiæ fundabatur: ut totum Christi corpus agnosceret, quali esset commutatione donandum: ut ejus sibi honoris consortium membra promitterent, qui in capite præfulsisset.

℟. Inebriati sunt ab ubertate domus tuæ: * Et torrente voluptatis tuæ potasti eos. ℣. Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. Et.

Lectio V.

CONFIRMANDIS vero Apostolis, et ad omnem scientiam provehendis, alia quoque in illo miraculo accessit instructio. Moyses enim et Elias, Lex scilicet et Prophetæ, apparuerunt cum Domino loquentes: ut verissime in illa quinque virorum præsentia compleretur quod dictum est, in duobus vel tribus testibus stat omne verbum. Quid hoc stabilius, quid firmius verbo, in cujus prædicatione veteris et novi Testamenti concinit tuba, et cum Evangelica doctrina antiquarum protestationum instrumenta concurrunt? Adstipulantur enim sibi invicem utriusque fœderis paginæ, et quem sub velamine mysteriorum præcedentia signa promiserant, manifestum atque perspicuum præsentis gloriæ splendor ostendit.

℣. Præceptor, bonum est nos hic esse: * Faciamus hic tria tabernacula; tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum. ℣. Non enim sciebat quid diceret. Faciamus.

Lectio VI.

HIS ergo sacramentorum revelationibus Petrus Apostolus incitatus, mundana spernens, et terrena fastidiens, in æternorum desiderium quodam mentis rapiebatur excessu: et gaudio totius visionis impletus: ibi cum Jesu optabat habitare, ubi manifesta ejus gloria lætabatur. Unde et ait: Domine, bonum est nos hic esse; si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum. Sed huic suggestioni Dominus non respondit, significans non quidem improbum, sed inordinatum esse quod cuperet, cum salvari mundus, nisi Christi morte non posset: et exemplo Domini in hoc vocaretur credentium fides, ut licet non oporteret de beatitudinis promissionibus dubitari, intelligeremus tamen inter tentationes hujus vitæ prius nobis tolerantiam postulandam esse, quam gloriam.

℟. Si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur: * Multo magis ministratio spiritus, quæ manet, erit in gloria. ℣. Amplioris enim gloriæ Christus præ Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domo, qui fabricavit eam. Multo. Gloria. Multo.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Tabor et Hermon in nomine tuo exultabunt, tuum brachium cum potentia.

Psalm. Misericordias, *p.* 70.

Ant. Lux orta est justo, et rectis corde lætitia.

Psalm. Dominus regnavit, *p.* 72.

Ant. Confessionem et decorem induit, amictus lumine sicut vestimento.

Digitized by Google

Psalm. Benedic anima, *p.* 77.

℣. Mágna est gloria e us in salutari tuo. ℟. Gloriam et magnum decorem impones super eum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 17.

IN illo tempore: Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos. Et reliqua

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homilia 57. *in Matth.*

QUONIAM multa de periculis, multa de passione sua, multa de morte, et de cæde discipulorum locutus est Dominus, et aspera complura atque ardua eis injunxit, et illa quidem in præsenti vita, et jam imminebant; bona vero in spe et expectatione erant: ut puta, quia servarent animam suam, si perderent eam; quia in gloria Patris sui venturus sit, et præmia redditurus: ut visu etiam certiores faceret, et ostenderet quidnam sit illa gloria cum qua venturus est, quantum capere poterant in hac præsenti vita, illis ostendit, eamque detegit, ne aut sua, aut Domini morte doleant, et maxime Petrus.

℟. Vocavit nos Deus vocatione sua sancta secundum gratiam suam, quæ manifestata est nunc, * Per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi. ℣. Qui destruxit mortem, illuminavit autem vitam in incorruptionem. Per.

Lectio viij.

ET vide quid agit, cum de regno et de gehenna disseruerit. Nam in eo quod dixit, Qui invenit animam suam, perdet eam; et quicumque perdet eam gratia mei, inveniet ipsam; et in eo quod ait, Reddet unicuique secundum opera sua; et regnum et gehennam designavit. Cum igitur de utrisque disseruerit, regnum quidem ut oculis cernatur, concedit; gehennam autem minime, quoniam rudioribus atque ineptioribus illud necessarium fuisset: sed cum illi probi essent ac perspicaces, satis fuit eos a melioribus confirmari. Hoc etiam multo magis ipsum decebat, non tamen omnino illud prætermisit, sed et aliquando atrocitatem gahennæ quasi ante oculos proponit, veluti cum Lazari imaginem descripsit, et ejus meminit qui denarios centum repetit.

℟. Deus, qui fecit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris, * Ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Jesu Christi. ℣. Exortum est in tenebris lumen rectis corde, misericors, et miserator, et justus. Ad. Gloria. Ad.

Pro SS. Martyribus.

Lectio ix.

XYSTUS Secundus, Atheniensis ex philosopho Christi discipulus, in persecutione Valeriani accusatus, quod publice Christum prædicaret, comprehensus trahitur in templum Martis, proposita ei capitali pœna, nisi illi simulacro sacrificaret. Qua impietate constantissime recusata, cum ad martyrium duceretur, occurrenti sancto Laurentio, et dolenter in hunc modum interroganti: Quo progrederis sine filio, pater? quo, Sacerdos sancte, sine ministro properas? respondit: Non ego te desero, fili: majora te manent pro Christi fide certamina: post triduum me sequèris, Sacerdotem Levita: interea si quid in thesauris habes, pauperibus distribue. Eodem igitur die interfectus est una cum Felicissimo et Agapìto Diaconis, Januario, Magno, Vincentio, et Stephano Subdiaconis, et in cœmeterio Callisti sepultus octavo Idus Augusti: cæteri vero in cœmeterio Prætextati. Sedit menses undecim, dies duodecim. Quo tempore habuit Ordinationem mense Decembri, creatis Presbyteris quatuor, Diaconis septem, Episcopis duobus.

Ubi vero hoc Festum fit sub ritu duplici I. Classis, vel si transferatur in diem non habentem Lect. propriam, legitur sequens.

Digitized by Google

Lectio IX.

TU vero Matthæi philosophiam considera, qui non celavit nomina eorum qui præpositi fuerant. Quod et Joannes sæpius facit, cum eximias Petri laudes verissime ac diligentissime describat. Nullum enim in hoc Apostolorum consortio livor aut inanis gloria locum habebat. Primos igitur Apostolorum seorsum assumpsit. Quamobrem eos solos accepit? Quia excellentiores cæteris videlicet erant. Cur autem non illico, sed post sex dies hoc fecit? Ne cæteri scilicet discipuli seu homines moverentur: qua de re nec eos nominavit, quos accepturus erat.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Assumpsit Jesus * Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit eos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos.

2. Resplenduit facies ejus * sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix, alleluia.

3. Et ecce apparuerunt * eis Moyses et Elias, loquentes cum Jesu.

4. Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse.

5. Adhuc eo loquente, * ecce nubes lucida obumbravit eos.

Capitulum. Philip. 3.

SALVATOREM expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.

HYMNUS.

LUX alma, Jesu, mentium,
Dum corda nostra recreas,
Culpæ fugas caliginem,
Et nos reples dulcedine.

Quam lætus est, quem visitas!
Consors Paternæ dexteræ,
Tu dulce lumen patriæ,
Carnis negatum sensibus.

Splendor Paternæ gloriæ,
Incomprehensa charitas,
Nobis amoris copiam
Largire per præsentiam.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui te revelas parvulis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Corona aurea super caput ejus. ℟. Expressa signo sanctitatis, gloriæ, et honoris.

Ad Bened. Ant. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite, alleluia.

Oratio.

DEUS, qui fidei sacramenta in Unigeniti tui gloriosa transfiguratione, patrum testimonio roborasti, et adoptionem filiorum perfectam voce delapsa in nube lucida mirabiliter præsignasti, concede propitius, ut ipsius Regis gloriæ nos cohæredes efficias, et ejusdem gloriæ tribuas esse consortes. Per eumdem Dominum.

Et fit com. SS. Martyrum.

In ℟. br. ad Primam. ℣. Qui apparuisti hodie.

Ad Tertiam.

Capit. Salvatorem, *ut supra.*

℟. *br.* Gloriosus apparuisti in conspectu Domini, * Allel., allel. Gloriosus ℣. Propterea decorem induit te Dominus. Alleluia. Gloria. Gloriosus. ℣. Gloria et honore coronasti eum, Domine, alleluia. ℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum, all.

Ad Sextam.

Capitulum. 2. Cor. 3.

NOS omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu.

℟. *br.* Gloria et honore coronasti eum, Domine, * Alleluia, allel. Gloria. ℣. Et constituisti eum super opera manuum tuarum. Alleluia, allel. Gloria Patri. Gloria. ℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo, alleluia. ℟. Glo-

Digitized by Google

riam et magnum decorem impones super eum, alleluia.

Ad Nonam.

Capitulum. Apoc. 21.

SUSTULIT me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem, descendentem de cœlo a Deo, habentem claritatem Dei: et lucerna ejus est Agnus.

℟. *br.* Magna est gloria ejus in salutari tuo, * Alleluia, alleluia. Magna. ℣. Gloriam et magnum decorem impones super eum. Alleluia, allel. Gloria. Magna. ℣. Corona aurea super caput ejus, allel. ℟. Expressa signo sanctitatis, gloriæ, et honoris, alleluia.

Ino II. Vesperis.

Omnia dicuntur ut in I. præter

Ad Magnif. Ant. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde: et accessit Jesus: et tetigit eos, dixitque eis: Surgite, et nolite timere, alleluia.

Deinde fit comm. sequentis.

Die 7. S. Cajetani Confes.

Duplex.

In utrisque Vesp. ad Magnif. Ant. Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.

Oratio.

DEUS, qui beato Cajetano Confessori tuo Apostolicam vivendi formam imitari tribuisti, da nobis ejus intercessione et exemplo in te semper confidere, et sola cœlestia desiderare. Per Dominum.

Deinde S. Donati Episc. et Mart.

Oratio.

DEUS tuorum gloria sacerdotum, præsta, quæsumus, ut sancti Martyris tui et Episcopi Donati, cujus festa gerimus, sentiamus auxilium. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CAJETANUS nobili Thienæa gente Vicentiæ ortus, statim a matre Deiparæ Virgini oblatus est. Mira a teneris annis morum innocentia in eo eluxit, adeo ut Sanctus ab omnibus nuncuparetur. Juris utriusque lauream Patavii adeptus, Romam profectus est; ubi inter Prælatos a Julio Secundo collocatus, et sacerdotio initiatus, tanto divini amoris æstu succensus est, ut, relicta aula, se totum Deo mancipaverit. Nosocomiis proprio ære fundatis, etiam morbo pestilenti laborantibus suis ipse manibus inserviebat. Proximorum saluti assidua cura incumbebat, dictus propterea Venator animarum.

Lectio v.

COLLAPSAM Ecclesiasticorum disciplinam ad formam Apostolicæ vitæ instaurare desiderans, Ordinem Clericorum regularium instituit, qui, abdicata rerum omnium terrenarum sollicitudine, nec reditus possiderent, nec vitæ subsidia a fidelibus peterent, sed solis eleemosynis sponte oblatis viverent. Itaque, approbante Clemente Septimo, ad aram maximam Basilicæ Vaticanæ, una cum Joanne Petro Carafa Episcopo Theatino, qui postea Paulus Quartus Pontifex Maximus fuit, et aliis duobus eximiæ pietatis viris, vota solemnia emisit. In Urbis direptione a militibus crudelissime vexatus, ut pecuniam proderet, quam dudum in cœlestes thesauros manus pauperum deportaverant, verbera, tormenta, et carceres invicta patientia sustinuit. In suscepto vitæ instituto constantissime perseveravit, soli divinæ providentiæ inhærens, quam sibi numquam defuisse aliquando miracula comprobarunt.

Lectio vj.

DIVINI cultus studium, nitorem domus Dei, sacrorum rituum observantiam, et sanctissimæ Eucharistiæ frequentiorem usum maxime promovit. Hæresum monstra et latebras non semel detexit, ac profligavit. Oratio-

Digitized by Google

nem ad octo passim horas jugibus lacrymis protrahebat; sæpe in extasim raptus, ac prophetiæ dono illustris. Romæ nocte natalitia ad præsepe Domini infantem Jesum accipere meruit a Deipara in ulnas suas. Corpus integras noctes interdum verberationibus affligebat, nec unquam adduci potuit, ut vitæ asperitatem emolliret, testatus in cinere et cilicio velle se mori. Denique ex animi dolore concepto morbo, quod offendi plebis seditione Deum videret, cœlesti visione recreatus, Neapoli migravit in cœlum: ibique corpus ejus in Ecclesia sancti Paull magna religione colitur. Quem multis miraculis in vita et post mortem gloriosum Clemens Decimus Pontifex Maximus Sanctorum numero adscripsit.

In III. Noct. Homilia. Nemo potest duobus, *ut in Dom.* 14. *post Pentec.* p. 399. *cum.* ñ. vij. *et* viij. *de com.*

Pro S. Donato Episc. et Mart.

Lectio ix.

DONATUS, parentibus propter Jesu Christi fidem interfectis, Arretium in Hetruriam cum Hilarino monacho ex fuga se contulit: cujus etiam urbis Episcopus creatus est. Ubi cum a Quadratiano Præfecto in Juliani persecutione uterque idola venerari juberetur, negantibus illis se tam nefarium scelus commissuros, Hilarinus in oculis Quadratiani tamdiu fustibus cæsus est, dum efflaret animam. Donatus vehementer, et ipse cruciatus, gladio percussus est. Quorum corpora a Christianis prope eam urbem honorifice sepulta sunt.

Ad Bened. Ant. Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus? scit enim Pater vester quid vobis necesse sit.

Et fit comm. S. Donati Mart.

In II. Vesp. comm. sequentis.

Die 8. SS. Cyriaci,

LARGI ET SMARAGDI,

Martyrum. *Semiduplex.*

Oratio.

DEUS, qui nos annua sanctorum Martyrum tuorum Cyriaci, Largi, et Smaragdi solemnitate lætificas, concede propitius, ut quorum natalitia, colimus, virtutem quoque passionis imitemur. Per Dominum.

Lect. 1. Noct de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CYRIACUS Diaconus, cum Sisinnio, Largo, et Smaragdo diutius inclusus in carcere, multa edidit miracula, in quibus Arthemiam Diocletiani filiam precibus a dæmone liberavit, missusque ad Saporem Persarum regem, Jobiam etiam ejus filiam a nefario spiritu eripuit. Rege vero ejus patre cum quadringentis ac triginta aliis baptizatis, Romam rediit: ubi Maximiani Imperatoris jussu comprehensus, catenis vinctus ante rhedam suam trahitur: et post dies quatuor e carcere eductus, pice liquata perfusus, et in catasta extensus, demum cum Largo, et Smaragdo, aliisque viginti securi percussus est via Salaria ad hortos Salustianos. Quorum corpora in eadem via, decimo septimo Kalendas Aprilis, sepulta a Joanne presbytero, postea sexto Idus Augusti a Marcello Pontifice et Lucina nobili femina lineis velis involuta, et prætiosis unguentis condita, in ipsius Lucinæ prædium, via Ostiensi, septimo ab Urbe lapide translata sunt.

Lectio v. *et* vj. Nemo est qui nesciat *de Comm.* 2. *loco*, p. 37*. *cum* ñ. v. *et* vj.

In III. Noct. Homilia Potest omnis creaturæ, *ut in die* 3. *Dec.*, p. 614. *cum.* ñ̃ñ̃. *de Communi.*

In II. Vesp. comm. S. Romani Mart. Oratio. Præsta quæsumus . . . ut intercedente, p. 14*.

Die 9. In Vigilia

SANCTI LAURENTII, Mart.

Homilia Quia Dominus ac Redem-

Digitized by Google

ptor, *de Com. unius Mart. 2. loco*, p. 22*. *cum.* ℣. *Feria occ.*

Et dicuntur Preces feriales.

Oratio.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, et intercessione beati Laurentii Martyris tui, cujus prævenimus festivitatem, perpetuam nobis misericordiam benignus impende. Per Dominum.

Et fit comm. S. Romani Mart.

Die 10. S. Laurentii,

Martyris. *Duplex 2. Class.*

Ad I. Vesperas.

Ant. et Capit. de Laud. Psalmi de Dom. loco. ult. Laudate Dominum omnes gentes.

Hymnus et ℣. et reliqua hic non propria de Communi.

Ad Magnif. Ant. Levita Laurentius bonum opus operatus est, qui per signum crucis cæcos illuminavit, et thesauros Ecclesiæ dedit pauperibus.

Oratio ut infra in Laudibus.

Ad Matutinum.

Invit. Beatus Laurentius Christi martyr triumphat coronatus in cœlis: * Venite, Adoremus Dominum.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Quo progrederis sine filio, pater? quo, Sacerdos sancte, sine ministro properas?

2. Noli me derelinquere, pater sancte, quia thesauros tuos jam expendi, quos tradidisti mihi.

3. Non ego te desero, fili, neque derelinquo: sed majora tibi debentur pro Christi fide certamina.

℣. Gloria et honore. ℟. Et constituisti.

De libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 15.

CONFITEBOR tibi, Domine Rex, et collaudabo te Deum salvatorem meum. Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum a perditione, a laqueo linguæ iniquæ, et a labiis operantium mendacium, et in conspecto astantium factus es mihi adjutor. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui a rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, et de portis tribulationum, quæ circumdederunt me; a pressura flammæ, quæ circumdedit me, et in medio ignis non sum æstuatus: de altitudine ventris inferi, et a lingua coinquinata, et a verbo mendacii, a rege iniquo, et a lingua injusta.

℟. Levita Laurentius bonum opus operatus est qui per signum crucis cæcos illuminavit, * Et thesauros Ecclesiæ dedit pauperibus. ℣. Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi. Et.

Lectio. ij.

LAUDABIT usque ad mortem anima mea Dominum, et vita mea appropinquans erat in inferno deorsum. Circumdederunt me undique, et non erat qui adjuvaret. Respiciens eram ad adjutorium hominum, et non erat. Memoratus sum misericordiæ tuæ, Domine, et operationis tuæ, quæ a sæculo sunt: quoniam eruis sustinentes te, Domine, et liberas eos de manibus Gentium. Exaltasti super terram habitationem meam, et pro morte defluente deprecatus sum.

℟. Puer meus, noli timere, quia ego tecum sum, dicit Dominus: * Si transieris per ignem, flamma non nocebit tibi, et odor ignis non erit in te. ℣. Liberabo te de manu pessimorum, et eruam te de manu fortium. Si.

Lectio. iij.

INVOCAVI Dominum Patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ, et in tempore superborum sine adjutorio. Laudabo nomen tuum assidue, et collaudabo illud in confessione, et exaudita est oratio mea. Et liberasti me de perditione, et eripuisti me de tempo-

Digitized by Google

re iniquo. Propterea confitebor, et laudem dicam tibi, et benedicam nomini Domini.

℟. Strinxerunt corporis membra posita super craticulam: ministrantibus prunas insultat Levita Christi:* Beate Laurenti martyr Christi, intercede pro nobis.

℣. Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt. Beate. Gloria. Beate.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. Beatus Laurentius orabat, dicens: Domine Jesu Christe, Deus de Deo, miserere mihi servo tuo.

2. Dixit Romanus ad beatum Laurentium: Video ante te juvenem pulcherrimum, festina me baptizare.

3. Beatus Laurentius dixit: Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt.

℣. Posuisti Domine. ℟. Coronam.

Sermo S. Leonis Papæ.

In Natali S. Laurentii.

Lectio iv.

CUM furor Gentilium potestatum in electissima quæque Christi membra sæviret, ac præcipue eos, qui ordinis erant sacerdotalis, impeteret, in Levitam Laurentium, qui non solum ministerio Sacramentorum, sed etiam dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ præeminebat, impius persecutor efferbuit, duplicem sibi prædam de unius viri comprehensione promittens, quem si fecisset sacræ pecuniæ traditorem, faceret etiam veræ religionis exortem. Armatur itaque gemina face homo pecuniæ cupidus, et veritatis inimicus: avaritia, ut rapiat aurum: impietate, ut auferat Christum. Postulat sibi ab immaculato sacrarii præsule opes Ecclesiasticas, quibus avidissimus inhiabat, inferri. Cui Levita castissimus, ubi eas repositas haberet, ostendens, numerosissimos sanctorum pauperum obtulit greges, in quorum victu atque vestitu inamissibiles condiderat facultates: quæ tanto integrius erant salvæ, quanto sanctius probabantur expensæ.

℟. Quo progrederis sine filio pater? quo, Sacerdos sancte, sine diacono properas? * Tu nunquam sine ministro Sacrificium offerre consueveras. ℣. Quid ergo in me displicuit paternitati tuæ? numquid degenerem me probasti? experire utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem. Tu.

Lectio v.

FREMIT ergo prædo frustratus, et in odium religionis, quæ talem divitiarum usum instituisset, ardescens, direptionem thesauri potioris aggreditur, apud quem nullam denariorum substantiam reperisset: ut illud depositum, quo sacratius erat dives, auferret. Renuntiare Christo Laurentium jubet, et solidissimam illam Levitici animi fortitudinem diris parat urgere suppliciis: quorum ubi prima nil obtinent, vehementiora succedunt. Laceros artus, et multa verberum sectione conscissos, subjecto præcipit igne torreri: ut per cratem ferream, quæ jam de fervore continuo vim in se haberet urendi, conversorum alterna mutatione membrorum, fieret cruciatus vehementior, et pœna productior.

℟. Noli me derelinquere, pater sancte, quia thesauros tuos jam expendi. * Non ego te desero, fili, neque derelinquo; sed majora tibi debentur pro fide Christi certamina. ℣. Nos quasi senes levioris pugnæ cursum recipimus: te autem quasi juvenem manet gloriosior de tyranno triumphus: post triduum me sequeris Sacerdotem Levita. Non.

Lectio vj.

NIHIL obtines, nihil proficis, sæva crudelitas. Subtrahitur tormentis tuis materia mortalis, et Laurentio in cœlos abeunte, tu deficis flammis tuis. Superari charitas Christi flamma non potuit, et segnior fuit ignis, qui foris ussit, quam qui

Digitized by Google

intus accendit. Sævisti, persecutor, in Martyrem, sævisti, et auxisti palmam dum aggeras pœnam. Nam quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem transierunt triumphi etiam instrumenta supplicii? Gaudeamus igitur, dilectissimi, gaudio spiritali, et de felicissimo inclyti viri fine gloriemur in Domino, qui est mirabilis in Sanctis suis, in quibus nobis et præsidium constituit, et exemplum: atque ita per universum mundum clarificavit gloriam suam, ut a solis ortu usque ad occasum. Leviticorum luminum coruscante fulgore, quam clarificata est Jerosolyma Stephano; tam illustris fieret Roma Laurentio.

℟. Beatus Laurentius clamavit, et dixit: Deum meum colo, illi soli servio. * Et ideo non timeo tormenta tua. ℣. Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt. Et. Gloria. Et.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Strinxerunt corporis membra posita super craticulam: subjicientibus prunas insultat Levita Christi.

Psalm. Domine quis, *p.* 7.

Ant. Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.

Psalm. Exaudi Domine, *p.* 8.

Ant. Interrogatus te Dominum confessus sum. assatus gratias ago.

Psalm. Domine in virtute, *p.* 11.

℣. Magna est gloria. ℟. Gloriam et magnum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 51. *in Joannem.*

IPSE Dominus Jesus erat granum mortificandum et multiplicandum: mortificandum infidelitate Judæorum, multiplicandum fide populorum. Jam vero exhortans ad passionis suæ sectanda vestigia: Qui amat, inquit, animam suam, perdet eam. Quod duobus modis intelligi potest. Qui amat, perdet: id est, si amas, perdes. Si cupis vitam tenere in Christo, noli mortem timere pro Christo. Item alio modo: Qui amat animam suam, perdet eam; noli amare, ne perdas; noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita.

℟. In craticula te Deum non negavi, * Et ad ignem applicatus, te Dominum Jesum Christum confessus sum. ℣. Probasti, Domine, cor meum et visitasti nocte. Et.

Lectio viij.

HOC autem, quod posterius, dixi, magis habere videtur Evangelicus sensus. Sequitur enim: Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Ergo, quod supra dictum est, qui amat, (subintelligitur, in hoc mundo) ipse utique perdet: qui autem odit (utique in hoc mundo) in vitam æternam ipse custodit eam. Magna et mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor ut pereat, odium ne pereat. Si male amaveris, tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.

℟. O Hippolyte, si credideris in Dominum Jesum Christum, * Et thesauros tibi ostendo, et vitam æternam promitto. ℣. Beatus Laurentius Hippolyto dixit: Si credis in Dominum Jesum Christum. Et. Gloria. Et.

Lectio ix.

SED vide ne tibi subrepat, ut te ipsum velis interimere, sic intelligendo, quod debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni atque perversi homines, et in se ipsos crudeliores et sceleratiores homicidæ, flammis se donant, aquis se præfocant, præcipitio se collidunt, et pereunt. Hoc Christus non

Digitized by Google

docuit : imo etiam diabolo præcipitium suggerenti respondit: Redi retro, satana ; scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit, significans qua morte clarificaturus erat Deum: Cum esses junior, cingebas te , et ambulabas quo volebas : cum autem senueris , alter te cinget, et feret quo tu non vis. Ubi satis expressit, non a seipso, sed ab alio debere occidi , qui vestigia sequitur Christi.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Laurentius ingressus est * martyr , et confessus est nomen Domini Jesu Christi.

2. Laurentius * bonum opus operatus est, qui per signum crucis cæcos illuminavit.

3. Adhæsit anima mea * post te , quia caro mea igne cremata est pro te, Deus meus.

4. Misit Dominus * Angelum suum, et liberavit me de medio ignis, et non sum æstuatus.

5. Beatus Laurentius* orabat , dicens: Gratias tibi ago, Domine, quia januas tuas ingredi merui.

Capitulum. 2. Cor.

FRATRES, qui parce seminat , parce et metet : et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.

℣. Dispersit, dedit pauperibus.

℟. Justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Ad Bened Ant. In craticula te Deum non negavi , et ad ignem applicatus te Christum confessus sum : probasti cor meum , et visitasti nocte: ignem me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.

Oratio.

DA nobis quæsumus, omnipotens Deus, vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Dominum.

Ad Tertiam.

Capit. Fratres qui parce.

℟. *br.* Gloria et honore. ℣. Posuisti Domine.

Ad Sextam.

Capitulum. 2. Cor.

UNUSQUISQUE prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.

℟. *br.* Posuisti Domine ℣. Magna est.

Ad Nonam

Capitulum. Cor. 2.

POTENS est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis , ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes , abundetis in omne opus bonum , sicut scriptum est : Dispersit , dedit pauperibus , justitia ejus manet in sæculum sæculi.

℟. *br.* Magna est. ℣. Justus ut palma.

Ire II. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. Psalm. de Dom. loco ult. Credidi , *p.* 88.

℣. Levita Laurentius bonum opus operatus est. ℟. Qui per signum crucis cæcos illuminavit.

Ad Magnif. Ant. Beatus Laurentius , dum in craticula superpositus ureretur , ad impiissimum tyrannum dixit : Assatum est jam, versa et manduca : nam facultates Ecclesiæ quas requiris , in cœlestes thæsauros manus pauperum deportaverunt.

Deinde fit comm. SS. Tiburtii et Susannæ Martyrum.

Oratio.

SANCTORUM Martyrum tuorum Tiburtii , et Susannæ , nos , Domine , foveant continuata præsidia ; quia non desinis propitius intueri , quos talibus auxiliis concesseris adjuvari. Per Dominum.

Die 11. Secunda

Infr. Oct, S. Laurentii.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

Digitized by Google

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Sermone 30. de Sanctis.

Lectio iv.

BEATISSIMI Laurentii martyris cujus natalem hodie celebramus, passionem nosse vos credo; et quanta in persecutione pertulerit, dilectionem vestram scire posse non dubito. Tanta enim ejus martyrii gloria extitit, ut passione sua mundum illuminaverit universum. Illuminavit mundum plane Laurentius eo lumine, quo ipse accensus est; et flammis, quas ipse pertulit, omnium Christianorum corda calefecit.

Lectio v.

QUIS nolit ad horam uri Laurentii igne, ut æternum gehennæ non patiatur incendium? Beati igitur Laurentii exemplo provocamur ad martyrium, et accendimur ad fidem, incalescimus ad devotionem; et si in nobis persecutoris flamma deest, fidei tamen flamma non deest. Non ardemus quidem corpore pro Christo, sed ardemus affectu. Non subjicit mihi persecutor ignem, sed subjicit mihi desiderium Salvatoris.

Lectio vj.

ESSE autem Salvatoris ignem legimus in Evangelio, dicente eodem Domino: Nescitis quia veni ignem mittere in terram; et quid volo nisi ut accendatur? Quo igne succensi illi duo discipuli dixerunt: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas? Hoc igitur igne beatus Laurentius accensus, flammarum non sentit incendium: et dum Christi ardet desiderio, persecutoris pœnam non sentit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

De Homilia S. Augustini Episcopi.

Ex Tract. 50. *in Joannem.*

CUM ergo causæ articulus venerit, ut hæc conditio proponatur, aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut ex hac vita emigrandum: quorum duorum homo si cogatur alterum eligere, comminante mortem persecutore, ibi eligat Deo dilecto emori, quam offenso vivere. Ibi oderit in hoc mundo animam suam, ut in vitam æternam custodiat eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur. Quid est, Me sequatur, nisi, me imitetur? Christus enim pro nobis passus est, ait Apostolus Petrus, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus.

Lectio viij.

ECCE quod dictum est: Si quis mihi ministrat, me sequatur. Quo fructu? qua mercede? quo præmio? Et ubi sum, inquit, ego, illic et minister meus erit. Gratis ametur, ut operis, quo ministratur illi, pretium sit esse cum illo. Ubi enim bene erit sine illo? aut quando esse male poterit cum illo? Audi evidentius: Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. Quo honore, nisi ut sit cum filio ejus? Quod enim superius ait: Ubi ego sum, illic et minister meus erit; hoc intelligitur exposuisse, cum dicit, Honorificabit eum Pater meus. Nam quem majorem honorem accipere poterit adoptatus, quam ut sit ubi est Unicus, non æqualis factus divinitati, sed consociatus æternitati?

Pro SS. Martyribus.

Lectio ix.

TIBURTIUS Chromatii præfecti Urbis filius, sancti Sebastiani opera Christianus, cum ob eam causam ad Fabianum judicem adductus esset, multaque apud illum de Christi fide prædicaret, excandescens ju-

Digitized by Google

dex pavimentum candentibus carbonibus sterni jubet. Mox, Tiburti, inquit, vel diis nostris sacrifices oportet, vel per istos carbones nudis pedibus tibi incedendum est. At ille crucis signo se muniens, fidenterque ambulans in prunis: Disce, inquit, ex hoc solum esse Deum, quem Christiani colunt: prunæ enim mihi flores videntur. Quod cum magicis artibus tribueretur, extra Urbem ductus Tiburtius, ac via Lavicana, tertio ab Urbe lapide, gladio percussus, ibi a Christianis sepelitur. Quo die Susanna virgo nobilissima, quod Galerii Maximiani, filii Diocletiani Imperatoris, conjugium recusaret, ut quæ virginitatem Deo voverat, post multa tormentorum genera, quibus varie tentatum est sanctum virginis propositum, domi suæ jussu imperatoris gladio percussa, ad duplex virginitatis et martyrii præmium migravit in cœlum.

In Laud. comm. SS. Mart.
Vesperæ de sequenti.

Die 12. S. Claræ,

Virginis. *Duplex.*

Oratio. Exaudi nos, p. 62*.
Et fit comm. Oct. S. Laurentii.
Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CLARA, nobilis virgo, Assisii nata in Umbria, sanctum Franciscum concivem suum imitata, cuncta sua bona in eleemosynas, et pauperum subsidia distribuit, et couvertit. De sæculi strepitu fugiens, in campestrem declinavit Ecclesiam, ibique ab eodem beato Francisco recepta tonsura, consanguineis ipsam reducere conantibus fortiter restitit. Et denique ad Ecclesiam sancti Damiani fuit per eumdem adducta, ubi ei Dominus plures socias aggregavit, et sic ipsa sacrarum Sororum collegium instituit, quarum regimen, nimia sancti Francisci devicta importunitate, recepit. Suum monasterium sollicite ac prudenter in timore Domini, ac pleno Ordinis observantia, annis quadraginta duobus mirabiliter gubernavit: ejus enim vita erat aliis eruditio et doctrina, unde cæteræ viventi regulam dicerunt.

Lectio v.

UT carne depressa, spiritu convalesceret, nudam humum, et interdum sarmenta pro lecto habebat, et pro pulvinari sub capite durum lignum. Una tunica cum mantello de vili et hispido panno utebatur, aspero cilicio nonnunquam adhibito juxta carnem. Tanta se frænabat abstinentia, ut longo tempore, tribus in hebdomada diebus nihil penitus pro sui corporis alimento gustaverit: reliquis autem diebus tali se ciborum parvitate restringens, ut aliæ, quomodo subsistere poterat, mirarentur. Binas quotannis (antequam ægrotaret) quadragesimas solo pane et aqua refecta jejunabat. Vigiliis insuper et orationibus assidue dedita, in his præcipue dies noctesque expendebat. Diutinis perplexa languoribus, cum ad exercitium corporale non posset surgere per se ipsam, sororum suffragio levabatur, et fulcimentis ad tergum appositis, laborabat propriis manibus, ne in suis etiam esset infirmitatibus otiosa. Amatrix præcipua paupertatis, ab ea pro nulla unquam necessitate discessit, et possessiones, pro sororum sustentatione a Gregorio Nono oblatas constantissime recusavit.

Lectio vj.

MULTIS et variis miraculis virtus suæ sanctitatis effulsit. Cuidam de sororibus sui monasterii loquelam restituit expeditam, alteri aurem surdam aperuit; laborantem febre, tumentem hydropisi, plagatam fistula, aliasque aliis oppressas languoribus liberavit. Fratrem de Ordine Minorum ab insaniæ passione sanavit. Cum oleum in monasterio totaliter defecisset, Clara accepit urceum, atque lavit, et inventus est oleo, beneficio divinæ largitatis impletus. Unius panis medietatem adeo multipli-

Digitized by Google

cavit, ut sororibus quinquaginta sufficerit. Saracenis Assisium obsidentibus, et Claræ monasterium invadere conantibus, ægra se ad portam afferri voluit, unaque vas, in quo sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum erat inclusum, ibique oravit: Ne tradas, Domine, bestiis animas confitentes tibi, et custodi famulas, quas pretioso sanguine redemisti. In cujus oratione ea vox audita est: Ego vos semper custodiam. Saraceni autem partim se fugæ mandarunt, partim qui murum ascenderant, capti oculis, præcipites ceciderunt. Ipsa denique virgo, cum in extremis ageret, a candido beatarum Virginum cœtu (inter quas una eminentior ac fulgidior apparebat) visitata, ac sacra Eucharistia sumpta, et peccatorum indulgentia ab Innocentio Quarto ditata, pridie Idus Augusti animam Deo reddidit. Post obitum vero quam plurimis miraculis resplendentem Alexander Quartus inter sanctas Virgines retulit.

In III. Noct. Homilia Sæpe vos fratres, *de Com. 1. loco.*

Et fit comm. Oct. in Laud.

In II. Vesp. comm. Oct. et SS. Hippolyti et Cassiani Mart.

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut beatorum Martyrum tuorum Hippolyti et Cassiani veneranda solemnitas, et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum.

Die 13. Quarta

Infra Oct. S. Laurentii.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro Officiorum sancti Ambrosii Episcopi.

Lectio iv. Lib. I. c. 41.

NON prætereamus sanctum Laurentium, qui cum videret Xystum Episcopum suum ad martyrium duci, flere cœpit non passionem illius, sed suam remansionem. Itaque his verbis appellare cœpit: Quo progrederis sine filio, pater? quo, Sacerdos sancte, sine diacono properas? Numquam sacrificium sine ministro offerre consueveras. Quid in me ergo displicuit, pater? Num degenerem probasti? Experire certe utrum idoneum ministrum elegeris. Cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem, cui consummandorum consortium Sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas?

Lectio v. *Lib. 2. c. 28.*

AQUO cum quærerentur thesauri Ecclesiæ, promisit se demonstraturum. Sequenti die pauperes duxit. Interrogatus ubi essent thesauri quos promiserat, ostendit pauperes, dicens: Hi sunt thesauri Ecclesiæ. Et vere thesauri, in quibus Christus est, in quibus Christi fides est. Denique Apostolus ait: Habemus thesaurum in vasis fictilibus. Quos meliores thesauros habet Christus, quam eos in quibus se esse dixit? Sic enim scriptum est: Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me. Et infra: Quod enim uni horum fecistis, mihi fecistis. Hos thesauros demonstravit Laurentius, et vicit, quod eos nec persecutor potuit auferre.

Lectio vj.

NUMQUID dictum est sancto Laurentio: Non debuisti erogare thesauros Ecclesiæ, vasa Sacramentorum vendere? Opus est ut quis fide sincera et perspicaci providentia munus hoc impleat. Sane si in sua quis derivat emolumenta, crimen est: sin vero pauperibus erogat, captivum redimit, misericordia est. Nemo enim potest dicere: Cur pauper vivit? Nemo potest queri, quia captivi redempti sunt. Nemo potest accusare, quia templum Dei ædificatum est. Nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spatia laxata sunt. Nemo potest dolere, quia in sepulturis Christianorum, requies defunctorum est. In his tribus generibus vasa Ecclesiæ, etiam initiata, confringere, conflare, vendere licet.

Digitized by Google

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Ex Tract. 51. in Joannem.

MINISTER est Christi usque ad illud opus magnæ charitatis, quod est animam suam pro fratribus ponere: hoc est enim et pro Christo ponere, quia et hoc propter sua membra dicturus est: Cum pro istis fecistis, pro me fecistis. De tali quippe opere etiam se ministrum facere et appellare dignatus est, ubi ait: Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et animam suam ponere pro multis. Hinc est ergo unusquisque minister Christi, unde est minister et Christus. Sic ministrantem Christo honorificabit Pater ejus honore illo magno, ut sit cum Filio ejus, nec unquam deficiat felicitas ejus.

Lectio viij.

CUM ergo auditis, fratres, Dominum dicentem: Ubi ego sum, illic et minister meus erit; nolite tantummodo bonos Episcopos et clericos cogitare: etiam vos pro modulo vestro ministrate Christo, bene vivendo, eleemosynas faciendo, nomen doctrinamque ejus quibus potueritis, prædicando: ut unusquisque etiam paterfamilias hoc nomine agnoscat paternum affectum suæ familiæ se debere. Pro Christo, et pro vita æterna suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat disciplinam; ita in domo sua Ecclesiasticum, et quodammodo Episcopale implebit officium, ministrans Christo, ut in æternum sit cum ipso.

Pro SS. Martyribus.

Lectio ix.

HIPPOLYTUS a sancto Laurentio baptizatus, domi suæ dum Eucharistiam sumeret, comprehensus, et ad Valerianum Imperatorem adductus, ab eo de suæ religionis professione interrogatus, libere se Christianum professus est. Quamobrem fustibus cæditur: quibus in verberibus cum ejus fides constantior inveniretur, muneribus et honorum promissis tentatur. Quæ cum omnia frustra dicerentur, præfecto occidendus traditur. Qui domum Hippolyti veniens, ut ejus facultates publicaret, totam familiam Christianam esse cognoscit, atque iis a Christiana fide frustra deterritis, primum plumbatis cæsa Concordia Hippolyti nutrice, quæ cæteros confirmabat, reliquos extra portam Tiburtinam occidi jubet. Hippolytus indomitis equis raptatus per loca tribulis et carduis consita, lacerato corpore spiritum Deo reddidit, unaque cum reliquis a Justino Presbytero ad agrum Veranum sepultus est. Eadem die, ad Forum Syllæ, crudelissimo supplicio affectus est Cassianus martyr, qui vinctis post terga manibus, puerorum, quos erudiebat, ferreis stylis configendus excarnificandusque traditur. Quorum quanto erat infirmior vis, tanto ejus pœna martyrii gravior ac diuturnior, palmaque illustrior.

Et fit comm. SS. Mart. in Laud. In II. Vesp. comm. S. Eusebii Conf. Oratio Deus qui nos beati, *p.* 51.*

Die 14. Quinta

Infr. Oct. S. Laurentii.

Lect. I. Noct. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Maximi Episcopi.

Homil. I. de S. Laurentio.

Lectio iv.

SANCTUM est, fratres, ac Deo placitum, ut natalem beati Laurentii præcipua devotione veneremur: cujus radiantibus flammis victrix in hunc quoque diem toto orbe Christi

Digitized by Google

coruscat Ecclesia. Qui cum in sede gloriosissimi Patriarchæ diaconatus fungeretur officio, puritate innocentis vitæ, fortissimæque mortis triumpho, Apostolico se consortio copulavit. Nec immerito eum Apostolorum supparem prædicamus, cui et castitas animi Leviticum ministerium dedit, et plenitudo fidei martyrii contulit dignitatem.

Lectio v.

QUEM venerabilis Xystus Romanæ urbis Antistes, cum impietatem sævientis mundi per tormenta superaret, et regnis esset cœlestibus jam vicinus, videretque eum paterna de morte tristissimum, ita illum spiritu præscientiæ compellasse narratur: Noli, fili, mœstus esse, post triduum me sequèris. Unde apparet, charissimi, beatum Laurentium non de sacerdotis sui victoria habuisse tristitiam, sed doluisse quia non etiam ipse mundum cum suo pariter sacerdote vincebat. Noli, inquit, fili, mœstus esse; post triduum me sequèris: hoc est noli tristis esse, velut apud sæculum derelictus: nam nec te fides vitaque tua tali morte privabit.

Lectio vj.

ERGO ut comperit ore sacerdotis et martyris, se quoque omnimodis assumendum, congregatis inopum turbis, Ecclesiasticum censum religiosa liberalitate divisit. Quam profundum spiritalis viri, et quam cœleste consilium, ut et egenis consuleret, et multitudine consumente quæ dederat, inveniri non posset quod raperet persecutor; illam nimirum secutus sententiam: Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in æternum.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homil. 65. in Joannem.

TALEM, de resurrectione disputans, rationem Paulus etiam attulit. Quam igitur habebunt excusationem, qui resurrectionem non credunt, cum in seminibus et in plantis quotidie hoc videamus, ac etiam in nostro genere? Primum enim corrumpi semen oportet, inde fieri generationem. Omnino autem cum Deus aliquid facit, nulla opus est ratione. Quomodo nos ex nihilo fecit? Hoc ad Christianos dico, qui se dicunt credere Scripturis.

Lectio viij.

EGO autem et aliud dicam ex humanis rationibus. Alii malitiam, alii virtutem sectantur: sed malitiæ sectatorum multi feliciter in ultimam pervenerunt senectutem, virtutis autem contra. Quomodo ergo pro meritis unusquisque accipiet? quando? Certe, inquiunt; sed corpora non resurgent. Nonne audiunt Paulum dicentem: Oportet autem corruptibile hoc induere incorruptionem? Neque animam intelligit, quippe quæ non corrumpitur; et resurrectio de mortuo dicitur: Cecidit autem corpus.

Pro Vigilia Assumptionis.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio ix. Cap. 11.

IN illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 10. in Joannem.

BEATA virgo Maria, quia fecit voluntatem Patris. Hoc in ea magnificavit Dominus, quia fecit voluntatem Patris, non quia caro genuit carnem. Intendat charitas vestra. Propterea cum Dominus in turba admi

Digitized by Google

rabilis videretur, faciens signa et prodigia, et ostendens quid lateret in carne, admiratæ quædam animæ, dixerunt. Felix venter, qui te portavit. Et ille: imo felices, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. Hoc est dicere: Et mater mea, quam appellatis felicem, inde felix, quia verbum Dei custodit; non quia in illa Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, sed quia custodit ipsum Verbum Dei, per quod facta est, et quod in illa caro factum est.

In Laud. fit comm. Vigiliæ. Ant. et ỹ. de Feria occurrente.

Oratio.

DEUS, qui virginalem aulam beatæ Mariæ, in qua habitares, eligere dignatus es, da, quæsumus, ut sua nos defensione munitos, jucundos facias suæ interesse festivitati.

Et postea S. Eusebii Conf.

Die 15. In Assumptione BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Duplex I. *Classis.*

Ise I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. Psalmi et reliqua hic non propria ut in festis B. M. V. p. 92*.

ỹ. Exaltatata est sancta Dei Genitrix. ℟. Super choros Angelorum ad cœlestia regna.

Ad Magnif. Ant. Virgo prudentissima, quo progrederis, quasi aurora valde rutilans? Filia Sion, tota formosa et suavis es, pulchra ut luna, electa ut sol.

Oratio ut infra in Laudibus.

Et non fit comm. Oct. S. Laurentii in utrisq. Vesp. nec in Laud.

Ad Matutinas essse.

Invit. Venite, adoremus Regem regum: * Cujus hodie ad æthereum Virgo mater assumpta est cœlum.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad cœlestia regna.

2. Paradisi portæ per te nobis apertæ sunt, quæ hodie gloriosa cum Angelis triumphas.

3. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

ỹ. Exaltata est sancta Dei Genitrix. ℟. Super choros Angelorum ad cœlestia regna.

Incipiunt Cantica canticorum,

Lectio j. Cap. I.

OSCULETUR me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me, post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum: recti diligunt te. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

℟. Vidi speciosam sicut columbam, ascendentem desuper rivos aquarum, cujus inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus: * Et sicut dies veris circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. ỹ. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris? Et.

Lectio ij.

NOLITE me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol: filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hœdos tuos juxta tabernacula pastorum. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Si-

Digitized by Google

on : quasi myrrha electa[1], * Dedi suavitatem odoris, ℣. Et sicut cinnamomum et balsamum aromatizans. Dedi.

Lectio iij.

MURENULAS aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. Lectulus noster floridus : tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

℟. Quæ est ista, quæ processit sicut sol, et formosa tanquam Jerusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, et beatam dixerunt, et reginæ laudaverunt eam. ℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt. Gloria. Viderunt.

IN II. NOCTURNO.

℣. Assumpta est Maria in cœlum, gaudent Angeli. ℟. Laudantes benedicunt Dominum.

Sermo S. Joannis Damasceni.

Orat. 2. de Dormit. B. Mariæ.

Lectio iv.

HODIE sacra et animata arca Dei viventis, quæ suum in utero concepit Creatorem, requiescit in templo Domini, quod nullis est extructum manibus : et David exultat ejus parens, et cum eo choros ducunt Angeli, celebrant Archangeli, Virtutes glorificant, Principatus exultant, Potestates collætantur, gaudent Dominationes, Throni festum diem agunt, laudant Cherubim, gloriam ejus prædicant Seraphim. Hodie Eden novi Adam paradisum suscipit animatum, in quo soluta est condemnatio, in quo plantatum est lignum vitæ, in quo operta fuit nostra nuditas.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit : * Et vidente eam filiæ Sion, beatissimam prædicaverunt, dicentes : Unguentum effusum nomen tuum. ℣. Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Et.

Lectio v.

HODIE virgo immaculata, quæ nullis terrenis inquinata est affectibus, sed cœlestibus educata cogitationibus, non in terram reversa est ; sed, cum esset animatum cœlum, in cœlestibus tabernaculis collocatur. Ex qua enim omnibus vera vita manavit, quomodo illa mortem gustaret? Sed cedit legi latæ ab eo quem genuit, et ut filia veteris Adam, veterem sententiam subiit : (nam et ejus Filius, qui est vita ipsa, eam non recusavit) ut autem Dei viventis Mater, ad illum ipsum digne assumitur.

℟. Beatam me dicent omnes generationes : * Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia.

Lectio vj.

HEVA, quæ serpentis suggestioni assensum præbuit, partus dolore, et mortis sententia damnatur, et in inferorum collocatur penetralibus. Hanc autem vere beatam, quæ Dei verbo aures præstitit, et Spiritus sancti operatione repleta est, atque ad Archangeli spiritalem salutationem, sine voluptate et virili consortio, Dei Filium concepit, et sine dolore aliquo peperit, ac totam se Deo consecravit, quonam modo mors devoraret? quomodo inferi susciperent? quomodo corruptio invaderet corpus illud, in quo vita suscepta est? Huic recta, plana, et facilis ad cœlum parata est via. Si enim, Ubi ego sum, illic et minister meus erit, inquit vita et veritas Christus, quomodo non potius Mater cum ipso erit?

℟. Beata es, virgo Maria, quæ Dominum portasti Creatorem mundi : * Genuisti qui te fecit, et in æternum

Digitized by Google

permanes virgo. ℣. Ave, Maria, gratia plena: Dominus tecum. Genuisti. Gloria. Genuisti.

IN III. NOCTURNO.

℣. Maria virgo assumpta est ad æthereum thalamum. ℟. In quo Rex regum stellato sedet solio.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo tempore: Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Serm. 27. de verbis Domini.

SANCTUM Evangelium cum legeretur, audivimus a femina religiosa susceptum esse Dominum hospitio, eaque Martha vocabatur. Et cum esset ipsa occupata in cura ministrandi, soror ejus Maria sedebat ad pedes Domini, et audiebat verbum ejus. Laborabat illa, vacabat ista. Illa erogabat, hæc implebatur. Verumtamen Martha laborans multum in illa occupatione et negotio ministrandi, interpellavit Dominum, et de sorore sua conquesta est, quod eam laborantem non adjuvaret.

℟. Diffusa est gratia in labiis tuis,* Propterea benedixit te Deus in æternum ℣. Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. Propterea.

Bened. Cujus..... ipsa Virgo.

Lectio viij.

DOMINUS autem pro Maria respondit Marthæ; et ipse ejus factus est advocatus, qui judex fuerat interpellatus. Martha, inquit, circa multa es occupata, quando unum est necessarium. Maria meliorem partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Audivimus enim et interpellationem interpellantis, et sententiam judicis. Quæ sententia interpellanti respondit, susceptam defendit. Erat enim Maria intenta dulcedini verbi Domini. Intenta erat Martha quomodo pasceret Dominum, intenta Maria quomodo pasceretur a Domino. A Martha convivium Domino parabatur, in cujus convivio Maria jam jucundabatur.

℟. Beata es, Virgo Maria, Dei Genitrix, quæ credidisti Domino: perfecta sunt in te quæ dicta sunt tibi, ecce exaltata es super choros Angelorum: * Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. ℣. Ave, Maria, gratia plena: Dominus tecum. Intercede. Gloria. Intercede.

Lectio ix.

CUM ergo Maria suaviter audiret verbum dulcissimum, et corde intentissimo pasceretur, interpellato Domino a sorore sua, quomodo putamus eam timuisse: ne diceret ei Dominus: Surge, et adjuva sororem tuam? Mira enim suavite tenebatur: quæ profecto major est mentis, quam ventris. Excusata est, sedit securior. Quomodo autem excusata? Attendamus, inspiciamus, perscrutemur quod possumus, ut pascamur et nos.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Assumpta est Maria * in cœlum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

2. Maria virgo * assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.

3. In odorem * unguentorum tuorum currimus: adolescentulæ dilexerunt te nimis.

4. Benedicta filia * tu a Domino, quia per te fructum vitæ communicavimus.

5. Pulchra es * et decora, filia Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.

Capitulum. Eccl. 24.

IN omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.

Digitized by Google

℣. Exaltata est sancta Dei Genitrix. ℟. Super choros Angelorum ad cœlestia regna.

Ad Bened Ant. Quæ est ista, quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?

Oratio.

FAMULORUM tuorum, quæsumus, Domine, delictis ignosce, ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur. Per eumdem.

Ad Tertiam.

Capit. In omnibus.

br. Exaltata est, * Sancta Dei Genitrix. Exaltata ℣. Super choros Angelorum ad cœlestia regna. Sancta. Gloria. Exaltata. ℣. Assumpta est Maria in cœlum, gaudent Angeli. ℣. Laudantes benedicunt Dominum.

Ad Sextam.

Capitulum. Eccl. 24.

ET sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.

℟. *br.* Assumpta est Maria in cœlum, * Gaudent Angeli. Assumpta. ℣. Laudantes benedicunt Dominum. Gaudent. Gloria. Assumpta. ℣. Maria virgo assumpta est ad æthereum thalamum. ℟. In quo Rex regum stellato sedet solio.

Ad Nonam.

Capitulum. Eccl. 24.

IN plateis sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

℟. *br.* Maria virgo assumpta est, * Ad æthereum thalamum. Maria. ℣. In quo Rex regum stellato sedet solio. Ad. Gloria. Maria. ℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata. ℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

In II. Vesperis.

Omnia dicuntur ut in I. prater

Ad Magnif. Ant. Hodie Maria virgo cœlos ascendit: gaudete, quia cum Christo regnat in æternum.

Et fit comm. S. Hyacint conf. si cras agatur de eo. Oratio ut infra, p. 826.

DOMINICA

Infra oct. Assumptionis

S. JOACHIM, PATRIS B. M. V.

Conf. *Duplex majus* (m. t. v.)

Si hæc Dom. inciderit in diem 16. *in II. Vesp. Assumptionis fiat comm. S. Joachim et Dom. tantum. In Laud. S. Joachim, fit comm. Dom. Oct. Ass. et S. Laurentii. In II. autem Vesp. fit comm. de die oct. S. Laurentii cum Ant. et ℣. ex I. Vesp. Festi et Orat. ut infra, deinde Dom. et Oct. Assum. Festum vero S. Hyacinthi transfertur in aliam diem.*

Si in diem 17, *tunc Festum S. Joachim transfertur in Feriam* ij. *seq. quia agendum erit de die Oct. S. Laurenti, cum comm. Dom. et Octavæ Assumpt. in I. Vesp. et Laud. In II. autem Vesp. omnia dicuntur de S. Joachim cum comm. diei Octavæ S. Laurentii, Octav. Assumpt. et S. Agapiti Mart.*

Si in diem 20. *vel* 21., *translato Festo S. Bernardi vel S. J. Franciscæ de Chantal, fiat de S. Joachim, ut ponitur infra.*

Si tandem in diem 22, *tunc fit de die Octav. Assumpt. cum comm. Dom. Festum vero S. Joachim transfertur in* j. *diem non impedita.*

In I. Vesperis, et Laudibus.

℣. Potens in terra erit semen ejus. ℟. Generatio rectorum benedicetur.

Ant. Laudemus virum gloriosum in generatione sua, quia benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, et testamentum suum confirmavit super caput ejus.

Digitized by Google

Oratio.

DEUS, qui præ omnibus Sanctis tuis beatum Joachim Genitricis Filii tui patrem esse voluisti, concede, quæsumus, ut cujus festa veneramur, ejus quoque perpetuo patrocinia sentiamus. Per eumdem Dominum.

Et fit comm. Dom. occ. et Oct. Assumpt. nisi hoc Festum transferatur post prædictam Oct.

Lect. I. Noct. Beatus vir, *p.* 58*.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Epiphanii Episcopi.

Lectio iv.

DE radice Jesse ortus est rex David, et de tribu regis David sancta Virgo; sancta, inquam, et sanctorum virorum filia: cujus parentes fuerunt Joachim et Anna: qui quidem in vita sua Deo placuerunt, atque etiam fructum ejusmodi germinaverunt, sanctam virginem Mariam, templum simul et matrem Dei. Joachim porro, Anna, et Maria, hi tres Trinitati palam sacrificium laudis offerebant. Joachim enim interpretatur præparatio Domini, eo quod ex illo præparatum sit templum Domini, nempe Virgo. Anna rursus similiter gratia interpretatur, propterea quod Joachim et Anna gratiam acceperunt, ut, accedentibus precibus, talem fructum germinarent, sanctam Virginem adepti. Joachim siquidem precabatur in monte, et Anna in horto suo.

Sermo S. Joannis Damasceni.

Orat. I. de Nativ. B. M. V.

Lectio v.

QUONIAM futurum erat, ut Dei genitrix et virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum antevertere minime ausa est: verum tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset. Siquidem oportebat eam primogenitam in lucem edi, quæ rerum omnium conditarum Primogenitum, in quo omnia coagmentata sunt, paritura erat. O par beatum, Joachim et Anna! Vobis omnis creatura obstricta est. Per vos enim donum, omnium donorum præstantissimum, Creatori obtulit, nempe castam Matrem, quæ sola Creatore digna erat.

Lectio. vj.

EXULTA, Joachim, quoniam ex filia tua filius natus est nobis, et vocatur nomen ejus magni consilii, hoc est, salutis totius mundi Angelus. Pudore afficiatur Nestorius, ac manum ori imponat. Puer hic Deus est. Quonam igitur modo ea Dei genitrix non sit, quæ peperit? Si quis sanctam Dei genitricem non confitetur, a Deitate remotus est. Mea non est hæc oratio, quanquam alioqui mea: hanc enim divinissimam hæreditatem a Theologo patre Gregorio accepi. O beatum par, Joachim et Anna! Ac profecto ex ventris vestri fructu immaculati agnoscimini, quemadmodum Christus quodam loco dixit: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Ut Deo gratum erat ac dignum ea quæ a vobis orta est, vitæ vestræ rationes instituistis. Caste enim ac sancte munere vestro functi, virginitatis thesaurum produxistis.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 1.

LIBER generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Damasceni.

Ex Lib. 4. de Fide orth.

QUOD Joseph ex Davidica tribu originem duxerit, sanctissimi Evangelistæ Matthæus et Lucas liquido demonstrarunt. Verum hoc inter eos discriminis est, quod Matthæus ex Davide per Salomonem Josephum deducit, Lucas autem per Nathan. At vero sanctæ Virginis ortum uterque silentio præterit. Quocirca scire operæ pretium est, nec apud Hebræos

nec apud Scripturam sacram hoc in more positum fuisse, ut mulierum genus recenseretur. Verum hoc demum lege cautum erat, ne tribus ulla uxores ex altera tribu accerseret. Ac proinde Joseph, qui ex tribu Davidica ortum trahebat, justitiamque colebat (hanc enim laudem ei tribuit divinum Evangelium) sanctam Virginem haudquaquam præter legis præscriptum despondisset, nisi ex eodem sceptro genus duxisset. Ob idque satis habuit Evangelista demonstrasse, unde Joseph ortum traxerit.

Lectio viij.

IGITUR ex stirpe Nathan filii David, Levi genuit Melchi, et Pantherem. Panther autem genuit Barpantherem (namque ita vocabatur.) Barpanther rursus genuit Joachim, Joachim denique genuit sanctam Dei genitricem. Rursus ex stirpe Salomonis filii David, Mathan ex uxore sua genuit Jacob. Mortuo autem Mathan, Melchi ex tribu Nathan, filius Levi, ac frater Pantheris, uxorem ipsius Mathan, quæ etiam Jacobi mater erat matrimonio sibi copulavit, atque ex ea genuit Heli. Ita uterini fratres erant Jacob et Heli: ille nimirum ex tribu Salomonis, hic ex tribu Nathan oriundus.

Lectio ix. *de Homilia Dom.*
Si transferatur, legitur seq.

Lectio ix.

PORRO Heli, qui ex tribu Nathan erat, nullis liberis susceptis, e vita migravit: eaque de causa Jacob ipsius frater, qui ex tribu Salomonis fluxerat, ipsius uxorem accepit, fratrique suo semen excitavit, ac Josephum progenuit. Joseph itaque natura quidem filius Jacob erat a Salomone oriundus: legis autem ratione patrem habebat Heli, ex Nathan oriundum. Quæ cum ita sint, Joachim lectissimam illam ac summis laudibus dignam mulierem Annam matrimonio sibi copulavit. Verum quemadmodum prisca illa Anna, cum sterilitatis morbo laboraret, per orationem ac promissionem Samuelem procreavit, eodem modo hæc etiam per obsecrationem et promissionem Dei genitricem a Deo accepit, ut ne hic quoque cuiquam ex illustribus matronis cederet, itaque gratis (nam hoc sonat Annæ vocabulum) Dominam parit: id enim Mariæ nomine significatur. Vere etenim rerum omnium conditarum Domina facta est, cum Creatoris mater extitit.

In Laud. ℣. Potens, *et Ant. ad Bened.* Laudemus, *ut in I. Vesp.*

Et fit comm. Dom. oct. et Oct. Assumpt.

In II. Vesp. omnia de Com. præter Orationem.

Et fit comm. Dom. oct. et Oct. Assumpt.

Die 16. S. Hyacinthi.

Confessoris. *Duplex.* (m. t. v.)
Oratio. Deus, qui nos, *p.* 51*.
Lect. I. Noct. de libro Script. eo temp. curr, ut dictum est in Rubr. ante Dom. 5. *Aug. p.* 506.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

HYACINTHUS Polonus, nobilibus et Christianis parentibus, in Camiensi villa Episcopatus Vratislaviensis natus est. A pueritia, litteris instructus, post datam jurisprudentiæ et sacris Litteris operam, inter Canonicos Cracovienses adscitus, insigni morum pietate, et summa eruditione cæteros antecelluit. Romæ in Prædicatorum Ordinem ab ipso institutore sancto Dominico adscriptus, perfectam vivendi rationem, quam ab ipso didicerat, usque ad finem vitæ sanctissime retinuit. Virginitatem perpetuo coluit, modestiam, patientiam humilitatem, abstinentiam, cæterasque virtutes, ut certum religiosæ vitæ patrimonium, adamavit.

Lectio v.

CHARITATE in Deum fervens, integras sæpe noctes fundendis precibus, castigandoque corpori in-

Digitized

sumens, nullum eidem levamentum, nisi lapidi innixus, sive humi cubans adhibebat. Remissus in patriam, Frisaci primum in itinere amplissimum sui Ordinis monasterium, mox Cracoviæ alterum erexit. Inde per alias Poloniæ regni provincias aliis quatuor exædificatis, incredibile dictu est quantum verbi Dei prædicatione, et vitæ innocentia apud omnes profecerit. Nullum diem prætermisit, quo non præclara aliqua fidei, pietatis, atque innocentiæ argumenta præstiterit.

Lectio vj.

SANCTISSIMI viri studium erga proximorum salutem maximis Deus miraculis illustravit. Inter quæ illud insigne, quod Vandalum fluvium prope Visogradum aquis redundantem, nullo navigio usus trajecit, sociis quoque expanso super undas pallio traductis. Admirabili vitæ genere ad quadraginta prope annos post professionem perducto, mortis die suis fratribus prænuntiato, ipso assumptæ Virginis festo, Horis Canonicis persolutis, Sacramentis Ecclesiasticis summa cum veneratione perceptis, iis verbis: In manus tuas Domine, spiritum Deo reddidit, anno salutis millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo. Quem miraculis etiam post obitum illustrem, Clemens Papa Octavus in Sanctorum numerum retulit.

In III. Noct. Homil. Sancti Evangelii fratres, *de Com. I. loco.*

Et fit comm. Oct. Assumpt. et S Laurenti, in Laudibus.

Vesp. a Capit. de die Octava S. Laurentii.

Die 17. Octava

SANCTI LAURENTII.

Duplex.

Oratio.

EXCITA, Domine, in Ecclesia tua Spiritum, cui beatus Laurentius Levita servivit, ut eodem uos repleti, studeamus amare quod amavit, et opere exercere quod docuit. Per Dominum.... in unitate ejusdem.

Et fit comm. S. Hyacinthi et Oct. Assumpt.

Lect. I. Noct. de libro Script. eo temp. curr., ut dictum est in Rubr. ante Dom. 3. Augusti, p. 506.

IN II. NOCTURNO.

Ex Tract. S. Augustini Episcopi in Joannem.

Lectio iv. Tract. 27.

CERTI sumus, fratres, quia omnes qui sumus in corpore Domini, et manemus in illo, ut et ipse maneat in nobis, in hoc sæculo necesse habemus usque in finem inter malos vivere: non inter illos dico malos, qui blasphemant Christum; raro enim jam inveniuntur, qui lingua blasphemant, sed multi, qui vita. Necesse est ergo ut inter illos usque in finem vivamus. Sed quid est quod ait, Qui manet in me, et ego in illo? Quid, nisi quod Martyres audiebant: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit?

Lectio v.

QUOMODO mansit in illo sanctus Laurentius, cujus hodie festum diem celebramus? Mansit usque ad tentationem, mansit usque ad tyrannicam interrogationem, mansit usque ad acerrimam comminationem, mansit usque ad peremptionem. Parum est; usque ad immanem excruciationem mansit. Non enim occisus est cito, sed cruciatus est in igne. Diu vivere permissus est: imo non diu vivere permissus est, sed tarde mori compulsus est. In illa ergo longa morte, in illis tormentis, quia bene manducaverat, et bene biberat, tanquam illa esca saginatus, et illo calice ebrius, tormenta non sensit.

Lectio vj.

DIXERAT autem illi Xystus martyr sanctus, cujus diem quinto ab hinc retro die celebravimus: Noli mœrere, fili, (Episcopus enim erat ille, iste Diaconus) noli mœrere, inquit, sequèris me post triduum. Tri-

duum autem dixit, medium inter diem passionis sancti Xysti, et diem hodiernam passionis sancti Laurentii. Triduum est medium. O consolatio! Non ait. Noli mœrere, fili, desinet persecutio, et securus eris: sed, Noli mœrere; quo ego præcedo, tu sequeris, nec consecutio tua differtur. Triduum medium erit, et mecum eris. Accepit oraculum, vicit diabolum, pervenit ad triumphum.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homilia 66. in Joannem.

DULCIS præsens vita est, et multæ plena voluptatis, non tamen omnibus, sed iis tantum qui illi sunt affixi. Quod si quis in cœlum suspexerit, et quæ ibi præclara sunt, contemplatus fuerit, statim hanc contemnet, ac nullius pretii existimabit. Nam et corporum pulchritudo, quoad pulchrius non deprehenditur, in admiratione habetur: cum vero aliud præstantius apparuerit, illa prior despicitur. Quod si illam pulchritudinem etiam nos intueri voluerimus, et cœlestis regni speciem considerare, confestim nos hujus sæculi vinculis dissolvemus.

Lectio viij.

VINCULUM namque est terrenarum rerum affectio: ad cujus dissolutionem ut nos induceret Christus, quid dicat, attende. Qui amat animam suam, perdet eam, et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Ænigmati simile hoc dictum videtur: non tamen ita est, imo vero præcipuæ sapientiæ plenum. Et quomodo qui amat animam suam, perdet eam? Qui absurdis ejus cupiditatibus obtemperat, qui præter debitum ei indulget: quemadmodum e contrario, qui odit eam in hoc mundo, custodit eam; hoc est, qui non paret ei, cum noxia jubet.

Lectio ix.

ET non dixit: Qui non paret, sed, Qui odit. Sicuti enim quos odio habemus, ne vocem quidem audire, nec vultum eorum videre æquo animo patimur: ita et animæ, si quid præter Dei voluntatem nobis imperat, vehementer aversari oportet. Cum enim jam de morte ad eos verba facturus esset, de morte videlicet sua, et prævideret eorum tristitiam et exanimationem, per excessum locutus est, inquiens: Quid dico, si mortem meam generose non feretis? nisi vos ipsi moriamini, nullum vos sequetur emolumentum.

In II. Vesp. comm. Oct. Assumpt. et S. Agapiti Mart.

Oratio.

LÆTETUR Ecclesia tua, Deus, beati Agapiti martyris tui confessa suffragiis, atque ejus precibus gloriosis, et devota permaneat, et secura consistat. Per Dominum.

Die 18. Quarta

Infra Oct. Assumptionis.

IN I. NOCTURNO.

De Canticis canticorum.

Lectio j. Cap. 4.

QUAM pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est inter eas. Sicut vitta coccinea, labia tua, et eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille

Digitized by Google

clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

Lectio ij.

TOTA pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa! Pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.

Lectio iij.

FAVUS distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua, et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis liguis Libani, myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.

IN II. NOCTURNO.

De Sermone S. Joannis Damasceni. Orat. 2. de Dorm. Deiparæ.

Lectio iv.

EX antiqua accepimus traditione, quod tempore gloriosæ dormitionis beatæ Virginis, universi quidem sancti Apostoli, qui orbem terræ ad salutem Gentium peragrabant, momento temporis in sublime elati convenerunt Jerosolymis; cumque illic essent, eis visio apparuit angelica, et audita est psalmodia cælestium potestatum, et sic cum divina gloria in manus Dei sanctam tradidit animam. Ejus autem corpus, quod Deum ineffabili quadam ratione suscepit, cum Angelica et Apostolica hymnodia elatum, in loculo fuit depositum Gethsemane: quo in loco Angelorum cantus mansit tres dies continuos.

Lectio v.

POST tres autem dies Angelico cantu cessante, qui aderant Apostoli, (cum unus Thomas qui abfuerat, post tertium diem, venisset, et quod Deum susceperat, corpus adorare voluisset) tumulum aperuerunt: sed omni ex parte sacrum ejus corpus nequaquam invenire potuerunt. Cum ea autem tantum invenissent, in quibus fuerat compositum, et ineffabili, qui ex iis proficiscebatur, essent odore repleti, loculum clauserunt. Ejus mysterii obstupefacti miraculo, hoc solum cogitare potuerunt, quod cui placuit ex Maria virgine carnem sumere, et hominem fieri et nasci, cum esset Deus Verbum, et Dominus gloriæ, quique post partum incorruptam servavit ejus virginitatem, eidem etiam placuit et ipsius, postquam migravit immaculatum corpus incorruptum servatum, translatione honorare ante communem et universalem resurrectionem.

Lectio vj.

ADERANT tunc cum Apostolis sanctissimus Timotheus primus Episcopus Ephesiorum, et Dionysius Areopagita, sicut ipse testatur in iis, quæ de beato Hierotheo, qui ipse quoque tunc aderat, scripsit ad prædictum Timotheum, sic dicens: Nam etiam apud ipsos a Deo afflatos sacrorum Antistites, quando nos quoque, ut nosti, et multi ex sanctis nostris fratribus, ad contuendum corpus, quod vitæ principium dedit, et Deum suscepit, convenissemus: (aderat autem et Domini frater Jacobus, et Petrus, suprema et antiquissima Theologorum summitas) et viso sacro corpore, placuit omnibus, prout quisque poterat, hymnis celebrare infinitam bonitatem divinæ potentiæ.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Digitized by Google

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo tempore : Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Ex Serm. 27. de Verbis Domini.

BENE Martha circa corporalem Domini, quid dicam, necessitatem, an voluntatem? ministrabat carni mortali. Sed quis erat in carne mortali? In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Ecce quod Maria audiebat. Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Ecce Martha cui ministrabat. Ergo Maria meliorem partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Hoc enim elegit, quod semper manebit : ideo non auferetur ab ea.

Lectio viij.

CIRCA unum Maria se voluit occupari. Jam tenebat: Mihi autem adhærere Deo bonum est. Sedebat ad pedes Capitis nostri. Quanto humilius sedebat, tanto amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis. Non ergo Dominus opus reprehendit, sed munus distinxit. Circa multa es occupata; porro unum est necessarium. Jam hoc sibi Maria elegit.

Pro S. Agapito Martyre.

Lectio ix.

AGAPITUS Prænestinus, quindecim annos natus, Aureliano Imperatore, martyrii cupidissimus, cum propter constantiam religionis, Imperatoris jussu primum nervis diutissime cæsus, deinde in tetrum carcerem conjectus esset, ut nihil omnino per quatuor dies gustaret, e custodia est eductus, et ardentibus carbonibus capiti ejus impositis, Deo agens gratias, iterum affectus verberibus, nudus ita pedibus suspensus est, ut ingens fumus e subiecto igne os ejus obrueret. Tum fervens aqua in ejus ventrem effusa est, maxillæque confractæ. Quo tempore judex e tribunali lapsus, paulo post mortuus est. Ea re incenso Imperatore, sanctum juvenem jubente feris objici, cum illæ non auderent attingere, Prænestе gladio percussus est.

In Laud. fit comm. S. Mart.

Die 19. Quinta

Infra Octavam Assumptionis.

IN I. NOCTURNO.

De Canticis canticorum.

Lectio j. Cap. 5.

ADJURO vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos? Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. Caput ejus aurum optimum : comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus. Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima.

Lectio ij. Cap. 6.

DILECTUS meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, et lilia colligat. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem : terribilis ut castrorum acies ordinata. Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Dentes tui sicut grex ovium, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est in eis.

Lectio iij.

UNA est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, et beatissimam prædicaverunt : reginæ et concubinæ, et laudaverunt eam. Quæ est ista, quæ progreditur quasi

Digitized by Google

aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, et inspicerem si floruisset vinea, et germinassent mala punica. Nescivi: anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab. Revertere, revertere, Sunamitis; revertere, revertere, ut intueamur te.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Sermo I. de Assumpt. B. Mariæ V.

Lectio iv.

VIRGO hodie gloriosa cœlos ascendens, supernorum gaudia civium copiosis sine dubio cumulavit augmentis. Hæc est enim cujus salutationis vox et ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt. Quod si parvuli necdum nati anima liquefacta est, ut Maria locuta est: quid putamus quænam illa fuerit Cœlestium exultatio, cum et vocem audire, et videre faciem, et beata ejus frui præsentia meruerunt?

Lectio v.

SED et illud quis cogitare sufficiat, quam gloriosa hodie mundi Regina processerit: et quanto devotionis affectu tota in ejus occursum cœlestium legionum prodierit moltitudo; quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta, quam placido vultu, quam serena facie, quam divinis amplexibus suscepta a Filio, et super omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta Mater digna fuit, cum ea gloria, quæ tantum decuit Filium?

Lectio vj.

FELICIA prorsus oscula labiis impressa lactentis, cui virgineo mater applaudebat in gremio. Verum numquid non feliciora censebimus, quæ ab ore sedentis in dextera Patris hodie in beata salutatione suscepit, cum ascenderet ad thronum gloriæ, epithalamium canens, et dicens: Osculetur me osculo oris sui? Christi generationem, et Mariæ assumptionem quis enarrabit? Quantum enim gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantum et in cœlis obtinet gloriæ singularis.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo tempore: Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Serm. 27. *de Verbis Domini.*

TRANSIT labor multitudinis, et remanet charitas unitatis. Ergo quod elegit Maria, non auferetur ab ea: a te autem Martha, quod elegisti, utique hoc sequitur, utique hoc subintelligitur, a te, quod elegisti, auferetur: sed bono tuo auferetur, ut quod melius est, detur. Auferetur enim a te labor, ut requies detur. Tu navigas, illa jam in portu est.

Lectio viij.

VIDETIS ergo, charissimi, et quantum arbitror, jam intelligitis in his duabus mulieribus, quæ ambæ fuerunt Domino gratæ, ambæ amabiles, ambæ discipulæ: videtis ergo, et magnum aliquid intelligitis, quicumque intelligitis, quod audire et scire debetis etiam qui non intelligitis, in his duabus mulieribus duas vitas esse figuratas præsentem et futuram, laboriosam et quietam, ærumnosam et beatam, temporalem et æternam.

Lectio ix.

DUÆ sunt vitæ: de illis vos copiosius cogitate. Quid habeat hæc vita non dico mala, non iniqua, non nefaria, non luxuriosa, non impia; sed laboriosa, et ærumnis plena, timoribus castigata, tentationibus sollicita, hanc ipsam innocentem vitam

dico, qualem decebat habere Martham. Hanc ergo, quantum potestis, inspicite, et de hac, ut dixi, copiosius, quam loquimur, cogitate. Vita vero iniqua aberat ab illa domo, nec cum Martha erat, nec cum Maria, et si aliquando fuit, Domino intrante, fugit.

Vesperæ de sequenti.

Die 20.

S. Bernardi Abb. et Doct.

Duplex.

In utrisque Vesp. Ant. O Doctor, *p.* 30*.

Oratio. Deus, qui populo tuo, *ibid.*

Et fit comm. Oct. Assumpt.

Lect. I. Noct. de lib. Script. eo temp. curr. ut dictum est in Rubr. ante Dom. 3. Augusti, p. 505.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BERNARDUS, Fontanis in Burgundia honesto loco natus, adolescens propter egregiam formam vehementer sollicitatus a mulieribus, nunquam de sententia colendæ castitatis dimoveri potuit. Quas diaboli tentationes ut effugeret, duos et viginti annos natus Monasterium Cisterciense, unde hic Ordo incepit, et quod tum sanctitate florebat, ingredi constituit. Quo Bernardi consilio cognito, fratres summopere conati sunt eum a proposito deterrere: in quo ipse eloquentior ac felicior fuit. Nam sic eos, aliosque multos in suam perduxit sententiam, ut cum eo triginta juvenes eamdem Religionem susceperint. Monachus jejunio ita deditus erat, ut quoties sumendus esset cibus, toties tormentum subire videretur. In vigiliis etiam et orationibus mirifice se exercebat, et Christianam paupertatem colens, quasi cœlestem vitam agebat in terris, ab omni caducarum rerum cura et cupiditate alienam.

Lectio v.

ELUCEBAT in eo humilitas, misericordia, benignitas: contemplationi autem sic addictus erat, ut vix sensibus, nisi ad officia pietatis uteretur: in quibus tamen prudentiæ laude excellebat. Quo in studio occupatus, Genuensem ac Mediolanensem, aliosque Episcopatus oblatos recusavit, professus se tanti officii munere indignum esse. Abbas factus Claravallensis, multis in locis ædificavit monasteria, in quibus præclara Bernardi institutio ac disciplina diu viguit. Romæ, sanctorum Vincentii et Anastasii monasterio ab Innocentio Secundo Papa restituto præfecit Abbatem illum, qui postea Eugenius Tertius Summus Pontifex fuit; ad quem etiam librum misit de Consideratione.

Lectio vj.

MULTA præterea scripsit, in quibus apparet eum doctrina potius divinitus tradita, quam labore comparata instructum fuisse. In summa virtutum laude exoratus a maximis Principibus de eorum componendis controversiis, et de Ecclesiasticis rebus constituendis, sæpius in Italiam venit. Innocentium item secundum Pontificem Maximum in confutando schismate Petri Leonis, cum apud Imperatorem, et Henricum Angliæ regem, tum in Concilio Pisis coacto, egregie adjuvit. Denique tres et sexagiuta annos natus obdormivit in Domino, ac miraculis illustris, ab Alexandro Tertio Papa inter Sanctos relatus est. Pius vero Octavus Pontifex Maximus ex Sacrorum Rituum Congregationis consilio sanctum Bernardum universalis Ecclesiæ doctorem declaravit et confirmavit, nec non Missam et Officium de Doctoribus ab omnibus recitari jussit, atque indulgentias plenarias quotannis in perpetuum Ordinis Cisterciensium Ecclesias visitantibus die hujus sancti festo concessit.

In III. Noct. Homilia Ostendit Dominus *pro Doctoribus I. loco*, p. 49*.

In Laud. fit comm. Octavæ.

Vesperæ a Capit. de seq.

Digitized by Google

Die 21. S. Joannæ Franc.

FREMIOT DE CHANTAL, VIDUÆ.

Duplex.

Oratio.

OMNIPOTENS et misericors Deus, qui beatam Joannam Franciscam tuo amore succensam admirabili spiritus fortitudine per omnes vitæ semitas in via perfectionis donasti, quique per illam illustrare Ecclesiam tuam nova prole voluisti, ejus meritis et precibus concede, ut qui infirmitatis nostræ conscii de tua virtute confidimus, cœlestis gratiæ auxilio cuncta nobis adversantia vincamus. Per Dominum.

Et fit comm. præced. et Octav.
Lect. I. Noct. de script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JOANNA Francisca Fremiot de Chantal, Divione in Burgundia clarissimis orta natalibus ab ineunte ætate eximiæ sanctitatis non obscuras edidit significationes. Eam enim vix quinquennem nobilem quemdam Calvinistam solida supra ætatem argumentatione perstrinxisse ferunt, collatumque ab eo munusculum flammis illico tradidisse in hæc verba: En quomodo hæretici apud inferos comburentur, qui loquenti Christo fidem detrectant. Matre orbata, Deiparæ Virginis tutelæ se commendavit, et famulam quæ ad mundi amorem eam alliciebat, ab se rejecit. Nihil puerile in moribus exprimens a sæculi deliciis abhorrens, martyriumque anhelans, religioni ac pietati impense studebat. Baroni de Chantal nuptui a patre tradita, virtutibus omnibus excolendis operam dedit, liberos, famulos, aliosque sibi subjectos in fidei doctrina, bonisque moribus imbuere satagens. Profusa liberalitate pauperum inopiam sublevabat, annona divinitus non raro multiplicata: quo factum est, ut nemini se unquam Christi nomine roganti stipem abnegaturam spoponderit.

Lectio v.

VIRO in venatione interempto, perfectioris vitæ consilium iniens, continentiæ voto se obstrinxit. Viri necem non solum æquo animo tulit, sed, in publicum indultæ veniæ testimonium, occisoris filium e sacro fonte suscipere sui victrix elegit. Modica familia, tenui victu atque vestitu contenta, pretiosas vestes in pios usus convertit. Quidquid a domesticis curis supererat temporis, precibus, piis lectionibus, laborique impendebat. Numquam adduci potuit, ut alteras nuptias, quamvis utiles et honorificas, iniret. Ne autem a proposito castimoniæ observandæ in posterum dimoveretur, illius voto innovato, sanctissimum Jesu Christi nomen candenti ferro pectori insculpsit. Ardentius in dies charitate fervescens, pauperes, derelictos, ægros, teterrimisque morbis infectos ad se adducendos curabat; eosque non hospitio tantum excipiebat, solabatur, fovebat, verum etiam sordidas eorumdem vestes depurgabat, laceras reficiebat, et manantibus fœtido pute ulceribus labia admovere non exhorrebat.

Lectio vj.

A SANCTO Francisco Salesio, quo spiritus moderatore usa fuit, divinam voluntatem edocta, proprium parentem, soccrum, filium, denique ipsum, quem etiam vocationi obsistentem, sua e domo egrediens, pedibus calcare non dubitavit, invicta constantia deseruit, et sacri Instituti Visitationis sanctæ Mariæ fundamenta jecit. Ejus Instituti leges integerrime custodivit, et adeo paupertatis fuit amans, ut vel necessaria sibi deesse gauderet. Christianæ vero animi demissionis, et obedientiæ, virtutum denique omnium perfectissimum exemplar se præbuit. Altiores in corde suo ascensiones disponens, arduissimo efficiendi semper id, quod perfectius esse intelligeret, voto se obstrinxit. Denique, sacro Visitatio-

Digitized by Google

nis Instituto ejus potissimum opera longe lateque diffuso, verbo exemplo et scriptis etiam divina sapientia refertis, ad pietatem et charitatem sororibus excitatis, meritis referta, et Sacramentis rite susceptis, Molinis anno millesimo, sexcentesimo quadragesimo primo, die decima tertia Decembris migravit ad Dominum, ejusque animam, occurrente sancto Francisco Salesio, in cœlos deferri sanctus Vincentius a Paulo procul distans aspexit. Ejus corpus postea Annecium translatum fuit: eamque miraculis ante et post obitum claram Benedictus Decimus quartus Beatorum, Clemens vero Decimus tertius Pontifex Maximus albo Sanctorum adjecit.

In III. Noct. Homilia Cœlorum regnum fratres. *de Com.* p. 74*.

In Laud. fit comm. Oct.

Vesp. de die Oct. Assumpt.

Die 22. Octava

Assumptionis B. Mariæ Virginis.

Duplex.

In I. Vesp. fit comm. præc. et SS. Timothei, Hippolyti, et Symphoriani Martyrum.

Oratio.

AUXILIUM tuum, nobis Domine, quæsumus, placatus impende, et intercedentibus beatis Martyribus tuis Timotheo, Hyppolito, et Symphoriano, dexteram super nos tuæ propitiationis extende. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO.

De Canticis canticorum.

Lectio j. Cap. 8.

QUÆ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.

Lectio ij.

AQUÆ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Soror nostra parva, et ubera non habet: quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est? Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.

Lectio iij.

EGO murus, et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos: tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu ejus mille argenteos. Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, et ducenti his, qui custodiunt fructus ejus. Quæ habitas in hortis, amici auscultant: fac me audire vocem tuam. Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.

IN II. NOCTURNO.

De Sermone S. Bernardi Abbatis.

Serm. 4. de Assumpt. B. M. V.

Lectio iv.

NON est equidem quod me magis delectet, sed nec est quod terreat magis, quam de gloria virginis Mariæ habere sermonem. Ecce enim si in ea laudavero virginitatem, mihi multæ virgines post eam videntur offerri. Si humilitatem prædicavero, invenientur forte vel pauci, qui (docente Filio ejus) mites facti sunt et humiles corde. Si magnificare voluero misericordiæ ejus multitudinem, sunt aliqui misericordiæ viri, etiam et mulieres. Unum est in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore. Mariæ privilegium est, non dabitur alteri; singulare est, sed continuo etiam indicibile invenitur.

Lectio v.

VERUMTAMEN non hoc tantum, si diligenter attendas, sed cæte-

Digitized by Google

ras quoque virtutes singulares prorsus invenies in Maria, quæ videbantur esse communes. Quæ enim vel Angelica puritas virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus sancti sacrarium fieri, et habitaculum Filii Dei? Quanta vero, et quam pretiosa humilitatis virtus cum tanta puritate, cum innocentia tanta, cum conscientia prorsus absque delicto, imo cum tantæ gratiæ plenitudine? Unde tibi humilitas, et tanta humilitas, o beata? Digna plane quam respiceret Dominus, cujus decorem concupisceret Rex, cujus odore suavissimo ab æterno illo Paterni sinus attraheretur accubitu.

Lectio vj.

ECCE jam quibus potuimus votis ascendentem te ad Filium deduximus, et prosecuti sumus saltem a longe, Virgo benedicta. Sit pietatis tuæ ipsam, quam apud Deum gratiam invenisti, notam facere mundo, reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium, et liberationem sanctis tuis precibus obtinendo. In hac quoque die solemnitatis et lætitiæ dulcissimum Mariæ nomen cum laude invocantibus servulis, per te, Regina clemens, gratiæ suæ munera largiatur Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo tempore: Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.
Serm. 2. de Assumpt. B. M. V.

QUID introisse eum dicimus in castellum? Etiam in angustissimum virginalis uteri diversorium introivit. Denique et mulier quædam excepit illum in domum suam. Felix mulier, cujus domus, Salvatore suscepto, inventa est munda quidem, sed plane non vacua. Quis enim vacuam dixerit, quam salutat Angelus gratia plenam? Neque hoc solum, sed adhuc quoque in eam superventurum asserit Spiritum sanctum. Ad quid putas, nisi ut etiam superimpleat eam? Ad quid, nisi ut adveniente jam Spiritu plena sibi, eodem superveniente, nobis quoque superplena et supereffluens fiat?

Lectio viij.

INTRET ergo domum Salvator, et frequenter visitet eam, quam pœnitens Lazarus mundat, ornat Martha, et Maria replet internæ dedita contemplationi. Sed forte curiosus quisquam requirat, cur in præsenti Evangelica lectione nulla prorsus Lazari mentio fiat. Arbitror sane, ne id quidem a proposita similitudine dissidere. Virginalem etenim domum intelligi volens Spiritus, siluit non incongrue pœnitentiam, quæ malum utique comitatur. Absit enim, ut proprii quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari quæreretur.

Pro SS. Martyribus.

Lectio ix.

TIMOTHEUS Antiochenus, Romam veniens, Melchiade Summo Pontifice, cum per annum ibi Christi fidem prædicasset, a Tarquinio Urbis præfecto conjicitur in vincula, et post diuturnas carceris ærumnas ad idola perducitur, ut eis sacrificet. Quam impietatem summa libertate detestatus, acerbissime cæditur, et excarnificatum corpus viva calce perfunditur. In quibus aliisque suppliciis constans martyr capite plectitur. Corpus via Ostiensi prope sepulchrum beati Pauli Apostoli sepelitur. Quo die etiam, Alexandro Imperatore, apud Ostia Tiberina, Hippolytus Episcopus Portuensis, ob præclaram fidei confessionem manibus pedibusque

Digitized by Google

ligatis, in altam foveam aquis plenam præcipitatus, martyrio coronatus est, et ibidem a Christianis sepultus. Quo item die, Aureliano Imperatore, propter eamdem fidemAugustoduni Symphorianus adolescens varie tortus est. Qui dum ad ultimum supplicium duceretur, matrem ita clamantem audiens: Nate, nate, memento æternæ vitæ, cœlum suspice, et ibi regnantem intuere: tibi enim vita non eripitur, sed mutatur in melius; fortiter Jesu Christi causa carnifici collum præbuit.

Et fit comm. SS. Timothei et soc. Mart. in Laudibus.

In II. Vesp. comm. sequentis.

Die 23. S. Phil. Benitii.

Confessoris. *Duplex.*

Oratio.

DEUS, qui per beatum Philippum Confessorem tuum, eximium nobis humilitatis exemplum tribuisti, da famulis tuis prospera mundi ex ejus imitatione despicere, et cœlestia semper inquirere. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PHILIPPUS ex nobili Benitiorum familia Florentiæ natus, futuræ sanctitatis jam inde ab incunabulis indicium præbuit. Vix enim quintum ætatis mensem ingressus, linguam in voces mirifice solvit, hortatusque fuit matrem, ut deiparæ Servis eleemosynam impertiret. Adolescens, dum Parisiis litterarum studia cum pietatis ardore conjungeret, plurimos ad cœlestis patriæ desiderium inflammavit. Reversus in patriam, et singulari visione a beatissima Virgine in Servorum suorum familiam nuper institutam vocatus, in Senarii montis autrum concessit, ubi asperam quidem jugi corporis castigatione, sed Christi Domini cruciatuum meditatione suavem vitam duxit: indeque per universam pene Europam, magnamque Asiæ partem, quam Evangelicis prædicationibus obivit. sodalitia Septem Dolorum Dei Matris instituit, suumque Ordinem miro virtutum exemplo propagavit.

Lectio v.

DIVINÆ charitatis, et Catholicæ fidei dilatandæ ardore vehementer accensus, sui Ordinis Generalis reluctans atque invitus renuntiatus, fratres ad prædicandum Christi Evangelium in Scythiam misit: ipse vero plurimas Italiæ urbes concursans, gliscentes in eis civium discordias composuit, multasque ad Romani Pontificis obedientiam revocavit,nihilque de studio alienæ salutis omittens, perditissimos homines e vitiorum cœno ad pœnitentiam, ac Jesu Christi amorem perduxit. Orationi summopere addictus, sæpe in extasim rapi visus est. Virginitatem vero adeo coluit, ut ad extremum usque spiritum voluntariis ac durissimis suppliciis illibatam custodierit.

Lectio vj.

EFFLORUIT in eo jugiter singularis erga pauperes misericordia, sed præcipue cum apud Camilianum agri Senensis vicum leproso nudo eleemosynam petenti propriam, qua indutus erat, vestem fuit elargitus, qua ille contectus, statim a lepra mundatus est. Cujus miraculi cum longe lateque fama manasset, nonnulli ex Cardinalibus, qui Viterbium, Clemente Quarto vita functo, pro successore deligendo convenerant, in Philippum, cujus etiam cœlestem prudentiam perspectam habebant, intenderunt. Quo comperto, vir Dei, ne forte Pastoralis regiminis onus subire cogeretur, apud Tuniatum Montem tamdiu delituit, donec Gregorius Decimus Pontifex Maximus fuerit renuntiatus: ubi Balneis, quæ etiam hodie sancti Philippi vocantur, virtutem sanandi morbos suis precibus impetravit. Denique Tuderti, anno millesimo ducentesimo octogesimo quinto, in Christi Domini e cruce pendentis ample-

Digitized by Google

xu, quem suum appellabat librum, sanctissime ex hac vita migravit. Ad ejus tumulum cæci visum, claudi gressum, mortui vitam receperunt. Quibus aliisque plurimis fulgentem signis Clemens Decimus Pontifex Maximus Sanctorum numero adscripsit.

In III. Noct. Homilia Pusillum gregem, *de Com.* 2. *loco*, p. 69*.

Lectio ix. *pro Vigilia S. Bartholomæi, ubi illius Festum die seq. celebratur*, Cum cuncta sacra, *ut in Vigil. Apost.* p. 1.*

Et tunc in Laud. fit comm. Vigiliæ. Ant. et ℣. de Feria occ.

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati Bartholomæi Apostoli tui, quam prævenimus, veneranda solemnitas et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum.

Vesperæ de sequenti.

Die 24. In Vigilia

SANCTI BARTHOLOMÆI Apost.

Ubi Festum hujus S. Apostoli die 25. *celebratur, in ejus Vigilia legitur homilia* Cum cuncta sacra, *ut in Vigil. Apost.*, p. 1*. *cum ℟. de Feria occ.*

In Laud. Preces feriales flexis genibus. Oratio ut supr.

Vesperæ de S. Bartholomæo.

Die 24. vel 25. S. Bartholi.

Apost. *Duplex* 2. *Classis.*

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui hujus diei venerandam sanctamque lætitiam in beati Apostoli tui Bartholomæi festivitate tribuisti, da Ecclesiæ tuæ, quæsumus, et amare quod credidit, et prædicare quod docuit. Per Dominum.

Ubi hoc Festum die 24. *agitur, fit comm. S. Philippi Benitii.*

Lect. I. Noct. Sic nos existimet.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

BARTHOLOMÆUS Apostolus, Galilæus, cum in Indiam citeriorem, quæ ei in orbis terrarum sortitione ad prædicandum Jesu Christi Evangelium obvenerat, progressus esset, adventum Domini Jesu juxta sancti Matthæi Evangelium illis gentibus prædicavit. Sed cum in ea provincia plurimos ad Jesum Christum convertisset, multos labores calamitatesque perpessus, venit in majorem Armeniam.

Lectio v.

IBI Polymium regem, et conjugem ejus, ac præterea duodecim civitates ad Christianam fidem perduxit. Quæ res in eum magnam invidiam concitavit illius gentis sacerdotum. Nam usque adeo Astyagem Polymii regis fratrem in Apostolum incenderunt, ut is vivo Bartholomæo pellem crudeliter detrahi jusserit, ac caput abscindi: quo in martyrio animam Deo reddidit.

Lectio vj.

EJUS corpus Albani, quæ est urbs majoris Armeniæ, ubi is passus fuerat, sepultum est: quod postea ad Liparam insulam delatum, inde Beneventum translatum est: postremo Romam ab Othone Tertio Imperatore portatum, in Tiberis insula, in Ecclesia ejus nomine Deo dicata, collocatum fuit. Agitur autem Romæ dies festus octavo Kalendas Septembris, et per octo consequentes dies illa Basilica magna populi frequentia celebratur.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo tempore: Exiit Jesus in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 5. Comm. in Luc. Cap. 6.

OMNES magni, omnes sublimes montem ascendunt. Non enim

Digitized by Google

cuicumque Propheta dicit: Ascende in montem excelsum, qui evangelizas Sion: exalta in virtute vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem. Non vestigiis corporalibus, sed factis sublimioribus in hunc montem ascende, et sequere Christum, ut ipse esse mons possis. Montes enim in circuitu ejus. Quare in Evangelio invenies solos cum Domino montem ascendisse discipulos. Orat ergo Dominus, non ut pro se obsecret, sed ut pro me impetret. Nam etsi omnia posuerit Pater in potestate Filii: Filius tamen ut hominis formam impleret, obsecrandum Patrem putat esse pro nobis, quia advocatus est noster.

Lectio viij.

ET erat, inquit, pernoctans in oratione Dei. Species tibi, Christiane, datur, forma præscribitur, quam debeas æmulari. Quid enim te pro salute tua facere oportet, quando pro te Christus in oratione pernoctat? Quid te facere convenit, cum vis aliquod pietatis officium adoriri, quando Christus missurus Apostolos, oravit prius, et solus oravit? Nec usquam alibi, si non fallor, orasse cum Apostolis reperitur; ubique solus obsecrat. Dei enim consilium humana vota non capiunt, nec quisquam interiorum potest esse particeps Christi.

Lectio ix.

VOCAVIT, inquit, discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos ad propagandum auxilium salutis humanæ per terrarum orbem satores fidei destinaret. Simul adverte cœleste consilium; non sapientes aliquos, non divites, non nobiles, sed piscatores et publicanos, quos dirigeret elegit: ne traduxisse prudentia, ne redemisse divitiis, ne potentiæ nobilitatisque auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur; ut veritatis ratio, non disputationis gratia prævaleret.

In II. Vesp. comm. sequentis.

Die 25. vel 26. S. Ludov.

Regis Franciæ, Conf. *Semiduplex.* *In Gallia vero Duplex.*

Oratio.

DEUS, qui beatum Ludovicum Confessorem tuum de terreno regno ad cœlestis regni gloriam transtulisti, ejus, quæsumus, meritis et intercessione, Regis regum Jesu Christi Filii tui facias nos esse consortes: Qui tecum.

Ubi vero Festum S. Bartholomæi celebratur die 25, de S. Ludovico fit die 26, et tunc in II. Vesp. S. Bartholomæi post comm. S. Ludovici fit etiam comm. S. Zephyrini, ut infra, et ad Matut. in hymno m. t. v. Lectio ix. *de S. Zephyrino, et comm. de eo in Laud.*

Lect. I. Noct. de Sript. occ.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

LUDOVICUS Nonus, Galliæ rex, duodecim annos natus, patre amisso, et in Blanchæ matris sanctissima disciplina educatus, cum jam vigesimum annum in regno ageret, in morbum incidit: quo tempore cogitavit de recuperanda possessione Jerosolymorum. Quamobrem ubi convaluisset, vexillum ab Episcopo Parisiensi accepit; deinde mare cum ingenti exercitu trajiciens, primo prælio Saracenos fugavit. Sed cum ex pestilentia magna militum multitudo periisset, victus ipse, captusque est.

Lectio v.

REBUS postea cum Saracenis compositis, liber rex exercitusque dimittitur. Quinque annis in Oriente commoratus, plurimos Christianos a Barbarorum servitute redemit, multos etiam infideles ad Christi fidem convertit; præterea aliquot Christianorum urbes refecit suis sumptibus. Interim mater ejus migrat e vita: quare domum redire cogitur, ubi totum se dedit pietatis officiis.

Digitized by Google

Lectio vj.

MULTA ædificavit monasteria, et pauperum hospitia; beneficenta egentes sublevabat: frequens visebat ægrotos, quibus ipse non solum suis sumptibus omnia suppeditabat, sed etiam, quæ opus erant, manibus ministrabat. Vestitu vulgari utebatur, cilicio ac jejunio corpus assidue affligebat. Sed cum iterum transmisisset, bellum Saracenis illaturus, jamque castra in eorum conspectu posuisset, pestilentia decessit in illa oratione: Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. Ejus corpus postea Lutetiam Parisiorum translatum est, quod in celebri sancti Dionysii templo asservatur, et colitur; caput vero in sacra Æde sanctæ Capellæ. Ipse clarus miraculis a Bonifacio Papa Octavo in Sanctorum numerum est relatus.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.
Lib. 8. in Luc.

BONUS ordo, ut vocaturus Gentes, et Judæos jussurus interfici, qui noluerunt regnare supra se Christum, hanc præmitteret comparationem, ne diceretur: Nihil dederat populo Judæorum, unde poterat melior fieri; ut quid ab eo, qui nihil recepit, exigitur? Non mediocris ista est mna, quam supra mulier Evangelica, quia non invenit, lucernam accendit, lumine quærit admoto, gratulatur inventam.

Lectio viij.

DENIQUE ex una decem mnas alius fecit, alius quinque. Fortasse iste moralia habet, quia quinque sunt corporis sensus: ille duplicia, id est, mystica legis, et moralia probitatis. Unde et Matthæus quinque talenta, et duo talenta posuit. In quinque talentis ut siot moralia, in duobus utrumque, mysticum atque morale. Ita quod numero inferius, re uberius.

Lectio ix.

ET hic possumus decem mnas, decem verba intelligere, id est, legis doctrinam; quinque autem mnas, magisteria disciplinæ. Sed legis peritum in omnibus volo esse perfectum. Non enim in sermone, sed in virtute est regnum Dei. Bene autem, quia de Judæis dicit, duo soli multiplicatam pecuniam deferunt, non utique æris, sed dispensationis usuris. Alia est enim pecuniæ fœnebris, alia doctrinæ cœlestis usura.

In II. Vesp. fit comm. sequentis.

Die 26. S. Zephyrini,

Papæ et Martyris.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati Zephyrini Martyris tui atque Pontificis, cujus gaudemus meritis, instruamur exemplis. Per Dominum.

Lectio iij.

ZEPHYRINUS Romanus, Severo Imperatore, ad regendam Ecclesiam assumptus, sancivit, ut qui ordinandi essent, opportuno tempore et multis præsentibus clericis et laicis, de more sacris initiarentur: doctique ac spectatæ vitæ homines ad id officii munus deligerentur. Decrevit præterea, ut rem divinam facienti Episcopo sacerdotes omnes astarent. Idem instituit, ut Patriarcha, Primas, Metropolitanus adversus Episcopum non ferant sententiam, nisi Apostolica auctoritate fulti. Vixit in Pontificatu annos decem et octo, dies decem et octo. Habuit Ordinationes quatuor mense Decembri, quibus creavit Presbyteros tredecim, Diaconos septem, Episcopos per diversa lo-

Digitized by Google

ea tredecim. Antonino Imperatore, martyrio coronatus est, et sepultus via Appia prope cœmeterium Callisti septimo Kalendas Septembris.

Vesperæ de sequenti.

Die 27. S. Josephi Calas.

Conf. *Duplex.* (m. t. v.)

Oratio.

DEUS, qui per sanctum Josephum Confessorem tuum, ad erudiendam spiritu intelligentiæ ac pietatis juventutem, novum Ecclesiæ tuæ subsidium providere dignatus es, præsta, quæsumus, nos ejus exemplo et intercessione ita facere et docere, ut præmia consequamur æterna. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JOSEPHUS Calasanctius a Matre Dei, Petraltæ in Aragonia nobili genere natus, a teneris annis futuræ in pueros charitatis, et eorum institutionis indicia præbuit. Nam adhuc parvulus eos ad se convocatos in mysteriis fidei et sacris precibus erudiebat. Humanis divinisque litteris egregie doctus, cum studiis Theologicis Valentiæ operam daret, nobilis potentisque feminæ illecebris fortiter superatis, virginitatem, quam Deo voverat, inoffensam insigni victoria servavit. Sacerdos ex voto factus, a compluribus Episcopis in Castellæ Novæ, Aragoniæ, et Catalauniæ regnis in partem laboris adscitus, expectationem omnium vicit; pravis ubique moribus emendatis, Ecclesiastica disciplina restituta, inimicitiis cruentisque factionibus mirifice extinctis. At cœlesti visione, et Dei voce frequenter admonitus, Romam profectus est.

Lectio v.

IN Urbe summa vitæ asperitate, vigiliis, et jejuniis corpus affligens, in orationibus et cœlestium rerum contemplatione dies noctesque versabatur, septem ejusdem Urbis Ecclesias singulis fere noctibus obire solitus: quem inde morem complures annos servavit. Dato piis sodalitatibus nomine, mirum quanto ardore pauperes, infirmos potissimum, aut carceribus detentos eleemosynis, omnique pietatis officio sublevaret. Due Urbem depopulante una cum sancto Camillo, tanto fuit actus impetu charitatis, ut præter subsidia ægrotis pauperibus large collata, ipsa etiam defunctorum cadavera suis humeris tumulanda transferret. Verum cum divinitus accepisset, se ad informandos intelligentiæ ac pietatis spiritu adolescentulos, præcipue pauperes, destinari, Ordinem Clericorum Regularium pauperum Matris Dei scholarum piarum fundavit, qui peculiarem curam circa puerorum eruditionem ex proprio instituto profiterentur: ipsumque Ordinem Clementi Octavo, Paulo Quinto aliisque Summis Pontificibus magnopere probatum, brevi tempore per plurimas Europæ provincias et regna mirabiliter propagavit. In hoc autem tot labores perpessus est, ac tot ærumnas invicto animo toleravit, ut omnium voce miraculum fortitudinis, et sancti Jobi exemplum diceretur.

Lectio vj

QUAMVIS Ordini universo præesset, totisque viribus ad animarum salutem incumberet, nunquam tamen intermisit pueros, præsertim pauperiores, erudire, quorum scholas verrere, eosque domum comitari consuevit. In eo summæ patientiæ et humilitatis munere, valetudine etiam infirma, duos et quinquaginta annos perseveravit: dignus propterea, quem crebris Deus miraculis coram discipulis illustraret, et cui beatissima Virgo cum puero Jesu illis orantibus benedicente, appareret. Amplissimis interim dignitatibus repudiatis, prophetia, abdita cordium et absentia cognoscendi donis, et miraculis clarus, Deiparæ Virginis, quam singulari pietate et ipse ab infantia coluit, et suis maxime commendavit,

Digitized by Google

aliorumque Cœlitum frequenti apparitione dignatus, cum obitus sui diem, et Ordinis tunc prope eversi restitutionem atque incrementum prænuntiasset, secundum et nonagesimum annum agens, Romæ obdormivit in Domino, octavo Kalendas Septembris, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo. Ejus cor et lingua post sæculum integra et incorrupta reperta sunt. Ipse vero multis post obitum quoque signis a Deo illustratus, primum a Benedicto Decimo quarto Beatorum cultu decoratus fuit, ac deinde a Clemente Decimotertio inter Sanctos solemniter est relatus.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 18.

IN illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Quis, putas major est in regno cœlorum? Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homil. 60 *in cap.* 18. *Matth.*

VIDETE ne aliquem istorum contempseritis parvulorum, quia eorum Angeli Patris mei faciem semper aspiciunt, et quia ego propter eos veni, et hæc Patris mei voluntas est. Ad tuendos conservandosque pusillos diligentiores nos reddit. Perspicis quam ingentia in tutelam tenuium mœnia erexerit, et quantum studium, curamque habeat, ne perdantur, tum quia supremas decipientibus eos pœnas statuit, tum quia summam pollicetur mercedem his, qui curam eorum suscipiunt, idque tam suo, quam Patris exemplo corroborat.

Lectio viij.

DOMINUM igitur etiam nos imitemur, et nihil pro fratribus omittamus, etiam eorum quæ humilia viliaque nimium videntur: sed si administratione nostra etiam opus fuerit, quamvis tenuis atque abjectus quidem, cui administrandum sit, fuerit, quamvis ardua nobis res, atque laboris plena esse videatur, omnia hæc pro fratris salute tolerabiliora facilioraque, oro, videantur: tanto enim studio, tantaque cura Deus dignam esse animam ostendit, ut neque Filio suo pepercerit.

Lectio ix.

SI non est nobis satis ad salutem, quod virtuose ipsi vivamus, sed oportet aliorum salutem reipsa desiderare; cum neque nos recte vivamus, neque alios hortemur, quid respondebimus? Quæ nobis spes salutis reliqua erit? Quid majus, quam animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores? Omni certe pictore, omni certe statuario, cæterisque hujusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui juvenum animos fingere non ignoret.

Vesp. a cap. de sequenti.

Die 28. S. Augustini

Episc. Conf. et Eccl. Doct. *Duplex.*

In utrisq. Vesp Ant. O Doctor. p. 39*.

Oratio.

ADESTO supplicationibus nostris, omnipotens Deus, et quibus fiduciam speranda pietatis indulges, intercedente beato Augustino Confessore tuo atque Pontifice, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum.

Et fit comm. præced. et S. Hermetis, Mart.

Oratio.

DEUS qui beatum Hermetem Martyrem tuum, virtute constantiæ in passione roborasti, ex ejus nobis imitatione tribue pro amore tuo prospera mundi despicere, et nulla ejus adversa formidare. Per Dominum.

Lect. I. Noct. Sapientiam, *p.* 48*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

AUGUSTINUS. Tagaste in Africa honestis parentibus natus, ac puer docilitate ingenii æquales longe superans, brevi omnibus doctrina an-

Digitized by Google

tecelluit. Adolescens, dum esset Carthagine, in Manichæorum hæresim incidit. Postea Romam profectus, inde Mediolanum missus ut Rhetoricam doceret, cum ibi frequens Ambrosii Episcopi esset auditor, ejus opera incensus studio Catholicæ fidei, annos natus triginta tres ab ipso baptizatur. Reversus in Africam, cum religione, vitæ sanctimoniam conjungens, a Valerio notæ sanctitatis Episcopo Hipponensi presbyter factus est. Quo tempore familiam instituit Religiosorum, quibuscum victu communi, eodemque cultu utens, eos ad Apostolicæ vitæ, doctrinæque disciplinam diligentissime erudiebat. Sed cum vigeret Manichæorum hæresis, vehementius in illam invehi cœpit, Fortunatumque hæresiarcham confutavit.

Lectio v.

HAC Augustini pietate commotus Valerius, eum adjutorem adhibuit Episcopalis officii. Nihil illo fuit humilius, nihil continentius. Lectus ac vestitus moderatus, vulgaris mensa, quam semper sacra vel lectione vel disputatione condiebat. Tanta benignitate fuit in pauperes, ut cum non esset alia facultas, sacra vasa frangeret ad eorum inopiam sustentandam. Feminarum, et in eis sororis, et fratris filiæ, contubernium familiaritatemque vitavit: quippe qui diceret, etsi propinquæ mulieres suspectæ non essent, tamen quæ ad eas ventitarent, posse suspicionem efficere. Nullum finem fecit prædicandi Dei verbum, nisi gravi morbo oppressus. Hæreticos perpetuo insectatus et coram, et scriptis, ac nullo loco passus consistere. Africam a Manichæorum, Donatistarum, Pelagianorum, aliorumque præterea hæreticorum errore magna ex parte liberavit.

Lectio vj.

TAM multa pie, subtiliter, et copiose scripsit, ut Christianam doctrinam maxime illustrarit. Quem in primis secuti sunt, qui postea Theologicam disciplinam via et ratione tradiderunt. Wandalis Africam bello vastantibus, et Hipponem tertium jam mensem obsidentibus, in febrim incidit. Itaque cum discessum e vita sibi instare intelligeret, psalmos David, qui ad pœnitentiam pertinent, in conspectu positos profusis lacrymis legebat. Solebat autem dicere, neminem, etsi nullius sceleris sibi conscius esset, committere debere, ut sine pœnitentia migraret e vita. Ergo sensibus integris, in oratione defixus, astantibus fratribus quos ad charitatem, pietatem, virtutesque omnes erat adhortatus, migravit in cœlum. Vixit annos septuaginta sex, in Episcopatu ad triginta sex. Cujus corpus primum in Sardiniam delatum, deinde a Luitprando Longobardorum rege magno pretio redemptum, Ticinum translatum est, ibique honorifice conditum.

In III. Noct. Homilia Ostendit Dominus, *pro Doct.* 1. *loco*, p. 49*.

In Laud. fit comm. S. Hermetis. Vesperæ de sequenti.

Die 29. in decollatione S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Duplex Majus.

Ad I. Vesperas.

Ant. de Laud. Psalmi de Dom. loco ult. Laudate Dominum omnes gentes.

Capit. Hymnus, et alia hic non propria de Com. unius Mart.

Ad Magnif. Ant. Misso Herodes spiculatore, præcepit amputari caput Joannis in carcere. Quo audito, discipuli ejus venerunt, et tulerunt corpus ejus, et posuerunt illud in monumento.

Oratio ut infra in Laudibus.

Et fit comm. præced. et S. Sabinæ Mart. tantum. Oratio Deus qui inter cætera, p. 62*.

Lect. I. Noct. Incipit Jeremias Propheta, *ut in die 24. Junii*, p. 750*.

℣. *j.* Misit Herodes rex manus, ac tenuit Joannem, et vinxit eum in carcere, quia metuebat eum, propter Herodiadem, * Quam tulerat fratri suo Philippo uxorem. ℣. Arguebat

gitized by Google

Herodem Joannes propter Herodiadem. Quam.

℟. *ij*. Joannes Baptista arguebat Herodem, * Propter Herodiadem, quam tulerat fratri suo viventi uxorem. ℣. Misso Herodes spiculatore, præcepit amputari caput Joannis in carcere. Propter.

℟. *iij*. Puellæ saltanti imperavit mater: Nihil aliud petas, nisi caput Joannis. * Et contristatus est rex propter jusjurandum, et propter simul discumbentes. ℣. Ait puella matri suæ: Quid petam? At illa ait. Nihil. Gloria. Et.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Ambrosii Episcopi de Virginibus.

Lectio iv. Cap. 3.

QUONIAM beati Joannis Baptistæ non strictim prætereunda est recordatio, interest ut quis, et a quibus, et quam ob causam, quo modo, et quo tempore sit occisus, advertere debeamus. Ab adulteris justus occiditur, et a reis in judicem capitalis sceleris pœna convertitur. Deinde præmium saltatricis, mors est Prophetæ. Postremo (quod etiam omnes barbari horrere consueverunt) inter epulas atque convivia consummandæ crudelitatis profertur edictum: et a convivio ad carcerem, de carcere ad convivium feralis flagitii circumfertur obsequium. Quanta in uno facinore sunt crimina!

℟. Justus germinabit sicut lilium: * Et florebit in æternum ante Dominum. ℣. Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Et.

Lectio v.

QUIS non, cum e convivio ad carcerem cursari videret, putaret Prophetam jussum esse dimitti? Quis, inquam, cum audisset natalem esse Herodis, solemne convivium, puellæ optionem eligendi quod vellet datam, missum ad Joannem ob solutionem non arbitraretur? Quid crudelitati cum deliciis? quid cum funeribus voluptati? Rapitur ad pœnam Propheta convivali tempore, convivali præcepto, quo non cuperet vel absolvi: perimitur gladio, caput ejus affertur in disco. Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo insatiata epulis feritas vesceretur.

℟. Iste cognovit justitiam, et vidit mirabilia magna, et exoravit Altissimum: * Et inventus est in numero sanctorum. ℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna. Et.

Lectio vj.

INTUERE, Rex acerbissime, tuo spectacula digna convivio. Porrige dexteram, ne quid sævitiæ tuæ desit, ut inter digitos tuos rivi defluant sacri cruoris. Et quoniam non exsaturari epulis fames, non restingui poculis potuit inauditæ sævitiæ sitis, bibe sanguinem scaturientibus adhuc venis exsecti capitis profluentem. Cerne oculos in ipsa morte sceleris tui testes, aversantes conspectum deliciarum. Clauduntur lumina non tam mortis necessitate, quam horrore luxuriæ. Os aureum illud exangue, cujus sententiam ferre non poteras, conticescit, et adhuc timetur.

℟. Monestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum. Et. Gloria. Et.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo tempore: Misit Herodes, ac tenuit Joannem, et vinxit eum in carcerem propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Serm. 10. *in novis serm.*

CUM sanctum Evangelium legeretur, crudele spectaculum ante o-

Digitized by Google

culos nostros constitutum est : caput sancti Joannis in disco, feralis missus crudelitatis propter odium veritatis. Puella saltat, et sævit mater : et inter lascivias et delicias convivantium temere juratur, et impie quod juratur, impletur. Factum est Joanni quod ipse prædixerat. De Domino enim Jesu Christo dixerat : Illum oportet crescere, me autem minui. Iste minutus est in capite, ille crevit in cruce. Odium peperit veritas. Non potuit æquo animo tolerari, quod homo Dei sanctus monebat : qui utique salutem eorum quærebat, quos sic monebat. Responderunt illi mala pro nobis.

℣. Desiderium animæ ejus tribuisti ei, Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et.

Lectio viij.

QUID enim ille diceret, nisi quo plenus erat? Et quid illi responderent, nisi quo pleni erant? Ille triticum seminavit, sed spinas invenit. Dicebat regi. Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Vincebat enim regem libido : tenebat apud se prohibitam uxorem fratris sui. Sed eum tamen sic libebat, ut non sæviret. Honorabat eum, a quo verum audiebat : sed mulier detestabilis odium concipiebat, quod aliquando dato tempore pareret. Quando autem parturiebat, peperit filiam, filiam saltatricem.

℣. Stola jucunditatis induit eum, Dominus, * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit illam. Et. Gloria. Et.

Pro S. Sabina Martyre.

Lectio ix.

SABINA mulier Romana, Valentini viri clarissimi uxor, a Seraphia virgine Christianæ fidei præceptis instituta, post sanctæ virginis martyrium collectas ejus reliquias piis exequiis sepelivit. Quæ propter eam causam paulo post, Adriano Imperatore, comprehensa, Elpidio judici sistitur. Cui is : Tune illa Sabina, et genere et matrimonio nobilissima ? At illa : Sum, inquit ; sed Domino meo Jesu Christo gratias ago, qui me intercessione Seraphiæ famulæ suæ, e dæmonum potestate liberavit. Quam varie tentatam, ut propositum mutaret, cum a fidei constantia movere non posset Præfectus, pronuntiata sententia quod deos contemneret, capitis damnavit. Ejus corpus a Christianis in eodem sepulchro conditum est, in quo ipsa magistram fidei suæ Seraphiam posuerat.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Herodes enim tenuit, * et ligavit Joannem, et posuit in carcerem propter Herodiadem.

2. Domine mi rex, * da mihi in disco caput Joannis Baptistæ.

3. Puellæ saltanti * imperavit mater : Nihil aliud petas nisi caput Joannis.

4. Arguebat Herodem Joannes propter Herodiadem, quam tulerat fratri suo Philippo uxorem.

5. Da mihi in disco * caput Joannis Baptistæ : et contristatus est rex propter jusjurandum.

Ad Bened. Ant. Misso Herodes spiculatore præcepit amputari caput Joannis in carcere. Quo audito discipuli ejus venerunt et tulerunt corpus ejus, et posuerunt illud in monumento.

Oratio.

SANCTI Joannis Baptistæ præcursoris et Martyris tui, quæsumus, Domine, veneranda festivitas salutaris auxilii nobis præstet effectum. Qui vivis.

Et fit comm. S. Sabinæ.

In II. Vesperis

Ant. de Laud. Psalm. de Dom. 86. *et loco ult.* Credidi, *p.* 88.

Digitized by Google

Ad Mag. Ant. Misit Rex incredulus ministros detestabiles, et amputari jussit caput Joannis Baptistæ.

Et fit comm. seq., etc. ut infra.

Die 30. S. Rosæ Limanæ V.

Duplex.

Oratio.

BONORUM omnium largitor omnipotens Deus, qui beatam Rosam cœlestis gratiæ rore præventam, virginitatis et patientiæ decore Indis florescere voluisti, da nobis famulis tuis, ut in odorem suavitatis ejus currentes, Christi bonus odor effici mereamur. Qui tecum vivit.

Pro SS. Felice et Adaucto Mart.

Oratio.

MAIESTATEM tuam, Domine, supplices exoramus, ut sicut nos jugiter Sanctorum tuorum commemoratione lætificas, ita semper supplicatione defendas. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PRIMUS Americæ meridionalis flos sanctitatis virgo Rosa Christianis parentibus Limæ progenita, mox ab incunabilis claruit futuræ sanctimoniæ indiciis. Nam vultus infantis mirabiliter in rosæ effigiem transfiguratus, huic nomini occasionem dedit: cui postea Virgo Deipara cognomen adjecit, jubens vocari deinceps Rosam a sancta Maria. Quinquennis votum perpetuæ virginitatis emisit. Adultior, ne a parentibus ad nuptias cogeretur, clam sibimet venustissimam capitis cæsariem præscidit. Jejuniis supra humanum modum addicta, integras quadragesimas transegit pane abstinens, ac dietim solis quinque granulis mali citrini victitans.

Lectio v.

HABITU Tertii Ordinis sancti Dominici assumpto, pristinas vitæ austeritates duplicavit: oblongo asperrimoque cilicio sparsim minusculas acus innexuit: sub velo coronam densis aculeis introrsus obarmatam interdiu noctuque gestavit, Sanctæ Chatarinæ Senensis ardua premens vestigia, catena ferrea, triplici nexu circumducta, lumbos cinxit. Lectulum sibi e truncis nodosis composuit, horumque vacuas commissuras fragminibus testarum implevit. Cellulam sibi angustissimam struxit in extremo horti angulo, ubi cœlestium contemplationi dedita, crebris disciplinis, inedia, vigiliis corpusculum extenuans, ac spiritu vegetata, larvas dæmonum, frequenti certamine victrix, impavide protrivit, ac superavit.

Lectio vj.

ÆGRITUDINUM tormentis, domesticorum insultibus, linguarum morsibus dire agitata, nondum satis pro merito se affligi querebatur. Per quindecim annos ad plusculas horas desolatione spiritus et ariditate miserrime contabescens, forti animo tulit agones omni morte amariores. Exinde cœpit supernis abundare deliciis, illustrari visionibus, colliquescere Seraphicis ardoribus. Angelo tutelari, sanctæ Catharinæ Senensi, Virgini Deiparæ inter assiduas apparitiones mire familiaris, a Christo has voces audire meruit: Rosa cordis mei, tu mihi sponsa esto. Denique Sponsi hujus Paradiso feliciter invectam, plurimisque ante et post obitum miraculis coruscam, Clemens Decimus Pontifex Maximus sanctarum Virginum catalogo ritu solemni adscripsit.

In III. Noct. Homilia Sæpe vos fratres, *de Com. I. loco.*

Pro SS. Martyribus.

Lectio ix.

FELIX, Diocletiano et Maximiano Imperatoribus, propter susceptam Christi religionem comprehensus, in Serapidis templum adductus est. Cui sacrificare cum juberetur, os simulacri conspuit. Quo facto, statim e-

Digitized by

rea statua corruit. Quod cum iterum ac tertio in æde Mercurii Dianæque factum esset, impietatis et magicæ artis accusatus equuleo torquetur. Mox ad secundum ab Urbe lapidem via Ostiensi ducitur, ut securi feriretur. Cui inter viam oblatus quidam Christianus, cum Felicem agnoscens ad martyrium duci videret, Ego quoque, clara voce inquit, eadem, qua iste, lege vivo: ego eumdem Jesum Christum colo. Itaque Felicem osculatus cum eo securi percutitur tertio Kalendas Septembris. Cujus nomen cum ignotum esset Christianis, is Adaucti nomine nobilitatus est, quod sancto martyri Felici adauctus sit ad coronam.

Et fit comm. SS. Mart. in Laud.

Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 31.

S. Raymundi Nonn. Conf.

Duplex. (m. t. v.)

Oratio.

DEUS, qui in liberandis fidelibus tuis ab impiorum captivitate, beatum Raymundum Confessorem tuum mirabilem effecisti, ejus nobis intercessione concede, ut a peccatorum vinculis absoluti, quæ tibi sunt placita liberis mentibus exequamur. Per Dominum.

Et fit comm. S. Rosæ.
Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

RAYMUNDUS, Nonnatus cognomento dictus (quia præter communem naturæ legem e mortuæ matris dissecto latere in lucem eductus fuit) Portelli in Catalonia piis et nobilibus parentibus ortus, ab ipsa infantia futuræ sanctitatis indicia dedit. Nam puerilia oblectamenta mundique illecebras respuens, ita pietati operam dabat, ut omnes in puero adultam virtutem admirarentur. Crescente vero ætate, litterarum studiis incubuit: sed mox, jubente patre, vitam ruri agens, Sacellum sancti Nicolai in Portelli finibus situm crebro adibat, ut sacram Deiparæ imaginem, quæ in eo summa fidelium veneratione etiam nunc colitur, visitaret. Ibi effusus in preces, ipsam Dei parentem, ut se in filium adoptaret, viamque salutis ac scientiam Sanctorum edocere dignaretur, enixe deprecabatur.

Lectio v.

NEC defuit votis ejus benignissima Virgo. Ab ipsa enim intellexit gratissimum sibi fore, si Religionem sub titulo de Mercede, seu de Misericordia redemptionis captivorum, ea suggerente nuper fundatam ingrederetur. Qua monitione percepta, Barcinonam statim profectus, illud tam præcellentis erga proximum charitatis institutum amplexus est. Regulari igitur militiæ adscriptus, virginitatem quam pridem beatæ Virgini consecraverat, perpetuo coluit: cæterisque virtutibus enituit, charitate præsertim erga Christianos, qui sub potestate Paganorum miseram in captivitate vitam degebant. Hos ut redimeret in Africam missus cum jam multos a servitute liberasset, ne, consumpta pecunia, aliis item in proximo abnegandæ fidei discrimine constitutis deesset, seipsum pignori dedit: sed cum ardentissimo salutis animarum desiderio succensus, plures Mahometanos suis concionibus ad Christum converteret, in arctam custodiam a Barbaris conjectus, variisque suppliciis cruciatus, mox labiis perforatis, et sera ferrea clausis, crudele martyrium diu sustinuit.

Lectio vj.

OB hæc, et alia fortiter gesta, sanctitatis ejus fama longe lateque diffusa est. Qua permotus Gregorius Nonus, in amplissimum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium collegium Raymundum adscripsit: sed vir Dei in ea dignitate ab omni pompa abhorrens, religiosæ humilitatis tenacissimus semper fuit. Romam vero pergens, statim ac Cardonam

pervenit, extremo morbo confectus, Ecclesiasticis Sacramentis muniri summis precibus postulavit. Cumque morbus ingravesceret, et sacerdos diutius tardaret, Angelorum ministerio sub specie religiosorum suiOrdinis apparentium, salutari Viatico refectus fuit. Quo sumpto, et gratiis Deo peractis, migravit ad Dominum Dominica ultima Augusti, anno millesimo ducentesimo quadragesimo. Mortui corpus, cum circa locum sepulturæ contentio orta esset, arcæ inclusum, et mulæ cæcæ impositum, ad sacellum sancti Nicolai Dei nutu delatum fuit, ut ibi tumularetur, ubi prima jecerat sanctioris vitæ fundamenta. Illic constructo sui Ordinis cœnobio, a confluentibus voti causa ex universa Catalonia fidelibus populis honoratur, variis miraculis et signis gloriosus.

In III. Noct. Homilia Sancti Evangelii fratres, *de Com. I. loco.*

In II. Vesp. comm. sequentis, etc. ut infra.

FESTA SEPTEMBRIS.

Prima die non impedita dicitur officium Defunctorum.

Die 1. S. Egidii Abbatis.

Oratio. Intercessio nos, p. 51*.

Pro comm. SS. duodecim Fratrum Martyrum.

Oratio.

FRATERNA nos, Domine, Martyrum tuorum corona lætificet, quæ et fidei nostræ præbeat incrementa virtutum, et multiplici nos suffragio consoletur. Per.

Lectio iij.

ÆGIDIUS Atheniensis, regiæ stirpis, a prima ætate divinis litteris, et charitatis officiis ita deditus fuit, ut nihil præterea curare videretur. Itaque parentibus mortuis, totum patrimonium in pauperes erogavit; quin etiam tunicam exuit, ut ægrotum egentem tegeret; qua ille indutus statim convaluit. Sed multis deinceps clarior miraculis, timens sui nominis celebritatem, Arelatem ad beatum Cæsarium contendit: a quo post biennium discedens, secessit in eremum, ubi diutina herbarum radicibus et cervæ lacte, quæ statis ad eum horis veniebat, admirabili sanctitate vixit. Quæ cerva, insequentibus quodam die canibus regiis, cum in antrum Ægidii refugisset, Galliæ regem impulit, ut ab eo summis precibus peteret, ut in loco speluncæ monasterium extrui pateretur. Cujus administrationem, flagitante rege, invitus suscepit, eoque munere aliquot annis prudenter pieque gesto, migravit in cœlum.

In Laud. comm. SS. duodecim Fratrum Mart.

Die 2. S. Stephani, Hungariæ Regis, Confessoris.

Semiduplex (m. t. v.)

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, omnipotens Deus, ut beatum Stephanum Confessorem tuum, quem regnantem in terris, propagatorem habuit, propugnatorem habere mereatur gloriosum in cœlis. Per Dominum.

Lect. I. Nect. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

STEPHANUS in Hungariam Christi fidem, et regium nomen invexit. Regia corona a Romano Pontifice impetrata, ejusque jussu in regem inunctus, regnum Sedi Apostolicæ obtulit. Varia pietatis domicilia Romæ, Jerosolymis, Constantinopoli in Hungaria Archiepiscopatum Strigoniensem, Episcopatus decem, admirabili religione et munificentia fundavit. Par in pauperes amor et liberalitas, quos veluti Christum ipsum complectens, neminem a se mœrentem ac vacuum unquam dimisit; quin ad eorum inopiam sublevandam, amplissimis facultatibus erogatis, dome-

Digitized by Google

sticam quoque supellectilem eximia benignitate frequenter distribuit : suis insuper manibus lavare pauperum pedes, noctu solus et ignotus nosocomia frequentare, decumbentibus inservire, ac cætera charitatis officia exhibere consuevit : quarum virtutum merito illius dextera, resoluto cætero corpore, incorrupta permansit.

Lectio v.

ORANDI studio noctes pene totas ducebat insomnes, atque in cœlestium rerum contemplatione defixus, interdum extra sensus raptus, sublimis in aera ferri visus fuit. Perduellium conspirationes, ac validorum hostium impetus, miro prorsus modo, non semel orationis præsidio, evitavit. Susceptum ex Ghisella Bavarica sancti Henrici Imperatoris sorore, quam sibi matrimonio junxerat, Emericum filium tanta morum disciplina, talique pietate enutrivit, quantum ejus postea sanctitas declaravit. Regni vero negotia ita disposuit, ut, accitis undique prudentissimis ac sanctissimis viris, nihil unquam sine illorum consilio moliretur. Humillimis interim precibus in cinere et cilicio Deum deprecans, ut universum Hungariæ regnum, antequam e vita migraret, Catholicum videre mereretur. Vere propter ingens dilatandæ fidei studium, illius gentis Apostolus nuncupatus, facta a Romano Pontifice ipsi posterisque regibus præferendæ crucis potestate.

Lectio vj.

DEI Genitricem, quam ardentissime venerabatur, amplissimo in ejus honorem constructo templo, Hungariæ Patronam instituit ; ab eadem vicissim Virgine receptus in cœlum ipso suæ Assumptionis die, quem Hungari, e sancti regis instituto, Magnæ Dominæ diem appellant. Sacrum ejus corpus suavissimo fragrans odore, liquore cœlesti scatens inter multa et varia miracula, Romani Pontificis jussu, nobiliorem in locum translatum est, atque honorificentius conditum. Ejus autem Festum Innocentius Undecimus Pontifex Maximus quarto nonas Septembris, ob insignem victoriam ab exercitu Leopoldi Primi Romanorum electi Imperatoris, et Hungariæ regis eadem die in Budæ expugnatione, ope divina e Turcis reportatam, celebrandum instituit.

In III. Noct. Homilia Bonus ordo *ut in die* 25. *Aug*, p. 779.

Die 5. S. Laurentii Just.

Episc. et Conf. *Sem.* (m. t. v.).

Oratio Da, quæsumus, *p.* 39*.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

LAURENTIUS ex illustri Justinianorum familia Venetiis natus, eximiam vel puer morum gravitatem præ se tulit. Exacta inter pietatis officia adolescentia, ad castum Verbi et animæ connubium a divina Sapientia invitatus, de religiosæ vitæ instituto capessendo deliberare cœpit. Novæ itaque militiæ clam proludens, præter alias corporis afflictationes super nudos cubabat asseres, sedensque velut arbiter hinc inter sæculi blandimenta, paratasque a matre nuptias, illinc claustrales inter austeritates, oculis in Christi patientis crucem conversis : Tu, inquit, es, Domine, spes mea, ibi posuisti certissimum refugium tuum ; ad Canonicorum sancti Georgii in Alga Congregationem convolavit : ubi novis excogitatis cruciatibus, acrius in seipsum veluti in hostem infensissimum, instaurans bellum, nullam adeo sibi oblectationem indulgebat, ut ne in domesticum unquam hortum, nec in paternam quidem domum, nisi cum morienti matri extrema pietatis officia siccis oculis persolvit, exinde intraverit. Par erat obedientiæ, mansuetudinis, ac præcipue humilitatis studium, cum abjectissima quæque cœnobii munia sibi ultro desumeret, celeberrima per urbis loca, non tam victum, quam ludibria emendicaret,

Digitized by Google

illatasque contumelias ac calumnias, immotus ac silens perferret; assiduæ præsertim orationis subsidio, qua sæpe per mensis excessum rapiebatur in Deum, tantoque cor ejus æstuabat ardore, ut nutantes etiam sodales ad perseverantiam, ac Jesu Christi amorem inflammaret.

Lectio v.

AB Eugenio Quarto patriæ Episcopus designatus, quem magna contentione honorem detrectaverat, majori gessit cum laude. Nam consueta vivendi ratione nihil admodum immutata, paupertatem, quam semper coluerat, in mensa, suppellectili, ac lecto perpetuo retinuit. Modicam domi alebat familiam, quod grandem alteram sibi esse diceret, pauperes Christi significans. Quacumque adiretur hora, præsto omnibus erat, paterna omnes charitate allevabat, non renuens vel ære se alieno gravare, illorum ne inopiæ deesset. Rogatus qua spe id faceret? Domini mei, qui pro me dissolvere facile poterit, respondebat. Spem autem non confundere divina providentia submissis inopinato subsidiis jugiter declarabat. Plura virginum monasteria construxit, quas etiam ad perfectioris vitæ rationem sua vigilantia composuit. Matronis a sæculi pompis et ornatu vanitate revocandis, Ecclesiasticæ disciplinæ, ac moribus reformandis maximopere studuit; dignus sane qui ab eodem Eugenio gloria et decus Præsulum coram Cardinalibus vocaretur, et qui a Nicolao Quinto ejus successore, translato e Gradensi civitate titulo, primus Venetiarum Patriarcha renuntiaretur.

Lectio vj.

LACRIMARUM dono insignitus, omnipotenti Deo placationis hostiam quotidie offerebat. Quod cum aliquando nocte Dominicæ Nativitatis perageret, Christum Jesum sub pulcherrimi infantis specie videre promeruit: tantumque in eo erat commissi gregis præsidium, ut cœlitus aliquando acceptum fuerit, Pontificis sui intercessione ac meritis stetisse Rempublicam. Prophetiæ spiritu afflatus, plura humanæ cognitioni prorsus impervia prædixit; morbos ac dæmones suis precibus sæpe fugavit; libros etiam cœlestem doctrinam ac pietatem spirantes, grammaticæ pene rudis, conscripsit. Denique cum lethalem incidisset in morbum, et commodiorem domestici lectum seni atque ægro pararent, aversatus ejusmodi delicias, tanquam a durissima morien is Domini sui cruce plus nimio abhorrentes, consueto in stramine se jussit deponi, et finem vitæ suæ adventare prænoscens, sublatis in cœlum oculis: Venio, inquit, ad te, o bone Jesu: ac die octava Januarii obdormivit in Domino. Pretiosam ejus mortem testati sunt Angelici concentus a Carthusianis quibusdam monachis auditi, et sacrum cadaver per duos ultra menses inhumatum, suavi fragrans odore, et rubescente facie, integrum atque incorruptum, ac nova post mortem patrata miracula: quibus permotus Alexander Octavus Pontifex Maximus eum in Sanctorum numero adscripsit. Innocentius vero Duodecimus quintam Septembris diem, qua vir sanctus ad Pontificiam primo Cathedram fuerat evectus, celebrando illius festo assignavit.

In III. Noct. Homilia Lectio sancti Evangelii, *de Com.* I. *loco.*

Die 8. In Nativitate

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Duplex 2. *Classis.*

Ad I. Vesperis.

Ant. de Laud. Psalmi et alia hic non propria ut in festis B. M. V. p. 92*.

℣. Nativitas est hodie sanctæ Mariæ virginis. ℟. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

Ad Magnif. Ant. Gloriosæ virginis Mariæ ortum dignissimum recolamus, quæ et genitricis dignitatem obtinuit, et virginalem pudicitiam non amisit.

Oratio ut infra in Laudibus.

Ad Matutinum.

Invit. Nativitatem virginis Mariæ celebremus : * Christum ejus Filium adoremus Dominum.

Lect. I. Noct. Osculetur me, *ut in die* 15. *Aug.*, p. 762*.

℟. j. Hodie nata est beata virgo Maria ex progenie David : * Per quam salus mundi credentibus apparuit, cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo. ℣. Nativitatem beatæ Mariæ virginis cum gaudio celebremus. Per.

℟. *ij.* Beatissimæ virginis Mariæ Nativitatem devotissime celebremus : * Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum. ℣. Cum jucunditate Nativitatem beatæ Mariæ virginis devotissime celebremus. Ut.

℟. *iij.* Gloriosæ virginis Mariæ ortum dignissimum recolamus, * Cujus Dominus humilitatem respexit, quæ Angelo nuntiante concepit Salvatorem mundi. ℣. Beatissimæ virginis Mariæ Nativitatem devotissime celebremus. Cujus. Gloria. Cujus.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Augustini Episcopi.
Serm. 18. de Sanctis.

Lectio iv.

ADEST nobis, dilectissimi, optatus dies beatæ ac venerabilis semper virginis Mariæ ; ideo cum summa exultatione gaudeat terra nostra, tantæ Virginis illustrata natali. Hæc est enim flos campi, de qua ortum est pretiosum lilium convallium, per cujus partum mutatur natura protoplastorum, deletur et culpa. Præcisum est in ea illud Hevæ infelicitatis elogium, quo dicitur : In dolore paries filios tuos ; quia ista in lætitia Dominum peperit.

℟. Nativitas gloriosæ virginis Mariæ ex semine Abrahæ : ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David : * Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. ℣. Hodie nata est beata virgo Maria ex progenie David. Cujus.

Lectio v.

HEVA enim luxit, ista exultavit : Heva lacrymas, Maria gaudium in ventre portavit : quia illa peccatorem, ista edidit innocentem. Mater generis nostri pœnam intulit mundo, genitrix Domini nostri salutem intulit mundo. Autrix peccati Heva, autrix meriti Maria. Heva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit. Illa percussit, ista sanavit. Pro inobedentia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur.

℟. Cum jucunditate Nativitatem beatæ Mariæ celebremus, * Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum. ℣. Corde et animo Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate præcelsæ genitricis Dei Mariæ. Ut.

Lectio vj.

PLAUDAT nunc organis Maria, et inter veloces articulos tympana puerperæ concrepent. Concinant lætantes chori, et alternantibus modulis dulcisona carmina misceantur. Audite igitur quemadmodum tympanistria nostra cantaverit. Ait enim : Magnificat* anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est. Causam igitur invalescentis erroris miraculum novi partus evicit, et Hevæ planctum Mariæ cantus exclusit.

℟. Nativitas tua, Dei Genitrix virgo, gaudium annuntiavit universo mundo : * Ex te enim ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster : * Qui solvens maledictionem, dedit benedictionem, et confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam. ℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. — Ex. Gloria. Qui.

In III. Noct. Homilia In Isaia legimus *ut in die* 9. *Dec.*, p. 621.

℟. *vij.* Beatam me dicent omnes generationes : * Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies, timentibus eum. Quia.

Digitized by Google

℟. *viij*. Felix namque es, sacra virgo Maria, et omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est sol justitiæ, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro populo, intérveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam Nativitatem. Quia. Gloria. Christus.

Pro S. Adriano Martyre.

Lectio ix.

ADRIANUS jussu Maximiani Imperatoris apud Nicomediam persequens Christianos, cum sæpius eorum in fidei confessione et tormentorum perpessione constantiam demiratus esset, vehementer ea re commotus,ad Christum sese convertit. Quamobrem cum aliis viginti tribus Christianis conjectus est in carcerem: ubi eum visitans Natalia uxor, quæ et ipsa antea in Christum crediderat, ad martyrium incendit. Itaque e custodia eductus, tamdiu flagellis cæsus est, donec intestina diffluerent. Postremo fractis cruribus, manibus pedibusque præcisis, una cum multis aliis martyrii certamen feliciter absolvit.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Nativitas gloriosæ virginis * Mariæ, ex seminæ Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David.

2. Nativitas est hodie * sanctæ Mariæ virginis, cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

3. Regali ex progenie * Maria exorta refulget, cujus precibus nos adjuvari mente et spiritu devotissime poscimus.

4. Corde et animo * Christo canamus gloriam, in hac sacra solemnitate præcelsæ genitricis Dei Mariæ.

5. Cum jucunditate * Nativitatem beatæ Mariæ celebremus, ut, ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

℣. Nativitas est hodie sanctæ Mariæ virginis. ℟. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

Ad Bened. Ant. Nativitatem hodiernam perpetuæ virginis genitricis Dei Mariæ solemniter celebremus, qua celsitudo throni processit, alleluia.

Oratio.

FAMULIS tuis, quæsumus, Domine, cœlestis gratiæ munus impertire, ut quibus beatæ Virginis partus exitit salutis exordium, Nativitatis ejus votiva solemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum.

Et fit comm. S. Adriani Mart. in Laud. tantum. Oratio Præsta quæsumus...ut qui. p. 14*.

In II. Vesperis.

Omnia dicuntur ut in I. præter

Ad Magnif. Ant. Nativitas tua, Dei genitrix virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: ex te enim ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster: qui solvens maledictionem, dedit benedictionem, et confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam.

Et fit comm. S. Gorgonii Mart.

Oratio.

SANCTUS tuus, Domine, Gorgonius sua nos intercessione lætificet, et pia faciat solemnitate gaudere. Per Dominum.

DOMINICA

Infra Octavam Nativitatis.

Festum s. nominis

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Duplex majus.

Si hæc Dom. immediate sequatur Festum Nativ., Vesp. dicuntur integræ de Nativ. sine comm. S. Nominis. Si autem Festum S. Nominis incidat in diem Oct. Nativ., Offic. fit de eo absque comm. diei Octavæ. Omnia ut in Festis B.M.V. p. 92*.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut fideles tui, qui sub sanctissimæ virginis Mariæ Nomine et protectione lætantur, ejus pia

Digitized by Google

intercessione, a cunctis malis liberentur in terris, et ad gaudia æterna pervenire mereantur in cœlis. Per Dominum.

Et fit comm. Dom. occ. in utrisque Vesp. et Laudibus.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Ex Homil. 2. super Missus est.

Lectio iv.

ET nomen, inquit, virginis Maria. Loquamur pauca, et super hoc nomine, quod interpretatum maris stella dicitur, et Matri virgini valde convenienter aptatur. Ipsa namque aptissime sideri comparatur. Quia sicut sine sui corruptione sidus suum emittit radium, sic absque sui læsione Virgo parturivit Filium. Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suum integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa stella ex Jacob orta, cujus radius universum orbem illuminat; cujus splendor et præfulget in supernis, et inferos penetrat, terras etiam perlustrans, et calefaciens magis mentes, quam corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipsa, inquam, est præclara et eximia stella super hoc mare magnum et spatiosum necessario sublevata, micans meritis, illustrans exemplis.

Lectio v.

O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terram ambulare, ne avertas oculos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, judicii horrore perterritus, barbatro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita Mariam

Lectio vj.

IN periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde; et ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens, non devias; ipsam rogans, non desperas, ipsam cogitans, non erras: ipsa tenente, non corruis; ipsa protegente, non metuis; ipsa duce, non fatigaris; ipsa propitia, pervenis: et sic in temetipso experiris quam merito dictum sit: Et nomen virginis Maria. Quod quidem venerabile Nomen, jam pridem in quibusdam Christiani orbis partibus speciali ritu cultum, Innocentius Undecimus Romanus Pontifex, ob insignem victoriam sub ejusdem virginis Mariæ præsidio de immanissimo Turcarum tyranno cervicibus populi Christiani insultante, Viennæ in Austria partam, et in perenne tanti beneficii monumentum, in Ecclesia universali singulis annis Dominica infra Octavam Nativitatis beatæ virginis Mariæ celebrari præcepit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lecti vij. Cap. 1.

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen virginis Maria. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chrysologi.

Serm. 142. *de Annuntiat.*

AUDISTIS hodie, fratres charissimi, Angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem. Audistis agi, ut homo cursibus eisdem, quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit, agit cum Maria Angelus de salute, quia cum Heva angelus egerat de ruina. Audistis Angelum de carnis nostræ limo, templum divinæ majestatis arte ineffabili

Digitized by Google

constituentem. Audistis in terris Deum, in cœlis hominem sacramento incomprehensibili collocari. Audistis inaudita ratione in uno corpore Deum hominemque misceri. Audistis fragilem nostræ carnis naturam, ad portandam totam Deitatis gloriam, Angelica exhortatione roborari.

Lectio viij.

DENIQUE ne tanto ponderi cœlestis fabricæ in Maria subtilis nostri corporis arena succumberet, et in Virgine totius generis humani portatura fructum, virga tenuis frangeretur, fugatura metum vox Angeli mox præcessit, dicens: Ne timeas Maria. Ante causam dignitas Virginis annuntiatur ex nomine: nam Maria hebræo sermone, latine Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus Dominam, ut Dominatoris genitricem trepidatio deserat servitutis, quam nasci et vocari Dominam ipsa sui germinis fecit et impetravit auctoritas: Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam. Verum est, qui invenit gratiam, nescit timere: invenisti gratiam.

Lectio ix. *de Homil. Dom. occ.*

Si autem hoc Festum transferendum sit, *Lectio* ix. *sumatur eo anno ex Officio B. Mariæ in Sabbato mensis Septembris.*

Die 9. secunda

Infra Octav. Nativ. B. M. V.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

In II. Noct. Exultat Maria, *ut in die* 9. *Dec.*, p. 621. *mutato* Conceptionem *in* Nativitatem.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 1.

LIBER generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

De Homil. S. Hieronymi Presbyteri. *Lib.* 1. *Comm. in Matth.*

JACOB autem genuit Joseph. Hunc locum objecit nobis Julianus Augustus de dissonantia Evangelistarum; cur Evangelista Matthæus Joseph dixerit filium Jacob, et Lucas eum filium appellarit Heli: non intelligens consuetudinem Scripturarum, quod alter secundum naturam, alter secundum legem ei pater sit. Scimus enim hoc per Moysen, Deo jubente, præceptum, ut si frater aut propinquus absque liberis mortuus fuerit, alius accipiat uxorem ad suscitandum semen fratris vel propinqui sui. Joseph virum Mariæ. Cum virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum: sed recordare consuetudinis Scripturarum quod sponsi viri, et sponsæ vocentur uxores.

Lectio viij.

ET a transmigratione Babylonis usque ad Christum generationes quatuordecim. Numera a Jechonia usque ad Joseph, et invenies generationes tredecim. Quartadecima ergo generatio in ipsum Christum reputabitur. Christi autem generatio sic erat. Quærat diligens lector, et dicat: Cum Joseph non sit pater Domini Salvatoris, quid pertinet ad Dominum generationis ordo deductus usque ad Joseph? Cui respondebimus, primum, non esse consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur: deinde, ex una tribu fuisse Joseph et Mariam, unde ex lege eam accipere cogebatur ut propinquam: et quod simul censentur in Bethlehem, ut de una videlicet stirpe generati.

Pro S. Gorgonio Martyre.

Lectio ix.

GORGONIUS, Nicomediæ natus, Diocletiani Imperatoris cubicularius, Dorotheo collega suo adjutore, reliquos omnes cubiculi ministros ad Christi fidem perduxit. Uterque autem cum vidisset quodam die martyrem coram Diocletiano acerbissime

Digitized by Google

cruciari, ejus exemplo martyrii amore incensus est. Itaque amborum hæc vox erupit : Quid est, Imperator, quod hujus condemnata sententia, quæ nobis cum eo communis est, unum illum punis? Istius nostra etiam est fides, idem propositum. Eos igitur vinctos Imperator flagellis concidi jubet, ita ut toto corpore cutis dirumperetur, et in plagas acetum infundi sale permixtum : mox revinctis in craticula, subjici imperat vim candentium carbonum. Denique varie torti suspendio necati sunt. Ac sancti Gorgonii corpus aliquando Romam portatum, inter duas lauros via Latina sepultum, postea, Gregorio Quarto Summo Pontifice, in Basilicam Principis Apostolorum translatum est.

In Laud. fit. comm. S. Mart.
Vesperæ de sequenti.

Die 10. S. Nicolai Tolent.

Confessoris. *Duplex.*

Oratio.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, quas in beati Nicolai Confessoris tui solemnitate deferimus, ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, ejus qui tibi placuit, precibus adjuvemur. Per Dominum.

Et fit comm. Oct. Nativ. B. M.
Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

NICOLAUS, Tolentinas a diuturno illius civitatis domicilio appellatus, in oppido sancti Angeli in Piceno est natus piis parentibus, qui liberorum desiderio Barium voti causa profecti, ibique a sancto Nicolao de futura prole confirmati, quem susceperunt filium, de illius nomine appellarunt. Is ab infantia multarum virtutum, sed abstinentiæ in primis specimen dedit. Nam anno vix septimo, beatum ipsum Nicolaum imitatus, complures hebdomadæ dies jejunare cœpit, eamque postea consuetudinem retinuit, solo pane et aqua contentus.

Lectio v.

ADULTA ætate jam clericali militiæ adscriptus, et Canonicus factus, cum quodam die concionatorem Ordinis Eremitarum sancti Augustini de mundi contemptu dicentem audisset, eo sermone inflammatus, statim eumdem Ordinem est ingressus. In quo tam exactam religiosæ vitæ rationem coluit, ut aspero vestitu, verberibus, et ferrea catena corpus domans, atque a carne, et omni fere obsonio abstinens, charitate, humilitate, patientia, cæterisque virtutibus aliis præluceret.

Lectio vj.

ORANDI assiduum studium, quamvis satanæ insidiis varie vexatus, et flagellis interdum cæsus, non intermittebat. Demum sex ante obitum mensibus, singulis noctibus angelicum concentum audivit; cujus suavitate cum jam paradisi gaudia prægustaret, crebro illud Apostoli repetebat. Cupio dissolvi, et esse cum Christo. Denique obitus sui diem fratribus prædixit, qui fuit quarto Idus Septembris. Miraculis multis etiam post mortem claruit, quibus rite et ordine cognitis, ab Eugenio Papa Quarto in Sanctorum numerum est relatus.

In III. Noct. Homilia Pusillum gregem, *de Com. 2. loco*, p. 69*.
Comm. Oct. Nativ. in Laud.
In II. Vesp. comm. Oct. Nativ. et SS. Proti et Hyacinthi Mart.

Oratio.

BEATORUM Martyrum tuorum Proti et Hyacinthi nos, Domine, foveat pretiosa confessio, et pia jugiter intercessio tueatur. Per Dominum.

Die 11. Quarta.

Infra Oct. Nativ. B. M. V.
Lect. I. Noct. de Script. occ.

Digitized by Google

In II. Noct. Novum fecit Dominus *ut in die* 10. *Dec.* p. 622*.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 1.

LIBER generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia sancti Hilarii Episcopi.

Comment. in Matth. c. I.

GRESSUS quem Matthæus in ordine regiæ successionis ediderat, et quem Lucas per sacerdotalem ordinem dinumerat, uterque agnationem in Domino utriusque tribus significat, et rectæ generationis gradum ponit, quia sacerdotalis et regiæ tribus societas, per David ex conjugio inita, jam a Salathiel in Zorobabel confirmatur ex genere. Atque ita, dum Matthæus paternam originem, quæ ex Juda proficiscebatur, recenset: Lucas vero acceptum per Nathan ex tribu Levi genus edocet: suis uterque partibus Domino nostro Jesu Christo, qui est æternus et Rex et Sacerdos, etiam in carnali ortu utriusque generis gloriam probaverunt.

Lectio viij.

QUOD vero Joseph potius quam Mariæ nativitas recensetur, nihil refert: eadem enim est totius tribus atque una cognatio. Exemplum autem etiam Matthæus et Lucas dederunt, patres invicem appellantes, non tam genere, quam gente: quia ab una tribu cœpta, sub unius successionis et originis familia continetur. Cum enim filius David atque Abrahæ sit ostendendus, ita Matthæus cœpit: Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham.

Pro SS. Martyribus.

Lectio ix.

PROTUS et Hyacinthus fratres, beatæ Eugeniæ virginis eunuchi, una cum illa ab Heleno Episcopo baptizati, ac studiis dediti divinarum litterarum, aliquandiu in Ægypto in monasterio mira humilitate, et vitæ sanctitate vixerunt. Sed postea sanctam virginem Eugeniam Romam prosecuti, Gallieno Imperatore, in Urbe propter Christianæ fidei professionem, comprehensi sunt. A quibus cum nullo modo impetrari posset, ut Christianam religionem deserentes, deos colerent, acerbis verberibus cæsi, securi feriuntur, tertio Idus Septembris.

In Laud. fit comm. SS. Mart.

Die 12. Quinta

Infra Oct. Nativ. B. M. V.

Lect. 1. Noct de Script. occ.

In II. Noct. Dei Filius, *ut in festis B. M. V.* p. 97*.

In III. Noct. Homilia Non refert quis, *ut in die* 10. *Dec.*, p. 622.

Die 13. Sexta

Infra Oct. Nativ. B. M. V.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

In II. Noct. Beata Mater Dei, *ut in die* 12. *Dec.* p. 624.

In III. Noct. Homilia Matthæus Evangelista, *ut in die* 8. *Dec.*, p. 619*.

Vesperæ de sequenti.

Die 14. In Exaltatione

SANCTÆ CRUCIS.

Duplex Majus.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. Psalmi de Dom. loco ult. Laudate Dominum omnes gentes.

In Hymno Vexilla Regis, *ut in Sabbato ante Dom. Pass.*, p. 294.

O Crux, ave, spes unica,
In hac triumphi gloria.

℣. Hoc signum Crucis erit in cœlo.
℟. Cum Dominus ad judicandum venerit.

Ad Magnif. Ant. O Crux splendidior cunctis astris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, sanctior universis, quæ sola fuisti digna portare talentum mundi, dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondе-

Digitized by Google

ra : salva præsentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam.

Oratio ut infra in Laudibus.

Et fit comm. Oct. Nativ. B. M.

Ad Matutinum.

Invit. Christum Regem pro nobis in Cruce exaltatum, * Venite, adoremus.

Hymnus Pange lingua, *ut in Dom. Passionis*, p. 295.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Nobile lignum exaltatur, Christi fides rutilat, dum Crux ab omnibus veneratur.

Psalmi de Com. unius Mart. p. 14*.

2. Sancta Crux extollitur a cunctis regibus, virga regia erigitur, in qua Salvator triumphavit.

3. O crux venerabilis, quæ salutem attulisti miseris, quibus te efferam præconiis, quoniam vitam nobis cœlitem præparasti?

℣. Hoc signum Crucis erit in cœlo.

℟. Cum Dominus ad judicandum venerit.

De libro Numerorum.

Lectio j. Cap 21.

CUM audisset Chananæus rex Arad, qui habitabat ad Meridiem, venisse scilicet Israel per exploratorum viam, pugnavit contra illum, et victor existens, duxit ex eo prædam. At Israel voto se Domino obligans, ait : Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes ejus. Exaudivitque Dominus preces Israel, et tradidit Chananæum : quem ille interfecit, subversis urbibus ejus, et vocavit nomen loci illius Horma, id est, anathema.

℟. Gloriosum diem sacra veneratur Ecclesia, dum triumphale exaltatur lignum : * In quo Redemptor noster mortis vincula rumpens, callidum aspidem superavit. ℣. In ligno pendens nostræ salutis semitam Verbum Patris invenit. In.

Lectio ij.

PROFECTI sunt autem de monte Hor per viam, quæ ducit ad mare Rubrum, ut circumirent terram Edom. Et tædere cœpit populum itineris ac laboris, locutusque contra Deum et Moysen, ait : Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ : anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes.

℟. Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis ; nulla silva talem profert, fronde, flore, germine : * Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinuit. ℣. Super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior. Dulce.

Lectio iij.

AD quorum plagas, et mortes plurimorum, venerunt ad Moysen, atque dixerunt : Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum et te: ora ut tollat a nobis serpentes. Oravitque Moyses pro populo, et locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, et posuit eum pro signo : quem cum percussi aspicerent, sanabantur.

℟. Hæc est arbor dignissima, in paradisi medio situata, * In qua salutis auctor propria morte mortem omnium superavit. ℣. Crux præcellenti decore fulgida, quam Heraclius Imperator concupiscenti animo recuperavit. In. Gloria. In.

IN II. NOCTURNO.

Ant. O Crucis victoria, et admirabile signum, in cœlesti curia fac nos captare triumphum.

Psalm. Cum invocarem, *p.* 16*.

Ant. Funestæ mortis damnatur supplicium, dum Christus in Cruce, nostra destruxit vincula criminum.

Psalm. In Domino, p. 18*.

Ant. Rex exaltatur in æthera, cum nobile trophæum Crucis ab universis Christicolis adoratur per sæcula.

Psalm. Domine in virtute, *p.* 18*.

℣. Adoramus te, Christe, et bene-

Digitized by Google

nedicimus tibi. ℟. Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

Lectio iv.

CHOSROAS Persarum rex, extremis Phocæ Imperii temporibus, Ægypto et Africa occupata, ac Jerosolyma capta, multisque ibi cæsis Christianorum millibus, Christi Domini Crucem, quam Helena in monte Calvariæ collocarat, in Persidem abstulit. Itaque Heraclius, qui Phocæ successerat, multis belli incommodis et calamitatibus affectus, pacem petebat, quam a Chosroa victoriis insolente ne iniquis quidem conditionibus impetrare poterat. Quare in summo discrimine se assiduis jejuniis et orationibus exercens opem a Deo vehementer implorabat: cujus monitu exercitu comparato, signa cum hoste contulit, ac tres duces Chosroæ cum tribus exercitibus superavit.

℟. Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita, et resurrectio nostra: * Per quem salvati et liberati sumus. ℣. Tuam Crucem adoramus Domine, et recolimus tuam gloriosam passionem. Per.

Lectio v.

QUIBUS cladibus fractus Chosroas, in fuga, qua trajicere Tigrim parabat Medarsem filium socium regni designat. Sed eam contumeliam cum Siroes Chosroæ major natu filius ferret atrociter, patri simul et fratri necem machinatur: quam paulo post utrique ex fuga retracto attulit, regnumque ab Heraclio impetravit, quibusdam acceptis conditionibus, quarum ea prima fuit, ut Crucem Christi Domini restitueret. Ergo Crux, quatuordecim annis postquam venerat in potestatem Persarum, recepta est: quam rediens Jerosolymam Heraclius, solemni celebritate suis humeris retulit in eum montem, quo eam Salvator tulerat.

℟. Dum sacrum pignus cœlitus exaltatur, Christi fides roboratur: * Adsunt prodigia divina in virga Moysi primitus figurata. ℣. Ad Crucis contactum resurgunt mortui, et Dei magnalia reserantur. Adsunt.

Lectio vj.

QUOD factum illustri miraculo commendatum est. Nam Heraclius ut erat auro et gemmis ornatus, insistere coactus est in porta, quæ ad Calvariæ montem ducebat. Quo enim magis progredi conabatur, eo magis retineri videbatur: Cumque ea re et ipse Heraclius et reliqui omnes obstupescerent, Zacharias Jerosolymorum Antistes: Vide, inquit, Imperator, ne isto triumphali ornatu, in Cruce ferenda parum Jesu Christi paupertatem et humilitatem imitere. Tum Heraclius, abjecto amplissimo vestitu, detractisque calceis, ac, plebeio amictu indutus, reliquum viæ facile confecit, et in eodem Calvariæ loco Crucem statuit, unde fuerat a Persis asportata. Itaque Exaltationis sanctæ Crucis solemnitas, quæ hac die quotannis celebrabatur, illustrior haberi cœpit ob ejus rei memoriam, quod ibidem fuerit reposita ab Heraclio, ubi Salvatori primum fuerat constituta.

℟. Hoc signum Crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit: * Tunc manifesta erunt abscondita cordis nostri. ℣. Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, et cœperit judicare sæculum per ignem. Tunc. Gloria. Tunc.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemisti mundum.

Psalmi ut in III. Noct. Virg. p. 67*.

2. Per lignum servi facti sumus, et per sanctam Crucem liberati sumus: fructus arboris seduxit nos, Filius Dei redimit nos, allel.

3. Salvator mundi salva nos, qui per Crucem et sanguinem tuum redemisti nos: auxiliare nobis, te deprecamur, Deus noster.

℣. Omnis terra adoret te, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nomini tuo, Domine.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo tempore: Dixit Jesus turbis Judæorum: Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Et reliqua.

Homilia S. Leonis Papæ.

Homilia. 8. *de Passione Domin.*

EXALTATO, dilectissimi, per Crucem Christo, non illa tantum species aspectui mentis occurrat, quæ fuit in oculis impiorum, quibus per Moysen dictum est: Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, et timebis die ac nocte, et non credes vitæ tuæ. Isti enim nihil in crucifixo Domino præter facinus suum cogitare potuerunt, habentes timorem, non quo fides vera justificatur, sed quo conscientia iniqua torquetur. Noster vero intellectus, quem Spiritus veritatis illuminat, gloriam Crucis cœlo terraque radiantem, puro ac libero corde suscipiat, et interiore acie videat, quale sit quod Dominus, cum de passionis suæ loqueretur instantia, dixit: Nunc judicium mundi est, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.

℟. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinuit: * Quæ sola digna fuit portare pretium hujus sæculi. ℣. Hoc signum Crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit. Quæ.

Bened. Divinum auxilium.

Lectio vlij.

O admirabilis potentia Crucis, o ineffabilis gloria passionis in qua et tribunal Domini et judicium mundi, et potestas est crucifixi! Traxisti enim Domine omnia ad te, et cum expandisses tota die manus tuas ad populum non credentem et contradicentem tibi, confitendæ majestatis tuæ sensum totus mundus accepit. Traxisti, Domine, omnia ad te cum in execrationem Judaici sceleris, unam protulerunt omnia elementa sententiam, cum, obscuratis luminaribus cœli, et converso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis, universaque creatura impiorum usui se negaret. Traxisti, Domine, omnia ad te, quoniam scisso templi velo, sancta sanctorum ab indignis pontificibus recesserunt, ut figura in veritatem, prophetia in manifestationem, et lex in Evangelium verteretur.

℟. Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: * Ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. ℣. Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Ut. Gloria. Ut.

Lectio ix.

TRAXISTI, Domine, omnia ad te, ut quod in uno Judææ templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno apertoque sacramento universarum ubique nationum devotio celebraret. Nunc etenim et ordo clarior Levitarum, et dignitas amplior seniorum, et sacratior est unctio sacerdotum: quia Crux tua omnium fons benedictionum: omnium est causa gratiarum: per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. Nunc etiam carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis tui implet oblatio: quoniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, et ita in te universa perficis mysteria; ut sicut unum est pro omni victima sacrificium, ita unum de omni gente sit regnum.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. O magnum pietatis opus! * mors mortua tunc est, in ligno quando mortua vita fuit.

Digitized by Google

2. Salva nos,* Christe Salvator per virtutem Crucis, qui salvasti Petrum in mari, miserere nobis.

3. Ecce crucem Domini, * fugite, partes adversæ; vicit leo de tribu Juda, radix David, *allel.

4. Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi.

5. Per signum Crucis, * de inimicis nostris libera nos, Deus noster.

Capitulum. Philip. 2.

FRATRES, Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.

Hymnus Lustra sex. *ut in Dom. Pass.* p. 298.

℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi. ℟. Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

Ad Bened. Ant. Super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior, in qua vita mundi pependit, in qua Christus triumphavit, et mors mortem superavit in æternum.

Oratio.

DEUS, qui nos hodierna die Exaltationis sanctæ Crucis annua solemnitate lætificas, præsta quæsumus, ut cujus mysterium in terra cognovimus, ejus redemptionis præmia in cœlo mereamur. Per eumdem.

Et fit comm. Oct. Nat. B. M.

Ad Tertiam.

Capit. Fratres hoc enim.

℟. *br.* Hoc signum Crucis, * Erit in cœlo. Hoc. ℣. Cum Dominus ad judicandum venerit. Erit. Gloria. Hoc ℣. Adoramus, te, Christe, et benedicimus tibi. ℟. Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

Ad Sextam.

Capitulum. Galat. 6.

MIHI autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

℟. *br.* Adoramus te, Christe, * Et benedicimus tibi. Adoramus. ℣. Quia per Crucem tuam redemisti mundum. Et. Gloria Adoramus. ℣. Omnis terra adoret te, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nomini tuo, Domine.

Ad Nonam.

Capitulum. Philip. 2.

HUMILIAVIT semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.

℟. *br.* Omnis terra adoret te * Et psallat tibi. Omnis. ℣. Psalmum dicat nomini tuo, Domine. Et. Gloria. Omnis. ℣. Hoc signum Crucis erit in cœlo. ℟. Cum Dominus ad judicandum venerit.

In II. Vesperis.

Omnia dicuntur ut in I. præter.

Ad Magnif. Ant. O Crux benedicta, quæ sola fuisti digna portare Regem cælorum, et Dominum, alleluja.

Et fit comm. diei Oct. Nat. Ant. et ℣. ex I. Vesp.

Deinde S. Nicomedis Mart.

Oratio.

ADESTO, Domine, populo tuo, ut beati Nicomedis Martyris tui merita præclara suscipiens, ad impetrandam misericordiam tuam semper ejus patrociniis adjuvetur. Per Dominum.

Die 15. Octava.

Nativitatis B. Mariæ Virginis.

Duplex.

Lect. I. Noct. Quæ est ista, *ut in die* 22. *Aug.* p. 834.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Cyrilli Episcopi Alexandrini.

Digitized by Google

Homilia contra Nestorium.

Lectio iv.

HILAREM video cœtum sanctorum omnium, qui convenerunt promptis animis, a sancta et Dei matre Maria semper virgine convocati. Laus et gloria sit tibi sancta Trinitas, quæ omnes nos ad hanc celebritatem convocasti. Sit etiam tibi sancta Dei mater, laus. Tu enim es pretiosa margarita orbis terrarum, tu lampas inextinguibilis, corona virginitatis, sceptrum orthodoxæ fidei, templum indissolubile, continens eum qui nusquam contineri potest; Mater et Virgo, per quam benedictus qui venit in nomine Domini, in sanctis Evangeliis nominatur.

Lectio v.

PER te Trinitas sanctificatur, per te crux pretiosa celebratur, et adoratur in toto orbe terrarum. Per te exultat cœlum, lætantur Angeli et Archangeli, fugantur dæmones, et homo ipse ad cœlum revocatur. Per te omnis creatura idolorum errore detenta, conversa est ad agnitionem veritatis, et fideles homines ad sanctum baptisma pervenerunt, atque in toto orbe terrarum constructæ sunt Ecclesiæ.

Lectio vj.

TE adjutrice, Gentes veniunt ad pœnitentiam. Quid plura? Per te unigenitus Dei Filius, vera illa lux effulsit sedentibus in tenebris et umbra mortis. Per te Prophetæ prænuntiarunt, per te Apostoli salutem gentibus prædicarunt. Quisnam poterit tuarum laudum præconia explicare, Maria mater et virgo? Hanc fratres dilectissimi celebremus; ejus Filium Ecclesiæ sponsum immaculatum adorantes, cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

In III. Noct. Homil. Auditu quidem mirabile, *ut in die* 12. *Dec.* p. 625.

Pro S. Nicomede Martyre.

Lectio. ix.

NICOMEDES Presbyter, persequente Christianos Domitiano Imperatore, quod corpus Feliculæ virginis propter confessionem Christianæ fidei a Flacco Comite interfectæ sepelisset, comprehendi jussus est, ductusque ad statuas deorum. Cum eis sacrificare velle, (quod facere jubebatur) constanter negavisset, propterea quod sacrificium uni Deo vero qui regnat in cœlis deberetur, plumbatis cæsus, in eo martyrio animam Deo reddidit. Cujus corpus cum idem Comes in profluentem Tiberim projici imperasset, Justus Nicomedis clericus diligenter conquisitum, ad muros Urbis via Nomentana honorifice in sepulchro condidit.

In Laud. fit com. S. Martyr.

In II. Vesp. comm. SS. Cornelii et Cypriani Mart.

Die 16. SS. Cornelii et Cypriani, martyrum.

Semiduplex.

Oratio.

BEATORUM Martyrum pariterque Pontificum Cornelii et Cypriani nos quæsumus, Domine, festa tueantur, et eorum commendet oratio veneranda. Per Dominum.

Deinde SS. Euphemiæ, Luciæ et Geminiani Mart.

Variantur Ant. et ℣. tam in Vesp. quam in Laud.

Oratio.

PRÆSTA Domine, precibus nostris cum exultatione proventum, ut sanctorum Martyrum Euphemiæ, Luciæ, et Geminiani, quorum diem passionis annua devotione recolimus, etiam fidei constantiam subsequamur. Per Dominum.

Lectio I. Noct. de Script. occ.

In Quatuor Temp. Fratres debitores, *et tunc Lectio* ix. *de Homilia et comm. Feriæ in Laud. tantum.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CORNELIUS Romanus, Gallo et Volusiano Imperatoribus, Pontificatum gerens, cum Lucina femina

Digitized by Google

sanctissima, corpora Apostolorum Petri et Pauli e catacumbis in opportuniorem locum transtulit, ac Pauli corpus Lucina in suo prædio via Ostiensi, prope eum locum, ubi fuerat gladio percussus, collocavit: Cornelius Principis Apostolorum corpus non longe inde, ubi crucifixus fuerat, reposuit. Quod cum ad Imperatores delatum esset, et Pontifice auctore multos fieri Christianos. mittitur is in exilium ad Centumcellas: ubi eum sanctus Cyprianus Episcopus Carthaginensis per litteras est consolatus.

Lectio v.

HOC autem Christianæ charitatis officium cum frequens alter alteri persolveret, deteriorem in partem id accipientes Imperatores, accersitum Romam Cornelium, tanquam de majestate reum plumbatis cædi, raptumque ad Martis simulacrum ei sacrificare jubent. Quam impietatem cum ille detestaretur, ei caput abscissum est decimo octavo Kalendas Octobris. Cujus corpus beata Lucina clericis adjutoribus humavit in arenaria prædii sui prope cœmeterium Callisti. Vixit in Pontificatu annos circiter duos.

Ex libro S. Hieronymi Presbyteri de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Lectio vj.

CYPRIANUS Afer, primum gloriose Rhetoricam docuit: exinde suadente præsbytero Cæcilio, a quo et cognomentum sortitus est, Christianus factus, omnem substantiam suam pauperibus erogavit. Ac post non multum temporis electus in presbyterum, etiam Episcopus Carthaginensis constitutus est. Hujus ingenii superfluum est indicem texere, cum sole clariora sunt ejus opera. Passus est sub Valeriano et Gallieno Principibus, persecutione octava, eodem die quo Romæ Cornelius, sed non eodem anno.

In III. Nocl. Homilia Dominus ac Redemptor, *de Com.* 1. *loco.*

Pro SS. Martyribus.

Lectio ix.

EUPHEMIA, Lucia, et Geminianus, in persecutione Diocletiani, non eodem loco, sed eodem die, martyrio coronati sunt. Euphemia virgo apud Chalcedonem, Prisco Proconsule, varia tormentorum genera, virgarum, equulei, rotarum, ignis constanter passa, demum bestiis objecta, una ex iis morsum sancto corpori infigente, cæteris pedes ejus lambentibus, immaculatum spiritum Deo reddidit. Lucia, vidua Romana, a filio Eutropio, quod Christum multos annos coluisset, accusata, in ollam pice ac plumbo ferventem demittitur: unde incolumis evadens, cum ferro plumboque onerata per Urbem duceretur, Geminianum, nobilem virum, constantia fidei et martyrii ad Christum convertit; quem etiam cum multis aliis ad fidem perductis, varie tortum, gloriosi martyrii, abscisso capite, socium habuit. Quorum corpora Maxima, mulier Christiana, honorifice sepelivit.

In Laud. fit comm. SS. Mart.
Vesperæ de sequenti.

Die 17. In Impressione

STIGMATUM SANCTI FRANCISCI,

Confessoris. *Duplex.*

In Hymno Iste Confessor, *dicitur*

Hac die lætus meruit beata
Vulnera Christi.

In utrisque Vesperis.

℣. Signasti, Domine, servum tuum Franciscum. ℟. Signis redemptionis nostræ.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui, frigescente mundo, ad inflammandum corda nostra tui amoris igne, in carne beatissimi Francisci passionis tuæ sacra Stigmata renovasti, concede propitius, ut ejus meritis et precibus crucem jugiter feramus, et dignos fructus pœnitentiæ faciamus: Qui vivis.

Digitized by Google

Deinde fit comm. SS. Cornelii et Cypriani Martyrum.

IN I. NOCTURNO.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Galatas.

Lectio j. Cap. 5.

SI spiritu vivimus, spiritu et ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Opus autem suum probet unusquisque, et sic in semetipso tantum gloriam habebit, et non in altero. Unusquisque enim onus suum portabit. Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis.

Lectio ij.

NOLITE errare, Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus, non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Videte qualibus litteris scripsi vobis mea manu. Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur. Neque enim qui circumciduntur, legem custodiunt: sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur.

Lectio iij.

MIHI autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei. De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, fratres, Amen.

IN II. NOCTURNO.

Divus Bonaventura in Legenda S. Francisci.

Lectio iv. Cap. 13.

FIDELIS severa famulus et minister Christi Franciscus, biennio antequam spiritum redderet cælo, cum in loco excelso seorsum, qui mons Alverniæ dicitur, quadragenarium, ad honorem Archangeli Michaelis, jejunium inchoasset, supernæ contemplationis dulcedine abundantius solito superfusus, ac cælestium desideriorum ardentiori flamma succensus, supernarum cœpit immissionum cumulatius dona sentire. Dum igitur Seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum, et affectus compassiva teneritudine in eum transformaretur, cui ex charitate nimia crucifigi complacuit, quodam mane, circa festum Exaltationis sanctæ Crucis, in latere montis orans, vidit quasi speciem unius Seraphim, sex alas tam fulgidas quam ignitas habentem, de cælorum sublimitate descendere; qui volatu celerrimo ad aeris locum viro Dei propinquum perveniens, non solum alatus, sed et crucifixus apparuit: manus quidem et pedes habens extensos, et cruci affixos: alas vero sic miro modo hinc inde dispositas, ut duas supra caput erigeret, duas ad volandum extenderet, duabus vero reliquis totum corpus circumplectendo velaret. Hoc videns, vehementer obstupuit, mixtumque dolori gaudium mens ejus incurrit, dum et in gratioso ejus aspectu sibi tam mirabiliter quam familiariter apparentis excessivam quamdam con-

Digitized by Google

cipiebat lætitiam : et dira conspecta crucis affixio ipsius animam compassivi doloris gladio pertransivit.

Lectio v.

INTELLEXIT quidem illo docente interius, qui et apparebat exterius, quod licet passionis infirmitas cum immortalitate spiritus Seraphici nullatenus conveniret, ideo tamen hujusmodi visio suis fuerat præsentata conspectibus, ut amicus ipse Christi prænosceret, se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis totum in Christi Jesu crucifixi expressam similitudinem transformandum. Disparens itaque visio, post arcanum ac familiare colloquium, mentem ipsius Seraphico interius inflammavit ardore, carnem vero Crucifixo conformi exterius insignivit effigie, tanquam si ad ignis liquefactivam virtutem præambulam sigillativa quædam esset impressio subsecuta. Statim namque in manibus et pedibus ejus apparere cœperunt signa clavorum, ipsorum capitibus in inferiori parte manuum et superiori pedum apparentibus, et eorum acuminibus existentibus ex adverso. Dextrum quoque latus, quasi lancea transfixum, rubra cicatrice obductum erat : quod sæpe sanguinem sacrum effundens, tunicam et femoralia rospergebat.

Lectio vj.

POSTQUAM igitur novus homo Franciscus, novo et stupendo miraculo claruit, cum singulari privilegio retroactis sæculis non concesso insignitus apparuit, sacris videlicet Stigmatibus decoratus, descendit de monte secum ferens Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis vel ligneis manu figuratam artificis, sed in carneis membris descriptam digito Dei vivi. Quoniam sacramentum Regis Seraphicus vir abscondere bonum esse optime norat, secreti regalis conscius, signacula illa sacra pro viribus occultabat. Verum quia Dei est ad gloriam suam magna revelare, quæ facit Dominus ipse, qui signacula illa secrete impresserat, miracula quædam aperte per ipsa monstravit, ut illorum occulta et mira vis Stigmatum, manifesta pateret claritate signorum. Porro rem admirabilem, ac tantopere testatam, atque in Pontificiis diplomatibus præcipuis laudibus et favoribus exaltatam, Benedictus Papa Undecimus anniversaria solemnitate celebrari voluit : quam postea Paulus Quintus Pontifex Maximus, ut corda fidelium in Christi crucifixi accenderentur amorem, ad universam Ecclesiam propagavit.

In III. Noct. Homilia Quia Dominus ac Redemptor, *de Communius Mar.* p. 22*.

℟. *vij.* Iste qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum : * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. Ipse.

℟. *viij.* Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi : * Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. ℣. Ego enim Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. Per. Gloria. Per.

Ad Laud. in Hymno Jesu corona celsior, *dicitur.*

Anni reverso tempore
Dies refulsit lumine,
Quo Sanctus hic in corpore
Christi recepit Stigmata.

Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 18. S. Josephi A Cup.

Confessoris *Duplex.*

Omnia ut in append. pro aliquib. loc. sub hac die p. 287*.

Vesperæ a Capit de sequenti.

Die 19. SS. Januarii Episc.

ET soc. Mart. *Duplex.*

Oratio.

DEUS, qui nos annua sanctorum Martyrum tuorum Januarii et sociorum ejus solemnitate lætificas, concede propitius, ut quorum gaude-

Digitized by Google

mus meritis, accendamur exemplis. Per Dominum.

Et fit. comm. præced. Ant. Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

In Quatuor Temp. Fratres debitores, *et tunc Lectio* ix. *de Homilia et comm. Feriæ in Laud. tantum.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JANUARIUS, Beneventi Episcopus, Diocletiano et Maximiano in Christianos sævientibus, ad Timotheum Campaniæ Præsidem ob Christianæ fidei professionem Nolam perducitur. Ibi ejus constantia varie tentata, in ardentem fornacem conjectus, ita illæsus evasit, ut ne vestimentum aut capillum quidem flamma violaverit. Hinc Præses accensus iracundia, martyris corpus imperat usque eo distrahi, quoad nervorum compages artuumque solvantur. Festus interea ejus Diaconus, et Desiderius Lector comprehensi, vinctique una cum Episcopo ante rhedam Præsidis Puteolos pertrahuntur, et in eumdem carcerem, in quo Sosius Misenas, et Proculus Puteolanus Diaconus, Eutyches et Acutius Laici ad bestias damnati detinebantur, simul conjiciuntur.

Lectio v.

POSTERO die omnes in amphitheatro feris objecti sunt: quæ naturalis oblitæ feritatis, ad Januarii pedes se prostravere. Id Timotheus magicis cantionibus tribuens, cum sententiam capitis in Christi martyres pronuntiasset, oculis repente captus, orante mox beato Januario, lumen recepit: quo miraculo hominum millia fere quinque Christi fidem susceperunt. Verum ingratus judex nihilo placatior factus beneficio, sed conversione tantæ multitudinis actus in rabiem, veritus maxime Principum decreta, sanctum Episcopum cum sociis gladio percuti jussit.

Lectio vj.

HORUM corpora finitimæ urbes, pro suo quæque studio certum sibi patronum ex iis apud Deum adoptandi, sepellienda curarunt. Januarii corpus Neapolitani divino admonitu extulere: quod primo Beneventum, inde ad monasterium montis Virginis, postremo Neapolim translatum, et in majori Ecclesia conditum, multis miraculis claruit. Sed illud in primis memorandum, quod erumpentes olim e monte Vesuvio flammarum globos, nec vicinis modo, sed longinquis etiam regionibus vastitatis metum afferentes, extinxit. Præclarum illud quoque, quod ejus sanguis, qui in ampulla vitrea concretus asservatur, cum in conspectu capitis ejusdem Martyris ponitur, admirandum in modum colliquefieri et ebullire, perinde atque recens effusus, ad hæc usque tempora cernitur.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24.

IN illo tempore: Sedente Jesu super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli ejus secreto, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt? Et reliqua.

Homilia sancti Hilarii Episcopi.

Comment. in Matth. c. 25.

DISCIPULI Dominum interrogant quando hæc fierent, quodve signum et adventus sui et consummationis sæculi noscerent. Et quia tria hæc in unum quæsita sunt, distinctis et temporis et intelligentiæ significationibus separantur. Respondetur igitur primum de civitatis occasu, et confirmantur veritate doctrinæ, ne quis fallax ignorantibus posset obrepere. Venturi enim erant etiam eorum tempore, qui se Christum essent nuncupaturi. Ut igitur fides pestifero mendacio detrahi posset, admonitio præcessit.

Digitized by Google

Lectio viij.

CONFIRMAT igitur eos ad tolerantiam passionum, fugæ, verberationis, interitus, et publici in eos odii propter nomen ejus. Atque his quidem vexationibus multi turbabuntur, et tantis insurgentibus malis scandalizabuntur, et usque in mutuum odium excitabuntur. Et falsi prophetæ erunt (ut Nicolaus unus ex septem Diaconibus fuit) multosque ementita veritate pervertent; et abundante nequitia, charitas refrigescet.

Lectio ix.

SED usque in finem perseverantibus salus reservata est; ac tum per omnes orbis partes viris Apostolicis dispersis, Evangelii veritas prædicabitur. Et cum universis fuerit cognitio sacramenti cœlestis invecta, tum Jerusalem occasus et finis incumbet: ut prædicationis fidem et infidelium pœna, et metus civitatis erutæ consequatur. Hæc igitur in eam, ut fuerant prædicta, perfecta sunt: et lapidatis, fugatis, peremptis Apostolis, fame, bello, captivitate consumpta est. Ac tum fuit digna non esse, cum, ejectis prædicatoribus Christi, indignam Dei prædicatione se præbuit.

Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 20. SS. Eustac. et Soc.

Martyrum. *Duplex.*

Oratio. Deus, qui nos concedis, p. 29*.

Et fit commemor. præced.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

In Quatuor Temp. Fratres debitores, *et tunc Lectio* ix *de Homilia et comm. Feriæ in Laud. tant. De Vigilia autem nihil fit nisi in Missa.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

EUSTACHIUS, qui et Placidus, genere, opibus, et militari gloria inter Romanos insignis, sub Trajano Imperatore magistri militum titulum meruit: cum vero sese aliquando in venatione exerceret, ac fugientem miræ magnitudinis cervum insequeretur, vidit repente inter consistentis feræ cornua excelsam atque fulgentem Christi Domini e cruce pendentis imaginem, cujus voce ad immortalis vitæ prædam invitatus, una cum uxore Theopista, ac duobus parvulis filiis, Agapito et Theopisto, Christianæ militiæ nomen dedit.

Lectio v.

MOX ad visionis pristinæ locum, sicut ei Dominus præceperat, regressus, illum prænuntiantem audivit, quanta sibi deinceps, pro ejus gloria perferenda essent. Quocirca incredibiles calamitates mira patientia perpessus, brevi in summam egestatem redactus est. Cumque clam se subducere cogeretur, in itinere conjugem primum, deinde etiam liberos sibi miserabiliter ereptos ingemuit. Tantis obvolutus ærumnis, in regione longinqua villicum agens, longo tempore delituit; donec cœlesti voce recreatus, ac nova occasione a Trajano conquisitus iterum bello præficitur.

Lectio vj.

ILLA in expeditione, liberis simul cum uxore insperato receptis, victor Urbem ingenti omnium gratulatione ingreditur. Sed paulo post inanibus diis pro parta victoria sacrificare jussus, constantissime renuit. Cumque variis artibus ad Christi fidem ejurandam frustra tentaretur, una cum uxore et liberis leonibus objicitur. Horum mansuetudine concitatus Imperator, æneum in taurum subjectis flammis candentem eos immitti jubet, ubi divinis in laudibus consummato martyrio, duodecimo Kalendas Octobris ad sempiternam felicitatem convolarunt. Quorum illæsa corpora religiose a fidelibus sepulta, postmodum ad Ecclesiam, eorum nomine erectam, honorifice translata sunt.

In III. Noct. Homilia Adverte omnia diligenter, *de Com.* II *loco.* p 37*.

Digitized

Pro Vigilia S. Matthæi.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio xj. Cap. 5.

IN illo tempore: Vidit Jesus publicanum nomine Levi, sedentem ad telonium, et ait illi: sequere me. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 5. Comm. in Luc. c. 5.

MYSTICA est hæc vocatio publicani, quem sequi jubet non corporis gressu, sed mentis affectu. Itaque ille prius avara de mercedibus, dura de laboribus periculisque nautarum emolumenta convertens, verbo vocatus, propria derelinquit, qui rapiebat aliena; ac vile illud sedile destituens, toto post Dominum vestigio mentis incedit; convivii quoque magni exhibet apparatum. Qui enim domicilio Christum recipit interno maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum.

In Laud. pro com. Vigiliæ Ant. et ℣. de Feria occ.

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati Matthæi Apostoli tui et Evangelistæ, quam prævenimus, veneranda solemnitas et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum.

Vesperæ de sequenti.

Die 21. S. Matthæi

Apostoli et Evangelistæ.

Duplex 2. classis.

Oratio.

BEATI Apostoli et Evangelistæ Matthæi, Domine, precibus adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Per Dominum.

Et fit. commemor. præced.

Lect. I. Noct. Incipit liber Ezechielis Prophetæ, *ut in Dom. 1. Nov. p. 567.*

IN II. NOCTURNO

Lecto iv.

MATTHÆUS, qui et Levi, Apostolus et Evangelista, Capharnai cum ad telonium sederet, a Christo vocatus, statim secutus est ipsum: quem etiam cum reliquis discipulis convivio excepit. Post Christi resurrectionem, antequam in provinciam proficisceretur, quæ ei ad prædicandum obtigerat, primus in Judæa, propter eos qui ex circumcisione crediderant, Evangelium Jesu Christi hebraice scripsit. Mox in Æthiopiam profectus, Evangelium prædicavit, ac prædicationem multis miraculis confirmavit.

Lectio v.

ILLO igitur in primis miraculo, quo regis filiam a mortuis excitavit, regem patrem, et uxorem ejus, cum universa provincia ad Christi fidem convertit. Rege mortuo, Hirtacus ejus successor, cum Iphigeniam, regiam filiam vellet sibi dari in matrimonium, Matthæum, cujus opera illa virginitatem Deo voverat, et in sancto proposito perseverabat, ad altare mysterium celebrantem jussit occidi. Qui undecimo Kalendas Octobris munus Apostolicum martyrii gloria cumulavit. Cujus corpus Salernum translatum, ac postmodum in Ecclesia ejus nomine dedicata, Gregorio Septimo Summo Pontifice, conditum, ibidem magno hominum concursu ac pietate colitur.

Lectio vi. Sancta quatuor animalia, *pro Evangel.*, p. 12* *cum* ℣. *vi. de Com.*

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 9.

IN illo tempore: Vidit Jesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, et ait illi: sequere me. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 1. Comm. in Matth. c. 9.

CÆTERI Evangelistæ propter verecundiam et honorem Matthæi,

Digitized by Google

noluerunt eum nomine appellare vulgato, sed dixerunt Levi : duplici quippe vocabulo fuit. Ipse autem Matthæus (secundum illud quod dicitur a Salomene : Justus accusator est sui in principio sermonis ; et in alio loco : Dic tu peccata tua, ut justificeris) Matthæum se et publicanum nominat, ut ostendat legentibus, nullum debere salutem desperare, si ad meliora conversus sit, cum ipse de publicano in Apostolum sit repente mutatus.

Lectio. viij.

ARGUIT in hoc loco Porphyrius, et Julianus Augustus, vel imperitiam historici mentientis, vel stultitiam eorum, qui statim secuti sint Salvatorem, quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem sint secuti : cum tantæ virtutes, tantaque signa præcesserint, quæ Apostolos antequam crederent, vidisse non dubium est. Certe fulgor ipse, et majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu. Si enim in magnete lapide, et succinis hæc esse vis dicitur, ut annulos, et stipulam, et festucas sibi copulent, quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat quos vocabat ?

Lectio ix.

ET factum est, discumbente eo in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes discumbebant cum Jesu. Videbant publicanum a peccatis ad meliora conversum, locum invenisse pœnitentiæ, et ob id etiam ipsi non desperant salutem. Neque vero in pristinis vitiis permanentes veniunt ad Jesum, ut Pharisæi et Scribæ murmurant ; sed pœnitentiam agentes, ut sequens Domini sermo significat, dicens : Misericordiam volo, et non sacrificium : non enim veni vocare justos, sed peccatores. Ibat autem Dominus ad convivia peccatorum, ut occasionem haberet docendi, et spirituales invitatoribus suis præberet cibos.

In II. Vesp. comm. sequentis, etc. ut infra.

Die 22. S. Thom. de Villan.,

Episc. et Conf. *Dupl.* (m. t. v.).

In utrisque Vesp. ad Magnif.

Ant. Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Oratio.

DEUS, qui beatum Thomam Pontificem insignis in pauperes misericordiæ virtute decorasti, quæsumus, ut ejus intercessione, in omnes qui te deprecantur, divitias misericordiæ tuæ benignus effundas. Per Dominum.

Et SS. Mauritii et soc. Mart.

Oratio.

ANNUE, quæsumus, omnipotens Deus, ut sanctorum Martyrum tuorum Mauritii et sociorum ejus nos lætificet festiva solemnitas, ut quorum suffragiis nitimur, eorum natalitiis gloriemur. Per Dominum,

Lect. I. Noct. de Script. occ.

In Quatuor. Temp. Fidelis sermo, *et tunc Lectio* ix. *de Homilia et comm. Feriæ in Laud. tantum.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

THOMAS in oppido Fontisplani Toletanæ diœcesos in Hispania natus, anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo octavo, ab optimis parentibus, ineunte vita, pietatem et singularem in pauperes misericordiam accepit. Cujus adhuc puer complura dedit exempla, sed illud in primis nobile, quod ut nudos operiret, propriis vestibus non semel seipsum exuit. Exacta pueritia, Compluto, quo missus fuerat, ut alumnus in collegio majori sancti Ildephousi litteris operam daret, patris obitu revocatus, universam hæreditatem egenis virginibus alendis dicavit; eodemque statim reversus est, et sacræ Theologiæ cursu confecto, adeo

Digitized by Google

doctrina excelluit, ut in eadem Universitate cathedram ascendere jussus, PhilosophicasTheologicasque quæstiones mirabiliter explanaverit: interim assiduis precibus scientiam Sanctorum, et rectam vitæ morumque normam a Domino vehementissime postulans. Quare divino instinctu Eremitarum sancti Augustini amplexus est institutum.

Lectio v.

RELIGIONEM professus, omnibus religiosi hominis virtutibus et ornamentis excelluit, humilitate, patientia, continentia, sed ardentissima charitate summe conspicuus; inter varios et assiduos labores, orationi rerumque divinarum meditationi invicto spiritu semper intentus. Prædicandi onus, utpote sanctimonia et doctrina præstans, subire jussus, cœlesti aspirante gratia, innumerabiles, e vitiorum cœno in viam salutis eduxit. Regendis deinde fratribus admotus, prudentiam, æquitatem, et mansuetudinem pari sedulitate ac severitate conjunxit, adeo ut priscam sui Ordinis disciplinam multis in locis vel firmaverit, vel restituerit.

Lectio vj.

GRANATENSIS Archiepiscopus designatus mira humilitate et constantia insigne munus rejecit. Verum non multo post, Valentinam Ecclesiam, Superiorum auctoritate coactus, gubernandam suscepit, quam annis ferme undecim ita rexit, ut sanctissimi et vigilantissimi pastoris partes expleverit. Cæterum, consueta vivendi ratione nihil admodum immutata, inexplebili charitati multo magis indulsit, cum amplos Ecclesiæ reditus in ægenos dispersit, ne lectulo quidem sibi relicto; nam eum, in quo decumbebat cum in cœlum evocaretur, ab eodem commodatum habuit, cui paulo ante eleemosynæ loco donaverat. Obdormivit in Domino sexto Idus Septembris, annos natus octo et sexaginta. Servi sui sanctitatem adhuc viventis, et exinde post mortem miraculis Deus testatam voluit, præsertim cum horreum, frumento pauperibus distributo, penitus vacuum, repente plenum inventum est, et cum ad ejus sepulchrum puer mortuus revixit. Quibus aliisque non paucis fulgentem signis Alexander Septimus Pontifex Maximus Sanctorum numero adscripsit, atque ejus memoriam quartodecimo Kalendas Octobris celebrari mandavit,

In III. Noct. Homilia Lectio sancti Evangelii *de Com.* I. *loco.*

Pro SS. Martyribus.

Lectio ix.

CUM Maximianus Imperator, ducto in Galliam exercitu, in finibus Sedunorum sacrificii causa constitisset, Thebæorum legio, ne se impiorum sacrorum societate contaminaret a reliquis copiis discessit. Quare Imperator misit ad eos milites, qui suo nomine nuntiarent, ut, si salvi esse vellent, in castra ad sacrificia redirent.Qui se Christiana religione impediri responderunt. Quorum responsum ille indignissime ferens,majori iracundia,quam antea, exarsit.Itaque, immissa parte exercitus in Thebæos, decimum quemque eorum primum occidi jussit: quod martyrium sua sponte, maximeque hortatore Mauritio, ferre maluerunt, quam imperata facere nefarii Imperatoris: ac deinde reliquos omnes, constantissime Christum prædicantes, decimo Kalendas Octobris ab universo exercitu trucidari imperat.

In Laud. ad Bened. Ant. Eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum.

Et fit comm. SS. Martyrum.

In II. Vesp. fit comm. sequentis, etc. ut infra.

Die 23. S. Lini.

Papæ et Martyris. *Semiduplex.*

Oratio. Deus qui nos, *p.* 14.

Deinde S. Theclæ Virg. et Mart.

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beatæ Theclæ Virginis et Martyris tuæ natalitia colimus, et annua solemnitate lætemur, et tantæ fidei proficiamus exemplo. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

In Quatuor Temp. A Mileto, *et tunc Lectio* ix. *de Homilia et comm. Feriæ in Laud.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

LINUS Pontifex, Volaterris in Hetruria natus, primus post Petrum gubernavit Ecclesiam. Cujus tanta fides et sanctitas fuit, ut non solum dæmones ejiceret, sed etiam mortuos revocaret ad vitam. Scripsit res gestas beati Petri, et ea maxime quæ ab illo acta sunt contra Simonem magum. Saucivit ne qua mulier, nisi velato capite in Ecclesiam introiret. Huic Pontifici caput amputatum est ob constantiam Christianæ fidei jussu Saturnini impii et ingratissimi Consularis, cujus filiam a dæmonum vexatione liberaverat. Sepultus est in Vaticano prope sepulchrum Principis Apostolorum, nono Kalendas Octobris. Sedit annos undecim, menses duos, dies viginti tres: creatis bis mense Decembri Episcopis quindecim, Presbyteris decem et octo.

Lectio v. *et* vj. Principes persecuti sunt *de Com.* 2.*loco*, p. 21. *cum* ij. v. *et* vj.

In III. Noct. Homilia Si Consideremus *de Com.* I. *loco.*

Pro S. Thecla.

Lectio ix.

THECLA virgo, ex illustribus parentibus Iconii, nata, a Paulo Apostolo fidei præceptis instituta, miris sanctorum Patrum laudibus celebratur. Quæ decimum octavum annum ageus, Thamiride sponso relicto, cum eam parentes, quod Christiana esset, accusassent, in ardentem rogum, qui, nisi Christo renuntiaret, ei paratus erat, prius signo crucis armata seipsam injecit. Sed igne pluvia, quæ repente exorta est, extincto, Antiochiam venit, ubi feris objecta, et tauris in diversa incitatis alligata, mox conjecta in fossam plenam serpentibus, ex omnibus Jesu Christi gratia liberatur. Cujus ardore fidei, et vitæ sanctitate multi ad Christum conversi sunt. Iterum in patriam rediens, in montem sola secessit: deinde multis virtutibus, et miraculis insignis nonagenaria migravit ad Dominum, ac Seleuciæ sepulta est.

In Laud. com S. Theclæ.

Vesperæ de sequenti.

Die 24. B. V. M. De Merc.

Duplex Majus.

Omnia ut in Festis B. M. V. p. 92*.

Oratio.

DEUS, qui per gloriosissimam Filii tui Matrem, ad liberandos Christi fideles a potestate paganorum nova Ecclesiam tuam prole amplificare dignatus es, præsta, quæsumus, ut quam pie veneramur tanti operis institutricem, ejus pariter meritis et intercessione, a peccatis omnibus, et captivitate dæmonis liberemur. Per eumdem Dominum.

Et fit commemor. præced.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

QUO tempore major feliciorque Hispaniarum pars diro Saracenorum opprimebatur jugo, innumerique fideles sub immani servitute, maximo cum periculo Christianæ fidei abjurandæ, amittendæque salutis æternæ, infeliciter detinebantur, beatissima cœlorum Regina tot tantisque benigniter occurrens malis, nimiam charitatem suam in iis redimendis ostendit. Nam sancto Petro Nolasco pietate et opibus florenti, qui sanctis vacans meditationibus, jugiter animo recogitabat qua ratione tot Christianorum ærumnis sub Maurorum captivitate degentium succurri posset, ipsamet beatissima Virgo se-

Digitized by Google

rena fronte se conspiciendam dedit, et acceptissimum sibi ac unigenito suo Filio fore dixit, si suum in honorem institueretur Ordo Religiosorum, quibus cura incumberet captivos e Turcarum tyrannide liberandi. Qua cœlesti visione vir Dei recreatus, mirum est quo charitatis ardore flagrare cœperit, hoc unum servans in corde suo, ut ipse ac instituenda ab eo Religio maximam illam charitatem sedulo exercerent, ut quisque animam suam poneret pro amicis et proximis suis.

Lectio v.

EA ipsa nocte eadem Virgo sanctissima beato Raymundo de Pegnafort, et Jacobo Aragoniæ regi apparuit, idipsum de Religiosis instituendis admoneus, suadensque ut opem pro constructione tanti operis ferrent. Petrus autem statim ad Raymundi pedes, qui ipsi erat a sacris confessionibus advolans, ei rem omnem aperuit, quem etiam cœlitus instructum reperit, ejusque directioni se humillime subjecit. At superveniens Jacobus rex, quam et ipse acceperat a beatissima Virgine revelationem, exequi statuit. Unde collatis inter se consiliis, et consentientibus animis, in honorem ejusdem Virginis matris Ordinem instituere aggressi sunt, sub invocatione sanctæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

Lectio vj.

DIE igitur decima Augusti anno Domini millesimo ducentesimo decimo octavo, rex idem Jacobus eam institutionem jam pridem ab iisdem sanctis viris conceptam exequi statuit, sodalibus quarto voto adstrictis manendi in pignus sub paganorum potestate, si pro Christianorum liberatione opus fuerit. Quibus rex ipse arma sua regia in pectore deferre concessit, et a Gregorio Nono illud tam præcellentis erga proximum charitatis Institutum, et Religionem confirmari curavit. Sed et ipse Deus per Virginem matrem incrementum dedit, ut talis institutio celerius ac felicius totum per orbem divulgaretur, sanctisque viris floruerit charitate ac pietate insignibus, qui eleemosynas a Christi fidelibus collectas in pretium redemptionis suorum proximorum expenderent, seque ipsos interdum darent in redemptionem multorum. Ut autem tanti beneficii et institutionis debitæ Deo et Virgini matri referantur gratiæ, Sedes Apostolica hanc peculiarem Festivitatem celebrari et Officium recitari indulsit, cum alia fere innumera eidem Ordini privilegia pariter contulisset.

Die 26. SS. Cypriani

ET JUSTINÆ, Martyrum.

Oratio.

BEATORUM Martyrum Cypriani et Justinæ nos, Domine, foveant continuata præsidia, quia non desinis propitius intueri, quos talibus auxiliis concesseris adjuvari. Per Dominum.

Lectio ij.

CYPRIANUS, primum magus, postea martyr, cum Justinam Christianam virginem, quam juvenis quidam ardenter amabat, cantionibus ac veneficiis ad ejus libidinis assensum allicere conaretur, dæmonem consuluit, quanam id re consequi posset. Cui dæmon respondit, nullam illi artem processuram adversus eos, qui vere Christum colerent. Quo responso commotus Cyprianus, vehementer dolere cœpit vitæ superioris institutum. Itaque, relictis magicis artibus, se totum ad Christi Domini fidem convertit.

Lectio iij.

QUAM ob causam una cum virgine Justina comprehensus est, et ambo colaphis flagellisque cæsi sunt, mox in carcerem conjecti, si forte sententiam commutarent. Verum inde postea emissi, cum in Christiana religione constantissimi reperirentur, in sartaginem plenam ferventis picis, adipis, et ceræ injecti sunt. Demum Nicomediæ securi feriuntur. Quorum

Digitized by Google

projecta corpora cum sex dies inhumata jacuissent, noctu quidam nautæ clam ea in navem imposita Romam portaverunt: ac primum in prædio Rufinæ nobilis feminæ sepulta sunt, postea translata in Urbem, in Basilica Constantiniana condita sunt prope Baptisterium.

Die 27. SS. Cosmæ

ET DAMIANI, Mart. *Semiduplex.*

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui sanctorum Martyrum tuorum Cosmæ et Damiani natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus, eorum intercessionibus liberemur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

COSMAS et Damianus fratres Arabes, in Ægea urbe nati, nobiles medici, Imperatoribus Diocletiano et Maximiano, non magis medicinæ scientia, quam Christi virtute, morbis etiam insanabilibus medebantur. Quorum religionem cum Lysias Præfectus cognovisset, adduci eos ad se jubet, ac de vivendi instituto, et de fidei professione interrogatos, cum se et Christianos esse, et Christianam fidem esse ad salutem necessariam, libere prædicarent, deos venerari imperat; et si id recusent, minatur cruciatus et necem acerbissimam.

Lectio v.

VERUM ut se frustra hæc illis proponere intelligit; Colligate, inquit, manus et pedes istorum, eosque exquisitis torquete suppliciis. Quibus jussa exequentibus, nihilominus Cosmas et Damianus in sententia persistebant. Quare ut erant vincti in profundum mare jaciuntur: unde cum salvi ac soluti essent egressi, magicis artibusPræfectus factum assignans, in carcerem tradit, ac postridie eductos, in ardentem rogum injici jubet: ubi cum ab ipsis flamma refugeret, varie et crudeliter tortos securi percuti voluit. Itaque in Jesu Christi confessione martyrii palmam acceperunt.

Lectio vj. Quotiescumque, *de Com. I. loco, cum* ℟. vj.

In III. Noct. Homilia Adverte omnia diligenter *de Com. 2. loco*, p. 37*. ℟. viij. Hæc est vera fraternitas.

Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 28. S. Wenceslai.

Martyris. *Semiduplex.*

Oratio.

DEUS, qui beatum Wenceslaum per martyrii palmam a terreno principatu ad cœlestem gloriam transtulisti, ejus precibus nos ab omni adversitate custodi, et ejusdem tribue gaudere consortio. Per Dominum.

Deinde fit commemor. præced.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

WENCESLAUS Bohemiæ Dux, Wratislao patre Christiano, Drahomira matre gentili natus, ab avia Ludmilla femina sanctissima pie educatus, omni virtutum genere insignis, summo studio virginitatem per omnem vitam servavit illibatam. Mater per nefariam Ludmillæ necem regni administrationem assecuta, impie cum juniore filio Boleslao vivens, concitavit in se Procerum indignationem: quare tyrannici et impii regiminis pertæsi, utriusque excusso jugo, Wenceslaum in urbe Pragensi regem salutarunt.

Lectio v.

ILLE regnum pietate magis quam imperio regens, orphanis, viduis, egenis tanta charitate subvenit, ut propriis humeris aliquando ligna indigentibus noctu comportarit; pauperibus humandis frequenter adfuerit, captivos liberarit, carceribus detentos nocte intempesta visitarit, pecuniis et consilio sæpissime consolatus. Miti animo Princeps vehementer dolebat, quempiam, etsi reum, morti

Digitized by Google

adjudicari. Summa religione sacerdotes veneratus, suis manibus triticum serebat, et vinum exprimebat, quibus in Missæ sacrificio uterentur. Nocte nudis pedibus super nivem et glaciem circuibat Ecclesias, sanguinea et terram calefacientia post se relinquens vestigia.

Lectio vj.

ANGELOS habuit sui corporis custodes: cum enim ad singulare certamen adversus Radislaum, ducem Curimensem, eo fine accederet, ut suorum saluti prospiceret, visi sunt Angeli arma ministrasse, et dixisse adversario: Ne ferias. Perterritus hostis venerabundus procidens, veniam exoravit. Cum in Germaniam profectus esset, Imperator, conspectis duobus Angelis aurea cruce ad se accedentem ornantibus, e solio prosiliens brachiis excepit, regiis insignibus decoravit, eique sancti Viti brachium donavit. Nihilominus impius frater, matre hortante, convivio exceptum, et postea in Ecclesia orantem, paratæ sibi mortis præscium, adhibitis sceleris comitibus, interfecit. Sanguis per parietes aspersus adhuc conspicitur, et, Deo vindice, matrem inhumanam terra absorbuit: interfectores variis modis misere perierunt.

In III. Noct. Homilia. Quia Dominus ac Redemptor. *de Com. 2. loco*, p. 22*.

Vesp. de seq. sine comm. præced.

Die 29. In Dedicatione

S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Dupl. 2. Clas.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. Psalm. de Dom. loco ult. Laudate Dominum omnes gentes.

HYMNUS.

TE, splendor et virtus patris,
Te, vita Jesu cordium,
Ab ore qui pendent tuo,
Laudamus inter Angelos.

Tibi mille densa millium
Ducum corona militat:
Sed explicat Victor crucem
Michael salutis signifer.

Draconis hic dirum caput
In ima pellit tartara,
Ducemque cum rebellibus
Cœlesti ab arce fulminat.

Contra ducem superbiæ
Sequamur hunc nos Principem,
Ut detur ex Agni throno
Nobis corona gloriæ.

Patri, simulque Filio,
Tibique, sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter
Sæclum per omne gloria. Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

Ad Magnif. Ant. Dum sacrum mysterium cerneret Joannes, Archangelus Michael tuba cecinit: Ignosce Domine Deus noster, qui aperis librum, et solvis signacula ejus, alleluja.

Oratio ut infra in Laudibus.

Ad Matutinum.

Invit. Regem Archangelorum Dominum, * Venite adoremus.

Hymnus Te splendor, *ut supra.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Concussum est mare, et contremuit terra, ubi Archangelus Michael descendebat de cœlo.

Psalm. Domine Dominus, p. 4.

Ant. Laudemus Dominum, quem laudant Angeli, quem Cherubim et Seraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus, proclamant.

Psalm. In Domino, p. 5.

Ant. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli.

Psalm. Domine quis, p. 7.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

Ex Daniele Propheta.

Lectio j. Cap. 7.

ASPICIEBAM donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit: vestimentum ejus candidum

Digitized by Google

quasi nix, et capilli capitis ejus quasi lana munda: thronus ejus flammæ ignis: rotæ ejus ignis accensus. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei: judicium sedit, et libri aperti sunt. Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur: et vidi quoniam interfecta est bestia, et periisset corpus ejus, et traditum esset ad comburendum igni.

℟. Factum est silentium in cœlo, dum committeret bellum draco cum Michaele Archangelo: * Audita est vox millia millium dicentium: Salus, honor, et virtus omnipotenti Deo. ℣. Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei. Audita.

Lectio ij. Cap. 10.

DIE autem vigesima et quarta mensis primi, eram juxta fluvium magnum, qui est Tigris. Et levavi oculos meos, et vidi: et ecce vir unus vestitus lineis, et renes ejus accincti auro obrizo: et corpus ejus quasi chrysolithus, et facies ejus velut species fulguris, et oculi ejus ut lampas ardens: et brachia ejus, et quæ deorsum sunt usque ad pedes, quasi species æris candentis: et vox sermonum ejus ut vox multitudinis. Vidi autem ego Daniel solus visionem: porro viri qui erant mecum, non viderunt: sed terror nimius irruit super eos, et fugerunt in absconditum. Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc, et non remansit in me fortitudo; sed et species mea immutata est in me, et emarcui, nec habui quidquam virium.

℟. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua, et data sunt ei incensa multa: Et ascendit fumus aromatum de manu Angeli in conspectu Domini. ℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo Domine. Et.

Lectio iij.

ET audivi vocem sermonum ejus; et audiens jacebam consternatus super faciem meam, et vultus meus hærebat terræ. Et ecce manus tetigit me, et erexit me super genua mea, et super articulos manuum mearum. Et dixit ad me: Daniel vir desideriorum intellige verba, quæ ego loquor ad te, et sta in gradu tuo: nunc enim sum missus ad te. Cumque dixisset mihi sermonem istum, steti tremens. Et ait ad me: Noli metuere, Daniel, quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, et ego veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus, et ecce Michael, unus de Principibus primis, venit in adjutorium meum, et ego remansi ibi juxta regem Persarum. Veni autem ut docerem te quæ ventura sunt populo tuo in novissimis diebus, quoniam adhuc visio in dies.

℟. In conspectu Angelorum psallam tibi, et adorabo ad templum sanctum tuum: * Et confitebor nomini tuo, Domine. ℣. Super misericordia tua, et veritate tua; quoniam magnificasti super nos nomen sanctum tuum. Et. Gloria. Et.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Michael Archangele, veni in adjutorium populo Dei.

Psalm. Cœli enarrant. *p.* 19.

Ant. Michael præpositus paradisi, quem honorificant Angelorum cives.

Psalm. Domini est terra, *p.* 21.

Ant. Gloriosus apparuisti in conspectu Domini, propterea decorem induit te Dominus.

Psalm. Benedicam, *p.* 35.

℟. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini. ℟. De manu Angeli.

Sermo S. Gregorii Papæ.

Ex Homil. 34. *in Evangelia.*

Digitized by Google

Lectio iv.

NOVEM Angelorum ordines dicimus, quia videlicet esse, testante sacro eloquio, scimus Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, atque Seraphim. Esse namque Angelos et Archangelos, pene omnes sacri eloquii paginæ testantur: Cherubim vero atque Seraphim sæpe, ut notum est, libri Prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus Apostolus ad Ephesios enumerat, dicens: Supra omnem Principatum, et Potestatem, et Virtutem, et Dominationem. Qui rursus ad Colossenses scribens, ait: Sive Throni, sive Potestates, sive Principatus, sive Dominationes. Dum ergo illis quatuor, quæ ad Ephesios dixit, conjunguntur Throni, quinque sunt ordines: quibus dum Angeli et Archangeli, Cherubim atque Seraphim adjuncta sunt, procul dubio novem esse Angelorum ordines inveniuntur.

℟. **Hic** est Michael Archangelus, Princeps militiæ Angelorum: * Cujus honor præstat beneficia populorum, et oratio perducit ad regna cælorum. ℣. Archangelus Michael præpositus paradisi, quem honorificant Angelorum cives. Cujus.

Lectio v.

SCIENDUM vero quod Angelorum vocabulum nomen est officii, non naturæ. Nam sancti illi cœlestis patriæ spiritus, semper quidem sunt spiritus, sed semper vocari Angeli nequaquam possunt, quia tunc solum sunt Angeli, cum per eos aliqua nuntiantur. Unde et per Psalmistam dicitur: Qui facit Angelos suos spiritus. Ac si patenter dicat: Qui eos, quos semper habet spiritus, etiam cum voluerit, Angelos facit. Hi autem qui minima nuntiant, Angeli; qui vero summa annuntiant, Archangeli vocantur. Hinc est enim quod ad Mariam virginem non quilibet Angelus, sed Gabriel Archangelus mittitur. Ad hoc quippe ministerium, summum Angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium nuntiabat. Qui idcirco etiam privatis nominibus censentur, ut signetur per vocabula etiam in operatione quid valeant. Michael namque, Quis ut Deus: Gabriel autem, Fortitudo Dei: Raphael vero dicitur Medicina Dei.

℟. **Venit** Michael Archangelus cum multitudine Angelorum, cui tradidit Deus animas sanctorum, * Ut perducat eas in paradisum exultationis. ℣. Emitte, Domine, Spiritum sanctum tuum de cœlis, Spiritum sapientiæ et intellectus. Ut.

Lectio vj.

ET quoties miræ virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur: ut ex ipso actu et nomine detur intelligi, quia nullus potest facere, quod facere prævalet Deus. Unde et ille antiquus hostis, qui Deo esse per superbiam similis concupivit, dicens: In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum, similis ero Altissimo, dum in fine mundi in sua virtute relinquetur extremo supplicio perimendus, cum Michaele Archangelo prælaturus esse perhibetur, sicut per Joannem dicitur: Factum est prælium cum Michaele Archangelo. Ad Mariam quoque Gabriel mittitur, qui Dei Fortitudo nominatur. Illum quippe nuntiare veniebat, qui ad debellandas aereas potestates humilis apparere dignatus est. Raphael quoque interpretatur, ut diximus, Medicina Dei, quia videlicet dum Tobiæ oculos quasi per officium curationis tetigit, cæcitatis ejus tenebras tersit.

℟. **In** tempore illo consurget Michael, qui stat pro filiis vestris: * Et veniet tempus, quale non fuit, ex quo gentes esse cœperunt usque ad illud. ℣. In tempore illo salvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro vitæ. Et. Gloria. Et.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Angelus Archangelus Michael,

Digitized by Google

Dei nuntius pro animabus justis, alleluia, alleluia.

Psalm. Cantate Domino, *p.* 72.

Ant. Data sunt ei incensa multa, ut adoleret ea ante altare aureum, quod est ante oculos Domini.

Psalm. Dominus regnavit, p. 72.

Ant. Multa magnalia de Michaele Archangelo, qui fortis in prælio fecit victoriam.

Psal. Benedic anima..et omnia, *p.* 77.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum

Lectio vij. Cap. 18.

IN in illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno cœlorum? Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 3. *Comm. in* c. 18. *Matth.*

POST inventum staterem, post tributa reddita, quid sibi vult Apostolorum repentina interrogatio, Quis, putas, major est in regno cœlorum? Quia viderant pro Petro et Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretii arbitrati sunt Petrum omnibus Apostolis esse prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus: ideo interrogant quis major sit in regno cœlorum. Vidensque Jesus cogitationes eorum, et causas erroris intelligens, vult desiderium gloriæ, humilitatis contentione sanare.

℟. In conspectu Gentium nolite timere: vos enim in cordibus vestris adorate et timete Dominum: * Angelus enim ejus vobiscum est. ℣. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua. Angelus.

Bened. Quorum festum.

Lectio viij.

SI autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et projice abs te. Necesse est quidem venire scandala: væ tamen ei est homini, qui, quod necesse est ut fiat in mundo, vitio suo facit ut per se fiat. Igitur omnis truncatur affectus, et universa propinquitas amputatur, ne per occasionem pietatis unusquisque credentium scandalis pateat. Si, inquit, ita est quis tibi conjunctus, ut manus, pes, oculus, et est utilis atque sollicitus, et acutus ad perspiciendum; scandalum autem tibi facit, et propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam: melius est, ut et propinquitate ejus, et emolumentis carnalibus careas, ne, dum vis lucrifacere cognatos et necessarios, causam habeas ruinarum.

℟. Michael Archangelus venit in in adjutorium populo Dei: * Stetit in auxilium pro animabus justis. ℣. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua. Stetit. Gloria. Stetit.

Lectio ix.

DICO vobis quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei. Supra dixerat, per manum, et pedem, et oculum omnes propinquitates et necessitudines, quæ scandalum facere poterant, amputandas; austeritatem itaque sententiæ subjecto præcepto temperat, dicens: Videte ne contemnatis unum ex pusillis istis. Sic, inquit, præcipio severitatem, ut commisceri clementiam doceam, quia Angeli eorum in cœlis vident semper faciem Patris. Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum. Unde legimus in Apocalypsi Joannis: Angelo Ephesi, et reliquarum Ecclesiarum, scribe hæc. Apostolus quoque præcipit velari capita in Ecclesiis feminarum propter Angelos.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Stetit Angelus * juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua.

Digitized by Google

2. Dum prælıaretur * Michael Archangelus cum dracone, audita est vox dicentium: Salus Deo nostro alleluia.

3. Archangele Michael, * constitui te principem super omnes animas suscipiendas.

4. Angeli Domini, Dominum benedicite in æternum.

5. Angeli, Archangeli, Throni et Dominationes, Principatus et Potestates, Virtutes cœlorum, laudate Dominum de cœlis, alleluja.

Capitulum. Apoc. 1.

SIGNIFICAVIT Deus quæ oportet fieri cito, loquens per Angelum suum servo suo Joanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei, et testimonium Jesu Christi, quæcumque vidit.

HYMNUS.

CHRISTE, sanctorum decus Angelorum,
Gentis humanæ Sator et Redemptor,
Cœlitum nobis tribuas beatas
Scandere sedes
Angelus pacis Michael in ædes
Cœlitus nostras veniat, serenæ
Acutor ut pacis lacrymosa in orcum
Bella releget.
Angelus fortis Gabriel, ut hostes
Pellat antiquos, et amica cœlo,
Quæ triumphator statuit per orbem,
Templa revisat.
Angelus nostræ medicus salutis
Adsit e cœlo Raphael, ut omnes
Sanet ægrotos, dubiosque vitæ
Dirigat actus.
Virgo dux pacis, Genitrixque lucis,
Et sacer nobis chorus Angelorum
Semper assistat, simul et micantis
Regia cœli.
Præstet hoc nobis Deitas beata
Patris ac Nati pariterque sancti
Spiritus, cujus resonat per omnem
Gloria mundum. Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.

℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

Ad Bened. Ant. Factum est silentium in cœlo, dum draco committeret bellum, et Michael pugnavit cum eo, et fecit victoriam, alleluia.

Oratio.

DEUS, qui miro ordine, Angelorum ministeria hominumque dispensas, concede propitius, ut a quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per.

Ad Tertiam.

Capit. Significavit, *ut supra.*

℟. *br.* Stetit Angelus * Juxta aram templi. Stetit. ℣. Habens thuribulum aureum in manu sua. Juxta. Gloria. Stetit. ℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini. ℟. De manu Angeli.

Ad Sextam.

Capitulum. Apoc. 8.

AUDIVI vocem Angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum; et erat numerus eorum millia millium, voce magna dicentium: Salus Deo nostro.

℟. *br.* Ascendit fumus aromatum * In conspectu Domini. Ascendit. ℣. De manu Angeli. In. Gloria. Ascendit. ℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Ad Nonam.

Capitulum. Act. 12.

FACTUM est prælium magnum in cœlo, Michael et Angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et Angeli ejus: et non prævaluerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo.

℟. *br.* In conspectu Angelorum * Psallam tibi, Deus meus. In. ℣. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. Psallam. Gloria. In. ℣. Adorate Deum. ℟. Omnes Angeli ejus.

In II. Vesperis.

Ant. et Cap. de Laud. Psalmi de

Digitized by Google

Dom. loco ult. Confitebor tibi, p. *95.*

Hymnus ut in I. Vesperis.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Ad Magnif. Ant. Princeps gloriosissime, Michael Archangele, esto memor nostri: hic et ubique semper precare pro nobis Filium Dei, alleluia.

Et fit comm. sequentis.

Die 30. S. Hieronymi,

Presb. Conf. et Eccl. Doct. *Dupl. In utrisq. Vesp. Ant.* O Doctor. p. 39*.

Oratio.

DEUS, qui Ecclesiæ tuæ in exponendis sacris Scripturis beatum Hieronymum Confessorem tuum, Doctorem maximum providere dignatus es, præsta, quæsumus, ut ejus suffragantibus meritis, quod ore simul et opere docuit, te adjuvante, exercere valeamus. Per Dominum.

Lect. I. Noct. Sapientiam, p. 46*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

HIERONYMUS, Eusebii filius: Stridone in Dalmatia, Constantio Imperatore, natus, Romæ adolescens est baptizatus, et in liberalibus disciplinis, a Donato et aliis viris doctissimis eruditus. Tum discendi studio Galliam peragravit, ubi pios aliquot, et in divinis litteris eruditos viros coluit, multosque sacros libros sua manu descripsit. Mox se in Græciam conferens, philosophia et eloquentia instructus, summorum Theologorum consuetudine floruit: in primis vero Gregorio Nazianzeno Constantinopoli operam dedit: quo doctore se sacras litteras didicisse profitetur. Tum religionis causa visit Christi Domini incunabula, totamque lustravit Palæstinam: quam peregrinationem, adhibitis Hebræorum eruditissimis, ad sacræ Scripturæ intelligentiam sibi multum profuisse testatur.

Lectio v.

DEINDE secessit in vastam Syriæ solitudinem, ubi quadriennium in lectione divinorum librorum, cœlestisque beatitudinis contemplatione consumpsit, assidua se abstinentia, vi lacrymarum, et corporis afflictatione discrucians. Presbyter a Paulino Episcopo Antiochiæ factus, Romam de controversis quorumdam Episcoporum cum Paulino et Epiphanio ad Damasum Pontificem profectus, ejus Ecclesiasticis epistolis scribendis adjutor fuit. Verum cum pristinæ solitudinis desiderio teneretur, in Palæstinam reversus, Bethlehem ad Christi Domini præsepe, in monasterio, quod a Paula Romana extructum erat, cœlestem quamdam vitæ rationem instituit: et quamquam varie morbis doloribusque tentaretur, tamen corporis incommoda piis laboribus, et perpetua lectione ac scriptione superabat.

Lectio vj.

TANQUAM ad oraculum ex omnibus orbis terræ partibus ad ipsum divinæ Scripturæ quæstiones explicandæ referebantur. Illum Damasus Pontifex, illum sanctus Augustinus de locis Scripturæ difficillimis sæpe consuluit, propter ejus singularem doctrinam, et linguæ non solum latinæ, et græcæ, sed hebraicæ etiam, et chaldaicæ intelligentiam, et quod omnes pene scriptores, ejusdem Augustini testimonio, legerat. Hæreticos acerrimis scriptis exagitavit: piorum et Chatolicorum patrocinium semper suscepit. Vetus Testamentum ex Hebræo convertit, novum jussu Damasi grecæ fidei reddidit; magna etiam ex parte explicavit. Multa præterea latine reddidit scripta doctorum virorum; et ipse aliis proprii ingenii monumentis Christianam disciplinam illustravit. Qui ad summam senectutem perveniens, sanctitate et doctrina illustris, Honorio Imperatore, migravit in cœlum. Cujus corpus ad Bethlehem sepultum, postea Romam

Digitized by Google

in Basilicam sanctæ mariæ ad Præsepe translatum est.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 1. Comm. in c. 5. Matth.

SAL appellantur Apostoli et Doctores, quia per illos universum hominum conditur genus. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Si doctor erraverit, a quo alio doctore emendabitur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. Exemplum de agricultura sumptum est. Sal etenim sicut in ciborum condimentum, et ad siccandas carnes necessarium est, ita alium usum non habet. Certe legimus in Scripturis urbes quasdam ira victorum sale seminatas, ut nullum in ipsis germen oriretur.

Lectio viij.

CAVEANT ergo doctores et Episcopi, et videant potentes potenter tormenta sustinere, nihilque esse remedii, sed majorum ruinam ad tartarum ducere. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Docet fiduciam prædicandi, ne Apostoli abscondantur ob metum, et sint similes lucernæ sub modio, sed tota libertate se prodant, ut quod audierunt in cubiculis, prædicent in tectis.

℟. In medio ecclesiæ.

Lectio ix.

NOLITE putare quoniam veni solvere legem, aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere. Sive quod de se per alios prophetata compleverit, sive quod ea, quæ ante propter infirmitatem audientium rudia et imperfecta fuerant, sua prædicatione compleverit, iram tollens, et vicem talionis excludens, et occultam in mente concupiscentiam damnans. Donec transeat cœlum et terra. Promittuntur nobis cœli novi, et terra nova, quæ facturus est Dominus Deus. Si ergo nova creanda sunt, consequenter vetera transitura.

In II. Vesp. comm. S. Remigii.

FESTA OCTOBRIS.

Prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum.

DOMINICA I. OCTOBRIS.

IN SOLEMNITATE

SS. ROSARII B. MARIÆ V.

Duplex Majus.

Omnia ut in festis B. M. V. p.92.*

In utrisque Vesperis et Laudibus fit comm. Dom. occ.

Oratio.

DEUS, cujus Unigenitus per vitam, mortem, et resurrectionem suam, nobis salutis æternæ præmia comparavit, concede, quæsumus, ut hæc mysteria sanctissimo beatæ Mariæ virginis Rosario recolentes, et imitemur quod continent, et quod promittunt assequamur. Per eumdem.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CUM Albigensium hæresis per Tolosatium regionem impie grassaretur, atque altius in dies radices ageret, sanctus Dominicus, qui nuper prædicatorum Ordinis fundamenta jecerat, ad eam convellendam totus incubuit. Id ut præstaret validius, auxilium beatæ Virginis, cujus dignitas illis erroribus impudentissime impetebatur, cuique datum est cunctas hæreses interimere in universo mundo, enixis precibus imploravit. A qua (ut memoriæ proditum est) cum monitus esset, ut Rosarium populis prædicaret, velut singulare adversus hæreses ac vitia præsidium,

mirum est quanto mentis fervore, et quam felici successu injunctum sibi munus sit executus. Est autem Rosarium certa precandi formula, qua quindecim Angelicarum salutationum decades, oratione Dominica interjecta, distinguimus, et ad earum singulas totidem nostræ reparationis mysteria pia meditatione recolimus. Ex eo ergo tempore pius hic orandi modus mirabiliter per sanctum Dominicum promulgari, augerique cœpit; quem ejusdem institutorem, auctoremque fuisse Summi Pontifices Apostolicis litteris passim affirmarunt.

Lectio v.

INNUMERABILES porro fructus ex hac tam salutari institutione in Christianam rempublicam dimanarunt: inter quos victoria illa merito numeratur, quam sanctissimus Pontifex Pius Quintus, et ab eo inflammati Christiani principes apud Echinadas insulas de Turcarum tyranno potentissimo reportarunt. Nam, cum illa ipsa die ea victoria relata sit, qua die sanctissimi Rosarii sodalitates per universum orbem consuetas supplicationes peragerent, statutasque preces de more funderent, iis precibus haud immerito refertur accepta. Quod quidem cum etiam Gregorius Tertiusdecimus testatus esset, ut pro tam singulari beneficio beatæ Virgini sub appellatione Rosarii perennes gratiæ ubique terrarum haberentur, in Ecclesiis omnibus, in quibus altare Rosarii foret, prima quaque Octobris Dominica Officium ritu duplici majori perpetuo celebrandum indixit: aliique Pontifices Rosarium recitantibus, ejusdemque Rosarii sodalitatibus indulgentias pene innumeras concessere.

Lectio vj.

NUPER vero Clemens Undecimus animo reputans insignem pariter victoriam anno millesimo septingentesimo decimo sexto in Hungariæ regno a Carolo Sexto in Imperatorem Romanorum electo, de innumeris Turcarum copiis relatam, eo die contigisse, quo festum Dedicationis sanctæ Mariæ ad Nives celebraretur, atque eodem ferme tempore, quo sanctissimi Rosarii confratres publicam solemnemque supplicationem in alma Urbe ingenti populi concursu, magnaque religione peragentes, fervidas ad Deum preces pro Turcarum depressione funderent, ac potentem opem Deiparæ virginis in auxilium Christianorum humiliter implorarent, eam ob rem, victoriam illam, necnon liberatam paulo post eorumdem Turcarum obsidione Corcyrensem insulam ejusdem beatæ virginis patrocinio pie censuit adscribendam. Quamobrem, ut hujus quoque tam insignis beneficii perennis semper et memoria extaret et gratia, sanctissimi Rosarii festum eadem die, eodemque ritu celebrandum ad Ecclesiam universam extendit. Hæc autem omnia Benedictus Decimus tertius in Breviario Romano novissime apponi jussit. Sanctissimam ergo Dei Genitricem cultu hoc eidem gratissimo jugiter veneremur, ut quæ toties Christi fidelibus, Rosarii precibus exorata, terrenos hostes profligare dedit, ac perdere, infernos pariter superare concedat.

In III. Noct. Lectio ix *de Homilia Dom. occ.*

Die 1. S. Remigii,

Episc. et Conf. *Semid. ad libitum, vel Simpl. de præcepto.*

Si hoc Festum occurrat in Dom. vel in die infra Oct. Lectio ix. *erit* Remigius Episcopus, *ut infra, et fit comm. de eo in Laudibus.*

Oratio. **Da**, quæsumus, p. 39.*
Lectio 1. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

REMIGIUS, Episcopus Rhemensis, floruit, Clodoveo rege Francorum, quem etiam baptizavit, et

Digitized by Google

primus omnium doctrina et miraculis Francos ad Christi Domini fidem perduxit. Ejus oratione mortua puella revixit. Multos interpetratus est divinæ Scripturæ libros. Amplius septuaginta annos summa cum laude Rhemensem Ecclesiam administravit. Cujus vitæ et mortis sanctitatem multa, quæ consecuta sunt, miracula comprobarunt.

Lectio. v. *ei* vj. Ad sancti, *de Com.* 1. *loco cum* ℟. v. *et* vj.

In II. Noct. Homilia Lectio sancti Evangelii *de Com.* 1. *loco.*

Vesperæ de sequenti.

Die 2. SS. Angelorum

CUSTODUM. *Duplex.*

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. Psalmi de Dom. loco ult. Laudate Dominum omnes gentes.

HYMNUS

CUSTODES hominum psallimus Angelos,
Naturæ fragili quos Pater addidit
Cœlestis comites, insidiantibus
Ne succumberet hostibus.
Nam quod corruerit proditor Angelus
Concessis merito pulsus honoribus,
Ardens invidia pellere nititur
Quos cœlo Deus advocat.
Hinc Custos igitur pervigil advola
Avertens patria de tibi credita
Tam morbos animi, quam requiescere.
Quidquid non sinit incolas.
Sanctæ sit Triadi laus pia jugiter,
Cujus perpetuo numine machina
Triplex hæc regitur, cujus in omnia
Regnat gloria sæcula Amen.

℟. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus. ℣. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Ad Magnif. Ant. Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.

Oratio ut infra in Laudibus.

Deinde comm. S. Remigii ubi fit de eo Duplex vel Semiduplex.

Ad Matutinum.

Invit. Regem Angelorum Dominum, * Venite, adoremus.

Hymnus Custodes, *ut supra.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Dominus Deus cœli et terræ, ipse mittet Angelum suum coram te.

Psalm. Domine Dominus, *p.* 4.

Ant. Deus meus misit Angelum suum, et conclusit ora leonum, et non nocuerunt mihi.

Psalm. In Domino, *p.* 5.

Ant. Bene ambuletis, et Dominus sit in itinere vestro, et Angelus ejus comitetur vobiscum.

Psalm. Domine quis, *p.* 7.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

Lect. seq. eo anno omittuntur, quo in præced. diebus non potest legi initium libri Esther, quod ideo legi debet in hoc Festo.

De libro Exodi.

Lectio j. Cap. 23.

ECCE ego mittam Angelum meum, qui præcedat, et custodiat in via, et introducat te in locum quem paravi. Observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo. Quod si audieris vocem ejus, et feceris omnia quæ, loquor inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te, præcedetque te Angelus meus.

℟. Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis: * In manibus portabunt te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum. ℣. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. In.

Ex Zacharia Propheta.

Lectio ij. Cap. 1.

FACTUM est verbum Domini ad Zachariam, filium Barachiæ, filii

Digitized by Google

Addo, Prophetam, dicens: Vidi per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum: et ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo: et post eum equi rufi, varii, et albi. Et dixi: Qui sunt isti, Domine mi? Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me: Ego ostendam tibi quid sint hæc. Et respondit vir, qui stabat inter myrteta, et dixit: Isti sunt quos misit Dominus, ut perambulent terram. Et responderunt Angelo Domini, qui stabat inter myrteta, et dixerunt: Perambulavimus terram, et ecce omnis terra habitatur, et quiescit.

℟. Respondit Angelus Domini, et dixit: Domine exercituum, * Usquequo tu non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es? ℣. Iste enim septuagesimus annus est. Usquequo.

Lectio iij. Cap. 2.

ET levavi oculos meos, et vidi: et ecce vir, et in manu ejus funiculus mensorum. Et dixit: Quo tu vadis? Et dixit ad me: Ut metiar Jerusalem, et videam quanta sit latitudo ejus, et quanta longitudo ejus. Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, et Angelus alius egrediebatur in occursum ejus. Et dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Jerusalem præ multitudine hominum, et jumentorum in medio ejus. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, et in gloria ero in medio ejus.

℟. In conspectu Gentium nolite timere: vos enim in cordibus vestris adorate et timete Dominum: * Angelus enim ejus vobiscum est. ℣. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua. Angelus. Gloria. Angelus.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Cum essem vobiscum, per voluntatem Dei eram: ipsum benedicite, et cantate ei.

Psalm. Cœli enarrant, *p.* 10.

Ant. Tollens se Angelus Domini, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos.

Psalm. Domini est terra, *p.* 21.

Ant. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.

Psalm. Benedicam, *p.* 35.

℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini. ℟. De manu Angeli.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Lectio iv. *In Ps.* Qui habitat.

ANGELIS suis mandavit de te. Mira dignatio, et vere magna dilectio charitatis. Quis enim, quibus de quo, quid mandavit? Studiose consideremus, fratres, diligenter commendemus memoriæ hoc tam grande mandatum. Quis enim mandavit? Cujus sunt Angeli, cujus mandatis obtemperant, cujus obediunt voluntati. Nempe Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Nec cunctantur quin etiam in manibus tollant te. Summa ergo majestas mandavit Angelis, et Angelis suis mandavit. Illis utique sublimibus, tam beatis, tam proximis sibi cohærentibus, et vere domesticis mandavit de te. Tu quis es? Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam reputas eum? Quasi vero non sit homo putredo, et filius hominis vermis. Sed quid, putas, mandavit de te? ut custodiant te.

℟. Vivit ipse Dominus, * Quoniam custodivit me Angelus ejus, et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem. ℣. Et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari. Quoniam.

Lectio v.

QUANTUM tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam! Reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Caute ambula, ut videlicet cui adsunt Angeli, sicut ejus mandatum est, in omnibus viis tuis. In quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo

itized by Google

tuo reverentiam habe. Tu ne audeas illo præsente, quod vidente me non auderes. An præsentem esse dubitas, quem non vides? Quid si audires? quid si tangeres? quid si olfaceres? Vide quia non solo visu rerum præsentia comprobetur.

℟. Angelus Domini descendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem, et excussit flammam ignis de fornace: * Et non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit. ℣. Benedictus Deus eorum, qui misit Angelum suum, et eruit servos suos qui crediderunt in eum. Et.

Lectio vj.

IN ipso itaque, fratres, affectuose diligamus Angelos ejus, tanquam futuros aliquando cohæredes nostros; interim vero actores et tutores a Patre positos, et præpositos nobis. Quid sub tantis custodibus timeamus? Nec superari, nec seduci, minus autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus viis nostris. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus? Tantum sequamur eos, adhæreamus eis, et in protectione Dei cœli commoremur. Quoties ergo gravissima cernitur urgere tentatio, et tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, ductorem tuum adjutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione: inclama eum, et dic: Domine, salva nos, perimus.

℟. In omni tribulatione eorum non est tribulatus, * Et Angelus faciei ejus salvavit eos. ℣. In dilectione sua, et indulgentia sua ipse redemit eos, et portavit eos, et elevavit eos cunctis diebus sæculi. Et. Gloria. Et.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Misit Dominus Angelum suum qui percussit omnem virum robustum et bellatorem, et principem exercitus regis Assyriorum.

Psalm. Cantate Domino *p.* 72.

Ant. Adorate Dominum, omnes Angeli ejus: audivit et lætata est Sion.

Psalm. Dominus regnavit, *p.* 72.

Ant. Benedicite Domino, omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus.

Psalm. Benedic anima...et omnia, *p.* 77.

℟. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 18.

IN illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas major esse in regno cœlorum? Et reliqua.

Homilia S. Hilarii Episcopi.

Comm. in Matth. c. 18.

NON nisi reversos in naturam puerorum introire regnum cœlorum Dominus docit: id est per simplicitatem puerilem vitia corporum nostrorum animæque revocanda. Pueros autem, credentes omnes per audientiæ fidem nuncupavit. Hi enim patrem sequuntur, matrem amant, proximo velle malum nesciunt, curam opum negligunt; non insolescunt, non oderunt, non mentiuntur, dictis credunt, et quod audiunt verum habent. Revertendum igitur est ad simplicitatem infantium, quia in ea collocati speciem humilitatis Dominicæ circumferemus.

℟. Machabæus, et qui cum eo erant, cognoverunt expugnari præsidia: Cum fletu et lacrymis rogabant Dominum, et omnis turba simul, ut bonum Angelum mitteret ad salutem Israel. ℣. Cum pariter prompto animo procederent Jerosolymis, apparuit præcedens eos eques in veste candida. Cum.

Lectio viij.

VÆ huic mundo ab scandalis. Humilitas passionis scandalum mundo est. In hoc enim maxime ignorantia detinetur humana, quod sub

Digitized by Google

deformitate crucis, æternæ gloriæ Dominum voluit accipere. Et quid mundo tam periculosum, quam non recepisse Christum? Ideo vero necesse esse ait venire scandala, quia ad sacramentum reddendæ nobis æternitatis, omnis in eo passionis humilitas esset explenda.

℟. Tu, Domine, qui misisti Angelum tuum sub Ezechia rege Juda et interfecisti de castris Sennacherib centum octaginta quinque millia: * Et nunc, Dominator cœlorum, mitte Angelum tuum bonum ante nos in timore et tremore magnitudinis brachii tui. ℣. Ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum. Et. Gloria. Et.

Lectio ix.

VIDETE ne contemnatis unum de pusillis istis, qui credunt in me. Aptissimum vinculum mutui amoris imposuit, ad eos præcipue qui vere in Domino credidissent. Pusillorum enim Angeli quotidie Deum vident, quia Filius hominis venit salvare quæ perdita sunt. Ergo et Filius hominis salvat, et Deum Angeli vident, et Angeli pusillorum præsunt fidelium orationibus. Præesse Angelos absoluta auctoritas est. Salvatorum igitur per Christum orationesAngeli quotidieDeo offerunt.Ergo periculose ille contemnitur, cujus desideria ac postulationes ad æternum et invisibilem Deum, ambitioso Angelorum famulatu ac ministerio pervehuntur.

Ad Laudes

et per Horas, *Antiphonæ.*

1. Angelis suis * Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.

2. Laudemus Dominum, * quem laudant Angeli, quem Cherubim et Seraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus, proclamant.

3. Angeli eorum * semper vident faciem Patris mei, qui est in cœlis.

4. Benedictus Deus, qui misit Angelum suum, et eruit servos suos, qui crediderunt in eum.

5. Laudate Deum, * omnes Angeli ejus, laudate eum, omnes virtutes ejus.

Capitulum. Exod. 23.

ECCE ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi. Observa eum, et audi vocem ejus.

HYMNUS.

ÆTERNE Rector siderum,
Qui quidquid est potentia
Magna creasti, nec regis
Minore providentia:
Adesto supplicantium
Tibi reorum cœtui,
Lucisque sub crepusculum,
Lucem novam da mentibus.
Tuusque nobis Angelus,
Electus ad custodiam,
Hic adsit, a contagio
Ut criminum nos protegat.
Nobis draconis æmuli,
Versutias exterminet
Ne rete fraudulentiæ
Incauta nectat pectora.
Metum repellat hostium
Nostris procul de finibus,
Facem procuret civium,
Fugetque pestilentiam.
Deo Patri sit gloria,
Qui, quos redemit Filius,
Et sanctus unxit Spiritus,
Per Angelos custodiat. Amen.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Ad Bened. Ant. Reversus est Angelus qui loquebatur in me, et suscitavit me, quasi virum qui suscitatur a somno suo.

Oratio.

DEUS, qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris, largire supplicibus tuis, et eorum semper protectione defendi, et æterna societate gaudere. Per Dominum.

Digitized by Google

Ad Tertiam

Capit. Ecce ego.

℟. *br.* Stetit Angelus * Juxta aram templi. Stetit. ℣. Habens thuribulum aureum in manu sua. Juxta. Gloria. Stetit. ℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini. ℟. De manu Angeli.

Ad Sextam.

Capitulum. Exod. 23.

NEC contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo.

℟. *br.* Ascendit fumus aromatum * In conspectu Domini. Ascendit. ℣. De manu Angeli. In. Gloria. Ascendit. ℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Ad Nonam.

Capitulum. Exod. 23.

QUOD si audieris vocem ejus, et feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te, præcedetque te Angelus meus.

℟. *br.* In conspectu Angelorum, * Psallam tibi, Deus meus. In. ℣. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. Psallam. Gloria. In. Adorate Deum. ℟. Omnes Angeli ejus.

In II. Vesperis.

Ant. et Cap. de Laud. Psalm. de Dom. loco ult. Confitebor, *p.* 95.

Hymnus et ℣. ut in I. Vesp.

Ad Magnif. Ant. Sancti Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

Die 4. S. Francisci Conf.

Duplex.

Oratio.

DEUS, qui Ecclesiam tuam beati Francisci meritis fœtu novæ prolis amplificas, tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere et cœlestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum.

Lect. I. Noct. Justus, *de Com. 1. loco.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

FRANCISCUS, Assisii in Umbria natus, patris exemplum secutus, a prima ætate mercaturam fecit. Qui quodam die pauperem, pro Christi amore flagitantem pecuniam, cum præter consuetudinem repulisset, repente eo facto commotus, large ei misericordiam impertivit, et ex eo die Deo promisit, se nemini unquam poscendi eleemosynam negaturum. Cum vero post in gravem morbum incidisset, ex eo aliquando confirmatus, cœpit ardentius colere officia charitatis. Qua in exercitatione tantum profecit, ut Evangelicæ perfectionis cupidus, quiquid haberet, pauperibus largiretur. Quod ferens iniquius pater, eum ad Assisinatem Episcopum duxit, ut coram illo bonis cederet paternis, qui, rejectis etiam vestibus, patri concessit omnia, illud subjungens sibi in posterum majorem facultatem fore dicendi: Pater noster qui es in cœlis.

Lectio v.

CUM autem illud ex Evangelio audisset: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, sibi eam regulam servandam proposuit. Itaque detractis calceis, et una contentus tunica, cum duodecim socios adhibuisset, Ordinem Minorum instituit. Quare Romam venit anno salutis millesimo ducentesimo nono, ut sui Ordinis regula ab Apostolica sede confirmaretur. Quem cum accedentem ad se Summus Pontifex Innocentius Tertius rejecisset, quod in somnis postea sibi ille, quem repulerat, collabentem Lateranensem Basilicam suis humeris sustinere visus esset, conquisitum accersiri jussit,

Digitized by Google

benigneque accipiens omnem ejus institutorum rationem confirmavit. Franciscus igitur, dimissis in omnes orbis terræ partes fratribus ad prædicandum Christi Evangelium, ipse cupiens sibi aliquam dari martyrii occasionem, navigavit in Syriam: ubi a rege Soldano liberalissime tractatus, cum nihil proficeret, rediit in Italiam.

Lectio vj.

MULTIS igitur extructis suæ familiæ domiciliis, se in solitudinem montis Alverni contulit, ubi quadriugenta dierum, propter honorem sancti Michaelis Archangeli, jejunio inchoato, festo die Exaltationis sanctæ Crucis ei Seraphim Crucifixi effigiem inter alas continens apparuit, qui ejus et manibus, et pedibus, et lateri vestigia clavorum impressit: quæ sanctus Bonaventura, cum Alexandri Quarti summi Pontificis prædicationi interesset, narrasse Pontificem a se visa esse, litteris commendavit. His insignibus summi in eum Christi amoris maximam habebat omnium admirationem. Ac biennio post graviter ægrotans, deferri voluit in Ecclesiam sanctæ Mariæ Angelorum, ut ubi gratiæ spiritum a Deo acceperat, ibi spiritum vitæ redderet. Eo in loco fratres ad paupertatem ac patientiam, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem servandam cohortatus, psalmum illum pronuntians: Voce mea ad Dominum clamavi, in eo versiculo: Me expectant justi, donec retribuas mihi, efflavit animam quarto Nonas Octobris. Quem miraculis clarum Gregorius Nonus Pontifex Maximus in Sanctorum numerum adscripsit.

In III. Noct. Homilia Venite ad me omnes, *pro Abb. 2. loco*, p. 60*.
In II. Vesp. comm. sequent.

Die 5. SS. Placidi et Soc.

Martyrum.

Oratio. Deus qui nos concedis, p. 29*.

Lectio iij.

PLACIDUS Romæ, Tertullo patre in primis nobili natus, puer Deo oblatus, et sancto Benedicto traditus, tantum ejus disciplina, et monasticæ vitæ institutis profecit, ut inter præcipuos illius discipulos numeretur. Ab eo in Siciliam missus, monasterium et Ecclesiam in honorem sancti Joannis Baptistæ prope Messanæ portum construxit, ubi cum monachis admirabili sanctitate vixit. Ejus visendi causa cum eo venissent Eutychius et Victorinus illius fratres, et Flavia virgo soror, eodem tempore illuc appulit immanis quidam pirata Manucha nomine, qui, capto monasterio, cum Placidum et cæteros nullo modo adducere potuisset, ut Christum negarent, ipsum fratresque illius ac sororem crudeliter necari jussit. Cum quibus etiam Donatus, Firmatus Diaconus, Faustus, aliique triginta monachi, martyrii agonem feliciter consummarunt, tertio Nonas Octobris, anno salutis quingentesimo trigesimo nono.

Die 6. S. Brunonis,

Confess. *Duplex*

Oratio.

SANCTI Brunonis Confessoris tui, quæsumus, Domine, intercessionibus adjuvemur, ut qui majestatem tuam graviter delinquendo offendimus, ejus meritis et precibus nostrorum delictorum veniam consequamur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BRUNO Carthusianæ Religionis institutor, Coloniæ Agrippinæ natus est. Ab ipsis incunabulis specimen futuræ sanctitatis præferens, morum gravitate, puerilia illius ætatis, divina favente gratia, declinans, adeo excelluit, ut jam inde monachorum pater, vitæque anachoreticæ futurus instaurator agnosceretur. A parentibus genere ac virtute claris, Lute-

Digitized by Google

tiam Parisiorum missus, tantum ibi in Philosophiæ ac Theologiæ studiis profecit, ut doctoris ac magistri munus in utraque facultate sit adeptus: nec multo post ob egregias ipsius virtutes, Ecclesiæ Rhemensis Canonicatu potitus.

Lectio v.

ELAPSIS aliquot annis, cum sex aliis familiaribus mundo renuntians, sanctum Hugonem Episcopum Gratianopolitanum adiit. Qui, causa eorum adventus cognita, eosdemque intelligens esse, quos eadem nocte veluti septem stellas ad suos pedes corruentes in somnis viderat, montes suæ Diœcesis asperrimos, quos Carthusianos appellant, illis concessit. Illuc Bruno cum sociis, ipso Hugone comitante, secedens, cum per aliquot annos eremiticam vitam egisset, ab Urbano Secundo, qui ejusdem Brunonis discipulus fuerat, Romam accersitur. Ejus consilio ac doctrina Pontifex, in tot illis Ecclesiæ calamitatibus, per aliquot annos usus est: donec Bruno, recusato Rhegiensi Archiepiscopatu, discedendi facultatem obtinuit.

Lectio vj.

IGITUR solitudinis amore, eremum quamdam apud Squillacum in Calabriæ finibus petiit. Quo in loco, cum ipsum orantem Rogerius Comes Calabriæ inter venandum, latrantibus ad illius speluncam canibus, reperisset, sanctitate viri permotus, illum ac socios fovere et colere impense cœpit. Nec liberalitas sine præmio fuit. Cum enim idem Rogerius Capuam obsideret, eumque Sergius quidam excubiarum magister prodere statuisset, Bruno adhuc in dicta eremo vivens, in somnis illi omnia aperiens, ab imminenti periculo Comitem liberavit. Tandem virtutibus ac meritis plenus, nec sanctitate minus quam doctrinæ fama clarus, obdormivit in Domino, sepultusque est in monasterio sancti Stephani ab ipso Rogerio constructo, ubi hactenus honorifice colitur.

In. III. Noct. Homilia Sancti Evangelii fratres, *de Com. I. loco.*

In II. Vesp. comm. seq. etc.

Die 7. S. Marci,

Papæ et Confessoris.

Oratio

EXAUDI, Domine, preces nostras, et intercedente beato Marco Confessore tuo atque Pontifice, indulgentiam nobis tribue placatus et pacem. Per Dominum.

Deinde SS. Sergii, Bacchi, Marcelli, et Apuleii Mart.

Oratio.

SANCTORUM Martyrum tuorum nos, Domine, Sergii, Bacchi, Marcelli et Apuleii, beata merita prosequantur, et tuo semper faciant amore ferventes. Per Dominum.

Lectio iij.

MARCUS Romanus, Constantino Magno Imperatore Pontifex, instituit ut Episcopus Ostiensis, a quo Romanus Pontifex consecratur, pallio uteretur. Duas Romæ Basilicas ædificavit, alteram in Urbe, alteram via Ardeatina: quas Constantinus auctas, magnis muneribus exornavit. Vixit in Pontificatu menses octo, sepultusque est in cœmeterio Balbinæ.

In Laud. fit comm. SS. Mart.

Die 8. S. Birgittæ,

Viduæ. *Duplex.*

Oratio.

DOMINE Deus noster, qui beatæ Birgittæ per Filium tuum unigenitum secreta cœlestia revelasti, ipsius pia intercessione da nobis famulis tuis, in revelatione sempiternæ gloriæ tuæ gaudere lætantes. Per eumdem.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BIRGITTA in Suecia illustribus et piis parentibus orta, sanctis-

Digitized by Google

sime vixit. Cum adhuc in utero gestaretur, a naufragio propter eam mater erepta est. Decennis post auditum de passione Domini sermonem, sequenti nocte Jesum in cruce, recenti sanguine perfusum vidit, et de eadem passione secum loquentem. Quo ex tempore in ejusdem meditatione ita afficiebatur, ut de ea sine lacrymis cogitare deinceps nunquam posset.

Lectio v.

ULFONI Nericiæ Principi in matrimonium tradita, virum ipsum ad pietatis officia, tum optimis exemplis, tum efficacibus verbis adhortata est. In filiorum educatione piissima, pauperibus, et maxime infirmis, domo ad id muneris dicata, inserviebat quam diligentissime, illorum pedes solita lavare et osculari. Cum autem una cum viro suo rediret Compostellam, ubi sancti Jacobi Apostoli sepulchrum visitaverant, et Atrebati Ulfo graviter ægrotaret, sanctus Dionysius Birgittæ noctu apparuit, et de mariti salute, aliisque de rebus, quæ futuræ erant, præmonuit.

Lectio vj.

VIRO Cisterciensi monacho facto, et paulo post defuncto, Birgitta, audita Christi voce in somnis, arctiorem vitæ formam est aggressa. Cui deinde arcana multa fuerunt divinitus revelata. Monasterium Vastanense sub regula sancti Salvatoris, ab ipso Domino accepta, instituit. Romam Dei jussu venit, ubi plurimos ad amorem divinum vehementer accendit. Inde Jerosolymam petiit, ac iterum Romam. Qua ex peregrinatione cum in febrim incidisset, gravibus per annum integrum afflictata morbis, cumulata meritis, prænuntiato mortis die, migravit in cœlum. Corpus ejus ad Vastanense monasterium translatum est, et miraculis illustrem Bonifacius Nonus in Sanctorum numerum retulit.

In III. Noct. Homilia Cœlorum regnum fratres, *de Com.* p. 74*.

In II. Vesp. comm. sequentis.

Die 9. SS. Dionysii,

RUSTICI ET ELEUTHERII,

Martyrum. *Semid.*

Oratio.

DEUS, qui hodierna die beatum Dionysium Martyrem tuum atque Pontificem virtute constantiæ in passione roborasti, quique illi, ad prædicandum Gentibus gloriam tuam, Rusticum et Eleutherium sociare dignatus es, tribue nobis, quæsumus eorum imitatione, pro amore tuo prospera mundi despicere, et nulla ejus adversa formidare. Per.

Lect. I. Nect. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

DIONYSIUS Atheniensis, unus ex Areopagitis judicibus, vir fuit omni doctrinæ genere instructus. Qui cum adhuc in Gentilitatis errore versaretur, eo die, quo Christus Dominus cruci affixus est, solem præter naturam defecisse animadvertens, exclamasse traditur: Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvitur. Sed cum Paulus Apostolus veniens Athenas, et in Areopagum ductus rationem reddidisset ejus doctrinæ, quam prædicabat, affirmans Christum Dominum resurrexisse, et mortuos omnes in vitam redituros esse, cum alii multi, tum ipse Dionysius in Christum credidit.

Lectio v.

ITAQUE et baptizatus est ab Apostolo, ac Atheniensium Ecclesiæ præfectus. Qui cum postea Romam venisset, a Clemente Pontifice missus est in Galliam prædicandi Evangelii causa. Quem Lutetiam usque Parisiorum Rusticus Presbyter, et Eleutherius Diaconus prosecuti sunt: ubi a Fescennio Præfecto, quod multos ad Christianam religionem convertisset, ipse cum sociis virgis cæsus est: cumque in prædicatione Christianæ fidei constantissime persevera-

Digitized by Google

ret, in craticulam subjecto igne injicitur, multisque præterea suppliciis una cum sociis cruciatur.

Lectio vj.

SED ea tormentorum genera omnibus forti ac libenti animo perferentibus, Dionysius annum agens supra centesimum, cum reliquis securi percutitur septimo Idus Octobris. De quo illud memoriæ proditum est, abscissum suum caput sustulisse, et progressum ad duo millia passuum in manibus gestasse. Libros scripsit admirabiles, ac plane cœlestes, de divinis nominibus, de cœlesti et Ecclesiastica Hierarchia, de mystica Theologia, et alios quosdam.

In III. Noct. Homilia De hoc fermento, *de Com.* 3. *loco*, p. 38*.

Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 10. S. Fr. Borgiæ,

Conf. *Semid.* (m. t. v.)

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, veræ humilitatis et exemplar et præmium, quæsumus, ut sicut beatum Franciscum in terreni honoris contemptu imitatorem tui gloriosum effecisti, ita nos ejusdem imitationis et gloriæ tribuas esse consortes: Qui vivis.

Et fit commemor. præced.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

FRANCISCUS Gandiæ Dux Quartus, Joanne Borgia et Joanna Aragonia Ferdinandi Catholici nepte genitus, post puerilem ætatem inter domesticos mira innocentia et pietate transactam, in aula primum Caroli Quinti Cæsaris, mox in Cataloniæ administratione admirabilior fuit, Christianæ virtutis, et vitæ austerioris exemplis. Ad Granatense sepulchrum Isabellam Imperatricem cum detulisset, in ejus vultu fœde commutato, mortalium omnium caducitatem relegens, voto se adstrinxit, rebus omnibus, cum primum liceret, abjectis, regum Regi unice inserviendi. Inde tantum virtutis incrementum fecit, ut inter negotiorum turbas religiosæ perfectionis simillimam imaginem referens, miraculum principum appellaretur.

Lectio v.

MORTUA Eleonora de Castro conjuge, ingressus est Societatem Jesu, ut in ea lateret securius, et præcluderet dignitatibus aditum, interposita voti religione: dignus quem et viri principes complures in amplectendo severiori instituto fuerint secuti, et Carolus Quintus ipse in abdicando Imperio hortatorem sibi, aut ducem extitisse non diffiteretur. In eo arctioris vitæ studio Franciscus jejuniis, catenis ferreis, asperrimo cilicio, cruentis longisque verberationibus, somno brevissimo, corpus ad extremam usque maciem redegit, nullis præterea parcens laboribus ad sui victoriam, et ad salutem animarum. Tot itaque instructus virtutibus, a sancto Ignatio primum generalis Commissarius in Hispaniis, nec multo post Præpositus Generalis Tertius, a Societate universa licet invitus eligitur. Quo in munere Principibus ac Summis Pontificibus prudentia ac morum sanctitate apprime charus, præter complura vel condita vel aucta ubique domicilia, socios in regnum Poloniæ, in insulas Oceani, in Mexicanam et Peruanam provincias invexit: missis quoque in alias regiones Apostolicis viris, qui prædicatione, sudoribus, sanguine, fidem Catholicam Romanam propagarunt.

Lectio vj.

DE se ita demisse sentiebat, ut peccatoris nomen sibi proprium faceret. Romanam purpuram, a Summis Pontificibus sæpius oblatam, invicta humilitatis constantia recusavit. Verrere sordes, emendicare victum ostiatim, ægris ministrare in nosocomiis, mundi ac sui contemptor, in deliciis habuit. Singulis diebus mul-

Digitized by Google

tas continenter horas, frequenter octo, quandoque decem dabat cælestium contemplationi. Centies quotidie de genu Deum adorabat. Nunquam a sacrificando abstinuit, prodebatque sese divinus, quo æstuabat, ardor, ejus vultu sacram Hostiam offerentis, aut concionantis interdum radiante. Sanctissimum Christi Corpus in Eucharistia latens, ubi asservaretur, instinctu cælesti sentiebat. Cardinali Alexandrino ad conjungendos contra Turcam Christianos principes, legato comes additus a beato Pio Quinto arduum iter, fractis jam pene viribus, suscepit ex obedientia, in qua et vitæ cursum Romæ, ut optarat, feliciter consummavit, anno ætatis suæ sexagesimo secundo, salutis vero millesimo quingentesimo septuagesimo secundo. A sancta Teresia, quæ ejus utebatur consiliis, vir sanctus, a Gregorio Decimo tertio fidelis administer appellatus. Demum a Clemente Decimo pluribus magnisque clarus miraculis, in Sanctorum numerum est adscriptus.

In III. Noct. Homilia Grandis fiducia, *de Com. Apost.* I. *loco*, p. 7*. *cum.* ℟. vij. *et.* viij. *de Com.*

Die 13. S. Eduardi,

Regis, Conf. *Semidupl.* (m. t. v.).

Oratio.

DEUS, qui beatum regem Eduardum Confessorem tuum æternitatis gloria coronasti, fac nos, quæsumus, ita eum venerari in terris ut cum eo regnare possimus in cœlis. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

EDUARDUS cognomento Confessor, nepos sancti Eduardi regis et martyris, Anglo-Saxonum regum ultimus, quem futurum regem Brithualdo viro sanctissimo in mentis excessu Dominus demonstravit, decennis a Danis Angliam vastantibus quæsitus ad necem, exulare cogitur apud avunculum Normanniæ ducem, ubi in mediis vitiorum illecebris talem se exhibuit integritate vitæ, morumque innocentia, ut omnibus admirationi esset. Eluxit in eo vel tum mira pietas in Deum ac res divinas, fuitque ingenio mitissimo, atque ab omni dominandi cupiditate alieno. Cujus ea vox fertur, Malle se regno carere, quod sine cæde et sanguine obtineri non possit.

Lectio v.

EXTINCTIS mox tyrannis, qui fratribus suis vitam et regnum eripuerant, revocatur in patriam, ubi summis omnium votis et gratulationae regno potitus, ad hostilium irarum delenda vestigia totum se convertit, a sacris exorsus, ac Divorum templis, quorum alia a fundamentis erexit, alia refecit, auxitque reditibus ac privilegiis; in eam curam potissimum intentus, ut reflorescerat collapsa religio. Ab aulæ proceribus compulsum ad nuptias, constans est assertio scriptorum, cum virgine sponsa virginitatem in matrimonio servasse. Tantus in eo fuit in Christum amor et fides, ut illum aliquando inter Missarum solemnia videre meruerit, blando vultu et divina luce fulgentem. Ob profusam charitatem, orphanorum et egenorum pater passim dicebatur, nunquam lætior, quam cum regios thesauros exhausisset in pauperes.

Lectio vj.

PROPHETIÆ dono illustris, de Angliæ futuro statu multa cælitus prævidit, et illud in primis memorabile, quod Sweyni Danorum regis in mare demersi mortem, dum Angliam invadendi animo classem conscenderet, eodem quo accidit momento, divinitus intellexit. Joannem Evangelistam mirifice coluit, nihil cuiquam, quod ejus nomine peteretur, negare solitus. Cui olim sub lacera veste suo nomine stipem roganti, cum nummi deessent, detractum ex digito annulum porrexit, quem Divus

Digitized by Google

non ita multo post Eduardo remisit, una cum nuntio secuturæ mortis. Quare rex, indictis pro se precibus, ipso ab Evangelista prædicto die, piissime obiit Nonis videlicet Januarii, anno salutis millesimo sexagesimo sexto. Quem sequenti sæculo Alexander Papa Tertius miraculis clarum Sanctorum fastis adscripsit. At ejus memoriam Innocentius Undecimus Officio publico per universam Ecclesiam eo die celebrari præcepit, quo annis ab obitu sex et triginta translatum ejus corpus incorruptum, et suavem spirans odorem repertum est.

In III. Noct. Homilia Sancti Evangelii fratres, *de Com. I. loco.*

Vesperæ de sequenti.

Die 14. S. Callisti,

Papæ et Martyris. *Duplex.*

Oratio.

DEUS, qui nos conspicis ex nostra infirmitate deficere, ad amorem tuum nos misericorditer per Sanctorum tuorum exempla restaura. Per Dominum.

Deinde fit comm. S. Eduardi.
Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CALLISTUS Romanus, præfuit Ecclesiæ, Antonino Heliogabalo Imperatore. Constituit quatuor anni tempora, quibus jejunium ex Apostolica traditione acceptum, ab omnibus servaretur. Ædificavit Basilicam sanctæ Mariæ Transtiberim, et in via Appia vetus cœmeterium ampliavit, in quo multi sancti Sacerdotes et Martyres sepulti sunt; unde ab eo Callisti cœmeterium appellatur.

Lectio v.

EJUSDEM pietatis fuit, quod beati Calepodii presbyteri et martyris corpus jactatum in Tiberim conquiri diligenter curavit, et inventum honorifice sepelivit. Palmatium Consulari, Simplicium Senatoria dignitate illustres, Felicem ac Blandam, qui deinde omnes martyrium subiere, cum baptismo lustrasset, missus est in carcerem, ubi Privatum militem ulceribus plenum admirabiliter sanitati restitutum Christo adjunxit: pro quo idem, recens adhuc a fide suscepta, plumbatis usque ad mortem cæsus occubuit.

Lectio vj.

SEDIT Callistus annos quinque, mensem unum, dies duodecim. Ordinationibus quinque, mense Decembri, creavit Presbyteros sexdecim, Diaconos quatuor, Episcopos octo. Post longam famem crebrasque verberationes, præceps jactus in puteum, atque ita martyrio coronatus sub Alexandro Imperatore, illatus est in cœmeterium Calepodii via Aurelia, tertio ab Urbe lapide, pridie Idus Octobris. Ejus postmodum corpus in Basilicam sanctæ Mariæ Transtiberim ab ipso ædificatam, delatum, sub ara majori, maxima veneratione colitur.

In III. Noct. Hom. Dominus diem judicii, *de Com.* 3. *loco*, p. 32*.

Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 15. S. Teresiæ,

Virginis. *Duplex.*

IN UTRISQUE VESPERIS.

HYMNUS.

REGIS superni nuntia,
Domum paternam deseris
Terris Teresa barbaris
Christum datura, aut sanguinem.
Sed te manet suavior
Mors, pœna poscit dulcior:
Divini amoris cuspide
In vulnus icta concides.
O charitatis victima,
Tu corda nostra concrema
Tibique gentes creditas
Averni ab igne libera.
Sit laus Patri cum Filio,
Et Spiritu Paraclito;
Tibique, sancta Trinitas,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutaris noster, ut sicut de beatæ Teresiæ

Digitized by Google

Virginis tuæ festivitate gaudemus, ita cœlestis ejus doctrinæ pabulo nutriamur, et piæ devotionis eruditamur affectu. Per.

Deinde fit comm. S. Callisti.

Ad Matutinum.

HYMNUS.

HÆC est dies, qua candidæ
Instar columbæ, Cœlitum
Ad sacra templa spiritus
Se transtulit Teresiæ,
Sponsique voces audiit:
Veni, Soror, de vertice
Carmeli ad Agni nuptias,
Veni ad coronam gloriæ.
Te, Sponse Jesu, virginum
Beati adorent Ordines,
Et nuptiali cantico
Laudent per omne sæculum. Amen.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

TERESIA virgo nata est Abulæ in Hispania, parentibus tum genere, tum pietate præclaris. Ab iis divini timoris lacte educata, admirandum futuræ sanctitatis in tenerrima adhuc ætate specimen dedit. Nam cum sanctorum Martyrum acta perlegeret, adeo in ejus meditatione sancti Spiritus ignis exarsit, ut domo aufugiens in Africam trajiceret, ubi vitam pro gloria Jesu Christi, et animarum salute profunderet. A patruo revocata, ardens martyrii desiderium eleemosynis, aliisque piis operibus compensavit, jugibus lacrymis deplorans optimam sibi sortem fuisse præreptam. Mortua matre, cum a beatissima Virgine peteret, ut se matrem esse monstraret, pii voti compos effecta est, semper perinde ac filia patrocinio Deiparæ perfruens. Vigesimum ætatis annum agens, ad moniales sanctæ Mariæ de Monte carmelo se contulit: ubi per duodeviginti annos gravissimis morbis et variis tentationibus vexata, constantissime meruit in castris Christianæ pœnitentiæ, nullo refecta pabulo cœlestium earum consolationum, quibus solet etiam in terris sanctitas abundare.

Lectio v.

ANGELICIS ditata virtutibus, non modo propriam, sed publicam etiam salutem sollicita charitate curavit. Quare severiorem veterum Carmelitarum regulam, Deo aflante, et Pio Quarto approbante, primum mulieribus, deinde viris observandam proposuit. Effloruit in eo consilio omnipotens miserentis Domini benedictio: nam duo supra triginta monasteria inops virgo potuit ædificare, omnibus humanis destituta auxiliis, quinimo adversantibus plerumque sæculi principibus. Infidelium et hæreticorum tenebras perpetuis deflebat lacrymis, atque ad placandam divinæ ultionis iram, voluntarios proprii corporis cruciatus Deo pro eorum salute dicabat. Tanto autem divini amoris incendio cor ejus conflagravit, ut merito viderit Angelum igneo jaculo sibi præcordia transverberantem, et audierit Christum data dextera dicentem sibi: Deinceps ut vera sponsa meum zelabis honorem. Eo consiliante, maxime arduum votum emisit, efficiendi semper quidquid perfectius esse intelligeret. Multa cœlestis sapientiæ documenta conscripsit, quibus fidelium mentes ad supernæ patriæ desiderium maxime excitantur.

Lectio vj.

CUM autem assidua ederet exempla virtutum, tam anxio castigandi corporis desiderio æstuabat, ut quamvis secus suaderent morbi, quibus afflictabatur, corpus ciliciis, catenis, urticarum manipulis, aliisque asperrimis flagellis sæpe cruciaret, et aliquando inter spinas volutaret, sic Deum alloqui solita: Domine, aut pati, aut mori: se semper miserrima morte pereuntem existimans, quamdiu a cœlesti æternæ vitæ fonte abesset. Prophetiæ dono excelluit, eamque divinis charismatibus tam liberaliter locupletabat Dominus, ut sæpius

exclamans peteret, beneficiis in se divinis modum imponi, nec tam celeri oblivione culparum suarum memoriam aboleri. Intolerabili igitur divini amoris incendio potius, quam vi morbi, Albæ cum decumberet, prænuntiato suæ mortis die, Ecclesiasticis Sacramentis munita, alumnos ad pacem, charitatem, et regularem observantiam adhortata, sub columbæ specie purissimam animam Deo reddidit. annos nata sexaginta septem, anno millesimo quingentesimo octogesimo secundo, idibus Octobris, juxta Kalendarii Romani emendationem. Ei morienti adesse visus est inter Angelorum agmina Christus Jesus, et arbor arida cellæ proxima statim efloruit. Ejus corpus usque ad hanc diem incorruptum, odorato liquore circumfusum, pia veneratione colitur. Miraculis claruit ante et post obitum, eamque Gregorius Decimus quintus in Sanctorum numerum retulit.

In III. Noct. Homilia Sæpe vos fratres, *de Com. 1. loco.*

Ad Laud. Hymn. ut in I. Vesp.

Die 17. S. Hedwigis

Viduæ *Semiduplex*

Oratio.

DEUS, qui beatam Hedwigem a sæculi pompa ad humilem tuæ crucis sequelam toto corde transire docuisti, concede ut ejus meritis et exemplo discamus perituras mundi calcare delicias, et in amplexu tuæ crucis omnia nobis adversantia superare: Qui vivis.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

HEDWIGIS regiis clara natalibus, innocentia tamen vitæ longe clarior, sanctæ Elisabethæ filiæ regis Hungariæ matertera Bertoldi et Agnetis Moraviæ marchionum filia, animi ab ineunte ætate mederationem protulit. Adhuc enim puellula puerilibus abstinuit, et duodennis Henrico Poloniæ duci a parentibus nuptui tradita, thalami fide sancte servata, prolem inde susceptam in Dei timore erudivit. Ut autem commodius Deo vacaret, ex pari voto, et consensu unanimi ad separationem tori virum induxit. Quo defuncto, ipsa in monasterio Trebnicensi, Deo, quem assiduis precibus exoraverat, inspirante, Cisterciensem devota sumpsit habitum, in eoque contemplationi intenta, divinis officiis et Missarum solemniis a solis ortu ad meridiem usque assidua assistens, antiquum humani generis hostem fortis contempsit.

Lectio v.

SÆCULI autem commercia, ni divina, vel animarum salutem attingerent, audire vel loqui non sustinuit. Prudentia in agendis sic emicuit, ut neque excessus esset in modo, nec error in ordine, comis alioqui, et mansueta in proximum. Grandem autem de se triumphum jejuniis, et vigiliis, vestiumque asperitate austera carnem macerans, reportavit: hinc sublimioribus florens virtutibus Christianis, consiliorum gravitate, animique candore, et quiete in eximium religiosæ pietatis evasit exemplar: omnibus se ultro subjicere, atque viliora præ cæteris monialibus alacriter munia subire; pauperibus etiam flexo genu ministrare, leprosorum pedes abluere et osculari, ipsi familiare erat, neque illorum ulcera sanie manantia sui victrix abhorruit.

Lectio vj.

MIRA fuit ejus patientia, animique constantia; præcipue vero in morte Henrici ducis Silesiæ, sui quem materne diligebat filii in bello a Tartaris cæsi enituit: potius enim gratias Deo, quam filio lacrymas reddidit. Miraculorum denique gloria percrebuit: puerum enim demersum, et molendini rotis allisum, et prorsus attritum, invocata vitæ restituit, aliaque præstitit, ut rite iis Clemens Quartus probatis, Sanctorum numero eam adscripserit, ejusque festum in Polonia, ubi præcipua veneratione uti

Digitized by Google

Patrona colitur, die decima quinta Octobris celebrari concesserit; quod deinde ut decima septima in tota Ecclesia fieret, Innocentius Undecimus ampliavit.

In III. Noct. Homilia Cœlorum regnum fratres, *de comm.* p. 74*.

Vesp. de seq. sine comm. præc.

Die 18. S. Lucæ.

Evangelistæ. *Duplex 2. Classis.*

Oratio.

INTERVENIAT pro nobis, quæsumus, Domine, sanctus tuus Lucas Evangelista, qui crucis mortificationem jugiter in suo corpore, pro tui nominis honore portavit. Per Dominum.

Lect. I. Noct. Incipit liber Ezechielis Prophetæ, *ut in Dom. 1. Nov.*, p. 519.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro S. Hieronymi Presbyteri de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Lectio iv.

LUCAS medicus Antiochensis, ut ejus scripta indicant, græci sermonis non ignarus, fuit sectator Apostoli Pauli, et omnis peregrinationis ejus comes. Scripsit Evangelium, de quo idem Paulus: Misimus, inquit, cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias. Et ad Colossenses: Salutat vos Lucas medicus charissimus. Et ad Timotheum: Lucas est mecum solus. Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo, Acta Apostolorum prænotatur: cujus historia usque ad biennium Romæ commorantis Pauli pervenit, id est, usque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus, in eadem urbe librum esse compositum.

Lectio v.

IGITUR periodos Pauli et Theclæ, et totam baptizati Leonis fabulam, inter apocryphas scripturas computamus. Quale enim est, ut individuus comes Apostoli, inter cæteras ejus res, hoc solum ignoraverit? Sed et Tertullianus, vicinus eorum temporum, refert presbyterum quemdam in Asia amatorem Apostoli Pauli, convictum a Joanne, quod auctor esset libri, et confessum se hoc Pauli amore fecisse, et ob id loco excidisse. Quidam suspicantur, quotiescumque in Epistolis suis Paulus dicit, Juxta Evangelium meum, de Lucæ significare volumine.

Lectio vj.

LUCAM autem non solum ab Apostolo Paulo didicisse Evangelium qui cum Domino in carne non fuerat, sed a cæteris Apostolis: quod ipse quoque in principio sui voluminis declarat, dicens: Sicut tradiderunt nobis qui a principio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis. Igitur Evangelium sicut audierat, scripsit: Acta vero Apostolorum, sicut viderat ipse, composuit. Vixit octoginta et quatuor annos, uxorem non habens: sepultus est Costantinopoli, ad quam urbem vigesimo Constantini anno ossa ejus cum reliquiis Andreæ Apostoli translata sunt de Achaia.

In III. Noct. Homilia Dominus et Salvator noster, *pro Evangelistis*, p. 13*.

In II. Vesp. comm. sequentis.

Die 19. S. Petri de Alcant.

Conf. *Duplex* (m. t. v.).

Oratio.

DEUS, qui beatum Petrum Confessorem tuum admirabilis pœnitentiæ et altissimæ contemplationis munere illustrare dignatus es, da nobis, quæsumus, ut ejus suffragantibus meritis, carne mortificati, facilius cœlestia capiamus. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PETRUS Alcantaræ in Hispania nobilibus parentibus natus, a teneris annis futuræ sanctitatis indicia præbuit. Decimo sexto ætatis anno Ordinem Minorem ingressus, se om-

Digitized by Google

nium virtutum exemplar exhibuit. Tum munus concionatoris ex obedientia exercens, innumeros a vitiis ad veram pœnitentiam traduxit. Primævum sancti Francisci Institutum exactissime reparare cupiens, ope divina fretus, et Apostolica munitus auctoritate, angustissimum et pauperrimum cœnobium juxta Pedrosum fundavit: quod vitæ genus asperrimum ibi feliciter cœptum, per diversas Hispaniæ provincias usque ad Indias mirifice propagatum fuit. Sanctæ Teresiæ, cujus probaverat spiritum, in promovenda Carmelitarum reformatione, adjutor fuit. Ipsa autem a Deo edocta, quod Petri nomine nihil quisquam peteret, quin protinus exaudiretur, ejus precibus se commendare, et ipsum adhuc viventem Sanctum appellare consuevit.

Lectio v.

PRINCIPUM obsequia, qui ipsum velut oraculum consulebant, summa humilitate declinans, Carolo Quinto Imperatori a Confessionibus esse recusavit. Paupertatis rigidissimus custos una tunica, qua nulla deterior esset, contentus erat. Puritatem ita coluit, ut a fratre, in extremo morbo sibi inserviente, nec leviter quidem tangi passus sit. Corpus suum perpetuis vigiliis, jejuniis, flagellis, frigore, nuditate, atque omni genere asperitatum in servitutem redegit, cum quo pactum inierat, ne ullam in hoc sæculo ei requiem præberet. Charitas Dei et proximi in ejus corde diffusa tantum quandoque excitabat incendium, ut e cellæ angustiis in apertum campum prosilire, aerisque refrigerio conceptum ardorem temperare cogeretur.

Lectio vj.

GRATIA contemplationis admirabilis in eo fuit, qua cum assidue spiritus reficeretur, interdum accidit, ut ab omni cibo et potu pluribus diebus abstinuerit. In aera frequenter sublatus, miro fulgore coruscare visus est. Rapidos fluvios sicco pede trajecit. Fratres in extrema penuria cœlitus delata alimonia cibavit. Baculus ab ipso terræ defixus, mox in viridem ficulneam excrevit. Cum noctu iter ageret, densa nive cadente, dirutam domum sine tecto ingressus est, eique nix in aere pendula pro tecto fuit, ne illius copia suffocaretur. Dono prophetiæ, ac discretionis spirituum imbutum fuisse sancta Teresia testatur. Denique annum ageus sexagesimum tertium, hora qua prædixerat, migravit ad Dominum, mirabili visione, Sanctorumque præsentia confortatus. Quem eodem momento in cœlum ferri beata Teresia procul distans vidit; cui postea apparens dixit: O felix pœnitentia, quæ tantam mihi promeruit gloriam! Post mortem vero plurimis miraculis claruit, et a Clemente Nono Sanctorum numero adscriptus est.

In III. Noct. Homilia Pusillum gregem, *de Com.* 2. *loco*, p. 60*.

Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 20. S. Joan. Cantii, Conf. *Duplex.*

In I. Vesperis

HYMNUS

GENTIS Polonæ gloria,
Clerique splendor nobilis
Decus Lycæi, et patriæ
Pater, Joannes inclyte,

Legem superni numinis
Doces magister, et facis:
Nil scire prodest: sedulo
Legem nitamur exequi.

Apostolorum limina
Pedes viator visitas:
Ad patriam, quam tendimus,
Gressus viamque dirige.

Urbem petis Jerusalem;
Signata sacro sanguine
Christi colis vestigia,
Rigasque fusis fletibus.

Acerba Christi vulnera,
Hærete nostris cordibus,
Ut cogitemus consequi
Redemptionis pretium.

Te prona mundi machina,
Clemens, adoret, Trinitas.

Digitized by Google

Et nos novi per gratiam
Novum canamus canticum. Amen.

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut sancti Joannis Confessoris exemplo in scientia Sanctorum proficientes, atque aliis misericordiam exhibentes, ejus meritis indulgentiam apud te consequamur. Per Dominum.

Et fit commemor. præced.

Ad Matutinum

HYMNUS.

CORPUS domas jejuniis,
Cædis cruento verbere,
Ut castra pœnitentium
Miles sequaris innocens.

Sequamur et nos sedulo
Gressus parentis optimi:
Sequamur, ut licentiam
Carnis refrænet spiritus.

Rigente bruma, providum
Præbes amictum pauperi,
Sitim famemque egentium
Esca potuque sublevas.

O qui negasti nemini
Opem roganti, patrium
Regnum tuere, postulant
Cives Poloni et exteri.

Sit laus Patri, sit Filio,
Tibique, sancte Spiritus:
Preces Joannis impetrent
Beata nobis gaudia. Amen.

Lect. I. Noct. de Sript. occ.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

JOANNES in oppido Kenty Cracoviensis Diœcesis, a quo Cantii cognomen duxit, Stanislao et Anna piis et honestis parentibus natus, morum suavitate, innocentia, gravitate ab ipsa infantia spem fecit maximæ virtutis. In Universitate Cracoviensi Philosophiæ, ac Theologiæ primum auditor, tum per omnes Academiæ gradus ascendendo professor ac doctor, sacra, quam annis multis tradidit, doctrina mentes audientium non illustrabat modo, sed et ad omnem pietatem inflammabat, simul docens scilicet, et faciens. Sacerdos factus, nihil de litterarum studio remittens, studium auxit Christianæ perfectionis. Utque passim offendi Deum maxime dolebat, sic eum sibi et populo placare, oblato quotidie non sine multis lacrymis incruento Sacrificio, satagebat. Ilkusiensem parochiam annis aliquot egregie administravit, sed animarum periculo commotus postea dimisit ac postulante Academia, ad pristinum docendi officium rediit.

Lectio V.

QUIDQUID temporis ab studio supererat, partim saluti proximorum sacris præsertim concionibus curandæ, partim orationi dabat, in qua cœlestibus quandoque visionibus et colloquiis dignatus fertur. Christi vero passione sic afficiebatur, ut in ea contemplanda totas interdum noctes duceret insomnes, ejusque causa melius recolendæ, Hierosolymam peregrinatus sit: ubi et martyrii desiderio flagrans, Turcis ipsis Christum crucifixum prædicare non dubitavit. Quater etiam ad Apostolorum limina pedes, atque viaria onustus sarcina, Romam venit, tum ut Sedem Apostolicam, cui maxime addictus fuit, honoraret, tum ut sui (sic enim aiebat) purgatorii pœnas, exposita illic quotidie peccatorum venia, redimeret. Quo in itenere a latronibus olim spoliatus et num quid haberet præterea interrogatus, cum negasset, aureos deinde aliquot suo insutos pallio recordatus, fugientibus hos etiam clamans obtulit latronibus: qui viri sancti candorem simul et largitatem admirati, etiam ablatos ultro reddidere. Alienæ famæ ne quis detraheret, descriptis beati Augustini exemplo in pariete versiculis, se atque alios perpetuo voluit admonitos. Famelicos de suo etiam obsonio satiabat: nudos autem non emptis modo, sed detractis quoque sibi vestibus et calceis operiebat, demisso ipse interim usque ad terram pallio, ne quoquum nudipes redire videretur.

Digitized by Google

Lectio vj.

BREVIS illi somnus, atque humi; vestis, quæ nuditatem, cibus, qui mortem dumtaxat arceret. Virginalem pudicitiam, velut lilium inter spinas, aspero cilicio, flagellis, atque jejuniis custodivit. Quin et per annos ante obitum triginta circiter et quinque ab esu carnium perpetuo abstinuit. Tandem dierum juxta ac meritorum plenus, cum vicinæ, quam præsensit, morti se diu diligenterque præparasset, ne qua re amplius teneretur, si quid domi supererat, id omnino pauperibus distribuit. Tum Ecclesiæ Sacramentis rite munitus, dissolvi jam cupiens, et esse cum Christo, pridie Nativitatis ejus in cœlum evolavit, miraculis ante et post mortem clarus. Mortuus ad proximam Academiæ Ecclesiam sanctæ Annæ delatus est, ibique honorifice sepultus. Auctaque in dies populi veneratione ac frequentia, inter primarios Poloniæ ac Lithuaniæ Patronos religiosissime colitur. Novisque coruscans miraculis a Clemente Decimo tertio Pontifice Maximo, decimo septimo Kalendas Augusti, anno millesimo septingentesimo sexagesimo septimo solemni ritu Sanctorum fastis adscriptus est.

In III. Noct. Homilia Sancti Evangelii fratres, *de Com.* 1. *loco.*

Ad Laud. Hymn. ut in I. Vesp.

In II. Vesperis.

HYMNUS

TE deprecante, corporum
Lues recedit, improbi
Morbi fugantur, pristina
Redeunt salutis munera.

Phtisi, febrique et ulcere
Diram redactos ad necem,
Sacratas morti victimas,
Ejus rapis è faucibus.

Te deprecante, tumido
Merces abactæ flumine,
Tractæ Dei potentia
Sursum fluunt retrogradæ.

Cum tanta possis, sedibus
Cœli locatus, poscimus,
Responde votis supplicum,
Et invocatus subveni.

O una semper Unitas,
O Trina semper Trinitas,
Da, supplicante Cantio,
Æterna nobis præmia. Amen.

Et fit comm. seq. etc., ut infra

Die 21. S. Hilarionis,

Abbatis.

Oratio Intercessio nos, p. 31*.

Deinde SS. Ursulæ et soc. ejus Virg. et Mart.

In Vesp. et Laud. Ant. Prudentes. ℣. Adducentur. *Oratio* Da nobis quæsumus, *de Com.* p. 62*.

Lectio ij.

HILARION ortus Tabathæ in Palæstina ex parentibus infidelibus Alexandriam missus studiorum causa, ibi morum et ingenii laude floruit, ac Jesu Christi suscepta religione, in fide et charitate mirabiliter profecit. Frequens enim erat in Ecclesia, assiduus in jejunio et oratione; omnes voluptatum illecebras, et terrenarum rerum cupiditates contemnebat. Cum autem Antonii nomen in Egypto celeberrimum esset, ejus videndi studio in solitudinem contendit. Apud quem duobus mensibus omnem ejus vitæ rationem didicit. Domum reversus, mortuis parentibus, facultates suas pauperibus dilargitus est. Necdum quintum decimum annum egressus, rediit in solitudinem, ubi, extructa exigua casa, quæ vix ipsum caperet, humi cubabat. Nec vero sat cum, quo semel amictus est, unquam aut lavit, aut mutavit, cum supervacaneum esse diceret, munditias in cilicio quærere.

Lectio iij.

IN sanctarum litterarum lectione et meditatione multus erat. Paucas ficus, et succum herbarum ad victum adhibebat, nec illis ante solis occasum vescebatur. Continentia et humilitate fuit incredibili. Quibus aliisque virtutibus varias horribilesque tentationes diaboli superavit, et innumerabi-

Digitized by Google

les dæmones in multis orbis terræ partibus ex hominum corporibus ejecit. Qui octogesimum annum agens, multis ædificatis monasteriis, et clarus miraculis, in morbum incidit : cujus vi cum extremo pene spiritu conflictaretur dicebat : Egredere, quid times ? egredere, anima mea, quid dubitas ? septuaginta prope annis servisti Christo, et mortem times ? Quibus in verbis spiritum exalavit.

Die 25. SS. Chrysanthi

ET DARIÆ, Martyrum.

Oratio.

BEATORUM Martyrum tuorum, Domine, Chrisanthi et Dariæ, quæsumus, adsit nobis oratio, ut quos veneramur obsequio, eorum piam jugiter experiamur auxilium. Per Dominum.

Lectio ij.

CHRYSANTHUS et Daria conjuges nobili genere nati, fide etiam clariores, quam Daria, mariti opera, cum baptismo susceperat, Romæ innumerabilem hominum multitudinem, hæc mulierum, ille virorum, ad Christum converterunt. Quare Celerinus præfectus comprehensos tradidit Claudio tribuno. Qui jussit a militibus Chrysanthum vinctum cruciatibus torqueri, sed vincula omnia resoluta sunt ; mox compedes, in quos conjectus fuerat, confracti.

Lectio iij.

DEINDE bovis corio inclusum in ardentissimo sole constituunt, tum pedibus ac manibus catena constrictis, in obscurum carcerem detrudunt : ubi solutus catenis, clarissima lux locum illustravit. Daria vero in lupanar compulsa, leonis tutela, dum in oratione defixa est, a contumelia divinitus defensa est. Denique in arenariam, quæ est via Salaria, uterque ductus, effossa terra, lapidibus obruti, parem martyrii coronam adepti sunt.

Die 26. S. Evaristi,

Papæ et Martyris.

Oratio Infirmitatem nostram, *p.* 14*.

Lectio iij.

EVARISTUS Græcus ex Judæo patre, Trajano Imperatore, Pontificatum gessit. Qui Ecclesiarum titulos urbis Romæ Presbyteris divisit, et ordinavit, ut septem Diaconi Episcopum custodirent, dum Evangelicæ prædicationis officio fungeretur. Idem constituit ex traditione Apostolica, ut matrimonium publice celebretur, et Sacerdotis benedictio adhibeatur. Præfuit Ecclesiæ annos novem, menses tres ; Presbyteris decem et septem, Diaconis duobus, Episcopis quindecim, quater mense Decembri ordinatis. Martyrio coronatus, prope sepulchrum principis Apostolorum in Vaticano sepultus est septimo Kalendas Novembris.

Die 27. In Vigilia

SS. SIMONIS ET JUDÆ, Apost.

Homilia Iste locus Evangelicus, *de Com. Mart. temp. Pasch.* p. 25*. *cum* ℟℟. *Feriæ occ.*

In Laud. Preces flexis genibus.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut Apostolorum tuorum Simonis et Judæ gloriosa natalitia prævenimus, sic ad tua beneficia promerenda majestatem tuam pro nobis ipsi præveniant. Per Dominum.

Die 28. SS. Simon. et Judæ

Apostol. *Dupl.* 2. *Classis.*

Oratio.

DEUS, qui nos per beatos Apostolos tuos Simonem et Judam ad agnitionem tui nominis venire tribuisti, da nobis eorum gloriam sempiternam et proficiendo celebrare, et celebrando proficere. Per Dominum.

Lect. I. Noct. Incipit Epistola Catholica B. Judæ Apost. *ut in Vigilia Pentec.* p. 409.

Digitized by Google

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

SIMON Chananæus, qui et Zelotes, et Thaddæus, qui et Judas Jacobi appellatur in Evangelio, unius ex catholicis Epistolis scriptor, hic Mesopotamiam, ille Ægyptum Evangelica prædicatione peragravit. Postea in Persidem convenientes, cum innumerabiles filios Jesu Christo peperissent, fidemque in vastissimis illis regionibus, et efferatis gentibus disseminassent, doctrina et miraculis, ac denique glorioso martyrio simul sanctissimum Jesu Christi nomen illustrarunt.

Lectio. v. *et* vj. Scriptum est, *de Com.* 1. *loco. cum* ℣. v. *et* vj.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 15.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Si mundus vos odit scitote quia me priorem vobis odio habuit. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Tract. 87. in Joannem.

IN lectione Evangelica, quæ hanc antecedit, dixerat Dominus: Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. Hic autem dicit: Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Ac per hoc intelligere debemus, hunc esse fructum nostrum, de quo sit: Ego vos elegi, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat; et quod adjunxit, Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. Tunc utique dabit nobis, si diligamus invicem, cum et hoc ipsum ipse dederit nobis, qui nos elegit non habentes fructum, quia non eum nos elegeramus, et posuit nos ut fructum afferamus, hoc est, invicem diligamus.

Lectio viij.

CHARITAS ergo est fructus noster, quam definit Apostolus, de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. Hac diligimus vicem, hac diligimus Deum: neque enim vera dilectione diligeremus invicem, nisi diligentes Deum. Diligit enim unusquisque proximum suum tanquam seipsum, si diligit Deum: nam si non diligit Deum, non diligit seipsum. In his enim duobus præceptis charitatis, tota lex pendet et Prophetæ. Hic est fructus noster. De fructu itaque nobis mandans: Hæc mando, inquit, vobis, ut diligatis invicem. Unde et Apostolus Paulus, cum contra opera carnis commendare fructum spiritus vellet, a capite hoc posuit, Fructus, inquit, spiritus, charitas est. ac deinde cætera tanquam ex isto capite exorta et religata contexuit, quæ sunt, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas.

Lectio ix.

QUIS autem bene gaudet, qui bonum non diligit unde gaudet? Quis pacem veram, nisi cum illo potest habere, quem veraciter diligit? Quis est longanimis in bono opere perseveranter manendo, nisi ferveat diligendo? Quis est benignus, nisi diligat, cui opitulatur? Quis bonus, nisi diligendo efficiatur? Quis salubriter fidelis, nisi ea fide, quæ per dilectionem operatur? Quis utiliter mansuetus, cui non dilectio moderetur? Quis ab eo continet unde turpatur, nisi diligat unde honestatur? Merito itaque magister bonus dilectionem sic sæpe commendat, tanquam sola præcipienda sit, sine qua non possunt prodesse cætera bona, et quæ non potest haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus.

Die 31. In Vigilia

OMNIUM SANCTORUM.

Homilia Adverte omnia diligenter,

Digitized by Google

de Com. Plur. Mart. 2. loco p. 37. cum ôô. de Feria occ.*

In Laud. Preces flexis genibus.

Oratio.

DOMINE Deus noster, multiplica super nos gratiam tuam, et quorum prævenimus gloriosa solemnia, tribue subsequi in sancta professione lætitiam. Per.

FESTA NOVEMBRIS.

Prima die non impedita dicitur officium Defunctorum.

Die 1. Omnium Sanctor.

Duplex i. classis.

Ad I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. Psalmi de Dom. loco ult. Laudate Dominum omnes gentes.

HYMNUS.

PLACARE, Christe, servulis,
Quibus Patris clementiam
Tuæ ad tribunal gratiæ
Patrona Virgo postulat.

Et vos beata per novem
Distincta gyros agmina,
Antiqua cum præsentibus,
Futura damna pellite.

Apostoli cum Vatibus,
Apud severum Judicem,
Veris reorum fletibus
Exposcite indulgentiam.

Vos purpurati Martyres,
Vos candidati præmio
Confessiouis, exules
Vocate nos in patriam.

Chorea casta Virginum,
Et quos eremus incolas
Transmisit astris, Cœlitum
Locate nos in sedibus.

Auferte gentem perfidam
Credentium de finibus;
Ut unus omnes unicum
Ovili nos Pastor regat.

Deo Patri sit gloria,
Natoque Patris Unico,
Sancto simul Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Lætamini in Domino, et exultate, justi. ℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Ad Magnific. Ant. Angeli, Archangeli, Throni et Dominationes, Principatus et Potestates, Virtutes cælorum, Cherubim atque Seraphim, Patriarchæ et Prophetæ, sancti legis Doctores, Apostoli, omnes Christi Martyres, sancti Confessores, Virgines Domini, Anachoritæ, Sanctique omnes, intercedite pro nobis.

Oratio ut inf. in Laud.

Ad Matutinum.

Invit. Regem regum Dominum, venite, adoremus, * Quia ipse est corona Sanctorum omnium.

Hymnus Placare, *ut supra.*

IN 1. NOCTURNO.

Ant. Novit Dominus viam justorum, qui in lege ejus meditantur die ac nocte.

Psalm. Beatus vir, *p.* 2.

Ant. Mirificavit Dominus Sanctos suos, et exaudivit eos clamantes ad se.

Psalm. Cum invocarem, p. 101.

Ant. Admirabile est nomen tuum, Domine, quia gloria et honore coronasti Sanctos tuos, et constituisti eos super opera manuum tuarum.

Psalm. Domine Dominus, *p.* 4.

℣. Lætamini in Domino, et exultate justi. ℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Ex libro Apocalypsis beati Joannis Apostoli.

Lectio j. Cap. 4.

ET ecce sedes posita erat in cœlo, et supra sedem sedens. Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis jaspidis et sardinis: et iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ. Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor; et super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronæ aureæ. Et de throno procedebant fulgura, et voces, et tonitrua: et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei. Et in con-

Digitized by Google

spectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo; et in medio sedis, et in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante et retro. Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti. Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas; et in circuitu, et intus plena sunt oculis: et requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est. ℣. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum: et plena erat omnis terra majestate ejus, * Et ea, quæ sub ipso erant, replebant templum. ℣. Seraphim stabant super illud; sex alæ uni, et sex alæ alteri. Et.

Lectio ij. Cap. 5.

ET vidi in dextera sedentis supra thronum, librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem. Et vidi Angelum fortem prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus? Et nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre eum. Et unus de senioribus dixit mihi: Ne fleveris: ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum et solvere septem signacula ejus. Et vidi: et ecce in medio throni et quatuor animalium, et in medio seniorum, Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, et oculos septem: qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram. Et venit, et accepit de dextera sedentis in throno librum. Et cum aperuisset librum, quatuor animalia et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.

℣. Beata es, virgo Maria, Dei Genitrix, quæ credidisti Domino, perfecta sunt in te quæ dicta sunt tibi: ecce exaltata es super choros Angelorum: * Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. ℣. Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum. Intercede.

Lectio iij.

ET cantabant canticum novum dicentes: Dignus es, Domine accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum et Sacerdotes, et regnabimus super terram. Et vidi, et audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum: et erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, et super terram, et sub terra, et quæ sunt in mari, et quæ in eo, omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, et Agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum. Et quatuor animalia dicebant: Amen. Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, et adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, * Et adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo, Domine ℣. Super misericordia tua, et veritate tua: quoniam magnificasti super nos nomen sanctum tuum. Et. Gloria. Et.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Domine, qui operati sunt justitiam, habitabunt in tabernaculo tuo, et requiescent in monte sancto tuo.

Psalm. Domine quis, *p.* 7.

Digitized by Google

Ant. Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob.

Psalm. Domini est terra, *p.* 21.

Ant. Lætamini in Domino, et exultate, justi, et gloriamini, omnes recti corde.

Psalm. Beati quorum, *p.* 34.

℣. Exultent justi in conspectu Dei. ℟. Et delectentur in lætitia.

Sermo ven. Bedæ Presbyteri.

Serm. 18. de Sanctis.

Lectio iv.

HODIE, dilectissimi, omnium sanctorum sub una solemnitatis lætitia celebramus festivitatem, quorum societate cœlum exultat, quorum patrociniis terra lætatur, triumphis Ecclesia sancta coronatur, quorum confessio quanto in passione fortior, tanto est clarior in honore, quia dum crevit pugna, crevit et pugnantium gloria, et martyrii triumphos multiplici passionum genere adornatur, perque graviora tormenta, graviora fuere et præmia; dum Catholica mater Ecclesia, quæ per totum orbem longe lateque diffusa est, in ipso capite suo Christo Jesu edocta est contumelias, cruces et mortem non timere, magis magisque roborata, non resistendo, sed perferendo, universis, quos agmine inclyto carcer pœnalis inclusit, pari et simili calore virtutis ad gerendum certamen, gloriam triumphalem inspiravit.

℟. Præcursor Domini venit de quo ipse testatur: * Nullus major inter natos mulierum Joanne Baptista. ℣. Hic est Propheta, et plus quam Propheta, de quo Salvator ait. Nullus.

Lectio v.

O Vere beata mater Ecclesia; quam sic honor divinæ dignationis illuminat, quam vincentium gloriosus Martyrum sanguis exornat, quam inviolatæ confessionis candida induit virginitas. Floribus ejus nec rosæ, nec lilia desunt. Certent nunc, charissimi, singuli, ut ad utrosque honores amplissimam accipiant dignitatem, coronas vel de virginitate candidas, vel de passione purpureas. In cœlestibus castris pax et acies habent flores suos, quibus milites Christi coronantur.

℟. Isti sunt qui viventes in carne, plantaverunt Ecclesiam sanguine suo:* Calicem Domini biberunt, et amici Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Calicem.

Lectio vj.

DEI enim ineffabilis et immensa bonitas etiam hoc providit, ut laborum quidem tempus et agonis non extenderet, nec longum faceret, aut æternum, sed breve, et ut ita dicam, momentaneum, ut in hac brevi et exigua vita agones essent et labores; in illa vero quæ æterna est, coronæ et præmia meritorum: ut labores quidem cito finirentur, meritorum vero præmia sine fine durarent: ut post hujus mundi tenebras visuri essent candidissimam lucem, et accepturi majorem passionum cunctarum acerbitatibus beatitudinem, testante hoc idem Apostolo, ubi ait: Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

℟. Sancti mei, qui in carne positi, certamen habuistis, * Mercedem laboris ego reddam vobis. ℣. Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum. Mercedem. Gloria. Mercedem.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum; ecce oculi Domini super justos, et aures ejus ad preces eorum.

Psalm. Benedicam, *p.* 33.

Ant. Domine spes Sanctorum, et turris fortitudinis eorum, dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum, et habitabunt in tabernaculo tuo in sæcula.

Psalm. 60. Exaudi Deus, p. 52.

Ant. Qui diligitis Dominum, lætamini in Domino, et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

Digitized by Google

Psalm. Dominus regnavit, p. 72.

℣. Justi autem in perpetuum vivent. ℟. Et apud Dominum est merces eorum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo tempore: Videns Jesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Lib. 1. de Serm. Domini.

SI quæritur quid significet mons, bene intelligitur significare majora præcepta justitiæ, quia minora erant, quæ Judæis data sunt. Unus tamen Deus per sanctos Prophetas et famulos suos, secundum ordinatissimam distributionem temporum, dedit minora præcepta populo, quem adhuc timore alligari oportebat; et per Filium suum majora populo, quem charitate jam liberari convenerat. Cum autem minora minoribus, majora majoribus dantur, ab eo dantur, qui solus novit congruentem suis temporibus generi humano exhibere medicinam.

℟. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis. ℣. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et.

Lectio viij.

NEC mirum est quod dantur præcepta majora propter regnum cœlorum, et minora data sunt propter regnum terrenum, ab eodem uno Deo, qui fecit cœlum et terram. De hac ergo justitia, quæ major est, per Prophetam dicitur: Justitia tua sicut montes Dei. Et hoc bene significat, quod ab uno magistro, solo docendis tantis rebus idoneo, docetur in monte. Sedens autem docet, quod pertinet ad dignitatem magisterii. Et accedunt ad eum discipuli ejus, ut audiendis illius verbis hi essent etiam corpore viciniores, qui præceptis adimplendis etiam animo propinquabant. Et aperiens os suum docebat eos, dicens. Ista circumlocutio, qua scribitur. Et aperiens os suum, fortassis ipsa mora commendat aliquanto longiorem futurum esse sermonem. Nisi forte non vacet, quod nunc eum dictum est aperuisse os suum, quod ipse in lege veteri aperire soleret ora Prophetarum.

℟. Media nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exite obviam ei. ℣. Prudentes virgines, aptate vestras lampades. Ecce. Gloria. Ecce.

Lectio ix.

QUID ergo dicit? Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Legimus scriptum de appetitione rerum temporalium: Omnis vanitas, et præsumptio spiritus. Præsumptio autem spiritus audaciam et superbiam significat. Vulgo etiam magnos spiritus superbi habere dicuntur; et recte, quandoquidem spiritus etiam ventus vocatur. Unde scriptum est: Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum. Quis vero nesciat, superbos inflatos dici, tanquam vento distentos? Unde est etiam illud Apostoli: Scientia inflat, charitas vero ædificat. Quapropter recte hic intelliguntur pauperes spiritu, humiles et timentes Deum, id est, non habentes inflantem spiritum.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Vidi turbam magnam, * quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, stantes ante thronum.

2. Et omnes Angeli * stabant in circuito throni, et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum.

3. Redemisti nos, * Domine Deus, in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum.

Digitized by Google

4. Benedicite Dominum, * omnes electi ejus, agite dies lætitiæ, et confitemini illi.

℣. Hymnus omnibus * Sanctis ejus, filiis Israel, populo appropinquanti sibi: gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.

Capitulum Apoc. 7.

ECCE ego Joannes vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi: et clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ et mari, dicens: Nolite nocere terræ, et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.

HYMNUS.

SALUTIS æternæ Dator
Jesu, redemptis subveni:
Virgo parens clementiæ,
Dona salutem servulis.

Vos Angelorum millia,
Patrumque cætus, agmina
Canora Vatum, vos reis
Precamini indulgentiam.

Baptista Christi prævius,
Summique cœli Claviger,
Cum cæteris Apostolis,
Nexus resolvant criminum.

Cohors triumphans martyrum,
Almus Sacerdotum chorus,
Et Virginalis castitas
Nostros reatus abluant.

Quicumque in alta siderum
Regnatis aula, Principes,
Favete votis supplicum,
Qui dona cœli flagitant.

Virtus, honor, laus, gloria
Deo patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito
In sæculorum sæcula. Amen.

℣. Exultabunt Sancti in gloria. ℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Ad Bened. Ant. Te gloriosus Apostolorum chorus, te Prophetarum laudabilis numerus, te Martyrum candidatus laudat exercitus, te omnes Sancti et electi voce confitentur unanimes, beata Trinitas, unus Deus.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorum merita sub una tribuisti celebritate venerari, quæsumus, ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam, multiplicatis intercessoribus, largiaris. Per Dominum.

Ad Tertiam.

Capit. Ecce ego Joannes.

℟. *br.* Lætamini in Domino, * Et exultate, justi. Lætamini. ℣. Et gloriamini omnes recti corde. Et. Gloria. Lætamini. ℣. Exulteut justi in conspectu Dei. ℟. Et delectentur in lætitia.

Ad Sextam.

Capitulum Apoc. 7.

POST hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum Dei, in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum.

℟. *br.* Exultent justi * In conspectu Dei. Exultent. ℣. Et delectentur in lætitia. In. Gloria. Exultent. ℣. Justi autem in perpetuum vivent. ℟. Et apud Dominum est merces eorum.

Ad Nonam.

Capitulum Apoc. 7.

BENEDICTIO, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.

℟. *br.* Justi autem * In perpetuum vivent. Justi. ℣. Et apud Dominum est merces eorum. In. Gloria. Justi. ℣. Exultabunt sancti in gloria. ℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

In II. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. Psalmi de Dom. loco ult. Credidi, p. 88.

Hymnus ut in I. Vesperis.

℣. Exultabunt sancti in gloria. ℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Ad Magnif. Ant. O quam gloriosum est regnum, in quo cum Chri-

Digitized by Google

sto gaudent omnes Sancti! amicti stolis albis sequuntur Agnum quocumque ierit.

Dicto Benedicamus Domino, *dicuntur Vesp. Defunct. incipiendo ab Ant.* Placebo, *quæ integra dicitur ante et post Psalmum, similiter et aliæ Ant. ad modum Duplicis. Psalmus* Dilexi, *et reliqua omnia, ut in Vesp. Defunct. infra*, p. 113* *excepto Psalmo* Lauda anima, *qui non dicitur post* Pater noster; *sed dicitur tantum Oratio* Fidelium, *cum sua longiori conclusione, et suis.* ℟.

Si prima dies post Festum omnium Sanctorum fuerit Dominica, fit Officium de ea, et Officium Defunct. transfertur in ij. *Feriam seq., ita ut post Vesp. Dom. dicantur Vesp. Defunct.; Matutinum vero post Laudes Feriæ* ij, *quæ erit tertia dies infra Oct.*

Die 3. Secunda

Infra Oct. omnium Sanctorum.

Lect. I. Noct. de script. occur.

IN II. NOCTURNO.

De Sermone ven. Bedæ Presbyteri.

Serm. 18. de Sanctis.

Lectio iv.

QUAM lavo sinu de prælio reverteutes civitas cœlestis excipit, de hoste prostrato trophæa ferentibus occurrit! Cum triumphantibus viris et feminæ veniunt, quæ cum sæculo sexum quoque vicerunt, et geminata gloria militiæ, virgines cum pueris teneros annos virtutibus transeuntes: sed et cætera fidelium turba aulæ perpetuæ regiam intrabit, qui sinceritatem fidei inconcussis præceptorum cœlestium disciplinis unita pace observaverunt.

Lectio v.

ERGO agite nunc, fratres, aggrediamur iter vitæ, revertamur ad civitatem cœlestem, in qua scripti sumus, et cives decreti. Non sumus hospites, sed cives Sanctorum et domestici Dei, etiam illius hæredes, cohæredes autem Christi. Hujus nobis urbis januas aperiet fortitudo, et fiducia latum præbebit ingressum. Consideremus ergo inclytam urbis illius felicitatem, in quantum considerare possibile est: ut enim vere est, comprehendere nullus sermo sufficit.

Lectio vj.

DICITUR de ea in quodam loco sic: Quod aufugiet ibi dolor, et tristitia, et gemitus. Quid hac vita beatius, ubi non est paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas? Nemo lædetur, irascetur nemo; nemo invidet, cupiditas nulla exardescit, nullum ibi desiderium honoris pulsat, aut potestatis ambitio. Nullus ibi diaboli metus, insidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul: mors neque corporis neque animæ erit, sed immortalitatis munere vita jucunda.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo tempore: Videns Jesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

De Homilia S. Augustini Episcopi.

Ex lib. I. de Serm. Domini.

NEC aliunde omnino incipere oportuit beatitudinem, quam a paupertate spiritus, siquidem perventura est ad summam sapientiam. Initium autem sapientiæ timor Domini, quoniam et e contrario, Initium omnis peccati superbia scribitur. Superbi autem eppetunt, et diligunt regna terrarum. Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram. Illam credo terram, de qua in psalmo dicitur: Spes mea es tu, portio mea in terra viventium. Significat enim quamdam soliditatem et stabilitatem hæreditatis perpetuæ, ubi anima per bonum affectum, tanquam loco suo requiescit, sicut corpus in terra; et inde cibo suo alitur, sicut corpus ex terra: ipsa est requies, et vita sau-

Digitized by Google

giorum. Mites autem sunt, qui cedunt improbitatibus, et non resistunt malo, sed vincunt in bono malum.

Lectio viij.

BEATI lugentes, quoniam ipsi consolabuntur. Luctus est tristitia de amissione charorum: conversi autem ad Deum, ea quæ in hoc mundo chara amplectebantur, amittunt. Non enim gaudent his rebus, quibus ante gaudebant; et donec fiat in illis amor æternorum, nonnulla mœstitia sauciantur. Consolabuntur ergo Spiritu sancto, qui maxime propterea Paraclitus nominatur, id est consolator: ut temporalia amittentes, æterna lætitia perfruantur.

Lectio ix.

BEATI qui esuriunt, et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Jam istos amatores dicit veri et inconcussi boni. Illo ergo cibo saturabuntur, de quo ipse Dominus, dicit: Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei, quod est justitia: et illa aqua, de qua quisquis biberit, ut idem dicit, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus. Beatos esse dicit, qui subveniunt miseris: quod eis ita rependitur, ut de miseria liberentur.

Post Laudes diei, dicto Benedicamus Domino, *absolute incipitur Matutinum Defunctorum*, p. 114*. *ab Invit. cum Psalmo* Venite exultemus *et tribus Noct., in quibus duplicantur Ant. Dicitur* ℣. iæ. Libera me Domine de morte.

Ad Laudes similiter duplicantur Ant., et in fine Laudum non dicitur Psalm. De profundis, *sed dicto* Pater noster, *dicuntur Preces et Oratio* Fidelium Deus, *tantum, ut supra in Vesperis.*

Die 3. Tertia

Infra Oct. omnium Sanctorum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO

De Sermone ven. Bedæ Presbyteri

Ex Serm. 18. de Sanctis.

Lectio iv.

NULLA erit tunc usquam discordia, sed cuncta consona, cuncta convenientia, quia omnium erit Sanctorum una concordia; pax cuncta et lætitia continet. Tranquilla sunt omnia et quieta, jugis splendor, non iste qui nunc est, sed tanto clarior, quanto felicior: quia civitas, ut legitur, illa non egebit lumine solis, sed Dominus omnipotens illuminabit eam, et lucerna ejus est Agnus. Ibi Sancti fulgebunt ut stellæ in perpetuas æternitates, et sicut splendor firmamenti, qui erudiunt multos.

Lectio v.

QUAPROPTER nox ibi nulla: nullæ tenebræ, concursus nubium nullus, nec frigoris, aut ardoris asperitas ulla: sed talis quædam erit rerum temperies, qualem nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, nisi illorum, qui ea perfrui digni inveniuntur, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, qui et laverunt stolas suas in sanguine Agni, et sunt ante sedem Dei, serviuntque ei die ac nocte. Non est senectus ibi, nec senectutis miseria: dum omnes occurrunt in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Lectio vj.

VERUM super hæc omnia est, consociari Angelorum et Archangelorum cœtibus; Thronis etiam et Dominationibus, Principatibus et Potestatibus, omniumque cælestium supernarum Virtutum contuberniis perfrui, et intueri agmina Sanctorum splendidius sideribus micantia, Patriarcharum fide fulgentia, Prophetarum spe lætantia, Apostolorum in duodecim tribubus Israel orbem judicantia, Martyrum purpureis victoriæ coronis lucentia, Virginum quoque choros candentia serta gestantes inspicere.

Digitized by Google

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo tempore: Videns Jesus turbas ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

De Homilia S. Augustini Episcopi.
Lib. 1. *de Serm. Domini.*

BEATI mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quam ergo stulti sunt, qui Deum istis exterioribus oculis quærunt, cum corde videatur, sicut alibi scriptum est: Et in simplicitate cordis quærite illum. Hoc est enim mundum cor, quod est simplex cor. Et quemadmodum lumen hoc videri non potest, nisi oculis mundis: ita nec Deus videtur, nisi mundum sit illud, quo videri potest. Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur. In pace perfectio est, ubi nihil repugnat; et ideo filii Dei pacifici, quoniam nihil in his resistit Deo; et utique filii similitudinem patris habere debent.

Lectio viij.

PACIFICI autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, et subjicientes rationi, id est, menti et spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordinata omnia, ut id, quod est in homine præcipuum et excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis bestiisque communia; atque idipsum quod excellit in homine, id est, mens et ratio, subjiciatur potiori, quod est ipsa Veritas, unigenitus Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se ipse subjiciat. Et hæc est pax, quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis: hæc vita consummati perfectique sapientis.

Lectio ix.

DE hujusmodi regno pacatissimo et ordinatissimo missus est foras princeps hujus sæculi, qui perversis inordinatisque dominatur. Hac pace intrinsecus constituta atque firmata, quascumque persecutiones ille, qui foras missus est, forinsecus concitaverit, auget gloriam, quæ secundum Deum est, non aliquid in illo ædificio labefactans, sed deficientibus machinis suis innotescere faciens, quanta firmitas intus extructa sit. Ideo sequitur: Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Vesperæ de sequenti.

Die 4. S. Caroli, Ep. C.

Duplex.
Oratio.

ECCLESIAM tuam, Domine, sancti Caroli Confessoris tui atque Pontificis continua protectione custodi, ut sicut illum pastoralis sollicitudo gloriosum reddidit, ita nos ejus intercessio in tuo semper faciat amore ferventes Per Dominum.

Et fit comm. Oct. et SS. Vitalis et Agricolæ Martyrum.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui sanctorum Martyrum tuorum Vitalis et Agricolæ solemnia colimus, eorum apud te intercessionibus adjuvemur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CAROLUS, Mediolani nobili Borromæorum familia natus, quanta futurus esset sanctitate conspicuus, divina lux super parientis matris cubiculum noctu coruscans præsignavit. A pueritia clericali militiæ adscriptus, Abbatia postmodum insignitus, patrem admonuit, ne reditus in rem familiarem converterentur. Quorum ipse nactus administrationem, quidquid supererat, expendebat in pauperes. Adolescens liberalibus disciplinis Papiæ operam dedit. Castitatem adeo coluit, ut impudicas eti-

Digitized by Google

am mulieres, ad labefactandam ejus pudicitiam pluries immissas, invicta constantia fugaverit. Vigesimum tertium ætatis annum agens, a Pio Quarto ejus avunculo in sacrum Cardinalium collegium cooptatus, insigni pietatis ac virtutum omnium splendore præluxit. Mox ab eodem Mediolanensis Archiepiscopus creatus, in eo plurimam operam adhibuit, ut juxta sacrosanctum Tridentinum Concilium, quod ejus potissimum sollicitudine jam tum fuerat absolutum, Ecclesiam sibi commissam componeret: atque ut depravatos plebis suæ mores reformaret, præter iteratam sæpius Synodorum celebrationem, seipsum eximiæ sanctitatis præbuit exemplar. In profligandis hæreticis e partibus Rhætorum et Helvetiorum, quorum plurimos ad Christianam fidem convertit, maxime laboravit.

Lectio iv.

HUJUS viri charitas præcipue enituit, cum, Uritano principatu vendito, pretium universum ad quadraginta aureorum millia una die in pauperes erogavit. Nec minore pietate viginti millia, quæ sibi fuerant legata, distribuit. Ecclesiasticos proventus, quibus ab avunculo copiose fuerat cumulatus, dimisit, nonnullis retentis, quibus ad proprios usus, et egenorum necessitates utebatur. Quo tempore pestis Mediolani grassabatur, domesticam supellectilem, ne relicto sibi lectulo, in eosdem aleudos contulit, super nuda in posterum tabula decumbens: eoque morbo laborantes sedulo invisens, paterno reficiebat affectu, et Ecclesiæ Sacramenta propriis ipse manibus administrans, mirum in modum solabatur: humillimis interim precibus reconciliator accedens, publica supplicatione indicta, fune sibi ad collum alligato, nudis pedibus etiam offendiculo cruentatis, crucem bajulans, semetipsum pro peccatis populi hostiam offerens, divinam indignationem avertere satagebat. Ecclesiasticæ libertatis fuit acerrimus propugnator. Disciplinæ vero restituendæ sollicitus, a seditiosis, dum orationi insisteret, tormenti bellici laxata rota, igneo globulo percussus, divina virtute servatur illæsus.

Lectio vj.

ABSTINENTIA fuit admirabili: jejunabat sæpissime pane tantum et aqua, solis quandoque lupinis contentus. Nocturnis vigiliis, asperrimo cilicio, assiduis flagellis corpus domabat. Humilitatis ac mansuetudinis studiosissimus fuit. Orationem, ac verbi Dei prædicationem, gravissimis licet curis occupatus, nunquam intermisit. Multas Ecclesias, monasteria, collegia ædificavit: plura scripsit, ad Episcoporum præsertim instructionem utilissima: cujus etiam opera Parochorum Catechismus prodiit. Demum in solitudinem Varalli montis, ubi sculptis imaginibus Dominicæ passionis mysteria ad vivum repræsentantur, secessit: ibique diebus aliquot voluntaria castigatione asperam, sed Christi dolorum meditationibus suavem vitam ducens, in febrim incidit. Mediolanum reversus, ingravescente morbo, cinere ac cilicio coopertus, et oculis in Crucifixi imaginem defixis, migravit in cælum, ætatis anno quadragesimo septimo, Domini vero millesimo quingentesimo octogesimo quarto, tertio Nonas Novembris. Quem miraculis clarum Paulus Quintus Pontifex Maximus in Sanctorum numerum retulit.

In III. Noct. Homilia Lectio sancti Evangelii, *de com.* 1. *loco.*

Pro SS. Martyribus.

Lectio ix.

VITALIS, et Agricola ejus Dominus, in persecutione Diocletiani et Maximiani, Bononiæ ob Jesu Christi prædicationem comprehensi sunt, cumque Vitalis, quo magis precibus et minis tentaretur ut sententiam mutaret, eo magis se Christi cultorem ac servum profiteretur, vario tormentorum genere cruciatus,

Digitized by Google

constanter omnia perferens, in oratione spiritum Deo reddidit. Agricola vero, cum ejus supplicium dilatum esset, si forte tormentis servi permotus, Christo vellet renuntiare, ejus exemplo magis confirmatus est. Itaque cruci affixus, Vitali servo consors et socius fuit nobilis martyrii. Eorum corpora ad Judæorum sepulchra cum essent humata, a sancto Ambrosio inventa, in sacrum celebremque locum translata sunt.

In Laud. fit. comm. Octavæ.
Deinde SS. Vitalis et Agricolæ.
Ant. Vestri capilli. ℣. Exultent.
In II. Vesp. comm. Octavæ.

Die 5. Quinta

Infra Oct. Omnium Sanctorum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

De sermone ven. Bedæ Presbyteri.

Sermone 18. de Sanctis.
Lectio iv.

AD hanc igitur operum salutarium delectet nos pervenire palmam. Libenter ac prompte certemus omnes in agone justitiæ, Deo et Christo spectante, curramus: et qui sæculo et mundo majores esse jam cœpimus, cursum nostrum nulla sæculi cupiditate tardemus. Si expeditos, si celeres in operis agone currentes dies nos ultimus invenerit, nusquam Dominus meritis nostris deerit remunerator.

Lectio v.

QUI coronam in persecutione purpuream pro passione donabit, ipse in pace vincentibus pro justitiæ meritis dabit et candidam. Nam nec Abraham, nec Isaac nec Jacob occisi sunt, et tamen fidei et justitiæ meritis honorati inter Patriarchas primi esse meruerunt: ad quorum congregatur convivium quisquis fidelis et justus, et laudabilis invenitur. Memores esse debemus voluntatem non nostram, sed Dei facere debere, quia qui fecerit ejus voluntatem, manet in æternum, quo modo et ille manet in æternum.

Lectio vj.

QUAPROPTER, charissimi mente integra, fide firma, virtute robusta, charitate perfecta, parati ad omnem voluntatem Dei simus, conservantes fortiter Dominica mandata, in simplicitate innocentiam, in charitate concordiam, modestiam in humilitate, diligentiam in administratione, vigilantiam in adjuvandis laborantibus, misericordiam in fovendis pauperibus, in defendenda veritate constantiam, in disciplinæ severitate censuram, ne aliquid ad exemplum bonorum factorum desit in nobis. Hæc sunt enim vestigia, quæ nobis Sancti quique revertentes in patriam reliquerunt, ut illorum semitis inhærentes, sequeremur et gaudia.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo tempore: Videns Jesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.
Lib. I. de Sermone Domini.

ITAQUE in hoc tertio gradu, in quo scientia est, lugeter amissio summi boni, quia inhæretur extremis. In quarto autem gradu labor est, ubi vehementer incumbitur, ut sese animus avellat ab eis, quibus pestifera dulcedine innexus est. Hic ergo esuritur et sititur justitia, et multum necessaria est fortitudo, quia non relinquitur sine dolore, quod cum delectatione retinetur. Quinto autem gradu perseverantibus in labore datur evadendi consilium, quia nisi quisque adjuvetur a superiore, nullo modo sibi est idoneus, ut sese tantis miseriarum implicamentis expediat. Est autem justum consilium, ut qui se a potentiori adjuvari vult,

Digitized by Google

adjuvet et infirmiorem, in quo est ipse potentior. Itaque beati misericordes, quia ipsorum miserebitur Deus.

Lectio viij.

SEXTO gradu est cordis munditia de bona conscientia bonorum operum valens ad contemplandum summum illud bonum, quod solo puro et sereno intellectu cerni potest. Postremo est septima ipsa sapientia, id est, contemplatio veritatis, pacificans totum hominem, et suscipiens similitudinem Dei, quæ ita concluditur: Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur. Octava tanquam ad caput redit, quia consummatum perfectumque ostendit et probat. Itaque in prima et in octava nominatum est regnum cœlorum; Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; et Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Lectio ix.

CUM jam dicitur: Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Septem sunt ergo quæ perficiunt: nam octava clarificat, et quod perfectum est, demonstrat; ut per hos gradus perficiantur et ceteri, tamquam a capite rursum exordiens. Videtur ergo mihi etiam septiformis operatio Spiritus sancti, de qua Isaias loquitur, his gradibus sententiisque congruere. Sed interest ordinis: nam ibi enumeratio ab excellentioribus cœpit, hic vero ab inferioribus. Ibi namque incipit a sapientia Dei, et desinit ad timorem Dei: sed initium sapientiæ timor Domini est.

Die 6. Sexta

Infra Oct. Omnium Sanctorum.
Lectio 1. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Bernardi Abbatis.
Serm. 2. de festo omnium Sanct.

Lectio iv.

QUIA Sanctorum omnium festivam hodie, dilectissimi omniquo dignissimam devotione memoriam celebramus, operæ pretium puto de communi eorum felicitate, in qua beata jam requie perfruuntur, et futura, quam præstolantur, consummatione, adjuvante Spiritu sancto, sermonem facere charitati vestræ. Fidelis quippe sermo, et omni acceptioni dignus, et quos solemni veneratione prosequimur, etiam simili conversatione sequamur quos beatissimos prædicamus, ad eorum beatitudinem tota aviditate curramus; quorum delectamur præconiis, sublevemur eorum patrociniis.

Lectio v.

AD quid ergo Sanctis laus nostra? ad quid glorificatio nostra? ad quid nostra hæc ipsa solemnitas? Quo eis terrenos honores, quos juxta veracem Filii promissionem honorificat Pater cœlestis? Quo eis præconia nostra? Pleni sunt. Prorsus ita est, dilectissimi, honorum nostrorum Sancti non egent, nec quidquam eis nostra devotione præstatur. Plane, quod eorum memoriam veneramur, nostra interest, non ipsorum. Vultis scire quantum interest nostra? Ego in me (fateor) ex hac recordatione sentio desiderium vehemens inflammari, et desiderium triplex.

Lectio vj.

VULGO dicitur: Quod non videt oculus, cor non dolet. Oculus meus, memoria mea: et cogitare de Sanctis, quodammodo eos videre est. Sic nempe portio nostra in terra viventium; nec modica sane portio, si tamen, ut decet, memoriam affectio comitetur: sic, inquam, conversatio nostra in cœlis est. Verumtamen non sic nostra, sicut illorum. Ipsorum enim substantia ibi est, nostra autem desideria: ipsi per præsentiam, nos per memoriam ibi sumus.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Digitized by Google

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo tempore : Videns Jesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Lib. 1. *de Serm. Domini*

QUAPROPTER, si gradatim tanquam ascendentes numeremus, primus ibi est timor Dei, secunda pietas, tertia scientia, quarto fortitudo, quintum consilium, sextus intellectus, septima sapientia. Timor Dei congruit humilibus, de quibus hic dicitur : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; id est, non inflati, non superbi, de quibus Apostolus dicit : Noli altum sapere, sed time ; id est, noli extolli. Pietas congruit mitibus. Qui enim pie quærit, honorat sanctam Scripturam, et non reprehendit quod nondum intelligit, et propterea non resistit, quod est mitem esse. Unde hic dicitur: Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram.

Lectio viij.

SCIENTIA congruit lugentibus, qui jam cognoverunt in Scripturis, quibus malis vincti teneantur, quæ tamquam bona et utilia ignorantes appetierunt ; de quibus hic dicitur : Beati qui lugent nunc. Fortitudo congruit esurientibus, et sitientibus. Laborant enim desiderantes gaudium de veris bonis, et amorem a terrenis et corporalibus avertere cupientes ; de quibus hic dicitur : Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam. Consilium congruit misericordibus : hoc enim unum remedium est de tantis malis evadendi, ut dimittamus, sicut nobis dimitti volumus ; et adjuvemus in quo possumus, alios; sicut et nos, in quo non possumus, cupimus adjuvari ; de quibus hic dicitur : Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus.

Lectio ix.

INTELLECTUS congruit mundis corde, tanquam purgato oculo, quo cerni possit quod corporeus oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit ; de quibus hic dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Sapientia congruit pacificis, in quibus jam ordinata sunt omnia, nullusque motus adversus rationem rebellis est, sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cum et ipse obtemperet Deo, de quibus hic dicitur: Beati pacifici. Unum autem præmium, quod est regnum cœlorum, pro his gradibus varie nominatum est.

Die 7. Septima.

Infra Oct. Omnium Sanctorum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Lectio iv. Serm. de Mart.

QUI Sanctorum merita religiosa charitate miratur, quique justorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores sanctos atque justitiam imitetur ; quoniam quem delectat sancti alicujus meritum, delectare debet par circa cultum Dei obsequium. Quare aut imitari debet, si laudat ; aut laudare non debet, si imitari detrectat : ut qui alium laudat, laudabilem se reddat, et qui Sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse vitæ sanctitate reddatur. Nam si propterea justos fidelesque diligimus, quod in ipsis justitiam fidemque suspicimus, possumus nos quoque esse quod sunt, si faciamus ipsi quod faciunt.

Lectio v.

NEQUE enim difficile nobis est, quod ab ipsis geritur, imitari, cum sine præcedenti exemplo ab antiquis talia gesta conspicimus ; ut non ipsi aliorum æmuli redderentur, sed æmulandæ virtutis seipsos nobis præberent exemplum, ut dum nos

Digitized by Google

ex ipsis, et ex nobis alii proficiunt, sic Christus in suis semper servis in Ecclesia sancta laudetur. Unde ab origine mundi innocens Abel occiditur, Enoc Deo placens transfertur, justus Noe invenitur, Abraham fidelis probatur Moyses mansuetus dignoscitur, Jesus castus, David lenis, Elias acceptus, Daniel Sanctus, tres pauri victores redduntur.

Lectio vj.

APOSTOLI discipuli Christi, credentium magistri habentur: e quibus eruditi Confessores fortissimi pugnant, Martyres perfecti triumphant, et Christiani semper exercitus diabolum Deo armati debellant. In istis semper pares virtutes, dissimiles pugnæ, gloriosæ victoriæ. Unde tu, Christiane, delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce; pactum, quod spopondisti: conditionem, qua accessisti: militiam, cui nomen dedisti.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo tempore: Videns Jesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi

Ex lib. i. *de Serm. Domini.*

IN primo gradu, sicut oportebat, positum est regnum cœlorum quod est perfectæ summæque sapientiæ animæ rationalis. Sic itaque dictum est: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: tanquam diceretur: Initium sapientiæ timor Domini. Mitibus hæreditas data est, tanquam testamentum patris cum pietate quærentibus. Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram. Lugentibus consolatio, tanquam scientibus quid amiserint, et quibus mersi sunt. Beati qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur. Esurientibus et sitientibus saturitas, tanquam refectio laborantibus, fortiterque certantibus ad salutem. Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

Lectio viij.

MISERICORDIBUS misericordia, tanquam vero et optimo consilio utentibus, ut hoc eis exhibeatur a potentiore, quod invalidioribus ipsi exhibent. Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus. Mundis corde facultas est videndi Deum, tanquam purum oculum ad intelligenda æterna gerentibus. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Pacificis Dei similitudo est, tanquam perfecte sapientibus, formatisque ad imaginem Dei per regenerationem renovati hominis. Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur. Et ista quidem in hac vita possunt compleri, sicut completa esse in Apostolis credimus. Nam illa omnimoda, et in Angelicam formam mutatio, quæ post hanc vitam promittitur, nullis verbis exponi potest.

Lectio ix.

BEATI ergo qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Hæc octava sententia, quæ ad caput redit, perfectumque hominem declarat, significatur fortasse et circumcisione octava die in veteri testamento, et Domini resurrectione post sabbatum, qui est utique octavus, idemque primus dies; et celebratione octavarum feriarum, quas in regeneratione novi hominis celebramus: et numero ipso Pentecostes: nam septenario numero septies multiplicato, quo fiunt quadraginta novem, quasi octavus additur, ut quinquaginta compleantur. Et tanquam redeatur ad caput, quo die missus est Spiritus sanctus, eo in regnum cœlorum

Digitized by Google

ducimur, et hæreditatem accipimus, et consolamur, et pascimur, et misericordiam consequimur, et mundamur, et pacificamur. Atque ita perfecti omnes extrinsecas illatas molestias pro veritate et justitia sustinemus.

Ad Vesperas, Duplex Omnia ut in die Festi, cum commemor. SS. Mart. Quatuor Coronatorum.

Ant. Istorum. ℣. Exultabunt.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui gloriosos Martyres fortes in sua confessione cognovimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum.

Die 8. Octava

Omnium Sanctorum. *Duplex.*

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro S. Cypriani Episcopi et Martyris de mortalitate.

Lectio iv.

CONSIDERANDUM est, fratres dilectissimi, et identidem cogitandum, renuntiasse nos mundo, et tanquam hospites et peregrinos hic interim degere. Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos istinc ereptos, et laqueis sæcularibus exsolutos, paradiso restituit, et regno cœlesti. Quis non peregre constitutus properaret in patriam regredi? Quis non ad suos navigare festinans, ventum prosperum cupidius optaret, ut velociter charos liceret amplecti?

Lectio v.

PATRIAM nostram paradisum computamus, parentes Patriarchas habere jam cœpimus: quid non properamus et currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos et copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, et adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum conspectum et complexum venire, quanta et illis et nobis in commune lætitia est! Qualis illic cœlestium regnorum voluptas sine timore moriendi, et cum æternitate vivendi! quam summa et perpetua felicitas!

Lectio vj.

ILLIC Apostolorum gloriosus chorus, illic Prophetarum exultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis et passionis victoriam coronatus. Triumphantes illic Virgines, quæ concupiscentiam carnis et corporis continentiæ robore subegerunt. Remunerati misericordes, qui alimentis et largitionibus pauperum, justitiæ opera fecerunt, qui Dominica præcepta servantes, ad cœlestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos, fratres dilectissimi, avida cupiditate properemus, et cum hic cito esse, ut cito ad Christum venire contingat, optemus.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo tempore: Videns Jesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi. Ex lib. I. de Serm. Domini.

BEATI eritis, inquit, cum vobis maledicent, et persequentur vos, et dicent omne malum adversum vos, mentientes, propter me: gaudete, et exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis. Animadvertat quisquis delicias hujus sæculi, et facultates rerum temporalium quærit in nomine Christiano, intrinsecus esse beatitudinem nostram, sicut de anima Ecclesiastica ore prophetico dicitur: Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus. Nam extrinsecus maledicta, et

Digitized by Google

persecutiones, et detractiones promittuntur: de quibus tamen magna merces est in cœlis, quæ sentitur in corde patientium, eorum qui jam possunt dicere: Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem; probatio vero spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Lectio viij.

NON enim ista perpeti fructuosum est, sed ista pro Christi nomine non solum æquo animo, sed etiam cum exultatione tolerare. Nam multi hæretici nomine Christiano animas decipientes, multa talia patiuntur: sed ideo excluduntur ab ista mercede, quia non dictum est tantum: Beati qui persecutionem patiuntur; sed additum est, Propter justitiam. Ubi autem sana fides non est, non potest esse justitia: quia justus ex fide vivit. Neque schismatici aliquid sibi ex ista mercede promittant, quia similiter, ubi charitas non est, non potest esse justitia. Dilectio enim proximi malum non operatur: quam si haberent, non dilaniarent corpus Christi, quod est Ecclesia.

Pro SS. Martyribus.

Lectio ix.

SEVERUS, Severianus, Carpophorus, et Victorinus fratres, in persecutione Diocletiani deorum cultum libere detestantes, plumbatis cæsi, in verberibus vitam pro Christi nomine profuderunt. Quorum corpora canibus objecta, cum ab illis intacta diu fuissent, sublata a Christianis, via Lavicana tertio ab Urbe lapide, in arenaria sepeliuntur prope sepulchrum sanctorum martyrum Claudii, Nicostrati, Symphoriani, Castorii, et Symplicii, qui, eodem Imperatore, passi erant, quod, cum essent summi sculptores, nullo modo adduci potuerant, ut idolorum statuas facerent, et ad solis simulacrum ducti ut illud venerarentur, nunquam commissuros se dixerunt, ut adorarent opera manuum hominum. Quamobrem in carcerem conjecti, cum ibi multos dies in eodem proposito perstitissent, primum scorpionibus cæsi, deinde vivi plumbeis loculis inclusi, in flumen dejiciuntur. Extat in Urbe Ecclesia sub nomine sanctorum Quatuor Coronatorum, quorum diu ignota nomina divinitus postea patefacta sunt: ubi non solum illorum Quatuor, sed etiam horum quinque Martyrum corpora honorifice sepulta sunt, et eorum festivitas sexto Idus Novembris celebratur.

In Laud. pro comm. SS. Mart. Ant. Vestri capilli. ℣. Lætamini.

Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 9. In Dedicatione

BASILICÆ SALVATORIS. *Duplex.*

In I. Vesp. fit comm. Oct. omnium Sanctorum et S. Theodori Martyris.

Oratio.

DEUS, qui nos beati Theodori Martyris tui confessione gloriosa circumdas et protegis, præsta nobis ex ejus imitatione proficere, et oratione fulciri. Per.

IN I. NOCTURNO.

De libro Apocalypsis beati Joannis Apostoli.

Lectio j. Cap. 21.

ET venit unus de septem Angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis, et locutus est mecum, dicens: Veni, et ostendam tibi sponsam, uxorem Agni. Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cœlo a Deo, habentem claritatem Dei, et lumen ejus simile lapidi pretioso, tanquam lapidi jaspidis, sicut crystallum.

Lectio ij.

ET habebat murum magnum, et altum, habentem portas duode-

Digitized by Google

cim : et in portis Angelos duodecim : et nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel. Ab Oriente portæ tres, et ab Aquilone portæ tres, et ab Austro portæ tres, et ab Occasu portæ tres. Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni. Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur civitatem, et portas ejus, et murum.

Lectio iij.

ET civitas in quadro posita est, et longitudo ejus tanta est, quanta et latitudo : et mensus est civitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia : et longitudo, et altitudo, et latitudo ejus æqualia sunt. et mensus est murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum mensura hominis, quæ est Angeli. Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide: ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro mundo.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

RITUS, quos in consecrandis Ecclesiis et altaribus Romana servat Ecclesia, beatus Silvester Papa primus instituit. Nam etsi jam ab Apostolorum tempore loca fuerunt Deo dicata, quæ a quibusdam Oratoria, ab aliis Ecclesiæ dicebantur, ubi collectæ fiebant per unam sabbati, et Christianus populus orare, Dei verbum audire, et Eucharistiam sumere solitus erat : non tamen illa adeo solemni ritu consecrabantur, nec in eis adhuc in titulum erectum erat altare, quod chrismate delibutum, Domini nostri Jesu Christi, qui altare, hostia, et sacerdos noster est, figuram exprimeret.

Lectio v.

SED ubi Constantinus Imperator, per baptismi sacramentum sanitatem salutemque consecutus est, tum primum lege ab eo lata concessum est toto orbe terrarum, Christiani ut Ecclesias ædificarent : quos ille non solum edicto, sed etiam exemplo ad sacram ædificationem est cohortatus. Nam et in suo Lateranensi palatio Ecclesiam Salvatori dedicavit, et ei continentem Basilicam nomine sancti Joannis Baptistæ condidit, eo loco, quo ipse baptizatus a sancto Silvestro, a lepra mundatus est : quam idem Pontifex consecravit quinto Idus Novembris : cujus consecrationis memoria celebratur hodierno die, quo primum Romæ publice Ecclesia consecrata est, et imago Salvatoris in pariete depicta populo Romano apparuit.

Lectio vj.

QUOD si beatus Silvester postea in consecratione altaris Principis Apostolorum decrevit, ut deinceps nisi ex lapide altaria non ædificarentur, tamen Basilicæ Lateranensis altare fuit e ligno erectum, quod mirum non est. Nam cum a sancto Petro usque ad Silvestrum, propter persecutiones, Pontifices certo loco consistere non possent, quocumque eos necessitas compulisset, sive in cryptas, sive in cœmeteria, sive in ædes piorum, super illo altari ligneo ad arcæ similitudinem concavo, sacra faciebant. Quo altari sanctus Silvester, reddita Ecclesiæ pace, honoris causa Principis Apostolorum, qui in illo sacrificasse dicitur, et reliquorum Pontificum, qui usque ad id tempus ad mysteria conficienda eo usi fuerant, in Lateranensi prima Ecclesia collocato, sancivit ne quisquam in eo, præter Romanum Pontificem, Missam deinceps celebraret. Eamdem Ecclesiam incendiis, vastationibus, terræ insuper motibus disjectam, eversamque, ac sedula Summorum Pontificum cura reparatam, nova postmodum molitione restitutam, Benedictus Decimus tertius Pontifex Maximus Ordinis Prædicatorum die vigesima octava Aprilis anni millesimi septingentesimi vigesimi sexti, ritu solemni consecravit, ejusque celebritatis memoriam hac die recolendam statuit.

In III. Noct. Homilia Zachæus statura pusillus, *de Communi.*

Pro S. Theodoro Martyre.
Lectio IX.

THEODORUS, miles Christianus, Maximiano Imperatore, quod idolorum fanum incendisset, comprehensus, cum a Præfecto legionis pœna ei remitteretur, si pœnitens facti Christianam fidem execraretur, constanter in fidei confessione perseverans, missus est in carcerem: ubi ungulis excarnificatus, dum costæ nudarentur, lætus canebat: Benedicam Dominum in omni tempore. Quare in ardentem rogum injectus, in oratione et divinis laudibus animam Christo reddidit, quinto Idus Novembris. Cujus corpus Eusebia matrona sindone involutum sepelivit in suo prædio.

In Laud. fit comm. S. Mart.
Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 10. S. Andreæ Avell.

Confessoris. *Duplex.*
Oratio.

DEUS, qui in corde beati Andreæ Confessoris tui, per arduum quotidie in virtutibus proficiendi votum, admirabiles ad te ascensiones disposuisti, concede nobis ipsius meritis et intercessione, ita ejusdem gratiæ participes fieri, ut perfectiora semper exequentes ad gloriæ tuæ fastigium feliciter perducamur. Per Dominum.

Et fit comm. præc. et SS. Mart. Tryphonis, Respicii, et Nymphæ.
Oratio.

FAC nos, quæsumus, Domine, sanctorum Martyrum tuorum Tryphonis, Respicii, et Nymphæ semper festa sectari, quorum suffragiis protectionis tuæ dona sentiamus. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.
Lectio IV.

ANDREAS Avellinus, dictus antea Laucellotus, apud Castrum Novum Lucaniæ pagum natus, inter ipsa infantiæ primordia futuræ sanctitatis non obscura præbuit indicia. Adolescens ad litteras addiscendas paterna e domo egressus, lubricam illius ætatis semitam inter bonarum artium studia ita peregit, ut sapientiæ initium, quod est timor Domini, ob oculos potissimum habere nunquam prætermiserit. Cum egregia proinde forma eximium castitatis studium conjunxit, quo impudicas sæpe mulierum insidias elusit, interdum etiam apertam vim propulsavit. Clericali militiæ jampridem adscriptus Neapolim se contulit, ut legalibus disciplinis vacaret, ibique jurisprudentiæ lauream adeptus, atque interea ad sacerdotalem dignitatem evectus, causarum patrocinia in foro dumtaxat Ecclesiastico proque privatis quibusdam personis juxta sacrorum Canonum sanctiones agere cœpit. Verum cum aliquando inter causam agendam leve ei mendacium excidisset, mox vero fortuita sacrarum Scripturarum lectione in illa verba incidisset: os quod mentitur, occidit animam; tanto ejus culpæ dolore, ac pœnitentia correptus est, ut statim ab ejusmodi vitæ instituto sibi, recedendum esse duxerit. Itaque, abdicatis forensibus curis, se totum divino cultui, sacrisque ministeriis mancipavit. Cumque Ecclesiasticæ virtutis exemplis emineret, sanctimonialium regimini a tunc existente Archiepiscopo Neapolitano præfectus fuit. Quo in munere cum pravorum hominum odia subisset, primo quidem intentatæ sibi necis periculum declinavit; mox vero per sicarium tribus in facie acceptis vulneribus, injuriæ atrocitatem æquo animo pertulit. Tunc perfectioris vitæ desiderio flagrans, ut inter Clericos Regulares adscriberetur suppliciter postulavit, votique compos factus, ob ingentem, quo æstuabat, crucis amorem, ut sibi Andreæ nomen imponeretur precibus impetravit.

Digitized by Google

Lectio v.

ARCTIORIS itaque vitæ curriculum alacri studio ingressus, in eas maxime virtutis exercitationes incubuit, ad quas sese arduis etiam emissis votis obstrinxit, altero scilicet suæ ipsius voluntati jugiter obsistendi, altero vero in via Christianæ perfectionis semper ulterius progrediendi. Regularis disciplinæ cultor assiduus, et in ea promovenda, cum aliis præesset, studiosissimus fuit. Quidquid ab instituti sui officii, e regulæ præscripto supererat temporis, orationi et animarum saluti tribuebat. In confessionibus excipiendis mira ejus pietas et prudentia enituit, vicos et oppida Neapoli finitima Evangelicis ministeriis magno cum animarum lucro frequens lustrabat. Quam ardentem erga proximos sancti viri charitatem signis etiam Dominus illustravit. Cum enim intempesta nocte ab audita ægri confessione domum rediret, ac pluviæ ventorumque vis prælucentem facem extinxisset, non solum ipse cum sociis inter effusissimos imbres nihil madefactus est, verum etiam, inusitato splendore e suo corpore mirabiliter emicante, sociis inter densissimas tenebras iter monstravit. Abstinentia, et patientia, necnon abjectione, atque odio sui summopere præstitit. Necem fratris filio illatam imperturbato animo tulit, ac suos ab omni ulciscendi cupiditate comnescuit, imo etiam pro imterfectoribus opem et misericordiam judicum imploravit.

Lectio vj.

PLURIBUS in locis Clericorum Regularium Ordinem propagavit, eorumque domicilia Mediolani et Placentiæ instituit. Illius operam sanctus Carolus Borromeus, et Paulus de Aretio clericus regularis, Cardinales, quibus erat acceptissimus, in pastoralis muneris curis adhibueruut. Delparam Virginem singulari amore et cultu prosequebatur. Angelorum colloquio perfrui meruit, quos cum divinas laudes persolveret, e regione concinentes se audisse testatus est. Denique post heroica virtutum exempla, prophetiæ quoque dono illustris, quo et secreta cordium, et absentia, et futura prospexit, annis gravis, et laboribus fractus, ad aram celebraturus, in verbis illis tertio repetitis: Introibo ad altare Dei; repentino apoplexiæ morbo correptus est; mox Sacramentis rite munitus, placidissime inter suos animam efflavit. Ejus corpus Neapoli in Ecclesia sancti Pauli ad hæc usque tempora eo frequentissimo populi concursu colitur, quo fuit elatum. Illum denique insignibus in vita et post mortem miraculis clarum Clemens Undecimus Pontifex Maximus solemni ritu Sanctorum catalogo adscripsit.

In III. Noct. Homilia Sancti Evangelii fratres, *de comm.* 1. *loco.*

Pro SS. Martyribus.

Lectio ix.

TRYPHON, Decio Imperatore, cum Jesu Christi fidem prædicans omnes ad ejus cultum perducere conaretur, a Decii satellitibus comprehensus, primum equuleo torquetur, et ungulis ferreis excarnificatur: deinde sublimibus pedibus candentibus clavis confixus, fustibus cæditur, et admotis facibus ardentibus aduritur. Quæ cum omnia fortiter ferentem vidisset Respicius tribunus ad Christi Domini fidem conversus, statim se Christianum esse palam professus est. Qui varie cruciatus una cum Tryphone rapitur ad Jovis simulacrum: quæ statua, Tryphone orante, concidit. Quare plumbatis crudelissime contusi, nobilissimum martyrium consecuti sunt, quarto Idus Novembris. Eodem die virgo quædam, cui nomen Nympha, cum Jesum Christum verum esse Deum clara voce testaretur, martyrii palmam ad virginitatis coronam adjunxit.

In Laud. fit comm. SS. Mart.
Vesperæ a Capit. de sequenti.

Die 11. S. Martini,
Episc. et Conf. *Dupl.*

Ad Magnif. Ant. O beatum, *et Oratio ut infra in Laudibus.*

Et fit comm. præced. et S. Mennæ Mart. Oratio Præsta quæsumus... ut qui. *p.* 14*.

Ad Matutinum.

Invit. Laudemus Deum nostrum *. In confessione beati Martini.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit.

2. Sanctæ Trinitatis fidem Martinus confessus est, et baptismi gratiam percepit.

3. Ego signo crucis, non clypeo protectus, aut galea, hostium cuneos penetrabo securus.

Lect. I. Noct. Fidelis sermo.

℟. *j.* Hic est Martinus, electus Dei pontifex, cui Dominus post Apostolos tantam gratiam conferre dignatus est, * Ut in virtute Trinitatis Deiparæ mereretur fieri trium mortuorum suscitator magnificus, ℣. Sanctæ Trinitatis fidem Martinus confessus est. Ut.

℟. *ij.* Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso subire propter eos laborem: * Fiat voluntas tua. ℣. Oculis ac manibus in cœlum semper intentus invictum ab oratione spiritum non relaxabat Fiat.

℟. *iij.* O beatum virum Martinum Antistitem, * Qui nec mori timuit, nec vivere recusavit. ℣. Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: fiat voluntas tua. Qui. Gloria. Qui.

IN II. NOCTURNO

Ant. 1. Confido in Domino, quod filia mea precibus tuis reddenda sit sanitati.

2. Tetradius, cognita Dei virtute, ad baptismi gratiam pervenit.

3. O ineffabilem virum, per quem nobis tanta miracula coruscant!

Lectio iv.

MARTINUS, Sabariæ in Pannonia natus, cum decimum attigisset annum, invitis parentibus ad Ecclesiam confugiens, in catechumenorum numerum adscribi voluit. Quindecim annos natus in militiam profectus, primum in Constantii, deinde Juliani exercitu militavit. Qui cum nihil haberet præter arma, et vestimentum quo tegebatur, Ambiani, pauperi ac nudo ab eo petenti ut Christi nomine sibi eleemosynam tribueret, partem chlamydis dedit. Cui sequenti nocte Christus dimidiata illa veste indutus apparuit, hanc mittens vocem: Martinus catechumenus hac me veste contexit.

℟. Oculis ac manibus in cœlum semper intentus, * Invictum ab oratione spiritum non relaxabat. ℣. Dum Sacramenta offerret beatus Martinus, globus igneus apparuit super caput ejus. Invictum.

Lectio v.

DECEM et octo annos cum haberet, baptizatus est. Quare relicta militari vita, ad Hilarium Pictaviensem Episcopum se contulit, a quo in Acolythorum numerum redactus est. Post factus Episcopus Turonensis, monasterium ædificavit, ubi cum octoginta Monachis sanctissime aliquandiu vixit. Qui cum postea ad Candacensem vicum suæ Diœcesis in gravem febrim incidisset, assidua Deum oratione precabatur, ut se ex illo mortali carcere liberaret. Quem audientes discipuli, sic rogabant: cur nos, pater, deseris? cui nos miseros derelinquis? Quorum voce commotus Martinus, ita Deum orabat: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.

℟. Beatus Martinus obitum suum longe ante præscivit, dixitque fratribus, * Dissolutionem sui corporis imminere, quia judicabat se jam resolvi. ℣. Viribus corporis cœpit repente destitui, convocatisque discipulis dixit. Dissolutionem.

Lectio vj.

SED cum eum in illa vehementi febre supinum orantem viderent

discipuli, suppliciter ab eo petierunt, ut converso corpore, tantisper, dum remitteret morbi vis, pronus conquiesceret. Quibus Martinus: Sinite me, inquit, cœlum potius quam terram aspicere, ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur. Instante jam morte, viso humani generis hoste: Quid, inquit, adstas, cruenta bestia? nihil in me funesti reperies. Ea in voce, unum et octogesimum annos natus, animam Deo reddidit: quam Angelorum chorus excepit, eosque divinas canentes laudes multi, in primisque sanctus Severinus Coloniensis Episcopus, audierunt.

℟. Dixerunt discipuli ad beatum Martinum: Cur nos, pater, deseris, aut cui nos desolatos relinquis? * Invadent enim gregem tuum lupi rapaces. ℣. Scimus quidem desiderare te Christum, sed salva sunt tibi tua præmia; nostri potius miserere, quos deseris. Invadent. Gloria Invadent.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. Dominus Jesus Christus non purpuratum, aut diademate renitentem se venturum esse prædixit.

Psalmi ex III. Noct. Com. unius Martyris p. 18*.

2. Sacerdos Dei Martine, aperti sunt tibi cœli, et regnum Patris mei.

3. Sacerdos Dei Martine, pastor egregie, ora pro nobis Deum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nemo lucernam accendit, et in absconditо ponit, neque sub modio, sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 7. Comm. in Luc. c. 11.

QUIA in superioribus Ecclesiam Synagogæ prætulit, hortatur nos ut fidem potius nostram ad Ecclesiam transferamus. Lucerna enim fides est, juxta quod scriptum est: Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine. Verbum enim Dei, fides nostra est, verbum Dei lux est. Lucerna est fides. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Lucerna autem lucere non potest, nisi aliunde lumen acceperit.

℟. O beatum virum, in cujus transitu Sanctorum canit numerus, Angelorum exultat chorus, * Omniumque cœlestium Virtutum occurrit psallentium exercitus. ℣. Ecclesia virtute roboratur, sacerdotes Dei revelatione glorificantur, quem Michael assumpsit cum Angelis. Omniumque.

Lectio viij.

HÆC est lucerna quæ accenditur, virtus scilicet nostræ mentis et sensus, ut drachma illa possit, quæ perierat, reperiri. Nemo ergo fidem sub lege constituat. Lex enim intra mensuram est, ultra mensuram gratia; lex obumbrat, gratia clarificat. Et ideo nemo fidem suam intra mensuram legis includat, sed ad Ecclesiam conferat, in qua septiformis spiritus relucet gratia, quam princeps ille sacerdotum fulgore supernæ divinitatis illuminat, ne eam legis umbra restinguat. Denique lucerna illa, quam matutinis vespertinisque temporibus ritu veteri, Judæorum princeps sacerdotum solebat accendere, vel ut sub modio sita legis evanuit: et civitas illa Jerusalem, quæ in terris est, quæ occidit Prophetas, quasi in convalle fletus posita delitescit: illa autem Jerusalem quæ in cœlo est, in qua militat fides nostra, in illo altissimo omnium locata monte, hoc est, Christo, non potest tenebris et ruinis hujus mundi abscondi, sed fulgens candore solis æterni, luce nos gratiæ spiritalis illuminat.

℣. Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur, Martinus hic pauper et modicus * Cœlum dives ingreditur, hymnis cœlestibus honoratur. ℣. Mar-

Digitized by Google

tanus Episcopus migravit a sæculo, vivit in Christo gemma sacerdotum. Cœlum. Gloria. Cœlum.

Pro S. Menna Martyre.

Lectio IX.

MENNAS Ægyptius, Christianus miles, in persecutione Diocletiani et Maximiani imperatorum, cum pœnitentiæ causa in solitudinem secessisset, natali die imperatorum, quo populus celebri spectaculo tenebatur, in theatrum prosiliens, libera voce Gentilium superstionem insectabatur. Quamobrem comprehensus, et Pyrrho Præside, in metropoli Cottiensium Phrygiæ vinctus, loris crudeliter cæditur, deinde equuleo tortus, lampadibus ardentibus ad corpus admotis, plagisque cilicio confricatis, tum per tribulos et virgas ferreas manibus ac pedibus colligatis tractus, plumbatis etiam contusus, demum gladio interficitur, in ignemque conjicitur. Corpus inde a Christianis ereptum sepultum est, ac postea Constantinopolim translatum.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Dixerunt discipuli * ad beatum Martinum: Cur nos, pater, deseris, aut cui nos desolatos relinquis? invadent enim gregem tuum lupi rapaces.

2. Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.

3. O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum, qui nec mori timuit, nec vivere recusavit.

4. Oculis ac manibus in cœlum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat, allel.

5. Martinus Abrahæ sinu * lætus excipitur, Martinus hic pauper et modicus cœlum dives ingreditur, hymnis cœlestibus honoratur.

Ad Bened. Ant. O beatum virum, cujus anima paradisum possidet: unde exultant Angeli, lætantur Archangeli, chorus Sanctorum proclamat, turba Virginum invitat! Mane nobiscum in æternum.

Oratio.

DEUS, qui conspicis, quia ex nulla nostra virtute subsistimus, concede propitius, ut intercessione beati Martini Confessoris tui, atque Pontificis, contra omnia adversa muniamur. Per Dominum.

Et fit comm. S. Mennæ Mart.

In II. Vesp. Ant. de Laudibus.

Ad Magnif. Ant. O beatum Pontificem, qui totis visceribus diligebat Christum Regem, et non formidabat imperii principatum! o sanctissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit!

Deinde fit comm. sequentis.

Die 12 S. Mart. Pap. et M.

Semiduplex.

Oratio. Deus qui nos beati, p. 14*.

Lect. I. Nott. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

MARTINUS, Tuderti in Umbria natus, initio Pontificatus et litteris et legationibus missis operam dedit, ut Paulum Constantinopolitanum Patriarcham a nefaria hæresi ad Catholicæ fidei veritatem revocaret. Qui Constante Imperatore hæretico fretus, eo amentiæ progressus fuerat, ut Sedis Apostolicæ Legatos varie in insulas relegarit. Quo ejus scelere commotus Pontifex, coacto Romæ Concilio centum quinque Episcoporum eum condemnavit.

Lectio V.

QUÆ causa fuit Constanti mittendi in Italiam Olympium Exarchum, ut Martinum Pontificem interficiendum, aut ad se perducendum curaret. Igitur Olympius Romam veniens, lictori mandat ut Pontificem, dum in Basilica sanctæ Mariæ ad Præsepe Missarum solemnia celebraret, occideret. Quod ubi lictor aggreditur, cæcus repente factus est.

Digitized by Google

Lectio vj.

CONSTANTI autem Imperatori ex eo tempore multæ calamitates inciderunt: quibus nihilo melior factus, Theodorum Calliopam ad Urbem mittens, imperat ut Pontifici manus injiciat. A quo per fraudem captus Martinus, et Constantinopolim perductus, deinde in Chersonesum relegatus, ibi ob Catholicam fidem ærumnis confectus, pridie Idus Novembris cessit e vita, clarus miraculis. Cujus corpus Romam postea translatum, in Ecclesia conditum est, quæ sanctorum Silvestri et Martini nomine dedicata erat. Præfuit Ecclesiæ annos sex, mensem unum, dies viginti sex. Habuit Ordinationes duas mense Decembri, quibus creavit Presbyteros undecim, Diaconos quinque Episcopos per diversa loca triginta tres.

In III. Noct. Homilia. Si consideremus fratres, *de Com. I. loco.*

℟. viij. Domine prævenisti.

Vesperæ a Cap. de sequenti.

Die 13. S. Didaci,

Confessoris. *Semiduplex.*

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui dispositione mirabili infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas, concede propitius humilitati nostræ, ut piis beati Didaci Confessoris tui precibus, ad perennem in cœlis gloriam sublimari mereamur. Per Dominum.

Et fit comm. præcedentis.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

DIDACUS Hispanus ex oppido sancti Nicolai de Portu diœcesis Hispalensis, ab ineunte ætate, pii sub Sacerdotis disciplina sanctioris vitæ, solitaria in Ecclesia, tirocinium exercuit. Deinde ut firmius Deo se conjungeret, in conventu de Arizzafa Fratrum Minorum (quos Observantes vocant) sancti Francisci regulam in statu laicali professus est. Magna ibi alacritate humilis obedientiæ, et regularis observantiæ jugum subiens, contemplationi in primis deditus, mira Dei luce perfundebatur, adeo ut de rebus cœlestibus, litterarum expers, mirandum in modum, et plane divinitus loqueretur.

Lectio v.

CANARIIS in insulis, ubi fratribus sui Ordinis præfuit, multa perpessus, martyrii æstuans desiderio, plures infideles verbo et exemplo ad Christi fidem convertit. Romam veniens anno Jubilæi, Nicolao Quinto Pontifice, ægrotorum curæ in conventu Aræ cœli destinatus, eo charitatis affectu munus hoc exercuit, ut, Urbe annonæ inopia laborante, ægrotis tamen, quorum aliquando ulcera etiam lambendo absergebat, nihil penitus necessarii defecerit. Eximia quoque fides, et gratia curationum in eo eluxit, cum lampadis, quæ collucebat ante imaginem beatissimæ Dei Genitricis, quam summa devotione colebat, oleo ægros inungens, signo crucis impresso, multorum morbos mirabiliter sanaverit.

Lectio vj.

DEMUM Compluti finem sibi vitæ adesse intelligens, lacera et obsoleta indutus tunica, conjectis in crucem oculis, singulari devotione illis verbis ex sacro hymno pronuntiatis: Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera, quæ fuisti digna portare Regem cœlorum, et Dominum; animam Deo reddidit, pridie Idus Novembris, anno Domini supra millesimum quadringentesimo sexagesimo tertio. Ejus corpus cum menses non paucos (ut pio confluentium desiderio fieret satis) insepultum mansisset, quasi jam incorruptionem induerit, odorem suavissimum efflavit. Illum multis et illustribus miraculis clarum Sixtus Quintus Pontifex Maximus Sanctorum numero adscripsit.

In III. Noct. Homilia Pusillum

Digitized by Google

gregem, *de Com. 2. loco*, p. 60*.

Die 15. S. Gertrudis,

Virginis *Duplex.*

Oratio.

DEUS, qui in corde beatæ Gertrudis Virginis jucundam tibi mansionem præparasti, ipsius meritis et intercessione, cordis nostri maculas clementer absterge, et ejusdem tribue gaudere consortio. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

GERTRUDIS Islebii in Saxonia nobili genere nata, quinquennis in monasterio Rodardensi Ordinis sancti Benedicti, virginitatem suam ac seipsam Jesu Christo obtulit. Quo ex tempore a mundanis rebus prorsus aliena, virtutique sedulo intenta, cœlestis vitæ genus instituit. Ad humaniorum litterarum notitiam rerum divinarum cognitionem adjunxit. Quarum meditatione vehementius ad virtutem incensa, brevi Christianam perfectionem adepta est. De Christo, ejusque vitæ mysteriis sæpenumero pio cum animi sensu loquebatur, unamque Dei gloriam cogitans, ad illam vota sua omnia et actiones referebat. Quamvis autem multis eximiis naturæ et gratiæ donis a Deo aucta esset, ita tamen sibi ipsa vilescebat, ut inter præcipua divinæ bonitatis miracula hoc item memoraret, quod se indignissimam misericorditer sustineret.

Lectio v.

TRIGESIMUM ætatis annum agens, primum Rodardensis monasterii, ubi religiosam vitam est professa, deinde Elpediani Præses electa, quadraginta annorum spatio ea charitate, prudentia, et regularis disciplinæ studio munus obivit, ut cœnobium religiosæ perfectionis domicilium videretur. Utrobique vero licet esset omnium mater et magistra, omnium tamen minima haberi volebat, ac demissione pari ministram se exhibebat. Quo liberius Deo vacaret, vigiliis, abstinentia, aliisque cruciatibus corpus afflixit: semperque sui similis, morum innocentiam, mansuetudinem, ac patientiam prætulit singularem. Proximorum saluti omni ope studuit, piæque curæ copiosum fructum retulit. Divini amoris vi frequentes patiebatur extases, altissimæque contemplationis, et divinæ unionis donum obtinuit.

Lectio vj.

UT meritum acceptissimæ sibisponsæ Christus ostenderet, in corde Gertrudis jucundam sibi esse mansionem testatus est. Deiparam Virginem veluti matrem, et curatricem a Jesu acceptam pietate præcipua prosequebatur, ab eaque multa accepit beneficia. Erga divinissimum Eucharistiæ Sacramentum, et passionem Domini tanto amore cum grati animi sensu afficiebatur, ut interdum uberibus lacrymis perfunderetur. Justorum animas piacularibus flammis addictas quotidianis subsidiis et precibus juvabat. Multa ad confovendam pietatem scripsit. Divinarum etiam revelationum, et prophetiæ dono claruit. Denique flagrantissimo Dei amore potius, quam morbo languescens, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo vita decessit. Miraculis vivens et post mortem a Deo illustrata est.

In III. Noct. Homilia Sæpe vos fratres, *de Com. I. loco.*

Die 17 S. Gregorii Thaum.

Episc. et Conf. *Semiduplex.*

Oratio Da quæsumus, *p.* 39*.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

GREGORIUS, Neocæsareæ Ponti Episcopus, sanctitate doctrinaque illustris, signis vero ac miraculis multo illustrior, quorum multitudine atque præstantia Thaumaturgus appellatus est, et sancti Basilii testimonio cum Moyse, Prophetis, et Apostolis comparatus, montem, qui

Digitized by Google

Ecclesiæ ædificationem impediebat, oratione alio transtulit. Item paludem, inter fratres causam discordiarum, exsiccavit. Lycum fluvium perniciose agros inundantem, defixo ad ripam, quo sustentabatur, baculo, qui statim virentem crevit in arborem, coercuit, ut postea ultra eum terminum non effluxerit.

Lectio v.

SÆPISSIME dæmones ex idolorum simulacris, atque ex hominum corporibus ejecit : multaque alia mirabiliter effecit, quibus innumerabiles homines traxit ad Jesu Christi fidem, cum etiam prophetico spiritu futura prædiceret. Qui migraturus e vita, cum quæsisset quot in civitate Neocæsariensi reliqui essent infideles, responsumque esset tantum esse septendecim, Deo gratias agens, Totidem, inquit, erant fideles, cum cepi Episcopatum. Plura scripsit, quibus etiam, non solum miraculis, Dei Ecclesiam illustravit.

Lectio vi. Beati Patris *de Com. 2. loco, p.* 47* *cum* ℟. vi.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo tempore : Respondens Jesus discipulis suis, ait illis : Habete fidem Dei. Amen dico vobis quia quicumque dixerit huic monti : Tollere, et mittere in mare, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. Et reliqua.

Homilia ven. Bedæ Presbyteri.

Lib. 3. Comm. in Marc. c. 11.

SOLENT Gentiles, qui contra Ecclesiam maledicta scripsere, improperare nostris, quod non habuerint plenam fidem Dei, quia nunquam montes transferre potuerint. Quibus respondendum est non omnia scripta esse, quæ in Ecclesia sunt gesta, sicut etiam de factis ipsius Christi et Domini nostri Scriptura testatur. Unde et hoc quoque fieri potuisset, ut mons ablatus de terra mitteretur in mare, si necessitas id fieri poposcisset. Quo modo legimus factum precibus beati patris Gregorii Neocæsareæ Ponti Antistitis, viri meritis et virtutibus eximii, ut mons in terra tantum loco cederet, quantum incolæ civitatis opus habebant.

Lectio viij.

CUM enim volens ædificare Ecclesiam in loco apto, videret eum angustiorem esse, quam res exigebat, eo quod ex una parte rupe maris, ex alia monte proximo coarctaretur, venit nocte ad locum, et genibus flexis admonuit Dominum promissionis suæ, ut montem longius, juxta fidem petentis, ageret. Et mane facto, reverso invenit montem tantum spatii reliquisse structoribus Ecclesiæ, quantum opus habuerant. Poterat ergo hic, poterat alius quis ejusdem meriti vir, si opportunitas exegisset, impetrare a Domino, merito fidei, ut etiam mons tolleretur, et mitteretur in mare.

Lectio ix.

VERUM quia montis nomine nonnunquam diabolus significatur, videlicet propter superbiam, qua se contra Deum erigit, et esse vult similis Altissimo ; mons ad præceptum eorum, qui fortes fide sunt, tollitur de terra, et in mare projicitur, cum prædicantibus verbum doctoribus sanctis, immundus spiritus ab eorum corde repellitur, qui ad vitam sunt præordinati, et in turbulentis amarisque infidelium mentibus vesaniam suæ tyrannidis exercere permittitur.

Vesp. de seq. comm. præced.

Die 18. In Dedicatione

BASILICARUM SS. APOSTOLORUM Petri et Pauli. *Duplex.*

IN I. NOCTURNO.

De libro Apocalypsis beati Joannis Apostoli.

Lectio j. Cap. 21.

ET erat structura muri ejus ex lapide jaspide: ipsa vero civitas

ıtized by Google

aurum mundum simile vitro mundo. Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum, jaspis; secundum, sapphirus; tertium, chalcedonius; quartum, smaragdus; quintum, sardonyx; sextum, sardius; septimum, chrysolitus; octavum, beryllus; nonum, topazius; decimum, chrysoprasus; undecimum hyacinthus; duodecimum, amethystus.

Lectio ij.

ET duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt, per singulas: et singulæ portæ erant ex singulis margaritis, et platea civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum. Et templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus. Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus.

Lectio iij.

ET ambulabunt Gentes in lumine ejus, et reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam. Et portæ ejus non claudentur per diem: nox enim non erit illic. Et afferent gloriam et honorem Gentium in illam. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

EX locis sacris, qui olim apud Christianos venerationem habuerunt, illa celeberrima et frequentissima fuerunt, in quibus condita Sanctorum corpora, vel aliquod Martyrum vestigium aut monumentum esset. In quorum numero sanctorum locorum, in primis semper fuit insignis ea Vaticani pars, quam sancti Petri Confessionem appellabant. Nam eo Christiani ex omnibus orbis terræ partibus, tanquam ad fidei petram, et Ecclesiæ fundamentum convenientes locum principis Apostolorum sepulchro consecratum, summa religione ac pietate venerabantur.

Lectio v.

ILLUC Constantinus Magnus imperator octavo die post susceptum baptismum venit, depositoque diademate, et humi jacens, vim lacrymarum profudit: mox sumpto ligone ac bidente, terram eruit; indeque duodecim terræ cophinis, honoris causa duodecim Apostolorum, ablatis, ac loco Basilicæ Principis Apostolorum designato, Ecclesiam ædificavit. Quam sanctus Silvester Papa decimo quarto Kalendas Decembris, eo modo, quo Lateranensem Ecclesiam quinto Idus Novembris consecraverat, dedicavit: et in ea altare lapideum chrismate delibutum erexit, atque ex eo tempore sancivit, ne deinceps altaria, nisi ex lapide fierent. Eamdem Basilicam vetustate jampridem collabentem, ac propterea multorum Pontificum pietate latius ac magnificentius a fundamentis erectam, Urbanus Octavus eadem die recurrente anni millesimi sexcentesimi vigesimi sexti, solemni ritu consecravit.

Lectio vj.

IDEM beatus Silvester Basilicam sancti Pauli Apostoli via Ostiensi ab eodem Constantino Imperatore magnificentissime ædificatam dedicavit. Quas Basilicas Imperator multis prædiis attributis locupletavit, ac muneribus amplissimis exornavit. Cujus Imperatoris tantus fuit ardor religionis, ut deletis idolorum templis, multas ubique terrarum extruxerit Ecclesias, et præcipue Romæ: in quibus fuerunt Basilica sanctæ Crucis ad Jerusalem in agro Sessoriano, sancti Laurentii extra muros in agro Verano, sanctorum Petri et Marcellini via Lavicana, aliæque permultæ.

In III. Noct. Homilia Si veraciter sapientes, *ut in die* 4. *infra Oct. Dedic.* p. 87*.

Vesp. a Capit. de sequentis.

Digitized by Google

Die 19 S. Elisabeth,

Viduæ. *Duplex. Oratio.*

TUORUM corda fidelium, Deus miserator, illustra, et beatæ Elisabeth precibus gloriosis, fac nos prospera mundi despicere, et cœlesti semper consolatione gaudere. Per Dominum.

Comm. præced. et S. Pontiani Papæ et Mart. Orat. Infirmitatem, p. 14*.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ELISABETH Andreæ regis Hungariæ filia, ab infantia Deum timere cœpit, et crescens ætate, crevit etiam pietate. Ludovico Lantgravio Hassiæ et Thuringiæ in conjugem copulata, non minori cura quæ Dei quam quæ viri sui erant, exequebatur. Surgens enim nocturno tempore orationi diu incumbebat, ac variis misericordiæ officiis dedita, viduis, pupillis, ægrotis, egentibus sedulo inserviebat, gravique fame urgente, domus suæ frumenta liberaliter erogobat. Leprosos hospitio suscipiens, manus eorum et pedes osculabatur. Curandis autem et alendis pauperibus insigne xenodochium construxit.

Lectio v.

DEFUNCTO conjuge, ut Deo liberius serviret, depositis omnibus sæcularis gloriæ indumentis, vili tunica induta est, atque Ordinem Pœnitentium sancti Francisci ingressa, patientiæ et humilitatis virtute maxime enituit. Nam bonis omnibus exuta, a propriis ædibus ejecta, ab omnibus derelicta, contumelias, irrisiones, obtrectationes invicto animo toleravit, adeo ut summopere gauderet se talia pro Deo pati. Ad infima quæque ministeria erga pauperes et ægrotos se abjiciens, eis necessaria procurabat, solis oleribus et leguminibus pro suo victu contenta.

Lectio vj.

CUM vero in his, aliisque plurimis sanctis operibus vitam religiosissime transegisset, finis tandem suæ peregrinationis advenit, quem domesticis suis ante prædixit. Cumque defixis in cœlum oculis divinæ contemplationi vacaret, a Deo mirabiliter recreata, et Sacramentis refecta obdormivit in Domino. Statimque plurima ad ejus tumulum miracula patrata sunt. Quibus auditis, et rite probatis, Gregorius Nonus Sanctorum numero eam adscripsit.

In III. Noct. Homilia Cœlorum regnum fratres, *de Com.*

Pro S. Pontiano.

Lectio ix.

PONTIANUS Romanus præfuit Ecclesiæ, Alexandro Imperatore, qui sanctum Pontificem propter Christianæ fidei confessionem, in Sardiniam insulam cum Hippolyto presbytero relegavit. Ubi is pro Christi fide multis calamitatibus afflictus, decimo tertio Kalendas Decembris e vita migravit. Ejus corpus Fabiano Pontifice cum clero Romam delatum, in cœmeterio Callisti via Appia sepelitur. Sedit annos quatuor, menses quatuor, dies viginti quinque. Fecit Ordinationes duas mense Decembri, quibus creavit Presbyteros sex, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca sex.

In Laud. fit Com. S. Mart. Vesp. a Capit. de sequenti.

Die 20. S. Felicis Valesii.

Conf. *Duplex.* (m. t. v.)

Oratio.

DEUS, qui beatum Felicem Confessorem tuum ex eremo ad munus redimendi captivos cœlitus vocare dignatus es, præsta quæsumus, ut per gratiam tuam ex peccatorum nostrorum captivitate, ejus intercessione liberati, ad cœlestem patriam perducamur. Per Dominum.

Et fit comm. S. Elisabeth.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

FELIX, Hugo antea dictus, ex regali Valesiorum familia ortus in

itized by Google

Gallia, ab ineunte ætate non levia dedit futuræ sanctitatis indicia, præsertim misericordiæ erga pauperes. Nam adhuc infantulus manu propria, ac si grandior esset, et judicii maturitate polleret, nummos egenis distribuit. Jam grandiusculus solebat ex appositis in mensa dapibus ad ipsos mittere, et ferme eo, quod sapidius erat, obsonio pauperculos pueros recreabat. Adolescens non semel vestibus se spoliavit, ut inopes cooperiret. Ab avunculo Theobaldo Campaniæ et Blesii comite vitam reo mortis impetravit, prædicens hunc infamem, hactenus sicarium, mox sanctissimis præditum moribus evasurum: veridicum testimonium monstravit eventus.

Lectio v.

POST exactam laudabiliter adolescentiam, cœpit ex cœlestis contemplationis studio solitudinem cogitare: prius tamen voluit sacris initiari, ut omnem regni, a cujus successione jure legis Salicæ non longe distabat, spem sibi præcideret. Sacerdos factus, et prima Missa devotissime celebrata, non multo post in eremum secessit, ubi summa abstinentia victitans, cœlestium charismatum abundantia pascebatur. Ibi cum sancto Joanne de Matha Parisiensi doctore, a quo ex divina inspiratione quæsitus et inventus, per aliquot annos sanctissime vixit, donec ambo per Angelum a Deo admoniti Romam petierunt, specialem a Summo Pontifice vivendi regulam impetraturi. Facta igitur Innocentio Papæ Tertio inter Missarum solemnia revelatione Religionis et Instituti de redimendis captivis, ab ipso Pontifice simul cum socio candidis vestibus bicolori cruce signatis induitur, ad eam formam, qua Angelus indutus apparuit: et insuper voluit Pontifex, ut nova Religio juxta triplicem colorem, quo habitus constat, sanctissimæ Trinitatis titulo decoraretur.

Lectio vj.

REGULA propria ex summi Pontificis Innocentii confirmatione accepta, in diœcesi Meldensi, apud locum qui Cervus Frigidus dicitur, primum Ordinis paulo ante a se et socio extructum cœnobium ampliavit ubi religiosam observantiam, et Redemptionis institutum mirifice coluit, ac inde per alumnos in alias provincias diligentissime propagavit. Illustrem hic a beata Virgine matre favorem accepit; dormientibus siquidem cunctis fratribus, et ad matutinas preces in pervigilio Nativitatis Deiparæ media nocte recitandas, Deo sic disponente, non surgentibus, Felix de more vigilans, et horas præveniens, chorum ingressus reperit beatam Virginem in medio chori habitu cruce Ordinis insignito indutam, ac Cœlitibus similiter indutis sociatam: quibus permixtus Felix, præcinente Deipara, laudes divinas concinuit, riteque persolvit. Et quasi jam a terrestri ad cœlestem chorum evocaretur, instanti mortis ab Angelo certior factus, filios ad charitatem erga pauperes et captivos adhortans animam Deo reddidit, ætate ac meritis consummatus, anno post Christum natum ducentesimo duodecimo supra millesimum sub eodem Pontifice Innocentio Tertio.

In III. Noct. Homil. Pusillum gregem, *de Com. 2. loco*, p. 60*.

Vesperæ de sequenti.

Die 21. In Præsentatione

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Duplex Majus.

Omnia ut in Festis B. M. V. p. 92*.

In utrisque Vesp. ad Magnif. Ant. Beata Dei genitrix Maria, virgo perpetua, templum Domini, sacrarium Spiritus sancti, sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo, alleluia.

Oratio.

DEUS, qui beatam Mariam semper Virginem Spiritus sancti habitaculum, hodierna die in templo

Digitized by Google

præsentari voluisti, præsta quæsumus, ut ejus intercessione, in templo gloriæ tuæ præsentari mereamur. Per Dominum.

Deinde fit comm. S. Felicis.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro S. Joannis Damasceni de Fide orthodoxa.

Lectio iv. *Lib.* 4. c. 15.

JOACHIM lectissimam illam, ac summis laudibus dignam mulierem Annam matrimonio sibi copulavit. Verum quemadmodum prisca illa Anna, cum sterilitatis morbo laboraret, per orationem ac promissionem Samuelem procreavit; eodem modo hæc etiam per obsecrationem et promissionem, Dei Genitricem a Deo accepit, ut ne hic quoque cuiquam ex illustribus matronis cederet. Itaque gratia (nam hoc sonat Annæ vocabulum) Dominam parit (id enim Mariæ nomine significatur): vere etenim rerum omnium conditarum Domina facta est, cum Creatoris mater extitit. In lucem autem editur in domo probaticæ Joachim, atque ad templum adducitur: ac demum in domo Dei plantata, atque per Spiritum saginata, instar olivæ frugiferæ virtutum omnium domicilium efficitur: ut quæ videlicet ab omni hujusce vitæ et carnis concupiscentia mentem abstraxisset, atque ita virginem una cum corpore animam conservasset, ut eam decebat, quæ Deum sinu suo exceptura erat.

Ex libro S. Ambrosii Episcopi de Virginibus.

Lectio v. *Lib.* 3.

TALIS fuit Maria, ut ejus unius vita omnium sit disciplina. Si igitur auctor non displicet, opus probemus: ut quæcumque sibi ejus exoptat præmium, imitetur exemplum. Quantæ in una virgine species virtutum emicant! Secretum verecundiæ, vexillum fidei, devotionis obsequium, virgo intra domum, comes ad ministerium, mater ad templum. O quantis illa virginibus occurret! quantas complexa ad Dominum trahet, dicens: Hæc torum Filii mei, hæc thalamos nuptiales immaculato servavit pudore.

Lectio vj.

QUID ergo exequar ciborum parcimoniam, officiorum redundantiam? alterum ultra naturam superfuisse, alterum pene ipsi naturæ defuisse; illic nulla intermissa tempora, hic congeminatos jejunio dies. Et si quando reficiendi successiset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit: et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænuntiat.

In II. Vesp. fit comm. sequentis.

Die 22. S. Cæciliæ

Virg. et Mart. *Dupl.*

Ant. Est secretum, Valeriane, quod tibi volo dicere: Angelum Dei habeo amatorem, qui nimio zelo custodit corpus meum.

Oratio ut infra in Laudibus.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Cæcilia virgo Almachium superabat, Tiburtium et Valerianum ad coronas vocabat.

2. Expansis manibus orabat ad Dominum, ut eam eriperet de inimicis.

3. Cilicio Cæcilia membra domabat, Deum gemitibus exorabat.

Lect. I. Noct. de Virginibus.

℣. *j.* Cantantibus organis Cæcilia virgo in corde suo soli Domino decantabat, dicens: * Fiat, Domine, cor meum et corpus meum immaculatum, ut non confundar. ℣. Biduanis et triduanis jejuniis orans, commendabat Domino quod timebat. Fiat.

℣. *ij.* O beata Cæcilia, quæ duos fratres convertisti, Almachium judicem superasti, * Urbanum Episcopum in vultu Angelico demonstrasti! ℣. Quasi apis argumentosa Domino deservisti. Urbanum.

Digitized by Google

℟. iij. Virgo gloriosa semper Evangelium Christi gerebat in pectore, et non diebus neque noctibus vacabat * A colloquiis divinis et oratione. ℣. Expansis manibus orabat ad Dominum, et cor ejus igne cœlesti ardebat. A. Gloria. A.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. Domine Jesu Christe, seminator casti consilii, suscipe seminum fructus, quos in Cæcilia seminasti.

2. Beata Cæcilia dixit ad Tiburtium: Hodie te fateor meum cognatum, quia amor Dei te fecit esse contemptorem idolorum.

3. Fiat, Domine, cor meum et corpus meum immaculatum, ut non confundar.

Lectio iv.

CÆCILIA, virgo Romana, nobili genere nata, a prima ætate Christianæ fidei præceptis instituta, virginitatem suam Deo vovit. Sed cum postea contra suam voluntatem data esset in matrimonium Valeriano, prima nuptiarum nocte hunc cum eo sermonem habuit: Ego, Valeriane, in Angeli tutela sum, qui virginitatem meam custodit: quare ne quid in me committas, quo ira Dei in te concitetur. Quibus verbis commotus Valerianus, illam attingere non est ausus: quin etiam addidit, se in Christum crediturum, si eum Angelum videret. Cui Cæcilia cum sine baptismo negaret id fieri posse, incensus cupiditate videndi Angelum, se baptizari velle respondit. Quare hortatu virginis ad Urbanum Papam, qui propter persecutionem in Martyrum sepulchris via Appia latebat, veniens, ab eo baptizatur.

℟. Cilicio Cæcilia membra domabat, Deum gemitibus exorabat: * Tiburtium et Valerianum ad coronas vocabat. ℣. Hæc est virgo sapiens, et una de numero prudentum. Tiburtium.

Lectio v.

INDE ad Cæciliam reversus, orantem, et cum ea Angelum divino splendore fulgentem invenit. Quo aspectu obstupefactus, ut primum ex timore confirmatus est, Tiburtium fratrem suum accersit: qui a Cæcilia Christi fide imbutus, et ab eodem Urbano baptizatus, ipse etiam ejusdem Angeli, quem frater ejus viderat, aspectu dignatus est. Uterque autem paulo post, Almachio Præfecto, constanter martyrium subiit. Qui mox Cæciliam comprehendi imperat, ab eaque primum ubi Tiburtii et Valeriani facultates sint, exquirit.

℟. Cæciliam intra cubiculum orantem invenit, et juxta eam stantem Angelum Domini: ℣. Quem videns Valerianus, nimio terrore correptus est. ℣. Angelus Domini descendit de cœlo, et lumen refulsit in habitaculo. Quem.

Lectio vj.

CUI cum virgo omnia illorum pauperibus distributa esse respondisset, eo furore concitatus est, ut eam in ipsius ædes reductam, in balneo comburi jusserit. Quo in loco cum diem noctemque ita fuisset, ut ne flamma quidem illam attingeret, eo immissus est carnifex, qui ter securi ictam, cum caput abscindere non potuisset, semivivam reliquit. Illa triduo post, decimo Kalendas Decembris, Alexandro Imperatore, duplici virginitatis et martyrii palma decorata evolavit in cœlum. Cujus corpus ab ipso Urbano Papa in Callisti cœmeterio sepultum est, in ejus ædibus Ecclesia ipsius Cæciliæ nomine consecrata. Ejus, et Urbani ac Lucii Pontificum, Tiburtii, Valeriani, et Maximi corpora a Paschali Primo Pontifice inde translata in Urbem, in eadem sanctæ Cæciliæ Ecclesia condita sunt.

℟. Domine Jesu Christe, pastor bone, seminator casti consilii, suscipe seminum fructus, quos in Cæcilia seminasti. * Cæcilia famula tua quasi apis tibi argumentosa deservit. ℣. Nam sponsum, quem quasi leonem ferocem accepit, ad te quasi agnum mansuetissimum destinavit. Cæcilia. Gloria. Cæcilia.

Digitized by Google

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. Credimus Christum Filium Dei verum Deum esse, qui sibi talem elegit famulam.

2. Nos scientes sanctum nomen ejus, omnino negare non possumus.

3. Tunc Valerianus perrexit, et signo quod acceperat, invenit sanctum Urbanum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 25.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis paraboam hanc: Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homil. 79. *in Matth.*

QUAM ob causam in persona virginum hanc parabolam profert, nec qualemcumque personam sine discrimine subjicit? Magna quædam de virginitate disseruerat: dicens: Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum; et, Qui potest capere, capiat. Nec ignorabat de virginitate magnam esse vulgo existimationem, quippe cum sit ea res natura sublimis, quod inde patet, quia neque in veteri testamento a priscis illis sanctisque viris culta fuit, et in novo nulla legis necessitate jubetur: non enim id imperavit, sed fidelium voluntati permisit. Unde et Paulus ait: De virginibus autem præceptum Domini non habeo; et laudo quidem eum, qui hoc sectatur institutum, nolentem autem non cogo, neque eam rem præceptum facio.

℟. Beata Cæcilia dixit Tiburtio: Hodie te fateor meum esse cognatum, quia amor Dei te fecit esse * Contemptorem idolorum. ℣. Sicut enim amor Dei mihi tuum fratrem conjugem fecit, ita te mihi cognatum fecit esse. Contemptorem.

Lectio viij.

QUONIAM igitur et magna res erat, ac de ea apud multos magna erat existimatio, ne quis, ea perfecta, se totum perfecisse putaret, ac cætera negligeret, hanc parabolam posuit, ut ostenderet virginitatem, quamvis cætera habeat, si misericordiæ bonis caruerit, cum fornicatoribus ejici, ac merito quidem inhumanum, ac misericordia carentem cum illis collocat. Fornicator enim corporum, istæ vero pecuniarum cupiditate vincuntur. Non est autem corporum et pecuniæ par cupiditas: sed acrior multo, atque vehementior illa corporum est. Quanto igitur cum imbecilliore luctantur, tanto minus venia dignæ sunt, si vincantur. Idcirco etiam fatuas appellavit, quoniam majori certamine superato, in faciliore totum perdiderunt.

℟. Cæcilia me misit ad vos, ut ostendatis mihi sanctum Antistitem: * Quia ad ipsum habeo secreta, quæ perferam. ℣. Tunc Valerianus perrexit, et signo quod acceperat, invenit sanctum Urbanum. Quia. Gloria. Quia.

Lectio ix.

LAMPADES autem hoc loco illud ipsum virginitatis donum appellat, et sanctimoniæ puritatem: oleum vero benignitatem, eleemosynam, impensum indigentibus auxilium. Tardante autem sponso, dormitaverunt omnes, et dormierunt. Non parvum temporis rursus spatium interjectum ostendit, ut discipulos regnum ipsius mox futurum expectantes, ab ea opinione deduceret: id enim illi sperabant: quapropter crebro ab hujusmodi eos spe revocat. Ad hoc, illud quoque indicat, somnum quamdam esse mortem: Dormierunt, inquit; media autem nocte clamor factus est, vel ut in eadem parabola persistat, vel rursus ostendit in nocte futuram esse resurrectionem. Clamorem etiam Paulus commemorat, dicens: In jussu, in voce Archangeli, in novissima tuba descendet de cœlo.

Ad Laudes

et per Horas Antiphonæ.

1. Cantantibus organis * Cæcilia

Domino decantabat, dicens: Fiat cor meum immaculatum, ut non confundar.

2. Valerianus in cubiculo Cæciliam cum Angelo orantem invenit.

3. Cæcilia famula tua, * Domine, quasi apis tibi argumentosa deservit.

4. Benedico te, Pater Domini mei Jesu Christi, quia per Filium tuum ignis extinctus est a latere meo.

5. Triduanas a Domino * poposci inducias, ut domum meam Ecclesiam consecrarem.

Ad Bened. Ant. Dum aurora finem daret, Cæcilia exclamavit, dicens: Eia, milites Christi, abjicite opera tenebrarum, et induimini arma lucis.

Oratio.

DEUS, qui nos annua beatæ Cæciliæ Virginis et Martyris tuæ solemnitate lætificas, da ut quam veneramur officio, etiam piæ conversationis sequamur exemplo. Per.

In II. Vesp. Ant. de Laudibus.

A Capit. fit de sequenti.

Die 23. S. Clementis,

Papæ et Mart. *Duplex.*

Ad Magnif. Ant. Oremus omnes ad Dominum Jesum Christum, ut confessoribus suis fontis venam aperiat.

Oratio.

DEUS, qui nos annua beati Clementis Martyris tui atque Pontificis solemnitate lætificas, concede propitius, ut cujus natalitia colimus, virtutem quoque passionis imitemur. Per Dominum.

Comm. præced. Ant. Virgo gloriosa semper Evangelium Christi gerebat in pectore suo, et non diebus neque noctibus a colloquiis divinis et oratione cessabat.

Et S. Felicitatis Mart. tantum.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnipotens Deus, ut beatæ Felicitatis Martyris tuæ solemnia recensentes, meritis ipsius protegamur et precibus. Per Dominum.

Lect. I. Noct. A Mileto.

℟. *j.* Orante sancto Clemente, apparuit ei Agnus Dei, * De sub cujus pede fons vivus emanat; fluminis impetus lætificat civitatem Dei. ℣. Vidi supra montem Agnum stantem. De.

℟. *ij.* Omnes una voce dixerunt: Ora pro nobis, sancte Clemens, * Ut digni efficiamur promissionibus Christi. ℣. Non meis meritis ad vos me misit Dominus vestris coronis participem fieri. Ut.

℟. *iij.* Dedisti, Domine, habitaculum martyri tuo Clementi in mari, in modum templi marmorei, Angelicis manibus præparatum; * Iter præbens populo terræ, ut enarrent mirabilia tua ℣. Dedisti, Domine, sanctis tuis viam in mari, et in fluminibus semitam. Iter. Gloria. Iter.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CLEMENS Romanus, Faustini filius, de regione Cœlii montis, discipulus beati Petri, cujus meminit Paulus scribens ad Philippenses; Etiam rogo et te, germane compar, adjuva illas quæ mecum laboraverunt in Evangelio, cum Clemente et cæteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ. Hic septem Urbis regiones divisit septem Notariis, singulas singulis attribuens, qui passiones Martyrum, et res ab eis gestas diligentissime conquisitas litteris mandarent. Multa scripsit et ipse accurate et salutariter, quibus, Christianam religionem illustravit.

℟. Honestum, *cum reliq. de Com.*

Lectio v.

CUM autem doctrina ac vitæ sanctitate multos ad Christi fidem converteret, a Trajano Imperatore relegatus est trans mare Ponticum in solitudinem urbis Chersonæ, in qua duo millia Christianorum reperit, qui ab eodem Trajano condemnati fuerant. Qui cum in eruendis et secandis marmoribus aquæ penuria laborarent, Clemens, facta oratione, in vicinum collem ascendit, in cujus jugo vidit Agnum dextro pede fontem aquæ dul-

Digitized by Google

eis, qui inde scatebat, attingentem; ubi omnes sitim expleverunt, eoque miraculo multi infideles ad Christi fidem conversi, Clementis etiam sanctitatem venerari cœperunt.

Lectio vj.

QUIBUS concitatus Trajanus misit illuc, qui Clementem, alligata ad ejus collum anchora, in profundum dejicerent. Quod cum factum esset, Christianis ad littus orantibus, mare ad tria milliaria recessit, eoque illi accedentes, ædiculam marmoream in templi formam, et intus arcam lapideam, ubi Martyris corpus conditum erat, et juxta illud anchoram, qua mersus fuerat, invenerunt. Quo miraculo incolæ permoti, Christi fidem susceperunt. Ejus corpus postea Romam, Nicolao Primo Pontifice, translatum, in Ecclesia ipsius sancti Clementis conditum est. Ecclesia etiam in eo insulæ loco, unde divinitus fons manarat, ejusdem nomine dedicata est. Vixit in in Pontificatu annos novem, menses sex, dies sex. Fecit Ordinationes duas mense Decembri, quibus creavit Presbyteros decem, Diaconos duos, Episcopos per diversa loca quindecim.

In III. Noct. Homilia Ut ignorantiam, *de Com. Conf. Pont. 2. loco*, p. 47*. *cum* §§. *de Com.*

Pro S. Felicitate Martyre.

Sermo S. Gregorii Papæ.
Ex Homilia 3. in Evangelia.

Lectio ix.

BEATA Felicitas, cujus hodie natalia celebramus, septem filios sic post se timuit vivos in carne relinquere, sicut carnales parentes solent metuere, ne mortuos præmittant. In persecutionis enim labore deprehensa, filiorum corda in amore supernæ patriæ prædicando roboravit, et parturivit spiritu, quos carne pepererat, ut prædicatione pareret Deo, quos carne pepererat mundo. Numquid ergo hanc feminam martyrem dixerim? Sed plus quam martyrem, quæ, septem pignoribus ad regnum præmissis, tot ante se mortuos transmisit. Ad pœnam prima venit, sed pervenit octava.

Ad Laudes
et per Horas, Antiphonæ.

1. Orante sancto Clemente, * apparuit ei Agnus Dei.

2. Non meis meritis * ad vos me misit Dominus, vestris coronis participem fieri.

3. Vidi supra montem Agnum stantem, de sub cujus pede fons vivus emanat.

4. De sub cujus pede fons vivus emanat, fluminis impetus lætificat civitatem Dei.

5. Omnes gentes per gyrum crediderunt Christo Domino.

Ad Bened. Ant. Cum iter ad mare cepisset, populus voce magna clamabat: Domine Jesu Christe, salva illum; et Clemens cum lacrymis dicebat: Suscipe, Pater, spiritum meum.

Et fit comm. S. Felicitatis.
In II. Vesp. Ant. de Laudibus.
A Capit. fit de sequenti.

Die 24. S. Joannis a Cruce,
Conf. *Duplex.* (m. t. v.)
Oratio.

DEUS, qui sanctum Joannem Confessorem tuum perfectæ sui abnegationis, et Crucis amatorem eximium effecisti, concede, ut ejus imitationi jugiter inhærentes, gloriam assequamur æternam. Per Dominum.

Et fit. comm. S. Clementis.

Ant. Dedisti, Domine, habitaculum martyri tuo Clementi in mari, in modum templi marmorei, Angelicis manibus præparatum, iter præbens populo terræ, ut enarret mirabilia tua.

Deinde S. Chrysogoni Mart.
Oratio.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, ut qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, beati Chrysogoni martyris tui intercessione liberemur. Per.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

Digitized by Google

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

JOANNES a Cruce Fontiberi in Hispania piis parentibus natus, a primis annis certo innotuit, quam Deiparæ Virgini futurus esset acceptus: nam quinquennis in puteum lapsus, ejusdem Deiparæ manu sublatus, incolumis evasit. Tanto autem patiendi desiderio flagravit, ut novennis, spreto molliori lecto, super sarmentis cubare consueverit. Adolescens hospitio pauperum ægrotantium Metymnæ Campi famulum sese addixit, quibus magno charitatis ardore vilissima quæque complectens officia, præsto aderat, cujus exemplo excitati cæteri, eadem charitatis munera ardentius obibant. Verum ad altiora vocatus, beatæ Mariæ virginis de Monte Carmelo Institutum amplexus est, ubi sacerdos ex obedientia factus, severioris disciplinæ, et arctioris vitæ cupidissimus, primitivam Ordinis Regulam ex Superioris licentia ita professus est, ut, ob jugem Dominicæ passionis memoriam, bello in se, tanquam in infensissimum hostem, indicto vigiliis, jejuniis, ferreis flagellis, omnique prænarum genere, brevi carnem cum vitiis et concupiscentiis suis crucifixerit: dignus plane, qui a sancta Teresia inter puriores, sanctioresque animas, Ecclesiam Dei id temporis illustrantes, recenseretur.

Lectio V.

SINGULARI vitæ austeritate, et omnium virtutum præsidio munitus, præ assidua rerum divinarum contemplatione, diuturnas et mirabiles extases frequenter patiebatur: tantoque in Deum æstuabat amore, ut, cum divinus ignis sese intro diutius continere non posset, foras erumpere, ejusque vultum irradiare visus sit. Proximorum saluti summopere intentus, tum in verbi Dei predicatione, tum in Sacramentorum administratione fuit assiduus. Hinc tot meritis auctus, strictiorisque disciplinæ promovendæ ardore vehementer accensus, sanctæ Teresiæ comes divinitus datus est, ut, quam ipsa inter sorores primævam Carmeli Ordinis observantiam instauraverat, eamdem et inter fratres, Joanne adjutore, restitueret. Innumeros itaque una cum Dei famula in divino opere promovendo perpessus labores, cœnobia, quæ ejusdem sanctæ virginis cura per totam Hispaniam erecta fuerant, nullis vitæ incommodis et periculis territus, singula perlustravit, in quibus, aliisque quamplurimis ejus opera erectis, restauratam observantiam propagando, verbo et exemplo firmavit; ut merito primus post sanctam Teresiam Carmelitarum Excalceatorum Ordinis professor et parens habeatur.

Lectio VI.

VIRGINITATEM perpetuo coluit, impudentesque mulieres ejus pudicitiæ insidiari conantes, non modo repulit, sed etiam Christo lucrifecit. In divinis explicandis arcanis æque ac sancta Teresia, Apostolicæ Sedis judicio, divinitus instructus, libros de mystica Theologia cœlesti sapientia refertos conscripsit. Semel interrogatus a Christo quid præmii pro tot laboribus posceret, respondit: Domine, pati, et contemni pro te. Imperio in dæmones, quos e corporibus sæpe fugabat, discretione spirituum, prophetiæ dono, miraculorum gloria celebratissimus, ea semper fuit humilitate, ut sæpius a Domino flagitaverit eo loco mori, ubi omnibus esset ignotus. Voti compos factus, Ubedæ diro morbo, et in crure quinque plagis sanie manantibus, ad implendum patiendi desiderium constantissime toleratis, Ecclesiæ Sacramentis pie sancteque susceptis, in Christi crucifixi amplexu, quem semper in corde atque ore habuerat, post illa verba, in manus tuas commendo spiritum meum, obdormivit in Domino, die et hora a se prædictis, anno salutis millesimo quingentesimo nonagesimo primo, ætatis

Digitized by Google

quadragesimo nono. Migrantem ejus animam splendidissimus ignitus globus excepit : corpus vero soavissimum odorem spiravit, quod etiamnum incorruptum Segoviæ honorifice colitur. Eum plurimis ante et post obitum fulgentem signis Benidictus Decimus tertius Pontifex Maximus in Sanctorum numerum retulit.

In II. Noct. Homilia Sancti Evangelii fratres, *de Com.* 1. *loco.*

Pro S. Chrysogono.

Lectio IX.

CHRYSOGONUS, Diocletiano Imperatore, Romæ inclusus in carcere, ibi biennium sanctæ Anastasiæ facultatibus vixit, quam etiam afflictam propter Christum a viro suo Publio, propterea que a suis orationibus per litteras auxilium postulantem, mutuis epistolis est consolatus. Sed cum Imperator Romam scripsisset, ut reliquis Christianis, qui in vinculis essent, interfectis, Chrysogonus Aquileiam ad se mitteretur, eo perductus est. Cui imperator: Accersivi, inquit, te, Chrysogone, ut honoribus augeam, si modo induxeris animum deos colere. At ille : Ego eum, qui vere est Deus, mente et oratione veneror, deos autem, qui nihil sunt nisi dæmonum simulacra, odi et execror. Quo responso excandescens Imperator, ad aquas Gradatas eum securi percuti jubet, octavo Kalendas Decembris. Cujus corpus dejectum in mare, paulo post in littore inventum, Zoilus præsbyter in suis ædibus sepelivit.

In Laud. fit comm. S. Mart.
Vesperæ a Cap. de sequent.

Die 25. S. Catharin. V. M.

Duplex.

Oratio.

DEUS, qui dedisti legem Moysi in summitate montis Sinai, et in eodem loco per sanctos Angelos tuos corpus beatæ Catharinæ Virginis et Martyris tuæ mirabiliter collocasti, præsta, quæsumus, ut ejus meritis et intercessione, ad montem, qui Christus est, pervenire valeamus. Qui tecum.

Et fit comm. præced.
Lect. I. Noct. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

CATHARINA, nobilis virgo Alexandrina, a prima ætate studia liberalium artium cum fidei ardore conjungens, brevi ad eam sanctitatis et doctrinæ perfectionem pervenit, ut decem et octo annos nata eruditissimum quemque superaret. Quæ cum Maximini jussu multos, propter Christianæ religionis professionem varie tormentis cruciatos ad supplicium rapi videret, non dubitanter ipsum adiit Maximinum, eique nefariam immanitatem objiciens, sapientissimis rationibus Christi fidem ad salutem necessariam esse affirmavit.

Lectio V.

CUJUS prudentiam Maximinus admiratus, retineri eam jubet, accersitis undique doctissimis hominibus, magnisque propositis præmiis, qui convictam Catharinam a Christi fide ad idolorum cultum perduxissent. Quod contra accidit : nam plures philosophi, qui ad eam coarguendam convenerant, vi ac subtilitate ejus disputationis, tanto Jesu Christi amore sunt incensi, ut pro illo mori non dubitaverint. Quamobrem Maximinus blanditiis ac promissis Catharinam de sententia deducere aggreditur, verum id frustra fieri intelligens, verberibus affectam, plumbatisque contusam, dies undecim sine cibo ac potu inclusam tenet in carcere.

Lectio VJ.

QUO tempore Maximini uxor, et Porphyrius belli dux, visendæ virginis causa, carcerem ingressi, et ejusdem prædicatione in Jesum Christum credentes, postea martyrio coronati sunt. Interim Catharina educitur e custodia, et rota expeditur crebris et acutis præfixa gladiis, ut

Digitized by Google

virginis corpus crudelissime dilaceraretur Quæ machina brevi, Catharinæ oratione confracta est: eoque miraculo multi Christi fidem susceperunt. Ipse Maximinus in impietate et crudelitate obstinatior, Catharinam securi percuti imperat. Quæ fortiter dato capite, ad duplicatum virginitatis et martyri præmium evolavit, septimo Kalendas Decembris: cujus corpus ab Angelis in Sina, Arabiæ monte, mirabiliter collocatum est.

In III. Noct. Homilia Sæpe vos fratres, *de Com. 1. loco.*

In II. Vesp. comm. sequentis.

Die 26. S. Petri

Epise. et Mart.

Orat. Infirmitatem nostram, p. 14*.

Lectio iij.

PETRUS Episcopus Alexandriæ, post Theonam virum sanctissimum, sanctitatis et doctrinæ splendore, non solum illustravit Ægyptum, sed toti luxit Ecclesiæ Dei. Qui in persecutione Maximini Galerii illam temporum acerbitatem ita pertulit, ut multi admirabilem ejus patientiam intuentes, plurimum in Christiana virtute proficerent. Is primus Arium Diaconum Alexandrinum propter schisma Meletianum, cui favebat, a fidelium communione sejunxit. Ad eum capitis ab eodem Maximino damnatum in carcere cum Achillas et Alexander presbyteri deprecatores Arii venissent, respondit, noctu apparuisse sibi Jesum veste discissa, causamque rei sciscitanti dixisse: Arius vestem meam, quæ est Ecclesia, dilaceravit. Quibus etiam prædicens fore, ut sibi in Episcopatu succederent, præcepit, ne unquam Arium in communionem reciperent, quem Deo mortuum esse sciret. Et hanc divinam præuotionem veram fuisse, non diu post rei probavit eventus. Denique duodecimo sui Episcopatus anno sexto Kaleudas Decembris, abscisso capite, ad martyrii coronam evolavit.

Die 29. Commemoratio

S. SATURNINI, Martyris.

Oratio.

DEUS, qui nos beati Saturnini Martyris tui concedis natalitio perfrui, ejus nos tribue meritis adjuvari. Per Dominum.

IN VIGILIA S. ANDREÆ APOST.

Si festum S. Andreæ venerit Feria ij. de Vigilia fit Offic. in Sabbato præcedenti, et comm. S. Saturnini in Dominica.

Offic. et ℣ℸ. de Feria occ.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j. Cap. 1.

IN illo tempore: Stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo. Et respiciens Jesum ambulantem, dicit: Ecce Agnus Dei. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 7. in Joannem.

QUIA talis erat Joannes amicus sponsi, non quærebat gloriam suam, sed testimonium perhibebat veritati. Numquid voluit apud se remanere discipulos suos, ut non sequerentur Dominum? Magis ipse ostendit discipulis suis quem sequerentur: habebant enim illum tanquam Agnum. Et ille: Quid me attenditis? Ego non sum Agnus. Ecce Agnus Dei. De quo et superius dixerat: Ecce Agnus Dei. Et quid nobis prodest Agnus Dei? Ecce, ait, qui tollit peccatum mundi. Secuti sunt illum, hoc audito, duo qui erant cum Joanne.

Lectio ij.

VIDEAMUS sequentia. Ecce Agnus Dei. Hoc Joannes. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, et secuti sunt Jesum. Non sic illum sequebantur, quasi jam ut inhærerent illi: nam manifestum est, quando illi inhæserunt, quia de navi eos vocavit In his enim duobus erat Andreas, sicut modo audistis. Andreas autem frater Petri erat. Et novimus in Evangelio quod Petrum et Andre-

Digitized by Google

am Dominus de navi vocavit, dicens: Venite post me, et faciam vos piscatores hominum. Et ex illo jam inhæserunt illi, ut non recederent.

Lectio iij.

MODO ergo quod illum sequuntur isti duo, non quasi non recessuri sequuntur, sed videre voluerunt ubi habitaret, et facere quod scriptum est: Limen ostiorum ejus exterat pes tuus: surge ad illum venire assidue, et erudire præceptis ejus. Ostendit eis ille ubi maneret: venerunt, et fuerunt cum illo. Quam beatam diem duxerunt! quam beatam noctem! Quis est, qui nobis dicat, quæ audierint illi a Domino? Ædificemus et nosmetipsi in corde nostro, et faciamus domum, quo veniat ille, et doceat nos, et colloquatur nobis

Ad Laud. preces flexis genibus.

Oratio.

QUÆSUMUS, omnipotens Deus, ut beatus Andreas Apostolus, cujus prævenimus festivitatem, tuum pro nobis imploret auxilium, ut a nostris reatibus absoluti, a cunctis etiam periculis eruamur. Per Dominum.

Deinde fit comm. S. Saturnini.

Die 30. S. Andreæ Apost.

Dupl. 2. Clas.

Si hoc Festum vel aliud ex sequentibus ante Adv. celebretur, fit Officium ut supra, p. 608. *, omissa comm. Adventus.*

COMMEMORATIONES COMMUNES.

PRO UNO MARTYRE.

IN I. VESP. *Ant.* Iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et a verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram.

℣. Gloria et honore coronasti eum, Domine. ℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Pro Martyre et Pontif. Oratio.

Infirmitatem nostram respice, omnipotens Deus, et quia pondus propriæ actionis gravat, beati N. Martyris tui atque Pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum.

Alia Oratio.

Deus, qui nos beati N. Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate lætificas, concede propitius, ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.

Pro Martyre tantum Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati N. Martyris tui natalitia colimus; intercessione ejus in tui nominis amore roboremur. Per Dominum.

Alia Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut, intercedente beato N. Martyre tuo, et acunctis adversitatibus liberemur in corpore, et a pravis cogitationibus mundemur in mente. Per.

AD LAUD. *Ant.* Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

℣. Justus ut palma florebit. ℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

IN II. VESP. *Ant.* Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

℣. *de Laud. et sic in sequent.*

PRO MARTYR. TEMP. PASCHALI

IN I. VESP. Lux perpetua lucebit sanctis tuis, Domine, et æternitas temporum, alleluia.

℣. Sancti et justi in Domino gaudete, alleluia.

℟. Vos elegit Deus in hæreditatem sibi alleluia.

AD LAUDES. Filiæ Jerusalem, venite et videte Martyres cum coronis quibus coronavit eos Dominus in die solemnitatis et lætitiæ, alleluia, alleluia. ℣. Pretiosa in conspectu Do-

Digitized by Google

mini alleluia.

℟. Mors sanctorum ejus alleluia.

IN II. VESP. Sancti et justi in Domino gaudete, alleluia : vos elegit Deus in hæreditatem sibi alleluia.

PRO PLUR. MARTYRIBUS.

IN I. VESP. *Ant.* Istorum est enim regnum cœlorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

℣. Lætamini in Domino, et exultate, justi. ℟. Et gloriamini, omnes recti corde.

Pro plur. Mart. Pont. Oratio.

Beatorum Martyrum pariterque Pontificum N. et N. nos, quæsumus, Domine, festa tueantur, et eorum commendet oratio veneranda. Per Dominum.

Si non fuerint Pont. Oratio.

Deus, qui nos concedis sanctorum Martyrum tuorum N. et N. natalitia colere, da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum.

Alia Oratio.

Deus, qui nos annua sanctorum Martyrum tuorum N. et N. solemnitate lætificas, concede propitius, ut quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per.

AD LAUD. *Ant.* Vestri capilli capitis omnes numerati sunt : nolite timere, multis passeribus meliores estis vos.

℣. Exultabunt sancti in gloria. ℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

IN II. VESP. *Ant.* Gaudent in cœlis animæ sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti ; et quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exultant sine fine.

PRO CONFESS. PONT.

IN I. VESP. *Ant.* Sacerdos et Pontifex, et virtutum opifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

Pro Doct. in utrisq. Vesp.

Ant. O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beate N., divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

℣. Amavit eum Dominus et ornavit eum. ℟. Stolam gloriæ induit eum.

Oratio.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati N. Confessoris tui atque Pontificis veneranda solemnitas, et devotionem nobis augeat, et salutem. Per Dominum.

AD LAUD *Ant.* Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas. ℟. Et ostendit illi regnum Dei.

IN II. VESP. *Ant.* Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriæ induit eum, et ad portas paradisi coronavit eum.

Pro Summis Pontificibus.

Ant. Dum esset summus Pontifex, terrena non metuit, sed ad cœlestia regna gloriosus migravit.

PRO CONF. NON PONTIF.

IN I. VESP. *Ant.* Similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.

℣. Amavit eum Dominus et ornavit eum. ℟. Stolam gloriæ induit eum.

Oratio.

Deus, qui nos beati N. Confessoris tui annua solemnitate lætificas, concede propitius, ut cujus natalitia colimus etiam actiones imitemur. Per Dominum.

Si fuerit Abbas Oratio.

Intercessio nos, quæsumus, Domine, beati N. Abbatis commendet, ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur. Per Dominum.

AD LAUD. *Ant.* Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

℣. Justum deduxit, *ut supra.*

IN II. VESP. *Ant.* Hic vir despiciens mundum, et terrena triumphans, divitias cœlo condidit ore, manu.

Digitized by Google

PRO VIRGINE.

IN II. VESP. *Ant* Veni, sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.

℣. Specie tua et pulchritudine tua.

℟. Intende, prospere procede, et regna.

Oratio.

Deus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti, concede propitius, ut qui beatæ N. Virginis et Martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per.

Alia Oratio.

Indulgentiam nobis, quæsumus. Domine, beata N. Virgo et Martyr imploret, quæ tibi grata semper extitit et merito castitatis, et tuæ professione virtutis. Per Dominum.

Pro Virgine non Mart. Oratio.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, ut, sicut de beatæ N. Virginis tuæ festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

AD LAUD *Ant.* Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inventa una pretiosa, dedit omnia sua, et comparavit eam.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

IN II. VESP. *Ant.* Veni sponsa *ut supra*. ℣. Diffusa est.

PRO NON VIRGINE.

IN II. VESP. *Ant.* Simile est regnum, *ut supra.*

Pro una Mart. tantum.

Oratio Deus qui inter, *ut supra*, *omissa voce* Virginis.

Pro nec Virg. nec Mart.

Oratio Exaudi nos, *ut supra*, *omissa voce* Virginis.

AD LAUD. *Ant.* Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus.

℣. Diffusa est gratia, *ut supra.*

IN II. VESP. *Ant.* Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem, et panem otiosa non comedit.

PRO COMM. S. JANUAR.

AD LAUD. Igne me Domine examinasti et non est inventa in me iniquitas: propter hoc lætatum est cor meum et exultavit lingua mea. Posuisti. Coronam.

AD VESP. Liberasti me Domine a rugientibus præparatis ad escam, et a pressura flammæ quæ circumdedit me, et in medio ignis non sum æstuatus.

Magna est gloria. Gloriam et magnum.

Oremus.

Majestatem tuam Domine supplices exoramus, ut sicut nos iugiter B. Januarii martyris tui atque pontifi[illegible] commemoratione lætificas, ita semper supplicatione defendas. Per Dominum.

PLURES COMMEM. EJUSD. ORDINIS.

PRO CONFESSORE.

AD VESP. 1. Euge serve bone .... Justum deduxit. Et ostendit.

2. Hic vir despiciens...Os justi meditabitur... Et lingua ejus...

3. Domine iste sanctus habitabit in tabernaculo tuo..Lex Dei ejus in corde.

AD LAUD 1. Similabo eum viro..Amavit eum Dominus.

2. *Eadem ac* 3. *vesp. ut supra.*

3. *Eadem ac* 2. *vesp. ut supra.*

PRO CONFESS. PONTIF.

AD VESP. 1. Euge serve bone..dicit Dominus.

Justum deduxit.

2. Amavit eum Dominus.

Elegit eum Dom. sacerdot. sibi.

2. Domine iste sanctus habitabit...

Tu es sacerdos in æternum.

AD LAUD. 1. Sacerdos et Pontifex... Amavit eum Dominus.

2. *Eadem ac* 3. *vesper.* *ut supra.*

3. *Eadem ac* 2. *vesper.*

Digitized by Google

COMMUNE SANCTORUM,

IN VIGILIIS APOSTOLORUM

Officium fit de Feria, exceptis Lect., et Oratione, quæ in propriis locis notantur.

Ubi vero non sunt propriæ Lect., legitur Evang. cum Homilia seq.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio j Cap. 15.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 27 in Evangelia.

CUM cuncta sacra eloquia Dominicis plena sint præceptis, quid est quod de dilectione, quasi de singulari mandato, Dominus dicit: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem; nisi quia omne mandatum de sola dilectione est, et omnia unum præceptum sunt? quia quidquid præcipitur, in sola charitate solidatur. Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt: sic multæ virtutes ex una charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis.

℣. ℟. *de Feria pro tempore.*

Lectio ij.

PRÆCEPTA ergo Dominica et multa sunt, et unum: multa per diversitatem operis, unum in radice dilectionis. Qualiter autem ista dilectio tenenda sit, ipse insinuat, qui in plerisque Scripturæ suæ sententiis et amicos jubet diligi in se, et inimicos propter se. Ille enim veraciter charitatem habet, qui et amicum diligit in Deo, et inimicum diligit propter Deum. Nam sunt nonnulli, qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis et carnis: quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt: sed aliud est quod sponte impenditur naturæ, aliud quod præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientiæ.

Lectio iij.

HI nimirum et proximum diligunt, et tamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur: quia amorem suum non spiritaliter, sed carnaliter impendunt. Proinde cum Dominus diceret: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem: protinus addidit, Sicut dilexi vos: ac si aperte dicat: Ad hoc amate, ad quod amavi vos. Qua in re, fratres charissimi, solerter intuendum est, quod antiquus hostis, dum mentem nostram ad rerum temporalium dilectionem trahit, infirmiorem contra nos proximum excitat, qui ea ipsa, quæ diligimus, auferre moliatur.

COMMUNE
APOSTOLORUM ET EVANGELISTARUM.

In I. Vesperis.

Ant. de Laud. Psalmi de Dom. loco ult. Laudate Dominum omnes Gentes.

Capit. et Hymnus ut infra in Laud.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum. ℟ Et in fines orbis terræ verba eorum.

Ad Magnif. Ant. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ante reges et præsides ducemini propter me, in testimonium illis, et Gentibus.

Oratio propria.

Ad Matutinum,

Invit. Regem Apostolorum Dominum, Venite, adoremus.

Digitized by Google

Psalm. Venite p. 1.

HYMNUS.

ÆTERNA Christi munera,
Apostolorum gloriam,
Palmas et hymnos debitos
Lætis canamus mentibus.

Ecclesiarum Principes,
Belli triumphales Duces,
Cœlestis aulæ milites,
Et vera mundi lumina.

Devota Sanctorum Fides,
Invicta Spes credentium,
Perfecta Christi Charitas
Mundi tyrannum conterit

In his Paterna gloria,
In his triumphat Filius,
In his voluntas Spiritus,
Cœlum repletur gaudio.

Patri, simulque Filio,
Tibique, sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter
Sæclum per omne gloria. Amen

IN I. NOCTURNO.

Ant. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.

Psalmus 18.

CŒLI enarrant gloriam Dei, * et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum, * et nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelæ, neque sermones, * quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit sonus eorum: * et in fines orbis terræ verba eorum.

In sole posuit tabernaculum suum: * et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.

Exultavit ut gigas ad currendam viam; * a summo cœlo egressio ejus.

Et occursus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscondat a calore ejus.

Lex Domini immaculata convertens animas: * testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi: * judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum: * et dulciora super mel et favum.

Etenim servus tuus custodit ea: * in custodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me: * et ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero: * et emundabor a delicto maximo.

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei: * et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine, adjutor meus, * et redemptor meus.

Ant. In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum.

Ant. Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos.

Psalmus 33.

BENEDICAM Dominum in omni tempore: * semper laus ejus in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea: * audiant mansueti, et lætentur.

Magnificate Dominum mecum: * et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Exquisivi Dominum, et exaudivit me: * et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum, et illuminamini, * et facies vestræ non confundentur.

Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum: * et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum: * et eripiet eos.

Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus: * beatus vir qui sperat in eo.

Timete Dominum, omnes sancti ejus: * quoniam non est inopia timentibus eum.

Divites eguerunt et esurierunt: * in-

Digitized by Google

quirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Venite, filii, audite me: * timorem Domini docebo vos.

Quis est homo qui vult vitam; * diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam a malo: * et labia tua ne loquantur dolum.

Diverte a malo, et fac bonum: * inquire pacem, et persequere eam.

Oculi Domini super justos: * et aures ejus in preces eorum.

Vultus autem Domini super facientes mala: * ut perdat de terra memoriam eorum.

Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos: * et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: * et humiles spiritu salvabit.

Multæ tribulationes justorum: * et de omnibus his liberabit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum: * unum ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima: * et qui oderunt justum, delinquent.

Redimet Dominus animas servorum suorum: * et non delinquent omnes qui sperant in eo.

Ant. Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos.

Ant. Constitues eos principes super omnem terram: memores erunt nominis tui, Domine.

Psalmus 44.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum: * dico ego opera mea Regi.

Lingua mea calamus scribæ * velociter scribentis.

Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: * propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum, * potentissime.

Specie tua, et pulchritudine tua * intende, prospere procede, et regna.

Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * et deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent; * in corda inimicorum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: * virga directionis, virga regni tui.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; * propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis: * ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.

Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, * circumdata varietate.

Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam: * et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum: * quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus * vultum tuum deprecabuntur: omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus: * in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi virgines post eam: * proximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætitia et exultatione: * adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: * constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui, * in omni generatione et generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, * et in sæculum sæculi.

Ant. Constitues eos principes super omnem terram: memores erunt nominis tui, Domine.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eorum. Pater noster,

Absol. Exaudi. ℣. Jube domne.
Bened. Benedictione perpetua.

Lect. de Script. positæ in Comm. Sanctor. leguntur quando annotantur in Propr. Sanct. per annum, et quando contingit fieri Offic. de aliquo Sancto illis diebus, in quibus in Offic. fer. non ponuntur Lect. de Script., sed tantum de Homilia, et quan-

Digitized by Google

do aliquod Festum solemniter celebrutur in propria Ecclesia.

De Epistola prima B. Pauli Apostoli ad Corinthios.

Lectio j Cap. 4.

SIC nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die: sed neque me ipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum ; sed non in hoc justificatus sum : qui autem judicat me , Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare , quoadusque veniat Dominus : qui et illuminabit abscondita tenebrarum , et manifestabit consilia cordium: et tunc laus erit unicuique a Deo.

℟. Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum, dicit Dominus. * Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. ℣. Cum lucem habetis , credite in lucem , ut filii lucis sitis. Estote.

Bened. Unigenitus Dei Filius.

Lectio ij.

HÆC autem , fratres, transfiguravi in me et Apollo propter vos, ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est,unus adversus alterum inflctur pro alio. Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Jam saturati estis, iam divites facti estis : sine nobis regnatis : et utinam regnetis, ut et nos vobiscum regnemus. Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit , tanquam morti destinatos : quia spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus.

℟. Tollite jugum meum super vos, dicit Dominus , et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde:* Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. ℣. Et invenietis requiem animabus vestris. Jugum.

Bened. Spiritus Sancti gratia.

Lectio iij.

NOS stulti propter Christum , vos autem prudentes in Christo : nos infirmi , vos autem fortes : vos nobiles , nos autem ignobiles. Usque in hanc horam et esurimus , et sitimus , et nudi sumus , et colaphis cædimur et instabiles sumus , et laboramus operantes manibus nostris : maledicimur , et benedicimus : persecutionem patimur , et sustinemus : blasphemamur , et obsecramus : tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus , omnium peripsema usque adhuc. Non ut confundam vos , hæc scribo , sed ut filios meos charissimos moneo. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo ; sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.

℟. Dum steteritis ante reges et præsides , nolite cogitare qnomodo , aut quid loquamini : * Dabitur enim vobis in illa hora , quid loquamini. ℣. Non enim vos estis qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri , qui loquitur in vobis. Dabitur. Gloria. Dabitur.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.

Psalmus 46.

OMNES Gentes, plaudite manibus:* jubilate Deo in voce exultationis.

Quoniam Dominus excelsus, terribilis:* Rex magnus super omnem terram.

Subjecit populos nobis , * et Gentes sub pedibus nostris.

Elegit nobis hæreditatem suam , * speciem Jacob , quam dilexit.

Ascendit Deus in jubilo , * et Dominus in voce tubæ.

Psallite Deo nostro , psallite : * psallite Regi nostro , psallite.

Quoniam Rex omnis terræ Deus : * psallite sapienter.

Regnabit Deus super Gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham : * quoniam dii

Digitized by Google

fortes terræ vehementer elevati sunt.

Ant. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.

Ant. Dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum, Domine.

Psalmus 60.

EXAUDI, Deus, deprecationem meam: * intende orationi meæ.

A finibus terræ ad te clamavi: * dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.

Deduxisti me, quia factus es spes mea: * turris fortitudinis a facie inimici.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula: * protegar in velamento alarum tuarum.

Quoniam tu, Deus meus, exaudisti orationem meam: * dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjicies: * annos ejus usque in diem generationis et generationis.

Permanet in æternum in conspectu Dei: * misericordiam et veritatem ejus quis requiret?

Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi: * ut reddam vota mea de die in diem.

Ant. Dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum, Domine.

Ant. Annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt.

Psalmus 63.

EXAUDI, Deus, orationem meam cum deprecor: * a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu malignantium, * a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas: * intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, et non timebunt: * firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt ut absconderent laqueos: * dixerunt: Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates: * defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum: * et exaltabitur Deus.

Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum: * et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.

Conturbati sunt omnes qui videbant eos: * et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt.

Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo: * et laudabuntur omnes recti corde.

Ant. Annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt.

℣. Constitues eos principes super omnem terram. ℟. Memores erunt nominis tui, Domine.

Pater noster.

Absol. Ipsius. ℣. Jube domne.

Bened. Deus Pater omnipotens.

Sermo S. Gregorii Papæ.

Homil. 30 *in Evang. post medium.*

Lectio IV.

SCRIPTUM est: Spiritus Domini ornavit cœlos. Ornamenta enim cœlorum sunt virtutes prædicantium. Quæ videlicet ornamenta Paulus enumerat, dicens: Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.

℟. Vidi conjunctos viros habentes splendidas vestes, et Angelus Domini locutus est ad me, dicens: * Isti sunt viri sancti facti amici Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volantem per medium cœlum, voce magna clamantem et dicentem. Isti.

Bened. Christus perpetuæ.

Digitized by Google

Lectio v.

QUOT ergo sunt bona prædicantium, tot sunt ornamenta cœlorum. Hinc rursus scriptum est: Verbo Domini cœli firmati sunt. Verbum enim Domini Filius est Patris. Sed eosdem cœlos, videlicet sanctos Apostolos, ut tota simul sancta Trinitas ostendatur operata, repente de sancti Spiritus divinitate adjungitur: Et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Cœlorum ergo virtus de Spiritu sumpta est: quia mundi hujus potestatibus contraire non præsumerent, nisi eos sancti Spiritus fortitudo solidasset. Quales namque Doctores sanctæ Ecclesiæ ante adventum hujus Spiritus fuerint, scimus: et post adventum illius, cujus fortitudinis facti sint, conspicimus.

℣. Beati estis cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me: * Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. ℣. Cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis. Gaudete.

Bened. Ignem sui amoris.

Lectio vj.

CERTE iste ipse pastor Ecclesiæ, ad cujus sacratissimum corpus sedemus, quantæ debilitatis, quantæque formidinis ante adventum Spiritus fuerit, ancilla ostiaria requisita dicat. Una enim mulieris voce percussus, dum mori timuit, vitam negavit. Et pensandum, quia eum comprehensum Petrus negavit in terra, quem suspensum latro confessus est in cruce. Sed vir iste tantæ formidinis, qualis post adventum Spiritus existat, audiamus. Fit conventus magistratus atque seniorum, cæsis denuntiatur Apostolis, ne in nomine Jesu loqui debeant. Petrus magna auctoritate respondet: Obedire oportet Deo magis quam hominibus.

℟. Isti sunt triumphatores, et amici Dei, qui contemnentes jussa principum, meruerunt præmia æterna: * Modo coronantur, et accipiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine Agni. Modo. Gloria. Modo.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Exaltabuntur cornua justi, alleluia.

Psalmus 74.

CONFITEBIMUR tibi, Deus: * confitebimur, et invocabimus nomen tuum.

Narrabimus mirabilia tua. * cum accepero tempus, ego justitias judicabo.

Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea: * ego confirmavi columnas ejus.

Dixi iniquis: Nolite inique agere: * et delinquentibus: Nolite exaltare cornu.

Nolite extollere in altum cornu vestrum: * nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus: * quoniam Deus judex est.

Hunc humiliat, et hunc exaltat: * quia calix in manu Domini vini meri plenus misto.

Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen fæx ejus non est exinanita: * bibent omnes peccatores terræ.

Ego autem annuntiabo in sæculum: * cantabo Deo Jacob.

Et omnia cornua peccatorum confringam: * et exaltabuntur cornua justi.

Ant. Exaltabuntur cornua justi, alleluia.

Ant. Lux orta est justo, alleluia: rectis corde lætitia, allel.

Psalmus 96.

DOMINUS regnavit, exultet terra: * lætentur insulæ multæ.

Nubes et caligo in circuitu ejus: * justitia et judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet, * et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Digitized by Google

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: * vidit, et commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, * a facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cœli justitiam ejus: * et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes qui adorant sculptilia: * et qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum, omnes Angeli ejus: * audivit, et lætata est Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ, * propter judicia tua, Domine.

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: * nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum, * custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætitia.

Lætamini, justi, in Domino: * et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

Ant. Lux orta est justo, allelnia: rectis corde lætitia, alleluia.

Ant. Custodiebant testimonia ejus, et præcepta ejus, alleluia.

Psalmus 98.

DOMINUS regnavit irascantur populi: * qui sedet super Cherubim, moveatur terra.

Dominus in Sion magnus: * et excelsus super omnes populos.

Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile et sanctum est: * et honor regis judicium diligit.

Tu parasti directiones: * judicium et justitiam in Jacob tu fecisti.

Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus: * quoniam sanctum est.

Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus: * et Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus.

Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos: * in columna nubis loquebatur ad eos.

Custodiebant testimonia ejus, * et præceptum quod dedit illis.

Domine Deus noster, tu exaudiebas eos: * Deus, tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum.

Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus: * quoniam sanctus Dominus Deus noster.

Ant. Custodiebant testimonia ejus, et præcepta ejus, alleluia.

℣. Nimis honorati sunt amici tui, Deus. ℟. Nimis confortatus est principatus eorum. Pater noster.

Absol. A vinculis. ℣. Jube domne.

Bened. Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Et reliqua.

Homilia sancti Hieronymi Presbyteri.

Lib. 3. *in Matth. c.* 19.

GRANDIS fiducia: Petrus piscator erat, dives non fuerat, cibos manu et arte quærebat: et tamen loquitur confidenter: Reliquimus omnia. Et quia non sufficit tantum relinquere, jungit quod perfectum est: Et secuti sumus te. Fecimus quod jussisti: quid igitur nobis dabis præmii? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Non dixit: Qui reliquistis omnia: hoc enim et Crates fecit philosophus, et multi alii divitias contempserunt; sed: Qui secuti estis me; quod proprie Apostolorum est, atque credentium.

℟. Isti sunt qui viventes in carne, plantaverunt Ecclesiam sanguine suo: *

Calicem Domini biberunt, et amici Dei facti sunt.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Calicem.

Digitized by Google

Bened. Cujus, *vel* Quorum festum colimus.

Lectio viij.

IN regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, quando et mortui de corruptione resurgent incorrupti, sedebitis et vos in soliis judicantium, condemnantes duodecim tribus Israel: quia vobis credentibus, illi credere noluerunt. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. Locus iste cum illa sententia congruit, in qua Salvator loquitur: Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem a patre suo, et matrem a filia, et nurum a socru; et inimici hominis domestici ejus. Qui ergo propter fidem Christi, et prædicationem Evangelii, omnes affectus contempserint, atque divitias et sæculi voluptates, isti centuplum recipient, et vitam æternam possidebunt.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, et dedit illis gloriam sempiternam: * Quorum doctrina fulget Ecclesia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam. Quorum. Gloria. Quorum.

Bened. Ad societatem.

Lectio ix.

EX occasione hujus sententiæ quidam introducunt mille annos post resurrectionem, dicentes tunc nobis centuplum omnium rerum, quas dimisimus, et vitam æternam esse reddendam: non intelligentes, quod, si in cæteris digna sit repromissio, in uxoribus appareat turpitudo: ut qui unam pro Domino dimiserit, centum recipiat in futuro. Sensus ergo iste est: Qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiet: quæ comparatione et merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur.

Te Deum laudamus, p. 12.

Ad Laudes.

et per Horas, Antiphonæ.

1. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.

Psalmi de Laud. Dom. et sic ut *reliquis.*

2. Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

3. Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis, dicit Dominus.

4. Beati pacifici, beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.

5. In patientia vestra possidebitis animas vestras.

Capitulum. Ephes. 2.

FRATRES, Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum, et domestici Dei: superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu. ℟. Deo gratias.

HYMNUS.

EXULTET orbis gaudiis,
Cœlum resultet laudibus:
Apostolorum gloriam
Tellus et astra concinunt.

Vos sæculorum judices,
Et vera mundi lumina,
Votis precamur cordium,
Audite voces supplicum.

Qui templa cœli clauditis
Serasque verbo solvitis,
Nos a reatu noxios
Solvi jubete, quæsumus.

Præcepta quorum protinus
Languor salusque sentiunt
Sanate mentes languidas;
Augete nos virtutibus.

Ut, cum redibit Arbiter
In fine Christus sæculi,
Nos sempiterni gaudii
Concedat esse compotes.

Patri, simulque Filio,
Tibique, sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter

Digitized by Google

Sæculum per omne gloria. Amen.

℣. Annuntiaverunt opera Dei.

℟. Et facta ejus intellexerunt.

Ad. Bened. Ant. Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, centuplum accipietis, et vitam æternam possidebitis.

Ad Tertiam.

Capit. Fratres Jam non.

℟. *br.* In omnem terram, * Exivit sonus eorum. In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eorum. Exivit. Gloria. In omnem. ℣. Constitues eos principes super omnem terram. ℟. Memores erunt nominis tui, Domine.

Ad Sextam.

Capitulum. Act. 5.

PER manus autem Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe.

℟ *br.* Constitues eos principes, * Super omnem terram. Constitues. ℣. Memores erunt nominis tui, Domine. Super. Gloria. Constitues. ℣. Nimis honorati sunt amici tui, Deus. ℟. Nimis confortatus est principatus eorum.

Ad Nonam.

Capitulum. Act. 5.

IBANT Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.

℟. *br.* Nimis honorati sunt, * Amici tui, Deus. Nimis. ℣. Nimis confortatus est principatus eorum. Amici. Gloria. Nimis.

℣. Annuntiaverunt opera Dei.

℟. Et facta ejus intellexerunt.

In II. Vesperis.

Ant. Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum.

Psalmus 109.

DIXIT Dominus Domino meo: * Sede a dextris meis:

Donec ponam inimicos tuos, * scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: * dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum: * ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus et non pœnitebit eum: * Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis, * confregit in die iræ suæ reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas: * conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: * propterea exaltabit caput.

Ant. Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum.

Ant. Collocet eum Dominus cum principibus populi sui.

Psalmus 112.

LAUDATE, pueri, Dominum: * laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum, * laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes dominus, * et super cœlos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, * et humilia respicit in cœlo et in terra?

Suscitans a terra inopem, * et de stercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum principibus, * cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo, * matrem filiorum lætantem.

Ant. Collocet eum Dominus cum principibus populi sui.

Ant. Dirupisti, Domine, vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis.

Psalmus 115.

CREDIDI, propter quod locutus sum: * ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, * pro omnibus quæ retribuit mihi?

Digitized by Google

Calicem salutaris accipiam, * et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: * pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea: * tibi sacrificabo ostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: * in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem.

Ant. Dirupisti, Domine, vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis.

Ant. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua.

Psalmus 125.

IN convertendo Dominus captivitatem Sion, * facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum, * et lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter Gentes: * Magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum: * facti sumus lætantes.

Converte, Domine, captivitatem nostram, * sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lacrymis, * in exultatione metent.

Euntes ibant et flebant, * mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione, * portantes manipulos suos.

Ant. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua.

Ant. Confortatus est principatus eorum, et honorati sunt amici tui, Deus.

Psalmus 138.

DOMINE, probasti me et cognovisti me: * tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.

Intellexisti cogitationes meas de longe: * semitam meam, et funiculum meum investigasti.

Et omnes vias meas prævidisti: * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua: * tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.

Mirabilis facta est scientia tua ex me: * confortata est, et non potero ad eam.

Quo ibo a spiritu tuo? * et quo a facie tua fugiam?

Si ascendero in cœlum, tu illic es: * si descendero in infernum, ades.

Si sumpsero pennas meas diluculo, * et habitavero in extremis maris:

Etenim illuc manus tua deducet me: * et tenebit me dextera tua.

Et dixi: Forsitan tenebræ conculcabunt me, * et nox illuminatio mea in deliciis meis.

Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur: * sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedisti renes meos: * suscepisti me de utero matris meæ.

Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es, * mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis.

Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto: * et substantia mea in inferioribus terræ.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur: * dies formabuntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus: * nimis confortatus est principatus eorum.

Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur; * exurrexi, et adhuc sum tecum.

Si occideris, Deus, peccatores: * viri sanguinum, declinate a me:

Quia dicitis in cogitatione: * Accipient in vanitate civitates tuas.

Nonne qui oderunt te, Domine, oderam? * et super inimicos tuos tabescebam?

Perfecto odio oderam illos: * et inimici facti sunt mihi.

Proba me, Deus, et scito cor meum: * interroga me, et cognosce semitas meas.

Et vide si via iniquitatis in me est: * et deduc me in via æterna.

Ant. Confortatus est principatus eorum, et honorati sunt amici tui, Deus.

Digitized by Google

Capit. Fratres Jam non estis.
Hymnus Exultet orbis. pag. 8.*
℣. Annuntiaverunt opera Dei.
℟. Et facta ejus intellexerunt.
Ad Magnif. Ant. Estote fortes in bello, et pugnate cum antiquo serpente: et accipietis regnum æternum, alleluia.

2.° ALIÆ LECTIONES *pro Apostolis.*

IN II. NOCTURNO.

De Expositione sancti Augustini Episcopi super psalmum octogesimum sextum.

Lectio iv. *Ante medium.*

FUNDAMENTA ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion. Quare sunt fundamenta Apostoli et Prophetæ? Quia eorum auctoritas portat infirmitatem nostram. Quare sunt portæ? Quia per ipsos intramus ad regnum Dei. Prædicant enim nobis: et cum per ipsos intramus, per Christum intramus. Ipse est enim janua. Et cum dicuntur duodecim portæ Jerusalem, et una porta Christus, et duodecim portæ Christus, quia in duodecim portis Christus: et ideo duodenarius numerus Apostolorum. Sacramentum magnum hujus duodenarii significatio est numeri. Sedebitis, inquit, super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel.

℟. Vidi conjunctos, *p.* 8*.

Lectio v.

SI duodecim sellæ ibi sunt, non est ubi sedeat tertiusdecimus Paulus Apostolus, et non erit quomodo judicet: et ipse se judicaturum dixit, non homines tantum, sed et Angelos. Quos Angelos, nisi apostatas Angelos? Nescitis, inquit, quia Angelos judicabimus? Responderet ergo turba: Quid te jactas judicaturum? ubi sedebis? Duodecim sedes dixit Dominus duodecim Apostolos: unus cecidit Judas, in locum ipsius sanctus Mathias ordinatus est; impletus est duodenarius numerus sedium: primo locum inveni ubi sedeas, et sic te minare judicaturum. Duodecim ergo sedes quid sibi velint, videamus. Sacramentum est cujusdam universitatis, quia per totum orbem terrarum futura erat Ecclesia: unde vocatur hoc ædificium ad Christi compagem.

℟. Beati estis, *p.* 6.*

Lectio vj.

ET ideo quia undique venitur ad judicandum, duodecim sedes sunt, sicut quia undique intratur in illam civitatem, duodecim portæ sunt. Non solum ergo illi duodecim, et Apostolus Paulus, sed quotquot judicaturi sunt, propter significationem universitatis ad sedes duodecim pertinent: quemadmodum quotquot intrabunt, ad duodecim portas pertinent. Partes enim mundi quatuor sunt, Oriens, Occidens, Aquilo, et Meridies. Istæ quatuor partes assidue nominantur in Scripturis. Ab istis quatuor ventis, sicut dicit Dominus in Evangelio, a quatuor ventis se collecturum electos suos; ab omnibus ergo istis quatuor ventis vocatur Ecclesia. Quomodo vocatur? Undique in Trinitate vocatur. Non vocatur nisi per baptismum, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Quatuor ergo ter ducta duodecim inveniuntur.

℟. Isti sunt triumphatores, *p.* 6.*

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri.

Homilia in Natali S. Benedicti.

PERFECTUS ille est, qui abiens vendit omnia quæ habet, et dat pauperibus, ac veniens sequitur Christum: habebit enim thesaurum non deficientem in cœlis. Unde bene, interrogante Petro, dixit talibus Jesus: Amen dico vobis, quod vos qui se-

Digitized by Google

cuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. In hac quippe vita pro ejus nomine laborantes, in alia præmium sperare docuit: id est, in regeneratione; cum videlicet in vitam immortalem fuerimus resurgendo regenerati, qui in vitam caducam mortaliter eramus geniti.

℟. Isti sunt, qui, *p.* 7.*

Lectio viij.

ET justa prorsus retributio, ut qui hic pro Christo humanæ gloriam celsitudinis neglexerunt, illic a Christo judices glorificati singulariter cum eo assideant, qui a sequendis ejus vestigiis nulla ratione poterant avelli. Nemo autem putet duodecim tantum Apostolos, quia pro Juda prævaricante Mathias electus est, tunc esse judicaturos: sicut nec duodecim solæ sunt tribus Israel judicandæ: alioquin tribus Levi, quæ tertiadecima est, injudicata recedet.

℟. Isti sunt viri, *p.* 7.*

Lectio ix.

ET Paulus, qui tertiusdecimus est Apostolus, judicandi sorte privabitur, cum ipse dicat: Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis sæcularia? Sciendum namque est omnes, qui ad exemplum Apostolorum sua reliquerunt omnia, et secuti sunt Christum, judices cum eo venturos, sicut etiam omne mortalium genus esse judicandum. Quia enim duodenario sæpe numero solet in Scripturis universitas designari; per duodecim sedes Apostolorum, omnium numerositas judicantium; et per duodecim tribus Israel, universitas eorum qui judicandi sunt, ostenditur.

PRO EVANGELISTIS.

In I. Noct. Incipit liber Ezechielis Prophetæ *ut in Dom. I. Nov.*

IN II. NOCTURNO.

De expositione S. Gregorii Papæ super Ezechielem Prophetam.

Homilia 3. lib. 1.

Lectio iv.

SANCTA quatuor animalia, quæ prophetiæ spiritu futura prævidentur, subtili narratione describuntur, cum dicitur: Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni. Quid per faciem, nisi notitia? et quid per pennas, nisi volatus exprimitur? Per faciem quippe unusquisque cognoscitur: per pennas vero in altum avium corpora sublevantur. Facies itaque ad fidem pertinet, penna ad contemplationem. Per fidem namque ab omnipotenti Deo cognoscimur, sicut ipse de suis ovibus dicit: Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ. Qui rursus ait: Ego scio quos elegerim. Per contemplationem vero, qua super nosmetipsos tollimur, quasi in aera levamur.

℟. Vidi conjunctos, *p.* 5.*

Lectio v.

QUATUOR ergo facies uni sunt: quia si requiras quid Matthæus de incarnatione Domini sentiat; hoc nimirum sentit, quod Marcus, Lucas, et Joannes. Si quæras quid Joannes sentiat; hoc procul dubio quod Lucas, Marcus, et Matthæus. Si quæras quid Marcus; hoc quod Matthæus, Joannes, et Lucas. Si quæras quid Lucas; hoc quod Joannes, Matthæus, et Marcus sentit. Quatuor ergo facies uni sunt: quia notitia fidei, qua cognoscuntur a Deo, ipsa est in uno, quæ est simul in quatuor. Quidquid enim in uno inveneris, hoc in omnibus simul quatuor cognosces.

℟. Beati estis, *p.* 6*

Lectio vj.

ET quatuor pennæ uni: quia Dei omnipotentis Filium Dominum nostrum Jesum Christum simul omnes concorditer prædicant: et ad divinitatem ejus mentis oculos levantes, pennæ contemplationis volant. Evangelistarum ergo facies ad humanitatem Domini pertinet, penna ad divinitatem: quia in eum, quem corporeum aspiciunt,

Digitized by Google

quasi facies intendunt: sed dum hunc esse incircumscriptum atque incorporeum ex divinitate annuntiant, per contemplationis pennam quasi in aera levantur. Quia itaque una est fides incarnationis ejus in omnibus, et par contemplatio divinitatis ejus in singulis, recte nunc dicitur: Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni.

℟. Isti sunt triumphatores, *p.* 6*.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo tempore: Designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, et locum, quo erat ipse venturus. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 17 *in Evangelia.*

DOMINUS et Salvator noster, fratres charissimi, aliquando nos sermonibus, aliquando vero operibus admonet. Ipsa etenim facta ejus præcepta sunt: quia dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus innotescit. Ecce enim binos in prædicationem discipulos mittit: quia duo sunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor, et proximi: et minus quam inter duos, charitas haberi non potest. Nemo enim proprie ad semetipsum habere charitatem dicitur: sed dilectio in alterum tendit, ut charitas esse possit.

℟. Isti sunt qui, *p.* 7*.

Lectio viij.

ECCE enim binos ad prædicandum discipulos Dominus mittit: quatenus hoc nobis tacitus innuat, quia qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet. Bene autem dicitur, quia misit eos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Prædicatores enim suos Dominus sequitur: quia prædicatio prævenit, et tunc ad mentis nostræ habitaculum Dominus venit, quando verba exhortationis præcurrunt: atque per hoc veritas in mente suscipitur.

℟. Isti sunt viri, *p.* 8.*

Lectio ix,

HINC namque eisdem prædicatoribus Isaias dicit: Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Hinc filiis Psalmista ait: Iter facite ei, qui ascendit super occasum. Super occasum namque Dominus ascendit: quia unde in passione occubuit, inde majorem suam gloriam resurgendo manifestavit. Super occasum videlicet ascendit: quia mortem, quam pertulit, resurgendo calcavit. Ei ergo, qui ascendit super occasum, iter facimus, cum nos ejus gloriam vestris mentibus prædicamus, ut eas et ipse post veniens, per amoris sui præsentiam illustret.

COMMUNE

UNIUS MARTYRIS

extra tempus Paschale.

Ad I. Vesperis.

Ant. de Laud. Psalmi de Dom. loco ult. Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. Jac. I.

BEATUS vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

HYMNUS.

DEUS, tuorum militum
Sors, et corona, præmium,
Laudes canentes Martyris
Absolve nexu criminis.

Hic nempe mundi gaudia,
Et blanda fraudum pabula
Imbuta felle deputans
Pervenit ad cœlestia.

Pœnas cucurrit fortiter,
Et sustulit viriliter;
Fundensque pro te sanguinem,
Æterna dona possidet.

Ob hoc precatu supplici
Te poscimus, piissime,
In hoc triumpho Martyris
Dimitte noxam servulis.

Digitized by Google

Laus et perennis gloria
Patri sit, atque Filio,
Sancto simul Paraclito
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Gloria et honore coronasti eum, Domine. ℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ad Magnif. Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et a verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram.

Pro Martyre et Pontif. Oratio.

INFIRMITATEM nostram respice, omnipotens Deus, et quia pondus propriæ actionis gravat, beati N. Martyris tui atque Pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum.

Alia Oratio.

DEUS, qui nos beati N. Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate lætificas, concede propitius, ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.

Pro Martyre tantum. Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati N. Martyris tui natalitia colimus, intercessione ejus in tui nominis amore roboremur. Per Dominum.

Alia Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut, intercedente beato N. Martyre tuo, et a cunctis adversitatibus liberemur in corpore, et a pravis cogitationibus mundemur in mente Per Dominum.

Ad Matutinum.

Invit. Regem Martyrum Dominum,* Venite adoremus.

Psalm. Venite. p. I.

Hymnus ut supra.

IN I. NOCTURNO.

Ant. In lege Domini fuit voluntas ejus die ac nocte.

Psalmus 1.

BEATUS vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, * et in cathedra pestilentiæ non sedit:

Sed in lege Domini voluntas ejus,* et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, * quod fructum suum dabit in tempore suo:

Et folium ejus non defluet:* et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.

Non sic impii, non sic:* sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.

Ideo non resurgent impii in judicio:* neque peccatores in concilio justorum.

Quoniam novit Dominus viam justorum:* et iter impiorum peribit.

Ant. In lege Domini fuit voluntas ejus die ac nocte.

Ant. Prædicans præceptum Domini, constitutus est in monte sancto ejus.

Psalmus 2.

QUARE fremuerunt gentes,* et populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum * adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum:* et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in cœlis, irridebit eos:* et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua:* et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus:* prædicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me:* Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, * et possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea,* et tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc, reges, intelligite:* erudimini, qui judicatis terram.

Digitized by Google

Servite Domino in timore : * et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, * et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus,* beati omnes qui confidunt in eo.

Ant. Prædicans præceptum Domini, constitutus est in monte sancto ejus.

Ant. Voce mea ad Dominum clamavi et exaudivit me de monte sancto suo.

Psalmus 3.

DOMINE, quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es, * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi:* et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum:* et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * et super populum tuum benedictio tua.

Ant. Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo.

℣. Gloria et honore coronasti eum, Domine. ℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum. Pater noster.

Absol. Exaudi. ℣. Jube, domne.

Bened. Benedictione perpetua.

Lectiones seq. j Noct. leguntur in festo Mart. et Pontif. in festo autem Mart. non Pontif. leguntur quæ inferius positæ sunt in Communi plur. Martyr. Fratres debitores.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. 20.

A MILETO Paulus mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ. Qui cum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis: Vos scitis a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate, et lacrymis, et tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum: quomodo nihil subtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, et docerem vos publice et per domos, testificans Judæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. Et nunc ecce alligatus ego Spiritu vado in Jerusalem, quæ in ea ventura sint mihi ignorans; nisi quod Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens, quoniam vincula et tribulationes Jerosolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me: dummodo consummem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi a Domino Jesu, testificari Evangelium gratiæ Dei.

℟. Iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et a verbis impiorum non timuit:* Fundatus enim erat supra firmam petram. ℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna. Fundatus.

Bened. Unigenitus Dei Filius.

Lectio ij.

ET nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei. Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi; et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte

Digitized by Google

et die non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrum.

℟. Justus germinabit sicut lilium:* Et florebit in æternum ante Dominum. ℣. Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Et florebit.

Bened. Spiritus sancti gratia.

Lectio iij.

ET nunc commendo vos Deo, et verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, et dare hæreditatem in sanctificatis omnibus. Argentum et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis: quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quam accipere. Et cum hæc dixisset, positis genibus suis oravit cum omnibus illis. Magnus autem fletus factus est omnium, et procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum, dolentes maxime in verbo quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus non essent visuri. Et deducebant eum ad navem.

℟. Iste cognovit justitiam, et vidit mirabilia magna, et exoravit Altissimum: * Et inventus est in numero sanctorum. ℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna. Et inventus. Gloria. Et inventus.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Filii hominum, scitote quia Dominus sanctum suum mirificavit.

Psalmus 4.

CUM invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ: * in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, * et exaudi orationem meam.

Filii hominum, usquequo gravi corde? * ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?

Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: * Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare: * quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino. * Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: * dedisti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, et olei sui * multiplicati sunt.

In pace in idipsum * dormiam, et requiescam.

Quoniam tu, Domine, singulariter in spe * constituisti me.

Ant. Filii hominum, scitote quia Dominus sanctum suum mirificavit.

Ant. Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eum, Domine.

Psalmus 5.

VERBA mea auribus percipe, Domine, * intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ, * Rex meus, et Deus meus.

Quoniam ad te orabo, * Domine, mane exaudies vocem meam.

Mane astabo tibi, et videbo: * quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit juxta te malignus: * neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: * perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus: * ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.

Introibo in domum tuam: * adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine, deduc me in justitia tua: * propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas: * cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant: * judica illos, Deus.

Decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eo-

Digitized by Google

rum expelle eos: * quoniam irritaverunt te, Domine.

Et lætentur omnes, qui sperant in te: * in æternum exultabunt, et habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: * quoniam tu benedices justo.

Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ * coronasti nos.

Ant. Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eum, Domine.

Ant. In universa terra gloria et honore coronasti eum.

Psalmus 8.

DOMINE Dominus noster,* quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua * super cœlos.

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos,* ut destruas inimicum et ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam et stellas, quæ tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum,* et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus,* oves et boves universas, insuper et pecora campi.

Volucres cœli, et pisces maris, * qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Ant. In universa terra gloria et honore coronasti eum.

℣. Posuisti, Domine, super caput ejus. ℟. Coronam de lapide pretioso. Pater noster.

Absol. Ipsius. ℣. Jube domne.
Bened. Deus Pater omnipotens.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Sermone 44 de Sanctis.

Lectio iv.

TRIUMPHALIS beati martyris N. dies hodie nobis anniversaria celebritate recurrit: cujus glorificationi sicut congaudet Ecclesia, sic ejus proponit sequenda vestigia. Si enim compatimur, et conglorificabimur. In cujus glorioso agone duo nobis præcipue consideranda sunt: indurata videlicet tortoris sævitia, et Martyris invicta patientia: sævitia tortoris, ut eam detestemur; patientia Martyris, ut eam imitemur. Audi Psalmistam adversus malitiam increpantem: Noli æmulari in malignantibus; quoniam tamquam fœnum velociter arescent. Quod autem adversus malignantes patientia exhibenda sit, audi Apostolum suadentem: Patientia vobis necessaria est, ut reportetis promissiones.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Bened. Christus perpetuæ.

Lectio v.

CORONATA itaque est beati Martyris patientia, mancipata est æternis eruciatibus tortoris incorrecta malitia. Hoc attendens in agone suo gloriosus Christi athleta, non exhorruit carcerem. Ad imitationem capitis sui toleravit probra, sustinuit irrisiones, flagella non timuit: et quot ante mortem pro Christo pertulit supplicia, tot ei de se obtulit sacrificia. Quod enim propinante Apostolo biberat, alte retinebat: Quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: Et quia momentaneum hoc et leve nostræ tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in cœlis. Hujus promissionis amore a terrenis suspensus, et prægustata supernæ suavitatis dulcedine ineffabiliter affectus, dicebat cum Psalmista: quid mihi est in

Digitized by Google

cœlo, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.

℣. Desiderium animæ ejus tribuisti ei, Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

Bened. Ignem sui amoris.

Lectio vj.

CONTEMPLABATUR enim, quantum in ænigmate infirmitas humana oculum mentis in æternitate figere potest, quanta sint supernæ civitatis gaudia: et ea enarrare non sufficiens, admirando clamabat: Quid mihi est in cœlo? Quasi diceret: Excedit vires meas, excedit facultatem eloquentiæ meæ, transcendit capacitatem intelligentiæ meæ illud decus, illa gloria, illa celsitudo, qua nobis a conturbatione hominum remotis, in abscondito faciei suæ Jesus Christus Dominus noster reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Hujus perfectæ libertatis contemplatione nullum vitabat periculum, nullum horrebat supplicium: et si millies posset mori, non putabat se hanc digne posse aliqua ratione promereri.

℣. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria. Et coronam.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Justus Dominus, et justitiam dilexit: æquitatem vidit vultus ejus.

Psalmus 10.

IN Domino confido; quomodo dicitis animæ meæ: * Tràns migra in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in phàretra, * ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt: * justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo: * Dominus in cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt: * palpebræ ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum et impium: * qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos: * ignis, et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit: * æquitatem vidit vultus ejus.

Ant. Justus Dominus, et justitiam dilexit: æquitatem vidit vultus ejus.

Ant. Habitabit in tabernaculo tuo, requiescet in monte sancto tuo.

Psalmus 14.

DOMINE, quis habitabit in tabernaculo tuo?* aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, * et operatur justitiam:

Qui loquitur veritatem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit proximo suo malum, * et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: * timentes autem Dominum glorificat:

Qui jurat proximo suo, et non decipit, * qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit hæc, * non movebitur in æternum.

Ant. Habitabit in tabernaculo tuo, requiescet in monte sancto tuo.

Ant. Posuisti, Domine, super caput ejus coronam de lapide pretioso.

Psalmus 20.

DOMINE, in virtute tua lætabitur rex: * et super salutare tuum exultabit vehementer.

Digitized by Google

Desiderium cordis ejus tribuisti ei:* et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: * posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Vitam petiit a te, * et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est gloria ejus in salutari tuo: * gloriam et magnum decorem impones super eum.

Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: * lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quoniam rex sperat in Domino,* et in misericordia Altissimi, non commovebitur.

Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis: * dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: * Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes,* et semen eorum a filiis hominum.

Quoniam declinaverunt in te mala:* cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

Quoniam pones eos dorsum: * in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.

Exaltare, Domine, in virtute tua:* cantabimus et psallemus virtutes tuas.

Ant. **Posuisti**, Domine, super caput ejus coronam de lapide pretioso.

℣. **Magna** est gloria ejus in salutari tuo. ℟. **Gloriam** et magnum decorem impones super eum. **Pater noster.**

Absol. **A** vinculis. ℣. **Jube**, domne.

Bened. **Evangelica** lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 14.

IN illo tempore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 37 in Evangelia.

SI consideremus, fratres charissimi, quæ et quanta sunt quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia, quæ habentur in terris. Terrena namque substantia supernæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium. Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda, quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud, quam quædam prolixitas mortis? Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ civitatis quanta sint gaudia: Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari?

℟. **Corona** aurea super caput ejus.* Expressa signo sanctitatitis, gloria honoris, et opus fortitudinis. ℣. **Quoniam** prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso—**Expressa.**

Bened. **Cujus** festum.

Lectio viij.

SED ad hæc audita inardescit animus: jamque illic cupit assistere, ubi se sperat sine fine gaudere. Sed ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores. Unde et Paulus egregius prædicator dicit: Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Delectet ergo mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum. Unde ad se venientibus Veritas dicit: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.

℟. **Hic** est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit:*

Digitized by Google

Qui minas judicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit, sed ad cœlestia regna pervenit. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Qui. Gloria. Qui.

Sequens ℟. *dicitur ult. loco in festis sex SS. Martyrum Pont. Eusebii, Marcelli, Joannis, Silverii, Martini, et Pontiani.* ℟ Domine, prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: * Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. ℣. Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi. Posuisti. Gloria. Posuisti.

Bened. Ad societatem.

Lectio ix.

SED percontari libet, quomodo parentes, et carnaliter propinquos præcipimur odisse, qui jubemur et inimicos diligere? Et certe Veritas de uxore dicit: Quod Deus conjunxit, homo non separet. Et Paulus ait: Viri, diligite uxores vestras sicut et Christus Ecclesiam. Ecce discipulus uxorem diligendam prædicat, cum magister dicat: Qui uxorem non odit, non potest meus esse discipulus. Numquid aliud judex nuntiat, aliud præco clamat? An simul et odisse possumus, et diligere? Sed si vim præcepti perpendimus, utrumque agere per discretionem valemus: ut uxorem, et eos, qui nobis carnis cognatione conjuncti sunt, et quos proximos novimus, diligamus: et quos adversarios in via Dei patimur, odiendo et fugiendo nesciamus.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

Ad Laudes.

et per Horas, Antiphonæ.

1. QUI me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.

2. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, dicit Dominus.

3. Qui mihi ministrat, me sequatur: et ubi ego sum, illic sit et minister meus.

4. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, qui est in cœlis, dicit Dominus.

5. Volo, Pater, ut ubi ego sum, illic sit et minister meus.

Capitulum. Jac. 1.

BEATUS vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se,

HYMNUS.

INVICTE Martyr, unicum
Patris secutus Filium,
Victis triumphas hostibus,
Victor fruens cœlestibus.

Tui precatus munere
Nostrum reatum dilue,
Arcens mali contagium,
Vitæ repellens tædium.

Soluta sunt jam vincula
Tui sacrati corporis:
Nos solve vinclis sæculi,
Dono superni Numinis.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Justus ut palma florebit. ℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

Pro Martyre et Pontifice. Oratio.

INFIRMITATEM nostram respice, omnipotens Deus, et quia pondus propriæ actionis gravat, beati N. Martyris tui atque Pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum.

Alia Oratio

DEUS, qui nos beati N. Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate lætificas, concede propitius; ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.

Digitized by Google

Pro martyre tantum. Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati N. Martyris tui natalitia colimus, intercessione ejus in tui nominis amore roboremur. Per Dominum.

Alia Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut, intercedente beato N. Martyre tuo, et a cunctis adversitatibus liberemur in corpore, et a pravis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum.

Ad Tertiam.

Capit. Beatus vir, *ut supra.*

℟. *br.* Gloria et honore * Coronasti eum, Domine. Gloria et honore. ℣. Et constituisti eum super opera manuum tuarum. Coronasti. Gloria. Gloria et honore. ℣. Posuisti, Domine, super caput ejus. ℟. Coronam de lapide pretioso.

Ad Sextam.

Capitulum. Eccli. 15.

CIBAVIT illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit illum Dominus Deus noster.

℟. *br.* Posuisti, Domine, * Super caput ejus. Posuisti ℣. Coronam de lapide pretioso. Super. Gloria. Posuisti. ℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo. ℟. Gloriam et magnum decorem impones super eum.

Ad Nonam.

Capitulum. Eccli. 30.

JUSTUS cor suum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur.

℟. *br.* Magna est gloria ejus * In salutari tuo. Magna est. ℣. Gloriam et magnum decorem impones super eum. In salutari. Gloria. Magna est. ℣. Justus ut palma florebit. ℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

In II. Vesperis.

Ant. de Laud. Psalmi de Dom. loco ult. Credidi, *p.* 88.

Capit. et hymnus ut in I. Vesp. ℣. Justus ut palma florebit. ℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Magnif. Ant. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

2.° ALIÆ LECTIONES *pro uno Martyre.*

IN II. NOCTURNO.

De expositione sancti Ambrosii Episcopi in psalmum centesimum decimum octavum.

Serm. 21. *Lectio* iv.

PRINCIPES persecuti sunt me gratis, et a verbis tuis trepidavit cor meum. Bene hoc Martyr dicit, quod injuste persecutionum tormenta sustineat, qui nihil rapuerit, nullum violentus oppresserit, nullius sanguinem fuderit, nullius torum putaverit esse violandum: qui nihil legibus debeat, et graviora latronum sustinere cogatur supplicia: qui loquatur juste, et non audiatur: qui loquatur plena salutis, et impugnetur; ut possit dicere: Cum loquebar illis, impugnabant me gratis. Gratis igitur persecutionem patitur, qui impugnatur sine crimine, impugnatur ut noxius, cum sit et tali confessione laudabilis: impugnatur quasi veneficus, qui in nomine Domini gloriatur, cum pietas virtutum omnium fundamentum sit.

℟. Honestum fecit, *p.* 17 *.

Lectio v.

VERE frustra impugnatur, qui apud impios et infidos impietatis arcessitur, cum fidei sit magister. Verum qui gratis impugnatur, fortis debet esse et constans. Quomodo ergo subtexuit: Et a verbis tuis trepidavit cor meum? Trepidare infirmitatis est, timoris atque formidinis. Sed est etiam timor sanctorum. Timete Dominum, omnes sancti ejus: et, Beatus vir qui timet Dominum. Qua ratione beatus? Quia in mandatis ejus cupit nimis.

℟. Desiderium, *p.* 18 *

Lectio vj.

PONE ergo Martyrem inter pericula constitutum, cum inde immanitas bestiarum ad incutiendum terrorem infremat, aliunde stridor candentium laminarum, et flamma fornacis ardentis exæstuet, ex parte alia personent tractus gravium catenarum, hinc carnifex cruentus assistat: pone, inquam, circumspectantem omnia plena suppliciis, deinde cogitantem mandata divina, illum ignem perpetuum, illud sine fine incendium perfidorum, illam pœnæ rerrudescentis ærumnam: trepidare corde, ne, dum præsentibus cedat, perpetuis se dedat exitiis: perturbari animo, dum futuri judicii rhomphæam illam terribilem quadam conspectus specie contuetur. Nonne ad hanc trepidationem fiduciæ viri constantis, æqualis in eumdem concurrit effectum confidentia cupientis æterna, et divina trepidantis?

℟. **Stola jucunditatis**, *p.* 18*

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. **Cap. 16.**

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 32 *in Evangelia.*

QUIA Dominus ac Redemptor noster novus homo venit in mundum, nova præcepta dedit mundo. Vitæ etenim nostræ veteri in vitiis enutritæ contrarietatem opposuit novitatis suæ. Quid enim vetus, quid carnalis homo noverat, nisi sua retinere, aliena rapere, si posset; concupiscere, si non posset? Sed cœlestis medicus singulis quibusque vitiis obviantia adhibet medicamenta. Nam sicut arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur, ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem.

℟. **Corona aurea**, *p.* 19*.

Lectio viij.

CERTE, cum se sequentibus nova mandata proponeret, dixit: Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Ac si aperte dicat: Qui per vitam veterem aliena concupiscitis, per novæ conversationis studium et vestra largimini. Quid vero in hac lectione dicat, audiamus: Qui vult post me venire, abneget semetipsum. Ibi dicitur, ut abnegemus nostra: hic dicitur, ut abnegemus nos. Et fortasse laboriosum non est homini relinquere sua: sed valde laboriosum est relinquere semetipsum. Minus quippe est abnegare quod habet: valde autem multum est abnegare quod est.

℟. **Hic est vere Martyr**, *p.* 19*

Lectio ix.

AD se autem nobis venientibus Dominus præcepit, ut renuntiemus nostris: quia quicumque ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus. Nihil autem maligni spiritus in hoc mundo proprium possident: nudi ergo cum nudis luctari debemus. Nam si vestitus quisque cum nudo luctatur, citius ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abjiciat ne succumbat.

3.° *Alia Homilia.*

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. **Cap. 10.**

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nihil est opertum, quod non revelabitur, et occultum, quod non scietur. Et reliqua.

Homilia S. Hilarii Episcopi.

Comment. in Matth. can. 10. post medium.

DOMINUS diem judicii ostendit, quæ abstrusam voluntatis nostræ

Digitized by Google

conscientiam prodet: et ea, quæ nunc occulta existimantur, luce cognitionis publicæ deteget. Igitur non minas, non consilia, non potestates insectantium monet esse metuendas: quia dies judicii nulla hæc fuisse atque inania revelabit. Et quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis, prædicate super tecta. Non legimus Dominum solitum fuisse noctibus sermocinari, et doctrinam in tenebris tradidisse: sed quia omnis sermo ejus carnalibus tenebræ sunt, et verbum ejus infidelibus nox est.

℟. Corona aurea, *p.* 19*.

Lectio viij.

ITAQUE id, quod a se dictum est, cum libertate fidei et confessionis vult esse loquendum. Idcirco quæ in tenebris dicta sunt, prædicari jussit in lumine: ut quæ secreto aurium commissa sunt, super tecta, id est, excelso loquentium præconio audiantur. Constanter enim Dei ingerenda cognitio est, et profundum doctrinæ Evangelicæ secretum in lumine prædicationis Apostolicæ revelandum: non timentes eos, quibus cum sit licentia in corpora, tamen in animam jus nullum est: sed timentes potius Deum, cui perdendæ in gehenna et animæ et corporis sit potestas.

℟. Hic est vere, *p.* 19*.

Lectio ix.

NOLITE timere eos qui occidunt corpus. Nullus igitur corporum nostrorum casus est pertimescendus, neque ullus interimendæ carnis admittendus est dolor: quando pro naturæ suæ atque originis conditione resoluta, in substantiam spiritualis animæ refundatur. Et quia doctrinis talibus confirmatos oportet liberam confitendi Dei habere constantiam, etiam conditionem, qua teneremur, adjecit: negaturum se eum Patri in cœlis, qui se hominibus in terra negasset; eum porro, qui confessus coram hominibus se fuisset, a se in cœlis confitendum: qualesque nos nominis sui testes hominibus fuissemus, tali nos apud Deum Patrem testimonio ejus usuros.

COMMUNE

APOSTOLORUM, EVANGELISTARUM,

unius et plur. Martyr., temp. Paschali.

Ad I. Vesperas.

Ant. de Laud. Psalmi de Dom. loco ult. Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum. Sap. 5.

STABUNT justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum.

HYMNUS.

Pro Apostolis et Evangelistis.

TRISTES erant Apostoli
De Christi acerbo funere,
Quem morte crudelissima
Servi necarant impii.

Sermone verax Angelus
Mulieribus prædixerat:
Mox ore Christus gaudium
Gregi feret Fidelium.

Ad anxios Apostolos
Currunt statim dum nuntiæ
Illæ micantis obvia
Christi tenent vestigia.

Galilææ ad alta montium
Se conferunt Apostoli,
Jesuque, voti compotes,
Almo beantur lumine.

Ut sis perenne mentibus
Paschale, Jesu, gaudium,
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

Pro uno Martyre.

Deus tuorum militum, *p.* 13*.

Pro plur. Martyribus

Rex gloriose Martyrum, *p.* 36*.

℣. Sancti et justi, in Domino gaudete, alleluia. ℟. Vos elegit Deus in hæreditatem sibi, allel.

Digitized by Google

Ad Magnif. Ant. Lux perpetua lucebit sanctis tuis, Domine, et æternitas temporum, alleluia.

Ad Matutinum.

Pro Apostolis et Evangelistis

Invit. Regem Apostolorum Dominum, * Venite, adoremus, alleluia. *Psalm.* Venite. I.

Hymnus Tristes erant, *ut supra.*

Pro uno vel plur. Martyribus.

Invit. Exultent in Domino sancti,* Alleluia. *Psalm.* Venite. I.

Hymnus pro uno Martyre

Deus tuorum militum, *p.* 13*.

Pro plur. Martyribus

Christo profusum sanguinem, *p.* 29*.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiavarunt, alleluia.

Sub una tantum Ant. in quolibet Noct. dicuntur Psalmi, de Com. Apost si fiat de Apostolo vel Evangelista; de Com. unius Martyris, si de uno Martyre; de Com. plur. Martyrum, si de plur. Martyribus.

℣. Sancti et justi, in Domino gaudete, alleluia. ℟. Vos elegit Deus in hæreditatem sibi, alleluia. Pater noster.

Absol. Exaudi. ℣. Jube, domne.

Bened. Benedictione perpetua.

Lect. I Noct. de script. occ. vel ut in proprio annotatur.

℟. j. Beatus vir qui metuit Dominum, alleluia: * In mandatis ejus cupit nimis, alleluia, allel., allel. ℣. Gloria et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi. In mandatis.

Bened. Unigenitus Dei Filius.

℟. ij. Tristitia vestra, alleluia, * Convertetur in gaudium, alleluia, alleluia. ℣. Mundus autem gaudebit, vos vero contristabimini, sed tristitia vestra. Convertetur.

℟. iij. Pretiosa in conspectu Domini, alleluia, * Mors sanctorum ejus, alleluia. ℣. Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur. Mors. Gloria. Mors.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est, alleluia.

℣. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, alleluia. ℟. Et æternitas temporum, alleluia. Pater noster.

Absol. Ipsius. ℣. Jube, domne.

Bened. Deus Pater omnipotens.

Sermo S. Ambrosii Episcopi.

Sermo 33. *Lectio* iv.

DIGNUM et congruum est, fratres, ut post lætitiam Paschæ, quam in Ecclesia celebravimus, gaudia nostra cum sanctis Martyribus conferamus: et iis annuntiemus Dominicæ resurrectionis gloriam, qui consortes sunt Dominicæ passionis. Qui enim socii sunt contumeliæ, debent et participes esse lætitiæ. Ita enim dicit beatus Apostolus: Sicut socii passionum estis, et resurrectionis eritis: si tolerabimus, inquit, et conregnabimus. Qui ergo toleraverunt mala propter Christum, debent et gloriam habere cum Christo.

℟. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, * Et æternitas temporum, alleluia, alleluia. ℣. Lætitia sempiterna erit super capita eorum: gaudium et exultationem obtinebunt. Et æternitas.

Bened. Christus perpetuæ.

Lectio v.

ANNUNTIEMUS, inquam, sanctis Martyribus Dominicæ Paschæ gratiam: ut, dum sepulturæ illius prædicamus reserata claustra, et horum sepulchra reserentur: dum corpus illius mortuum dicimus tepentibus venis subito viguisse, horum quoque membra jam frigida immortalitatis calore foveantur. Eadem enim ratio Martyres suscitat, quæ et Dominum suscitavit. Nam sicut viam passionis ejus experti sunt, ita experien-

tur et vitæ. Scriptum est enim in Psalmo: Notas mihi fecisti vias vitæ. Hoc utique in resurrectione ex persona dicitur Salvatoris, ut qui, dum post mortem ab inferis redit ad superos, incipiat notam habere viam vitæ, quæ ante habebatur ignota.

Pro Apostolis et Evangelistis.

℟. Virtute magna reddebant Apostoli * Testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, alleluia, allel. ℣. Repleti quidem Spiritu sancto loquebantur cum fiducia verbum Dei Testimonium.

Pro uno vel plur. Mart.

℟. In servis suis, alleluia, * Consolabitur Deus, alleluia. ℣. Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis. — Consolabitur.

Bened. Ignem sui amoris.

Lectio vj.

IGNOTA enim erat ante Christi adventum via vitæ, quæ nullius adhuc resurgentis fuerat temerata vestigio. At ubi Dominus resurrexit, nota facta, solo attrita est plurimorum. De quibus sanctus Evangelista ait: Multorum corpora sanctorum surrexerunt cum eo, et introierunt in sanctam civitatem. Unde, cum Dominus in resurrectione sua dixerit: Notas mihi fecisti vias vitæ: possumus et nos jam dicere Domino: Notas fecisti nobis vias vitæ. Ipse enim nobis notas fecit vias vitæ, qui nobis semitam manifestavit ad vitam. Notas enim mihi fecit vias vitæ, cum me docuit fidem, misericordiam, justitiam, castitatem: his enim pervenitur itineribus ad salutem.

Pro Apostolis et Evangelistis.

℟. Isti sunt agni novelli, qui annuntiaverunt, alleluia: modo venerunt ad fontes: * Repleti sunt claritate, alleluia, allel. ℣. In conspectu Agni amicti sunt stolis albis, et palmæ in manibus eorum. Repleti.

Pro uno vel plur. Mart.

℟. Filiæ Jerusalem, venite et videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus, * In die solemnitatis et lætitiæ, alleluia. ℣. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In die. Gloria. In die.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Lux perpetua lucebit sanctis tuis, Domine, et æternitas temporum, alleluia.

℣. Lætitia sempiterna super capita eorum, alleluia. ℟. Gaudium et exultationem obtinebunt, alleluia. Pater noster.

Absol. A vinculis. ℣. Jube domne.

Bened. Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 15.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 80 *in Ioannem.*

ISTE locus Evangelicus, fratres, ubi se dicit Dominus vitem, et discipulos suos palmites, secundum hoc dicit, quod est caput Ecclesiæ, nosque membra ejus, mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. Unius quippe naturæ sunt vitis et palmites. Propter quod cum esset Deus, cujus naturæ non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura, cujus et nos homines palmites esse possemus.

℟. Ego sum vitis vera, et vos palmites: * Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, alleluia, alleluia. ℣. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Qui.

Bened. Cujus *vel* Quorum festum.

Lectio viij.

QUID ergo est, Ego sum vitis vera? Numquid ut adderet vera, hoc ad eam vitem retulit, unde ista similitudo translata est? Sic enim dicitur vitis per similitudinem, non per proprietatem: quemadmodum dicitur

ovis, agnus, leo, petra, lapis angularis, et cætera hujusmodi, quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus ducuntur istæ similitudines, non proprietates. Sed cum dicit: Ego sum vitis vera, ab illa se utique discernit, cui dicitur: Quomodo conversa es in amaritudinem, vitis vera, quæ expectata est ut faceret uvam, fecit autem spinas?

℟. Candidi facti sunt Nazaræi ejus, alleluia: splendorem Deo dederunt, alleluia: * Et sicut lac coagulati sunt, alleluia, alleluia. ℣. Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores, Et sicut. Gloria. Et sicut.

Bened. Ad societatem.

Lectio ix.

Ego sum, inquit, vitis vera, et Pater meus agricola est. Numquid unum sunt agricola et vitis? Secundum hoc ergo vitis Christus, secundum quod ait: Pater major me est. Secundum autem id quod ait: Ego et Pater unum sumus, et ipse agricola est: nec talis, quales sunt qui extrinsecus operando exhibent ministerium: sed talis, ut det etiam intrinsecus incrementum. Nam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus. Sed utique Deus est Christus, quia Deus erat Verbum: unde ipse et Pater unum sunt: et, si Verbum caro factum est, quod non erat, manet quod erat.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

Ad Laudes.

et per Horas, Antiphonæ.

1. SANCTI tui, Domine, florebunt sicut lilium, alleluia: et sicut odor balsami erunt ante te; alleluia.

2. In cœlestibus regnis sanctorum habitatio est, alleluia: et in æternum requies eorum, alleluia.

3. In velamento clamabant sancti tui, Domine, alleluia, alleluia, alleluia.

4. Spiritus et animæ justorum, hymnum dicite Deo nostro, alleluia, alleluia.

5. Fulgebunt justi sicut sol in conspectu Dei, alleluia.

Capitulum. Sap. 5.

STABUNT justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum.

HYMNUS,

Pro Apost. et Evangel.

PASCHALE mundo gaudium
Sol nuntiat formosior,
Cum luce fulgentem nova
Jesum vident Apostoli.

In carne Christi vulnera
Micare tamquam sidera
Mirantur, et quidquid vident
Testes fideles prædicant.

Rex Christe clementissime,
Tu corda nostra posside,
Ut lingua grates debitas
Tuo rependat nomini.

Ut sis perenne mentibus
Paschale, Jesu, gaudium,
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

Pro uno Martyre

Invicte Martyr unicum, *p.* 19*

Pro plur. Martyribus

Rex gloriose Martyrum, *p.* 34*.

℣. Pretiosa in conspectu Domini, alleluia. ℟. Mors sanctorum ejus, alleluia.

Ad Bened. Ant. Filiæ Jerusalem, venite et videte Martyres cum coronis quibus coronavit eos Dominus in die solemnitatis et lætitiæ, alleluia, alleluia.

Ad Tertiam.

Capit. Stabunt justi, *ut supra.*

℟. *br.* Sancti et justi, in Domino gaudete, * Alleluia, alleluja. Sancti

et justi. ℣. Vos elegit Deus in hæreditatem sibi. Alleluia, alleluia. Gloria. Sancti et justi. ℣. Lux perpetua lucebit sanctis tuis, Domine, alleluia. ℟. Et æternitas temporum, alleluia.

Ad Sextum.

Capitulum. Sap. 5.

ECCE quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est.

℟. *br.* Lux perpetua lucebit sanctis tuis, Domine, * Alleluia, alleluia. Lux perpetua. ℣. Et æternitas temporum. Alleluia, allel. Gloria. Lux perpetua. ℣. Lætitia sempiterna super capita eorum, alleluia. ℟. Gaudium et exultationem obtinebunt, alleluia.

Ad Nonam.

Capitulum. Rom. 8.

SCIMUS quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.

℟. *br.* Lætitia sempiterna super capita eorum, * Alleluia, alleluia. Lætitia. ℣. Gaudium et exultationem obtinebunt. Alleluia, allel. Gloria. Lætitia. ℣. Pretiosa in conspectu Domini, alleluia. ℟. Mors sanctorum ejus, alleluia.

In II. Vesperis.

Ant. de Laud. Psalmi pro Apost. et Evangel. ut in II Vesp. Apost.

Pro uno vel plur. Mart. de Dom. loco ult. Credidi, p. 88.

Capit. et Hymnus ut in. I. Vesp.

℣. Pretiosa in conspectu Domini, alleluia. ℟. Mors sanctorum ejus, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Sancti et justi in Domino gaudete, alleluia: vos elegit Deus in hæreditatem sibi, alleluia.

2.° ALIÆ LECTIONES

pro Martyribus temp. Paschali.

IN II. NOCTURNO.

De Epistola S. Cypriani Episcopi et Martyris ad Martyres et Confessores

Lib. 2. Epist. 6. *Lectio* iv.

QUIBUS ego vos laudibus prædicem, fortissimi Martyres? Robur pectoris vestri, et perseverantiam fidei quo præconio vocis exornem? Tolerastis usque ad consummationem gloriæ durissimam quæstionem: nec cessistis suppliciis, sed vobis potius supplicia cesserunt. Finem doloribus, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt. Laniena gravior ad hoc diu perseveravit, non ut stantem fidem dejiceret, sed ut homines Dei ad Deum velocius mitteret.

℟. Lux perpetua, *p.* 23*.

Lectio v.

VIDIT admirans præsentium multitudo cœleste certamen, certamen Dei, certamen spiritale, prælium Christi: stetisse servos ejus voce libera, mente incorrupta, virtute divina, telis quidem sæcularibus nudos, sed armis fidei ardentis armatos. Steterunt torti torquentibus fortiores, et pulsantes ac laniantes ungulas pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sæviens diu plaga repetita, quamvis, rupta compage viscerum, torquerentur in servis Dei jam non membra, sed vulnera. Fluebat sanguis, qui incendium persecutionis extingueret, qui flammas et ignes gehennæ glorioso cruore sopiret.

℟. In servis suis, *p.* 24*.

Lectio vj.

O QUALE illud fuit spectaculum Domino, quam sublime, quam magnum, quam Dei oculis sacramento ac devotione militis ejus acceptum! sicut scriptum est in psalmis, Spiritu sancto loquente ad nos pariter et monente: Pretiosa est in conspectu Domini mors justorum ejus. Pretiosa mors hæc est, quæ emit immortalitatem pretio sui sanguinis, quæ accepit coronam de consummatione virtutis. Quam lætus illic Christus fuit, quam libens in talibus servis suis et pugnavit, et vicit protector fidei, dans

credentibus tantum, quantum se credit capere qui sumit! Certamini suo adfuit, prælatores atque assertores sui nominis erexit, corroboravit, animavit. Et qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis.

℟. Filiæ Jerusalem, *p.* 25*.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 15.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 81 *in Ioan. sub medium.*

NE quisquam putaret saltem parvum aliquem fructum posse a semetipso palmitem ferre, cum dixisset: Hic fert fructum multum; non ait: Quia sine me parum potestis facere; sed: Nihil potestis facere. Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest: quia etsi parum attulerit palmes eum purgat agricola, ut plus afferat. Tamen nisi in vite manserit, et vixerit de radice, quantumlibet fructum a semetipso non potest ferre. Quamvis autem Christus vitis non esset, nisi homo esset: tamen istam gratiam palmitibus non præberet, nisi etiam Deus esset.

℟. Ego sum vitis, *p.* 25*.

Lectio viij.

VERUM quia ita sine ista gratia non potest vivi, ut et mors in potestate sit liberi arbitrii: Si quis in me, inquit, non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Ligna itaque vitis tanto sunt contemptibiliora si in vite non manserint, quanto gloriosora si manserint. Denique sicut de his etiam per Ezechielem prophetam Dominus dicit, præcisa nullis agricolarum usibus prosunt, nullis fabrilibus operibus deputantur. Unum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis: si in vite non est, in igne erit: ut ergo in igne non sit, in vite sit.

℟. Candidi facti sunt, *p.* 26*.

Lectio ix.

SI manseritis in me, inquit, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis. Manendo quippe in Christo, quid velle possunt, nisi quod convenit Christo? quid velle possunt manendo in salvatore, nisi quod non est alienum a salute? Aliud quippe volumus, quia sumus in Christo; et aliud volumus, quia sumus adhuc in hoc sæculo. De mansione namque hujus sæculi nobis aliquando subrepit, ut hoc petamus, quod nobis non expedire nescimus. Sed absit ut fiat nobis, si manemus in Christo, qui non facit quando petimus, nisi quod expedit nobis.

In Communi Confessorum, Virginum, et non Virginum, et Dedicationis Eccl. temp. Pasch. Officium fit ut inferius in aliis temp. sed in fine ad Invit. Ant. Vers. et Resp. additur unum Allel. *(duo vero ad ℟℟. br. Horarum; et tres Psalmi dicuntur in quolibet Noct. sub.* j. *Ant. illius Noct.*

COMMUNE.

PLURIMORUM MARTYRUM.

extra tempus. Paschale.

Ad I. Vesperis.

Ant. de Laud. Psalmi de Dom. et loco ult. Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum. Sap. 3.

JUSTORUM animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori: illi autem sunt in pace.

HYMNUS.

SANCTORUM meritis inclyta gaudia.

Pangamus, socii, gestaque fortia :
Gliscens fert animus promere cantibus
Victorum genus optimum.
Hi sunt, quos fatue mundus abhorruit :
Hunc fructu vacuum, floribus aridum
Contempsere tui nominis asseclæ,
Jesu, Rex bone cœlitum.
Hi pro te furias, atque minas truces
Calcarunt hominum, sævaque verbera:
His cessit lacerans fortiter ungula,
Nec carpsit penetralia.
Cæduntur gladiis more bidentium:
Non murmur resonat, non querimonia :
Sed corde impavido mens bene conscia
Conservat patientiam.
Quæ vox, quæ poterit lingua retexere
Quæ tu Martyribus munera præparas ?
Rubri nam fluido sanguine fulgidis
Cingunt tempora laureis.
Te, summa o Deitas unaque, poscimus,
Ut culpas abigas, noxia subtrahas,
Des pacem famulis, ut tibi gloriam
Annorum in seriem canant.
Amen.

℣. Lætamini in Domino, et exultate, justi. ℟. Et gloriamini, omnes recti corde.

Ad Magnif. Ant. Istorum est enim regnum cœlorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

Pro plur. Mart. Pont. Oratio.

BEATORUM Martyrum, pariterque Pontificum N. et N. nos, quæsumus, Domine, festa tueantur, et eorum commendet oratio veneranda. Per Dominum.

Si non fuerint Pont. Oratio.

DEUS, qui nos concedis sanctorum Martyrum tuorum N. et N. natalitia colere, da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum.

Alia Oratio.

DEUS, qui nos annua sanctorum Martyrum tuorum N. et N. solemnitate lætificas, concede propitius, ut quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Dominum.

Ad Matutinum.

Invit. Regem Martyrum Dominum,* Venite, adoremus.
Psalm. Venite. I.

HYMNUS.

CHRISTO profusum sanguinem
Et Martyrum victorias,
Dignamque cœlo lauream
Lætis sequamur vocibus.
Terrore victo sæculi,
Pœnisque spretis corporis
Mortis sacræ compendio
Vitam beatam possident.
Traduntur igni Martyres,
Et bestiarum dentibus
Armata sævit ungulis
Tortoris insani manus.
Nudata pendent viscera,
Sanguis sacratus funditur :
Sed permanent immobiles
Vitæ perennis gratia.
Te nunc, Redemptor, quæsumus,
Ut Martyrum consortio
Jungas precantes servulos
In sempiterna sæcula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Secus decursus aquarum plantavit vineam justorum, et in lege Domini fuit voluntas eorum.

Psalmus 1.

BEATUS vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, * et in cathedra pestilentiæ non sedit :
Sed in lege Domini voluntas ejus,* et in lege ejus meditabitur die ac nocte.
Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, * quod fructum suum dabit in tempore suo :

Digitized by Google

Et folium ejus non defluet:* et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.

Non sic impii, non sic: * sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.

Ideo non resurgent impii in judicio:* neque peccatores in concilio justorum.

Quoniam novit Dominus viam justorum: * et iter impiorum peribit.

Ant. Secus decursus aquarum plantavit vineam justorum, et in lege Domini fuit voluntas eorum.

Ant. Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus: et quasi holocausta accepit eos in æternum.

Psalmus 2.

QUARE fremuerunt gentes, * et populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum * adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum: * et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in cœlis, irridebit eos:* et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua:* et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus:* prædicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, * et possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea,* et tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc, reges, intelligite:* erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore: * et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, * et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus,* beati omnes qui confidunt in eo.

Ant. Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus: et quasi holocausta accepit eos in æternum.

Ant. Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes electorum est immortalis in æternum.

Psalmus 3.

DOMINE, quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es, * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi:* et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum:* et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * et super populum tuum benedictio tua.

Ant. Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes electorum est immortalis in æternum.

℣. Lætamini in Domino, et exultate, justi. ℟. Et gloriamini, omnes recti corde. Pater noster.

Absol. Exaudi. ℣. Jube, domne. *Bened.* Benedictione perpetua.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Lectio j. Cap. 8.

FRATRES, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater); Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur,

Digitized by Google

ut et conglorificemur. Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat.

℟. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, et jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor : * Quoniam priora transierunt. ℣. Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus. Quoniam.

Bened. Unigenitus Dei Filius.

Lectio ij.

SCIMUS autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et justificavit: quos autem justificavit, illos et glorificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat, quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

℟. Viri sancti gloriosum sanguinem fuderunt pro Domino, amaverunt Christum in vita sua, imitati sunt eum in morte sua : * Et ideo coronas triumphales meruerunt. ℣. Unus spiritus, et una fides erat in eis. Et ideo.

Bened. Spiritus sancti gratia.

Lectio iij.

QUIS ergo nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Sicut scriptum est : Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

℟. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia, * Et meruerunt habere coronas perpetuas. ℣. Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine Agni. Et. Gloria. Et.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Dabo sanctis meis locum nominatum in regno Patris mei, dicit Dominus.

Psalmus 14.

DOMINE, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, * et operatur justitiam :

Qui loquitur veritatem in corde suo: * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit proximo suo malum, * et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus : * timentes autem Dominum glorificat :

Qui jurat proximo suo, et non decipit, * qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit hæc, * non movebitur in æternum.

Ant. Dabo sanctis meis locum nominatum in regno Patris mei, dicit Dominus.

Ant. Sanctis, qui in terra sunt ejus, mirificavit omnes voluntates meas inter illos.

Psalmus 15.

CONSERVA me, Domine, quoniam speravi in te. * Dixi Domi-

Digitized by Google

no : Deus meus es tu , quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum:* postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus : * nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei : * tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in præclaris : * etenim hæreditas mea præclara est mihi.

Benedicam Dominum , qui tribuit mihi intellectum : * insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Providebam Dominum in conspectu meo semper : * quoniam a dextris est mihi , ne commovear.

Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea : * insuper et caro mea requiescet in spe.

Quoniam non dereliuques animam meam in inferno : * nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitæ , adimplebis me lætitia cum vultu tuo : * delectationes in dextera tua usque in finem.

Ant. Sanctis, qui in terra sunt ejus, mirificavit omnes voluntates meas inter illos.

Ant. Sancti , qui sperant in Domino, habebunt fortitudiuem; assument pennas ut aquilæ , volabunt , et non deficient.

Psalmus 23.

DOMINI est terra , et plenitudo ejus: * orbis terrarum et universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum:* et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini?* aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus , et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum,* quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini , portæ æternales : * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini , portæ æternales ; * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ ? * Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.

Ant. Sancti, qui sperant in Domino, habebunt fortitudinem; assument pennas ut aquilæ , volabunt, et non deficient

℣. Exultent justi in conspectu Dei. ℟. Et delectentur in lætitia.

Pater noster.

Absol. Ipsius. ℣. Jube domne.

Bened. Deus Pater omnipotens.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Sermo 67 de Sanctis. Lectio iv.

QUOTIESCUMQUE, fratres charissimi, sanctorum Martyrum solemnia celebramus, ita ipsis intercedentibus, expectemus a Domino consequi temporalia beneficia , ut ipsos Martyres imitando, accipere mereamur æterna. Ab ipsis enim sanctorum Martyrum in veritate festivitatum gaudia celebrantur , qui ipsorum Martyrum exempla sequuntur. Solemnitates enim Martyrum , exhortationes sunt Martyriorum: ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.

℟. Sancti tui , Domine , mirabile consecuti sunt iter , servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis. * Terra apparuit arida, et in mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt. Terra.

Bened. Christus perpetuæ.

Lectio v.

SED nos volumus gaudere cum sanctis , et tribulationem mundi

Digitized by Google

nolumus sustinere cum ipsis. Qui enim sanctos Martyres, in quantum potuerit, imitari noluerit, ad eorum beatitudinem non poterit pervenire. Sed et Paulus Apostolus prædicat dicens: Si fuerimus socii passionum, erimus et consolationum. Et Dominus in Evangelio: Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Recusat esse in corpore, qui odium non vult sustinere cum capite.

℟. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut hæredes fierent in domo Domini. ℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut hæredes.

Bened. Ignem sui amoris.

Lectio VI

SED dicet aliquis: Et quis est qui possit beatorum Martyrum vestigia sequi? Huic ego respondeo, quia non solum Martyres, sed etiam ipsum Dominum cum ipsius adjutorio, si volumus, possumus imitari. Audi non me, sed ipsum Dominum generi humano clamantem: Discite a me quia mitis sum et humilis corde. Audi et Petrum Apostolum admonentem: Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus.

℟. Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos: et in tempore erit respectus illorum:* Quoniam donum et pax est electis Dei. ℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: et fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria. Quoniam.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum.

Psalmus 32.

EXULTATE, justi, in Domino:* rectos decet collaudatio.

Confitemini Domino in cithara: * in psalterio decem chordarum psallite illi.

Cantate ei canticum novum:* bene psallite ei in vociferatione.

Quia rectum est verbum Domini.* et omnia opera ejus in fide.

Diligit misericordiam et judicium:* misericordia Domini plena est terra.

Verbo Domini cœli firmati sunt:* et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Congregans sicut in utre aquas maris:* ponens in thesauris abyssos.

Timeat Dominum omnis terra:* ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

Quoniam ipse dixit, et facta sunt:* ipse mandavit, et creata sunt.

Dominus dissipat consilia Gentium:* reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum.

Consilium autem Domini in æternum manet:* cogitationes cordis ejus in generatione et generationem.

Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus.* populus, quem elegit in hæreditatem sibi.

De cœlo respexit Dominus:* vidit omnes filios hominum.

De præparato habitaculo suo* respexit super omnes, qui habitant terram.

Qui finxit singillatim corda eorum:* qui intelligit omnia opera eorum.

Non salvatur rex per multam virtutem:* et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.

Fallax equus ad salutem:* in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.

Ecce oculi Domini super metuentes eum:* et in eis, qui sperant super misericordia ejus.

Ut eruat a morte animas eorum,* et alat eos in fame.

Anima nostra sustinet Dominum:* quoniam adjutor et protector noster est.

Quia in eo lætabitur cor nostrum:* et in nomine sancto ejus speravimus.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos,* quemadmodum speravimus in te.

Ant. Justi autem in perpetuum

Digitized by Google

vivent, et apud Dominum est merces eorum.

Ant. Tradiderunt corpora sua in mortem, ne servirent idolis: ideo coronati possident palmam.

Psalmus 33.

BENEDICAM Dominum in omni tempore: * semper laus ejus in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea: * audiant mansueti, et lætentur.

Magnificate Dominum mecum: * et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Exquisivi Dominum, et exaudivit me: * et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum, et illuminamini, * et facies vestræ non confundentur.

Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum: * et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum: * et eripiet eos.

Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus: * beatus vir qui sperat in eo.

Timete Dominum, omnes sancti ejus: * quoniam non est inopia timentibus eum.

Divites eguerunt et esurierunt: * inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Venite, filii, audite me: * timorem Domini docebo vos.

Quis est homo qui vult vitam: * diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam a malo: * et labia tua ne loquantur dolum.

Diverte a malo, et fac bonum: * inquire pacem, et persequere eam.

Oculi Domini super justos: * et aures ejus in preces eorum.

Vultus autem Domini super facientes mala: * ut perdat de terra memoriam eorum.

Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos: * et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: * et humiles spiritu salvabit.

Multæ tribulationes justorum: * et de omnibus his liberabit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum: * unum ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima: * et qui oderunt justum, delinquent.

Redimet Dominus animas servorum suorum: * et non delinquent omnes qui sperant in eo.

Ant. Tradiderunt corpora sua in mortem, ne servirent idolis: ideo coronati possident palmam.

Ant. Ecce merces sanctorum copiosa est apud Deum: ipsi vero mortui sunt pro Christo, et vivent in æternum.

Psalmus 45.

DEUS noster refugium et virtus: * adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra, * et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum: * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: * sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus, non commovebitur: * adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: * auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret, et confringet arma: * et scuta comburet igni.

Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: * exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Ant. Ecce merces sanctorum copiosa est apud Deum: ipsi vero mortui sunt pro Christo, et vivent in æternum.

Digitized by Google

℣. Justi autem in perpetuum vivent. ℟. Et apud Dominum est merces eorum. Pater noster.

Absol. A vinculis. ℣. Jube domne.

Bened. Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 21.

IN illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis: Cum audieritis prælia et seditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Homilia 35 *in Evangelia.*

DOMINUS ac Redemptor noster perituri mundi præcurrentia mala denuntiat, ut eo minus perturbent venientia, quo fuerint præscita. Minus enim jacula feriunt quæ prævidentur: et nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur. Ecce enim dicit : Cum audieritis prælia et seditiones, nolite terreri : oportet enim primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Pensanda sunt verba Redemptoris nostri, per quæ nos aliud interius, aliud exterius passuros esse denuntiat. Bella quippe ad hostes pertinent, seditiones ad cives. Ut ergo nos indicet interius exteriusque turbari, aliud nos fatetur ab hostibus, aliud a fratribus perpeti.

℟. Propter testamentum Domini, et leges paternas, sancti Dei persteterunt in amore fraternitatis: * Quia unus fuit semper spiritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Quia.

Sequens ℟. *dicitur post* viij *vel* ij *Lectionem in festo plur. Martyrum fratrum.*

℟. Hæc est vera fraternitas, quæ nunquam potuit violari certamine : qui effuso sanguine secuti sunt Dominum :* Contemnentes aulam regiam, pervenerunt ad regna cœlestia. ℣. Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Contemnentes. Gloria. Contemnentes.

Bened. Quorum festum colimus.

Lectio viij.

SED his malis prævenientibus, quia non statim finis sequatur, adjungit: Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum : et terræmotus magni erunt per loca, et pestilentiæ, et fames, terroresque de cælo, et signa magna erunt. Ultima tribulatio multis tribulationibus prævenitur: et per crebra mala, quæ præveniunt, indicantur mala perpetua quæ subsequentur. Et ideo post bella et seditiones non statim finis: quia multa debent mala præcurrere, ut malum valeant sine fine nuntiare.

℟. Sancti mei, qui in carne positi, certamen habuistis: * Mercedem laboris ego reddam vobis. ℣. Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum. Mercedem. Gloria. Mercedem.

Bened. Ad societatem.

Lectio ix.

SED cum tot signa perturbationis dicta sint, oportet ut eorum considerationem breviter per singula perstringamus : quia necesse est ut alia e cælo, alia e terra, alia ab elementis, alia ab hominibus patiamur. Ait enim : Surget gens contra gentem, ecce perturbatio hominum : erunt terræmotus magni per loca, ecce respectus iræ desuper : erunt pestilentiæ, ecce inæqualitas corporum: erit fames, ecce sterilitas terræ: terroresque de cælo et tempestates, ecce inæqualitas aëris. Quia ergo omnia consummanda sunt, ante consummationem omnia perturbantur: et qui in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur, ut impleatur quod dicitur: Et pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

Ad Laudes.

et per Horas, Antiphonæ.

1. OMNES sancti, quanta passi

*

Digitized by Google

sunt tormenta, ut securi pervenirent ad palmam martyrii!

2. Cum palma ad regna pervenerunt sancti; coronas decoris meruerunt de manu Dei.

3. Corpora sanctorum in pace sepulta sunt, et vivent nomina eorum in æternum.

4. Martyres Domini, Dominum benedicite in æternum.

5. Martyrum chorus, laudate Dominum de cœlis, alleluia.

Capitulum Sap. 3.

JUSTORUM animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori: illi autem sunt in pace.

HYMNUS.

REX gloriose Martyrum,
Corona confitentium,
Qui respuentes terrea
Perducis ad cœlestia.

Aurem benignam protinus
Intende nostris vocibus;
Trophæa sacra pangimus,
Ignosce quod deliquimus.

Tu vincis inter Martyres,
Parcisque Confessoribus;
Tu vince nostra crimina,
Largitor indulgentiæ.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Exultabunt sancti in gloria.
℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Ad Bened. Ant. Vestri capilli capitis omnes numerati sunt: nolite timere, multis passeribus meliores estis vos.

Ad Tertiam.

Capit. Justorum animæ.

℟. *br.* Lætamini in Domino, * Et exultate, justi. Lætamini. ℣. Et gloriamini, omnes recti corde. Et exultate. Gloria. Lætamini. ℣. Exultent justi in conspectu Dei. ℟. Et delectentur in lætitia.

Ad Sextam.

Capitulum. Sap. 10.

REDDIDIT Deus mercedem laborum sanctorum suorum, et deduxit illos in via mirabili: et fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum nocte.

℟. *br.* Exultent justi * In conspectu Dei. Exultent. ℣. Et delectentur in lætitia. In conspectu. Gloria. Exultent. ℣. Justi autem in perpetuum vivent. ℟. Et apud Dominum est merces eorum.

Ad Nonam.

Capitulum. Sap. 3.

FULGEBUNT justi, et tamquam scintillæ in arundineto discurrent. Judicabunt nationes, et dominabuntur populis: et regnabit Dominus illorum in perpetuum.

℟. *br.* Justi autem * In perpetuum vivent. Justi. ℣. Et apud Dominum est merces eorum. In perpetuum. Gloria. Justi. ℣. Exultabunt sancti in gloria. ℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

In II. Vesperis.

Antiphonæ.

1. **ISTI** sunt sancti, qui pro testamento Dei sua corpora tradiderunt, et in sanguine Agni laverunt stolas suas.

Psalmi de Dom. loco ult. Credidi, *p.* 88.

2. Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones.

3. Sanctorum velut aquilæ juventus renovabitur: florebunt sicut lilium in civitate Domini.

4. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum: et jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, quoniam priora transierunt.

5. In cœlestibus regnis sanctorum habitatio est, et in in æternum requies eorum.

Capit. et Hymnus, ut in j. *Vesp.* p. 28 *.

Digitized by Google

℣. Exultabunt sancti in gloria.
℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Ad Magnif. Ant. Gaudent in cœlis animæ sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti; et quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exultant sine fine.

2.° ALIÆ LECTIONES
pro pluribus Martyribus.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Sermo 1. de Martyribus, tom. 3.

Lectio iv.

NEMO est qui nesciat, Martyrum glorias ad hoc divino consilio a Dei populis frequentari, ut et illis debitus honor dicetur, et nobis virtutis exempla, favente Christo, monstrentur: ut, dum hæc ita celebrari perspicimus, cognoscamus quanta eos gloria maneat in cœlis, quorum natalitia taliter celebrantur in terris, quo possimus etiam ipsi talibus provocari exemplis, virtute pari, devotione consimili ac fide: ut Christo præstante, dimicare et vincere hostem possimus: ut, parta victoria, cum iisdem sanctis in regnis cœlestibus triumphemus.

℟. Sancti tui, p. 32 *.

Lectio v.

QUIS est enim, qui eorum volens merito copulari, nisi prius constantiam eorum teneat, sectetur fidem, imitetur virtutem passionis, eorum gloriam paribus vitæ lineamentis aut inveniat, aut exquirat? Qui etsi martyrio par esse non possit, tamen muneris tanti dignitate se quisque bonis actibus dignum præbeat. Adest enim clementissimus Deus, qui desiderantibus suis aut martyrium præbeat, aut sine martyrio cum sanctis præmia divina retribuat.

℟. Verbera carnificum, p. 33*.

Lectio vj.

UT enim infirmatur peccator adversis, ita justus tentationibus roboratur. Sic dimicarunt adversus peccatum sancti; sic et laborando fortiores, et moriendo victores effecti sunt. Nullus athletes sine certamine fortior dici, nullus sine victoria poterit coronari. Nemo miles sine prælio hostem subiecit; nemo sine bello imperatorem promeruit. Habes, Christiane, competentia arma, quibus hostem expugnes: habes fortissima tela, quibus inimicum debelles.

℟. Tamquam aurum, *p.* 33 *

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo tempore: Descendens Jesus de monte, stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis ab omni Judæa, et Jerusalem, et maritima, et Tyri, et Sidonis. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 5. in Lucæ cap. 6. post init.

ADVERTE omnia diligenter, quomodo et cum Apostolis ascendat, et descendat ad turbas. Quomodo enim turba, nisi in humili Christum videret? Non sequitur ad excelsa, non ascendit ad sublimia. Denique ubi descendit, invenit infirmos: in excelsis enim infirmi esse non possunt. Hinc etiam Matthæus docet in inferioribus debiles esse sanatos. Prius enim unusquisque sanandus est, ut paulatim virtutibus procedentibus ascendere possit ad montem. Et ideo quemque in inferioribus sanat, hoc est, a libidine revocat, injuriam cæcitatis avertit. Ad vulnera nostra descendit, ut usu quodam et copia suæ naturæ, comparticipes nos faciat esse regni cœlestis.

℟. Propter testamentum, *p.* 35*.

Lectio viij.

BEATI pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Quatuor tantum beatitudines sanctus Lucas Dominicas posuit, octo vero sanctus Matthæus: sed in illis octo istæ quatuor sunt, et in quatuor istis illæ octo. Hic e-

Digitized by Google

nim quatuor velut virtutes amplexus est cardinales : ille in illis octo mysticum numerum reseravit. Pro octava enim multi inscribuntur psalmi : et mandatum accipis octo illis partem dare, fortasse benedictionibus. Sicut enim spei nostræ octava perfectio est, ita octava summa virtutum est.

℟. Sancti mei, *p.* 35*.

Lectio ix.

SED prius quæ sunt ampliora videamus. Beati, inquit, pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei. Primam benedictionem hanc uterque Evangelista posuit. Ordine enim prima est, et parens quædam generatioque virtutum : quia qui contempserit sæcularia, ipse merebitur sempiterna : nec potest quisquam meritum regni cœlestis adipisci, qui mundi cupiditate pressus, emergendi non habet facultatem.

3° *Alia Homilia.*

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 4. in Lucam. c. 12.

DE hoc fermento Apostolus præcipit : Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis. Nam sicut modicum fermentum totam farinæ, cui injicitur, massam corrumpit, universamque mox conspersionem suo sapore commaculat ; sic nimirum simulatio, cujus semel animum imbuerit, tota virtutum sinceritate et veritate fraudabit. Est ergo sensus : Attendite ne æmulemini simulatores, quia veniet profecto tempus, in quo et vestra virtus omnibus, et eorum reveletur hypocrisis.

℟. Propter testamentum, *p.* 35*.

Lectio viij.

VERUM quod sequitur : Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur : non solum in futuro quando cuncta cordium abscondita proferentur ad lucem, sed et in præsenti tempore potest congruenter accipi, quoniam quæ inter tenebras quondam pressurarum carcerumque umbras, vel locuti vel passi sunt Apostoli, nunc clarificata per orbem Ecclesia, lectis eorum actibus, publice prædicantur. Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus. Si persecutores sanctorum, occisis corporibus, non habent amplius quid contra illos agant ; ergo supervacua furunt insania, qui mortua Martyrum membra feris avibusque discerpenda projiciunt, cum nequaquam omnipotentiæ Dei, quin ea resuscitando vivificet, obsistere possint.

℟. Sancti mei *p.* 35*.

Lectio ix.

DUO autem sunt genera persecutorum : unum palam sævientium, alterum ficte fraudulenterque blandientium. Contra utrumque nos munire atque instituere volens Salvator, et supra ab hypocrisi Pharisæorum attendere, et hic a carnificum cæde præcipit non timere : quia videlicet post mortem nec horum crudelitas, nec illorum valeat simulatio durare. Nonne quinque passeres veneunt dipondio? Si minutissima, inquit, animalia, et quæ quolibet per aëra feruntur volatilia, Deus oblivisci non potest ; vos, qui ad imaginem facti estis Creatoris, non debetis terreri ab his qui occidunt corpus : quia qui irrationabilia gubernat, rationabilia curare non desinit.

COMMUNE

CONFESSORIS PONTIFICIS.

In I. Vesperis.

Ant. de Laud. Psalmi de dom. loco ult. Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum. Eccl. 44.

ECCE sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est

Digitized by Google

justus : et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.

HYMNUS.

ISTE Confessor Domini, colentes
Quem pie laudant populi per orbem,
Hac die lætus meruit beatas
Scandere sedes.

Si non est dies obitus, quod indicant in Proprio litteræ m. t. v. *dicatur.*

Hac die lætus meruit supremos
Laudis honores.

Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobriam duxit sine labe vitam,
Donec humanos animavit auræ
Spiritus artus.

Cujus ob præstans meritum, frequenter.
Ægra, quæ passim jacuere membra,
Viribus morbi domitis, saluti
Restituuntur.

Noster hinc illi chorus obsequentem
Concinit laudem, celebresque palmas;
Ut piis ejus precibus juvemur
Omne per ævum.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super cæli solio coruscans,
Totius mundi seriem gubernat,
Trinus et unus. Amen.

℣. Amavit eum Dominus et ornavit enm. ℟. Stolam gloriæ induit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacerdos et Pontifex, et virtutum opifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati N. Confessoris tui atque Pontificis veneranda solemnitas, et devotionem nobis augeat, et salutem. Per Dominum.

Alia Oratio.

EXAUDI, quæsumus, Domine, preces nostras, quas in beati N. Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus, et qui tibi digne meruit famulari, ejus intercedentibus meritis ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum.

Pro Doctoribus in utrisq. Vesp.

Ad Magnif. Ant. O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beate N. divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

Oratio.

DEUS, qui populo tuo æternæ salutis beatum N. ministrum tribuisti, præsta, quæsumus, ut, quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum.

Ad Matutinum.

Invit. Regem Confessorum Dominum, * Venite adoremus.

Psalm. Venite. I.

Hymnus Iste Confessor, *ut sup.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Beatus vir, qui in lege Domini meditatur : voluntas ejus permanet die ac nocte, et omnia quæcumque faciet, semper prosperabuntur.

Psalmus 1.

BEATUS vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, * et in cathedra pestilentiæ non sedit :

Sed in lege Domini voluntas ejus, * et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, * quod fructum suum dabit in tempore suo :

Et folium ejus non defluet : * et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.

Non sic impii, non sic: * sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.

Ideo non resurgent impii in judicio : * neque peccatores in concilio justorum.

Quoniam novit Dominus viam justorum : * et iter impiorum peribit.

Ant. Beatus vir, qui in lege Domini meditatur : voluntas ejus permanet die ac nocte, et omnia quæcumque faciet, semper prosperabuntur.

Digitized by Google

Ant. Beatus iste sanctus, qui confisus est in Domino, prædicavit præceptum Domini, constitutus est in monte sancto ejus.

Psalmus 2.

QUARE fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum * adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum: * et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in cœlis, irridebit eos: * et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua: * et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, * et possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea, * et tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc, reges, intelligite: * erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore, * et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, * et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus, * beati omnes qui confidunt in eo.

Ant. Beatus iste sanctus, qui confisus est in Domino, prædicavit præceptum Domini, constitutus est in monte sancto ejus.

Ant. Tu es gloria mea, tu es susceptor meus, Domine: tu exaltans caput meum, et exaudisti me de monte sancto tuo.

Psalmus 3.

DOMINE, quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine susceptor meus es, * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum: * et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge, Domine salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * et super populum tuum benedictio tua.

Ant. Tu es gloria mea, tu es susceptor meus, Domine: tu exaltans caput meum, et exaudisti me de monte sancto tuo.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum. ℟. Stolam gloriæ induit eum. Pater noster.

Absol. Exaudi. ℣. Jube domne.

Benel. Benedictione perpetua.

De Epistola I. beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

Lectio j. Cap. 3.

FIDELIS sermo: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum; non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli. Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli.

℟. Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: * Intra in gaudium Domini tui. ℣. Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Intra.

Digitized by Google

Bened. Unigenitus Dei Filius.

De Epistola ad Titum.

Lectio ij. Cap. 1.

OPORTET enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem : non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum : sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem : ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, et seductores; maxime qui de circumcisione sunt, quos oportet redargui : qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.

℣. Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo : * Ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. ℣. Benedictionem omnium gentium dedit illi, et testamentum suum confirmavit super caput ejus. Ideo.

Bened. Spiritus sancti gratia.

Lectio iij. Cap. 2.

TU autem loquere quæ decent sanam doctrinam : Senes ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia. Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes, bene docentes : ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei. Juvenes similiter hortare ut sobrii sint. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile : ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.

℣. Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : * Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. ℣. Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis. Tu es, Gloria. Tu es.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Invocantem exaudivit Dominus sanctum suum ; Dominus exaudivit eum, et constituit eum in pace.

Psalmus 4.

CUM invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ : * in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, * et exaudi orationem meam.

Filii hominum, usquequo gravi corde ? * ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ?

Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum : * Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare: * quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino. * Multi dicunt : Quis ostendit nobis bona ?

Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine : * dedisti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, et olei sui * multiplicati sunt.

In pace in idipsum * dormiam, et requiescam.

Quoniam tu, Domine, singulariter in spe * constituisti me.

Ant. Invocantem exaudivit Dominus sanctum suum ; Dominus exaudivit eum, et constituit eum in pace.

Ant. Lætentur omnes qui sperant in te, Domine : quoniam tu benedixisti justo ; scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eum.

Psalmus 5.

VERBA mea auribus percipe, Domine, * intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ, * Rex meus, et Deus meus.

Quoniam ad te orabo, * Domine mane exaudies vocem meam.

Mane astabo tibi, et videbo : * quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Digitized by Google

Neque habitabit juxta te malignus: * neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: * perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus: * ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.

Introibo in domum tuam: * adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine, deduc me in justitia tua: * propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas: * cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant: * judica illos, Deus.

Decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos: * quoniam irritaverunt te, Domine.

Et lætentur omnes qui sperant in te: * in æternum exultabunt, et habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum: * quoniam tu benedices justo.

Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ * coronasti nos.

Ant. Lætentur omnes, qui sperant in te, Domine: quoniam tu benedixisti justo; scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eum.

Ant. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! quia gloria et honore coronasti sanctum tuum, et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Psalmus 8.

DOMINE Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua * super cœlos.

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudes propter inimicos tuos, * ut destruas inimicum et ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam et stellas, quæ tu fundasti.

Quid est homo quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum, * et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subiecisti sub pedibus ejus, * oves et boves universas, insuper et pecora campi:

Volucres cœli, et pisces maris, * qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Ant. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! quia gloria et honore coronasti sanctum tuum, et constituisti eum super opera manuum tuarum:

℣. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi. ℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis. Pater noster.

Absol. Ipsius. ℣. Jube domne.

Bened. Deus Pater omnipotens.

Sermo S. Maximi Episcopi.

Homil. 59 quæ est 2 de S. Eusebio Vercellensi. *Lectio* iv.

AD sancti ac beatissimi Patris nostri N., cujus hodie festa celebramus, laudes addidisse aliquid, decerpsisse est: siquidem virtutum ejus gratia non sermonibus exponenda est, sed operibus comprobanda. Cum enim dicat Scriptura: Gloria patris est filius sapiens: quantæ hujus sunt gloriæ, qui tantorum filiorum sapientia et devotione lætatur? In Christo enim Jesu per Evangelium ipse nos genuit.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Bened. Christus perpetuæ.

Lectio v.

QUIDQUID igitur in hac sancta plebe potest esse virtutis et gratiæ, de hoc, quasi quodam fonte lucidissimo, omnium rivulorum hæc puritas emanavit. Etenim quia castitatis pollebat vigore, quia abstinentiæ gloriabatur angustiis, quia blandimentis erat præditus lenitatis, omnium civium in Deum provocavit affectum: quia Pontificis administratione fulgebat, plures e discipulis reliquit sui sacerdotii successores.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Bened. Ignem sui amoris.

Lectio vj.

BENE et congrue in hac die, quam nobis beati Patris nostri N. ad paradisum transitus exultabilem reddit, præsentis psalmi versiculum decantavimus: In memoria æterna erit justus. Digne enim in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium transiit Angelorum. Dicit sermo divinus: Ne laudes hominem in vita sua: tanquam si diceret, Lauda post vitam, magnifica post consummationem. Duplici enim ex causa utilius est hominum magis memoriæ laudem dare, quam vitæ, ut illo potissimum tempore merita sanctitatis extollas, quando nec laudantem adulatio moveat, nec laudatum tentet elatio.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna. Ipse. Gloria. Ipse.

IN III NOCTURNO.

Ant. Domine, iste sanctus habitabit in tabernaculo tuo; operatus est justitiam, requiescet in monte sancto tuo.

Psalmus 14.

DOMINE, quis habitabit in tabernaculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, * et operatur justitiam:

Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit proximo suo malum, * et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: * timentes autem Dominum glorificat.

Qui jurat proximo suo, et non decipit, * qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit hæc, * non movebitur in æternum.

Ant. Domine, iste sanctus habitabit in tabernaculo tuo; operatus est justitiam, requiescet in monte sancto tuo.

Ant. Vitam petiit a te, et tribuisti ei, Domine: gloriam et magnum decorem imposuisti super eum: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Psalmus 20.

DOMINE, in virtute tua lætabitur rex: * et super salutare tuum exultabit vehementer.

Desiderium cordis ejus tribuisti ei: * et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: * posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Vitam petiit a te, * et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est gloria ejus in salutari tuo: * gloriam et magnum decorem impones super eum.

Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: * lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quoniam rex sperat in Domino, *

Digitized by Google

et in misericordia Altissimi, non commovebitur.

Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis; * dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: * Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes, * et semen eorum a filiis hominum.

Quoniam declinaverunt in te mala: * cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

Quoniam pones eos dorsum: * in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.

Exaltare, Domine, in virtute tua: * cantabimus et psallemus virtutes tuas.

Ant. Vitam petiit a te, et tribuisti ei, Domine, gloriam et magnum decorem imposuisti super eum: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Ant. Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo: quia hæc est generatio quærentium Dominum.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitudo ejus: * orbis terrarum et universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum: * quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales: * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales: * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Ant. Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo: quia hæc est generatio quærentium Dominum.

℣. Tu es sacerdos in æternum. ℟. Secundum ordinem Melchisedech. Pater noster.

Absol. A vinculis. ℣. Jube domne. *Bened.* Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 25.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 9. *in Evangelia.*

LECTIO sancti Evangelii, fratres charissimi, sollicite considerare nos admonet, ne nos, qui plus cæteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, ab auctore mundi gravius inde judicemur. Cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo esse humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione. Ecce homo, qui peregre proficiscitur, servos suos vocat, eisque ad negotium talenta partitur. Post multum vero temporis positurus rationem revertitur. Bene operantes pro apportato lucro remunerat, servum vero a bono opere torpentem damnat.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum; stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad.

Bened. Cujus festum colimus.

Lectio viij.

QUIS itaque iste homo est, qui peregre proficiscitur, nisi Re-

Digitized by Google

demptor noster, qui in ea carne quam assumpserat, abiit in cœlum? Carnis enim locus proprius terra est; quæ quasi ad peregrina ducitur, dum per Redemptorem nostrum in cælo collocatur. Sed homo iste peregre proficiscens servis suis bona sua tradidit, quia fidelibus suis spiritualia dona concessit. Et uni quidem quinque talenta, alii duo, alii vero commisit unum. Quinque etenim sunt corporis sensus: videlicet, visus, auditus, gustus, odoratus, et tactus. Quinque ergo talentis donum quinque sensuum, id est, exteriorum scientia exprimitur. Duobus vero, intellectus et operatio designatur. Unius autem talenti nomine intellectus tantummodo designatur.

℟. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis. ℣. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria. Et vos.

Pro Doctoribus.

℟. In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, * Et implevit eum Dominus spiritu sapientiæ et intellectus. ℣. Jucunditatem et exultationem thesaurizavit super eum. Et. Gloria. Et.

Bened. Ad societatem.

Lectio ix.

SED is, qui quinque talenta acceperat, alia quinque lucratus est: quia sunt nonnulli, qui, etsi interna ac mystica penetrare nesciunt, pro intentione tamen supernæ patriæ docent recta quos possunt, de ipsis exterioribus quæ acceperunt, duplum talentum portant: dumque se a carnis petulantia, et a terrenarum rerum ambitu, atque a visibilium voluptate custodiunt, ab his etiam alios admonendo compescunt. Et sunt nonnulli, qui, quasi duobus talentis ditati, intellectum atque operationem percipiunt, subtilia de internis intelligunt, mira in exterioribus operantur. Cumque et intelligendo et operando aliis prædicant, quasi duplicatum de negotio lucrum reportant.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

Ad Laudes.

et per Horas, Antiphonæ.

1. ECCE sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus.

2. Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi.

3. Ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam.

4. Sacerdotes Dei, benedicite Dominum: servi Domini, hymnum dicite Deo, alleluia.

5. Serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui.

Capitulum. Eccli. 44.

ECCE sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus: et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.

HYMNUS.

JESU Redemptor omnium,
Perpes corona Præsulum,
In hac die clementius
Indulgeas precantibus.

Tui sacri qua nominis
Confessor almus claruit:
Hujus celebrat annua
Devota plebs solemnia.

Qui rite mundi gaudia
Hujus caduca respuens,
Æternitatis præmio
Potitur inter Angelos.

Hujus benignus annue
Nobis sequi vestigia:
Hujus precatu servulis
Dimitte noxam criminis.

Sit, Christe Rex piissime,
Tibi Patrique gloria,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas. ℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus.

Digitized by Google

Ad Tertiam.

Capit. Ecce sacerdos, *ut supra.*

℟. *br.* Amavit eum Dominus. * Et ornavit eum. Amavit. ℣. Stolam gloriæ induit eum. Et ornavit. Gloria. Amavit. ℣. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi. ℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Ad Sextam.

Capitulum. Eccli. 44.

NON est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi: ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam.

℟. *br.* Elegit eum Dominus, * Sacerdotem sibi. Elegit. ℣. Ad sacrificandum ei hostiam laudis. Sacerdotem. Gloria. Elegit. ℣. Tu es sacerdos in æternum. ℟. Secundum ordinem Melchisedech.

Ad Nonam.

Capitulum. Eccli. 45.

FUNGI sacerdotio, et habere laudem in nomine ipsius, et offerre illi incensum dignum in odorem suavitatis.

℟. *br.* Tu es sacerdos, * In æternum. Tu es. ℣. Secundum ordinem Melchisedech. In æternum. Gloria. Tu es. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas. ℟. Et ostendit illi regnum Dei.

In II. Vesperis.

Ant. de Laud. Psalmi de Dom. loco ult. Memento Domine David *p.* 92

Capit. et Hymn. ut in I. Vesp.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas. ℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Ant. Amavit eum Dominus, et ornavit eum; stolam gloriæ induit eum, et ad portas paradisi coronavit eum.

Sequens Ant. dicitur ad Magnif. *in* ij *Vesp. pro solis summis Pontif.* *Ant.* Dum esset summus Pontifex, terrena non metuit, sed ad cœlestia regna gloriosus migravit.

Si occurrat celebrari Festum plur. Pontif. et Confess., Offic. fit ut supra; sed in Orat. et Sermone, quæ ponuntur in singulari, dicantur in plurali; et in j *Noct. legantur seq. Lectiones.*

De libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 44.

LAUDEMUS viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua a sæculo. Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, et prudentia sua præditi, nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophetarum, et imperantes in præsenti populo, et virtute prudentiæ populis sanctissima verba. In peritia sua requirentes modos musicos, et narrantes carmina scripturarum.

℟. Euge serve, *p.* 40 *

Lectio ij.

HOMINES divites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum: et sunt quorum non est memoria; perierunt quasi qui non fuerint: et nati sunt quasi non nati, et filii ipsorum cum ipsis.

℟. Ecce sacerdos, *p.* 40 *.

Lectio iij.

SED illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt: cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum: et in testamentis stetit semen eorum, et filii eorum propter illos usque in æternum manent: semen eorum et gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet ecclesia.

℟. Juravit Dominus, *p.* 41*.

Digitized by Google

2.° ALIÆ LECTIONES
pro Pontifice et Confessore.
IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Maximi Episcopi.
Ex Homil. 59, *a. de S. Eusebio.*
Lectio. iv.

BEATI Patris N. merita jam in tuto posita securi magnificemus: qui gubernaculum fidei viriliter tenens, anchoram spei tranquilla jam in statione composuit, et plenam cœlestibus divitiis et æternis mercibus navem optato in littore collocavit: qui contra omnes adversarios scutum timoris Dei tamdiu infatigabiliter tenuit, donec ad victoriam perveniret. Quid enim fuit totus vitæ illius cursus, nisi unus cum vigili hoste conflictus?

℟. Inveni David, p. 42*.

Lectio. v.

QUANTOS hic cæcis a via veritatis errantibus, et de summa jam in profundum rupe pendentibus, amissum reddidit visum, et illum, quo Christus videretur, reparavit intuitum? Quantorum auribus surdis, et infidelitatis obturatione damnatis, ad percipiendam vocem cœlestium mandatorum, pretiosum infudit auditum, ut vocanti Deo ad misericordiam responderent per obedientiam? Quantos intrinsecus vulneratos, Angelici oris arte et orationum, ab infirmitate curavit?

℟. Posui adjutorium, p. 43*.

Lectio. vj.

QUANTOS per longam incuriam peccati labe resolutos, et quadam lepræ contagione perfusos, castigationibus et exhortationibus expiando, Deo in se operante, mundavit? Quantorum animas viventes in corpore jam defunctas, et delictorum mole obrutas ac sepultas, ad emendationem tamquam ad lucem vocando, Deo resuscitavit; ut Domini sui admirandus imitator, jam mortuas Deo, e contrario mortificet vitali morte peccato?

℟. Iste est qui ante Deum, p. 43*.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et reliqua,

Homilia S. Hilarii Episcopi.

Comment. in Matth. c. 26. in fine.

UT ignorantiam illam diei omnibus taciti, non sine utilis silentii ratione esse sciremus, vigilare nos Dominus propter adventum furis admonuit, et orationum assiduitate detentos, omnibus præceptorum suorum operibus inhærere. Furem enim esse ostendit zabulum, ad detrahenda ex nobis spolia pervigilem, et corporum nostrorum domibus insidiantem; ut ea incuriosis nobis, et somno deditis, consiliorum suorum atque illecebrarum jaculis perfodiat. Paratos igitur esse nos convenit: quia diei ignoratio intentam sollicitudinem suspensæ expectationis exagitet.

℟. Amavit eum, p 44*.

Lectio viij. c. 27.

QUISNAM est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Quanquam in commune nos ad indefessam vigilantiæ curam adhortetur, specialem tamen populi principibus, id est, Episcopis, in expectatione adventuque suo sollicitudinem mandat. Hunc enim servum fidelem atque prudentem, præpositum familiæ significat, commoda atque utilitates commissi sibi populi curantem. Qui si dicto audiens, et præceptis obediens erit, id est, si doctrinæ opportunitate et veritate infirma confirmet, disrupta consolidet, depravata convertat, et verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ dispendat, atque hæc agens, hisque immorans deprehendatur, gloriam a Domino tamquam dispensator fidelis, et villicus utilis consequetur,

Digitized by Google

et super omnia bona constituetur: id est, in Dei gloria collocabitur, quia nihil sit ultra, quod melius sit.

℣. Sint lumbi, *p.* 43*.

Lectio. ix.

QUOD si contucus longam Dei patientiam, quæ in profectum humanæ salutis extenditur, adversum conservos insolescet, et sæculi malis vitiisque se tradet, præsentium tantum curam in cultu ventris exercens: desperata die Dominus adveniet, eumque a bonis, quæ spoponderat, dividet, portionemque ejus cum hypocritis in pœnæ æternitate constituet; quia adventum desperaverit, quia mandatis non obtemperaverit, quia præsentibus studuerit, quia vita Gentium vixerit, quia desperatione judicii commissam sibi familiam fame, siti, cæde vexaverit.

PRO DOCTORIBUS.

Officium fit de Confes. Pont. vel non Pont. pro eorum qualitate.

IN I. NOCTURNO.

De libro Ecclesiastici.

Lectio. j. Cap. 39

SAPIENTIAM omnium antiquorum exquiret sapiens, et in Prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conservabit, et in versutias parabolarum simul introibit. Occulta proverbiorum exquiret, et in absconditis parabolarum conversabitur. In medio magnatorum ministrabit, et in conspectu præsidis apparebit. In terram alienigenarum gentium pertransiet: bona enim et mala in hominibus tentabit.

Lectio. ij.

COR suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur. Aperiet os suum in oratione, et pro delictis suis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum: et ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, et in oratione confitebitur Domino: et ipse diriget consilium ejus et disciplinam, et in absconditis suis consiliabitur.

Lectio. iij.

IPSE palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, et in lege testamenti Domini gloriabitur. Collaudabunt multi sapientiam ejus, et usque in sæculum non delebitur. Non recedet memoria ejus, et nomen ejus requiretur a generatione in generationem. Sapientiam ejus enarrabunt gentes, et laudem ejus enuntiabit ecclesia.

IN II. NOCTURNO.

Ex lib. Moralium S. Gregorii Papæ.

Lib. 9. *Cap.* 6. *Lectio* iv.

QUI post Orionas Hyadum nomine, nisi Doctores sanctæ Ecclesiæ designantur? Qui subductis Martyribus, eo jam tempore ad mundi notitiam venerunt, quo fides clarius elucet: et repressa infidelitatis hieme, altius per corda fidelium sol veritatis calet. Qui remota tempestate persecutionis, expletis longis noctibus infidelitatis, tunc sanctæ Ecclesiæ orti sunt, cum ei jam per credulitatis vernum lucidior annus aperitur.

Lectio. v.

NEC immerito Doctores sancti Hyadum nuncupatione signantur. Græco quippe eloquio *hyetos* pluvia vocatur: et Hyades nomen a pluviis acceperunt, quia ortæ procul dubio imbres ferunt. Bene ergo Hyadum appellatione expressi sunt, qui ad statum universalis Ecclesiæ quasi in cœli faciem deducti, super arentem terram humani pectoris sanctæ prædicationis imbres fuderunt. Si enim prædicationis sermo pluvia non esset, Moyses minime dixisset: Expectetur sicut pluvia eloquium meum: et nequaquam per Isaiam Veritas diceret: Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbrem: atque hoc, quod paulo ante protulimus: Quamobrem prohibitæ sunt stellæ pluviarum.

Digitized by Google

Lectio vj.

DUM ergo Hyades cum pluviis veniunt, ad cœli spatia altiora sol ducitur: quia, apparente Doctorum scientia, dum mens nostra imbre prædicationis infunditur, fidei calor augetur. Et perfusa terra ad fructum proficit, cum lumen ætheris ignescit, quia uberius frugem boni operis reddimus, dum per sacræ eruditionis flammam in corde clarius ardemus. Dumque per eos diebus singulis magis magisque scientia cælestis ostenditur, quasi interni nobis luminis vernum tempus aperitur: ut novus sol nostris mentibus rutilet, et eorum verbis nobis cognitus, se ipso quotidie clarior micet. Urgente etenim mundi fine, superna scientia proficit, et largius cum tempore excrescit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij Cap. 5.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Lib. I. de Sermone Domini in monte. Cap. 6. Tom. 4.

OSTENDIT Dominus fatuos esse judicandos, qui temporalium bonorum vel copiam sectantes, vel inopiam metuentes, amittunt æterna, quæ nec dari possunt ab hominibus, nec auferri. Itaque si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? id est, si vos, per quos condiendi sunt quodammodo populi, metu persecutionum temporalium amiseritis regna cœlorum; qui erunt homines, per quos a vobis error auferatur, cum vos elegerit Deus, per quos errorem auferat cæterorum?

Lectio viij.

ERGO ad nihilum valet sal infatuatum, nisi ut mittatur foras, et calcetur ab hominibus. Non itaque calcatur ab hominibus, qui patitur persecutionem; sed qui persecutionem timendo infatuatur. Calcari enim non potest nisi inferior: sed inferior non est, qui quamvis corpore multa in terra sustineat, corde tamen fixus in cælo est.

Lectio ix.

VOS estis lumen mundi. Quomodo superius dixit sal terræ, sic nunc dicit lumen mundi. Nam neque superius ista terra accipienda est, quam pedibus corporeis calcamus: sed homines, qui in terra habitant, vel etiam peccatores, quorum condiendis et extinguendis putoribus Apostolicum salem Dominus misit. Et hic mundum, non cœlum et terram, sed homines, qui sunt in mundo, vel diligunt mundum, oportet intelligi, quibus illuminandis Apostoli missi sunt. Non potest civitas abscondi super montem posita: id est, fundata super insignem magnamque justitiam, quam significat etiam ipse mons, in quo disputat Dominus.

2.° *Alia Homilia.*

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Et reliqua.

Homilia S. Hilarii Episcopi.

Comment. in Matth. c. 5.

VOS estis sal terræ: quod si sal infatuatum fuerit, ad nihilum valet id quod salietur. Sal, ut arbitror, terræ nullum est. Quomodo ergo Apostolos sal terræ nuncupavit? Sed proprietas est quærenda dictorum, quam et Apostolorum officium, et ipsius salis natura monstrabit. Sal est in se uno continens aquæ et ignis elementum, et hoc ex duobus est unum.

Digitized by Google

Lectio viij.

HIC igitur in omnem usum humani generis effectus, incorruptionem corporibus, quibus fuerit aspersus, impertit, et ad omnem sensum conditi saporis aptissimus est. Apostoli autem sunt rerum cælestium prædicatores, et æternitatis velut satores, immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum sermo aspersus fuerit, conferentes. Merito igitur sal terræ nuncupati sunt, per doctrinæ virtutem saliendi modo æternitati corpora reservantes.

Lectio ix.

SED natura salis semper eadem est, nec immutari unquam potest. Verum quia conversioni homo subjacet, et solus beatus, qui usque ad finem in omnibus Dei operibus permanserit: ideo eos sal terræ nuncupatos monet in traditæ sibi potestatis virtute persistere, ne infatuati nihil saliant: et ipsi, sensu accepti saporis amisso, vivificare corrupta non possint; et projecti de Ecclesiæ promptuariis, cum his quos salierint pedibus incedentium proterantur.

3.° *Alia Homilia.*

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homilia 15. *in Matth. sub med.*

ATTENDITE quid dixerit, Vos estis sal terræ: per quod ostendit, quam necessario ista præcipiat. Non enim de vestra, inquit, tantummodo vita, sed de universo orbe vobis ratio reddenda est. Non ad duas quippe urbes, aut decem, aut viginti, neque ad unam gentem vos mitto, sicut mittebam Prophetas: sed ad omnem terram prorsus ac mare, totumque mundum, et hunc variis criminibus oppressum.

Lectio viij.

DICENDO enim, Vos estis sal terræ, ostendit universam hominum infatuatam esse naturam, et peccatorum vi corruptam: et idcirco illas ab eis virtutes requirit, quæ maxime ad multorum salutem procurandam necessariæ sunt atque utiles. Nam qui mansuetus est ac modestus, et misericors et justus, non intra se tantummodo hæc recte facta concludit, verum in aliorum quoque utilitatem præclaros hos faciet effluere fontes. Igitur qui corde mundo est atque pacificus, et persecutionem pro veritate patitur, nihilominus in commune commodum vitam instituit.

Lectio ix.

NE igitur putetis, inquit, ad levia vos ducendos esse certamina, neque exiguarum rerum vobis ineundam esse rationem. Vos estis sal terræ. Quid igitur? Ipsine putrefacta medicati sunt? Nequaquam: neque enim fieri potest, ut ea, quæ jam corrupta sunt, salis perfricatione reparentur. Non ergo hoc fecerunt, sed ante renovata, sibique tradita, atque ab illa jam putredine liberata, aspergebant sale, et in ea novitate conservabant, quam a Domino susceperant. Liberare quippe a putredine peccatorum, Christi virtutis est: ut autem ad illa iterum non revertantur, Apostolorum curæ est ac laboris.

COMMUNE

CONFESSORIS NON PONTIFICIS.

In I. Vesperis.

Ant. de Laud. Psalmi de Dom. loco ult. Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. Eccli. 31.

BEATUS vir qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.

Digitized by Google

HYMNUS.

ISTE Confessor Domini, colentes,
Quem pie laudant populi per orbem:
Hac die lætus meruit beatas
Scandere sedes.

Si non est dies obitus, quod indicant in Proprio litteræ m. t. v. *dicatur:*

Hac die lætus meruit supremos
Laudis honores.

Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobriam duxit sine labe vitam.
Donec humanos animavit auræ
Spiritus artus.

Cujus ob præstans meritum, frequenter
Ægra, quæ passim jacuere membra,
Viribus morbi domitis, salutis
Restituuntur.

Noster hinc illi chorus obsequentem
Concinit laudem, celebresque palmas;
Ut piis ejus precibus juvemur
Omne per ævum.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super cœli solio coruscans,
Totius mundi seriem gubernat
Trinus et unus. Amen.

℣. Amavit eum Dominus et ornavit eum. ℟. Stolam gloriæ induit eum.

Ad Magnif. Ant. Similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.

Oratio.

DEUS, qui nos beati N. Confessoris tui annua solemnitate lætificas, concede propitius, ut cuius natalitia colimus, etiam actiones imitemur. Per Dominum.

Alia Oratio.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, quas in beati N. Confessoris tui solemnitate deferimus, ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, ejus qui tibi placuit, precibus adjuvemur. Per Dominum.

Si fuerit Abbas. Oratio.

INTERCESSIO nos, quæsumus, Domine, beati N. Abbatis commendet, ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur. Per Dominum.

Ad Matutinum.

Invit. Regem Confessorum Dominum, * Venite, adoremus.

Psalm. Venite I.

Hymnus Iste Confessor, *ut sup.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Beatus vir, qui in lege Domini meditatur: voluntas ejus permanet die ac nocte, et omnia quæcumque faciet, semper prosperabuntur.

Psalmus 1.

BEATUS vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, * et in cathedra pestilentiæ non sedit:

Sed in lege Domini voluntas ejus, * et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, * quod fructum suum dabit in tempore suo:

Et folium ejus non defluet: * et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.

Non sic impii, non sic: * sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.

Ideo non resurgent impii in judicio: * neque peccatores in concilio justorum.

Quoniam novit Dominus viam justorum: * et iter impiorum peribit.

Ant. Beatus vir, qui in lege Domini meditatur: voluntas ejus permanet die ac nocte, et omnia quæcumque faciet, semper prosperabuntur.

Ant. Beatus iste sanctus, qui confisus est in Domino, prædicavit præceptum Domini, constitutus est in monte sancto ejus.

Digitized by Google

Psalmus 2.

QUARE fremuerunt gentes, * et populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum * adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum: * et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in cœlis, irridebit eos; * et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua: * et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus: * prædicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, * et possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea, * et tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc, reges, intelligite: * erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore: * et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, * et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus, * beati omnes qui confidunt in eo.

Ant. Beatus iste sanctus, qui confisus est in Domino, prædicavit præceptum Domini, constitutus est in monte sancto ejus.

Ant. Tu es gloria mea, tu es susceptor meus, Domine: tu exaltans caput meum, et exaudisti me de monte sancto tuo.

Psalmus 3.

DOMINE, quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es, * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum: * et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * et super populum tuum benedictio tua.

Ant. Tu es gloria mea, tu es susceptor meus, Domine: tu exaltans caput meum, et exaudisti me de monte sancto tuo.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum. ℟. Stolam gloriæ induit eum. Pater noster.

Absol. Exaudi. ℣. Jube domne.

Bened. Benedictione perpetua.

De libro Sapientiæ.

Lectio j. Cap. 4. et 5.

JUSTUS si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia. Consummatus in brevi explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.

℟. Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: * Intra in gaudium Domini tui. ℣. Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Intra.

Bened. Unigenitus Dei Filius.

Lectio ij.

POPULI autem videntes, et non intelligentes, nec ponentes in præ-

Digitized by Google

cordiis talia : quoniam gratia Dei, et misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius. Condemnat autem justus mortuus vivos impios, et juventus celerius consummata longam vitam injusti. Videbunt enim finem sapientis, et non intelligent quid cogitaverit de illo Deus, et quare munierit illum Dominus. Videbunt et contemnent eum : illos autem Dominus irridebit. Et erunt post hæc decidentes sine honore, et in contumelia inter mortuos in perpetuum: quoniam disrumpet illos inflatos sine voce, et commovebit illos a fundamentis, et usque ad supremum desolabuntur.

℟. Justus germinabit sicut lilium,* Et florebit in æternum ante Dominum. ℣. Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Et florebit.

Bened. Spiritus sancti gratia.

Lectio ij.

ET erunt gementes, et memoria illorum peribit. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum. Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes : Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii.Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est.

℟. Iste cognovit justitiam, et vidit mirabilia magna, et exoravit Altissimum : * Et inventus est in numero sanctorum ℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna. Et. Gloria. Et.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Invocantem exaudivit Dominus sanctum suum ; Dominus exaudivit eum, et constituit eum in pace.

Psalmus 4.

CUM invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ : in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, * et exaudi orationem meam.

Filii hominum, usquequo gravi corde? * ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?

Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum : * Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare:* quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino. * Multi dicunt : Quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine : * dedisti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, et olei sui * multiplicati sunt.

In pace in idipsum * dormiam et resquiescam.

Quoniam tu, Domine, singulariter in spe * constituisti me.

Ant. Invocantem exaudivit Dominus sanctum suum ; Dominus exaudivit eum, et constituit eum in pace.

Ant. Lætentur omnes, qui sperant in te, Domine : quoniam tu benedixisti justo, scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eum.

Psalmus 5.

VERBA mea auribus percipe, Domine, * intellige clamorem meam.

Intende voci orationis meæ, * Rex meus, et Deus meus.

Quoniam ad te orabo, * Domine, mane exaudies vocem meam.

Mane astabo tibi, et videbo : * quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit juxta te malignus:* neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

Digitized by Google

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: * perdes omnes, qui loquuntur mendacium:

Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus: * ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.

Introibo in domum tuam: * adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo,

Domine, deduc me in justitia tua:* propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas, * cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant: * judica illos, Deus.

Decidant a cogitationibus suis; secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos: * quoniam irritaverunt te, Domine.

Et lætentur omnes qui sperant in te: * in æternum exultabunt, et habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: * quoniam tu benedices justo.

Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ * coronasti nos.

Ant. Lætentur omnes, qui sperant in te, Domine; quoniam tu benedixisti justo, scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eum.

Ant. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! quia gloria et honore coronasti sanctum tuum, et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Psalmus 8.

DOMINE Dominus noster,* quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua * super cœlos.

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos,* ut destruas inimicum et ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam et stellas, quæ tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum,* et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus,* oves et boves universas, insuper et pecora campi.

Volucres cœli, et pisces maris, * qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Ant. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! quia gloria et honore coronasti sanctum tuum, et constituisti eum super opera manuum tuarum.

℣. Os justi meditabitur sapientiam. ℟. Et lingua ejus loquetur judicium. Pater noster.

Absol. Ipsius. ℣. Jube domne. *Bened.* Deus Pater omnipotens.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

In Orat. de S. Philogono, t. 3.

Lectio iv.

BEATI N. dies, cujus festivitatem celebramus, ad ipsius recte factorum enarrationem linguam nostram evocavit: siquidem hodie beatus iste ad tranquillam, omnisque perturbationis expertem vitam transiit: eoque navigium appulit, ubi deinceps non poterit metuere naufragium, nec ullam animi perturbationem, aut dolorem. Et quid mirum est, si locus ille purus est ab omni molestia animi, cum Paulus hominibus adhuc in hac vita degentibus loquens dicat: Semper gaudete, sine intermissione orate?

℟. Monestum fecit illum Dominus et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Bened. Christus perpetuæ.

Lectio v.

QUOD si hic, ubi morbi, ubi insectationes, ubi præmaturæ mortes, ubi calumniæ, ubi invidiæ, ubi perturbationes, ubi iræ, ubi cupiditates, ubi innumerabiles insidiæ, ubi quotidianæ sollicitudines, ubi perpetua sibique succedentia mala sunt, innumeros ex omni parte dolores afferentia, Paulus dixit fieri posse ut semper gaudeamus, si quis paululum ex rerum mundanarum fluctibus erexerit caput, vitamque suam recte composuerit: multo magis, postquam hinc demigraverimus, facile compotes erimus ejus boni, cum hæc omnia sublata fuerint, adversa valetudo, morbi, peccandi materia, ubi non est meum ac tuum, frigidum illud verbum, et quidquid est malorum in vitam nostram inveheus, innumeraque gignens bella.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriæ induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad portas.

Bened. Ignem sui amoris.

Lectio vj.

QUAMOBREM maximopere gratulor hujus sancti felicitati, quod quanquam translatus est, atque hanc, quæ apud nos est, civitatem reliquit, tamen in alteram adscriptus est civitatem, nempe Dei: et digressus ab hac Ecclesia, ad illam pervenit, quæ est primogenitorum descriptorum in cœlis: ac relictis hisce festis, transiit ad celebritatem Angelorum. Etenim quod et civitas sursum sit, et Ecclesia, et celebritas, audi Paulum dicentem: Accessistis ad civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et ad multorum millium Angelorum frequentiam.

℣. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. ℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna. Quia. Gloria. Quia.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Domine, iste sanctus habitabit in tabernaculo tuo, operatus est justitiam, requiescet in monte sancto tuo.

Psalmus 14.

DOMINE, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, * et operatur justitiam:

Qui loquitur veritatem in corde suo: * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit proximo suo malum, * et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus maliguus: * timentes autem Dominum glorificat:

Qui jurat proximo suo, et non decipit, * qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit hæc, * non movebitur in æternum.

Ant. Domine, iste sanctus habitabit in tabernaculo tuo, operatus est justitiam, requiescet in monte sancto tuo.

Ant. Vitam petiit a te, et tribuisti ei, Domine: gloriam et magnum decorem imposuisti super eum: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Psalmus 20.

DOMINE, in virtute tua lætabitur rex: * et super salutare tuum exultabit vehementer.

Desiderium cordis ejus tribuisti ei: * et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: * posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Vitam petiit a te, * et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Digitized by Google

Magna est gloria ejus in salutari tuo : * gloriam et magnum decorem impones super eum.

Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi : * lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quoniam rex sperat in Domino,* et in misericordia Altissimi non commovebitur.

Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis : * dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui : * Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes,* et semen eorum a filiis hominum.

Quoniam declinaverunt in te mala:* cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

Quoniam pones eos dorsum:* in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.

Exaltare, Domine, in virtute tua:* cantabimus et psallemus virtutes tuas.

Ant. Vitam petiit a te, et tribuisti ei, Domine; gloriam et magnum decorem imposuisti super eum : posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Ant. Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo: quia hæc est generatio quærentium Dominum.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitudo ejus: * orbis terrarum et universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum:* et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini?* aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, et mundo corde,* qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum,* quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales : * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales ; * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.

Ant. Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo : quia hæc est generatio quærentium Dominum.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsius. ℟. Et non supplantabuntur gressus ejus. Pater noster.

Absol. A vinculis. ℣. Jube domne. *Bened.* Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Homilia 13 *in Evangelia.*

SANCTI Evangelii, fratres charissimi aperta vobis est lectio recitata : sed, ne aliquibus ipsa ejus planities alta fortasse videatur, eam sub brevitate transcurrimus, quatenus ejus expositio ita nescientibus fiat cognita, ut tamen scientibus non sit onerosa. Dominus dicit : Sint lumbi vestri præcincti. Lumbos enim præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Sed quia minus est mala non agere, nisi etiam quisque studeat et bonis operibus insudare, protinus additur : Et lucernæ ardentes in manibus vestris. Lucernas quippe ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus. De quibus profecto operibus Dominus dicit : Luceat lux

Digitized by Google

vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.

℣. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. Ipse.

Bened. Cujus festum colimus.

Lectio viij.

DUO autem sunt, quæ jubentur; et lumbos restringere, et lucernas tenere: ut et munditia sit castitatis in corpore, et lumen veritatis in operatione. Redemptori etenim nostro unum sine altero placere nequaquam potest: si aut is, qui bona agit, adhuc luxuriæ inquinamenta non deserit: aut is, qui castitate præeminet, necdum se per bona opera exercet. Nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec opus bonum est aliquod sine castitate. Sed et si utrumque agitur, restat ut quisquis ille est, spe ad supernam patriam tendat, et nequaquam se a vitiis pro mundi hujus honestate contineat.

℟. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris:* Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. ℣. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria. Et vos.

Pro Doctoribus.

℟. In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, * Et implevit eum Dominus spiritu sapientiæ et intellectus. ℣. Jucunditatem et exultationem thesaurizavit super eum. Et. Gloria. Et.

Bened. Ad societatem.

Lectio ix.

ET vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis: ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. Venit quippe Dominus, cum ad judicium properat: pulsat vero, cum jam per ægritudinis molestias esse mortem vicinam designat. Cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus. Aperire enim judici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat: et videre eum, quem contempsisse se meminit, judicem formidat. Qui autem de sua spe et operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia lætus judicem sustinet: et cum tempus propinquæ mortis advenerit, de gloria retributionis hilarescit.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

Ad Laudes.

et per Horas, Antiphonæ.

1. **DOMINE**, quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratus sum.

2. Euge, serve bone, in modico fidelis, intra in gaudium Domini tui.

3. Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.

4. Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus ejus, et pulsaverit januam, invenerit vigilantem.

5. Serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui.

Capitulum. Eccli. 31.

BEATUS vir, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.

HYMNUS

JESU, corona celsior,
Et veritas sublimior,
Qui confitenti servulo
Reddis perenne præmium:
Da supplicanti cœtui,
Hujus rogatu, noxii
Remissionem criminis,
Rumpendo nexum vinculi.
Anni reverso tempore,
Dies refulsit lumine,
Quo Sanctus hic de corpore
Migravit inter sidera.

Digitized by Google

Hic vana terræ gaudia,
Et luculenta prædia,
Polluta sorde deputans,
Ovans tenet cœlestia.

Te, Christe Rex piissime,
Hic confitendo jugiter,
Calcavit artes dæmonum,
Sævumque averni principem.

Virtute clarus et fide,
Confessione sedulus,
Jejuna membra deferens
Dapes supernas obtinet.

Proinde te, piissime,
Precamur omnes supplices,
Nobis ut hujus gratia
Pœnas remittas debitas.

Patri perennis gloria,
Natoque Patris unico,
Sanctoque sit Paraclito,
Per omne semper sæculum. Amen.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas. ℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

Ad Tertiam.

Capit. Beatus vir, *ut supra.*

℟. *br.* Amavit eum Dominus, * Et ornavit eum. Amavit. ℣. Stolam gloriæ induit eum. Et ornavit. Gloria. Amavit. ℣. Os justi meditabitur sapientiam. ℟. Et lingua ejus loquetur judicium.

Ad Sextam.

Capitulum. Eccli. 39.

JUSTUS cor suum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur.

℟. *br.* Os justi * Meditabitur sapientiam. Os justi. ℣. Et lingua ejus loquetur judicium. Meditabitur. Gloria. Os justi. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsius. ℟. Et non supplantabuntur gressus ejus.

Ad Nonam.

Capitulum. Sap. 10.

JUSTUM deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum: honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius.

℟. *br.* Lex Dei ejus * In corde ipsius. Lex Dei. ℣. Et non supplantabuntur gressus ejus. In corde. Gloria. Lex Dei. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas. ℟. Et ostendit illi regnum Dei.

In II. Vesperis.

Omnia dicuntur ut in I. *præter*

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas. ℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Ant. Hic vir despiciens mundum, et terrena triumphans, divitias cœlo condidit ore, manu.

Si occurrat celebrari Festum plur. Conf. non Pont., Officium fit ut supra; sed in Oratione et Sermone, quæ habentur in singulari, dicantur in plurali.

2.° ALIÆ LECTIONES
pro Confessore non Pontifice.

IN I. NOCTURNO.

De libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 31.

BEATUS vir, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino, et eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum.

℟. Euge, serve bone, *p.* 52 *.

Lectio ij. Cap. 32. et 33.

QUI timet Dominum, excipiet doctrinam ejus: et qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem. Qui quærit legem, replebitur ab ea: et qui insidiose agit, scandalizabitur in ea. Qui timent Dominum, invenient judicium justum, et

justitias quasi lumen accendent. Qui credit Deo, attendit mandatis: et qui confidit in illo, non minorabitur. Timenti Dominum non occurrent mala; sed in tentatione Deus illum conservabit, et liberabit a malis. Sapiens non odit mandata et justitias, et non illidetur quasi in procella navis. Homo sensatus credit legi Dei, et lex illi fidelis.

℟. Justus germinabit, *p.* 53*.

Lectio iij. Cap. 34.

SPIRITUS timentium Deum quæritur, et in respectu illius benedicetur. Spes enim illorum in salvantem illos, et oculi Dei in diligentes se. Qui timet Dominum nihil trepidabit, et non pavebit, quoniam ipse est spes ejus. Timentis Dominum beata est anima ejus. Ad quem respicit, et quis est fortitudo ejus? Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, et umbraculum meridiani, deprecatio offensionis, et adjutorium casus, exaltans animam, et illuminans oculos, dans sanitatem, et vitam, et benedictionem.

℟. Iste cognovit. *p.* 53*.

IN II. NOCTURNO.

Ex lib. Moralium S. Gregorii Papæ.

Lib. 10. cap. 16. in cap. 12. Job.

Lectio iv.

DERIDETUR justi simplicitas. Hujus mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ vera sunt, falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia usu a juvenibus scitur, hæc a pueris pretio discitur: hanc qui sciunt, cæteros despiciendo superbiunt: hanc qui nesciunt, subjecti et timidi in aliis mirantur: quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur, dum mentis perversitas urbanitas vocatur. Hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere: cum vires suppetunt, nullis resistentibus cedere: cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare.

℟. Honestum, *p.* 54*.

Lectio v.

AT contra, sapientia justorum est nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare; bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quam facere; nullam injuriæ ultionem quærere; pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc justorum simplicitas deridetur, quia ab hujus mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab eis procul dubio stultum putatur: et quidquid in opere veritas approbat carnali sapientiæ fatuum sonat. Quid namque stultius videtur mundo, quam mentem verbis ostendere, nil callida machinatione simulare, nullas injuriis contumelias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatem quærere, possessa relinquere, rapienti non resistere, percutienti alteram maxillam præbere?

℟. Amavit eum, *p.* 53*

Lectio vj. *Cap.* 17. *post. init.*

LAMPAS contempta apud cogitationes divitum. Sæpe contingit, ut electus quisque, qui ad æternam felicitatem ducitur, continua hic adversitate deprimatur: non hunc rerum abundantia fulciat, non dignitatum gloria honorabilem ostendat, nulla ei obsequentium frequentia suppetat, nulla hunc humanis oculis vestium pompa componat. A cunctis vero despicabilis cernitur, et hujus mundi gratia indignus æstimatur: sed tamen ante occulti judicis oculos virtutibus emicat, vitæ meritis coruscat; honorari metuit, despici non refugit: corpus continentia afflicit, sola in animo dilectione pinguescit: mentem semper ad patientiam præparat, et erectus pro justitia, de perceptis contumeliis exultat; afflictis ex corde compatitur, de bonorum pro-

Digitized by Google

speritatibus quasi de propriis lætatur, sacri verbi pabula in mente sollicitus rumiuat,et inquisitus quodlibet eloqui dupliciter ignorat.

℟. Iste homo perfecit, *p.* 55.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilia ven. Bedæ Presbyteri.

Lib. 4. *cap.* 54. *in Luc.* 12.

PUSILLUM gregem electorum vel ob comparationem majoris numeri reproborum, vel potius ob humilitatis devotionem nominat : quia videlicet Ecclesiam suam quantalibet numerositate jam dilatatam, tamen usque ad finem mundi humilitate vult crescere, et ad promissum regnum humilitate pervenire. Ideoque ejus labores blande consolatus, quam regnum Dei tantum quærere præcipit, eidem regnum a Patre dandum complacita benignitate promittit.

℟. Iste est qui ante, *p.* 57.*

Lectio viij.

VENDITE quæ possidetis, et date eleemosynam. Nolite, inquit, timere, ne propter regnum Dei militantibus hujus vitæ necessaria desint : quin etiam possessa propter eleemosynam vendite. Quod tunc digne fit, quando quis semel pro Domino suis omnibus spretis, nihilominus post hæc labore manuum, unde et victum transigere, et eleemosynam dare queat, operatur. Unde gloriatur Apostolus, dicens : Argentum aut aurum, aut vestem nullius concupivi : ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos.

℟. Sint lumbi vestri, *p.* 57*

Lectio ix.

FACITE vobis sacculos, qui non veterascunt : eleemosynas videlicet operando, quarum merces in æternum maneat. Ubi non hoc præceptum esse putandum est, ut nil pecuniæ reservetur a sanctis, vel suis scilicet, vel pauperum usibus suggerendæ: cum et ipse Dominus, cui ministrabant Angeli, tamen ad informandam Ecclesiam suam, loculos habuisse legatur, et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, aliisque indigentibus tribuens, sed ne Deo propter ista serviatur, et ob inopiæ timorem justitia deseratur.

PRO ABBATIBUS.

IN III. NOCTURNO.

Homilia Grandis fiducia,*ut in Comm. Apost.*, *p.* 7.*

2.* *Alia Homilia.*

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap II.

IN illo tempore respondens Jesus dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi

Serm. 10. *de verbis Domini.*

VENITE ad me, omnes, qui laboratis. Quare enim omnes laboramus, nisi quia sumus homines mortales, fragiles, infirmi, lutea vasa portantes, quæ faciunt invicem angustias? Sed si angustiantur vasa carnis, dilatentur spatia charitatis. Quid ergo dicit : Venite ad me, omnes, qui laboratis, nisi ut non laboretis? Denique promissio ejus in promptu est, quoniam laborantes vocavit. Quæreut forte qua mercede vocati sunt. Et ego vos, inquit, reficiam. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, non mundum fabricare, non cuncta visibilia et invisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, et

Digitized by Google

mortuos suscitare ; sed, Quoniam mitis sum, et humilis corde.

℟. Iste est qui ante, *p.* 57.

Lectio viij.

MAGNUS esse vis? a minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quisque vult, et disponit superimponere molem ædificii, quanto erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem cum construitur, in superna consurgit ; qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur. Ergo et fabrica ante celsitudinem humiliatur : et fastigium post humiliationem erigitur.

℟. Sint lumbi vestri, *p.* 57*.

Lectio ix.

QUOD est fastigium construendæ fabricæ, quam molimur? quo perventurum est cacumen ædificii? Cito dico, usque ad conspectum Dei. Videtis quam excelsum est, quanta res est conspicere Deum. Qui desiderat, et quod dico, et quod audit, intelligit. Promittitur nobis conspectus Dei, veri Dei, summi Dei. Hoc enim bonum est, videntem videre. Nam qui colunt falsos deos, facile illos vident ; sed eos vident, qui oculos habent, et non vident. Nobis autem promittitur visio Dei viventis, et videntis.

3.* *Alia Homilia.*

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 19.

IN illo tempore : Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : quid ergo erit nobis? Et reliqua.

De Homilia ven. Bedæ Presbyteri.

In natali S. Benedicti.

DUO sunt ordines electorum in judicio futuri: unus judicantium cum Domino, de quibus hoc loco memorat, qui reliquerunt omnia, et secuti sunt illum : alius judicandorum a Domino, qui non quidem omnia sua pariter reliquerunt, sed de his tamen quæ habebant, quotidianas dare eleemosynas Christi pauperibus curabant; unde et audituri sunt in judicio : Venite, benedicti Patris mei, possidete præparatum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare : sitivi, et dedistis mihi bibere.

℟. Iste est qui, *p.* 57*.

Lectio viij.

SED et reproborum duos ibi futuros ordines, Domino narrante, comperimus : unum eorum, qui fidei Christianæ mysteriis initiati, opera fidei exercere contemnunt, quibus in judicio testatur: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, et angelis ejus : esurivi enim, et non dedistis mihi manducare : alterum eorum, qui fidem et mysteria Christi vel nunquam suscepere, vel susceptam per apostasiam deseruere : de quibus dicit : Qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.

℟. Sint lumbi, *p.* 57*.

Lectio ix.

VERUM his cum timore et pavore debito paulisper commemoratis, ad lætissima potius Domini et Salvatoris nostri promissa convertamus auditum. Videamus quæ tantæ gratia pietatis, non æternæ tantummodo vitæ præmia suis sequacibus, sed et præsentis munera pollicetur eximia. Et omnis, inquit, qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. Qui enim terrenis affectibus sive possessionibus pro Christi discipulatu renuntiaverit, quo plus in ejus amore profecerit, eo plures inveniet, qui se interno suscipere affectu, et suis gaudeant sustentare substantiis.

Digitized by Google

COMMUNE.

VIRGINUM.

In I. Vesperis.

Ant. Capit. et Hymnus de laud. Psalmi ut in Festis. B. M. V., *p.* 92*

℣. Specie tua et pulchritudine tua. ℟. Intende, prospere procede, et regna.

Ad Magnif. Ant. Veni, sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.

Oratio.

DEUS, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti, concede propitius, ut qui beatæ N. Virginis et Martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

Alia Oratio.

INDULGETIAM nobis, quæsumus Domine, beata N. Virgo et Martyr imploret, quæ tibi grata semper extitit et merito castitatis, et tuæ professione virtutis. Per Dominum.

Pro Virgine non Mart. Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutaris noster, ut, sicut de beatæ N. Virginis tuæ festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

Si fuerint plures, in utrisq. Vesp. ad Magnificat, *et in Laud. ad* Benedictus, *Ant.* Prudentes Virgines, aptate vestras lampades ecce sponsus venit, exite obviam ei. ℣. Adducentur Regi virgines post eam. ℟. Proximæ ejus afferentur tibi.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Domine Deus noster, sanctarum Virginum et Martyrum tuarum N. et N. palmas incessabili devotione venerari, ut quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum.

Ad Matutinum.

Invit. Regem Virginum Dominum,* Venite, adoremus.

Psalm. Venite. I.

HYMNUS.

VIRGINIS Proles, Opifexque Matris,
Virgo quem gessit, peperitque Virgo;
Virginis partos canimus decora
Morte triumphos.

Hæc enim palmæ duplicis beata
Sorte, dum gestit fragilem domare
Corporis sexum, domuit cruentum.
Cæde tyrannum.

Unde nec mortem, nec amica mortis
Mille pœnarum genera expavescens,
Sanguine effuso meruit serenum
Scandere cœlum.

Hujus oratu, Deus alme, nobis
Debitas pœnas scelerum remitte,
Ut tibi puro resonemus almum
Pectore carmen.

Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi, compar utriusque virtus
Spiritus semper, Deus unus, omni
Temporis ævo. Amen.

Si Sancta fuerit Virgo tantum, et non Martyr, dicitur Hymnus sequens.

VIRGINIS Proles, Opifexque Matris,
Virgo quem gessit, peperitque Virgo;
Virginis festum canimus beatæ,
Accipe votum.

Hujus oratu, Deus alme, nobis
Debitas pœnas scelerum remitte,
Ut tibi puro resonemus almum
Pectore carmen.

Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi, compar utriusque virtus
Spiritus semper, Deus unus, omni
Temporis ævo. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. O quam pulchra est casta generatio cum claritate.

Psalmus 8.

DOMINE Dominus noster,* quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Digitized by Google

Quoniam elevata est magnificentia tua * super cœlos.

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, * ut destruas inimicum et ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum.* lunam et stellas, quæ tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum,* et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus,* oves et boves universas, insuper et pecora campi:

Volucres cœli et pisces maris,* qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Ant. O quam pulchra est casta generatio cum claritate!

Ant. Ante torum hujus Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis.

Pro non Virgine.

Ant. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Psalmus 18.

CŒLI enarrant gloriam Dei, * et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum, * et nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelæ, neque sermones, * quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit sonus eorum: * et in fines orbis terræ verba eorum.

In sole posuit tabernaculum suum:* et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.

Exultavit ut gigas ad currendam viam; * a summo cœlo egressio ejus.

Et occursus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscondat a calore ejus.

Lex Domini immaculata convertens animas: * testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi: * judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum: * et dulciora super mel et favum.

Etenim servus tuus custodit ea:* in custodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me: * et ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: * et emundabor a delicto maximo.

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei: * et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine adjutor meus, et redemptor meus.

Ant. Ante torum hujus Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis.

Pro non Virgine.

Ant. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Ant. Revertere, revertere, Sunamitis: revertere, revertere, ut intueamur te.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitudo ejus: * orbis terrarum et universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini?* aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo.

Digitized by Google

Hæc est generatio quærentium eum, * quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales: * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales: * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Ant. Revertere, revertere, Sunamitis: revertere, revertere, ut intueamur te.

℣. Specie tua et pulchritudine tua. ℟. Intende, prospere procede, et regna. Pater noster.

Absol. Exaudi. ℣. Jube domne.

Bened. Benedictione perpetua.

De Epistola prima beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 7.

DE virginibus præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est: reliquum est, ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudentes: et qui emunt, tamquam non possidentes: et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi.

℟. Veni, sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum: pro cujus amore sanguinem tuum fudisti: * Et cum Angelis in paradisum introisti ℣. Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum, quia concupivit Rex speciem tuam. — Et cum.

Si non fuerit Martyr, dicitur seq.

℟. Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum; * Quia concupivit Rex speciem tuam. ℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. — Quia.

Bened. Unigenitus Dei Filius.

Lectio ij.

VOLO autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta, et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad utilitatem vestram dico: non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id, quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.

℟. Diffusa est gratia in labiis tuis: * Propterea benedixit te Deus in æternum. ℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Propterea.

Bened. Spiritus sancti gratia.

Lectio iij.

SI quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, et ita oportet fieri: quod vult faciat: non peccat, si nubat. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, et hoc judicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit. Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: et qui non jungit, melius facit. Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult nubat: tantum

Digitized by Google

in Domino. Beatior autem erit si sic permanserit, secundum meum consilium: puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam.

℣. Specie tua et pulchritudine tua* Intende, prospere procede, et regna. ℣. Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Intende. Gloria. Intende.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna.

Psalmus 44.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum: * dico ego opera mea Regi.

Lingua mea calamus scribæ,* velociter scribentis.

Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: * propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum, * potentissime.

Specie tua et pulchritudine tua * intende, prospere procede, et regna.

Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * et deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, * in corda inimicorum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: * virga directionis, virga regni tui.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis:* ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.

Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, * circumdata varietate.

Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam: * et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum: * quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus * vultum tuum deprecabuntur: omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus, * in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi virgines post eam:* proximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætitia et exultatione: * adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: * constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui, * in omni generatione et generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, * et in sæculum sæculi.

Ant. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna.

Ant. Adjuvabit eam Deus vultu suo: Deus in medio ejus, non commovebitur.

Psalmus 45.

DEUS noster refugium et virtus: * adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra, * et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum: * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei * sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus, non commovebitur: * adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna:* dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: * auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret, et confringet arma: * et scuta comburet igni.

Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: * exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Digitized by Google

Ant. Adjuvabit eam Deus vultu suo : Deus in medio ejus, non commovebitur.

Ant. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.

Psalmus 47.

MAGNUS Dominus, et laudabilis nimis * in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, * latera Aquilonis, civitas Regis magni.

Deus in domibus ejus cognoscetur, * cum suscipiet eam.

Quoniam ecce reges terræ congregati sunt : * convenerunt in unum.

Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt : * tremor apprehendit eos.

Ibi dolores ut parturientis: * in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri:* Deus fundavit eam in æternum.

Suscepimus, Deus, misericordiam tuam, * in medio templi tui.

Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ : * justitia plena est dextera tua.

Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Judæ, * propter judicia tua, Domine.

Circumdate Sion, et complectimini eam : * narrate in turribus ejus.

Ponite corda vestra in virtute ejus: * et distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.

Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi : * ipse reget nos in sæcula.

Ant. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in medio ejus, non commovebitur. Pater noster.

Absol. Ipsius. ℣. Jube domne.

Bened. Deus Pater omnipotens.

Sermo S. Ambrosii Episcopi.

Lib. I de Virg., circa initium.

Lectio iv.

QUONIAM hodie natalis est Virginis, invitat nunc integritatis amor, ut aliquid de virginitate dicamus, ne veluti transitu quodam præstricta videatur, quæ principalis est virtus. Non enim ideo laudabilis virginitas, quia in martyribus reperitur ; sed quia ipsa martyres faciat. Quis autem humano eam possit ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus ? aut quis naturali voce complecti, quod supra usum naturæ sit? E cælo accersivit, quod imitaretur in terris. Nec immerito vivendi sibi usum quæsivit e cælo, quæ sponsum sibi invenit in cælo.

℟. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam : * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Et.

Bened. Christus perpetuæ.

Lectio v.

HÆC nubes, aëra, Angelos, sideraque transgrediens, Verbum Dei in ipso sinu Patris invenit, et toto hausit pectore. Nam quis tantum, cum invenerit, relinquat boni ? Unguentum enim exinanitum est nomen tuum: propterea adolescentulæ dilexerunt te, et attraxerunt te. Postremo, non meum est illud, quoniam quæ non nubunt, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei in cælo. Nemo ergo miretur, si Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur.

℟. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Propterea.

Bened. Ignem sui amoris.

Lectio vj.

QUIS igitur neget hanc vitam fluxisse de cælo, quam non facile invenimus in terris, nisi postquam Deus in hæc terreni corporis membra

Digitized by Google

descendit? Tunc in utero virgo concepit, et Verbum caro factum est, ut caro fieret Deus. Dicet aliquis: Sed etiam Elias nullius corporei coitus fuisse permixtus cupiditatibus invenitur. Ideo ergo curru raptus ad cœlum, ideo cum Domino apparet in gloria, ideo Dominici venturus est præcursor adventus.

℟. Afferentur Regi virgines post eam, proximæ ejus * Afferentur tibi in lætitia et exultatione. ℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Afferentur. Gloria. Afferentur.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem: ideo dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum.

Psalmus 95.

CANTATE Domino canticum novum: * cantate Domino, omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite nomini ejus: * annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter Gentes gloriam ejus, * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: * terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dii Gentium dæmonia: * Dominus autem cœlos fecit.

Confessio et pulchritudo in conspectu ejus: * sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino, patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem: * afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus: * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra: * dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur: * judicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus: * gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate, * et populos in veritate sua.

Ant. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem: ideo dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum.

Ant. Trahe me post te, in odorem curremus unguentorum tuorum: oleum effusum nomen tuum.

Psalmus 96.

DOMINUS regnavit, exultet terra: * lætentur insulæ multæ.

Nubes et caligo in circuitu ejus: * justitia et judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet: * et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: * vidit, et commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, * a facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cœli justitiam ejus: * et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes qui adorant sculptilia: * et qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum, omnes Angeli ejus. * audivit, et lætata est Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ, * propter judicia tua, Domine.

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: * nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum: * custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætitia.

Lætamini, justi, in Domino: * et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

Ant. Trahe me post te, in odorem curremus unguentorum tuorum: oleum effusum nomen tuum.

Ant. Veni, sponsa Christi, ac-

*

cipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.

Psalmus 97.

CANTATE Domino canticum novum, * quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus, * et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum: * in conspectu Gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ, * et veritatis suæ domui Israel.

Viderunt omnes termini terræ * salutare Dei nostri.

Jubilate Deo, omnis terra, * cantate, et exultate, et psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi: * in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.

Jubilate in conspectu Regis Domini: * moveatur mare et plenitudo ejus; orbis terrarum, et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini, * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia, * et populos in æquitate.

Ant. Veni, sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.

℣. Elegit eam Deus, et prælegit eam. ℟. In tabernaculo suo habitare facit eam. Pater noster.

Absol. A vinculis. ℣. Jube domne. *Bened.* Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

IN illo tempore: dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Homilia 12 *in Evangelia*

SÆPE vos, fratres charissimi, admoneo prava opera fugere, mundi hujus inquinamenta devitare; sed hodierna sancti Evangelii lectione compellor dicere, ut et bona quæ agitis, cum magna cautela teneatis; ne per hoc, quod a vobis rectum geritur, favor aut gratia humana requiratur: ne appetitus laudis subrepat, et quod foris ostenditur, intus a mercede vacuetur. Ecce enim Redemptoris voce decem virgines, et omnes dicuntur virgines, et tamen intra beatitudinis januam non omnes sunt receptæ: quia earum quædam, dum de virginitate sua gloriam foris expetunt, in vasis suis oleum habere noluerunt.

℟. Hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem invenit, quæ acceptis lampadibus, sumpsit secum oleum: * Et veniente Domino, introivit cum eo ad nuptias. ℣. Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Et.

Bened. Cujus *vel* Quarum festum colimus.

Lectio viij.

SED prius quærendum nobis est quid sit regnum cœlorum, aut cur decem virginibus comparetur, quæ etiam virgines prudentes et fatuæ dicantur. Dum enim cœlorum regnum constat quia reproborum nullus ingreditur, etiam fatuis virginibus cur similе esse perhibetur? Sed sciendum nobis est, quod sæpe in sacro eloquio regnum cœlorum præsentis temporis Ecclesia dicitur. De quo alio in loco Dominus dicit: Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala. Neque enim in illo regno beatitudinis, in quo pax summa est, inveniri scandala poterunt, quæ colligantur.

℟. Media nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exite obviam ei. ℣. Prudentes virgines, aptate vestras lampades. Ecce. Gloria. Ecce.

Bened. Ad societatem.

Lectio ix.

IN quinque autem corporis sensibus unusquisque subsistit. Geminatus autem quinarius denarium perficit. Et quia ex utroque sexu fidelium multi-

Digitized by Google

tudo colligitur, sancta Ecclesia decem virginibus similis esse denuntiatur. In qua quia mali cum bonis, et reprobi cum electis admixti sunt, recte similis virginibus prudentibus et fatuis esse perhibetur. Sunt namque plerique continentes, qui ab appetitu se exteriori custodiunt, et spe ad interiora rapiuntur, carnem macerant, et toto desiderio ad supernam patriam anhelant, æterna præmia expetunt, pro laboribus suis recipere laudes humanas nolunt. Hi nimirum gloriam suam non in ore hominum ponunt, sed intra conscientiam contegunt. Et sunt plerique, qui corpus per abstinentiam affligunt, sed de ipsa sua abstinentia humanos favores expetunt.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. HÆC est virgo sapiens, et una de numero prudentum.

2. Hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem invenit.

3. Hæc est quæ nescivit torum in delicto : habebit fructum in respectione animarum sanctarum.

4. Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum, allel.

5. Ista est speciosa inter filias Jerusalem.

Capitulum. 2. Cor. 10.

FRATRES, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est sed quem Deus commendat.

HYMNUS.

JESU, corona Virginum,
Quem mater illa concipit,
Quæ sola virgo parturit,
Hæc vota clemens accipe.

Qui pergis inter lilia
Septus choreis Virginum,
Sponsus decorus gloria
Sponsisque reddens præmia.

Quocumque tendis, Virgines
Sequuntur, atque laudibus
Post te canentes cursitant,
Hymnosque dulces personant.

Te deprecamur supplices,
Nostris ut addas sensibus
Nescire prorsus omnia
Corruptionis vulnera.

Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito
In sæculorum sæcula. Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Bened. Ant. Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas : inventa una pretiosa, dedit omnia sua, et comparavit eam.

Ad Tertiam.

Capit. Fratres, Qui gloriatur.

℟. *br.* Specię tua * Et pulchritudine tua. Specie tua. ℣. Intende, prospere procede, et regna. Et pulchritudine. Gloria. Specie.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in medio ejus, non commovebitur.

Ad Sextam.

Capitulum. 2. Cor. 11.

ÆMULOR enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.

℟. *br.* Adjuvabit eam * Deus vultu suo. Adjuvabit. ℣. Deus in medio ejus, non commovebitur. Deus. Gloria. Adjuvabit. ℣. Elegit eam Deus, et præelegit eam. ℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Ad Nonam.

Capitulum Eccli. 51.

DOMINE Deus meus, exaltasti super terram habitationem meam, et pro morte defluente deprecata sum. Invocavi Dominum patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ, et in tempore superborum sine adjutorio.

Si fuerit Virgo, e non Martyr, dicitur sequens Capitul. Sap. 4.

O quam pulchra est casta generatio cum claritate immortalis est

Digitized by Google

enim memoria illius : quoniam apud Deum nota est , et apud homines. *

℟. *br.* Elegit eam Deus, * Et præelegit eam. Elegit. ℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. Et præelegit. Gloria. Elegit. ℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

In II. Vesperis.

Ant. Capit. et Hymnus de Laud. Psalmi ut in festis B. M. V., *p.* 92*

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Magnif. Ant. Veni, sponsa Christi , accipe coronam , quam tibi Dominus præparavit in æternum.

2.° ALIÆ LECTIONES *pro Virginibus.*

IN I. NOCTURNO.

De libro Ecclesiastici.

Lectio i. *Cap.* 51. *

CONFITEBOR tibi, Domine Rex, et collaudabo te Deum Salvatorem meum. Confitebor nomini tuo , quoniam adjutor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum a perditione , a laqueo linguæ iniquæ , et a labiis operantium mendacium, et in conspectu adstantium factus es mihi adjutor. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui a rugientibus præparatis ad escam : de manibus quærentium animam meam, et de portis tribulationum quæ circumdederunt me : a pressura flammæ quæ circumdedit me , et in medio ignis non sum æstuata : de altitudine ventris inferi, et a lingua coinquinata, et a verbo mendacii , a rege iniquo, et a lingua injusta.

℟. Veni sponsa , *p.* 64*.

Lectio ij.

LAUDABIT usque ad mortem anima mea Dominum , et vita mea appropinquans erat in inferno deorsum. Circumdederunt me undique, et non erat qui adjuvaret. Respiciens eram ad adjutorium hominum, et non erat. Memorata sum misericordiæ tuæ, Domine, et operationis tuæ , quæ a sæculo sunt : quoniam eruis sustinentes te , Domine , et liberas eos de manibus gentium.

℟. Diffusa est gratia , *p.* 64*.

Lectio iij.

EXALTASTI super terram habitationem meam , et pro morte defluente deprecata sum. Invocavi Dominum patrem Domini mei , ut non derelinquat me in die tribulationis meæ, et in tempore superborum sine adjutorio. Laudabo nomen tuum assidue , et collaudabo illud in confessione, et exaudita est oratio mea. Et liberasti me de perditione, et eripuisti me de tempore iniquo. Propterea confitebor , et laudem dicam tibi , et benedicam nomini Domini.

℟. Specie tua *p.* 65*.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro S. Cypriani Episcopi et martyris de disciplina et habitu virginum.

Lectio iv. *Cap.* 2.

NUNC nobis ad virgines sermo est quarum quo sublimior gloria est, major et cura est. Flos est illo Ecclesiastici germinis , decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles , laudis et honoris opus integrum atque incorruptum , Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini , illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas , atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fœcunditas : quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit , tanto plus gaudium matris augescit. Ad has loquimur , has adhortamur affectione potius quam potestate: non quod extremi , et minimi , et humilitatis nostræ admodum conscii , aliquid ad censuram licentiæ vindicemus ; sed quod ad sollicitudinem magis cauti , plus de diaboli infestatione timeamus.

℟. Propter veritatem , *p.* 66.*

Digitized by Google

Lectio v.

NEQUE inanis hæc cautio est, et vana formido, quæ ad salutis viam consulit, quæ Dominica et vitalia præcepta custodit, ut quæ se Christo dicaverint, et a carnali concupiscentia recedentes, tam carne, quam mente se Deo voverint, consumment opus suum magno præmio destinatum: nec oruari jam, aut placere cuiquam, nisi Domino suo studeant, a quo et mercedem virginitatis expectant, dicente ipso: Non omnes capiunt verbum, sed illi quibus datum est. Sunt enim spadones, qui ex utero matris sic nati sunt: et sunt spadones, qui coacti sunt ab hominibus: et sunt spadones, qui se ipsos castraverunt propter regnum cælorum.

℟. Dilexisti justitiam, *p.* 66*.

Lectio. vj.

DENUO quoque per hanc Angeli vocem continentiæ munus osteditur, virginitas prædicatur. Hi sunt, qui cum mulieribus se non coinquinaverunt; virgines enim permanserunt: hi sunt, qui sequuntur Agnum quocumque ierit. Neque enim tantum masculis continentiæ gratiam Dominus repromittit, et feminas præterit: sed quoniam femina viri portio est, et ex eo sumpta atque formata est, in Scripturis fere omnibus ad protoplastum Deus loquitur, quia sunt duo in carne una, et in masculo simul significatur et femina. Quod si Christum continentia sequitur, et regno Dei virginitas destinatur, quid est illis cum terreno cultu, et cum ornamentis, quibus dum hominibus placere gestiunt, Deum offendunt?

℟. Afferentur Regi, *p.* 67*.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 13.

IN illo tempore: Accesserunt ad Jesum Pharisæi tentantes eum, et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homil. 63. *in Matth. sub med.*

DOMINUS noster, quia ad virginitatem hortari grave esse videbatur, a necessitate legis de non solvendo matrimonio, eos ad cupiditatem illius trahere studet. Deinde ut eam esse possibilem ostendat, sic inquit: Sunt eunuchi, qui ex ventre matris ita nati sunt, et sunt qui ab hominibus eunuchi facti sunt, et sunt qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Quibus verbis latenter eos ad eligendam virginitatem inducit, dum eam virtutem esse possibilem adstruit.

℟. Hæc est virgo, *p.* 68*.

Lectio viij.

ID autem hoc fere modo confirmat. Cogita tecum si aut a natura talis esses, aut ab hominibus eam injuriam passus, quid faceres, cum et ejusmodi voluptate careres, et nullam capiendo mercedem consequereris? Gratias igitur nunc Deo agas, quod cum mercede atque coronis idem sustines, quod illi sine coronis ac præmio tolerant: imo vero non idem, sed multo levius; tum quia spe erigeris, et conscientia recte facti, tum quia non ita ingentibus concupiscentiæ fluctibus jactaris.

℟. Media nocte, *p.* 68.

Lectio ix.

CUM ergo de illis eunuchis dixerit, qui nisi etiam ipsi mente se contineant, frustra et inutiliter tales sunt, ac de illis, qui ut regnum cœlorum consequantur, se continent, subjunxit rursus, dicens: Qui potest capere, capiat: ut alacriores efficiat eo ipso, quod grave esse opus osteudit et ineffabili benignitate sua noluit eam intra necessitatem legis concludere: idque dicendo, adhuc magis possibilem esse demonstrat, ut voluntatis studium plus augeatur.

Digitized by Google

COMMUNE

SANCTÆ MARTYRIS TANTUM, *et nec Virginis nec Martyris.*

Ad I. Vesperis.

Ant. Capit. et Hymnus de Laud. Psalmi ut in Festis B. M. V., p. 92*

℣. Specie tua et pulchritudine tua. ℟. Intende, prospere procede, et regna.

Ad Magnif. Ant. Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas: inventa una pretiosa, dedit omnia sua, et comparavit eam.

Pro una Mart. tantum. Oratio.

DEUS, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti, concede propitius, ut, qui beatæ N. Martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

Pro plur. Mart. tantum. Oratio.

DA nobis, quæsumus, Domine Deus noster, sanctarum Martyrum N. et N. palmas incessabili devotione venerari, ut quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum.

Pro nec Virg. nec Mart. Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutaris noster, ut sicut de beatæ N. festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu. Per.

Ad Matutinum.

Invit. Laudemus Deum nostrum, * In confessione beatæ N.
Psalm. Venite. I.

HYMNUS.

HUJUS oratu, Deus alme, nobis
Debitas pœnas scelerum remitte,
Ut tibi puro resonemus almum
Pectore carmen.

Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi, compar utriusque virtus
Spiritus semper, Deus unus, omni
Temporis ævo. Amen.

Ant. Psalmi, et Vers. in quolibet Noct. ut in Com. Virginum.

IN I. NOCTURNO.

Pro Martyre tantum.

Confitebor tibi Domine, *p.* 70*.

Pro nec Virgine nec Martyre.

De Parabolis Salomonis.

Lectio j. Cap. 31.

MULIEREM fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit. Reddet ei bonum, et non malum, omnibus diebus vitæ suæ. Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum. Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis. Consideravit agrum, et emit eum: de fructu manuum suarum plantavit vineam. Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum.

℟. Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum: * Quia concupivit Rex speciem tuam. ℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Quia.

Lectio ij.

GUSTAVIT, et vidit quia bona est negotiatio eius: non extinguetur in nocte lucerna ejus. Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ a frigoribus nivis: omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi: byssus et purpura indumentum ejus. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ. Sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Chananæo.

℟. Diffusa est gratia in labiis tuis: * Propterea benedixit te Deus in æter-

Digitized by Google

num. ℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Propterea.

Lectio iij.

FORTITUDO et decor indumentum ejus, et ridebit in die novissimo. Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus. Considéravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit. Surrexerunt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt: vir ejus, et laudavit eam. Multæ filiæ congregaverunt divitias; tu supergressa es universas. Fallax gratia, et vana est pulchritudo: mulier timens Dominum ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus.

℟. Specie tua et pulchritudine tua * Intende, prospere procede, et regna. ℣. Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Intende. Gloria. Intende.

IN II. NOCTURNO.

Ex lib. S. Ambrosii Episc., de Vid.

Lectio iv. *Prope finem.*

AGRUM hunc Ecclesiæ fertilem cerno, nunc integritatis flore vernantem, nunc viduitatis gravitate pollentem, nunc etiam conjugii fructibus redundantem. Nam etsi diversi, unius tamen agri fructus sunt: nec tanta hortorum lilia, quantæ aristæ segetum, messium spicæ, compluriumque spatia camporum recipiendis aptantur seminibus, quam redditis novales fructibus feriantur. Bona ergo viduitas, quæ toties Apostolico judicio prædicatur. Hæc enim magistra fidei, magistra est castitatis.

℟. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Et deducet.

Lectio v.

UNDE et illi, qui deorum suorum adulteria et pudora veneran-

tur, cœlibatus et viduitatis statuêre pœnas, ut æmuli criminum mulctarent studia virtutum, specie quidem, qua fœcunditatem quærerent, sed studio, quo propositum castitatis abolerent. Nam confectis et miles stipendiis arma deponit, et relicto officio quod gerebat, ad propria veteranus rura dimittitur, ut et ipse exercitæ laboribus vitæ requiem consequatur, et alios spe futuræ quietis subeundis faciat operibus promptiores. Agricola quoque maturior torquendam aliis stivam committit, et juvenili gravatus opere providentiam curæ senilis explorat: vitem facilius tondere, quam premere, ut juvenescentem luxuriam reprimat, et adolescentem lasciviam falce succidat: parcorum quamdam partuum castitatem docens etiam in vitibus expetendam.

℟. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Propterea.

Lectio vj.

SIMILIS huic vidua velut emeritis veterana stipendiis castitatis, etsi conjugii arma deponat, domus tamen totius pacem gubernat. etsi vehendis oneribus otiosa, maritandis tamen junioribus provida, ubi cultus utilior, ubi fructus uberior sit, quarum copulam aptiorem, senili gravitate disponit. Itaque si maturioribus quam junioribus committitur ager, cur putes utiliorem nuptam esse quam viduam? quod si persecutores fidei persecutores fuerunt etiam viduitatis; utique fidem sequentibus viduitas non pro supplicio fugienda est, sed tenenda pro præmio.

℟. Fallax gratia, et vana est pulchritudo: * Mulier timens Deum ipsa laudabitur. ℣. Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus. Mulier. Gloria. Mulier.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Digitized by Google

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia II. *in Evangelia.*

CŒLORUM regnum, fratres charissimi, idcirco terrenis rebus simile dicitur, ut ex his quæ animus novit, surgat ad incognita quæ non novit, quatenus exemplo visibilium se ad invisibilia rapiat, et per ea, quæ usu didicit, quasi confricatus incalescat : ut per hoc, quod scit notum diligere, discat et incognita amare. Ecce enim regnum cœlorum thesauro abscondito in agro comparatur: quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum.

℣. Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus : consideravit semitas domus suæ, * Et panem otiosa non comedit. ℣. Gustavit et vidit quia bona est negotiatio ejus: non extinguetur in nocte lucerna eius. Et panem.

Lectio viij.

QUA in re hoc quoque notandum est, quod inventus thesaurus absconditur, ut servetur: quia studium cœlestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. In præsenti etenim vita quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus. Maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident. Deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publicè portat in via. Hoc autem dico, non ut proximi opera nostra bona non videant, cum scriptum sit: Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est : sed ut per hoc, quod agimus, laudes exterius non quæramus. Sic autem sit opus in publico, qualenus intentio maneat in occulto : ut et de bono opere proximis præbeamus exemplum, et tamen per intentionem, qua Deo soli placere quærimus, semper optemus secretum.

℟. Regnum mundi, et omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini mei Jesu Christi, * Quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi. ℣. Eructavit cor meum verbum bonum : dico ego opera mea Regi. Quem. Gloria. Quem.

Lectio ix.

THESAURUS autem cœleste est desiderium : ager vero, in quo thesaurus absconditur, disciplina studii cœlestis. Quem profecto agrum venditis omnibus comparat, qui voluptatibus carnis renuntians, cuncta sua terrena desideria per disciplinæ cœlestis custodiam calcat, ut nihil jam quod caro blanditur, libeat ; nihil quod carnalem vitam trucidat, spiritus perhorrescat.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. DUM esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.

2. In odorem unguentorum tuorum currimus, adolescentulæ dilexerunt te nimis.

3. Jam hiems transiit, imber abiit, et recessit ; surge, amica mea, et veni.

4. Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum, alleluia.

5. Ista est speciosa inter filias Jerusalem.

Pro Martyre tantum.

Capitulum. Eccli 51.

CONFITEBOR tibi, Domine Rex, et collaudabo te Deum salvatorem meum. Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum a perditione.

Pro nec Virgine nec Martyre

Digitized by Google

Capitulum. Prov. 31.

MULIEREM fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit.

HYMNUS.

FORTEM virili pectore
Laudemus omnes fœminam,
Quæ sanctitatis gloria
Ubique fulget inclyta.

Hæc sancto amore saucia,
Dum mundi amorem noxium
Horrescit, ad cœlestia
Iter peregit arduum.

Carnem domans jejuniis,
Dulcique mentem pabulo
Orationis nutriens,
Cœli potitur gaudiis.

Rex Christe, virtus fortium,
Qui magna solus efficis,
Hujus precatu, quæsumus,
Audi benignus supplices.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Bened. Ant. Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus.

Ad Tertiam.

Pro Martyre tantum.

Capit. Confitebor tibi, *ut supra.*

Pro nec Virgine nec Martyre.

Capit. Mulierem fortem, *ut sup.*

℟. *br.* Specie tua * Et pulchritudine tua. Specie. ℣. Intende, prospere procede, et regna: Et pulchritudine. Gloria. Specie. ℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in medio ejus, non commovebitur.

Ad Sextam.

Pro Martyre tantum.

Capitulum. Eccli. 51.

LIBERASTI me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui a rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, et de multis tribulationibus quæ circumdederunt me.

Pro nec Virgine nec Martyre.

Capitulum. Prov. 31.

MANUM suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ a frigoribus nivis.

℟. *br.* Adiuvabit eam * Deus vultu suo. Adjuvabit. ℣. Deus in medio ejus, non commovebitur. Deus. Gloria. Adjuvabit. ℣. Elegit eam Deus, et præelegit eam. ℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Ad Nonam.

Pro Martyre tantum.

Capitulum. Eccli. 51.

LAUDABIT usque ad mortem anima mea Dominum: quoniam eruis sustinentes te, et liberas eos de manu angustiæ, Domine Deus noster.

Pro nec Virgine nec Martyre.

Capitulum. Prov. 31.

MULTÆ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas. Fallax gratia, et vana est pulchritudo: mulier timens Dominum ipsa laudabitur.

℣. *br.* Elegit eam Deus, * Et præelegit eam. Elegit. ℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. Et præelegit. Gloria. Elegit. ℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

In II. Vesperis.

Ant. Capit. et Hymn. de Laud. Psalmi ut in festis B. M. V. p. 92*

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Magnif. Ant. Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem, et panem otiosa non comedit.

Pro pluribus Virg. idem fit Offic.

Digitized by Google

2. ALIÆ LECTIONES
pro Martyre tantum.
IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Sermo 67. de div. Novi Test. locis.
Lectio. iv.

EGO maxime commemorationes diligo Martyrum, diligo et amplector; atque omnes quidem, sed tum præcipue, cum mulierum certamina proponuntur. Quanto enim infirmius est vas tanto major est gratia, tanto illustrius est trophæum, tanto insignior est victoria, non ob imbecillitatem sexus athletarum, sed quod per ea, quibus vicerat inimicus, nunc etiam vincatur.

℟. Propter veritatem, *p.* 73*.

Lectio v.

PER mulierem vicit, per mulierem superatus est. Hoc illius antea telum erat; hoc illius nunc cædis factum est instrumentum, hoc vas apparuit insuperabile. Peccavit illa prior, et mortua est: ista mortua est, ne peccaret. Illa tum futilis promissi spe inflata Dei leges violavit, hæc vitam præsentem contempsit, ne fidem in suum benefactorem ejuraret. Quam igitur deinceps sperare poterunt excusationem viri, si molles sint et ignavi? quam vero veniam, cum fortiter ac viriliter se gerant mulieres, cum adeo se generose ad certamina pietatis accingant?

℟. Dilexisti justitiam, *p.* 73*.

Lectio vj.

FUIT illi corpus imbecillum, et obnoxius sexus injuriæ: verumtamen omnium horum imbecillitatem adveniens gratia occultavit. Nihil enim est, nihil plane potentius est eo, qui magno cum studio Dei timorem habeat in mente defixum; sed quamvis ignes, quamvis ferrum, quamvis bestias, quamvis aliud quidvis minentur hostes, omnia nullo negotio contemnit; quod utique Beata ista etiam fecit.

℟. Fallax gratia, *p.* 73*.

COMMUNE
DEDICATIONIS ECCLESIÆ.
In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. Psalmi de Dom. loco ult. Lauda Jerusalem, p. 99.

HYMNUS.

CŒLESTIS Urbs Jerusalem,
Beata pacis visio,
Quæ celsa de viventibus
Saxis ad astra tolleris,
Sponsæque ritu cingeris
Mille Angelorum millibus.

O sorte nupta prospera,
Dotata Patris gloria,
Respersa Sponsi gratia,
Regina formosissima,
Christo jugata Principi,
Cœli corusca Civitas.

Hic margaritis emicant
Patentque cunctis ostia:
Virtute namque prævia
Mortalis illuc ducitur,
Amore Christi percitus
Tormenta quisquis sustinet.

Scalpri salubris ictibus,
Et tunsione plurima,
Fabri polita malleo
Hanc saxa molem construunt,
Aptisque juncta nexibus
Locantur in fastigio.

Decus Parenti debitum
Sit usquequaque altissimo,
Natoque Patris unico,
Et inclito Paraclito,
Cui laus, potestas, gloria
Æterna sit per sæcula. Amen.

℣. Hæc est domus Domini firmiter ædificata. ℟. Bene fundata est supra firmam petram.

Ad Magnif. Ant. Sanctificavit Dominus tabernaculum suum: quia hæc est domus Dei, in qua invocabitur nomen ejus, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit Dominus.

In ipso die Dedicationis Ecclesiæ, et per Octav., et quando varianda est Oratio, ob concursum Dedicationis alterius Ecclesiæ.

Digitized by Google

Oratio.

DEUS, qui invisibiliter omnia continues, et tamen pro salute generis humani signa tuæ potentiæ visibiliter ostendis, templum hoc potentia tuæ inhabitationis illustra, et concede ut omnes, qui huc deprecaturi conveniunt, ex quacumque tribulatione ad te clamaverint, consolationis tuæ beneficia consequantur. Per.

In Anniversario Dedicationis Ecclesiæ, et per Octavam.

Oratio.

DEUS, qui nobis per singulos annos hujus sancti templi tui consecrationis reparas diem, et sacris semper mysteriis repræsentas incolumes, exaudi preces populi tui, et præsta, ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur. Per Dominum.

Ad Matutinum.

Invit. Domum Dei decet sanctitudo: * Sponsum ejus Christum adoremus in ea.

Psalm. Venite. I.

Hymnus Cœlestis, *ut supra.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitudo ejus: * orbis terrarum et universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum:* et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, et mundo corde,* qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum:* quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales: * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales: * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Ant. Tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales.

Ant. Erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste vocabitur domus Dei.

Psalmus 45.

DEUS noster refugium et virtus:* adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra,* et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum: * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei:* sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus, non commovebitur: * adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna:* dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum:* susceptor noster Deus Jacob.

Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: * auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret, et confringet arma: * et scuta comburet igni.

Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: * exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Ant. Erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste vocabitur domus Dei.

Ant. Ædificavit Moyses altare Domino Deo.

Psalmus 47.

MAGNUS Dominus, et laudabilis nimis * in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.

Digitized by Google

Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, * latera Aquilonis, civitas Regis magni.

Deus in domibus ejus cognoscetur,* cum suscipiet eam.

Quoniam ecce reges terræ congregati sunt: * convenerunt in unum.

Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: * tremor apprehendit eos.

Ibi dolores ut parturientis:* in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri:* Deus fundavit eam in æternum.

Suscepimus, Deus, misericordiam tuam, * in medio templi tui.

Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ: * justitia plena est dextera tua.

Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Judæ, * propter judicia tua, Domine.

Circumdate Sion, et complectimini eam: * narrate in turribus ejus.

Ponite corda vestra in virtute ejus.* et distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.

Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi:* ipse reget nos in sæcula.

Ant. Ædificavit Moyses altare Domino Deo.

℣. Domum tuam, Domine, decet sanctitudo. ℟. In longitudinem dierum. Pater noster.

Absol. Exaudi. ℣. Jube domne.

Bened. Benedictione perpetua.

De libro 2. Paralipomenon.

Lectio j. Cap. 7.

CUM complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cœlo, et devoravit holocausta et victimas: et majestas Domini implevit domum. Nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini, eo quod implesset majestas Domini templum Domini. Sed et omnes filii Israel videbant descendentem ignem, et gloriam Domini super domum: et corruentes proni in terram super pavimentum stratum lapide, adoraverunt et laudaverunt Dominum: Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Rex autem et omnis populus immolabant victimas coram Domino. Mactavit igitur rex Salomon hostias, boum viginti duo millia, arietum centum vigiati millia: et dedicavit domum Dei Rex, et universus populus.

℟. In dedicatione templi decantabat populus laudem: * Et in ore eorum dulcis resonabat sonus. ℣. Fundata est domus Domini supra verticem montium, et venient ad eam omnes gentes. Et.

Bened. Unigenitus Dei Filius.

Lectio ij.

SACERDOTES autem stabant in officiis suis, et levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David rex ad laudandum Dominum: Quoniam in æternum misericordia ejus, hymnos David canentes per manus suas. Porro sacerdotes canebant tubis ante eos, cunctusque Israel stabat. Sanctificavit quoque Salomon medium atrii ante templum Domini: obtulerat enim ibi holocausta et adipes pacificorum, quia altare æneum, quod fecerat, non poterat sustinere holocausta et sacrificia et adipes. Fecit ergo Salomon solemnitatem in tempore illo septem diebus, et omnis Israel cum eo, ecclesia magna valde, ab introitu Emath usque ad torrentem Ægypti. Fecitque die octavo collectam, eo quod dedicasset altare septem diebus, et solemnitatem celebrasset diebus septem.

℟. Fundata est domus Domini supra verticem montium, et exaltata est super omnes colles:* Et venient ad eam omnes gentes, et dicent: Gloria tibi, Domine. ℣. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Et.

Bened. Spiritus sancti gratia.

Lectio iij.

COMPLEVITQUE Salomon domum Domini, et domum regis, et omnia quæ disposuerat in corde suo

Digitized by Google

ut faceret in domo Domini, et in domo sua, et prosperatus est. Apparuit autem ei Dominus nocte, et ait: Audivi orationem tuam, et elegi locum istum mihi in domum sacrificii. Si clausero cœlum, et pluvia non fluxerit, et mandavero et præcepero locustæ, ut devoret terram, et misero pestilentiam in populum meum; conversus autem populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, et exquisierit faciem meam, et egerit pœnitentiam a viis suis pessimis: et ego exaudiam de cœlo, et propitius ero peccatis eorum, et sanabo terram eorum. Oculi quoque mei erunt aperti, et aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit. Elegi enim et sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.

℣. Benedic, Domine, domum istam, quam ædificavi nomini tuo. Venientium in loco isto * Exaudi preces in excelso solio gloriæ tuæ. ℣. Domine, si conversus fuerit populus tuus, et oraverit ad sanctuarium tuum. Exaudi. Gloria. Exaudi.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

Psalmus 83.

QUAM dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! * concupiscit et deficit anima mea in atria domini.

Cor meum et caro mea * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum:* et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos,

Altaria tua, Domine virtutum, * Rex meus et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine, * in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: * ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: * auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster aspice, Deus: * et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis * super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus * gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia,* Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Ant. Non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

Ant. Vidit Jacob scalam, summitas ejus cœlos tangebat, et descendentes Angelos, et dixit: Vere locus iste sanctus est.

Psalmus 86.

FUNDAMENTA ejus in montibus sanctis: * diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te, * civitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylonis * scientium me.

Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, * hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea, * et ipse fundavit eam Altissimus?

Dominus narrabit in scripturis populorum et principum: * horum, qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium * habitatio est in te.

Ant. Vidit Jacob scalam, summitas ejus cœlos tangebat, et descendentes Angelos, et dixit: Vere locus iste sanctus est.

Ant. Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper.

Psalmus 87.

DOMINE, Deus salutis meæ, * in die clamavi et nocte coram te.

Digitized by Google

Intret in conspectu tuo oratio mea:* inclina aurem tuam ad precem meam :

Quia repleta est malis anima mea : * et vita mea inferno appropinquavit.

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum : * factus sum sicut homo sine adjutorio , inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris , quorum non es memor amplius : * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori : * in tenebrosis et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus : * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me : * posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum , et non egrediebar . * oculi mei languerunt præ inopia.

Clamavi ad te , Domine , tota die : * expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia? * aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi ?

Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam , * et veritatem tuam in perditione ?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua , * et justitia tua in terra oblivionis ?

Et ego ad te , Domine , clamavi : * et mane oratio mea prævenict te.

Ut quid , Domine , repellis orationem meam , * avertis faciem tuam a me ?

Pauper sum ego , et in laboribus a juventute mea : * exaltatus autem , humiliatus sum et conturbatus.

In me transierunt iræ tuæ : * et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die : * circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum et proximum , * et notos meos a miseria.

Ant. Erexit Jacob lapidem in titulum , fundens oleum desuper.

℣. Domus mea. ℟. Domus orationis vocabitur. Pater noster.

Absol. Ipsius. ℣. Jube domne.

Bened. Deus Pater omnipotens.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Sermo 252 de Tempore.

Lectio iv.

QUOTIESCUMQUE, fratres charissimi , altaris vel templi festivitatem colimus , si fideliter ac diligenter attendimus , et sancte ac juste vivimus, quidquid in templis manufactis agitur, totum in nobis spiritali ædificatione completur. Non enim mentitus est ille, qui dixit: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos: et iterum: Nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est ? Et ideo , fratres charissimi, quia nullis præcedentibus meritis per gratiam Dei meruimus fieri templum Dei, quantum possumus, cum ipsius adjutorio laboremus, ne Dominus noster in templo suo , hoc est, in nobis ipsis inveniat , quod oculos suæ majestatis offendat.

℟. Orantibus in loco isto, * Dimitte peccata populi tui , Deus , et ostende eis viam bonam , per quam ambulent , et da gloriam in loco isto. ℣. Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Joseph , qui sedes super Cherubim. Dimitte.

Bened. Christus perpetuæ.

Lectio. v.

SED habitaculum cordis nostri evacuetur vitiis,et virtutibus repleatur : claudatur diabolo, et aperiatur Christo : et ita laboremus , ut nobis bonorum operum clavibus januam regni cœlestis aperire possimus. Sicut enim malis operibus quasi quibusdam seris ac vectibus vitæ nobis janua claditur , ita absque dubio bonis operibus aperitur. Et ideo, fratres charissimi , unusquisque consideret conscientiam suam, et quando se aliquo crimine vulneratum esse cognoverit , prius orationibus , jejuniis , vel eleemosynis studeat mundare conscientiam suam , et sic Eucharistiam præsumat accipere.

℟. O quam metuendus est locus iste ! * Vere non est hic aliud , nisi

Digitized by Google

domus Dei, et porta cœli. ℣. Hæc est domus Domini firmiter ædificata, bene fundata est supra firmam petram. Vere.

Bened. Ignem sui amoris.

Lectio vj.

SI enim agnoscens reatum suum, ipse se a divino altari subtraxerit, cito ad indulgentiam divinæ misericordiæ perveniet: quia, sicut qui se exaltat, humiliabitur; ita e contrario, qui se humiliat, exaltabitur. Qui enim, sicut dixi, agnoscens reatum suum, ipse se humiliter ab altari Ecclesiæ pro emendatione vitæ removere voluerit, ab æterno illo et cœlesti convivio excommunicari penitus non timebit.

℟. Mane surgens Jacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper, votum vovit Domino: * Vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam. ℣. Cumque evigilasset Jacob de somno, ait. Vere. Gloria. Vere.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.

Quando hæc Ant. dicitur integra, et illi non additur in fine Alleluia, *tunc incipitur Psalm. idem a* ij *versu.*

Psalmus 90.

QUI habitat in adjutorio Altissimi, * in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino: Susceptor meus es tu, et refugium meum: * Deus meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, * et a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: * et sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: * non timebis a timore nocturno.

A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: * ab incursu, et dæmonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis: * ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis: * et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es, Domine, spes mea: * Altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: * et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te: * ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te, * ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem et basiliscum ambulabis: * et conculcabis leonem et draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum: * protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, et ego exaudiam eum * cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: * et ostendam illi salutare meum.

Ant. Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.

Ant. Templum Domini sanctum est, Dei structura est, Dei ædificatio est

Psalmus 95.

CANTATE Domino canticum novum: * cantate Domino, omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite nomini ejus: * annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter Gentes gloriam ejus, * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: * terribilis est super omnes deos:

Quoniam omnes dii Gentium dæmonia: * Dominus autem cœlos fecit.

Confessio et pulchritudo in conspectu ejus: * sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino, patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem: * afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria

Digitized by Google

ejus :* adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra : * dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur : * judicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus : * gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit : * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate,* et populos in veritate sua.

Ant. Templum Domini sanctum est, Dei structura est, Dei ædificatio est.

Ant. Benedicta gloria Domini de loco sancto suo, alleluia.

Psalmus 98.

DOMINUS regnavit irascantur populi: * qui sedet super Cherubim, moveatur terra.

Dominus in Sion magnus : * et excelsus super omnes populos.

Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile et sanctum est : * et honor regis judicium diligit.

Tu parasti directiones : * judicium et justitiam in Jacob tu fecisti.

Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus : * quoniam sanctum est.

Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus : * et Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus.

Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos : * in columna nubis loquebatur ad eos.

Custodiebant testimonia ejus, * et præceptum quod dedit illis.

Domine Deus noster, tu exaudiebas eos : * Deus, tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum.

Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus : * quoniam sanctus Dominus Deus noster.

Ant. Benedicta gloria Domini de loco sancto suo, alleluia.

℣. Hæc est domus Domini firmiter ædificata. ℟. Bene fundata est supra firmam petram. Pater noster.

Absol. A vinculis. ℣. Jube domne.

Bened. Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore : Ingressus Jesus perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachæus : et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 8. *in Lucam, prope finem.*

ZACHÆUS statura pusillus, hoc est, nulla nobilitatis ingenitæ dignitate sublimis, exiguus meritis, sicut populus nationum, audito Domini Salvatoris adventu, quem sui non receperant, videre cupiebat. Sed nemo facile Jesum videt, nemo potest Jesum videre constitutus in terra. Et quia non prophetas, non legem habebat, tamquam formæ gratiam naturalis, ascendit in sycomorum, vanitatem scilicet Judæorum vestigio suo proterens, errata quoque corrigens superioris ætatis : et ideo Jesum in interioris domus recepit hospitio.

℟. Domus mea, domus orationis vocabitur, dicit Dominus: in ea omnis qui petit, accipit, et qui quærit, invenit : * Et pulsanti aperietur. ℣. Petite, et accipietis : quærite, et invenietis. Et.

Bened. Divinum auxilium.

Lectio viij.

ET bene ascendit in arborem, ut arbor bona bonos fructus faceret : ac naturali excisus oleastro, et contra naturam insertus in bonam olivam, fructum posset legis afferre. Radix enim sancta, etsi rami inutiles: quorum infructuosam gloriam plebs Gentium fide resurrectionis, quasi quadam corporis elevatione, transcendit. Zachæus ergo in sycomoro, cæ-

Digitized by Google

cus in via: quorum alterum Dominus miseraturus expectat, alterum mansionis suæ claritate nobilitat: alterum sanaturus interrogat, apud alterum se non invitatus invitat. Sciebat enim uberem hospitii sui esse mercedem. Sed tamen, etsi nondum vocem invitantis audierat, jam viderat affectum.

℟. Lapides pretiosi omnes muri tui: * Et turres Jerusalem gemmis ædificabuntur. ℣. Portæ Jerusalem ex sapphiro et smaragdo ædificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus muri ejus. Et. Gloria. Et.

Bened. Ad societatem.

Lectio IX.

VERUM ne cæcum illum tamquam fastidiosi pauperum cito reliquisse videamur, et transisse ad divitem, expectemus eum, quia expectavit et Dominus: interrogemus eum, quia interrogavit et Christus. Nos interrogemus, quia nescimus: ille, quia noverat. Nos interrogemus, ut sciamus unde iste curatus sit: ille interrogavit, ut in uno plures disceremus, unde Dominum videre mereamur. Interrogavit enim, ut crederemus neminem nisi confitentem posse salvari.

Te deum laudamus, *p.* 12.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. DOMUM tuam, Domine, decet sanctitudo in longitudinem dierum.

2. Domus mea, domus orationis vocabitur.

3. Hæc est domus Domini firmiter ædificata, bene fundata est supræ firmam petram.

4. Bene fundata est domus Domini supra firmam petram.

5. Lapides pretiosi omnes muri tui, et turres Jerusalem gemmis ædificabuntur.

Capitulum. Apoc. 21.

VIDI civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de cælo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.

HYMNUS.

ALTO ex Olympi vertice
Summi Parentis Filius,
Ceu monte desectus lapis
Terras in imas decidens,
Domus supernæ et infimæ,
Utrumque junxit angulum.
Sed illa sedes Cœlitum
Semper resultat laudibus,
Deumque Trinum et Unicum
Jugi canore prædicat:
Illi canentes jungimur
Almæ Sionis æmuli.
Hæc templa, Rex cœlestium,
Imple benigno lumine:
Huc o rogatus adveni
Plebisque vota suscipe,
Et corda nostra jugiter
Perfunde cœli gratia.
Hic impetrent fidelium
Voces, precesque supplicum
Domus beatæ munera,
Partisque donis gaudeant:
Donec soluti corpore
Sedes beatas impleant.
Decus parenti debitum
Sit usquequaque altissimo
Natoque Patris unico,
Et inclito Paraclito,
Cui laus, potestas, gloria,
Æterna sit per sæcula. Amen.

℣. Hæc est domus Domini firmiter ædificata. ℟. Bene fundata est supra firmam petram.

Ad Bened. Ant. Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere: at ille festinans descendit, et suscepit illum gaudens in domum suam. Hodie huic domui salus a Deo facta est, alleluia.

In ipso die Dedicat. Eccl., et per Oct., et quando varianda est Oratio ob concursum Dedicat. alterius Ecclesiæ

Oratio.

DEUS, qui invisibiliter omnia continues, et tamen pro salute generis humani signa tuæ potentiæ visibiliter ostendis, templum hoc potentia tuæ inhabitationis illustre, et con-

Digitized by Google

ecde, ut omnes, qui huc deprecaturi conveniunt, ex quacumque tribulatione ad te clamaverint consolationis tuæ beneficia consequantur. Per Dominum.

In Anniversario Dedicationis Ecclesiæ, et per Octavam.

Oratio.

DEUS, qui nobis per singulos annos hujus sancti templi tui consecrationis reparas diem, et sacris semper mysteriis repræsentas incolumes; exaudi preces populi tui, et præsta, ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur. Per Dominum.

Ad Tertiam.

Capit. Vidi civitatem, *ut supra.*

℟. *br.* Domum tuam, Domine, * Decet sanctitudo. Domum. ℣. In longitudinem dierum. Decet. Gloria. Domum. ℣. Locus iste sanctus est, in quo orat sacerdos. ℟. Pro delictis et peccatis populi.

Ad Sextam

Capitulum. Apoc. 21.

ET audivi vocem magnam de throno, dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

℟. *br.* Locus iste sanctus est, * In quo orat sacerdos. Locus. ℣. Pro delictis et peccatis populi. In quo. Gloria. Locus. ℣. Hæc est domus Domini firmiter ædificata. ℟. Bene fundata est supra firmam petram.

Ad Nonam.

Capitulum Apoc. 21.

ET absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt: et dixit qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia.

℟. *br.* Hæc est domus Domini * Firmiter ædificata. Hæc est. ℣. Bene fundata est supra firmam petram. Firmiter. Glora. Hæc est. ℣. Bene fundata est domus Domini ℟. Supra firmam petram.

In II. Vesperis.

Omnia dicuntur ut in I. *præter*

℣. Domum tuam, Domine, decet sanctitudo. ℟. In longitudinem dierum.

Ad Magnif. Ant. O quam metuendus est locus iste! vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli.

DIE 2. INFRA OCTAVAM.

Lect. I. Noct. de. Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Ex Tractatu S. Augustini Episcopi super Psalmos.

Lectio iv. *In Psalm.* 121.

JERUSALEM, quæ ædificatur ut civitas. Fratres, quando dicebat ista David, perfecta erat illa civitas, non ædificabatur. Nescio quam ergo civitatem dicit, quæ modo ædificatur, ad quam currunt in fide lapides vivi, de quibus dicit Petrus: Et vos tamquam lapides vivi coædificamini in domum spiritalem, id est, templum Dei sanctum. Quid est, Lapides vivi coædificamini? Vivis, si credis: si autem credis, efficieris templum Dei; quia dicit Apostolus Paulus: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

Lectio v.

IPSA ergo modo civitas ædificatur. Præciduntur de montibus lapides per manus prædicantium veritatem, conquadrantur, ut intrent in structuram sempiternam. Adhuc multi lapides in manibus artificis sunt: non cadant de manibus artificis, ut possint perfecti coædificari in structuram templi. Est ergo ista Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas: fundamentum ipsius Christus est. Dicit Apostolus Paulus: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.

Lectio vj.

FUNDAMENTUM quando ponitur in terra, desuper ædificantur parietes, et pondus parietum ad ima ten-

Digitized by Google

dit, quia in imo positum est fundamentum. Si autem fundamentum nostrum in cœlo est, ad cœlum ædificemur. Corpora ædificaverunt istam structuram, quam videtis amplam surrexisse hujus Basilicæ: et quia corpora ædificaverunt, fundamentum in imo posuerunt. Quia vero spiritaliter ædificamur, fundamentum nostrum in summo positum est. Illuc ergo curramus, ibi ædificemur, quia de ipsa Jerusalem dictum est: Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: Ingressus Jesus perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachæus: et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives. Et reliqua.

De Homilia S. Ambrosii Episc.

Ex lib. 8. in Lucam, in fine.

ET confestim, inquit, vidit, et sequebatur illum, magnificans Dominum. Aliter nonenim videret, nisi sequeretur Christum, nisi Dominum prædicaret, nisi sæculum præteriret. Cum divitibus quoque in gratiam revertamur. Nolumus enim offendere divites, qui volumus, si fieri potest, sanare omnes: ne in cameli comparatione præstricti, et in Zachæo citius, quam oportuit, derelicti, justæ habeant commotionis offensam.

Lectio viij.

DISCANT divites, non in facultatibus crimen hærere, sed in iis qui uti nesciant facultatibus. Nam divitiæ, ut impedimenta improbis, ita bonis sunt adjumenta virtutis. Dives certe Zachæus, et electus a Christo; sed dimidium bonorum suorum pauperibus largiendo, raddendo etiam in quadruplum, quæ fraude sustulerat, (alterum enim non sat est, nec habet gratiam liberalitas, si injuria perseverat, quia non spolia, sed dona quæruntur) uberiorem mercedem, quam conferebat, accepit.

Lectio ix.

ET bene princeps inducitur publicanorum. Quis jam de se desperet, quando et iste, cui census ex fraude, ad salutem pervenit? Et ipse, inquit, dives. Ut scias non omnes divites avaros. Quia statura pusillus erat. Quid sibi vult, quod nullius alterius staturam Scriptura, nisi hujus, expressit? Vide ne forte malitiâ pusillus aut adhuc pusillus fide. Nondum enim reddere promiserat: nondum viderat Christum: merito adhuc pusillus, Joannes autem magnus, quia et Christum vidit, et Spiritum sicut columbam super Christum manentem, sicut ipse ait: Vidi Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem super eum.

DIE 3. INFRA OCTAVAM

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 256 de Tempore.

Lectio iv.

CELEBRITAS hujus congregationis, dedicatio est domus orationis. Domus ergo nostrarum orationum ista, domus autem Dei nos ipsi. Si domus Dei nos ipsi, nos in hoc sæculo ædificamur, ut in fine sæculi dedicemur. Ædificium, imo ædificatio habet laborem, dedicatio exultationem. Quod hic fiebat, quando ista surgebant, hoc fit modo cum congregantur credentes in Christum. Credendo enim, quasi de silvis et montibus ligna et lapides præciduntur: cum vero catechizantur, baptizantur, formantur, tamquam inter manus fabrorum et opificum dolantur, collineantur, complanantur. Veruntamen domum Domini non faciunt, nisi quando charitate compagiuantur.

Lectio v.

LIGNA ista et lapides si non sibi certo ordine cohærerent, si non se pacifice innecterent, si non se invicem, cohærendo sibi, quodam-

Digitized by

modo amarent, nemo huc intraret. Denique quando vides in aliqua fabrica lapides et ligna bene sibi cohærere, securus intras, ruinam non times. Volens ergo Dominus Christus intrare, et in nobis habitare, tamquam ædificando dicebat: Mandatum novum do vobis: Ut vos invicem diligatis. Mandatum, inquit, novum do vobis. Veteres enim eratis, domum mihi nondum faciebatis, in vestra ruina jacebatis. Ergo, ut eruamini a vestræ ruinæ vetustate, vos invicem amate.

Lectio vj.

CONSIDERET ergo charitas vestra, ædificari adhuc istam domum toto, sicut prædictum est et promissum, orbe terrarum. Cum enim ædificatur domus post captivitatem, sicut habet alius psalmus, dicitur: Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. Quod ibi dixit canticum novum, hoc Dominus dixit mandatum novum. Quid enim habet canticum novum, nisi amorem novum? Cantare amantis est. Vox hujus cantoris, fervor est sancti amoris. Amemus, gratis amemus: Dominum enim amamus, quo nihil melius invenimus: ipsum amemus propter ipsum, et nos in ipso, tamen propter ipsum.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: Ingressus Jesus perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachæus: et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives. Et reliqua.

De Homilia S. Ambrosii Episc.

Ex lib. 8. in Lucam, prope finem.

QUÆ autem turba, nisi imperitæ confusio multitudinis, quæ verticem nequit videre sapientiæ? Ergo Zachæus, quamdiu in turba est, non videt Christum: supra turbam ascendit, et vidit: hoc est, plebis jam transgressus inscitiam, meruit quem desiderabat aspicere. Pulchre autem addidit: Quia illa parte erat transiturus Dominus, vel ubi sycomorus, vel ubi crediturus: ut et mysterium servaret, et gratiam seminaret. Sic enim venerat, ut per Judæos transiret ad Gentes.

Lectio viij.

VIDIT itaque Zachæum sursum. Jam enim sublimitate fidei inter fructus novorum operum, velut fœcundæ altitudine arboris eminebat. Et quoniam de typo ad moralia defleximus, inter tot credentium voluptates Dominica die relaxare animum, festivitatem admiscere delectat. Zachæus in sycomoro, novum videlicet novi temporis pomum, ut in hoc quoque compleretur illud: Arbor fici produxit grossos suos.

Lectio ix.

AD hoc enim Christus advenit, ut ex lignis non poma, sed homines nascerentur. Legimus alibi: Cum esses sub arbore fici, vidi te. Ergo Nathanael sub arbore, hoc est, supra radicem, quia justus: Radix enim sancta. Sub arbore tamen Nathanael, quia sub lege: Zachæus supra arborem, quia supra legem. Ille Domini occultus defensor, hic publicus prædicator. Ille adhuc Christum ex lege quærebat, iste jam supra legem relinquebat sua, et Dominum sequebatur.

DIE 4. INFRA OCTAVAM.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

De Sermone S. Augustini Episc.

Ex Serm. 256 de Tempore.

Lectio iv.

ATTENDITE in psalmo dedicationis, quem modo cantavimus ex ruina ædificiorum. Conscidisti saccum meum: hoc pertinet ad ruinam. Quid ergo ad ædificium? Et accinxisti me lætitia. Vox dedicationis: Ut

Digitized by Google

cantet tibi gloria mea, et non compungar. Quis est, qui loquitur? In verbis ejus agnoscite. Si expono, obscurum est. Ergo verba ejus dicam, continuo agnoscetis loquentem, ut ametis alloquentem. Quis est, qui dicere potuit: Eruisti, Domine, ab inferis animam meam?

Lectio v.

CUJUS anima jam ab inferis eruta est, nisi de qua dictum est alio loco: Non derelinques animam meam in inferno? Proponitur dedicatio, et cantatur liberatio, canticum dedicationis domus, et dicitur: Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me: et non jucundasti inimicos meos super me. Attendite Judæos inimicos, qui se putabant occidisse Christum, vicisse tamquam inimicum, perdidisse quasi hominem cæteris similem atque mortalem.

Lectio vj.

RESURREXIT tertia die, et ejus vox est: Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me. Attendite Apostolum dicentem: Propter quod eum exaltavit. Et non jucundasti inimicos meos super me. Ipsi quidem in Christi morte jucundabantur, sed in ejus resurrectione, ascensione, prædicatione aliqui compungebantur. In ejus ergo prædicatione, et per Apostolorum constantiæ diffamationem aliqui compungebantur, et convertebantur: aliqui obdurabantur, et confundebantur, nulli tamen jucundabantur.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: Ingressus Jesus perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachæus: et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Lib. 27. *Moralium*, *cap.* 27.

SI veraciter sapientes esse atque ipsam sapientiam contemplari appetimus, stultos nos humiliter cognoscamus. Relinquamus noxiam sapientiam, discamus laudabilem fatuitatem. Hinc quippe scriptum est: Stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes. Hinc rursum dicitur: Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Hinc Evangelicæ historiæ verba testantur, quia Zachæus, cum videre præ turba nihil posset, sycomori arborem ascendit, ut transeuntem Dominum cerneret. Sycomorus quippe ficus fatua dicitur.

Lectio viij.

PUSILLUS itaque Zachæus sycomorum subiit, et Dominum vidit: quia qui mundi stultitiam humiliter eligunt, ipsi Dei sapientiam subtiliter contemplantur. Pusillitatem namque nostram ad videndum Dominum turba præpedit: quia infirmitatem humanæ mentis, ne lucem veritatis intendat, curarum sæcularium tumultus premit. Sed prudenter sycomorum ascendimus, si provide eam, quæ divinitus præcipitur, stultitiam mente tenemus. Quid enim in hoc mundo stultius, quam amissa non quærere, possessa rapientibus relaxare, nullam pro acceptis injuriis injuriam reddere, imo adjunctis aliis patientiam præbere?

Lectio ix.

QUASI enim sycomorum nos ascendere Dominus præcipit, cum dicit: Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. Et rursum: Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram. Per sycomorum Dominus transiens cernitur: quia per hanc sapientem stultitiam, etsi necdum, ut est, solide, jam tamen per contemplationis lumen Dei sapientia quasi in transitu videtur, quam videre nequeunt qui sibi sapientes esse videntur: quia ad conspi-

Digitized by Google

ciendum Dominum, in elata cogitationum suarum turba deprehensi, adhuc sycomori arborem non invenerunt.

DIE 5. INFRA OCTAVAM

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO

De Sermone S. Augustini Episc.
Ex Serm. 256. de Tempore.
Lectio iv.

MODO, quando implentur Ecclesiæ, putamus jucundari Judæos? Ecclesiæ ædificantur, dedicantur, implentur? quomodo illi jucundantur? Non solum non jucundantur, sed etiam confunduntur, et impletur vox exultantis: Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me: et non jucundasti inimicos meos super me. Non jucundasti super me: si mihi credant, jucundabis in me. Ne multa dicamus, ad illa, quæ cantavimus, aliquando veniamus. Quomodo dicit Christus: Conscidisti saccum meum, et accinxisti me lætitia? Saccus ejus erat similitudo carnis peccati.

Lectio v.

NON tibi vilescat, quod ait, Saccum meum: ibi erat inclusum pretium tuum. Conscidisti saccum meum. Evasimus ad saccum istum. Conscidisti saccum meum. In passione conscissus est. Quomodo ergo Deo Patri dicitur: Conscidisti saccum meum? Quomodo Patri dicatur, vis audire, conscidisti saccum meum? Quia proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Fecit enim per Judæos nescientes, unde redimerentur scientes, et confunderentur negantes. Nesciunt enim quid boni nobis operati sunt malo suo. Suspensus est saccus, et quasi lætatus est impius. Conscidit saccum lancea persecutor, et fudit pretium nostrum Redemptor.

Lectio vj.

CANTET Christus Redemptor, gemat Judas venditor, erubescat Judæus emptor. Ecce Judas vendidit, Judæus emit; malum negotium egerunt, ambo damnati sunt, seipsos perdiderunt venditor et emptor. Dicat ergo caput nostrum, dicat pro corpore occiso, pro corpore dedicato. Dicat, audiamus. Conscidisti saccum meum, et accinxisti me lætitia: id est, conscidisti mortalitatem meam et accinxisti me immortalitate et incorruptione. Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar. Quid est, non compungar? Jam contra me non ferat lanceam persecutor ut non compungar. Christus enim surgens a mortuis, jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: Ingressus Jesus perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachæus: et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives. Et reliqua.

Homilia ven. Bedæ Presbyteri.
Lib. 5, c. 77. in Luc. 19.

QUÆ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Ecce enim camelus, deposita gibbi Sarcina, per foramen acus transit, hoc est, dives et publicanus, relicto onere divitiarum, contempto censu fraudum, augustam portam, arctamque viam, quæ ad vitam ducit, ascendit. Qui mira devotione fidei ad videndum Salvatorem, quod natura minus habuerat, ascensu supplet arboris: atque ideo juste, quamvis ipse rogare non audeat, benedictionem Dominicæ susceptionis, quam desiderabat, accepit.

Lectio viij.

MYSTICE autem Zachæus, qui interpretatur justificatus, credentem ex Gentibus populum significat. Qui quanto curis sæcularibus occupatior, tanto flagitiis deprimen-

Digitized by Google

tibus erat factus humilior. Sed ablutus est, sed sanctificatus, sed justificatus in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. Qui intrantem Jericho Salvatorem videre quærebat, sed præ turba non poterat: quia gratiæ fidei, quam mundo Salvator attulit, participare cupiebat: sed inolita vitiorum consuetudo, ne ad votum perveniret, obstiterat.

Lectio ix.

EADEM namque turba noxiæ consuetudinis, quæ supra cæcum clamantem, ne lumen peteret, increpabat, etiam suspicientem publicanum, ne Jesum videat, tardat. Sed sicut cæcus turbarum voces magis ac magis clamando devicit: ita pusillus necesse est turbæ nocentis obstaculum altiora petendo transcendat, terrena relinquat, arborem crucis ascendat. Sycomorus namque (quæ est arbor foliis moro similis, sed altitudine præstans, unde et a Latinis celsa nuncupatur) ficus fatua dicitur. Et eadem Dominica crux, quæ credentes alit ut ficus, ab incredulis irridetur ut fatua.

DIE 6. INFRA OCTAVAM.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

De Sermone S. Augustini Episc.

Ex Serm. 256 *de Tempore.*

Lectio iv.

ERGO, dum novam constructionem sanctæ hujus Ecclesiæ libenter attendimus, quam divino nomini hodie dedicamus, invenimus a nobis deberi et Deo nostro maximam laudem, et sanctitati vestræ congruum de divinæ domus ædificatione sermonem. Tunc autem sermo noster congruus erit, si in se aliquid ædificationis habeat, quod utilitati animarum vestrarum, Deo vos interius ædificante, proficiat. Quod hic factum corporaliter videmus in parietibus, spiritaliter fiat in mentibus: et quod hic perfectum cernimus in lapidibus et lignis, hoc, ædificante gratia Dei, perficiatur in corporibus vestris.

Lectio v.

PRINCIPALITER ergo gratias agamus Domino Deo nostro, a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum: et ejus bonitatem tota cordis alacritate laudemus, quoniam ad construendam istam domum orationis, fidelium suorum visitavit animum, excitavit affectum, surrogavit auxilium, inspiravit necdum volentibus ut vellent, adjuvit bonæ voluntatis conatus ut facerent: ac per hoc Deus, qui operatur in suis et velle et perficere pro bona voluntate, hæc omnia ipse cœpit, ipse perfecit.

Lectio vj.

ET quia opera bona in conspectu suo nunquam esse permittit inania, fidelibus suis, quibus operantibus præbuit virtutis suæ favorem, tribuet condignam pro tanta operatione mercedem. Adhuc amplius agendæ sunt gratiæ Deo nostro. Hanc enim ecclesiam, quam fecit nomini suo construi, fecit etiam sanctorum Martyrum reliquiis amplius honorari.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij Cap. 15.

IN illo tempore: Ingressus Jesus perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachæus: et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives. Et reliqua.

De Homilia ven. Bedæ Presbyteri.

Lib. 5. *c.* 77. *in Luc.* 19.

ET cum venisset ad locum, suspiciens Jesus vidit illum. Perambulans Jericho Salvator, venit ad locum, ubi præcurrens Zachæus sycomorum conscenderat: quia missis per mundum sui verbi præconibus, in quibus ipse nimirum et loquebatur et ibat, venit ad populum nationum, qui passionis ejus fide jam

sublimis existens, etiam divinitatis ejus ardebat agnita facie beari. Suspiciens vidit illum, quia per gratiam fidei a terrenis cupiditatibus elevatum turbisque infidelibus præeminentem elegit. Videre enim Dei, eligere vel amare est. Unde est illud: Oculi Domini super justos. Nam et nos quæ amamus, videre; ab iis quæ execramur, intuitum festinamus avertere.

Lectio viij.

VIDIT ergo Jesus videntem se, quia elegit eligentem se, et amavit amantem. Hunc sane ordinem proficiendi, hoc est, per fidem Dominicæ incarnationis ad cognitionem divinitatis perveniendi, quasi per sycomorum Jesu faciem speculandi Doctor egregius ostendit, cum ait: Non enim judicavi scire me aliquid inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum. Itemque aliis exprobrans: Facti estis, inquit, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Lac infirma temporariæ dispensationis, solidum cibum ardua perpetuæ majestatis appellans.

Lectio ix.

ET dixit ad eum: Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, et excepit illum gaudens. Manebat aliquando Dominus in domo principis Pharisæorum, hoc est, in Judæorum synagoga docebat: sed quia non baptizatum ante prandium, sabbato curantem, publicanos et peccatores recipientem, contra avaritiam disputantem, et cætera digna Deo gerentem, lingua venenata carpebant, pertæsus eorum facinora, discessit et aufugit: dicens: Relinquetur vobis domus vestra deserta. Hodie autem in domo pusilli Zachæi oportet illum manere: hoc est, novæ lucis gratia coruscante, in humili credentium nationum corde quiescere.

DIE 7. INFRA OCTAVAM

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Ex Homil. 33 in cap. 9. Matth.

Lectio iv.

COMMUNIS omnium domus est Ecclesia, in quam, vobis prius ingressis, nos intramus, discipulorum formam retinentes: ideoque communiter omnibus statim atque ingressi fuerimus, ut illis datam legem sequamur, pacem offerimus. Nemo igitur socordia torpeat; nemo sæcularibus rebus suspensum animum habeat, cum jam ad prædicandum sacerdotes intraverint. Non enim parva huic rei imminet pœna. Equidem millies potius malim in domum alicuius vestrum ingressus destitui, quam hic prædicans non audiri. Hoc mihi molestius esset, quam illud, quandoquidem magis propria hæc est, quam illa.

Lectio v.

NAM hic magnæ illæ nostræ opes positæ sunt, hic spes nostra omnis. Quid enim hoc loco non magnum est et admirandum? Nam hæc mensa longe pretiosior est atque jucundior: et lucerna hæc, quam illa, ut norunt qui cum fide oleo peruncti, a morbis liberati sunt. Arca etiam hæc multo melior magisque necessaria. Non enim vestes, sed misericordiam inclusam continet: quamvis pauci sint, qui eam possideant. Hic et lectulus est valde illo præstantior: divinarum enim Scripturarum requies quovis lecto suavior est.

Lectio vj.

ET quidem si concordia perfecte servaretur a nobis, nullam aliam domum præter hanc haberemus. Hoc autem quod dixi, non esse durum, testantur illa tria millia et quinque millia hominum, quibus et domus una, et mensa una, et anima una erat. Multitudinis enim credentium, inquit, unum erat cor, et anima una. Sed quia longe ab illorum virtute absumus, et per domos disjuncti sumus, saltem quando huc convenimus, id

Digitized by Google

omni studio faciamus. Nam etsi in aliis rebus pauperes et inopes sumus, hoc loco saltem, cum huc ad vos intramus, cum charitate nos suscipite: cumque, Pax vobis, dico, Et cum spiritu tuo, non voce solum, sed animo quoque respondete.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: ingressus Jesus perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachæus: et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives. Et reliqua.

De Homilia ven. Bedæ Presbyteri.

Paulo post prædicta.

ET cum viderent omnes, murmurabant, dicentes, quod ad hominem peccatorem divertisset. Manifestum est Judæos semper Gentium odisse salutem. Scriptum est enim: Sequenti vero sabbato pene universa civitas convenit audire verbum Dei. Videntes autem turbas Judæi, repleti sunt zelo, et contradicebant iis, quæ a Paulo dicebantur. Et alibi, fideles etiam fratres adversus Apostolorum principem disceptabant, dicentes: Quare introisti ad viros præputium habentes, et manducasti cum illis?

Lectio viij.

STANS autem Zachæus dixit ad Dominum. Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Aliis calumniantibus hominem peccatorem, ipse Zachæus stans, id est, in ea, quam cœperat, fidei veritate persistens, non solum se ex peccatore conversum, sed etiam inter perfectos probat esse conversatum. Dicente enim Domino: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus: quisquis ante conversionem innocenter vixit, omnia conversus potest dare pauperibus.

Lectio ix.

AT qui aliqua fraude sustulit, primo hæc juxta legem reddere, deinde quod sibi remanserit, debet dare pauperibus. Ac sic et ipse, quia sibi nil retinet, omnia sua dispergit, dat pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. Et hæc est sapiens illa stultitia, quam de sycomoro publicanus quasi fructum vitæ legerat: rapta videlicet reddere, propria relinquere, visibilia contemnere, pro invisibilibus etiam mori desiderare, seipsum abnegare, et ejus qui necdum videatur, Domini vestigia sequi concupiscere.

IN OCTAVA

DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Duplex.

Omnia ut in die, præter Lectiones II. Nocturni.

Ex Epistola I. S. Felicis Papæ IV.

De Consecr. dist. 1. cap. 2.

Lectio iv.

TABERNACULUM Moysen, Domino præcipiente, fecisse et sacrasse cum mensa et altari ejus, et cæteris vasis et utensilibus ad divinum cultum explendum, legimus: et non solum divinis precibus ea sacrasse, sed etiam sancti olei unctione, Domino jubente, perlinisse novimus. Qualiter autem hæc facta sint, et quomodo ipsa sacra non alii, quam sacerdotes sacra unctione delibuti, Dominoque cum vestibus sanctis sacrati, et Levitæ tractabant, ferebant, erigebant, et deponebant; in ipsis institutionibus, quæ, jubente Domino, conscriptæ sunt per Moysen, in lege Domini reperitur.

Lectio v.

QUALITER ergo David regum piissimus amplificaverit cultum Dei, et templum Domino ædificare voluerit, sed propter multum sanguinem, quem effuderat, prohibitus est, et ipse collegerat expensas: Salomon

Digitized by Google

quoque filius ejus idipsum, quod ipse facere optaverat, jubente et auxiliante Deo, perfecit et templum cum altari, et reliqua ad divinum cultum perageudum consecravit. In libro Regum legitur : Fecit ergo Salomon in tempore illo festi vitatem celebrem, et omnis Israel cum eo, multitudo magna ab introitu Emath usque ad rivum Ægypti, coram Domino Deo nostro septem diebus, et septem diebus, id est, quatuordecim diebus, et in die octava dimisit populos.

Lectio vj. *Ibidem c.* 17.

SOLEMNITATES dedicationum ecclesiarum et sacerdotum, per singulos anuos solemniter sunt celebrandæ, ipso Domino exemplum dante, qui ad festum dedicationis templi, omnibus id faciendi dans formam, cum reliquis populis eamdem festivitatem celebraturus venit, sicut scriptum est: Facta sunt encænia in Jerosolymis, et hiems erat, et ambulabat Jesus in templo in porticu Salomonis. Quod autem octo diebus encænia sint celebranda, in libro Regum, peracta dedicatione templi, reperietis.

IN FESTIS
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS
PER ANNUM.

Ad I. Vesperis.

Ant. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit oderem suavitatis.

Psalmus 109.

DIXIT Dominus Domino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimicos tuos, * scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion : * dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum : * ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus et non pœnitebit eum : * Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis, * confregit in die iræ suæ reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas : * conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet : * propterea exaltabit caput.

Ant. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.

Ant. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Psalmus 112.

LAUDATE, pueri, Dominum : * laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum, * laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes dominus, * et super cœlos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, * et humilia respicit in cœlo et in terra?

Suscitans a terra inopem, * et de stercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum principibus, * cum principibus populi sui.

Digitized by Google

Qui habitare facit sterilem in domo, * matrem filiorum lætantem.

Ant. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Ant. Nigra sum, set formosa, filiæ Jerusalem : ideo dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum.

Psalmus 121.

LÆTATUS sum in his, quæ dicta sunt mihi : * in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri, * in atriis tuis, Jerusalem.

Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas : * cujus participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, * testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in judicio, * sedes super domum David.

Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem, * et abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua : * et abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, et proximos meos, * loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei nostri, * quæsivi bona tibi.

Ant. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem : ideo dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum.

Ant. Jam hiems transiit, imber abiit, et recessit : surge amica mea, et veni.

Psalmus 126.

NISI Dominus ædificaverit domum, * in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem, * frustra vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere : * surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum : * ecce hæreditas Domini, filii : merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis, * ita filii excussorum.

Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis : * non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

Ant. Jam hiems transiit, imber abiit, et recessit : surge, amica mea, et veni.

Ant. Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, sancta Dei genitrix.

Psalmus 147.

LAUDA, Jerusalem, Dominum : * lauda Deum tuum, Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum : * benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem : * et adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terræ ; * velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buccellas : * ante faciem frigoris ejus quis sustinebit ?

Emittet verbum suum, et liquefaciet ea : * flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Jacob, * justitias et judicia sua Israel.

Non fecit taliter omni nationi ; * et judicia sua non manifestavit eis.

Ant. Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, sancta Dei genitrix.

Capitulum Eccli. 24.

AB initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

HYMNUS.

AVE, maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cœli porta.

Sumens illud Ave
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem,

Digitized by Google

Sumat per te preces
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos
Mites fac et castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Dignare me laudare te Virgo sacrata. ℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnif. Ant. Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam sanctam festivitatem.

In fine hujus Ant. et ℟. vij *loco* tuam sanctam festivitatem *dicitur*

In festo B. M. V. de monte Carmelo tuam solemnem Commemorationem.

In festo SS. Nominis B. M. V. tui sancti Nominis commemorationem.

In festo SS. Rosarii B. M. V. tuam sanctam Solemnitatem.

In festo Præsentationis tuam sanctam Præsentationem.

Oratio.

CONCEDE nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, a præsenti liberari tristitia, et æterna perfrui lætitia. Per Dominum.

Ad Completorium et Horas in fine hymnorum dicitur.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine.

Ad Matutinarum.

Invit. Sancta Maria Dei genitrix virgo. * Intercede pro nobis.
Psalm. Venite. I.

HYMNUS.

QUEM terra, pontus, sidera
Colunt, adorant, prædicant,
Trinam regentem machinam
Claustrum Mariæ bajulat.
Cui luna, sol, et omnia
Deserviunt per tempora,
Perfusa cœli gratia
Gestant puellæ viscera.
Beata Mater munere
Cujus supernus Artifex
Mundum pugillo continens,
Ventris sub arca clausus est.
Beata cœli nuntio,
Fœcunda sancto Spiritu,
Desideratus gentibus
Cujus per alvum fusus est.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

Psalmus 8.

DOMINE Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua * super cœlos.

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudes propter inimicos tuos, * ut destruas inimicum et ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam et stellas, quæ tu fundasti.

Quid est homo quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum, * et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subiecisti sub pedibus ejus, *

oves et boves universas, insuper et pecora campi:

Volucres cœli, et pisces maris, * qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Ant. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

Ant. Sicut myrrha electa odorem dedisti suavitatis, sancta Dei genitrix.

Psalmus 18.

CŒLI enarrant gloriam Dei, * et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum, * et nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelæ, neque sermones, * quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit sonus eorum: * et in fines orbis terræ verba eorum.

In sole posuit tabernaculum suum: * et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.

Exultavit ut gigas ad currendam viam; * a summo cœlo egressio ejus.

Et occursus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscondat a calore ejus.

Lex Domini immaculata convertens animas: * testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi: * judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum: * et dulciora super mel et favum.

Etenim servus tuus custodit ea: * in custodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me: * et ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: * et emundabor a delicto maximo.

Et erunt ut complacerant eloquia oris mei: * et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine adjutor meus, et redemptor meus.

Ant. Sicut myrrha electa odorem dedisti suavitatis, sancta Dei genitrix.

Ant. Ante torum hujus Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitudo ejus: * orbis terrarum et universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum, * quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite, portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales: * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus fortis et potens Dominus potens in prælio.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales: * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Ant. Ante torum hujus Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis.

℣. Specie tua et pulchritudine tua. ℟. Intende, prospere procede, et regna. Pater noster.

Absol. Exaudi. ℣. Jube domne.

Bened. Benedictione perpetua.

De Parabolis Salomonis.

Lectio j. Cap. 8. et 9.

EGO sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationi-

Digitized by Google

bus. Timor Domini odit malum: arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. Meum est consilium et æquitas, mea est prudentia, et fortitudo. Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam. Ego diligentes me diligo: et qui mane vigilant ad me, invenient me.

℟. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio: * Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia quem.

Bened. Unigenitus Dei Filius.

Lectio ij.

MECUM sunt divitiæ et gloria, opes superbæ et justitia. Melior est enim fructus meus auro et lapide pretioso, et genimina mea argento electo. In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicii, ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar.

℣. Congratulamini mihi, omnes qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula, placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum et hominem. ℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et.

Bened. Spiritus sancti gratia.

Lectio iij.

BEATUS homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino: qui autem in me peccaverit, lædet animam suam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, ut vocarent, ad arcem et ad mœnia civitatis: Si quis est parvulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis.

℟. Beata es, virgo Maria, quæ Dominum portasti Creatorem mundi: * Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes virgo. ℣. Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum. Genuisti. Gloria. Genuisti.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna.

Psalmus 44.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum. * dico ego opera mea Regi.

Lingua mea calamus scribæ, * velociter scribentis.

Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: * propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum, * potentissime.

Specie tua et pulchritudine tua * intende, prospere procede. et regna.

Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * et deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, * in corda inimicorum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: * virga directionis, virga regni tui.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * propterea unxit te Deus * Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis: * ex

Digitized by Google

quibus delectaverunt te filiæ regum * in honore tuo.

Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, * circumdata varietate.

Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam: * et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum:* quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus * vultum tuum deprecabuntur: omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi virgines post eam: * proximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætitia et exultatione: * adducentur in Templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: * constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui, * in omni generatione et generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum; et in sæculum sæculi.

Ant. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna.

Ant. Adjuvabit eam Deus vultu suo: Deus in medio ejus, non commovebitur.

Psalmus 45.

DEUS noster refugium et virtus:* adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra, * et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum: * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei:* sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus, non commovebitur: * adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna:* dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: * auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret, et confringet arma: * et scuta comburet igni.

Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: * exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Ant. Adjuvabit eam Deus vultu suo: Deus in medio ejus, non commovebitur.

Ant. Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te, sancta Dei genitrix.

Psalmus 14.

FUNDAMENTA ejus in montibus sanctis: * diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te, * civitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylonis * scientium me.

Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, * hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea, * et ipse fundavit eam Altissimus?

Dominus narrabit in scripturis populorum et principum: * horum, qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium * habitatio est in te.

Ant. Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te, sancta Dei genitrix.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in medio ejus, non commovebitur. Pater noster.

Absol. Ipsius. ℣. Jube domne.

Bened. Deus Pater omnipotens.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Lectio iv. *Apud Metaph.*

DEI Filius non divitem, aut locupletem aliquam feminam si-

Digitized by Google

bi matrem elegit, sed beatam Virginem illam, cujus anima virtutibus ornata erat. Cum enim beata Maria supra omnem humanam naturam castitatem servaret, propterea Christum Dominum in ventre concepit. Ad hanc igitur sanctissimam Virginem et Dei Matrem accurrentes, ejus patrocinii utilitatem assequamur. Itaque, quæcumque estis virgines, ad matrem Domini confugite. Illa enim pulcherrimam, pretiosissimam, et incorruptibilem possessionem patrocinio suo vobis conservabit.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa, * Dedi suavitatem odoris. ℣. Et sicut cinnamomum et balsamum aromatizans. Dedi.

Bened. Christus perpetuæ.

Lectio v.

MAGNUM revera miraculum, fratres dilectissimi, fuit beata semper virgo Maria. Quid namque illa majus aut illustrius ullo unquam tempore inventum est, seu aliquando inveniri poterit? Hæc sola cœlum ac terram amplitudine superavit. Quidnam illa sanctius? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res, visibiles aut invisibiles, majus aut excellentius inveniri potest. Eadem ancilla Dei est et mater: eadem virgo et genitrix.

℟. Quæ est ista quæ processit sicut sol, et formosa tanquam Jerusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, et beatam dixerunt, et reginæ laudaverunt eam. ℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum et lilia convallium. Viderunt.

Bened. Ignem sui amoris.

Lectio vj.

HÆC ejus mater est, qui a Patre ante omne principium genitus fuit, quem Angeli et homines agnoscunt Dominum rerum omnium. Visne cognoscere quanto Virgo hæc præstantior sit cœlestibus potentiis? Illæ cum timore et tremore assistunt, faciem velantes suam: hæc humanum genus illi offert, quem genuit. Per hanc et peccatorum veniam consequimur. Ave igitur, mater, cælum, puella, virgo, thronus, Ecclesiæ nostræ decus, gloria et firmamentum, assidue pro nobis precare Jesum Filium tuum et Dominum nostrum: ut per te misericordiam invenire in die judicii, et quæ reposita sunt iis qui diligunt Deum, bona consequi possimus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi: cum quo Patri simul et sancto Spiritui gloria, et honor, et imperium nunc et semper in sæcula sæculorum. Amen.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit: * Et videntes eam filiæ Sion, beatissimam prædicaverunt, dicentes: * Unguentum effusum nomen tuum. ℣. Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Et. Gloria. Unguentum.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Gaude, Maria virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo.

Psalmus 95.

CANTATE Domino canticum novum: * cantate Domino, omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite nomini ejus: * annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter Gentes gloriam ejus, * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: * terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dii Gentium dæmonia: * Dominus autem cœlos fecit.

Confessio et pulchritudo in con-

Digitized by Google

spectu ejus: * sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino, patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem: * afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus: * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra: * dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur: * judicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus: * gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate, * et populos in veritate sua.

Ant. Gaude, Maria virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo.

Ant. Dignare me laudare te, Virgo sacrata: da mihi virtutem contra hostes tuos.

Psalmus 96.

DOMINUS regnavit, exultet terra: * lætentur insulæ multæ.

Nubes et caligo in circuitu ejus: * justitia et judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet: * et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: * vidit, et commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, * a facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cœli justitiam ejus: * et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes qui adorant sculptilia: * et qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum, omnes Angeli ejus: * audivit, et lætata est Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ, * propter judicia tua, Domine.

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: * nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum: * custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætitia.

Lætamini, justi, in Domino: * et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

Ant. Dignare me laudare te, Virgo sacrata: da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ant. Post partum, Virgo, inviolata permansisti: Dei genitrix, intercede pro nobis.

In Adventu et in Festo Annunt.

Ant. Angelus Domini nuntiavit Mariæ, et concepit de Spiritu sancto.

Psalmus 97.

CANTATE Domino canticum novum, * quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus, * et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum: * in conspectu Gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ, * et veritatis suæ domui Israel.

Viderunt omnes termini terræ * salutare Dei nostri.

Jubilate Deo, omnis terra, * cantate, et exultate, et psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi: * in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.

Jubilate in conspectu Regis Domini: * moveatur mare et plenitudo ejus; orbis terrarum, et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini, * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia, * et populos in æquitate.

Digitized by Google

℣. Elegit eam Deus, et prælegit eam. ℟. In tabernaculo suo habitare facit eam. Pater noster.

Absol. A vinculis. ℣. Jube domne. *Bened.* Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. II.

IN illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia ven. Bedæ Presbyteri.

Lib. 4. cap. 49. in Luc. II.

MAGNÆ devotionis et fidei hæc mulier ostenditur, quæ Scribis et Pharisæis Dominum tentantibus simul et blasphemantibus, tanta ejus incarnationem præ omnibus sinceritate cognoscit, tanta fiducia confitetur, ut et præsentium procerum calumniam, et futurorum confundat hæreticorum perfidiam. Nam sicut tunc Judæi, sancti Spiritus opera blasphemando, verum consubstantialemque Patri Dei Filium negabant, sic hæretici postea negando Mariam semper virginem, sancti Spiritus operante virtute, nascituro cum humanis membris Unigenito Dei, carnis suæ materiam ministrasse, verum consubstantialemque matri filium hominis fateri non debere dixerunt.

℟. Felix namque es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam festivitatem. Quia.

Bened. Cujus festum colimus, ipsa Virgo virginum, etc.

Lectio viij.

SED si caro Verbi Dei secundum carnem nascentis a carne Virginis matris pronuntiatur extranea, sine causa venter qui eum portasset, et ubera quæ lactassent, beatificantur. Dicit autem Apostolus: Quia misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Neque audiendi sunt qui legendum putant: Natum ex muliere, factum sub lege; sed, Factum ex muliere: quia conceptus ex utero virginali, carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne: alioquin nec vere Filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine. Et nos igitur his contra Eutychen dictis, extollamus vocem eum Ecclesia catholica, cujus hæc mulier typum gessit, extollamus et mentem de medio turbarum, dicamusque Salvatori: Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. Vere enim beata parens, quæ sicut quidam ait, Enixa est puerpera Regem, qui cœlum terramque tenet per sæcula.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia. Gloria. Quia.

Bened. Ad societatem.

Lectio ix.

QUINIMO beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt. Pulchre Salvator attestationi mulieris annuit, non eam tantummodo quæ Verbum Dei corporaliter generare meruerat, sed et omnes qui idem Verbum spiritaliter auditu fidei concipere, et boni operis custodia, vel in suo vel in proximorum corde parere, et quasi alere studuerint, asseverans esse beatos: quia et eadem Dei genitrix, et inde quidem beata, quia Verbi incarnandi ministra fecta est temporalis: sed inde multo beatior, quia ejusdem semper amandi custos manebat æterna.

Te Deum laudamus, p. 12.

Ad Laudes.

et per Horas, Antiphonæ.

1. DUM esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.

Digitized by Google

2. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

3. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem: ideo dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum.

4. Jam hiems transiit, imber abiit, et recessit: surge, amica mea, et veni.

5. Speciosa facta es et suavis in deliciis tuis, sancta Dei genitrix.

Capitulum. Eccli. 24.

AB initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

HYMNUS.

O **GLORIOSA** virginum
Sublimis inter sidera,
Qui te creavit, parvulum
Lactente nutris ubere.

Quod Heva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent ut astra flebiles,
Cœli recludis cardines.

Tu Regis alti janua,
Et aula lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem,
Gentes redemptæ plaudite.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Bened. Ant. Beata es, Maria, quæ credidisti: perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino, alleluia.

Oratio.

CONCEDE nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa beatæ Mariæ semper virginis intercessione, a præsenti liberari tristitia, et æterna perfrui lætitia. Per Dominum.

Ad Primam in ℟. br. dicitur. ℣. Qui natus es de Maria virgine, *etiam in Festis infra Octavas B. M. V.*

Ad Tertiam

Capitulum. Ab initio, *ut supra.*

℟. *br.* Specie tua * Et pulchritudine tua. Specie. ℣. Intende, prospere procede, et regna. Et pulchritudine. Gloria. Specie tua. ℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in medio ejus, non commovebitur.

Ad Sextam.

Capitulum. Eccli 24

ET sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudiue sanctorum detentio mea.

℟. *br.* Adjuvabit eam* Deus vultu suo. Adjuvabit. ℣. Deus in medio ejus, non commovebitur. Deus. Gloria. Adjuvabit. ℣. Elegit eam Deus, et præelegit eam. ℟ In tabernaculo suo habitare facit eam.

Ad Nonam.

Capitulum. Eccli. 24.

IN plateis sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

℟. *br.* Elegit eam Deus,* Et præelegit eam. Elegit. ℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. Et præelegit. Gloria. Elegit.* ℣. Diffusa est gratia in labiis tuis ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ins II. Vesperis.

Omnia dicuntur ut in I. præter

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata ℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnif. Ant. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus.

OFFICIUM

BEATÆ MARIÆ

In Sabbato

Omnibus Sabb. per Annum, præ-

terquam in Adv. Quadrag. Quatuor Temp. et Vigiliis, et nisi Offic. fieri debeat de Feria propter Offic. alicujus Dom. infra Hebd. ponendum, ac nisi Festum ix *Lect. occurrat, fit. Offic. de S. Maria, modo infrascripto.*

In Vesp. Feriæ vj *dicuntur Psalmi fer. in Psalt. positi, nisi fuerit Fest.* ix *Lect: quia tuno de S. Maria fit tantum comm. in dictis Vesp. cum Ant. Vers. et Orat. ut infra: quæ comm. omittitur quando Feria* vj *occurrit festum Purificat., vel aliud ejusdem B. M. V. Offic.*

Capitulum. Eccli. 24.

AB initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

HYMNUS.

AVE, maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cœli porta.
Sumens illud Ave
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac et castos.
Vitam præsta puram;
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.
℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Magnif. Ant. Beata Mater, et intacta Virgo, gloriosa Regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

CONCEDE nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa beatæ Mariæ semper virginis intercessione, a præsenti liberari tristitia, et æterna perfrui lætitia. Per Dominum.

Vel alia pro temp. varietate.

Post Orat. fiunt comm. consuetæ de Apost. et de Pace, ut sup. p. 100, *vel de Cruce temp. Pasch.*, p. 99. *Si autem occurrat Festum simplex, de eo fit comm. ante ipsa suffragia.*

Complet. ut in Psalt. et in fine Hymni Te lucis ante terminum, *dicitur* Jesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine, *etiamsi in Vesp, facta sit tantum comm. de B. Maria, nisi Hymni illius Festi, quod Feria* vj. *celebratum est, aliter concludendi sint, ut in Transfig. Domini.*

Ad Matutinum.

Invit. Ave, Maria, gratia plena: * Dominus tecum.

Psalm. Venite, I.

HYMNUS.

QUEM terra, pontus, sidera
Colunt, adorant, prædicant,
Trinam regentem machinam
Claustrum Mariæ bajulat.
Cui luna, sol, et omnia
Deserviunt per tempora,
Perfusa cœli gratia
Gestant puellæ viscera.
Beata Mater munere
Cujus supernus Artifex
Mundum pugillo continens,
Ventris sub arca clausus est.
Beata cœli nuntio,
Fœcunda sancto Spiritu,
Desideratus gentibus
Cujus per alvum fusus est.

Digitized by Google

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu.
In sempiterna sæcula, Amen.

Nocturnum Sabbati, ut in Psalt. et in fine. ℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum. Pater noster.

Absolutio.

PRECIBUS et meritis beatæ Mariæ semper virginis, et omnium Sanctorum, perducat nos Dominus ad regna cœlorum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedicere.

Pro j. *Lect. Bened.* Nos cum prole pia benedicat virgo Maria ℟. Amen.

Primæ duæ Lect. de Script. libri currentis: tertia, una ex inferius positis per ordinem.

℟. *j.* Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio: * Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti ℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia quem.

Pro 2. *Lect. Bened.* Ipsa Virgo virginum intercedat pro nobis ad Dominum. ℟. Amen.

℟. *ij*, Felix namque es, sacra virgo Maria, et omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est sol justitiæ, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem. Quia ex te. Gloria. Christus.

Pro 3. *Lect. Bened.* Per Virginem matrem concedat nobis Dominus salutem et pacem. ℟. Amen.

Post 3. *Lect. dicitur* Te Deum laudamus, *p.* 12.

Ad Laudes omnia ut in festis B. M. V., p. 100*. *præter*

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Bened Ant. Beata Dei genitrix Maria, virgo perpetua, templum Domini, sacrarium Spiritus sancti, sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo: ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu.

Vel alia pro varietate temporis, ut infra habetur.

Orat. Concede, *vel, alia ut inf.*

Deinde fiunt Comm. ut supra.

Ad Horas omnia ut in festis B. M. V., p. 100.*

Ad Vesperas Ant. et Psalmi feriales: Capit. et reliqua omnia, si non occurrat Festum duplex, de Dom. in fine Comm. consuetæ, ut in Psalt. p. 100.

Post Nativ. usque ad Purif., Offic. B. Mariæ dicitur ut supra, exceptis his quæ sequuntur.

Ad Magnif. Ant. Magnum hæreditatis mysterium: templum Dei factus est uterus nescientis virum: non est pollutus ex ea carnem assumens: omnes gentes venient, dicentes: Gloria tibi, Domine.

Oratio.

DEUS, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fœcunda, humano generi præmia præstitisti: tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum; Qui tecum.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. O admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem.

2. Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ: sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum: te laudamus, Deus noster.

3. Rubum quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem:

Digitized by Google

Dei genitrix, intercede pro nobis.

4. Germinavit radix Jesse, orta est stella ex Jacob, Virgo peperit Salvatorem: te laudamus, Deus noster.

5. Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns exclamavit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, alleluia.

Ad Bened. Ant. Mirabile mysterium declaratur hodie: innovantur naturæ, Deus homo factus est: id quod fuit permansit, et quod non erat assumpsit: non commixtionem passus neque divisionem.

Temp. Pasch. Invitatorio, Antiphonis, ℣ℸ et ℣ℹ additur alleluia, *et ad* Magnif. *et* Bened. *dicitur Ant.* Regina cœli, lætare, alleluia: quia quem meruisti portare, alleluia: resurrexit, sicut dixit, alleluia: ora pro nobis Deum, allel.

Oratio. Concede nos famulos tuos, *p.* 101*.

Non fiunt Comm. consuetæ, sed tantum de Cruce, p. 100.

Lectiones seq. dicuntur singulis mensibus in Offic. B. M. in Sabb. ordine subscripto.

MENSE JANUARIO.

Ex Epistola S. Ambrosii Episcopi ad Siricium Papam.

Lectio iij. *Epist.* 81 *alias.* 7.

DE via perversitatis produntur dicere: Virgo concepit, sed non virgo generavit. Potuit ergo virgo concipere, non potuit virgo generare, cum semper conceptus præcedat, partus sequatur? Sed si doctrinis non creditur sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorum dicentium: Quia non est impossibile Deo omne verbum. Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit et servat. Audivit Maria vocem Angeli, et quæ ante dixerat: Quomodo fiet istud? non de fide generationis interrogans, respondit postea: Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum.

MENSE FEBRUARIO.

Ex libro S. Hieronymi Presbyteri adversus Jovinianum.

Ex Apolog. ad Pammachium, pro lib. adversus Jovinianum, in fine.

Lectio iij.

CHRISTUS virgo, mater virginis nostri virgo perpetua, mater et virgo. Jesus enim clausis ingressus est ostiis: et in sepulchro ejus, quod novum et in petra durissima fuerat excisum, nec antea quis, nec postea positus est. Hortus conclusus, fons signatus: de quo fonte ille fluvius manat, iuxta Joel, qui irrigat torrentem vel funium, vel spinarum: funium peccatorum, quibus ante alligabamur: spinarum, quæ suffocant sementem patris familias. Hæc est porta Orientalis, ut ait Ezechiel, semper clausa, et lucida, operiens in se, vel ex se proferens sancta sanctorum: per quam sol justitiæ et Pontifex noster secundum ordinem Melchisedech ingreditur et egreditur.

MENSE MARTIO.

Ante Quadragesimam.

Ex libro S. Irenæi Episc. et Martyris adversus hæreses.

Lectio iij. *Lib.* 5. *cap.* 19.

IN sua propria veniente Domino, et sua propria eum bajulante conditione, quæ bajulatur ab ipso, et recapitulationem ejus, quæ in ligno fuit inobedientiæ, per eam quæ in ligno est obedientiam faciente, et seductione illa soluta, qua seducta est male illa, quæ jam viro destinata erat virgo Heva, per veritatem evangelizata est bene ab Angelo jam sub viro virgo Maria. Quemadmodum enim illa per angelicum sermonem seducta est, ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus: ita et hæc per Angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum, obediens ejus verbo. Et sicut

Digitized by Google

illa seducta est, ut effugeret Deum: sic hæc suasa est obedire Deo, uti virginis Hevæ virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum adstrictum est morte genus humanum per virginem: solvatur per virginem: æqua lance disposita virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam.

MENSE APRILI.

De expositione S. Hieronymi Presbyteri in Ezechielem Prophetam.

Lectio iij. *Lib.* 13. *in cap.* 44.

PORTA hæc clausa erit, et non aperietur. Pulchre quidam portam clausam, per quam solus Dominus Deus Israel ingreditur, et dux cui porta clausa est, Mariam virginem intelligunt · quæ et ante partum, et post partum virgo permansit. Etenim tempore quo Angelus loquebatur: Spiritus sanctus veniet super te, et virtus Altissimi obumbrabit te; quod autem nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei: et quando natus est, virgo permansit æterna: ad confundendos eos, qui arbitrantur eam post nativitatem Salvatoris habuisse de Joseph filios, ex occasione fratrum ejus, qui vocantur in Evangelio.

MENSE MAIO.

Ex Tractatu S. Augustini Episcopi de Symbolo ad Catechumenos.

Lectio iij *Lib.* 3, *c.* 4, *tom.* 9.

PER feminam mors, per feminam vita: per Hevam interitus, per Mariam salus. Illa corrupta secuta est seductorem: hæc integra peperit Salvatorem. Illa poculum a serpente propinatum libenter accepit, et viro tradidit, ex quo simul mererentur occidi: hæc, gratia cœlesti desuper infusa, vitam protulit, per quam caro mortua possit resuscitari. Quis est qui hæc operatus est, nisi Virginis Filius, et virginum sponsus; qui attulit matri fœcunditatem, sed non abstulit integritatem?

MENSE JUNIO.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

De verbis Apocal. c. 12. Signum magnum.

Lectio iij.

VEHEMENTER quidem nobis, dilectissimi, vir unus et mulier una nocuere: sed gratias Deo, per unum nihilominus virum et mulierem unam omnia restaurantur, nec sine magno fœnore gratiarum. Neque enim sicut delictum, ita et donum; sed excedit damni æstimationem beneficii magnitudo. Sic nimirum prudentissimus et clementissimus Artifex, quod quassatum fuerat, non confregit, sed utilius omnino refecit: ut videlicet nobis novum formaret Adam ex veteri, Hevam transfunderet in Mariam.

MENSE JULIO.

Ex epistola S. Ambrosii Episc. ad Siricium Papam.

Lectio iij *Epist.* 81 *al.* 7.

NON excedit fidem, quod homo exivit de virgine, quando petra fontem profluum scaturivit, ferrum super aquas natavit, ambulavit homo super aquas. Ergo si hominem unda portavit, non potuit hominem virgo generare, atque hominem, de quo legimus: Et mittet illis Dominus hominem, qui salvos faciet eos, et notus erit Dominus Ægyptiis? In veteri itaque testamento virgo Hebræorum per mare duxit exercitum: in novo testamento virgo generis aula cœlestis, electa est ad salutem.

MENSE AUGUSTO.

De Expositione sancti Gregorii Papæ in Libros Regum.

Lectio iij. *In* 1. *Reg.* 1.

FUIT vir unus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim. Potest hujus montis nomine, beatissima semper virgo Maria, Deigenitrix designari. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros, usque ad solium Deitatis erexit. Hujus enim montis præcel-

Digitized by Google

lentissimam dignitatem Isaias vaticinans, ait : Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ supra omnes Sanctos refulsit.

MENSE SEPTEMBRI.

Ex Epistola sancti Leonis Papæ ad Pulcheriam Augustam.

Lectio iij. *Epist.* 13. *ante med.*

SACRAMENTUM reconciliationis nostræ ante tempora æterna dispositum, nullæ implebant figuræ : quia nondum supervenerat Spiritus sanctus in Virginem, nec virtus Altissimi obumbraverat ei, ut et intra intemerata viscera, ædificante sibi Sapientia domum, Verbum caro fieret, et forma Dei ac forma servi in unam conveniente personam, Creator temporum nasceretur in tempore, et per quem facta sunt omnia, ipse inter omnia gigneretur. Nisi enim novus homo, factus in similitudinem carnis peccati, nostram susciperet vetustatem, et consubstantialis Patri consubstantialis esse dignaretur et matri, naturamque sibi nostram solus a peccato liber uniret, sub jugo diaboli generaliter teneretur humana captivitas.

MENSE OCTOBRI.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

Ex Sermone in cap. 12. Apocalip. ante medium. *Lectio* iij.

AMPLECTAMUR Mariæ vestigia, fratres mei, et devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis : potens est enim. Nempe vellus est medium inter rorem et aream ; mulier inter solem et lunam ; Maria inter Christum et Ecclesiam constituta. Sed forte miraris, non tam vellus opertum rore, quam amictam sole mulierem. Magna siquidem familiaritas, sed mira omnino vicinitas solis et mulieris. Quomodo enim in tam vehementi fervore tam fragilis natura subsistit ? Merito quidem admiraris, Moyses sancte, et curiosius desideras intueri. Verumtamen solve calceamenta de pedibus tuis, et involucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis.

MENSE NOVEMBRI.

De Expositione sancti Basilii Episcopi in Isaiam Prophetam.

Lectio iij. *In cap.* 8. *post init.*

ACCESSI, inquit, ad Prophetissam, et in utero accepit, et peperit filium. Quod Maria Prophetissa fuerit, ad quam proxime accessit Isaias per prænotionem spiritus, nemo contradixerit, qui sit memor verborum Mariæ, quæ prophetico afflata spiritu elocuta est. Quid enim ait ? Magnificat anima mea Dominum : et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo : quia respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quod si animum accommodaveris universis ejus verbis, non utique per dissidium negaveris eam fuisse Prophetissam, quod Domini Spiritus in eam supervenerit, et virtus Altissimi obumbraverit ei.

MENSE DECEMBRI.

Ante Adventum.

Ex lib. Offic. S. Ambrosii Episc.

Lectio iij. *Lib. I. cap.* 8.

BONUS regendæ castitatis pudor est comes, qui primus in ipso cognitionis ingressu Domini matrem commendat legentibus, et tanquam testis locuples, dignam, quæ ad tale munus eligeretur, adstruit : quod in cubiculo, quod sola, quod salutata ab Angelo tacet, et mota est in introitu ejus : quod ad virilis sexus speciem peregrinam turbatur aspectus Virginis. Itaque quamvis esset humilis, præ verecundia tamen non resalutavit, nec ullum responsum retulit, nisi ubi de suscipienda Domini generatione cognovit : ut qualitatem effectus disceret, non ut sermonem refelleret.

Digitized by Google

OFFICIUM PARVUM

BEATÆ MARIÆ.

Officium parvum B. M. non dicitur, quando fit Offic. IX. *Lect. nec in Vigil. Nativ. Domini nec in Festis majoris Hebd., nec infra Oct. Paschæ et Pentec., nec in Sabbatis quando fit Offic. de S. Maria. Quibus diebus omittitur a* j. *Vesp., et in Vigil. Nativ. a Matutino. Cum dicitur in Choro, in Matut. et in Vesp. præponitur Officio diei, in aliis Horis postponitur. Prima dicitur post* Benedicamus Domino *antequam legatur Martyrol. Extra Chorum potest dici pro temporis opportunitate.*

OFFICIUM B. MARIÆ

extra Adventum.

Ad Vesperas.

Ave Maria *secreto, quæ dicitur semper in principio omnium Hor. B. M., quando non conjunguntur cum Offic. diei.*

℣. **Deus in adjutorium** *in cujus fine* **Alleluia** *vel* **Laus tibi Domine** *pro temp. varietate.*

Ant. Psalm. Cap. et Hymnus ut supra infestis B. M. V., p. 94*.

℣. **Diffusa est gratia in labiis tuis.** ℟. **Propterea benedixit te Deus in æternum.**

Ad Magnif. Ant. **Beata Mater, et intacta Virgo, gloriosa Regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.** ℣. **Dominus vobiscum.** ℟. **Et cum spiritu tuo.**

Oratio.

CONCEDE nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, a præsenti liberari tristitia, et æterna perfrui lætitia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Sequens comm. pro Sanctis fit tantum ad Vesp. et Laudes in Offic. S. M., præterquam in Adventu, cujus loco tunc alia dicitur ut infra., p. 110*.

Ant. **Sancti Dei omnes, intercedere diguemini pro nostra omniumque salute.** ℣. **Lætamini in Domino, et exultate, justi.** ℟. **Et gloriamini, omnes recti corde.**

Oratio.

PROTEGE, Domine, populum tuum, et Apostolorum tuorum Petri et Pauli, et aliorum Apostolorum patrocinio confidentem, perpetua defensione conserva.

OMNES Sancti tui, quæsumus Domine, nos ubique adjuvent: ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus: et pacem tuam nostris concede temporibus, et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam: iter, actus, et voluntates nostras, et omnium famulorum tuorum, in salutis tuæ prosperitate dispone: benefactoribus nostris sempiterna bona retribue: et omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede. Per Dominum.

AD COMPLETORIUM.

Ave Maria. Converte nos. Deus in adjutorium.

Psalmi. **Sæpe expugnaverunt,** *p.* **91. De profundis,** *p.* **92. Domine non est exaltatum,** *p.* **92.**

HYMNUS.

MEMENTO, rerum Conditor,
Nostri quod olim corporis
Sacrata ab alvo Virginis
Nascendo formam sumpseris.

Maria, mater gratiæ,
Dulcis Parens clementiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis hora suscipe.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Capitulum **Eccli. 24.**

EGO mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. ℟. **Deo gratias.**

℣. **Ora pro nobis, sancta Dei geni-**

Digitized by Google

trix. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Nunc dimittis, Ant. Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei genitrix : nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

BEATÆ et gloriosæ semper virginis Mariæ, quæsumus, Domine, intercessio gloriosa nos protegat, et ad vitam perducat æternam. Per Dominum.

Ad Matutinum.

Ave Maria. Domine labia mea. Deus in adjutorium.

Invit. Ave, Maria, gratia plena: Dominus tecum.

Psalm. Venite. I.

Hymn. Quem terra, *p.* 94.*

In Noct. Ant. et Psalmi dicuntur

FERIA II. ET V.

de I. *Noct. in festis B. M. V., p.* 94*.

FERIA III. ET VI.

de II. *Noct. ejusdem Offic.*, p. 96*.

FERIA IV. ET SABBATO.

de III. *Noct. ejusdem Offic.*, p. 98.*

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum. Pater noster.

Absolutio.

PRECIBUS et meritis beatæ Mariæ semper virginis, et omnium Sanctorum, perducat nos Dominus ad regna cœlorum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedicere.

Bened. Nos cum prole pia benedicat virgo Maria. ℟. Amen.

Lectio j. Eccli. 24.

IN omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium : et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi : In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices. Tu autem, Domine, miserere nobis.

℟. Deo gratias.

℟. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio : * Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia.

℣. Jube, domne, benedicere.

Bened. Ipsa Virgo virginum intercedat pro nobis ad Dominum. ℟. Amen.

Lectio ij.

ET sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi : et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea. Tu autem Domine.

℟. Beata es, Virgo Maria, quæ Dominum portasti Creatorem mundi : * Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes virgo. ℣. Ave, Maria, gratia plena : Dominus tecum. Genuisti.

℣. Jube, domne, benedicere.

Bened. Per Virginem matrem concedat nobis Dominus salutem et pacem. ℟. Amen.

Lectio iij.

QUASI cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion. Quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho. Quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi. Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. Tu autem, Domine.

℟. Felix namque es, sacra virgo Maria, et omni laude dignissima : * Quia ex te ortus est sol justitiæ, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu : sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem. Quia ex te. Gloria. Christus.

Digitized by Google

Ad Laudes.

et per Horas, Antiphonæ.

1. **ASSUMPTA** est Maria in cœlum, gaudent Angeli; laudantes benedicunt Dominum.

2. Maria virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.

3. In odorem unguentorum tuorum currimus: adolescentulæ dilexerunt te nimis.

4. Benedicta filia tu a Domino: quia per te fructum vitæ communicavimus.

5. Pulcra es et decora, filia Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.

Capitulum. Cant. 6.

VIDERUNT eam filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt, et reginæ laudaverunt eam.

℟. Deo gratias.

Hymnus. O gloriosa, *p.* 101*.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Bened. Ant. Beata Dei genitrix Maria, virgo perpetua, templum Domini, sacrarium Spiritus sancti: sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo: ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Oratio.

DEUS, qui de beatæ Mariæ virginis utero, Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis, ut qui vere eam genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Pro Sanctis Ant. Sancti Dei *ut supra*, p. 107.*

Ad Primam.

Ave Maria. Deus in adjutorium.
Hymn. Memento, *p.* 107*.

Ant. Assumpta est. *Psalmi* Deus in nomine tuo, *p.* 16. Benedixisti Domine, *p.* 68. Laudate Dominum omnes Gentes, *p.* 88.

Capitulum. Cant, 6.

QUÆ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? ℟. Deo gratias.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata. ℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Oratio.

DEUS, qui virginalem aulam beatæ Mariæ, in qua habitares, eligere dignatus es: da, quæsumus, ut sua nos defensione munitos, jucundos facias suæ interesse commemorationi: Qui vivis et regnas.

Ad Tertiam.

Ave Maria. Deus in adjutorium,
Hymn. Memento, *p.* 107*
Ant. Maria virgo. *Psalmi* Ad Dominum, *p.* 89. Levavi oculos meos, *p.* 89. Lætatus sum, *p.* 89.

Capitulum. Eccli. 24.

ET sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. ℟. Deo gratias.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Oratio.

DEUS, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fœcunda, humano generi præmia præstitisti: tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum.

Ad Sextam.

Ave Maria. Deus in adjutorium.
Hymn. Memento, *p.* 107*.
Ant In odorem. *Psalmi.* Ad te

Digitized by Google

levavi, *p.* 89. Nisi quia Dominus, *p.* 89. Qui confidunt in Domino, *p.* 90.

Capitulum. Eccli. 24.

ET radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.

℟. Deo gratias.

℣. Benedicta tu in mulieribus. ℟. Et benedictus fructus ventris tui. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Oratio.

CONCEDE, misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium: ut qui sanctæ Dei genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eumdem Dominum.

Ad Nonam.

Ave Maria. Deus in adjutorium.

Hymn. Memento, *p.* 107.*

Ant. Pulchra es. *Psalmi.* In convertendo, *p.* 90. Nisi Dominus ædificaverit, *p.* 91. Beati omnes, *p.* 91.

Capitulum. Eccli. 24.

IN plateis sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. ℟. Deo gratias.

℣. Post partum, Virgo, inviolata permansisti. ℟. Dei genitrix, intercede pro nobis. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Oratio.

FAMULORUM tuorum, quæsumus, Domine, delictis ignosce: ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus, genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur. Per eumdem Dominum.

OFFICIUM B. MARIÆ

In Adventu.

In I. Vesperis,

Ant. de Laud. Psalmi ut in festis. B. M. V. p. 94.*

Capitulum. Isaiæ. II.

EGREDIETUR virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet: et requiescet super eum Spiritus Domini, ℟. Deo gratias.

Hymn. Ave, maris stella, *p.* 102*.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Magnif. Ant. Spiritus sanctus in te descendet, Maria: ne timeas, habebis in utero Filium Dei, alleluia. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Oratio.

DEUS, qui de beatæ Mariæ virginis utero, Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis, ut qui vere eam genitricem Dei credimus ejus apud te intercessionibus, adjuvemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Hæc Oratio dicitur ad omnes Horas, sed cum conclusione integra, scilicet, Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit, etc.

Pro Sanctis. Ad Vesp. et Laudes tantum, Ant. Ecce Dominus veniet, et omnes Sancti ejus cum eo: et erit in die illa lux magna, alleluia.

℣. Ecce apparebit Dominus super nubem candidam. ℟. Et cum eo Sanctorum millia.

Oratio.

CONSCIENTIAS nostras, quæsumus, Domine, visitando purifica: ut veniens Jesus Christus Filius tuus Dominus noster cum omnibus Sanctis, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum, etc.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi et Hymnus, ut supra ante Advent., p. 107.*

Capitulum. Isaiæ 7.

ECCE virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus

Digitized by Google

Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariæ. ℟. Et concepit de Spiritu sancto.

Ad Nunc dimittis. Ant. Spiritus sanctus, *ut supra in Vesperis.*

Ad Matutinum.

Omnia dicuntur ut extra Adv. præter iij *Ant.* iij *Noct. et Lect.*

Lectio j. Luc. I.

MISSUS est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Tu autem.

℟. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam virginem desponsatam Joseph, nuntians ei verbum: et expavescit virgo de lumine. Ne timeas, Maria: invenisti gratiam apud Dominum. * Ecce concipies et paries, et vocabitur Altissimi filius. ℣. Dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum. Ecce concipies.

Lectio ij.

QUÆ cum audisset, turbata est in sermone eius, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur: et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Tu autem.

℟. Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum: * Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. ℣. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei. Spiritus.

Lectio iij.

DIXIT autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua: et hic mensis sextus est illi quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Tu autem.

℟. Suscipe verbum, virgo Maria, quod tibi a Domino per Angelum transmissum est: concipies et paries Deum pariter et hominem: * Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres. ℣. Paries quidem filium, et virginitatis non patieris detrimentum: efficieris gravida, et eris mater semper intacta. Ut. Gloria. Ut.

Ad Laudes,

et per Horas, Antiphonæ.

1. **MISSUS** est Gabriel Angelus ad Mariam virginem desponsatam Joseph.

2. Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, alleluia.

3. Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Dominum: ecce concipies et paries filium, alleluia.

4. Dabit ei Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in æternum.

5. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

Capitulum. Isaiæ II.

EGREDIETUR virga da radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet: et requiescet super eum Spiritus Domini. ℣. Deo gratias.

Hymnus O gloriosa, *p.* 101*.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

Digitized by Google

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Bened. Ant. Spiritus sanctus, *ut supra in Vesperis.*

Ad Horas, Hymnus et Psalm. dicuntur sicut ante Adventum.

Ad Primam

Ant. Missus est.

Capit. Ecce virgo, *ut supra.*

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata. ℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos. Kyrie, etc.

Ad Tertiam

Ant. Ave Maria.

Capit Egredietur. *ut supra.*

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum. Kyrie, etc.

Ad Sextam.

Ant. Ne timeas Maria.

Capitulum. Luc. I.

DABIT illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui. Kyrie, etc.

Ad Nonam.

Ant. Ecce ancilla Domini.

Capit. Ecce virgo. *ut supra.*

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariæ. ℟. Et concepit de Spiritu sancto. Kyrie, etc.

Post Nativ. usque ad Purif. inclusive Offic. B. Mariæ dicitur ut extra Adventum, exceptis his quæ sequuntur.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. O admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est: et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem.

2. Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ: sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum: te laudamus, Deus noster.

3. Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem: Dei genitrix, intercede pro nobis.

4. Germinavit radix Jesse, orta est stella ex Jacob: Virgo peperit Salvatorem: te laudamus, Deus noster.

5. Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns exclamavit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, alleluia.

Ad Bened. Ant. Mirabile mysterium declaratur hodie: innovantur naturæ: Deus homo factus est: id quod fuit permansit, et quod non erat assumpsit: non commixtionem passus, neque divisionem.

Kyrie elesion, etc.

Oratio.

DEUS, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fœcunda, humano generi præmia præstitisti: tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum, etc.

Et dicitur ad omnes Horas, et in eis additur, Qui tecum vivit, etc.

Deinde pro Sanctis, et reliquum Offic. in aliis Horis, ut extra Adv.

Ad Vesperas.

Ant. de Laud. reliqua ut in festis B. M. V., p. 92.* *præter*

Ad Magnif. et ad Nunc dimittis.

Ant. Magnum hæreditatis mysterium: templum Dei factus est uterus nescientis virum: non est pollutus ex ea carnem assumens: omnes gentes venient dicentes: Gloria tibi Domine.

Temp. Pasch. Offic. B. Mariæ dicitur sicut extra Adv., sed ad Benedictus, *et ad* Magnificat, *et ad* Nunc dimittis, *dicitur sequens.*

Digitized by Google

Ant. Regina cœli, lætare, alleluia: quia quem meruisti portare, alleluia: resurrexit, sicut dixit alleluia: ora pro nobis Deum, alleluia.

Antiphonis autem ℣. *et* ℟. *non additur in fine* alleluia.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

Dicitur extra tempus Pasch. prima cujusque mensis die, non impedita Festo IX *Lect. alioquin alia seq. die similiter non impedita. In Adv. autem et Quadrag. Feria* ij *cujuslibet Hebd. similiter non impedita, præterquam in majori Hebd. In Choro dicitur post Offic. diei, id est, Vesperæ post Vesp. et matutinum post Laudes diei, nisi alia sit consuetudo Ecclesiarum; extra Chorum vero pro opportunitate temporis.*

Ad Vesperas.

Absolute incipitur ab

Ant. Placebo Domino in regione vivorum.

Psalm. Dilexi quoniam, *p.* 88.

In fine Psalmorum dicitur

Requiem æternam * dona eis, Domine.

Et lux perpetua * luceat eis.

Ant. Hei mihi! Domine, quia incolatus meus prolongatus est.

Psalm. Ad Dominum, *p.* 89.

Ant. Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

Psalm. Levavi oculos, *p.* 88.

Ant. Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?

Psalm. De profundis, *p.* 92.

Ant. Opera manuum tuarum, Domine, ne despicias.

Psalm. Confitebor tibi, *p.* 95.

℣. Audivi vocem de cœlo, dicentem mihi. ℟. Beati mortui: qui in Domino moriuntur.

Ad Magnif. Ant. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: et eum qui venit ad me, non ejiciam foras.

Preces infrascriptæ dicuntur flexis genibus, similiter et ad Laudes. Pater noster, *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

Deinde Psalm. Lauda anima mea Dominum, *p.* 98.

Cujus loco ad Laudes dicitur Psal. De profundis, *p.* 92.

Alii Psalmi non dicuntur in die Comm. omnium Fidelium Defunct. neque in die obitus, seu depositionis Defuncti: alias, semper.

Post Requiem æternam *in fine Psalmi, dicitur:*

℣. A porta inferi. ℟. Erue, Domine, animas eorum.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DEUS, qui inter Apostolicos sacerdotes, famulos tuos Pontificali seu Sacerdotali fecisti dignitate vigere: præsta, quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

DEUS venia largitor, et humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam, ut nostræ congregationis fratres, propinquos, et benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, beata Maria semper virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

FIDELIUM Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famu-

Digitized by Google

lorum famularumque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

In die vero Comm. omnium Fidel. Defunct. quando dicitur hæc ultima tantum Oratio, dicitur Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia, *etc.*

In die depositionis Defuncti.

Oratio.

ABSOLVE, quæsumus, Domine, animam famuli tui N. ut defunctus sæculo tibi vivat: et quæ per fragilitatem carnis humanæ conversatione commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Dominum.

Si fuerit femina, dicatur animam famulæ tuæ N. ut defuncta.

In anniversario die. Oratio.

DEUS indulgentiarum Domine, da animabus famulorum, famularumque tuarum, quorum anniversarium depositionis diem commemoramus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, et luminis claritatem. Per Dominum.

Si pro uno tantum fit Anniversarium, dicatur in singulari numero.

Similiter et pro uno Episc., vel Sacerd. in Oratione Deus qui inter Apostolicos sacerdotes, *si fuerit Episc., omittitur* seu sacerdotali; *si tantum Sacerd., omittitur* Pontificali seu.

Pro fratribus vero et familiaribus vel benefactoribus dicitur Oratio Deus veniæ largitor, *ut supra.*

Pro Patre et Matre. Oratio.

DEUS, qui nos patrem et matrem honorare præcepisti, miserere clementer animabus patris ac matris meæ, eorumque peccata dimitte: meque eos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum.

Si fit pro pluribus dicatur animabus parentum nostrorum, *et ubi dicitur* meque, *dicatur* nosque.

Si pro patre tantum dicatur animæ patris mei, *vel* nostri.

Si pro matre tantum, dicatur animæ matris meæ, *vel* nostræ.

Pro uno Defuncto. Oratio.

INCLINA, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, ut animam famuli tui N. quam de hoc sæculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Dominum.

Pro una Defuncta. Oratio.

QUÆSUMUS, Domine, pro tua pietate miserere animæ famulæ tuæ N., et a contagiis mortalitatis exutam, in æternæ salvationis partem restitue. Per Dominum.

℣. Requiem æternam dona eis, Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis. ℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

Ad Matutinum.

Invit. Regem, cui omnia vivunt, Venite, adoremus.

Psalm. Venite, 1. *Et in fine* Requiem æternam, etc.

Hoc invit. dicitur tantum in die Comm. omnium Fidelium Defunct. et in die depositionis Defuncti: quibus diebus dicuntur tres infrascripti Nocturni, et Ant. duplicantur. Aliis temp. dicitur tantum unum Noct. cum Laudibus, hoc ordine: Feria ij *et* v, 1 *Noct. Feria* iij *et* vj, 2 *Noct. Feria quarta et Sabbato*, 3 *Noct.*

IN I. NOCTURNO.

Pro Feria ij *et* v.

Ant. Dirige, Domine Deus meus, in conspectu tuo viam meam.

Psalm. Verba mea, *p.* 40.

Ant. Convertere, Domine, et eripe animam meam: quoniam non est in morte qui memor sit tui.

Psalm. Domine, ne in furore tuo *pag.* 3.

Ant. Nequando rapiat ut leo ani-

mam meam, dum non est qui redimat neque qui salvum faciat.

Psalm. Domine Deus meus. *p.* 4.

℣. A porta inferi. ℟. Erue, Domine, animas eorum. Pater noster, *totum secreto.*

Lect. leguntur sine Absol. Bened. et Titulo.

Lectio j. Job. 7.

PARCE mihi, Domine: nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo, et subito probas illum. Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam salivam meam? Peccavi: quid faciam tibi, o custos hominum? Quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis? Cur non tollis peccatum meum, et quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in pulvere dormiam, et si mane me quæsieris, non subsistam.

Lect. terminantur sine Tu autem, *vel alia conclusione.*

℟. Credo quod Redemptor meus vivit: et in novissimo die de terra surrecturus sum: * Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. ℣. Quem visurus sum ego ipse, et non alius, et oculi mei conspecturi sunt. Et in carne.

Lectio ij. Job. 10.

TÆDET animam meam vitæ meæ. dimittam adversum me eloquium meum: loquar in amaritudine animæ meæ. Dicam Deo: Noli me condemnare. Indica mihi cur me ita judices. Numquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, et opprimas me opus manuum tuarum, et consilium impiorum adjuves? Numquid oculi carnei tibi sunt: aut sicut videt homo, et tu videbis? Numquid sicut dies hominis dies tui, et anni tui sicut humana sunt tempora, ut quæras iniquitatem meam, et peccatum meum scruteris? Et scias quia nihil impium fecerim, cum sit nemo qui de manu tua possit eruere.

℟. Qui Lazarum resuscitasti a monumento fœtidum: * Tu eis, Domine, dona requiem, et locum indulgentiæ. ℣. Qui venturus es judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. Tu eis.

Lectio iij. Job. 10.

MANUS tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu, et sic repente præcipitas me? Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti? Pelle et carnibus vestisti me: ossibus et nervis compegisti me. Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum.

℟. Domine, quando veneris judicare terram, ubi me abscondam a vultu iræ tuæ? * Quia peccavi nimis in vita mea ℣. Commissa mea pavesco, et ante te erubesco: dum veneris judicare, noli me condemnare. Quia. Requiem. Quia.

Postea ad Laudes, ut infra, p. 117*, *quando dicitur unum tantum Noct.*

IN II. NOCTURNO.

Pro Feria iij *et* vj.

Ant. In loco pascuæ ibi me collocavit.

Psalm. Dominus regit me, *p.* 22.

Ant. Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris, Domine.

Psalm. Ad te, Domine, *p.* 22.

Ant. Credo videre bona Domini in terra viventium.

Psalm. Dominus illuminatio mea, *p.* 32.

℣. Collocet eos Dominus cum principibus, ℟. Cum principibus populi sui. Pater noster.

Lectio iv. Job. 13.

RESPONDE mihi: quantas habeo iniquitates et peccata, scelera mea et delicta ostende mihi. Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum? Contra folium,

Digitized by Google

quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris. Scribis enim contra me amaritudines, et consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Posuisti in nervo pedem meum, et observasti omnes semitas meas et vestigia pedum meorum considerasti: qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur a tinea.

℟. Memento mei, Deus, quia ventus est vita mea. * Nec aspiciat me visus hominis. ℣. De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam. Nec.

Lectio v. Job. 14.

HOMO natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in judicium? Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est: constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Recede paululum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat sicut mercenarii dies ejus.

℟. Hei mihi! Domine, quia peccavi nimis in vita mea: Quid faciam miser? ubi fugiam, nisi ad te, Deus meus? * Miserere mei, dum veneris in novissimo die. ℣. Anima mea turbata est valde, sed tu, Domine, succurre ei. Miserere.

Lectio vj Job. 14.

QUIS mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei? Putasne mortuus homo rursum vivat? Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, et ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram. Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.

℟. Ne recorderis peccata mea, Domine, * Dum veneris judicare sæculum per ignem. ℣. Dirige, Domine Deus meus, in conspectu tuo viam meam. Dum. Requiem. Dum.

Postea ad Laudes, ut infra, p. 117 *, *quando dicitur unum tantum Noct.*

IN III. NOCTURNO.

Pro Feria iv. *et Sabbato.*

Ant. Complaceat tibi, Domine, ut eripias me: Domine, ad adjuvandum me respice.

Psalm. Expectans, *p.* 42.

Ant. Sana, Domine, animam meam, quia peccavi tibi.

Psalm. Beatus qui, *p.* 43.

Ant. Sitivit anima mea ad Deum vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Domini?

Psalm. Quemadmodum desiderat cervus, *p.* 43.

℣. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi. ℟. Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. Pater noster.

Lectio vij. Job 17.

SPIRITUS meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, et solum mihi superest sepulchrum. Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus. Libera me, Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem, et rursum post tenebras spero lucem. Si sustinuero, infernus domus mea est, et in tenebris stravi lectulum meum. Putredini dixi, Pater meus es; mater mea, et soror mea, vermibus. Ubi est ergo nunc præstolatio mea, et patientiam meam quis considerat?

℟. Peccantem me quotidie, et non me pœnitentem, timor mortis conturbat me: * Quia in inferno nulla est redemptio, miserere mei, Deus, et

Digitized by Google

salva me. ℣. Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua libera me. Quia.

Lectio viij. Job 19.

PELLI meæ, consumptis carnibus adhæsit os meum, et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini? Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Scio enim quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum: et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. Domine, secundum actum meum noli me judicare: nihil dignum in conspectu tuo egi: ideo deprecor majestatem tuam, * Ut tu, Deus, deleas iniquitatem meam: ℣. Amplius lava me, Domine, ab injustitia mea, et a delicto meo munda me. Ut tu.

Lectio ix. Job 10.

QUARE de vulva eduxisti me? qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret. Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum. Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum: antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine: terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

℟. Libera me, Domine, de viis inferni, qui portas æreas confregisti, et visitasti infernum, et dedisti eis lumen, ut viderent te * Qui erant in pœnis tenebrarum. ℣. Clamantes et dicentes: Advenisti, Redemptor noster. Qui. Requiem. Qui.

Sequens ℟. *dicitur solummodo in die Comm. omnium Defunct. et quandocumque pro Defunctis dicuntur* ix *Lectiones.*

℟. Libera me, Domine, de morte æterna, in die illa tremenda: * Quando cœli movendi sunt et terra: * Dum veneris judicare sæculum per ignem. ℣. Tremens factus sum ego, et timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira. Quando. ℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis et miseriæ, dies magna et amara valde. Dum veneris. ℣. Requiem æternam. Libera me, *usque ad primum.* ℟.

Ad Laudes.

Absolut. incipitur.

Ant. Exultabunt Domino ossa humilitata.

Psalm. Miserere mei, *p.* 39.

Ant. Exaudi, Domine, orationem meam: ad te omnis caro veniet.

Psalm. Te decet hymnus, *p.* 55.

Ant. Me suscepit dextera tua, Domine.

Psalm. Deus, Deus meus, *p.* 13.

Ant. A porta inferi erue, Domine, animam meam.

Cant. Ego dixi: In dimidio, *p.* 48.

Ant. Omnis spiritus laudet Dominum.

Psalm. Laudate Dominum de cœlis, *p.* 14.

℣. Audivi vocem de cœlo dicentem mihi. ℟. Beati mortui qui in Domino moriuntur.

Ad Bened. Ant. Ego sum resurrectio, et vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: et omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum.

Deinde Pater noster.

Psalmi De profundis, p. 92, *cum Precibus et Orationibus, ut supra in Vesp.*, p. 113.*

PSALMI GRADUALES.

Dicuntur in Quadrag. Feria iv. *cujuslibet Hebd. non impedita aliquo*

Digitized by Google

Festo ix *Lect. in Choro ante Matut. diei, extra Chorum pro opport. temporis.*

Primi quinque Psalmi dicuntur sine Gloria Patri. *Sed in fine ultimi* Requiem æternam.

Incipiuntur absolute sine Ant.

Psalm. Ad Dominum cum tribularer, *p.* 89. Levavi oculos meos, *p.* 89. Lætatus sum in his. *p.* 89. Ad te levavi oculos, *p.* 90. Nisi quia Dominus, *p.* 90.

Deinde dicitur flexis genibus Pater noster, *secreto.* ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. A porta inferi. ℟. Erue, Domine, animas eorum. ℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Oratio.*

ABSOLVE, quæsumus, Domine, animas famulorum famularumque tuarum, et omnium fidelium defunctorum, ab omni vinculo delictorum: ut in resurrectionis gloria inter sanctos et electos tuos resuscitati respirent. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Post Orationem statim dicuntur alii Psalmi Graduales qui sequuntur, et in fine cujuslibet Psalmi dicitur Gloria Patri.

Psalmi. Qui confidunt, *p.* 90. In convertendo, *p.* 90. Nisi Dominus ædificaverit, *p.* 91. Beati omnes, *p.* 91. Sæpe expugnaverunt me, *p.* 91.

Postea dicitur flexis genibus Kyrie eleison. Christe eleision. Kyrie eleison. Pater noster, *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Memento congregationis tuæ ℟. Quam possedisti ab intio. ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Oratio.*

DEUS, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram: ut nos, et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Post Orationem statim dicuntur alii Psalmi Graduales qui sequuntur, et in fine cujuslibet Psalmi dicitur Gloria Patri.

Psalm. De profundis, *p.* 92. Domine non est exaltatum, *p.* 92. Memento Domine David, *p.* 92. Ecce quam bonum, *p.* 93. Ecce nunc benedicite, *p.* 102.

Deinde dicitur flexis genibus Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *secreto.* ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo ℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus, sperantes in te. ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Oratio.*

PRÆTENDE, Domine, famulis et famulabus tuis dexteram cœlestis auxilii: ut te toto corde perquirant, et quæ digne postulant, consequi mereantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

SEPTEM

PSALMI PŒNITENTIALES

Cum Litaniis.

Dicuntur flexis genibus in omnibus vj. *Feriis Quadrag. quando Offic. fit de Feria. Litaniæ autem, omissis septem Psalmis, dicuntur in Litaniis majoribus in festo S. Marci, et in tribus diebus Rogationum. Dicuntur autem in Quadrag. in Choro post Matut. et Laudes diei dicto* Benedicamus Domino. *extra Chorum pro opport. temporis.*

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra vel parentum nostrorum,

Digitized by Google

neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Psalm. Domine ne in furore tuo, *p.* 3. Beati quorum, *p.* 34. Domine ne in furore tuo, *p.* 38. Miserere mei, *p.* 39. Domine exaudi orationem, *p.* 71. De profundis, *p.* 92. Domine exaudi, *p.* 73.

LITANIÆ.

KYRIE eleison.
Christe eleison.
Kyre eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix, ora.
Sancta Virgo virginum, ora.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphael, ora.
Omnes sancti Angeli et Archangeli, orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate.
Sancte Joannes Baptista, ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriarchæ et Prophetæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.
Sancte Mathia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apostoli et Evangelistæ, orate.
Omnes sancti Discipuli Domini, orate.
Omnes sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancti Fabiane et Sebastiane, orate pro nobis.
Sancti Joannes et Paule, orate.
Sancti Cosma et Damiane, orate.
Sancti Gervasi et Protasi, orate.
Omnes sancti Martyres, orate.
Sancte Silvester, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Omnes sancti Pontifices et Confessores, orate.
Omnes sancti Doctores, orate.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Francisce, ora.
Omnes sancti Sacerdotes et Levitæ, orate.
Omnes sancti Monachi et Eremitæ, orate.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Anastasia, ora.
Omnes sanctæ Virgines et Viduæ, orate.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, Parce nobis, Domine.
Propitius esto, Exaudi nos, Domine.
Ab omni malo, Libera nos, Domine.
Ab omni peccato, libera.
Ab ira tua, libera.
A subitanea et improvisa morte, libera nos, Domine.
Ab insidiis diaboli. . . . libera.

A flagello terræmotus, libera.
Ab ira, et odio, et omni mala voluntate. libera.
A spiritu fornicationis, libera.
A fulgure et tempestate, libera.
A morte perpetua, libera.
A peste, fame et bello, libera.
Per mysterium sanctæ incarnationis tuæ, libera.
Per adventum tuum, libera.
Per nativitatem tuam, libera.
Per baptismum, et sanctum jejunium tuum, libera.
Per crucem et passionem tuam, libera nos, Domine.
Per sanctam resurrectionem tuam, libera.
Per admirabilem ascensionem tuam, libera.
Per adventum Spiritus sancti Paracliti, libera.
In die judicii, libera.
Peccatores, Te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas, te rogamus.
Ut nobis indulgeas, te rogamus.
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rogamus.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris, te rog.
Ut domnum Apostolicum et omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris, te rogamus audi nos.
Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, te rogamus.
Ut regibus et principibus Christianis pacem et veram concordiam donare digneris, te rogamus.
Ut cuncto populo Christiano pacem et unitatem largiri digneris, te rogamus, audi nos.
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris, te rogamus.
Ut mentes nostras ad cœlestia desideria erigas, te rogamus.
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rogamus, audi nos.
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, et benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias, te rogamus.
Ut fructus terræ dare et conservare digneris, te rogamus.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut nos exaudire digneris, te rog.
Fili Dei, te rogamus.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui, Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster *secretò*. ℣. Et ne nos inducas in tentationem ℟. Sed libera nos a malo.

Psalmus 69.

DEUS, in adjutorium meum intende: * Domine, ad adjuvandum me festina.

Confundantur et reverentur, * qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsum, et erubescant, * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes: * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent et lætentur in te omnes qui quærunt te, * et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum: * Deus, adjuva me:

Adjutor meus, et liberator meus es tu: * Domine, ne moreris

Gloria Patri. Sicut erat.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis, ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis. ℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Oremus pro Pontifice nostro N. ℟. Dominus conservet eum, et vivificet eum et beatum faciat eum in terra et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus pro benefactoribus nu-

stris. ℟. Retribuere dignare, Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam. Amen.

℣. Oremus pro fidelibus defunctis. ℟. Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Pro fratribus nostris absentibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine, exaudi orationem meam ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Oratio*

DEUS, cui proprium est misereri semper, et parcere: suscipe deprecationem nostram: ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

EXAUDI, quæsumus, Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis; ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

INEFFABILEM nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a pœnis, quas pro his meremur, eripias.

DEUS, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice: et flagella tuæ iracundiæ quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N. et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ: ut te donante tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

DEUS, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

URE igne sancti Spiritus renes nostros, et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus, et munpo corde placeamus.

FIDELIUM Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, et indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

ACTIONES nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse prænoscis: te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus sanctis tuis, pietatis tuæ clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus: ℟. Amen.

℣. Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

ORDO COMMENDATIONIS ANIMÆ.

Primum dicuntur Litaniæ breves in hunc modum.

KYRIE eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Sancta Maria, ora pro eo.
Omnes sancti Angeli et Archangeli, orate pro eo.
Sancte Abel, ora.

Digitized by Google

Omnis chorus Justorum, ora.
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joannes Baptista, ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriarchæ et Prophetæ, orate pro eo.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Joannes, ora.
Omnes sancti Apostoli et Evangelistæ, orate pro eo.
Omnes sancti Discipuli Domini, orate.
Omnes sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Omnes sancti Martyres, orate.
Sancte Silvester, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Augustine, ora.
Omnes sancti Pontifices et Confessores, orate.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Francisce, ora.
Omnes sancti Monachi et Eremitæ, orate pro eo.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Lucia, ora.
Omnes sanctæ Virgines et Viduæ, orate pro eo.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercedite pro eo.
Propitius esto, parce ei, Domine.
Propitius esto, exaudi eum, Domine.
Propitius esto, libera eum Domine.
Ab ira tua, libera.
A periculo mortis, libera.
A mala morte, libera.
A pœnis inferni, libera.
Ab omni malo, libera.
A potestate diaboli, libera.
Per nativitatem tuam, libera.
Per crucem et passionem tuam, libera eum, Domine.
Per mortem et sepulturam tuam, libera eum, Domine.
Per gloriosam resurrectionem tuam, libera eum, Domine.
Per admirabilem ascensionem tuam, libera eum, Domine.
Per gratiam Spiritus sancti Paracliti, libera eum, Domine.
In die judicii, libera.
Peccatores, Te rogamus, audi nos.
Ut ei parcas, te rogamus.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Deinde cum in agone sui exitus anima anxiatur, dicantur sequentes Orationes.

Oratio.

PROFICISCERE, anima Christiana, de hoc mundo, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creavit: in nomine Jesu Christi Filii Dei vivi, qui pro te passus est: in nomine Spiritus sancti, qui in te effusus est: in nomine Angelorum et Archangelorum: in nomine Thronorum et Dominationum: in nomine Principatuum et potestatum: in nomine Cherubim et Seraphim: in nomine Patriarcharum et Prophetarum: in nomine sanctorum Apostolorum et Evangelistarum: in nomine sanctorum Martyrum et Confessorum: in nomine sanctorum Monachorum et Eremitarum: in nomine sanctarum Virginum, et omnium Sanctorum et Sanctarum Dei: hodie sit in pace locus tuus, et habitatio tua in sancta Sion. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oratio.

DEUS misericors, Deus clemens, Deus, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, et præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas: respice propitius super hunc famulum tuum N. et remissionem omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo, piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum est: et unitati corporis Ecclesiæ membrum redemptionis annecte. Miserere, Domine, gemituum, miserere lacrymarum ejus: et non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad tuæ sacramentum recon-

ciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

COMMENDO te omnipotenti Deo, charissime frater, et ei, cujus es creatura, committo: ut cum humanitatis debitum morte interveniente persolveris, ad auctorem tuum, qui te de limo terræ formaverat, reverteris. Egredienti itaque animæ tuæ de corpore splendidus Angelorum cœtus occurrat: judex Apostolorum tibi senatus adveniat: candidatorum tibi Martyrum triumphator exercitus obviet: liliata rutilantium te Confessorum turma circumdet: jubilantium te Virginum chorus excipiat: et beatæ quietis in sinu Patriarcharum te complexus astringat: mitis atque festivus Christi Jesu tibi aspectus appareat, qui te inter assistentes sibi jugiter interesse decernat. Ignores omne quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi teterrimus satanas cum satellitibus suis: in adventu tuo te comitantibus Angelis contremiscat, atque in æternæ noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus: et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus. Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei: et justi epulentur, et exultent in conspectu Dei. Confundantur igitur et erubescant omnes tartareæ legiones, et ministri satanæ iter tuum impedire non audeant. Liberet te a cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est. Liberet te ab æterna morte Christus, qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus Filius Dei vivi intra paradisi sui semper amœna virentia, et inter oves suas te verus ille Pastor agnoscat. Ille ab omnibus peccatis tuis te absolvat, atque ad dexteram suam in electorum suorum te sorte constituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, et præsens semper assistens, manifestissimam beatis oculis aspicias veritatem. Constitutus igitur inter agmina beatorum, contemplationis divinæ dulcedine potiaris in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oratio.

SUSCIPE, Domine, servum tuum in locum sperandæ sibi salvationis a misericordia tua. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui ex omnibus periculis inferni, et de laqueis pœnarum, et ex omnibus tribulationibus. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Enoch et Eliam de communi morte mundi. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Noe de diluvio.

℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Abraham de Ur Chaldæorum. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Job de passionibus suis.

℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Isaac de hostia et de manu patris sui Abrahæ ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Lot de Sodomis, et de flamma ignis. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Moysen de manu Pharaonis regis Ægyptiorum. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Danielem de lacu leonum. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis, ed de manu regis iniqui. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Susannam de falso crimine. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti David de manu regis Saul, et de manu Goliæ. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Petrum et Paulum de carceribus. ℟. Amen.

Et sicut beatissimam Theclam virginem et martyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberasti, sic liberare digneris animam hujus servi

Digitized by Google

tui, et tecum facias in bonis congaudere cœlestibus. ℟. Amen.

Oratio.

COMMENDAMUS tibi, Domine, animam famuli N. precamurque te, Domine Jesu Christe, Salvator mundi, ut propter quam ad terram misericorditer descendisti, Patriacharum tuorum sinibus insinuare non renuas. Agnosce, Domine, creaturam tuam, non a diis alienis creatam, sed a te solo Deo vivo et vero: quia non est alius Deus præter te, et non est secundum opera tua. Lætifica, Domine, animam ejus in conspectu tuo, et ne memineris iniquitatum ejus antiquarum, et ebrietatum, quas suscitavit furor, sive fervor mali desiderii. Licet enim peccaverit, tamen Patrem et Filium, et Spiritum sanctum non negavit, sed credidit, et zelum Dei in se habuit, et Deum qui fecit omnia, fideliter adoravit.

Oratio.

DELICTA juventutis, et ignorantias ejus, quæsumus, ne memineris, Domine: sed secundum magnam misericordiam tuam memor esto illius in gloria claritatis tuæ. Aperiantur ei cœli, collætentur illi Angeli. In regnum tuum, Domine, servum tuum suscipe. Suscipiat eum sanctus Michael, Archangelus Dei, qui militiæ cœlestis meruit principatum. Veniant illi obviam sancti Angeli Dei, et perducant eum in civitatem cœlestem Jerusalem. Suscipiat eum beatus Petrus Apostolus, cui a Deo claves regni cœlestis traditæ sunt. Adjuvet eum sanctus Paulus Apostolus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo sanctus Joannes, electus Dei Apostolus, cui relevata sunt secreta cœlestia. Orent pro eo omnes sancti Apostoli, quibus a Domino data est potestas ligandi atque solvendi. Intercedant pro eo omnes sancti et electi Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc sæculo sustinuerunt: ut vinculis carnis exutus, pervenire meretur ad gloriam regni cœlestis, præstante Domino nostro Jesu Christo: Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Si anxiatur adhuc amina, dicuntur hi Psalmi, videlicet Confitemini Domino, p. 17. *et totus Psalmus* Beati immaculati *per Horas distributus*, pag. 17.

Egressa autem anima dicitur hoc ℟. Subvenite, sancti Dei, occurrite, Angeli Domini: * Suscipientes animam ejus: * Offerentes eam in conspectu Altissimi. ℣. Suscipiat te Christus qui vocavit te, et in sinum Abrahæ Angeli deducant te. Suscipientes. ℣. Requiem æternam dona ei, Domine: et lux perpetua luceat ei. Offerentes.

Deinde Kyrie eleison Christe eleison Kyrie eleison. *Postea* Pater noster, *secreto*. ℣. Et ne nos inducas in tentationem ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Requiem æternam dona ei, Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. ℣. A porta inferi. ℟. Erue, Domine, animam ejus. ℣. Requiescat in pace. ℟. Amen. ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus *Oratio*

TIBI, Domine, commendamus animam famuli tui N. ut defunctus sæculo tibi vivat: et quæ per fragilitatem humanæ conversationis peccata commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum, ℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ.

Ante prandium Sacerdos benedicturus mensam incipit Benedicite, *et alii repetunt* Benedicite, *Deinde dicit* ℣. Oculi omnium, *et alii prosequuntur*. In te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. Gloria Patri. Sicut erat. Kyrie eleison. Christe eleison Kyrie eleison. Pater noster, *secreto*.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.

Postea Sacerdos dicit :

Oremus.

BENEDIC, Domine, nos et hæc tua dona, quæ de tua largitate sumus sumpturi. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Lector, Jube, domne, benedicere.

Bened. Mensæ cœlestis participes faciat nos Rex æternæ gloriæ. ℟. Amen.

Post prandium aguntur gratiæ hoc modo. Dicto a Lectore Tu autem, Domine miserere nobis.

℟. Deo gratias. *omnes surgunt. Sacerdos incipit* ℣. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua.

℟. Et sancti tui benedicant tibi.
℣. Gloria Patri. ℟. Sicut erat.

Postea Sacerdos absolute dicit:

AGIMUS tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis: Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Psalmus Miserere, *p.* 39 *vel Psalm.* Laudate Dominum omnes Gentes, *p.* 88 *In fine* Gloria Patri. Sicut erat Kyrie eleison Christe eleison. Kyrie eleison.

Sacerdos dicit Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Dispersit, dedit pauperibus. ℟. Justitia ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Benedicam Dominum in omni tempore. ℟. Semper laus ejus in ore meo. ℣. In Domino laudabitur anima mea. ℟. Audiant mansueti, et lætentur. ℣. Magnificate Dominum mecum. ℟. Et exaltemus nomen ejus in idipsum ℣. Sit nomen Domini benecictum. ℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

Deinde sine Oremus.

RETRIBUERE dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam. ℟. Amen.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

Pater noster, *secreto. Quo finito, dicit Sacerdos:* Deus det nobis suam pacem. ℟. Amen.

Ante cœnam Sacerdos benedicturus mensam, incipit Benedicite *et alii repetunt* Benedicite.

Deinde Sacerdos incipit ℣. *et alii prosequuntur.*

EDENT pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum: vivent corda eorum in sæculum sæculi. Gloria Patri. Sicut erat. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison Pater noster, *secreto*. Et ne nos.

Oremus. Benedic, Domine, *ut supra in prandio.* Jube, domne.

Bened. Ad cœnam vitæ æternæ perducat nos Rex æternæ gloriæ.

℟. Amen.

In fine cœnæ dicitur. ℣. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus: escam dedit timentibus se. Gloria Patri. Sicut erat.

Sacerdos dicit:

BENEDICTUS Deus in donis suis, et sanctus in omnibus operibus suis: Qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Psalm. Laudate Dominum omnes gentes, *p.* 88 : *et reliqua ut supra.*

Quando semel comeditur, omnia dicuntur ut in cœna.

Prædictus modus benedicendi mensam, et agendi gratias, servatur omni tempore, præterquam diebus infrascriptis, quibus Versiculi et Psalmi tantum variantur.

In Nativitate Domini usque ad cœnam Vigiliæ Epiphaniæ exclusive, dicitur ℣. Verbum caro factum est, alleluia. Et habitavit in nobis, alleluia. Gloria Patri.

In fine dicitur ℣. Notum fecit Do-

Digitized by Google

minus, alleluia, Salutare suum, alleluia.

Alia ut supra. Psalm. Cantate p. 75. *vel* Laudate Dominum omnes gentes, p. 88. *qui Psalm. semper ad beneplacitum dici potest etiam in aliis solemnitatibus.*

In Epiphania, et per totam Oct. ℣. Reges Tharsis, et insulæ munera offerent, alleluia: Reges Arabum et Saba dona adducent, alleluia: Gloria Patri.

In fine dicitur ℣. Omnes de Saba venient, alleluia, Aurum et thus deferentes, alleluia. Gloria Patri.

Psalm. Deus judicium, p. 39.

Feria quinta in Cœna Domini dicitur absolute et sine nota ℣. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem.

Deinde Pater noster, *totum secreto. Quo dicto, sine pronuntiatione aliqua, Sacerdos signo Crucis benedicit mensam nec dicitur* Jube domne, *nec* Tu autem.

In fine repetitur ℣. Christus factus est, *ut supra. Postea Psalm.* Miserere mei Deus, p. 39.

Quo finito sine ℣. Gloria Patri, *secreto dicitur* Pater noster.

Deinde Sacerdos dicit absolute Orationem Respice quæsumus, *ut in Officio, et non pronuntiatur* Qui tecum, *nec* Fidelium animæ, *sed secreto dicitur* Pater noster, *nec additur* Deus det nobis suam pacem.

In Parasceve eodem modo fit sicut in Cœna Domini, sed additur ad ℣. Christus factus est..... Mortem autem crucis.

Sabbato sancto ad benedicendum mensam dicitur, Benedicite. ℟. Benedicite. ℣. Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, alleluia: Venit Maria Magdalene, et altera Maria videre sepulchrum, alleluia. Gloria Patri. Sicut erat.

In fine repetitur. Vespere autem, *ut supra, cum* Gloria Patri. Sicut erat. *Psalm.* Laudate Dominum omnes gentes, p. 88. *cum* Gloria Patri. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison, *et alia ut supra in prima Benedictione.*

In die Paschæ, et deinceps usque ad cœnam sequentis Sabbati, ad benedicendum mensam, dicitur ℣. Hæc dies quam fecit Dominus, alleluia, Exultemus et lætemur in ea, alleluia. Gloria Patri.

In fine repetitur Hæc dies quam. *cum* Gloria Patri. *Psalm.* Confitemini, p. 17.

In Ascensione Domini usque ad Vigiliam Pentecostes exclusive ℣. Ascendit Deus in jubilatione, alleluia, Et Dominus in voce tubæ, alleluia. Gloria Patri.

In fine dicitur ℣. Ascendens Christus in altum, alleluia, Captivam duxit captivitatem, alleluia. Gloria Patri.

Psalm. Omnes gentes plaudite manibus, p. 45. *vel* Laudate, p. 88.

In Pentecoste, a Vigilia ejusdem inclusive usque ad cœnam sequentis Sabbati exclusive. ℣. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, alleluia, Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis, alleluia. Gloria Patri.

In fine dicitur ℣, Repleti sunt omnes Spiritu sancto, alleluia, Et cœperunt loqui, alleluia. Gloria Patri. *Psalm.* Magnus Dominus, p. 46, *vel* Laudate, p. 88. *Alia ut supra.*

ITINERARIUM.

Clericus in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat quæ sequuntur in singulari; si cum sociis, in plurali.

Ant. In viam pacis.

Canticum. Benedictus Dominus Deus Israel, p. 16.

In fine Gloria Patri. *Postea dicatur Ant.* In viam pacis et prosperitatis dirigat nos omnipotens et misericors Dominus, et Angelus Raphael comitetur nobiscum in via, ut cum pace, salute, et gaudio revertamur

Digitized by Google

ad propria. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, *secreto*. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus, sperantes in te. ℣. Mitte nobis, Domine, auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere nos. ℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in nobis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. ℣. Benedictus Dominus die quotidie. ℟. Prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum. ℣. Vias tuas Domine, demonstra nobis. ℟. Et semitas tuas edoce nos. ℣. Utinam dirigantur viæ nostræ. ℟. Ad custodiendas justificationes tuas. ℣. Erunt prava in directa. ℟. Et aspera in vias planas. ℣. Angelis suis Deus mandavit de te. ℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis. ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Oratio.*

DEUS, qui filios Israel per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quique tribus Magis iter ad te stella duce pandisti, tribue nobis, quæsumus, iter prosperum, tempusque tranquillum, ut, Angelo tuo sancto comite, ad eum quo pergimus locum, ac demum ad æternæ salutis portum pervenire feliciter valeamus.

DEUS, qui Abraham puerum tuum de Ur Chaldæorum eductum, per omnes suæ peregrinationis vias illæsum custodisti, quæsumus, ut nos famulos tuos custodire digneris: esto nobis, Domine, in procinctu suffragium, in via solatium, in æstu umbraculum, in pluvia et frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in adversitate præsidium, in lubrico baculus, in naufragio portus, ut, te duce, quo tendimus, prospere perveniamus, et demum incolumes ad propria redeamus.

ADESTO, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietates tuo semper protegamur auxilio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua per viam salutis incedat, et beati Joannis Præcursoris hortamenta sectando, ad eum quem prædixit, secura perveniat, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate.

℣. Procedamus in pace. ℟. In nomine Domini. Amen.

APPENDIX

CONTINENS OFFICIA ALIQUIBUS IN LOCIS

EX INDULTO S. SEDIS RECITANDA

Officia Mobilia.

FER. III. POST DOM. SEPT.

Orationis D. N. J. C.

in Monte Olivett.

Duplex majus

Ins I. Vesperis.

Antiph. Venit Jesus *etc. cum reliquis de Laud. Psal.* Dixit Dominus *cum reliquis de Dominica* p. 86. *et loco ultimi* Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. Matth. 26.

VENIT Jesus ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem.

HYMNUS.

ASPICE, ut Verbum Patris a supernis
Sedibus clemens, et amore flagrans
Perditis culpa genitis mederi
Pergit Adami.

Flebilem mundi miserans ruinam,
Et volens nostros reparare casus
Orat, et prona veniam precatur
Fronte Magister.

Fluctuat secum tot acerba volvens:
Hunc, ait supplex, Calicem doloris,
Mi Pater, transfer: tua sed voluntas,
Non mea fiat.

Cum premat tristis pavor ima cordis,
Deficit languens Dominus; per artus
Sanguinis sudor fluit, atque guttis
Terra madescit.

At celer summo veniens Olympo
Angelus Jesum recreat jacentem,
Corpori vires redeunt, novoque
Robore surgit.

Laus, honor Patri, genitaeque Proli,
Cui datum Nomen super omne nomen,
Et Paracleto decus, atque virtus
Omne per ævum. Amen.

℣. Tristis est anima mea.
℟. Usque ad mortem.

Ad Magnif. Antiph. Positis genibus orabat dicens: Pater, si vis transfer Calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui in horto verbo, et exemplo nos orare docuisti ad tentationum pericula superanda: concede propitius, ut nos orationi semper intenti, ejus copiosum fructum consequi mereamur. Qui vivis, et regnas.

Ad Matut. Invitat. Christum Jesum in Monte Oliveti orantem * Venite, adoremus.

Psal Venite, exultemus. I.

Hymnus, ut supra in Vesp.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Ante orationem præpara animam tuam: et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.

Psalmus 16. Exaudi Domine *pag.* 8.

Ant. Non impediaris orare semper,

et ne verearis usque ad mortem justificari.

Psalmus 27. Ad te Domine *p.* 33.

Ant. Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.

Psalm. 141. Voce mea *p.* 97.

℣. Tristis est anima mea.

℟. Usque ad mortem.

Lectio j.

De libro Tobiæ. *Cap.* 12.

BONA est oratio cum jejunio, et eleemosyna magis, quam thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam, et vitam æternam. Qui autem faciunt peccatum, et iniquitatem, hostes sunt animæ suæ. Manifesto ergo vobis veritatem, et non abscondam a vobis occultum sermonem. Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.

℟. In omnibus gratias agite: * Sine intermissione orate. ℣. Hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis. Sine.

Lectio ij.

De Epistola B. Jacobi Apostoli. *Cap.* 5.

ORATE pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua. Elias homo erat similis nobis passibilis: et oratione oravit, ut non plueret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursum oravit, et cœlum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum. Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum, scire debet, quoniam, qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, * salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.

℟. Cum stabitis ad orandum, * Dimittite, si quid habetis adversus aliquem. ℣. Ut et Pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. Dimittite.

Lectio iij.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Hebræos. *Cap.* 5.

CHRISTUS non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui loquutus est ad eum: Filius meus es tu: ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam: et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech.

℟. Exaudivit Dominus deprecationem meam: * Dominus orationem meam suscepit. ℣. Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine. Dominus. Gloria. Dominus.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis, et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus.

Psalm. 42. Judica me Deus, *p.* 48.

Antiph. Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum; et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito.

Psalm. 63. Exaudi, Deus, *p.* 53.

Antiph. Factum est autem in illis diebus, exiit Jesus in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.

Psalm. 120. Levavi oculos meos, *p.* 89.

℣. Pater mi, si possibile est.

℟. Transeat a me calix iste.

Digitized by Google

Lectio iv.

Ex Tractatu S. Cypriani Ep. et Mart.

De Oratione Dominica

NEC verbis tantum, sed et factis Dominus orare nos docuit, ipse orans frequenter, et deprecans, quid facere nos oporteret, exempli sui contestatione demonstrans, sicut scriptum est: Ipse autem fuit secedens in solitudinem, et adorans. Et iterum: Exivit in montem orare, et fuit pernoctans in oratione Dei. Quod si ille orabat, qui sine peccato erat; quanto magis peccatores oportet orare? Et si ille per totam noctem jugiter vigilans continuis precibus orabat; quanto nos magis in frequentanda oratione debemus nocte vigilare? Orabat autem Dominus, et rogabat, non pro se, (quid enim pro se innocens precaretur?) sed pro delictis nostris; sicut et ipse declarat, cum dicit ad Petrum: Ecce Sathanas expetivit, ut vos vexaret quomodo triticum: ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Et postmodum pro omnibus Patrem deprecatur, dicens: Non pro his autem rogo solis, sed et pro illis, qui credituri sunt per verbum ipsorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.

℟. Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: * Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. ℣. Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Ego autem.

Lectio v.

Ex Commentariis S. Anselmi Episcopi.

In Epist. ad Hebræos. Cap. 5.

SICUT verus Pontifex obtulit preces: nam in Evangelio sæpe legitur orasse, et maxime apud Lucam, qui Sacerdotis in eo descripsit personam. Sed et quidquid ipse egit in carne, preces, et supplicationes fuerunt pro hominibus. Tota vita sua Patrem oravit de resurrectione carnis suæ, ac de nostra salute: et instante jam Passione obtulit supplicationes, idest humillimas, et intentissimas orationes, cum summa devotione cordis, et affectione, quando factus in agonia prolixius orabat, et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et has preces, supplicationesque obtulit, idest obviam tulit Patri per exauditionem sibi obvianti. Obtulit eas ad eum, qui posset illum a morte salvum facere, idest resuscitare; ad eum, quem scivit esse sufficientem, ut salvaret eum; idest, immortalem, et impassibilem faceret eripiendo a morte, ut nec anima remaneret in inferno, nec caro putresceret in sepulchro.

℟. Oratio humiliantis se nubes penetrabit: * Et donec propinquet, non consolabitur. ℣. Et non discedet, donec Altissimus aspiciat. Et donec.

Lectio vj.

ET obtulit has cum clamore valido, idest cum intentione piæ devotionis vehementissima, et efficacissima, ut quando prolixius orabat, et etiam cum lacrymis; quia in illa prolixa oratione credendus est lacrymas effudisse, cum et guttæ sanguinis pro sudore decurrerent ab ejus Corpore, et exauditus est, quia, quod quæsierat, accepit in resurrectione. Exauditus est; idest, extra numerum aliorum omnium auditus est, quoniam super omnem creaturam post laboris sui militiam a Patre sublimatus est, et hoc, pro sui reverentia, idest secundum hoc quod ipse, sicut Dei Filius, dignus est reverentia, et veneratione. Vel pro sua reverentia in Deum, idest, propter quod ipse super omnia Patrem reveritus est, et honoravit. Sive pro sua reverentia, idest, sicut sua religio meruit. Sanguinis quoque ejus effusio potest intelligi clamor validus, in quo exauditus est pro reverentia ejusdem Passionis. Reverentia est, quod sine peccato passus est pro sola charitate.

Digitized by Google

℟. Fiant aures tuæ auscultantes, et oculi tui aperti, * Ut audias orationem servi tui. ℣. Quam ego oro coram te hodie, nocte, ac die. Ut. Gloria. Ut.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Tribulatio, et angustia invenerunt me: mandata tua meditatio mea est.

Psalmus 5. Domine quid multiplicati sunt, *p.* 3.

Ant. Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit, et qui consolaretur, et non inveni.

Psal. 12. Usque quo Domine, *p.* 6.

Ant. Adhæsit pavimento anima mea: vivifica me secundum verbum tuum.

Psal. 87. Domine Deus salutis. *p.* 69.

℣. Vigilate, et orate.

℟. Ut non intretis in tentationem.

Lectio vij.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Cap. 22.

IN illo tempore: Egressus Jesus ibat secundum consuetudinem in Montem Olivarum. Sequuti sunt autem illum et Discipuli. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Libro. 10. *Com. in Luc. Cap.* 22.

TRANSFER a me calicem hunc, quasi homo mortem recusans, quasi Deus sententiam suam servans. Oportet enim mori nos sæculo, ut corpore, juxta divinam sententiam, in terræ limum naturæ fine resoluto, spiritu resurgamus Deo. Quod autem ait, non mea voluntas, sed tua fiat: suam ad hominem retulit, Patris ad Divinitatem. Voluntas enim hominis temporalis, voluntas Divinitatis æterna. Non alia voluntas Patris, alia Filii. Una enim voluntas, ubi una Divinitas. Disce tamen Deo esse subjectus, ut non, quod ipse vis, eligas, sed quod Deo scias esse placiturum.

℟. Veni in altitudinem maris, * Et tempestas demersit me. ℣. Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Et tempestas.

Lectio viij.

DEINDE verborum ipsorum proprietatem consideremus. Tristis est, inquit, anima mea. Et alibi: Nunc anima mea turbata est valde. Non ergo suscipiens, sed susceptа turbatur. Anima enim obnoxia passionibus, Divinitas libera. Etenim spiritus promptus, caro autem infirma. Tristis autem est, non ipse, sed anima. Non est tristis sapientia, non divina substantia, sed anima. Suscepit enim animam meam, suscepit corpus meum. Non me fefellit, ut aliud esset, et aliud videretur. Tristis videbatur, et tristis erat, non pro sua passione, sed pro nostra dispersione.

℟. Intret in cospectu tuo oratio mea: * Inclina aurem tuam ad precem meam. ℣. Quia repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit. Inclina. Gloria. Inclina.

Lectio ix.

DENIQUE ait: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. Tristis erat, quia nos parvulos relinquebat. Ceterum, quam costanter se morti obtulerit, connexa declarant: quandoquidem quærentibus occurrit, turbatos confirmavit, trepidos provocavit. Proditorem oculi dignatione suscepit. Nec illud distat a vero, si tristis erat pro persequutoribus suis, quos sciebat immanis sacrilegii pœnas daturos. Et ideo dixit: Transfer hunc calicem a me. Non quia Dei Filius mortem timebat, sed quia nec malos perire volebat.

Te Deum.

AD LAUDES, ET PER HORAS.

Ant. 1. Venit Jesus cum discipulis suis in villam, quæ dicitur Gethsemani, et dixit illis: Sedete hic, donec vadam illuc, et orem.

Psal. Dominus regnavit. *etc. cum reliquis de Dominica.*

2. Et assumpto Petro, et duo-

Digitized by Google

bus filiis Zebedæi, cœpit contristari, et mœstus esse

3. Tunc ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem : sustinete hic, et vigilate mecum.

4. Et progressus pusillum procidit in faciem suam orans, et dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.

5. Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

Capitulum. Matth. c. 26.

VENIT Jesus ad Discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro : Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem.

HYMNUS.

VENIT e cœlo Mediator alto,
Quem sacri dudum cecinere Vates.
Parce mœrori, lacrymisque amaris
Filia Sion.
Attulit mortem vetus hortus; unde
Culpa prodivit : novus iste vitam
Hortus en affert, ubi nocte Jesus
Permanet orans.
Vindicem placat Genitoris iram
Reprimit forti jacienda dextra
Fulmina : occurrit sceleri expiando
Sponte Redemptor.
Sic teret duros laqueos Averni ;
Et diu clausam reserabit aulam,
Nos ad æterni revocans beata
Gaudia regni.
Laus, honor Patri, genitæque
Proli,
Cui datum Nomen super omne nomen
Et Paracleto decus, atque virtus
Omne per ævum. Amen.

℣. Doce nos orare.

℟. Sic ergo vos orabitis.

Ad Bened. Ant. Factus in agonia prolixius orabat: Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

Orat. ut supra.

Ad Tertiam.

℟. *br.* Tristis est * Anima mea. Tristis. ℣. Usque ad mortem. Anima. Gloria. Tristis.

℣. Pater mi, si possibile est.

℟. Transeat a me calix iste.

Ad Sextam.

Capitulum. Luc. 21.

VIGILATE itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis.

℟. *br.* Pater mi, * Si possibile est. Pater. ℣. Transeat a me calix iste. Si. Gloria. Pater.

℣. Vigilate, et orate.

℟. Ut non intretis in tentationem.

Ad Nonam.

Capitulum. Matth. 5.

ORATE pro persequentibus, et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.

℟ *br.* Vigilate, * Et orate. Vigilate. ℣. Ut non intretis in tentationem. Et. Gloria. Vigilate.

℣. Factus est sudor ejus.

℟. Sicut guttæ sanguinis.

In II. Vesperis omnia, ut in primis : et loc. ult. Psalm. Credidi, propter quod *p.* 88.

℣. Factus est sudor ejus.

℟. Sicut guttæ sanguinis.

Ad Magnif. Ant. Ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

Oratio, ut supra.

FERIA TERTIA

POST DOMINICAM SEXAGESIMÆ

In solemni commemor.

DOMINICÆ PASSIONIS

Duplex Primæ Classis cum Octava.

Ad Vesperas.

Ant. Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

Psalm. Credidi, propter quod *p.* 333.

Digitized by Google

Ant. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis impugnabant me gratis.

Psalm. 119. Ad Dominum cum tribularer clamavi, 324.

Antiph. Ab hominibus iniquis libera me Domine.

Psalm. 139. Eripe me, 324.

Ant. Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem.

Psalm. 140. Domine clamavi, 324.

Ant. Considerabam ad dexteram, et videbam, et non erat qui cognosceret me.

Psalm. 141. Voce mea ad Dominum, 325.

Capitulum. Philipp. 2.

FRATRES hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.

HYMNUS.

MERENTES oculi spargite lacrymas,
Et luctu resonent intima cordiam,
Illatas refero Numini ab impiis
Pœnas, et fera vulnera.
Accincta heu! gladiis turba satellitum,
Arreptum Dominum fustibus impetit,
Nunc cædit colaphis, nunc quatit horridis
Divinum Caput ictibus.
Haud finis sceleri: traditur improbo
Christus carnifici, nec mora, barbarus
In Regem Superum non timet, impio
Ausu, vertere dexteram.
Audite, o Populi. Numen amabile,
Manaute ex humeris undique sanguine,
Lictoris rabidi sustinet impetum,
Et vocem premit innocens.
Quis non illacrymet! Jam nova condidit
Tormenta indomitæ gentis iniquitas:
Infigit cerebro, prob dolor! efferis
Sertum vepribus asperum.
Meu crimen! trahitur funibus improbis,
Funesti Dominus supplicii ad locum,
Illic oppetiit funere spiritum
Patri restituens suo.
Passo pro miseris tam fera vulnera
In terris resonet debita gloria;
Sacrumque assidue Nomen in æthera,
Humanum genus efferat. Amen.

℣. Oblatus est, quia ipse voluit.

℟. Et livore ejus sanati sumus.

Ad Magnif. Ant. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor, sicut dolor meus.

Oratio.

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, qui humano generi, ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum carnem sumere, et crucem subire fecisti; concede propitius, ut, sicut solemnem commemorationem Passionis ejus celebramus, ita et patientiæ ipsius habere documenta, et resurrectionis consortia mereamur. Per eumdem.

Ad Complet. et per Horas diei, ac etiam per totam Octavam in fine Hymnorum dicitur:

Patri sit, ac Paraclyto,
Natoque Patris gloria,
Nostræ dedit qui prodigus
Pretium salutis sanguinem.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Christum Regem Crucifixum, * Venite adoremus.

Psalm. Venite exultemus. I.

HYMNUS.

ASPICE, infami Deus ipse ligno
Pendet, effuso madidus cruore;
Aspice, immiti manus alma clavo
Finditur alto.
Hunc, velut pravi sceleris ministrum,
Inter indignos medium latrones,
Cerne: crudelis fuit ista gentis
Dira voluntas.
Pallet heu! vultus; caput ecce lassum

Digitized by Google

Flectitur, clausis oculis, Redemptor
Spiritum sacro meritis onustum
Fundit ab ore.
O cor, æs durum superas, gemendo
Ni scelus tergas; tua culpa Christum
Stipiti affixit, tua culpa morti
Subdidit atræ.
Sit Deo æternum decus omne in ævum.
Qui pius nostri generis Redemptor
Criminis labem miseris nocentem
Sanguine tersit. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Astiterunt Reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Psalm. 2. Quare fremuerunt gentes, *p.* 3.

Ant. Multiplicati sunt qui tribulant me, multi insurgunt adversus me

Psalm. 3. Domine, quid multiplicati sunt, *p.* 3.

Ant. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Psalm. 21. Deus, Deus meus, respice in me, *p.* 23.

℣. Oblatus est, quia ipse voluit.
℟. Et livore ejus sanati sumus

De Epist. B. Pauli Apost. ad Romanos.

Lectio j. Cap. 5. et 6.

COMMENDAT charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est; multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim, cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius. Non solum autem, sed et gloriamur in Deo, per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Si enim unius delicto, mors regnavit per unum; multo magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum.

℟. Vinea mea electa, ego te plantavi, dicit Dominus, et tu facta es mihi nimis amara, * Quia parasti Crucem Salvatori tuo.

℣. Populo meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te responde mihi. Quia.

Lectio ij.

IGITUR, sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ: sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita et per unius obeditionem justi constituentur multi. Lex autem subintravit, ut abundaret delictum: ubi autem abundavit delictum superabundavit gratia, ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam, in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.

℟. Ego eduxi te de Ægypto, demerso Pharaone in mare rubrum, et ante te præivi in columna nubis; * Et tu me tradidisti Principibus Sacerdotum, et me duxisti ad Prætorium Pilati.

℣. Populo meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu.

Lectio iij.

QUID ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit: qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo: An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris: ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complanctati facti sumus similitudini mortis ejus; simul et resurrectionis erimus. Hoc scientes quia vetus homo noster si-

Digitized by Google

mul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam vivemus cum Christo.

℟. Ego propter te flagellavi Ægyptum cum primogenitis suis ;* Et tu me flagellatum tradidisti. * Qui tamquam Agnus coram tondente se obmutui, et non aperui os meum.

℣. Populo meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu. Gloria. Qui.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, et peribit nomen ejus?

Psalm. 40. Beatus qui intelligit super egenum, et pauperem, *p.* 43.

Ant. Alieni insurrexerunt in me, et fortes quæsierunt animam meam.

Psalm. 53. Deus in nomine tuo salvum me fac, 16.

Ant. Conculcaverunt me inimici mei tota die, adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

Psalm. 55. Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me, *p.* 50.

℣. Proprio Filio suo non pepercit Deus.

℟. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 41. *Domin. in Palmis de Passione Domini.*

Lectio iv.

ADMONET nos, Fratres charissimi, ad solemnitatem Dominicæ Passionis ipse Mundus, in quo eam nec muta elementa tacuerunt. Celebret eam lux fidei linguis hominum, quam conclamaverunt etiam silentia tenebrarum. Dominus noster in statera Crucis pretium nostræ salutis appendit, et una morte universum mundum, sicut omnium conditor, ita omnium Reparator absolvit. Indubitanter enim credamus, quod totum mundum redemit qui plus dedit, quam totus mundus valeret. Meritum enim redemptæ mercedis dignitas insignis pretii supergressa est. Inter redemptum, et redimentem dispensatio fuit, compensatio non fuit. Qui ergo non habebat peccata propria, digne delevit aliena. Solus hic pia victima pro omnibus cecidit, ut omnes levaret ; et quia debitum solus non habuit, recte fœnus misericordiæ pro debitoribus erogavit.

℟. Ego propter te Chananæorum Reges percussi, et dedi tibi sceptrum regale ; * Et tu dedisti capiti meo spineam coronam, et percussisti arundine caput meum.

℣. Populo meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu.

Lectio v.

PERPENDE inter hæc, qui talem pro nobis dedit pecuniam, qualem a nobis sit exacturus usuram. In hac itaque die fides propheticæ annuntiationis impleta est, ita dicentis: Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus, faciem meam non averti a fœditate sputorum. Suscepit mala nostra, ut tribueret bona sua. Hinc intelligamus, quantum hominem diligere dignatus sit ante culpam, quem sic diligit post ruinam. Agnosce, homo, quantum valeas, et quantum debeas, et dum tantam redemptionis tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudorem. Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, pro mendace veritas necatur, damnatur justitia pro iniquo, misericordia affligitur pro crudeli, pro misero repletur sinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo.

℟. Ego duxi te per desertum quadraginta annis, et manna cibavi te ; * Et tu me cæcidisti alapis, et flagellis.

Digitized by Google

℣. Populo meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu me.

Lectio vi.

EXPAVIT sceleus hominum natura rerum; et quem creatura rebellis non agnoscit, eum mundi Dominum tremens terra testatur, et Cœli Regem Sol fugiens confitetur. Clamyde coccinea induitur, quia sanguine Martyrum suorum Ecclesiæ corpus ornatur. Corona Spinea Capiti Ejus imponitur, quia punctio peccatorum nostrorum, quorum remissione Redemptoris gloria struitur, aridis tribulis comparatur. Studeamus nunc e diverso, ut membrorum vita Capitis sit corona. Quod vero sitire se in Cruce positus dicit, fidem incredulæ gentis concupiscit; sed contra acetum malitiæ porrigunt, quia vinum sapientiæ, quod a Deo acceperant, peccato corruperunt. Velum templi sciditur, quia Synagoga honore nudatur, observatio antiqua dissolvitur, Ecclesiæ unitas præmonstratur. Monumenta aperiuntur, quia mortis jura jure superantur.

℟. Ego exaltavi te magna virtute: * Et tu me suspendisti in patibulo Crucis, * In qua expandi manus meas ad Populum non credentem, et contradicentem.

℣. Populo meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu. Gloria. In qua.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Filii hominum dentes eorum arma, et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus.

Psalm. 56. Miserere mei, Deus, miserere mei, *p.* 51.

Ant. Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Psalm. 63. Exaudi Deus orationem meam cum deprecor, *p.* 53.

Ant. Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Psalm. 87. Domine Deus salutis meæ, 69.

℣. Factus est obediens usque ad mortem.

℟. Mortem autem Crucis.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura dixit: Sitio. Et reliqua.

Homil. S. Joannis Chrysostomi.

Hom. 84. *in cap.* 19. *Joannis. ante medium.*

SCIENS Jesus omnia consummata, ait: Sitio: etiam hoc verbo prophetiam implens. Tu autem adstantium pravitatem intellige; nam licet innumeros habeamus inimicos, qui nos gravissime persequuti sunt, cum tamen interimi eos videmus, flectimur misericordia. Hi vero nil moti, magis efferantur, et irrident, aceumque in spongia porrigunt, ut bibat tamquam reus. Nam propter hoc hyssopum additur, quo gustato, mortuus est. Vides quam non perturbate, et quam potenter omnia transigentem? Quod et prosequens ostendit; cum enim omnia consummata essent, inclinato capite, quod affixum non erat, tradidit spiritum, hoc est expiravit.

℟. Ego te potavi aqua salutis de petra: * Et tu me potasti felle, et aceto.

℣. Populo meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu.

Lectio viij.

ATQUI non post inclinatum Caput expiratur sed post expirationem Caput inclinatur. Hic autem contra accidit per quod ostendit eum Evangelistæ esse omnium Dominum. Judæi autem camelum devorantes, et culicem excolantes, tantum nefas ausi de die consultant: Quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in Cruce corpora Sabbato, rogaverunt Pilatum, ut frangerent eorum Crura. Vi-

Digitized by Google

des quanti sit veritas? Per ea, quæ illi faciunt prophetia impletur, alia enim ex hoc manifestata est. Venerunt ergo Milites, et aliorum fregerunt crura non Christi: sed ad Judæorum gratiam conciliandam Latus ejus lancea aperuerunt, et mortuo adhuc insultant. O pessimam voluntatem, ac scelestissimam!

℟. Ego ante te aperui mare: * Et tu aperuisti lancea Latus Salvatori tuo: * Qui redemit Mundum in sanguine suo.

℣. Populo meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu. Gloria. Qui.

Lectio ix.

NOLI tamen perturbari, dilectissime, quæ enim malo illi animo patraruut, veritati consentiebant. Prophetia hinc impleta est, inquiens: videbunt in quem transfixerunt; neque hoc tantum, sed non credituris fuit fidei argumentum, ut Thomæ, et qui cum eo erant. Ad hæc et arcanum mysterium consummatum est, exivit enim Sanguis, et Aqua, non casu, et simpliciter hi fontes scaturierunt; sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est. Sciunt hoc initiati; per aquam enim regenerati, Sanguine, et Carne nutriti, hinc mysteria ortum habent, ut quoties ad admirandum Calicem accedis, tamquam ab ipso Latere hauriens accedas.

Te Deum laudamus. 12.

Ad Laud. et per Horas Ant.

FUI flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliq. de Domin.* p. 13.

2. Veni ad montem myrrhæ, et ad Collem thuris; tamquam Agnus ad occisionem ductus, obmutui, et non aperui os meum.

3. Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.

4. Consolantem me quæsivi, et non inveni: Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

5. Cum accepisset Jesus acetum dixit: Consummatum est, et, inclinato Capite, emisit Spiritum.

Capit. Fratres, hoc enim sentite. *ut in Vesper.* p. 134*.

HYMNUS.

SÆVO dolorum turbine
Jactatur, atris obrutus
Pœnis, acerbæ sustinens
Redemptor affixus Cruci.

Pedes, manusque horribili
Clavi cruentant vulnere,
Cor, vultus, artus, pectora,
Sacro redundant sanguine.

Flet, orat, et clamans obit;
Cor Matris ictum concidit:
Heu Mater! Heu Fili! dolor
Ingrata frangat pectora.

Montes, sepulchra, saxaque,
Scinduntur; arva flumina,
Rupes, et æquor contremunt,
Templique velum scinditur.

Sol, luna, cœlum, sidera
Plangunt, et orbis ingemit;
O vos viri, vos parvuli,
Nuptæ, puellæ, plangite.

Adstate mœrentes Cruci:
Pedes beatos ungite:
Lavate fletu, tergite
Comis, et ore lambite.

Tu charitatis victima,
Ut nostra tollas crimina,
Nobis salubri perficis
Adoptionem Sanguine.

Nostra ergo pax, et gaudium
Sis vita Jesu, et præmium,
Sis ductor, et lux in via,
Merces, corona in Patria. Amen.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Et attritus est propter scelera nostra.

Ad Bened. Ant. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus Crura; sed unus Militum lancea Latus ejus aperuit, et continuo exivit Sanguis, et Aqua.

Digitized by Google

Oratio Omnipotens sempiterne Deus, *ut in I. Vesp.* p. 134*.

Ad Primam.

In ℟. *brev. dicitur* : ℣. Qui pro nobis pati dignatus es. *Et sic per totam Octavam etiam in festis.*

Ad Tertiam.

Capitul. Fratres hoc enim sentite in vobis, *ut supra.* p. 134*.

℟. *brev.* Oblatus est * Quia ipse voluit. Oblatus. ℣. Et livore ejus sanati sumus. Quia. Gloria. Oblatus.

℣. Proprio Filio suo non pepercit Deus.

℟. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Ad Sextam.

Cap. *Zac.* 13.

QUID sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet : his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.

℟. *brev.* Proprio Filio suo * Non pepercit Deus. Proprio. ℣. Sed pro nobis omnibus tradidit illum. Non. Gloria. Proprio.

℣. Factus est obediens usque ad mortem.

℟. Mortem autem Crucis.

Ad Nonam.

Capitul. *Isai* 53.

GENERATIONEM ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium : propter scelus populi mei percussi eum.

℟. *br.* Factus est obediens * Usque ad mortem. Factus. ℣. Mortem autem Crucis. Usque. Gloria. Factus.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Et attritus est propter scelera nostra.

In II. Vesp. omnia ut in primis, præter sequentia.

℟. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Et attritus est propter scelera nostra.

Ad Magnif. Ant. Deponens Joseph Corpus Jesu involvit Sindone, et posuit eum in monumento exciso; fuit planctus magnus in illa die, mulieres autem sedentes contra sepulchrum dolebant, sicut doleri solet in morte primogeniti.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, *ut supra* p. 134*.

Offic. per Octavam dicit. ut in die Festi, exceptis Lect. et Ant. ad Bened. et Magnif.

FERIA QUARTA

POST DOMINICAM SEXAGESIMÆ.

Secunda die infra Octavam.

IN I. NOCTURNO.

De Libro Sapientiæ.

Lectio j. Cap. 2.

DIXERUNT impii, cogitantes apud se non recte : Circumveniamus justum; quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, et Filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatæ sunt viæ ejus.

℟. Vinea mea electa, *p.* 135*.

Lectio ij.

TAMQUAM nugaces æstimati sumus ab illo, et abstinet se a viis nostris, tamquam ab immunditiis, et præfert novissima justorum, et gloriatur Patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermones illius veri sint, et tentemus quæ ventura sunt illi, et sciemus, quæ erunt novissima illius; si enim est verus Filius Dei suscipiet illum, et liberabit eum de manibus contrariorum.

℟. Ego eduxi te, *p.* 135*.

Digitized by Google

Lectio iij.

CONTUMELIIS, et tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, et probemus patientiam illius: morte turpissima condemnemus eum: erit enim ei respectus ex sermonibus illius. Hæc cogitaverunt, et erraverunt: excæcavit enim illos malitia eorum, et nescierunt Sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem Animarum Sanctarum.

℟. Ego propter te, *p.* 136*.

IN II. NOCTURNO

Sermo Sancti Maximi Episc.

Hom. 1. *de Pass. et Cruce Domini.*

Lectio iv.

SICUT Moyses exaltavit Serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis. Unde, si affixus Serpens ligno filiis Israel contulit sanitatem, quanto magis salutem præstat Populis Dominus in patibulo crucifixus; et si figura tantum profuit, quantum prodesse credimus veritatem? Serpens igitur primus crucifigitur. Recte plane, ut quia primus peccaverat Diabolus, primus Crucis sententia feriretur. In ligno enim crucifigitur, rationabiliter factum, ut quia homo in Paradiso per arborem concupiscentiæ, deceptus fuerat, nunc idem per arborem salvaretur: atque eadem materia, quæ causa mortis fuerat, esset remedium sanitatis.

℟. Ego propter te, *p.* 136*.

Lectio v.

DEINDE post Serpentem in Salvatore homo ipse crucifigitur, scilicet ut post auctorem puniatur et facinus. Per primam enim Crucem vindicatum est in Serpentem; per secundam in venena Serpentis. Hoc est, primum Auctor ipse punitur, deinde ejus malignitas condemnatur. Virus enim, quod persuasione sua in hominem transfuderat, nunc rejicitur, nunc curatur. Nam cum homo passioni addicitur, non morti traditur, sed mortis in eo facinus emendatur. Hoc enim egit Dominus per hominem, quem suscepit, ut dum innocens patitur prævaricationis illius diabolicæ in eo inobedientia corrigatur, et deinceps liber a culpa fieret, ac liber esset a morte.

℟. Ego duxi te, *p.* 136*.

Lectio vj.

HABENTES igitur Dominum Jesum, qui nos Passione sua liberavit, in ipsum aspiciamus semper, et ipsius signo speremus nostris vulneribus medicinam; hoc est si forte in nos venenum avaritiæ se diffundit, ipsum consideremus, et sanat; si scorpionis nos libido compungat, ipsum rogemus, et curat; si terrenarum cogitationum nos morsus lacerant, eumdem precemur, et vivimus. Hi enim sunt spirituales Serpentes, animarum nostrarum, propter quos conculcandos Dominus crucifixus est, de quibus ipse ait: Super Serpentes, et Scorpiones ambulabitis, et nihil vobis nocebunt.

℟. Ego exaltavi te, *p.* 137*.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij, Cap. 19.

IN illo tempore sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura dixit: Sitio. Et reliqua.

Homil. S. Ambrosii Episc.

Lib. 10. *in Evang. Luc. cap.* 23.

CURRENS unus spongiam implevit aceto, et dabat ei bibere, quod et bibit. Sic enim habes secundum Joannem: Cum ergo accepisset Jesus acetum; vinum vero cum felle mixtum non bibit. Sic enim habetur in Matthæo: Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum; et cum gustasset noluit bibere. Acetum itaque bibitur, vinum cum felle non bibitur: non quia fel, sed quia admixtæ vino amaritudines recusantur; nam amaritudines vitæ nostræ pro corporis

Digitized by Google

utique conditione suscepit. Denique ipse ait: Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto. Sinceritati namque non debuit amaritudo misceri, ut ostenderetur sine amaritudine immortalitas resurgentium futura: quæ quoniam in vase coacuerat humano, edulcatur in Christo. Ergo acetum bibitur, quod erat arundini impositum, hoc est vitium corruptæ per Adam immortalitatis absorbetur in calamo, ut de corpore aboleretur humano.

℟. Ego te potavi, *p.* 137*.

Lectio viij.

PATER, in manus tuas commendo Spiritum meum. Et bene commendatur Spiritus, qui servatur. Quod enim commendatur utique non amittitur. Bonum ergo pignus est Spiritus, bonum depositum custodi. Commendatur ergo Patri Spiritus, et ideo ait, quoniam non derelinques in inferno animam meam. Vide autem magnum Mysterium. Nunc commendat in manibus Patris Spiritum suum, nunc in Patris sinu sedet, quia totum alius non capit Christum. Denique ego, inquit, in Patre, et Pater in me. Commendatur ergo Patri Spiritus, sed cum sit in superioribus, illuminat et inferna, ut universa redimantur. Etenim Christus omnia, et in Christo omnia, licet in singulis operetur.

℟. Ego ante te, *p.* 138*.

Lectio ix.

DENIQUE secundum Ioannem: Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus Crura, sed unus Militum lancea Latus ejus aperuit. Quæro ergo, cur ante mortem non inveniamus esse percussum, post mortem inveniamus? Nisi forte ut voluntarius magis, quam necessarius exitus ejus fuisse doceatur, et ordinem mysticum noverimus, quia non ante Altaris Sacramenta, quam Baptismum, sed Baptismum ante, sic poculum. Deinde ut advertamus, quia licet Corporis ejus fuerit natura mortalis, licet qualitas similis, dissimilis tamen gratia. Nam utique post mortem sanguis in nostris corporibus congelascit; de illo vero inquit Joannes: Et continuo exivit Sanguis, et Aqua. Ex illo enim, incorrupto, licet Corpore, sed defuncto, omnium vita manabat. Aqua enim, et Sanguis exivit, illa quæ diluat, iste qui redimat. Bibamus ergo pretium nostrum ut bibendo redimamur.

Te Deum laudamus. *p.* 12.

Ad Bened. Ant. Pater mi, si non potest hic Calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

Ad Magnif. Ant. Traditor autem dedit eis signum, dicens: Quem osculatus fuero, ipse est: tenete eum, et ducite caute.

FERIA QUINTA

POST DOMINICAM SEXAG.

Tertia die infra Octavam.

IN I. NOCTURNO.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 53.

QUIS credidit auditui nostro? Et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti: Non est species ei, neque decor; et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus, et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus.

℟. Vinea mea electa, *p.* 135*.

Lectio ij.

OMNES nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam de-

Digitized by Google

clinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur: et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustia, et de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium; propter scelus Populi mei percussi eum; et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua; eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.

℣. Ego eduxi te, *p.* 133*.

Lectio iij.

ET Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit Anima ejus, videbit, et saturabitur; in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est; et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

℣. Ego propter te, *p.* 136*.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Petri Chrysologi.

Serm. 108 *ante medium.*

Lectio iv.

CHRISTUS, ait Apostolus, in hunc Mundum venit peccatores salvos facere, quorum primus ego sum, sed misericordiam sum consecutus, ad exemplum omnium, qui crediturí sunt illi in vitam æternam. Obsecro, inquit, vos per misericordiam Dei. Rogat Paulus, immo per Paulum rogat Deus, quia plus amari vult, quam timeri. Rogat Deus, quia non tam Dominus esse vult, quam Pater. Rogat Deus per misericordiam, ne vindicet per rigorem. Audi rogantem Dominum: tota die, inquit, expandi manus meas. Nonne qui expandit manus, ipso habitu rogat? Expandi manus meas. Ad quem? Ad populum. Et ad quem populum? Non tantum non credentem, sed et contradicentem, expandi manus meas.

℣. Ego propter te, *p.* 136*.

Lectio v.

DISTENDIT membra, dilatat viscera, pectus porrigit, offert sinum, gremium pandit, ut Patrem se tantæ obsecrationis demonstret affectu. Audi, et aliter rogantem Deum: Populo meus, quid feci tibi? aut quid contristavi te? Nonne dicit: Si Divinitas ignota est, vel caro sit nota? Videte, videte in me corpus vestrum, membra vestra, vestra viscera ossa vestra, vestrum sanguinem; et si quod Dei est timetis, quare vel quod vestrum est, non amatis? Si Dominum fugitis, quare non recurritis ad Parentem? Sed forte vos Passionis meæ, quam fecistis, magnitudo contundit? Nolite.

℣. Ego duxi te, *p.* 136*.

Lectio vj.

CRUX hæc non meus, sed mortis est aculeus. Clavi isti non mihi infigunt dolorem sed vestram mihi infigunt altius charitatem. Vulnera hæc non educunt gemitus meos, sed magis vos meis visceribus introducunt. Extensio Corporis mei dilatat in premium, non meam crescit in pœnam. Sanguis meus non mihi deperit, sed vestrum prorogatur in pretium. Venite ergo, redite, et vel sic probate Patrem, quem videtis pro malis bona, pro injuriis amorem, pro vulneribus tantis tantam reddere charitatem.

℣. Ego exaltavi te, *p.* 137*.

IN III. NOCTURNO

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: sciens Jesus quia omnia consummata sunt; ut con-

Digitized by Google

summaretur Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia S. Hilarii Episcopi

Comment. in Matth. c. 33. *in medio.*

CUM relinquitur Christus exclamat: dicens: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Sed relinquitur, quia erat homo etiam morte peragendus. Quin etiam hoc, quod per calamum datum in spongia, acetum cum gustasset, proclamans spiritum reddidit, diligenter est contuendum. Vinum honor est immortalitatis, et virtus, quod per vitium aut incuriæ, aut vasis acescit. Hoc igitur, cum in Adam coacuisset, ipse accepit, et potavit ex gentibus. In calamo enim, ex spongia ut potaret, offertur, id ex corporibus gentium vitia corruptæ æternitatis accepit, et in se, atque immortalitatis communione, ea, quæ in nobis erant vitiata, transfudit.

℟. Ego te potavi, *p.* 137*.

Lectio viij.

DENIQUE in Joanne postquam perpotaverat, dixit: Consummatum est, quia omne vitium humanæ corruptionis hausisset. Et quia nihil agendum esset extrinsecus, Spiritum cum clamore, et voce magna emisit, dolens non omnium se peccata portare, et deinceps Velum Templi scinditur quia exinde populus est divisus in partes, et Veli honor cum custodia Angeli protegentis aufertur.

℟. Ego ante te, *p* 138*.

Lectio ix.

MOVETUR terra; capax enim hujus mortui esse non poterat. Petræ scissæ sunt; omnia enim tum valida, et fortia penetraus Dei Verbum, et potestas æternæ virtutis irruperat. Et monumenta aperta sunt erant enim mortis claustra reseranda. Et multa corpora Sanctorum dormientium surrexerunt, illuminans enim mortis tenebras, et infernorum obscura collustraus, in Sanctorum ad præsens conspicatorum resurrectione mortis ipsius spolia detrahebat.

Te Deum.

Ad Bened. Ant. Ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum.

Ad Magnif. Ant. Unus assistens Ministrorum dedit alapam Jesu, dicens: Sic respondes Pontifici?

FERIA SEXTA

POST DOM. SEXAGESIMÆ.

Quarta die infra Octavam Dominicæ Passionis.

IN I. NOCTURNO.

De Jeremia Propheta.

Lectio j. Cap. 11.

QUID est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? num quid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es? Tu autem Domine, demonstrasti mihi, et cognovi; tunc ostendisti mihi studia eorum, et ego quasi Agnus mansuetus, quia cogitaverunt super me consilia dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius. Tu autem Domine Sabaoth, qui judicas juste, et probas renes, et corda, videam ultionem tuam ex eis; tibi enim revelavi causam meam. Propterea hæc dicit Dominus Exercituum. Ecce ego visitabo super eos. Juvenes morientur in gladio, filiæ eorum morientur in fame, et reliquiæ non erunt ex eis.

℟. Vinea mea electa, *p.* 136*.

Lectio ij. Cap. 17.

EXPECTATIO Israel, Domine; omnes, qui te derelinquunt, confundentur; recedentes a te in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. Sana me, Domine, et sanabor: salvum me fac, et salvus ero, quoniam laus mea tu es. Ecce ipsi dicunt ad me: ubi est Verbum Domini? Veniat, et ego non sum turbatus, te Pasto-

Digitized by Google

rem sequens, et diem hominis non desideravi, tu scis. Quod egressum est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit. Non sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis. Confundantur, qui me persequuntur, et non confundar ego; paveant illi, et non paveam ego; induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos.

℟. Ego eduxi te, *p.* 135*.

Lectio iij. Cap. 18.

QUIS audivit talia horribilia, quæ fecit nimis Virgo Israel? Quia oblitus est mei populus meus frustra libantes, et impingentes in viis suis, in semitis sæculi, ut ambularent per eas in itinere non trito, et dixerunt: Venite, et cogitemus contra Jeremiam cogitationes. Non enim peribit lex a Sacerdote, neque consilium a sapiente, nec sermo a Propheta. Venite, et percutiamus eum lingua, et non attendamus ad universos sermones ejus. Attende, Domine, ad me, et audi vocem adversariorum meorum. Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ? Recordare, quod steterim in conspectu tuo ut loquerer pro eis bonum, et averterem indignationem tuam ab eis. Tu autem, Domine, scis omne consilium eorum adversum me in mortem.

℟. Ego propter te, *p.* 136*.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Basilii Magni.

In Psalm. 48. *ad vers.* 8.

Lectio iv.

QUID tanti potest homo invenire, ut det pro redemptione animæ suæ? Sed unum inventum est pro omnibus simul hominibus sufficientissimum, quod in pretium redemptionis animæ nostræ datum est. Sanctus ille, ac pretiosus Sanguis Domini nostri Jesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit; quam ob rem pretio etiam empti sumus. Itaque si frater non redimit, redimet homo. Si vero redimere nos non potest homo, qui redimit nos, homo non est. Ne igitur propterea quod in similitudinem carnis peccati nobiscum diversatus est, hominem solum existimes Dominum nostrum, divinitatis potentiam ignorans; cui opus non erat Deo dare placationem suam, neque propriam redimere animam, quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.

℟. Ego propter te, *p.* 136*.

Lectio v.

NEMO igitur se ipsum redimere potest, nisi veniat, qui captivitatem Populi convertat, non cum pretiis, neque cum donis, sicut in Isaia scriptum est, sed in suo Sanguine. Hic autem, cum non essemus fratres, sed essemus inimici facti ob peccata; neque ipse homo nudus, sed Deus, post libertatem, quam nobis largitur, etiam nos fratres suos appellat. Narrabo enim, inquit, nomen tuum fratribus meis.

℟. Ego duxi te, *p.* 136*.

Lectio vi.

ITAQUE qui redimit nos, si naturam quidem ipsius perpendas, neque frater, neque homo est; si vero ipsius ad nos demissionem ex gratia factam, et nos fratres nominat, et ad humanitatem descendit, qui non dabit Deo placationem suam, sed totius mundi. Non enim indiget placatione, sed ipse propitiatio est; talis enim decebat, ut esset nobis Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi ignorantiis.

℟. Ego exaltavi te, *p.* 137*.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut con-

Digitized by Google

summaretur Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia Sancti Isidori Episcopi.

Lib. ad Florentiam Soror. cap. 39.

QUOD autem pendenti in Cruce acetum cum felle mixtum dederunt, hoc jam fuerat in psalmis prædictum a Domino. Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto; quod quidem et alias ad Jerusalem sic proclamat: Ego te plantavi vineam electam; quomodo facta es in amaritudinem vitis aliena? Deus enim bonam plantavit vineam, hoc est Judæorum gentem; illa vero vitio suo depravata Conditorem amaritudine potavit. Pro qua et Moyses, uva, inquit, eorum, uva fellis, et botri amarissimi. Unde et superius objurgans eos dicit: Sic plebs fatua, et non sapiens hæc Domino retribuisti?

℣. Ego te potavi, *p.* 137*.

Lectio viii. Cap. 47.

LANCEA Latus ejus percussum est. Sic prænuntiatum est ab ipso per Job: Confregit me, et posuit me quasi in signum, circumdedit me, lanceis suis, convulneravit lumbos meos, concidit me vulnere super vulnus, idest vulnere lanceæ super vulnus clavorum; unde etiam et per David: Super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Sic est ab eo prænuntiatum et per Jeremiam: Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam; misit in renibus meis filias pharetræ suæ. Et iterum de ipso Populo, sic ait idem Dominus per Prophetam: Facti sunt mihi in sagittam reciprocam; et Zacharias: Viderunt, in quem confixerunt, utique hominem, quem crucifixerunt. Quo etiam testimonio promissus est Christus in ea, qua crucifixus est, carne venturus.

℣. Ego ante te, *p.* 138*.

Lectio ix. Cap. 47.

EX latere ejus sanguis, et Aqua manavit. Zacharias dicit: Tu quoque in Sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Et iterum: Cum egredietur Vir ab Oriente, ecce aquæ redundantes a latere dextero, scilicet Christi. Item de eadem Aqua, quæ ex Latere ejus profluit, Propheta alius sic dicit: Flumina aquæ viventis egredientur de ventre illius, aquæ scilicet Baptismatis, quæ credentes vivificant, et quæ sitientibus largiuntur, quando impletur, quod scriptum est: Lavamini, mundi estote, et: Lavabis me, et super nivem dealbabor.

Te Deum. 12.

Ad Bened. Ant. Veniebant milites ad Jesum, et dicebant: Ave, Rex Judæorum, et dabant ei alapas.

Ad Magnif. Ant. Exivit Jesus portans Coronam Spineam, et purpureum vestimentum; quem cum vidissent Pontifices, et Ministri eorum, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum.

SABBATO

POST DOM. SEXAGESIMÆ.

Quinta die infra Octavam Dominicæ Passionis.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones. De Daniele Propheta *ut in Festo* S. Gabrielis Arch. 18. *Martii, in append. ejusd. mens.*

Responsoria ut in I. noct. diei festi. p. 135*.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro Moralium S. Gregorii Papæ.

Lib. 22. *in Job cap.* 16.

Lectio iv.

REDEMPTOR noster, quia Herodem vidit non perfectum quærere, sed signa, vel scientiam velle mirari, requisitus ab eo tacuit; et quia constanter tacuit, ab eo irrisus exivit. Scriptum namque est: Herodes autem, viso Jesu, gavisus est valde, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audiret multa de illo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Ubi sub-

Digitized by Google

ditur : Interrogabat autem illum multis sermonibus, at ipse illi nihil respondebat. Tacens vero Dominus, quam sit despectus ostenditur, cum illud protinus subinfertur ; Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illusit. Quod videlicet factum oportet nos audientes discere, ut quoties auditores nostri nostra volunt quasi laudanda cognoscere, non autem sua perversa mutare, omnino taceamus, ne si ostentationis studio Verbum Dei loquimur, et illorum culpa, quæ erat, esse non desinat, et nostra, quæ non erat fiat.

℣. Ego propter te, *p.* 136*.

Lectio v. Lib. ut sup. cap. 17.

REQUISITUS Jesus etiam a Pilato tacuit, atque inter persecutorum manus, et corpus passioni obtulit, quod pro electis assumpserat, et resistentibus noluit demonstrare, quod erat. Unde etiam per Psalmistam dicitur: posuerunt me in abominationem sibi ; traditus sum, et non egrediebar. Cum enim despiceretur, quia homo videbatur, egressus esset, si occultam majestatem suam ostentare voluisset. Sed quia infirmitatem prodidit, potentiam abscondit ; in eo quod persequutoribus suis incognitus mansit, ad eos minime exivit. Qui tamen ad electos exit, quia Divinitatis suæ suavitatem quærentibus aperuit. Unde ei per Prophetam dicitur : Existi in salutem Populi tui, ut salvos facias Christos tuos.

℣. Ego duxi te, *p.* 136*.

Lectio vj.

Idem lib. 3. *Moral. cap.* 11

MEMBRUM Satanæ Pilatus extitit, qui usque ad mortis extrema venientem in Redemptionem nostram Dominum non cognovit. Corpus autem ejus Principes Sacerdotum extiterunt qui Redemptorem mundi a Mundo repellere usque ad Crucem persequendo conati sunt. Cum ergo se pro nostra Redemptione Dominus membrorum Satanæ manibus tradidit, quid aliud, quam ejusdem Satanæ manum in se sævire permisit ? ut unde ipse exterius occumberet, inde nos exterius, interiusque liberaret. Si igitur Satanæ manus ejus potestas accipitur, ejus manum juxta carnem pertulit, cujus potestatem corporis usque ad sputa, colaphos, flagella, Crucem, lanceamque toleravit. Unde et Pilato, ejus videlicet corporis membro, ad Passionem veniens dicit : Non haberes in me potestatem ullam, nisi tibi data esset desuper.

℣. Ego exaltavi te, *p.* 137*.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore : sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit : Sitio. Et reliqua.

Homilia Sancti Hieronymi Presbiteri.

Ex Commen. in Matth. lib. 4. *Cap.* 27.

CIRCA horam Nonam clamavit Jesus voce magna: Eli, Eli, lamma sabacthàni: hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? Principio vigesimi primi Psalmi usus est ; illudque, quod in medio versiculo legitur, Respice in me, superfluum est. Legitur enim in Hebræo: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti ? Ergo impii sunt, qui Psalmum istum ex persona David, sive Esther, et Mardochæi dictum putant ? cum etiam Evangelistæ testimonia ex eo sumpta super Salvatorem intelligant, ut est illud : Diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem. Et aliud : Foderunt Manus meas, et Pedes meos. Ne mireris verborum humilitatem, et querimonias derelicti, cum formam servi accipiens scandalum Crucis videas. Quidam autem illic stantes, et audientes dicebant : Eliam vocat iste.

℣. Ego te potavi, *p.* 137*.

Digitized by Google

Lectio viij.

ET continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere. Et hæc facta sunt, ut compleretur Prophetia: In siti mea potaverunt me aceto. Usque hodie Judæi, et omnes increduli Dominicæ Resurrectionis aceto, et felle potant Jesum, et dant ei Vinum myrrhatum, ut eum consopiant, et mala eorum non videat. Jesus autem iterum clamans voce magna emisit Spiritum. Divinæ potestatis indicium est emittere Spiritum, ut ipse quoque dixerat: Nemo potest tollere Animam meam a me, sed ego pono eam a me ipso, et rursum accipiam eam.

℣. Ego ante te, *p.* 138*.

Lectio ix.

ET ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum. Velum templi scissum est, et omnia legis sacramenta, quæ prius tegebantur, prodita sunt, atque ad gentium Populum transierunt. In Evangelio, cujus sæpe facimus mentionem, superlimiuare templi infinitæ magnitudinis fractum esse, atque divisum legimus. Josephus quoque refert, Virtutes Angelicas præsides quondam templi tunc pariter conclamasse: Transeamus ex his sedibus. Et terra mota est, et petræ scissæ sunt. Nulli dubium est, quid significet juxta litteram magnitudo signorum, ut Crucifixum Dominum suum et Cœlum, et Terra, et omnia demonstrarent. Sed mihi videtur, terræmotus, et reliqua typum ferre credentium, quod pristinis errorum vitiis derelictis, et cordis emollita duritie, qui prius similes erant tumulis mortuorum, postea agnoverint Creatorem.

Te Deum laudamus. p. 12.

Ad Bened. Ant. Bajulans Jesus sibi Crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, ubi crucifixerunt eum, et cum eo latrones duos, unum a dextris, et alterum a sinistris.

Ad Magnif. Ant. Ait latro ad latronem: Nos quidem digna factis recipimus, hic autem quid fecit? Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.

DOM. IN QUINQUAG.

Sexta die infra Octavam Dominicæ Passionis.

Officium fit de Dominica cum commem. Oct. in Laudibus, et Vesperis, ut infra.

Pro commemoratione Dominicæ Passionis.

Ad Bened. Ant. Jesus autem dicebat: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.

Ad Magnif. Ant. Cum vidisset Jesus matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce Mater tua.

FERIA SECUNDA.

POST DOM. QUINQUAG.

Septima die infra Octavam Dominicæ Passionis.

IN I. NOCTURNO.

De Zacharia Propheta.

Lectio j. Cap. 3.

ET contestabatur Angelus Domini Jesum dicens: Hæc dicit Dominus Exercituum: Si in viis meis ambulaveris, et custodiam meam custodieris, tu quoque judicabis domum meam, et custodies atria mea, et dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hic assistunt. Audi, Jesu Sacerdos magne, tu, et amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt. Ecce enim ego adducam servum meum Orientem. Quia ecce lapis, quem dedi coram Jesu; super lapidem unum septem oculi sunt. Ecce ego cælabo sculpturam ejus, ait Dominus Exercituum, et auferam iniquitatem terræ illius in die una.

℣. Vinea mea, *p.* 135*.

Lectio ij. Cap. 12.

IN die illa proteget Dominus habitatores Jerusalem, et erit, qui

Digitized by Google

offenderit ex eis in die illa, quasi David, et Domus David quasi Dei, sicut Angelus Domini in conspectu eorum. Et erit in die illa : quæram conterere omnes gentes, quæ veniunt contra Jerusalem. Et effundam super Domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ, et precum, et aspicient ad me, quem confixerunt, et plangent eum planctu, quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem.

℟. Ego eduxi te, *p.* 135*.

Lectio iij. Cap. 13.

IN die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris, et menstruatæ. Et erit in die illa, dicit Dominus Exercituum, disperdam nomina Idolorum de terra, et non memorabuntur ultra ; et pseudoprophetas, et spiritum immundum auferam de terra. Et dicetur ei : Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum ? Et dicet : His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Framea suscitare super Pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus Exercituum. Percute Pastorem, et dispergentur oves, et convertam manum meam ad parvulos.

℟. Ego propter te flagellavi, *p.* 136*.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Bernardi Abb.

Fer. 4. hebd. sanct. de Pass. Dom.

Lectio iv.

IN Passione Dominica, Fratres, tria specialiter convenit intueri ; opus, modum, causam. Nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in causa charitas commendatur. Patientia autem singularis, quod videlicet cum supra dorsum ejus fabricarent peccatores, cum sic extenderetur in ligno, ut dinumerarentur omnia ossa ejus, cum fortissimum illud propugnaculum, quod custodit Israel, undique foraretur, cum foderentur manus ejus et pedes, sicut Agnus ad occisionem ductus sit, et tamquam ovis coram tondente non aperuit os suum ; non adversum Patrem murmurans, a quo missus fuerat ; non adversus humanum genus, pro quo, quæ non rapuit, exolvebat ; non denique, vel contra Populum ipsum peculiarem sibi, a quo pro tantis beneficiis tanta mala recipiebat.

℟. Ego propter te, Chananeor. 136*.

Lectio v.

MODUM ipsum, si diligenter attendas, non modo mitem, sed et humilem corde cognosces. Namque in humilitate judicium ejus sublatum est, cum nec ad tantas blasphemias, nec ad falsissima, quæ sibi objiciebantur, crimina responderet. Vidimus, inquit, eum, et non erat ei aspectus, nec speciosum forma præ filiis hominum, sed opprobrium hominum, et tamquam leprosum, novissimum virorum, plane virum dolorum, a Deo percussum, et humiliatum ; ita ut nulla esset ei species, neque decor. O novissimum, et altissimum ! O humilem, et sublimem ! O opprobrium hominum, et gloriam Angelorum ! Nemo illo sublimior, nemo humilior. Denique sputis illitus est, opprobriis saturatus est, morte turpissima condemnatus est, cum scleratis reputatus est. Nihil ne merebitur vel ista humilitas, quæ hunc habet modum, imo quæ tam est ultra modum ? Sicuti est patientia singularis, sic et humilitas admirabilis, utraque sine exemplo.

℟. Ego duxi te, *p.* 136*.

Lectio vj.

UTRAMQUE tamen magnifice causa ipsa commendat, nimirum charitas est. Propter nimiam quidem charitatem suam, qua dilexit nos Deus, ut servum redimeret, nec Pater Filio, nec sibi Filius ipse pepercit. Vere nimiam, quia et mensuram excedit, modum superat, plane supereminens universis. Majorem, inquit, charitatem nemo habet, quam

Digitized

ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Tu majorem habuisti, Domine, ponens eam etiam pro inimicis. Cum enim adhuc inimici essemus, per mortem tuam, et Tibi reconciliati sumus, et Patri. Quænam alia videbitur esse, vel fuisse, vel fore huic similis charitati? Vix pro justo quis moritur. Tu pro injustis passus es, moriens propter delicta nostra, qui venisti justificare gratis peccatores, servos facere fratres, captivos cohæredes, exules Reges.

℟. Ego exaltavi te, *p.* 137*.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evang. secundum Joannem.

Lectio viij. Cap. 19.

IN illo tempore: sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur, Scriptura dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia Sancti Cyrilli Episcopi Alexandrini.

Comment. in Joan. lib. 12. *c.* 35.

QUUM truculenter omnia impietate Judæorum essent peracta, nec quidquam ad summam crudelitatem deesset, tandem sanctissima Caro Christi naturale quid patitur. Multis enim, ac variis doloribus exiccata siti torquetur. Multum enim possunt dolores ad commovendam sitim. Innatum enim calorem exagitantes, vel quod in profunditate humidum est consumunt, et igneis ardoribus dolentis viscera urunt. Sicut igitur cæteras passiones, sic hanc etiam sponte Christus perpessus est. Bibere igitur petit. Illi autem adeo longe ab omni humanitate aberant, ut pro juvante potu, atque jucundo, nocentem, et acerbum attulerint, et humanitatem, qua moveri videbantur, in impietatem converterent. Nam quum petenti dabant, charitatis habitum suscipere videbantur, sed non est possibile, mentiri Scripturam, in qua ex persona Christi dicitur: Et dederunt, in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

℟. Ego te potavi, *p.* 137*.

Lectio viij. *idem* Cap. 36.

QUUM ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est: et inclinato Capite, tradidit Spiritum. Consummatum jam esse Salvator dicit, quia sæviendi Judæorum potestas in ipsum per mortem suam terminum habuit. Quid enim non excogitarunt, aut quid supremæ inhumanitatis, relictum sibi est? Quis cædendi, quis contumeliandi modus non adhibitus? Merito igitur consummatum esse ait: cumque tempus jam esset, ut etiam spiritibus apud inferos prædicaret (venit enim, ut tam vivorum, quam mortuorum dominaretur) mortem pro nobis suscepit: et hanc naturæ nostræ propriam passionem sponte subiit secundum carnem, quamvis, ut Deus vita naturaliter sit, ut spoliatis inferis, primitiæ dormientium et primogenitus (ut Scripturæ dicunt) mortuorum factus recursum ad vitam naturæ nostræ largiretur.

℟. Ego ante te, *p.* 138*.

Lectio ix.

INCLINAVIT igitur Caput; accidit enim morientibus, vigore carnis jam consumpto, et anima, quæ corpus retinet, abeunte, inclinatio capitis. Quamobrem verbis hoc modo abusus Evangelista est. Sic et tradidisse Spiritum a consuetudine nostra sibi dictum est; multi enim sic extingui, et mori dicuntur; quamvis mihi videatur ideo non simpliciter mortuum esse, sed tradidisse Spiritum Evangelistam dixisse, quia in manus Dei Patris, Animam suam commendavit; ut ipse dixit, Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum Quod nobis magnæ spei fundamentum, atque originem præbet.

Te Deum laudamus. 12.

Ad Bened. Ant. Clamans voce magna Jesus ait: Pater, in manus tuas

Digitized by Google

commendo Spiritum meum; et hæc dicens expiravit.

In primis Vesp. Octavæ omnia dicuntur, ut in primis Vesp. Festi, excepta Orat. quæ dic. ut sequitur.

Oratio.

EFFUNDE super nos, quæsumus Omnipotens Deus, spiritum gratiæ, et precum, ut Unigeniti Filii tui Passionem pio devotionis affectu jugiter recolere, et in populi tui corde monitis, et exemplo imprimere valeamus. Per eundem Dominum nostrum.

FERIA TERTIA

POST DOM. QUINQUAGESIMÆ.

In Octava Dominicæ Passionis.
Duplex.

Omnia dicuntur, ut in die Festi, exceptis Lectionibus, quæ sequuntur.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epistola prima B. Petri Apostoli.

Lectio j. Cap. 1.

PETRUS Apostolus Jesu Christi electis Advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, et Bythiniæ secundum præscientiam Dei Patris in sanctificationem spiritus, in obedientiam, et aspersionem Sanguinis Jesu Christi; gratia vobis, et pax multiplicetur. Scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso Sanguine, quasi Agni immaculati Christi, et incontaminati; præcogniti quidem ante Mundi constitutionem; manifestati autem novissimis temporibus propter vos, qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitavit eum a mortuis, et dedit ei gloriam, ut fides vestra, et spes esset in Deo.

℟. Vinea mea electa, *p.* 135*.

Lectio ii Cap. 2.

IN hoc enim vocati estis, quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste; qui peccata nostra ipse pertulit in Corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus; cujus livore sanati estis. Eratis enim, sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem, et Episcopum animarum vestrarum.

℟. Ego eduxi te, *p.* 135*.

Lectio iii. Cap. 3. *vers.* 18.

CHRISTUS semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo et his, qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, quum fabricaretur Arca, in qua pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. Quod et vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi, qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur.

℟. Ego propter te flagellavi, *p.* 136*.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Leonis Papæ.

Sermo 4. de Pass. Domini post med.

Lectio iv.

EXALTATO, Dilectissimi, per Crucem Christo, non illa tantum species aspectui mentis occurrat, quæ fuit in oculis impiorum, quibus per Moysen dictum est: Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, et timebis die, ac nocte, et non credes vitæ tuæ. Isti enim nihil in Crucifixo Domino, præter facinus suum, cogitare potuerunt, habentes timorem, non quo fides vera justificatur, sed quo conscientia iniqua torquetur. Noster

Digitized by Google

tero intellectus, quem spiritus veritatis illuminat, gloriam Crucis cœlo, terraque radiantem, puro, ac libero corde suscipiat, et interiori acie videat, quale sit, quod Dominus, cum de Passionis suæ loqueretur instantia, dixit: Nunc Judicium mundi est; nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras, et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.

℟. Ego propter te Chananeor. 136*.

Lectio v.

O admirabilis potentia Crucis! O ineffabilis gloria Passionis, in qua et tribunal Domini, et judicium Mundi, et potestas est Crucifixi! Traxisti enim, Domine, omnia ad te, et cum expandisses tota die manus tuas ad Populum non credentem, et contradicentem tibi, confitendæ majestatis tuæ sensum totus mundus accepit. Traxisti, Domine, omnia ad te cum in execrationem Judaici sceleris, unam protulerunt omnia elementa sententiam; cum, obscuratis luminaribus Cœli, et converso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis, universaque creatura impiorum usui se negaret. Traxisti, Domine, omnia ad te, quoniam scisso Templi velo, Sancta Sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt, ut figura in veritatem, Prophetia in manifestationem, et lex in Evangelium verteretur.

℟. Ego duxi te, *p.* 136*.

Lectio vi.

TRAXISTI, Domine, omnia ad te, ut quod in uno Judææ templo, obumbratis significationibus tegebatur, pleno, apertoque Sacramento, universarum ubique nationum devotio celebraret. Nunc etenim et ordo clarior Levitarum, et dignitas amplior Seniorum, et sacratior est unctio Sacerdotum, quia Crux tua omnium fons benedictionum, omnium est caussa gratiarum; per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. Nunc etiam, carnalium Sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una Corporis, et Sanguinis tui implet oblatio; quoniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi; et ita in te universa perficis mysteria, ut sicut unum est pro omni victima Sacrificium, ita unum de omni gente sit regnum.

℟. Ego exaltavi te, *p.* 137*.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vii. Cap. 19.

IN illo tempore: sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia Ven. Bedæ Presbyteri.

Lib. 6. *in Evang. Luc. cap.* 23. *in medio.*

PATREM invocando Filium Dei se esse Christus declarat. Spiritum vero commendando non defectum suæ virtutis, sed confidentiam ejusdem cum Patre potestatis insinuat. Amat enim dare gloriam Patri, ut nos ædificet dare gloriam Creatori. Commendat itaque Patri Spiritum juxta hoc, quod delectato corde, et exultantibus spe resurgendi labiis in alio psalmo loquitur: Quoniam non derelinques Animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

℟. Ego potavi, *p.* 137*.

Lectio viii.

QUIA ergo sexta die homo factus, et tota Mundi est Creatura perfecta, septima autem Conditor ab opere suo requievit, unde et hanc Sabbatum, idest requiem vocari præcepit; recte Dominus eadem die sexta crucifixus humanæ reparationis implevit arcanum. Unde cum accepisset acetum, dixit: Consummatum est, id est sexti diei, quod pro mundi refectione suscepi, totum est opus perfectum. Sabbato autem in sepulchro requiescens, resurrectionis, quæ octava die ventura erat, expectabat eventum.

Digitized by Google

℟. Ego ante te, *p.* 138*.

Lectio ix.

UBI nostræ simul devotionis præ-lucet exemplum, quos in hac quidem sexta Mundi ætate pro Domino pati, et velut Mundo crucifigi necesse est. In septima vero ætate, id est, cum lethi quis debitum solvit, corpora quidem in tumulis, animas autem secreta in pace cum Domino manere, et post bona oportet opera quiescere, donec octava tandem veniente ætate, etiam corpora ipsa resurrectione glorificata cum animabus simul incorruptionem æternæ hæreditatis accipiant.

Te Deum laudamus. *Reliq. ut in Festo. p.* 138*.

FEB. VI. POST CINERES.

SACRATISS. CORONÆ SPINARUM D. N. JESU CHRISTI

Duplex. Majus.

Ad Vesp. Ant. Milites Præsidis; *cum reliquis de Laudibus, ut infra.*

Psalm. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica* 86. *et loco ultimi.* Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum. Cant. 3.

EGREDIMINI, et Videte Filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus.

In utrisque Vesperis.

Hymnus. Vexilla Regis prodeunt, *p.* 294.

℣. Tuam Coronam Spineam adoramus, Domine. ℟. Tuam gloriosam recolimus Passionem.

Ad Magnif. Ant. Apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et Milites plectentes Coronam de Spinis imposuerunt Capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in memoriam Passionis Domini Nostri Jesu Christi, Coronam ejus Spineam veneramur in terris, ab ipso gloria, et honore coronari mereamur in Cœlis. Qui tecum.

Fit commem. Feriæ.

Ad Matut. Invit. Summum Regem Gloriæ Christum pro nobis Spinis coronatum * Venite adoremus.

Psalm. Venite exultemus. I.

Hymnus. Pange, lingua, gloriosi. *p.* 293.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Maledicta terra in opere tuo: spinas, et tribulos germinabit tibi.

Psalm. I. et II. Noct. ut in comm. unius Martyr. p. 14*.

2. Ait Jesus Discipulis suis: Filius hominis tradetur, et damnabunt eum morte, et illudent ei, et conspuent eum.

3. Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram: ibi morieris, et ibi erit currus gloriæ tuæ.

℣. Tuam Coronam spineam adoramus, Domine. ℟. Tuam gloriosam recolimus Passionem.

De Isaia Propheta.

Lectio i. Cap. 53.

QUIS credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum; despectum, et novissimum virorum: virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus, et despectus; unde nec reputavimus eum.

℟. Ecce vidimus eum non habentem speciem neque decorem; aspectus ejus in eo non est, hic peccata nostra portavit, et pro nobis dolet. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras: * Cujus livore sanati sumus. ℣. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Cujus.

Digitized by Google

Lectio ij.

VERE languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum; et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit; et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.

℟. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? * Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. ℣. Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi. Et dicet.

De Zacharia Propheta.

Lectio iij. Cap. 12. et 13.

ET erit in die illa; quæram conterere omnes gentes, quæ veniunt contra Jerusalem. Et effundam super Domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ, et precum; et aspicient ad me, quem confixerunt, et plangent eum planctu quasi super unigenitum; et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem; et dicetur ei; Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus Exercituum: percute pastorem, et dispergentur oves; et convertam manum meam ad Parvulos.

℟. Tuam Coronam Spineam veneramur, Domine, tuam gloriosam recolimus passionem. * Miserere nobis, qui passus es pro nobis. ℣. Salva præsentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam. Miserere. Gloria. Miserere.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. 1. Pro frumento ortus est mihi tribulus; et pro hordeo Spina.

2. Egredimini, et videte, Filiæ Sion, Dominum Jesum Christum in diademate, quo coronavit illum Synagoga mater sua.

3. Vidimus eum, et non erat aspectus, et quasi absconditus vultus ejus: unde nec reputavimus eum.

℣. Eripe me de inimicis meis, Deus meus.

℟. Et ab insurgentibus in me libera me.

De Homilia S. Athanasii Episcopi. *In Passione Domini. Tom.* 3.

Lectio iv.

CUM exueretur Dominus, eo ipso invisibiliter erigebatur de Diabolo trophæum; et quo illud manifestum fieret, narratur a Joanne, indutum fuisse purpura, a Matthæo vero et Marco, clamyde coccinea, coronamque illi ex Spinis super caput esse positam, et calamum in manus datum; et ita cum eum produxissent, genibus flexis adorasse. Miraculum novum, et incredibile, et magnæ sine dubio victoriæ insigne: quem enim ut hominem condemnaverunt, eum mortuum deinde ut Deum adoraverunt: et quem aspernabantur ut vilem, et contemptibilem, eum confitebantur Regem: cui tunicam, et vestem detraxerant, eum purpura circumdederunt: et quem ignorantes contumeliis afficiebant, eum Prophetam etiam nolentes appellaverunt: et quem per ludibrium, subsannationemque pulsabant, ei triumphalia addiderunt ornamenta, coccineam clamydem, et Coronam Spineam, et calamum. Nam tametsi ea quasi per contumeliam agebant, efficiebatur tamen inde, ut ab eo latenter spoliarentur.

℟. Insurrexerunt in me viri iniqui; absque misericordia quæsierunt me interficere; et non pepercerunt in faciem meam spuere; et lanceis suis vulneraverunt me; et concussa sunt

Digitized by Google

omnia ossa mea. * Ego autem existimabam me tamquam mortuum super terram. ℣. Effuderunt furorem suum in me, fremuerunt contra me dentibus suis. Ego autem.

Sermo S. Ambrosii Episcopi.

Sermo 72. *de S. Cypriano, alias* 18. *vel* 58. *vel* 63.

Lectio v.

VIDEAMUS diligenter, ne ex palmite operis nostri non nascatur dulcedinis uva, sed fellis; ne dicatur nobis, quod Judæis dictum est per Prophetam: Sustinui, ut faceret uvam, fecit autem Spinas, et non justitiam, sed clamorem. Quam dura conditio, ut possessio, quæ Domino suo suavitatis fructus afferre debuit, spinarum illum asperitate compunxerit: hoc est, cum Judæi Salvatorem debuerunt tota fidei devotione suscipere, Spinarum eum coronaverunt passione. Quæ Corona quidem, quantum in Judæis est, erat injuriarum contumelia, quantum in Domino, erat Corona virtutum. Compungunt ergo Judæi Dominum, dum coronant; compungunt, dum crucifigunt. Unde ait Scriptura Sancta: Videbunt in quem compunxerunt.

℟. Omnes amici mei dereliquerunt me, et prævaluerunt insidiantes mihi, tradidit me, quem diligebam. *Et terribilibus oculis plaga crudeli percutientes, subsannabant mihi. ℣. Inter iniquos projecerunt me, et non pepercerunt Animæ meæ. Et terribilibus.

Lectio vj.

IGITUR, fratres, videte, ne et nobis dicatur: Sustinui, ut faceret uvam, fecit autem Spinas: hoc est, ne Spinas, quas Domino Judæi cruentis imposuerunt manibus, nos iniquis sensibus apponamus, et compungamus eum non asperitate sensuum, sed operum pravitate. Sunt enim Spinæ cordis, quæ Verbum Dei etiam vulnerare consueverunt, de quibus meminit in Evangelio Salvator dicens: Seminantis semen cecidisse inter Spinas, et crevisse eas, ac suffocasse quod satum est. Ergo, fratres, videte ne vinea vestra non uvas, sed Spinas faciat; ne vindemia vestra non vinum afferat, sed acetum. Quisquis enim vindemiam legit, et pauperibus non largitur, ille acetum colligit, non vinum. Quisquis messes recondit, et indigentibus non ministrat, iste non alimoniæ fructus reposuit, sed tribulos avaritiæ congregavit. Nam propterea ait Scriptura de terra nostra: Spinas et tribulos germinabit tibi.

℟. Vinea mea electa ego te plantavi: * Quomodo conversa es in amaritudinem, ut me Spinis coronares? ℣. Sepivi te et lapides elegi ex te, et ædificavi turrim. Quomodo. Gloria. Quomodo.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. Gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumna mea, dum configitur Spina.

Psalmi. Cantate Domino. Dominus regnavit. Cantate Domino *ut in III. Noct. com. Virg.* p. 67*.

2. Christus Jesus splendor Patris, et figura substantiæ ejus portans omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, Spinis coronatus apparere dignatus est.

3. Populo meus quid feci tibi, aut quid molestus fui? responde mihi. Tu imposuisti Coronam Spineam Capiti meo, et arundine percussisti. ℣. Deus meus eripe me de manu peccatoris. ℟. Et de manu contra legem agentis, et iniqui.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit: et milites plectentes Coronam de Spinis imposuerunt Capiti ejus. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 116. *in Joan.*

HOC Pilatus non ob aliud fecisse credendus est, nisi ut ejus in-

Digitized by Google

juriis Judæi satiati, sufficere sibi existimarent; et usque ad ejus mortem sævire desisterent. Ad hoc pertinet, quod idem Præses cohortem suam etiam permisit facere, quæ sequuntur, aut fortassis et jussit; quamvis hoc Evangelista tacuerit: dixit enim quid deinde fecerint milites, Pilatum tamen id jussisse non dixit; et milites, inquit, plectentes Coronam de Spinis imposuerunt Capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum, et veniebant ad eum, et dicebant: Ave Rex Judæorum; et dabant ei alapas. Sic implebantur quæ de se prædixerat Christus.

℟. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. * Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. ℣. Qui cum maledicerétur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur. Qui peccatum.

Lectio viij.

SIC Martyres informabantur ad omnia, quæ persecutori libuisset facere, perferenda; sic paulisper occulta tremenda potentia commendabatur prius imitanda patientia; sic regnum, quod de hoc mundo non erat, superbum mundum non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate vincebat; sic illud granum multiplicandum seminabatur horribili contumelia, ut mirabile pullularet in gloria. Exiit ergo Jesus portans Coronam Spineam, et purpureum vestimentum et dicit eis Pilatus: Ecce Homo. Hic apparet, non ignorante Pilato, hæc a militibus facta, sive jusserit ea, sive permiserit; illa scilicet causa, quam supra diximus, ut hæc ejus ludibria inimici libentissime biberent, et ulterius Sanguinem non sitirent. Egreditur ad eos Jesus portans Spineam Coronam, et purpureum vestimentum, non clarus imperio, sed plenus opprobrio, et dicit eis: Ecce Homo. Si regi invidetis, jam parcite, quia dejectum videtis. Flagellatus est, Spinis coronatus, ludibriosa veste amictus est, amaris conviciis illusus est, alapis cæsus est; fervet ignominia, frigescat invidia: sed non frigescit, inardescit potius, et increscit.

℟. Milites Præsidis suscipientes Jesum in Prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem, et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei; * Et plectentes Coronam de Spinis posuerunt super Caput ejus. ℣. Genuflexo ante eum, illudebant ei dicentes: Ave, Rex Judæorum. Et plectentes. Gloria. Et.

Nona lectio erit Homil. fer., et in fine dicitur. Te Deum *p.* 12.

Ad Laudes

et per Horas, Antiph.

1. Milites Præsidis suscipientes Jesum in Prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem.

Psal. Dominus regnavit *cum reliq. de Dom.* 13.

2. Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.

3. Et plectentes Coronam de Spinis posuerunt super Caput ejus, et arundinem in dextera ejus.

4. Et genuflexo ante eum, illudebant ei dicentes: Ave Rex Judæorum.

5. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant Caput ejus.

Cap. Egredimini *ut in Vesp.* p. 152*.

Hymnus. Lustra sex qui jam peregit. 298. ℣. Avertantur retrorsum, et erubescant. ℟. Qui cogitant mihi mala.

Ad Bened. Ant. Milites induunt Jesum purpura, et imponunt ei plectentes Spineam Coronam; et cœperunt salutare eum: Ave Rex Judæorum.

Fit comm. Feriæ.

Ad Primam

In ℟. *brevi* ℣. Qui passus es pro homine.

Ad Tertiam.

Capit. Egredimini, *ut supra.*

Digitized by Google

℟.*br.* Tuam Coronam Spineam * Adoramus Domine. Tuam Coronam Spineam ℣. Tuam gloriosam recolimus Passionem. Adoramus. Gloria. Tuam.

℣. Miserere nostri, Domine.

℟. Qui passus es pro nobis.

Ad Sextam.

Capitulum. *Isai.* 53.

VIDIMUS eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et quasi absconditus vultus ejus, unde nec reputavimus eum.

℟. *breve.* Miserere nostri, * Domine. Miserere nostri, * Domine. ℣. Qui passus es pro nobis. Domine. Gloria Miserere.

℣. Tibi gloria, tibi triumphus et victoria.

℟. Tibi summæ laudis, et honoris Corona.

Ad Nonam.

Capitulum. *Joan* 19.

EXIVIT Jesus portans Coronam Spineam, et purpureum vestimentum, et dicit eis Pilatus: Ecce Homo.

℟. *brev.* Tibi gloria, * Tibi triumphus et victoria. Tibi gloria. ℣. Tibi summæ laudis, et honoris Corona. Tibi. Gloria. Tibi.

℣. Tuam Coronam Spineam veneramur, Domine.

℟. Tuam gloriosam recolimus Passionem.

In II. Vesp. omnia ut in I., cum comm. Feriæ.

Ad. Magnif. Ant. O Coronæ miranda dignitas! mortis pœnas debitas repellis: tu spes lapsis, firmitas infirmis; tu restauras Coronas perditas.

ALIUD OFFICIUM
SS. Spineæ Coronæ,
Duplex Majus.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. Psalmi de Dom. 86. *loco ult.* Laudate Dominum omnes gentes.

HYMNUS

EXITE, Sion filiæ,
Regis pudicæ virgines,
Christi coronam cernite,
Quam mater ipsa texuit.
Horret revulsis crinibus
Spinis cruentatum caput,
Et vultus ille decolor
Mortem propinquam respicit.
Quæ terra sulcis invia,
Dumis rigens et sentibus
Lugùbre munus protulit,
Quæ sæva messuit manus?
Christi rubescens sanguine
Aculeos mutat rosis,
Palmamque vincens fructibus,
Spina est triumphis aptior.
Culpis satæ mortalium
Te, Christe, spinæ vulnerant:
Evelle nostras, cordibus
Tuasque nostris insere.
Virtus, honor, laus, gloria,
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito.
In sæculorum sæcula. Amen.

℣. Plectentes Coronam de spinis.

℟. Posuerunt super caput ejus.

Ad Magnif. Ant. Egredimini, et videte, filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua, parans crucem Salvatori suo.

Oratio ut infra in Laudibus.

Ad Matutinum.

Invit. Christum Regem spinis coronatum, * Venite, adoremus.

Hymnus Exite, *ut supra.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, et fructum suum dabit in tempore suo.

Psalm. Beatus vir, *p.* 2.

Ant. Convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Psalm. Quare fremuerunt, *p.* 3.

Ant. In tribulatione dilatasti mihi.

Psalm. Cum invocarem, *p.* 101.

Digitized by Google

℣. Gloria et honore coronasti eum, Domine. ℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Lect. I. Noct. Quis credidit *ut in Festo 7. Dolorum B. M. V.*, p. *628*, *sed aliter divisæ. Prima ut ibi, secunda desinit ad* *; *tertia inde incipiens terminatur ad duplicem* **.

℟. *j.* Maledicta terra in opere hominis; * Spinas et tribulos germinavit Christo: ℣. Quia comedit Adam de ligno, ex quo præceperat Deus ne comederet. Spinas.

℟. *ij.* Apparuit Moysi Dominus in flamma ignis de medio rubi, * Et videbat quod rubus arderet, et non combureretur. ℣. Dixit ergo Moyses: Vadam, et videbo visionem hanc magnam. Et.

℟. *iij.* Ecce ignis et ligna: Deus providebit sibi * Victimam holocausti. ℣. Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem. Victimam. Gloria. Victimam.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti me.

Psalm. Verba mea, *p.* 40.

Ant. Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum.

Psalm. Domine Dominus, *p.* 4.

Ant. Peccatores intenderunt arcum; paraverunt sagittas suas in pharetra ut sagittent justum.

Psalm. In Domino, *p.* 5.

℣. Posuisti, Domine, super caput ejus. ℟. Coronam de lapide pretioso

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Sermo 2. in Epiph. Domini.

Lectio iv.

EGREDIMINI, filiæ Sion; vobis dicimus Filiæ Sion animæ sæculares, debiles, delicatæ, filiæ, et non filii, in quibus nihil est fortitudinis, nihil est virilis animi. Egredimini de sensu carnis ad intellectum mentis, de servitute carnalis concupiscentiæ ad libertatem spiritualis intelligentiæ. Egredimini de terra vestra, et de cognatione vestra, et de domo patris vestri, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua, in corona paupertatis, in corona miseriæ; siquidem coronatus est et a noverca sua corona spinea, corona miseriæ, coronatus a familia sua corona justitiæ, quando exibunt Angeli, et tollent de regno ejus omnia scandala, quando veniet ad judicium cum senioribus populi sui, cum pugnabit pro eo orbis terrarum adversus insensatos. Coronat eum et Pater corona gloriæ, sicut ait Psalmista: Gloria et honore coronasti eum, Domine; Videte eum, filiæ Sion, in diademate, quo coronavit eum mater sua.

℟. Cum apparuerit Princeps pacis, quo percusso, dispersæ sunt oves gregis, * Percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. ℣. Cum fecerit grande convivium, ut ostendat divitias gloriæ regni sui. Percipietis.

Lectio v. *Serm. 41. in Cant.*

EGO, fratres, ab ineunte mea conversione pro acervo meritorum quæ mihi deesse sciebam, mihi fasciculum collectum ex omnibus anxietatibus et amaritudinibus Domini mei colligare, et inter ubera mea collocare curavi. Memoriam abundantiæ suavitatis horum eructabo; quoad vixero, in æternum non obliviscar miserationes istas, quia in ipsis vivificatus sum. Mihi hic salutaris fasciculus servatus est; nemo tollet eum a me, inter ubera mea commorabitur. Hæc meditari dixi sapientiam, in his divitias salutis, in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis; ex his rursum suavis unctio consolationis. Hæc me erigunt in adversis; in prosperis reprimunt, et inter læta tristiaque vitæ præsentis via regia incedenti tutum præbent utrobique ducatum, hinc inde mala imminentia propulsando. Hæc mihi conciliant mundi Judicem, dum tremendum potestatibus, mitem humilemque figurant, dum non so-

Digitized by Google

lum placabilem, sed et imitabilem repræsentant eum, qui inaccessibilis est principatibus, terribilis apud reges terræ.

℟. Accepit regnum decoris * Et diadema speciei. ℣. Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Et.

Lectio vi.

HÆC propterea mihi in ore frequenter, sicut vos scitis, hæc in corde semper, sicut Deus scit, hæc stylo meo admodum familiaria, sicut apparet: hæc mea sublimior interim philosophia, scire Jesum et hunc crucifixum. Non requiro, sicut sponsa, ubi cubet in meridie, quem lætus amplector mea inter ubera commorantem. Non requiro ubi pascat in meridie, quem intueor Salvatorem in cruce. Illud sublimius, istud suavius: panis illud, hoc lac: hoc viscera reficit parvulorum, hoc replet ubera matrum, et ideo inter ubera mea commorabitur. Hunc et vos, dilectissimi, tam dilectum fasciculum colligite vobis, hunc medullis inserite cordis, hoc munite aditum pectoris, ut et vobis inter ubera commoretur. Si enim ante oculos habueritis quem portatis, pro certo videntes angustias Domini, levius vestras portabitis, ipso auxiliante Ecclesiæ Sponso, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

℟. Arcam de lignis Sethim deaurabis auro mundissimo intus et foris, * Faciesque supra coronam auream per circulum. ℣. Pones in arcam testificationem, quam dabo tibi. Faciesque. Gloria. Faciesque.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Ingressus sine macula, et operatus justitiam coronatus est in monte sancto tuo.

Psalm. Domine quis, *p.* 7.

Ant. Super caput ejus coronam de lapide pretioso posuisti, Domine.

Psalm. Domine in virtute, *p.* 11.

Ant. Adversus eos qui tribulant me, impinguasti in oleo caput meum.

Psalm. Dominus regit me, *p.* 22.

℣. Corona aurea super caput ejus.

℟. Expressa signo sanctitatis.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbatis.

Ex serm. 50. *de diversis.*

VIDETE, filiæ Sion, regem Salomonem. Non dicit Ecclesiasten, aut Ididam. Nam et his nominibus appellatus est rex ille, et significat Jesum Christum, nostrum verum Salomonem, qui est Salomon, id est, pacificus in exilio; Ecclesiastes, id est, concionator in judicio; Idida, id est, dilectus Domini in regno, ubique rex. In exilio mansuetus, in judicio justus, in regno gloriosus. In exilio amabilis, in judicio terribilis, in regno adorabilis. In diademate, quo coronavit eum mater sua. Est autem hæc corona misericordiæ, et in hac imitabilis. Coronavit eum et noverca sua corona miseriæ, et in hac contemptibilis. Synagogam loquor, quæ se ei non matrem exibuit, sed novercam.

℟. Facies altare ad adolendum thymiama de lignis Sethim, * Faciesque ei coronam aureolam per gyrum. ℣. Ponesque altare contra velum coram propitiatorio. Faciesque.

Lectio viij.

CORONABIT eum familia sua corona justitiæ, et in hac terribilis: coronat eum Pater suus corona g'oriæ, et in hac desiderabilis. Videant ergo eum peccatores in corona miseriæ, id est spinæ, et compungantur: videant eum filiæ Sion animæ affectuosæ, in corona misericordiæ et imitentur. Videbunt eum impii in corona justitiæ et peribunt; videbunt eum Sancti in corona gloriæ, et perpetualiter gaudebunt. Co-

Digitized by Google

ronantur quidem et alii imitatores ipsius sed hoc ex industria adjuti per gratiam. Solus iste a matre coronatus est, quia solus cum ordinatis affectionibus tamquam sponsus e thalamo processit ex utero matris.

℟. Christus sciens dolorem et infirmitatem, spinis coronatus, * Ipse est qui coronat vos in misericordia et miserationibus. ℣. Vulneratus propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus. Ipse. Gloria. Ipse.

ix. Lect. Homil. feriæ curr; de qua fit quoque comm. in Laud.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Dilectus meus candidus, * et rubicundus: comæ capitis ejus sicut purpura regis vincta canalibus.

2. Requievit super eum * spiritus timoris Domini; corona sapientiæ et exultationis decoravit illum.

3. Induit eum * Dominus vestimentis salutis et indumento justitiæ, quasi sponsum decoratum corona.

4. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

5. Rex æternæ gloriæ * pro nobis coronatus, benedicet coronæ anni benignitatis suæ.

Capitulum. Cant. 3.

EGREDIMINI, et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua.

HYMNUS.

LEGIS figuris pingitur
Christi corona nobilis;
Implexa spinis victima,
Ardensque testatur rubus.

Arcam corona cinxerat,
Mensæque sacrum circulum;
Aramque thure fumidam,
Corona nectit ambiens.

Christi dolorum conscia,
Salve, corona gloriæ,
Gemmis et auro pulchrior,
Vincens coronas siderum.

Virtus honor, laus, gloria,
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito
In sæculorum sæcula. Amen.

℣. Eris corona gloriæ in manu Domini. ℟. Et diadema regni in manu Dei tui.

Ad Bened. Ant. Exivit Jesus portans spineam coronam, et purpureum vestimentum.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in memoriam passionis Domini nostri Jesu Christi, Coronam ejus spineam veneramur in terris, ab ipso gloria et honore coronari mereamur in cœlis. Qui tecum.

Ad Tertiam.

Capit. Egredimini, *ut supra.*

℟. *br.* Eris corona gloriæ * In manu Domini. Eris. ℣. Et diadema regni in manu Dei tui. In. Gloria. Eris. ℣. Gloria et honore coronasti eum, Domine. ℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ad Sextam.

Capitulum. Apoc. 6.

VIDI, et ecce equus albus, et qui sedebat super illum, habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret.

℟. *br.* Gloria et honore * Coronasti eum, Domine. Gloria. ℣. Et constituisti eum super opera manuum tuarum. Coronasti. Gloria Patri. Gloria. ℣. Tuam coronam adoramus, Domine. ℣. Tuam gloriosam recolimus passionem.

Ad Nonam.

Capitulum. Isaiæ. 28.

IN die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, et sertum exultationis residuo populi sui.

℟. *br.* Tuam coronam * Adoramus, Domine. Tuam. ℣. Tuam gloriosam recolimus passionem. Adoramus. Gloria. Tuam. ℣. Plectentes coronam de spinis. ℟. Posuerunt super caput ejus.

Digitized by Google

Psalm. 87. Domine Deus, *p.* 69.

℣. Omnis terra adoret te, et psallat tibi.

℟. Psalmum dicat nomini tuo Domine.

Lectio Sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio vii.

IN illo tempore, cum jam sero factum esset, quia erat Parasceve, quod est ante Sabbatum, venit Joseph ab Arimathæa nobilis Decurio, qui et ipse erat expectans Regnum Dei. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

PARASCEVE græce, latine præparatio dicitur, quo nomine Judæi, qui inter Græcos morabantur sextam Sabbati appellabant, eo quod in illa, ea quæ requiei Sabbati necessaria essent, præparare solerent. Juxta hoc, quod de manna quondam præceptum est. Sexta autem die colligetis duplum. Quia ergo sexta die factus est homo, et tota est mundi creatura perfecta, septima autem Conditor ab opere suo requievit, unde et hanc Sabbatum, hoc est requiem voluit appellari; recte Salvator eadem sexta die crucifixus humanæ restaurationis implevit arcanum; ideoque cum accepisset acetum dixit: Consummatum est, hoc est sextæ diei, quod pro mundi refectione suscepi, jam totum est opus expletum. Sabbato autem in sepulchrum requiescens, resurrectionis; quæ octava die ventura erat, expectabat eventum.

℟. Mercatus est Joseph Sindonem mundam, ut involveret in ea Corpus Domini: * Venit ergo, et tulit Corpus ejus. ℣. Rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa, ut tolleret Corpus Jesu. Venit.

Lectio viii.

VENIT, inquit, Joseph ab Arimathæa nobilis Decurio, qui et ipse erat expectans Regnum Dei, et audacter introivit ad Pilatum, et petiit Corpus Jesu. Magnæ quidem Joseph iste dignitatis ad sæculum, sed majoris apud Deum meriti fuisse laudatur. Talem namque existere decebat eum, qui Corpus Domini sepeliret, qui et per justitiam meritorum tali ministerio dignus esset, et per nobilitatem potentiæ sæcularis facultatem posset obtinere ministrandi; non enim quilibet ignotus, aut mediocris ad Præsidem accedere, et Crucifixi Corpus poterat impetrare.

℟. Hæc est Sindon dignissima, in qua salutis Auctor de Cruce depositus involvi dignatus est: * Ut nos consepulti cum eo, veteris hominis exuviis depositis, innocentiæ Sindone tegeremur. ℣. Felix Domus Sabaudiæ, quæ tanto pignore ditata sacro hoc munere gloriatur. Ut. Gloria. Ut.

Lectio ix.

JOSEPH autem mercatus est Sindonem, et deponens eum involvit Sindone. Possumus juxta intelligentiam spiritualem hoc sentire; Corpus Domini non auro, non gemmis, non serico, sed linteamine puro obvolvendum sit; quamquam et hoc significet, quod ille in Sindone munda involvat Jesum, qui pura mente susceperit. Hinc Ecclesiæ mos obtinuit, ut sacrificium Altaris non in serico, neque in panno tincto, sed in lino terreno celebretur.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

Ad Laudes

et per Horas Antiph.

1. Joseph nobilis Decurio vir bonus, et justus, et ipse dives erat expectans Regnum Dei.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dom. p.* 13.

2. Hic audacter introivit ad Pilatum, et petiit Corpus Jesu.

3. Cum cognovisset Pilatus a Centurione, quod jam mortuus esset, donavit Corpus Jesu.

4. Joseph autem mercatus Sindonem, et deponens eum, involvit Sindone.

5. Posuit eum in monumento, in

Digitized by Google

quo nondum quisquam positus fuerat.

Cap. Quis est iste. *ut in Vesp.*

HYMNUS.

JESU, dulcis amor meus,
Ac si præsens sis, accedo,
Te complector cum affectu,
Tuorum memor Vulnerum.
O quam nudum hic te cerno,
Vulneratum, et distensum,
Inquinatum, involutum
In hoc sacro tegmine.
Salve Caput cruentatum
Spinis cujus dulcis vultus
Immutavit suum florem,
Quem cœli tremit Curia.
Salve Latus Salvatoris,
Salve mitis apertura,
Super rosam rubicunda,
Medela salutifera.
Manus sanctæ vos avete,
Diris Clavis perforatæ,
Ne repellas me, Salvator,
De tuis sanctis Pedibus. Amen.

℣. Dominus regnavit, decorem induit.

℟. Induit Dominus fortitudinem, et præcinxit se virtute.

Ad Bened. Ant. Joseph nobilis Decurio, expectans et ipse Regnum Dei, mercatus est Sindonem, et deponens Corpus Jesu involvit illud in Sindone.

Oratio ut supra.

Ad Tertiam.

Capitulum. Isaiæ 63.

QUIS est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra; Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.

℟. *br.* Tuam Sindonem * Veneramur, Domine. Tuam. ℣. Tuam recolimus Passionem. Veneramur. Gloria. Tuam Sindonem.

℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per mortem tuam redemisti mundum.

Ad Sextam.

Capitulum. Isaiæ 63.

QUARE ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus, et de Gentibus non est vir mecum.

℟. *br.* Adoramus te, Christe, * Et benedicimus tibi. Adoramus. ℣. Quia per mortem tuam redemisti Mundum. Et. Gloria. Adoramus.

℣. Omnis terra adoret te, et psallat tibi.

℟. Psalmum dicat nomini tuo, Domine.

Ad Nonam.

Capitulum. Isaiæ 63.

CIRCUMSPEXI, et non erat auxiliator; quæsivi, et non fuit, qui adjuvaret; et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.

℟. *br.* Omnis terra adoret te, * Et psallat tibi. * Omnis. ℣. Psalmum dicat Nomini tuo, Domine. Et. Gloria. Omnis.

℣. Dominus regnavit decorem induit.

℟. Induit Dominus fortitudinem, et præcinxit se virtute.

Ad Vesperas

Omnia ut in I. Vesp. præter seq.

Psalm. Dixit Dominus, *cum reliq. de Dom. et loco ultimi. Psalm.* 141. Voce mea, *p.* 97.

Ad Magnif. Ant. Homo quidam dives ab Arimathæa, nomine Joseph, accepto Corpore Jesu, involvit illud in Sindone munda.

DOM. II. POST PASCHA.

S. Francisci de Paula Conf.

Duplex 2. *class. cum octav.*

Lect. 1. noct. Beatus vir *de com.* 58*.

Lect II. et III. noct. ut in Brev. sub die 2. *April.* p. 696.

Digitized by Google

II. die infr. Oct.

S. FRANCISCI DE PAULA.

Lect. I. Noct. semper de script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Beati N. dies, *ut in Comm. Conf. non Pont. 54*. Quod si lectæ sint in die Festo, legantur hodie sequentes.*

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Serm. de Mart., t. 3.

Lectio iv.

QUI Sanctorum merita, religiosa charitate miratur, quique justorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores sanctos atque justitiam imitetur: quoniam quem delectat Sancti alicujus meritum, delectare debet par circa cultum Dei obsequium. Quare aut imitari debet, si laudat: aut laudare non debet, si imitari detrectat: ut qui alium laudat, laudabilem se reddat: et qui Sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse vitæ sanctitate reddatur. Nam si propterea justos fidelesque diligimus, quod in ipsis justitiam fidemque suspicimus, possumus nos quoque esse quod sunt, si faciamus ipsi quod faciunt.

Lectio v.

NEQUE enim difficile nobis est, quod ab ipsis geritur, imitari, cum sine præcedenti exemplo ab antiquis talia gesta conspicimus: ut non ipsi aliorum æmuli reddereutur, sed æmulandæ virtutis seipsos nobis præberent exemplum: ut dum nos ex ipsis, et ex nobis alii proficiunt, sic Christus in suis semper servis in Ecclesia sancta laudetur. Unde ab origine mundi innocens Abel occiditur, Enoch Deo placens transfertur, justus Noe invenitur, Abraham fidelis probatur, Moyses mansuetus dignoscitur, Jesus castus, David lenis, Elias acceptus, Daniel sanctus, tres pueri victores redduntur.

Lectio vj.

APOSTOLI discipuli Christi, credentium magistri habentur: e quibus eruditi Confessores fortissimi pugnant, Martyres perfecti triumphant, et Christiani semper exercitus diabolum Deo armati debellant. In istis semper pares virtutes, dissimiles pugnæ, gloriosæ victoriæ. Unde tu Christiane delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio isto[o] concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce: pactum quod spopondisti, conditionem qua accessisti, militiam cui nomen dedisti.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilia sancti Fulgentii Episcopi.

Ex Sermone de Confessoribus.

SI non omnes possunt implere quod Dominus ait: Vendite quæ possidetis, illud tamen quod adjecit, dicens: Date eleemosynam, omnibus est possibile, si adsit bona voluntas; omnibus facile, si non adsit dira cupiditas; omnibus salubre, si ferveat charitas; cunctis debet esse commune, ut omnibus donetur æterna felicitas. Qui ergo tantam virtutem accepit a Domino, ut omnia quæ in mundo sunt, cœlestis regni amore contemnat: quæ habet, vendat, et egenis expendat: qui vero tantæ virtutis nondum est, de his quæ habet, in quantum habet, eleemosynam faciat.

Lectio viij.

PERFECTUS possideat primum virtutis locum, imperfectus saltem perveniat ad secundum. Efficiatur ille gloriose dignus, sit iste laudabiliter largus. Sit ille sanctæ paupertatis ardentissimus amator, sit iste Sanctorum pauperum piissimus consolator. Habeat iste apud Deum patronos pauperes, quos ille se gaudet virtutis habere consortes. Sit ille talis, qui cum Domino judicaturus sedeat: sit

Digitized by Google

iste talis, qui ad dexteram judicandus assistat. Sit ille talis, qui æterna tabernacula perpetuo jure possideat; sit iste talis, quem ille recipiat.

Lectio ix.

THESAURUM nostrum, fratres, in cœlis ponamus, ut etiam cor nostrum in cœlis habere possimus. Necesse est enim, ut quo præcesserit dilectionis thesaurus, illuc etiam cogitationis sequatur affectus. Ideo Veritas ait: Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit. Ut ergo in cœlis thesaurizemus, cœlestia diligamus. Vis nosse ubi thesaurizas? attende quid amas. Vis nosse quid amas? attende quid cogitas. Ita fiet, ut thesaurum tuum ex tuo amore cognoscas, et amorem tuum judicio tuæ cogitationis intelligas.

III. Die infr. octav.

S. FRANCISCI DE PAULA

IN II. NOCTURNO.

De Sermone S. Joannis Chrysostomi.

De S. Philogonio, ante medium.

Lectio iv.

AD hanc beatam requiem transiit beatus Franciscus. Quænam igitur oratio par sit viri laudibus, quem Deus tam felici sorte dignatus est? Non est ulla. Sed age, dic mihi, num idcirco silebimus? et cujus rei gratia convenimus? An dicemus nos haud posse magnitudinem gestorum oratione consequi? Atqui ob hoc ipsum necesse est dicere, quandoquidem hæc est præcipua laudum illius pars, quod factis verba æquiparari non possint. Nam quorum benefacta naturam etiam superant mortalem, perspicuum est, quod horum laudes excedunt linguam humanam. Haud tamen ob id aspernabitur officium nostrum, quod pro viribus præstamus, sed suum imitabitur Dominum: siquidem et illi viduæ duos tantum obolos dejicienti in gazophylacium, non tantum duorum obolorum mercedem, sed multo amplius reddidit.

Lectio v.

PROINDE quamvis nostræ facultates exiguæ sint, minimique pretii, attamen, quæ possumus, offerimus. Et licet non respondeant magnitudini meritorum animæ præclari justique Francisci: tamen hoc ipsum celsitudinis illius maximum fuerit argumentum, quod nec pusilla repellat, sed idem faciat quod solent divites. Siquidem illi, cum acceperint a tenuibus exigua, quibus non egent, sua vicissim apponunt, remunerantes eos, qui, quod poterant, obtulerint. Itidem et hic, cum acceperit a nobis laudem verbis peractam, qua nequaquam eget, redonabit nobis per ipsa facta benedictionem, qua semper uti possimus.

Lectio vj.

UNDE igitur laudationem illius auspicabimur? An a magistratu, quem spiritus illi tradidit gratia? Nam mundani Magistratus nequaquam possunt Christianorum demonstrare virtutes, quin potius frequenter habent accusationem malitiæ. Quam ob causam? quoniam et solicitudines amicorum, et circumcursationes, et adulationes, aliaque permulta his fœdiora tales Magistratus solent conciliare. Ceterum ubi Deus suo suffragio designarit aliquem, incorruptum suffragium, alienum ab omni suspicione judicium, indubitata fuerit delecti comprobatio, propter ejus, qui delegit, auctoritatem.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chrysologi.

Ex Sermone 22.

PRÆMIA statuuntur iis semper, quibus certamina dura proponuntur: ac pro magnitudine certaminis, præmii proponitur magnitudo. Hinc

Digitized by Google

est, quod discipulis suis Christus regnum pomit in præmio, ut in certamine non cedant periculis, non timori. Pericula despicit qui tendit ad regnum: victoriæ cupidus nescit timere. Nolite timere, inquit, pusillus grex: quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Grex pusillus mundo, magnus Deo: pusillus, quia gloriosos vocat eos, quos instituit ad ovium innocentiam, et mansuetudinem Christianam.

Lectio viij.

ADJECIT quid faciendum sit regnaturis: Vendite quæ possidetis. Non potest dominari omnibus, nisi is, qui propriis non tenetur. Dejectæ mentis est, qui familiaris rei meminit, cum vocatur ad regnum; jacens animus plebejus nummulum thesauris regalibus anteponit. Pauper sensus parvis incubans, perdit magna; et inhians temporalibus, deserit sempiterna. Homo, tali monitu Christus te ditare voluit, non nudare: manere tibi tua voluit, non perire: perpetuari, non vacuari sacculos imperavit: jussit te transferre, non perdere.

Lectio ix.

PLUS consilio patris agit, quam jure dominantis. Inter insidias latronum et tinearum morsus quare tua recondas, objurgat: pervigiles noctes, dies anxios, solicita tempora ne tibi ipse facias, commoneris. Auri custos, servator argenti, securitatem non habet, nescit quietem; et cui deest securitas, quies perit; pœna dives est ille, non censu. Thesaurum non deficientem in cœlo hoc est dicere, Ubi ego sum, ibi ponite: date mihi, ego servo. Homo, da Patri, crede Deo: quia et hæredi Pater, et Deus homini creditum non negabit: tenere tua non potest, quia sua dedit.

IV. Die infr. octav.

S. FRANC. DE PAULA

IN II. NOCTURNO.

De Sermone S. Joannis Chrysostomi

Unde supra paulo post.

Lectio iv.

QUANTUM autem sit pietatis argumentum, quod Deus illum tanto magistratu dignum judicarit, audi. Christus excitatus a morte, quid dicit Petro? Postquam enim illum interrogasset, Petre amas me? isque respondisset, Tu Domine scis quod amo te; dicit illi: Si diligis me, pasce oves meas. Hoc autem dicebat, non solum ut nobis certissime declararet, quantopere ipsum diligeret Petrus: verum etiam, ut palam faceret, quantam haberet benevolentiam erga suas oves. Itaque si quis voluerit illi commendatus esse, curam habeat ovium illius, publicam quærat utilitatem, fratrum suorum saluti prospiciat.

Lectio v.

NULLUM enim officium hoc Deo charius est, et ob id alicubi dicit: Simon, Simon, expetivit te Satanas, ut cribraret te tamquam triticum, sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Quid igitur hujus solicitudinis curæque præmium mihi rependis? eamdem curam, quam nobis impendit, reposcit. Nam et tu, inquit, aliquando conversus confirma fratres tuos. Neque prorsus alia res est, quæ perinde declaret doceatque quis sit fidelis et amans Christi, quam si fratrum curam agat, proque illorum salute gerat solicitudinem.

Lectio vj.

HÆC omnes audiant et monachi, qui montium occuparunt cacumina, quique modis omnibus seipsos mundo crucifixerunt, quo pro viribus Ecclesiarum præfectos adjuvent, horumque curas leniant precibus, concordia, charitate: scientes, quod nisi modis omnibus opitulentur iis, qui tot periculis objiciuntur, per gratiam Dei, totque negotiorum curas sustinent, quibuscumque possunt rationibus auxilientur, quamquam procul habitantes, et victus sors ipsis periisset, et tota in scopulum impegisset sapientia.

Digitized by Google

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia S. Petri Chrysologi.

Ex Sermone 23.

AUDISTIS hodie, quemadmodum Dominus pastorali jubilo clangorem tubæ cœlestis adjunxit, ut diu inclinatas ovium mentes ad divina tolleret, cœleste protinus promoveret ad regnum. Acquisivit humilitas superbia quod amisit: et grex pusillus ac mitis, totas et varias edomuit propria mansuetudine feritates; pusillus grex vicit ac fregit tot genera bestiarum, quot diversitates subdidit jugo Christi nationum.

Lectio viij.

GREX pusillus ac mitis diu contentus occidi, diu devorari passus est, donec gentilis sævitia sanguine satiata, vel carnibus, Evangelici pabuli suavitatem, et divini fontis fluentia degustans, totum contagium sæculi evitaret, et pastum: atque in hominem rediret ex bestia qui ex homine fuerat dilapsus in bestiam. Hoc sensisse ante Prophetas, hoc Apostolos implesse, hoc pertulisse Martyres constat, attestante illo qui dicit: Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis. Ut vero iste grex novi ordinis aggrederetur prælium, ubi vivit ille qui fuit occisus: imitatus est suum Regem, illum secutus est Agnum, qui sicut ovis ad occisionem ductus est.

Lectio ix.

TIBI ergo Rex, tibi sacerdos, tibi pastor, tibi sacrificium, tibi ovis, tibi agnus, tibi totum factus est qui fecerat totum. Et qui sibi numquam, tibi toties immutatur, propter te varias monstratur in formas, qui manet unica suæ majestatis in forma. Et quid plura? dat se tibi Deus, homo, ut ferre potes: quia, ut est, tu non potes sustinere.

V. Die infr. octav.

S. FRANC. DE PAULA.

IN II. NOCTURNO.

Tres Lect. S. Gregorii. Deridetur justi simplicitas, *etc. ut in Brev. in eod. Comm.* p. 59*. *Quod si in die festo lectæ sint, earum loco ponantur Lect. S. Joannis Chrys.* Qui Sanctorum merita, *etc. ut in II. die infr. octav.* 179*.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia sancti Petri Chrysologi.

Unde supra

SED audiamus jam quid pusillo gregi talis promiserit pastor. Nolite timere, inquit, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. O bonitas effusa! o inaudita pietas! o ineffabilis affectio! In societate census pastor oves assumit, atque ad consortium dominationis servos Dominus adsciscit: ad principatum regni Rex gregem populi totius admittit. Sic, sic dat, cui deficere census, cui regnum minui, vacuari potestas non potest largiendo.

Lectio viij.

ECCE qui dat, dare loquitur Patrem. Numquid largitatem suam denegat, sic dicendo? Absit; non potestatem minuit, sed pendit affectum, sic dicendo: non distantiam facit, sed Patris suamque voluntatem monstrat, firmat unitatem. Quod autem dixit, Complacuit; et non dixit, Placuit; munus edocet Trinitatis quia quod erga nos Filio placuit, hoc complacuit Trinitati.

Digitized by Google

Lectio ix.

POST tantam ergo Dominus largitatem, post suam gratiam tibi copiosius collatam, abjecta, et vilia peculia servitutis jubet abjicere regnaturum. Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam. Plebejum cultum regia non admittit potestas, augustus honor nonnisi diademate confertur et purpura. Abjicere ergo debet habitum servitutis, qui se regem credit divinitus consecratum. Est consuetudinis, est animi felicis, ut adscitus ad regnum, quod fuit proprium, quod privatum, mox parentibus, mox propinquis, civibus indigentibus, liberaliter prorogare, ne sit mendicus animo, qui censu functus et honore.

VI. die infr. octav.

S. FRANC. DE PAULA.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro Moralium S. Gregorii

Lib. 10. c. 16. in cap. 12. Job.

Lectio iv.

BENE justi simplicitas, et lampas esse dicitur, et contempta: lampas, quia interius lucet; et contempta, quia exterius non lucet. Intus ardet flamma charitatis, foris nulla gloria resplendet decoris. Lucet ergo, et despicitur qui flagrans virtutibus abjectus æstimatur. Sed usquequo lampas ista contemnitur? usquequo despicabilis habetur? numquid non fulgorem suum nullatenus exerit, et numquam quanta claritate candeat, ostendit? Ostendit plane; nam protinus additur: Parata ad tempus statutum. Statutum quippe contemptæ lampadis tempus, est extremi judicii prædestinatus dies, quo justus quisque, qui nunc despicitur, quanta potestate fulgeat demonstratur.

Lectio v.

TUNC enim cum Deo judices veniunt, qui nunc pro Deo injuste judicantur. Tunc eorum lux tanto latius emicat, quanto eos nunc manus persequentium durius angustat. Tunc reproborum oculis patescet, quod cœlesti potestate subnixi sunt, qui terrena omnia sponte reliquerunt. Unde electis Veritas dicit: Vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel. Neque enim plusquam duodecim judices illa interni consessus curia non habebit, sed nimirum duodenario numero quantitas universitatis exprimitur: quia quisquis stimulo divini amoris excitatus hic possessa reliquerit, illic procul dubio culmen judiciariæ potestatis obtinebit.

Lectio vj.

HINC est enim, quod de sanctæ Ecclesiæ sponso per Salomonem dicitur: Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ. Hinc Isaias ait: Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui. Hinc eosdem seniores Veritas non jam famulos, sed amicos denunciat, dicens: Non jam dicam vos servos, sed amicos meos. Quos Psalmista intuens, ait: Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus. Quorum dum celsitudinem cordis aspiceret, mundi gloriam qua calce calcarent, protinus addidit: Nimis confortatus est principatus eorum. Ac ne paucos esse crederemus, quos proficere usque ad summam tantæ perfectionis agnoscimus; illico adjunxit: Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur. Quot itaque nunc pro amore veritatis sese libenter humiliant, tot tunc in judicio lampades coruscant.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua

De Homilia sancti Petri Chrysologi.

Unde supra

TALI ergo providentia Dominus, consilio tali, vilia, et cadu-

Digitized by Google

ea jubet ut vendamus, ut largiamur, ut donemus, qui in cœlesti regno omnia, quæ in cœlo et quæ in terra sunt volumus possidere. Sed si vis servare tuorum pretia prædiorum, et sacculorum forte condita te delectant; fac tibi sacculos quales ille præcepit, qui jam cupiditatis tuæ custos est et provisor. Denique ut vidit quod duriter dixit: Vendite quæ possidetis; mox adjecit: Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis.

Lectio viij.

ITERUM contristatus es: quia quod habes, in cœlis cogeris collocare. Rogo, crede Deo tuo qui servo credis: magis Deo, quam homini commenda. Sed si times ne quid inde præsumat, ne quid dispergat pietas largitoris, signa fidei annulo sacculos tuos, ut tali custode dormias tu securus: quia ubi ille est, ibi locus nullus est furi. Non poterit tibi tuam pecuniam denegare, qui tibi omnia sua contulit, qui te regni sui et honore ditavit et gloria.

Ex Sermone 25. circa fin.

Lectio ix.

NOVO modo, imo cœlesti modo, qui hunc audit, vendendo comparat, recondit erogando; dum amittit, acquirit. Quam cupit pecuniam perdurare, perpetuare sacculos divitiarum, condita permanere, qui dicit: Facite vobis sacculos qui non veterascunt. Ecce docet avaritiam, qui cœperat suadere contemptum. Et qui thesaurizantes temporaliter arguebat, ad totum cupiditatis fomitem jubet sacculos sine fine perquiri. Christe, quo te pertrahit amor tuorum! Ut avarum lucrifacias, facis eum quod desiderat, non quod oportet audire, sacculos imperas, ut avarus, dum consueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat, aut a virtute capiatur.

VII. Die infr. octav.

S. FRANC. DE PAULA.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Serm. 1. de S. Victore.

Lectio iv.

SANCTI Francisci vita, et gloria specialis, non tam ad gloriam, quam ad virtutem provocat omnes, qui recto sunt corde. Non recti plane, sed perversi est animi, ante quærere gloriam, quam exercere virtutem; et velle coronari, qui legitime non certaverit. Vanum est vobis, inquit, ante lucem surgere. Ita est: frustra ad celsitudinem nititur gloriæ, qui prius non claruit virtute. Frustra fatuæ virgines sponso obviam surgunt, quarum lampades extinguuntur: et ideo fatuæ, quia vacuis gloriantur lampadibus, virtutis oleum non habentes.

Lectio v.

VIRTUS gradus ad gloriam: virtus mater gloriæ est. Fallax gloria, et vana est pulchritudo, quam illa non parturivit. Sola est, cui gloria jure debetur, et secure impenditur. Sancto Francisco nec virtus, nec gloria deest: sed quemadmodum ambæ res, et quo ordine in homine processerunt, id operæ pretium intueri. Habemus enim, dilectissimi, in vita Francisci et quod digne miremur, et quod salubriter imitemur. Tutius sane æmulanda solidiora, quam sublimiora, et quæ magis virtutem redoleant, gloriam minus. Studeamus proinde moribus conformari, cui in mirabilibus similari, etsi volumus, non valemus.

Lectio vj

ÆMULEMUR in viro sobrium victum, devotum affectum; æmulemur mansuetudinem spiritus, castimoniam corporis, oris custodiam, animi puritatem, ponere frœnum iræ, et modum linguæ, dormire parcius, orare frequentius, commonere nosmetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, diebus jungere noctes, et divinis laudibus occupare; æmulemur charismata meliora. Æmulemur, inquam, quod extitit libera-

lis in pauperes, patiens ad peccantes, benignus ad omnes. Hoc enim melius. In his forma est, cui imprimamur: in miraculis gloria, a qua reprimamur. Illa lætificent, ista ædificent: moveant illa, ista promoveant.

IN III. NOCTURNO

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia S. Petri Chrysologi.

Post supradicta.

VERE Pater, o Christe, qui cum tuis quibuscumque parvulis sic agis. Namque et nos interdum nostris parvulis petentibus noxia, ingerimus salutaria sub specie noxiorum, fallentes insipientiam, non decipientes affectum. Dixisti, Facite vobis sacculos qui non veterascunt. Sacculus cur paratur? quid ibi claustra, ubi ipsa custos est innocentia? ibi quid signaculum, ubi fraudis suspicio non habetur? si et in cœlo sacculis opus est, cura non amittitur, sed mutatur.

Lectio viij.

DOMINE, tu vidisti, quia in thesauris tota fides, tota spes in sacculis sit avaris; et ideo imputribiles in cœlo sacculos vis parari, ut qui te non sequitur ad cœlum, sequatur saltem sacculos suos. Avare, fac tibi sacculos et fac jubente Deo, quia votis tuis annuit divina majestas. Sed fac tibi sacculos erogando: quia quidquid pauper acceperit, Pater cœlestis suscipit. Et ubi recondit? in cœlo. Et ne forte perdidisse te doleas vel usuram, centuplum in cœlesti fœnore recipies, quidquid in cœlum paupere transmiseris perferente.

Lectio ix.

USURA mundi centum ad unum, Deus unum accipit ad centum, et tamen homines cum Deo nolunt habere contractum. Sunt forsitan de cautione soliciti. Quare? nonne homo homini exiguæ chartulæ obligatione constringitur? Deus tot et tantis voluminibus cavet, et debitor non tenetur? Sed dicis: Esto quod debeat; quo exigente restituet? Se ipso; quia non potest ille mentiri: idem ipse est et executor et debitor. Non erit in reddendo durus qui profusus est in largiendo. Crede, homo, Deo quod tibi Deus dedit: majora reddere vult, cum vult debere largitor.

IN DIE OCTAVA

S. FRANC. DE PAULA.

IN II. NOCTURNO.

De Sermone S. Bernardi Abbatis.

Serm. 2. de S. Victore.

Lectio iv.

GAUDETE in Domino, dilectissimi, qui inter continua suæ pietatis beneficia indulsit hominem mundo, cujus multi salvarentur exemplo. Iterum dico gaudete, quod factus de medio appropiavit Deo, ut multo plures ejus intercessione salventur. In terris visus est, ut esset exemplo: in cœlum levatus est, ut sit patrocinio. Hic informat ad vitam, illic invitat ad gloriam. Factus est mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui sibi jam postulans nihil, totum in nos transferre desiderat, et supplicantis affectum, et supplicationis fructum. Quid enim quærat sibi qui nullius eget?

Lectio v.

HÆC dies gloriosæ migrationis ejus, dies lætitiæ cordis ejus: exultemus, et lætemur in ea. Introivit in potentias Domini, gaudeamus: quia nunc potentior est ad salvandum. Hodie Franciscus, posito corpore, tanto alacrior, quanto expeditior penetravit in sancta, similis factus in gloria Sanctorum. Hodie despecto mundo, et mundi principe triumphato, supra mundum victor ascendit, accipiens de manu Domini coronam

Digitized by Google

victoriæ. Ascendit autem cum immensa supellectili meritorum, clarus triumphis, miraculis gloriosus. Sedet veteranus miles, debita jam suavitate et securitate quietus: securus quidem sibi, sed nostri solicitus. O venerandam etiam ipsis Angelis sanctitatem, quam pari studio, etsi dispari voluntate, et mali fugitant, et frequentant boni. Nec facile dixerim, quid virum adstruat sanctiorem, horum favor, aut pavor illorum.

Lectio vi.

O MILES emerite, qui Christianæ militiæ duris laboribus Angelicæ felicitatis requiem commutasti: respice ad imbelles et imbecilles commilitones tuos, qui inter hostiles gladios, et spiritales nequitias tuis laudibus occupamur. Quam pium, quam dulce, quam suave, o Francisce, in hoc loco afflictionis, et in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precari! Nomen tuum, et memoriale tuum, favus distillans in labiis captivorum, mel et lac sub lingua eorum, qui tui memoria delectantur. Eja ergo fortis athleta, dulcis patrone, advocate fidelis, exurge in adjutorium nobis; ut et nos de nostra ereptione gaudeamus, et tu de plena victoria glorieris.

In III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia S. Petri Chrysologi.

Ex Serm. 25. *initio.*

HODIE Dominus Evangelici gregis pusilla et tenera primordia quam blanda exhortatione sit consolatus, audistis. Aufert spes anxias, dubios tollit eventus, omnemque propellit et excludit timorem, quando in exordio ipso regnum nascentibus pollicetur. Quis de victu, quis de vestitu, quis de plebeio censu, et vernalis cespitis vilitate suspirat; de regno certus, de dominatione securus? Satis sibi invidet qui elevatus ad summa, ipse se ad humilia dejicit, ad egena deponit.

Lectio viij.

SED scire convenit, Pater iste quis est, vel qualis est, vel quod regnum suis filiis repromittit. Quis sit iste Pater, quotidie te confitente cognoscis, cum clamas: Pater noster, qui es in cœlis. Qualis autem sit, ipsa operum magnitudine pervidisti. Ex nihilo fecit cœlum, terram solidavit ex liquido, montes statuit ad stateram, maria intra legitimos terminos sola præcepti auctoritate conclusit. Verum si regni, quod promittit pusillis, desideras nosse qualitatem, ipse aperit, sic dicendo: Sinite parvulos venire ad me; talium est enim regnum cœlorum. Esse in cœlo mirum est: in cœlo vivere est majestatis.

Lectio ix.

QUID ergo cum terra illi, qui possidet cœlum? quid illi cum humanis, qui adeptus est jam divina? Nisi forte placent gemitus, eliguntur labores, amantur pericula, pessima mors delectat, et illata mala bonis sunt gratiora collatis. Sed videamus quod dat Pater tantus consilium regnaturis: Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam. Si victuros vos, si regnaturos, si vos jam divites esse creditis in supernis, ubi futuri, quo migraturi, ubi regnaturi éstis: vos illa, quæ vestra sunt, jam præcedant: opes miseras misericordia computate: quæ humana sunt, in divina convertite.

DOM. III. POST PASCHA

Patr. S. Joseph. Sp. B. V.

Duplex 2. *Classis.*

Ad Vesp. Ant. Jacob autem. *cum reliq. de Laud.*

Psalm. Dixit Dominus. *cum reliq. de Dom.* p. 86. *et loco ultim.* Laudate Dominum omnes Gentes.

Digitized by Google

Capitulum. Gen. 49.

BENEDICTIONES Patris tui confortatæ sunt benedictionibus Patrum ejus: donec veniret desiderium collium æternorum: fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaræi inter fratres suos.

Hymnus. Te, Joseph *ut die 19. Mart.* p. 684.

℟. Constituit eum Dominum domus suæ, alleluia. ℣. Et Principem omnis possessionis suæ, alleluia.

Ad Magnif. Ant. Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto, alleluia.

Oratio.

DEUS, qui ineffabili providentia beatum Joseph sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsum eligere dignatus es: præsta quæsumus; ut quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Qui vivis, et regnas.

Et fit commem. Dominicæ.

Ad Matut. Invit. Laudemus Deum nostrum, * In veneratione beati Joseph Protectoris nostri, allel.

Psalm. Venite, exultemus. I.

Hymn. Te, Joseph. *ut ad Vesp.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe Puerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi, alleluja.

Psalmi de Communi Confessoris non Pontif. p. 51*.

Si festum transfer. extr. temp. Paschal. tunc antiph. desumant. ex die 19. Martii.

℣. Confitebor nomini tuo alleluja.

℟. Quoniam Adjutor, et Protector factus es mihi, alleluja.

De libro Genesis.

Lectio i. Cap. 39.

IGITUR Joseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphar Eunuchus Pharaonis Princeps exercitus, vir Ægyptius, de manu Ismaelitarum, a quibus perductus erat. Fuitque Dominus cum eo, et erat vir in cunctis prospere agens: habitavitque in domo domini sui, qui optime noverat Dominum esse cum eo, et omnia quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius. Inveniitque Joseph gratiam coram domino suo, et ministrabat ei; a quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, et universa quæ ei tradita fuerant. Benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joseph, et multiplicavit tam in ædibus, quam in agris cunctam ejus substantiam, nec quidquam aliud noverat, nisi panem quo vescebatur. Erat autem Joseph pulchra facie, et decorus aspectu.

℟. Clamavit populus ad regem alimenta petens. * Quibus ille respondit: Ite ad Joseph, alleluja. ℣. Salus nostra in manu tua est: respice nos tantum, et læti serviemus Regi. Quibus.

Lectio ii. Genes. cap. 41.

PLACUIT Pharaoni consilium, et cunctis ministris ejus: locutusque est ad eos: Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Joseph. Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es, numquid sapientiorem, et consimilem tui invenire potero? Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet, uno tantum Regni solio te præcedam. Dixitque rursus Pharao ad Joseph: Ecce constitui te super universam terram Ægypti. Tulitque annulum de manu sua, et dedit eum in manu ejus: vestivitque eum stola byssina, et collo torquem auream circumposuit. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genuflecterent, et præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti.

℟. Fecit me Deus quasi Patrem Regis, et Dominum universæ domus ejus: * Exaltavit me, ut salvos fa-

Digitized by Google

ceret multos populos, alleluja. ℣. Venite ad me, et ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ. Exaltavit.

Lectio iii. Genes. cap. 41.

DIXIT quoque Rex ad Joseph: Ego sum Pharao: absque tuo imperio non movebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti. Vertitque nomen ejus, et vocavit eum lingua Ægyptiaca, Salvatorem mundi. Deditque illi uxorem Aseneth filiam Putipharis Sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaque Joseph ad terram Ægypti (triginta autem annorum erat, quando stetit in conspectu Regis Pharaonis) et circuivit omnes Regiones Ægypti. Venitque fertilitas septem annorum: et in manipulos redactæ segetes congregatæ sunt in horrea Ægypti. Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est. Tantaque fuit abundantia tritici, ut arenæ maris coæquaretur, et copia mensuram excederet.

℟. Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo. Non sum fraudatus aspectu tuo. ℣. Insuper ostendit mihi Dominus semen tuum, alleluja. ℣. Qui pascit me ab adolescentia mea benedicat pueris istis: et invocetur super eos nomen meum. Insuper. Gloria Patri. Insuper.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe Puerum, et Matrem ejus, et vade in terram Israel, defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri, alleluja.

℣. Respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam, alleluja.

℟. Et perfice eam, alleluja.

Sermo sancti Bernardini Senensis.

Sermo 1. de S. Joseph.

Lectio iv.

OMNIUM singularium gratiarum alicui rationabili creaturæ communicatarum, generalis regula est, quod quandocumque divina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam singularem, seu ad aliquem sublimem statum, omnia charismata donet, quæ illi personæ sic electæ, et ejus officio necessaria sunt, atque illam copiose decorant. Quod maxime verificatum est in Sancto Joseph, putativo Patre Domini nostri Jesu Christi, et vero Sponso Reginæ mundi, et Dominæ Angelorum, qui ab æterno Patre electus est fidelis Nutricius, atque Custos principalium thesaurorum suorum, scilicet Filii ejus, et sponsæ suæ, quod officium fidelissime prosecutus est. Cui propterea Dominus ait: Serve bone, et fidelis, intra in gaudium Domini tui.

℟. Dedisti mihi protectionem salutis tuæ, et dextera tua suscepit me: * Protector meus, et cornu salutis meæ, et susceptor meus, alleluja. ℣. Ego Protector tuus sum, et merces tua magna nimis. Protector.

Lectio v.

SI compares eum ad totam Ecclesiam Christi, nonne iste est homo electus et specialis, per quem, et sub quo Christus est ordinate et honeste introductus in mundum? Si ergo Virgini Matri tota Ecclesia sancta debitrix est, quia per eam Christum suscipere digna facta est: sic profecto post eam huic debet gratiam et reverentiam singularem. Ipse enim est clavis veteris Testamenti, in qua Patriarchalis, et Prophetalis dignitas promissum consequitur fructum. Porro hic est solus, qui corporaliter possedit quod eis Divina dignatio repromisit. Merito igitur figuratur per illum Patriarcham Joseph, qui populis frumenta servavit. Sed et hic illum præcellit, quia non solum Ægyptiis panem corporalis vitæ, sed omnibus electis panem de cœlo, qui cœlestem vitam tribuit, cum multa solertia enutrivit.

℟. Statuet filios suos sub tegmine illius, et sub ramis ejus morabitur: protegetur sub tegmine illius a fer-

Digitized by Google

vore. * Et in gloria ejus requiescet, alleluja. ℣. Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra. Et in.

Lectio vi.

PROFECTO dubitandum non est, quod Christus familiaritatem, reverentiam, atque sublimisssimam dignitatem, quam sibi exhibuit, dum ageret in humanis, tamquam filius Patri suo, in cœlis utique non negavit, quin potius complevit, et consumavit. Unde non immerito in verbo proposito a Domino subinfertur: Intra in gaudium Domini tui. Unde, licet gaudium æternæ beatitudinis in cor hominis intret, maluit tamen Dominus ei dicere: Intra in gaudium; ut mystice innuatur, quod gaudium illud non solum in eo sit intra, sed undique illum circumdans, et absorbens, et ipsum velut abyssus infinita submergens. Memento igitur nostri, beate Joseph, et tuæ orationis suffragio apud tuum putativum Filium intercede, sed et Beatissimam Virginem Sponsam tuam nobis propitiam redde, quæ Mater est ejus, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita sæcula sæcul. Amen.

℟. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: * Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo, alleluja. ℣. In te cantatio mea semper, quoniam tu adjutor fortis. Si. Gloria. Si.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Consurgens Joseph accepit Puerum, et Matrem ejus, et venit in terram Israel, et habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth, alleluja.

℟. Invocavi Dominum Patrem Domini mei, alleluja.

℟. Ut non derelinquat me in die tribulationis, alleluja

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 3.

IN illo tempore: Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato, et orante, apertum est cœlum. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Lib. 2. de Consensu Evang.

MANIFESTUM est illud, quod ait, ut putabatur filius Joseph, propter illos dixisse, qui eum ex Joseph, sicut alii homines nascuntur, natum arbitrantur. Quos autem movet, quod alios progenitores Matthæus enumerat, descendens a David usque ad Joseph, alios autem Lucas ascendens a Joseph usque ad David, facile est, ut advertant, duos Patres habere potuisse Joseph: unum a quo genitus; alterum a quo fuerit adoptatus. Antiqua est enim consuetudo adoptandi etiam in illo populo Dei, ut sibi filios facerent quos non ipsi genuissent. Unde intelligitur Lucas Patrem Joseph, non a quo genitus, sed a quo fuerat adoptatus, suscepisse in Evangelio suo, cujus progenitores sursum versus commemorat, donec exiret ad David.

℟. Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est; pariet autem filium, * Et vocabis nomen ejus Jesum, allel. ℣. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Et vocabis.

Lectio viij.

CUM enim necesse sit, utroque Evangelista vera narrante, et Matthæo scilicet, et Luca, ut unus eorum ejus Patris originem teneret, qui genuerat; alter ejus, qui adoptaverat Joseph: quem probabilius intelligimus adoptantis originem tenuisse, quam eum, qui noluit Joseph genitum dicere ab illo, cujus eum filium esse narrabat? Matthæus autem dicens, Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, atque ita in hoc verbo, quod est genuit, perseverans, donec in ultimo diceret: Jacob autem genuit Joseph, satis expressit ad eum patrem se perduxisse originem generantium, a quo Joseph non a-

Digitized by Google

doptatus, sed genitus erat? Quamquam si etiam Lucas genitum diceret Joseph ab Heli, nec sic nos hoc verbum perturbare deberet, ut aliud crederemus, quam ab uno Evangelista gignentem, ab altero adoptantem Patrem fuisse commemoratum. Neque enim absurde quisque dicitur non carne, sed caritate genuisse quem filium sibi adoptaverit. At vero etiam nos, quibus dedit Deus potestatem filios ejus fieri, de natura atque substantia sua non nos genuit, sicut unicum Filium, sed utique dilectione adoptavit.

℟. Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum. * Et esto ibi, usque dum dicam tibi, allel. ℣. Ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi Filium meum. Et. Gloria. Et.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ

JACOB autem genuit Joseph, virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus Alleluia.

Psalm. Dominus regnavit *cum reliq. de Dom.* 13.

2. Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, alleluia.

3. Ascendit autem Joseph a Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam in civitatem David quæ vocatur Bethlehem, alleluia.

4. Et venerunt festinantes et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio, allel. alleluia.

5. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph, alleluia.

Capitulum ut ad Vesper.

Hymnus Cœlitum Joseph decus. *ut in die* 19. *Mart.* p. 685.

℣. Dedisti mihi protectionem salutis tuæ, allel.

℟. Et dextera tua suscepit me, allel.

Ad Bened. Ant. Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est, allel.

Oratio ut supra.

Et fit commem. Dominicæ.

Ad Tertiam.

Cap. Benedictiones Patris tui. *ut supra.*

℟. *br.* Constituit eum Dominum domus suæ,* Alleluja Allel. Constituit eum. ℣. Et principem omnis possessionis suæ. Allel. Gloria. Constituit.

℣. Confitebor nomini tuo, allel.

℟. Quoniam adjutor, et Protector factus es mihi, allel.

Ad Sextam.

Capitulum. Genesis 49.

DEUS Patris tui erit adjutor tuus, et omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper.

℟. *br.* Confitebor nomini tuo,* Alleluia. allel. Confitebor. Quoniam adjutor et protector factus es mihi. Allel. Gloria. Confitebor.

℣. Justus germinabit sicut lilium, allel.

℟. Et florebit in æternum ante Dominum, allel.

Ad Nonam

Capitulum. Gen. 49.

FILIUS accrescens Joseph, filius accrescens, et decorus aspectu; filiæ discurrerunt super murum.

℟. *br.* Justus germinabit sicut lilium,* Allel. allel. Justus. ℣. Et florebit in æternum ante Dominum. Allel. allel. Gloria. Justus.

℣. Plantatus in domo Domini, alleluja.

℟. In atriis domus Dei nostri, allel.

In II. Vesp. omnia ut in primis præter

℣. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, allel.

℟. Et fructus ejus dulcis gutturi meo, allel.

Ad Magnif. Ant. Fili, quid feci-

Digitized by Google

sti nobis sic? ecce pater tuus, et ego dolentes quærebamus te, allel.

Et fit comm. Dom.

DOMINICA I. MAII.

IN FESTO TRANSLATIONIS

S. Januarii Ep. et Mart.

Præcipui Patroni Regni Neap.

Duplex majus cum Octava.

Serventur Rubric. de temp. Paschal. tum quoad ℣℣. Alleluia *in Invit. Ant. et ℟℟. tum quoad tres Psalm. cujusque noct. dicend. sub 1. Ant.*

In I. Vesperis.

Ant. Suscitabo mihi, *cum reliquis ex Laudibus. Psalmi de Dominica*, p. 86. *et loco ultimi.* Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum.

FRATRES: Sancti per Fidem vicerunt regna operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones: obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.

Hymn. Deus tuorum militum *de com. un. Mart.* p. 13*.

℣. Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum.

℟. Ut salvet nos de manu inimicorum.

Ad Magnif. Ant. Beatus Januarius Præsul et Martyr inclytus extinxit impetum ignis, obturavit ora ferarum, et in occisione gladii pro Christo mortuus, legitimi certaminis coronam accepit.

Oratio.

DEUS, qui in Translatione beati Januarii Martyris tui atque Pontificis, pretioso nos præsidii tui pignore locupletasti: quæsumus, ut ipso intercedente, populum tuum ab omnibus periculis eruas: ac de thesauris tuis divitias in nos ineffabilis misericordiæ benignus effundas. Per Dominum.

HYMNUS

Præsulis Clerus, populusque nomen
Martyris laudet, celebresque palmas;
Et suo lætis modulis Patrono
Concinat hymnos.

Bestias, ignes, gladios minatur,
Ac necem judex furibundus ira:
Addit athletæ validas superna
Gratia vires.

Horret idolis adolere thura;
Dentibus, clamat, minuar ferarum,
Igne consumar, feriar securi
Victima Christi.

Hinc vomit flammas metuenda fornax;
Rugiunt illinc truculenta bruta;
Jussa lictores faciunt, eumque
Perdere certant.

Angelus cœlo volitans ab alto
Imperat flammis crepitante in æstu;
Quæ recedentes venerantur almi
Præsulis artus.

Inde procumbunt feritate missa
Ad pedes ejus placidi leones:
Strenuo optatam pugili coronam
Detulit ensis.

Sint tibi plausus, decus, atque virtus,
Cuncta qui nutu regis, et beatum
Martyrem claro decoras triumpho
Omne per ævum. Amen.

IN I. NOCTURNO.

1. *Ant.* Sacerdos magnus, qui in ascensu altaris sancti gloriam dedit sanctitatis amictum.

Seqq. Antiph. dicunt. tantum extr. temp. paschal.

Psalm. 1. Beatus vir etc. *cum reliq. de comm. un. Mart.*

2. Curavit gentem suam, et adeptus est gloriam in conversatione gentis.

3. Beati qui te viderunt, et amicitia tua decorati sunt.

℣. Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum.

℟. Ut salvet nos de manu inimicorum.

Lect. A Mileto, *De comm. unius Mart. extr. temp. Pasch.* p. 14*.

℟. Beatus Januarius in conspectu

Digitized by Google

Præsidis bonum certamen fidei certans, * Confessus est bonam confessionem coram multis testibus. ℣. Nolite præcogitare quid loquamini; sed quod datum fuerit vobis in illa hora, id loquimini: non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus. Confessus.

℟. II. Hæc dicit Dominus: * Quum ambulaveris in igne non combureris, et flamma non ardebit in te. ℣. Magistratus et judices, et potentes regis contemplabantur virum illum, quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corpore ejus, et capillus capitis ejus non esset adustus. Quum.

℟. III. Martyrem tuum, Domine, suspenderunt in equuleo: * Et fecerunt in eo quæcumque voluerunt. ℣. Tyrannus, et qui cum ipso erant mirabantur Martyris animum, quod tamquam nihilum duceret cruciatus. Et. Gloria. Et.

IN II. NOCTURNO.

Ant. I. Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.

. Seqq. Antiph. dicunt. tantum extr. temp. Paschal.

2. Persecutionem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus.

3. Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, et quærunt animam meam, ut auferant eam.

℣. Hic est qui multum orat pro populo.

℟. Et universa sancta civitate.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

QUO tempore beatus Pontifex Januarius pro Christi confessione Puteolis capite plexus est, venerabilis ejus Cruor, quem pro Christianæ Fidei veritate constantissime fuderat, pie collectus, atque in duabus vitreis ampullis reconditus est. Postea vero, pace Ecclesiæ reddita, sanctus Severus, ædificata jam prope Neapolim sancti Januarii Basilica, sacratissimum Martyris Corpus cum magna Neapolitani Cleri, populique frequentia, iis etiam, qui de genere beati Januarii erant, comitantibus, Neapolim religiosissime transtulit: et Corpus quidem in ejus Basilica condidit; Cruoris vero ampullæ, ad hanc usque diem seorsum servatæ, illustre miraculum spectantibus exhibent. Nam cum e regione desecti pro Christo Capitis ponuntur, Cruor admirandum in modum colliquefieri, perinde atque recens effusus, ad hæc usque tempora cernitur.

℟. Manus Domini facta est super servum suum: accinctisque lumbis currebat ante rhedam Præsidis: * Donec veniret ad locum martyrii ℣. Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine: sine iniquitate cucurri et direxi. Donec.

Sermo sancti Joannis Chrysostomi.
Tom. 6. Orat. de Mart.

Lectio v.

SÆPENUMERO, charissimi sub aurora Solem exorientem vidistis et quasi croceos radios emittentem. Talia Sanctorum erant corpora, dum veluti crocei quidam radii, rivi sanguinis undique ex illis defluerent, eorumque corpus, multo, quam cœlum Sol ipse, splendidius illustrarent. Hunc sanguinem Angeli contuentes oblectabantur, dæmones horrebant, et ipse diabolus tremebat. Non enim sanguis erat simpliciter, quod cernebatur, sed sanguis salutaris, sanguis sanctus, sanguis cœlo dignus sanguis qui pulchras Ecclesiæ arbores perenni irrigatione fecundat.

℟. In sua simplicitate * Liberatus est de ore leonum ℣. Paveant omnes habitatores in universa terra Deum: ipse est salvator faciens signa et mirabilia, qui liberavit servum suum de lacu leonum. Liberatus.

Lectio vj.

VIDIT hunc sanguinem, horruitque diabolus, recordatus est quippe alterius sanguinis Dominici. Propter illum sanguinem hic effluxit. Ex quo enim Domini latus apertum

Digitized by Google

est, sexcenta deinde latera effossa contueris. Quis enim non summa cum alacritate gaudiorum, sese ad agones istos ineundos, Dominicis passionibus communicaturus, et Christi morti conformis futurus accinget? Est enim sufficiens hæc retributio, et amplior merces, et, quod certamina excedit, præmium; vel illud etiam, quod ante ingressum cœlorum regnum consequimur.

℣. O Timothee Januario gratias age: * Nam propter eum tibi Dominus lumen donavit. ℣. Ecce manus Domini super te, et eris cæcus, et non videns solem usque ad tempus. Nam. Gloria. Nam.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. Dabo prodigia in cœlo sursum, et signa in terra deorsum, sanguinem et ignem, et vaporem fumi.

Seq. Ant. dicuntur tantum extr. temp. Pasch.

2. Januarius Christi martyr per fidem defunctus, mortuum prophetavit corpus ejus: in vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia operatus est.

3. Quum ignis egressus esset, et plaga desæviret, beatus Januarius pro populo deprecatus est, et plaga cessavit.

℣. Sperate in eo omnis congregatio populi.

℟. Effundite coram illo corda vestra.

Evang. et Homilia S. Joan. Chrysost. ut in festo S. Barnabæ Ap. die 11 Junii, p. 740.

℟. VII. Exaudi me, Domine, exaudi me, ut discat populus iste, quia tu es * Dominus Deus: Et tu convertisti cor eorum. ℣. Multi autem crediderunt, et factus est numerus virorum quinque millia. Et tu.

℟. VIII. Vidi animas decollatorum propter testimonium Jesu, et verbum Dei * Qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus. ℣. Æstimati sumus sicut oves occisionis; sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Qui. Gloria. Qui.

Nona Lect. de Dom. curr.

Ad Laudes

et per Horas Ant.

1. Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum, et animam meam faciet.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica*, p. 13.

2. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.

3. Nihil horum timeas, quæ passurus es: ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini.

4. Nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me; dummodo consummem cursum meum, et ministerium verbi.

5. In omni opere dedit confessionem Sancto et Excelso in verbo gloriæ.

Capitulum ut in Vesperis.

HYMNUS.

MIRA, quæ patras, tua, Januari,
Civitas gaudens recolit: stupentes
Advenæ cernunt: resonantque totum
Nota per orbem.
Namque concretus diuturno ab ævo
Sanguis ampulla vitrea liquescens
Bullit: ac rebus populo est sinistris
Dulce levamen.
Tu parens adsis; Patriæque custos
Se fac insignem pietate avita
Præbeat semper, Fideique vera
Dogmata servet.
Tu probos mores docili juventæ,
Tu senectuti placidam quietem,
Alma tu Regno bona pacis omnes
Impetra in annos.
Pelle tu pestem, furiasque belli,
Tu famem, terræ subitosque motus,
Atque Vesevi fera damna nostris
Mœnibus arce.
Laus sit excelsæ Triadi perennis,
Quæ tibi sertum tribuens coruscum,
Te viam nobis famulis precante
Pandat ad astra. Amen.

℣. Protegam Civitatem istam.
℟. Ut salvem eam.

Digitized by Google

Ad Bened. Ant. Igne me, Domine, examinasti, et non est inventa in me iniquitas: propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea.

Ad Tertiam.

℟. *brev.* Ne cesses pro nobis * Clamare ad Dominum. ℟. Ne cesses. ℣. Ut salvet nos de manu inimicorum. Clamare. Gloria. Ne cesses.

℣. Hic est qui multum orat pro populo.

℟. Et universa sancta civitate.

Ad Sextam.

Cap. Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres: lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt.

℟. *brev.* Hic est qui multum * Orat pro populo. Hic. ℣. Et pro universa sancta Civitate. Orat. Gloria. Hic.

℣. Sperate in eo omnis congregatio populi.

℟. Effundite corom illo corda vestra.

Ad Nonam.

Cap. Et hi omnes testimonio Fidei probati inventi sunt in Christo Jesu Domino nostro.

℟. *brev.* Sperate in eo * Omnis congregatio populi. Sperate. ℣. Effundite coram illo corda vestra. Omnis. Gloria. Sperate.

℣. Protegam civitatem istam.

℟. Ut salvem eam.

In II. Vesperis omnia ut in primis; et loco ult. Psal. Credidi, p.88.

Ad Magnif. Ant. Liberasti me, Domine, a rugientibus præparatis ad escam, et a pressura flammæ, quæ circumdedit me, et in medio ignis non sum æstuatus.

IV. Die infr. octav.

S. Januarii Ep. M.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Petri Chrysologi.

De S. Apollinari.

Lectio iv.

MERITO S. Januarius, quia juxta mandatum Dei sui perdidit animam suam, eam invenit in vitam sempiternam. Beatus, qui ita cursum consummavit, fidem servavit, ut vere primus a credentibus suo reperiretur in loco: nec eum quisquam Confessoris vocabulo minorem credat esse, quam Martyrem, quem Dei nutu, quotidianum, et multiplicem reversum conspicit ad agonem. Audi Paulum dicentem. Quotidie morior. Semel mori parum est eum, qui potest Regi suo gloriosam sæpe de hostibus referre victoriam.

Lectio v.

NON tam mors, quam fides et devotio Martyrem facit: et sicut virtutis est in acie, in conflictu, pro regis amore succumbere; ita perfectæ virtutis est, diu agere et consummare certamina. Non ideo persecutus est Martyrem, quia non statim intulit mortem, sed probavit Martyrem, quia non elicuit fidem, injecit tela quæ potuit, et omnia armorum suorum genera callidus exegit inimicus; nec tamen fortissimi ductoris movere mentem potuit, aut temerare constantiam.

Lectio vj.

SED ut propugnatorem suum sibi Ecclesia sancta retineret, Christo vehementer occurrit: ut vincenti justitiæ reservaret coronam, et sibi belli tempore præliatoris sui præsentiam condonaret. Et quid plura, fratres? Egit egit Ecclesia sancta mater, ut nusquam a suo separaretur Antistite. Ecce vivit: ecce ut bonus pastor suo medius assistit in grege; nec unquam separatur spiritu, qui corpore præcessit ad tempus: Extinctus est diabolus, persecutor occubuit. Ecce regnat et vivit, qui pro rege suo desideravit occidi, qui vivit, et regnat Deus per omnia sæculorum sæcula.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

Digitized by Google

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Ecce Ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Et reliqua.

De Homilia S. Joan. Chrysost.

Homil. 34. in Matt. longe post medium.

SIC dicere videtur : Nolite turbari, si cum vos inter lupos mitto tamquam oves, et columbas esse jubeo. Nam etsi possum contrarium quoque præstare, et non permittere, ut grave aliquid patiamini, nec lupis tamquam oves subjecti sitis, sed efficere, ut leonibus terribiliores evadatis; tamen sic expedit fieri : hoc et vos quoque illustriores faciet, et meam declarabit virtutem. Sic enim postea dixit Paulo : Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infirmitate perficitur. Ipse igitur vos, ut tales essetis, feci.

Lectio viij.

SED inspiciamus quam prudentiam exigit: serpentis certe. Nam quemadmodum serpens totum seipsum tradit, nec minimum curat, si ipsum quoque corpus incidi necesse sit dummodo caput suum integrum servet : eodem tu quoque modo, præter fidem cetera perdere non cures, sive pecunias, sive corpus, sive etiam vitam ipsam profundere necesse sit. Fides enim caput est, et radix, qua servata, etiam si omnia perdas, omnia tamen rursus majore cum gloria recuperabis. Idcirco nec simplices solum jussit esse, nec prudentes solum; sed ambo hæc in unum miscuit, ut ea in virtutem convertantur.

Lectio ix.

QUOD si rebus ipsis id ita fieri videre desideras, lege Actuum Apostolorum librum, perspicies profecto, cum sæpe Judæorum populus in Apostolos insurrexerit, ac dentes exacuerit, illos columbæ simplicitatem imitando, et cum decenti modestia respondendo iram ipsorum superasse, furorem extinxisse, impetum retardasse. Nam cum illi dicerent : Nonne præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto? quamvis innumera possent edere miracula, nihil tamen asperum neque dixerunt, neque fecerunt, sed summa cum mansuetudine respondentes dicebant : Si justum est vos audire magis quam Deum, judicate. Perspexisti simplicitatem columbæ, vide nunc serpentis prudentiam. Non enim possumus, inquiunt, nos quæ vidimus, et audivimus, non loqui.

Te Deum, p. 15.

V. Die infra octav.

In I. Noct. Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 50. de Verbis Domini.

Lectio iv.

PASTOR bonus Christus. Quid Petrus? nonne bonus pastor? Nonne et ipse animam suam pro ovibus suis posuit? Quid Paulus? Quid ceteri Apostoli? Quid eorum tempora consequentes beati Episcopi Martyres? Quid etiam iste sanctus Januarius? Nonne omnes pastores boni, non mercenarii, de quibus dicitur: Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam? Omnes ergo illi pastores boni, non solum quia sanguinem fuderunt, sed quia pro ovibus fuderunt : non enim fuderunt elatione, sed charitate.

Lectio v.

NAM et apud hæreticos, qui propter iniquitates, et errores suos aliquid molestiarum perpessi fuerunt, nomine martyrii se jactant : ut hoc pallio dealbati facilius furentur, quia lupi sunt. Si autem vultis scire, in quo numero habendi sunt, pastorem bonum Paulum Apostolum audite; quoniam non omnes, qui corpora sua in passione etiam ignibus tradunt, æstimandi sunt sanguinem fudisse pro ovibus, sed potius contra oves. Si distribuero, inquit, omnia mea pauperibus, et tradidero corpus meum, ita ut ardeam, jam ipsi sunt. Sed vide, quid sequitur. Charitatem autem

Digitized by Google

non habeam, nihil mihi prodest. Ecce venitur ad passionem, ecce venitur et ad sanguinis effusionem, venitur et ad corporum incensionem : et tamen nihil prodest, quia charitas deest. Adde charitatem, prosunt omnia: detrahe charitatem, nihil prosunt cetera.

Lectio vj.

QUALE bonum est charitas ista, fratres? quid pretiosius? quid luminosius? quid firmius? quid utilius? quid securius? quomodo autem habet vel exiguam charitatem, qui etiam convictus non amat unitatem? Hanc Dominus unitatem commendans, pastoribus bonis commendans pastores bonos, noluit multos appellare pastores. Neque enim ut dixi, jam non erat pastor bonus Petrus, Paulus, Apostoli ceteri, et posteriores sancti Episcopi beatusque Januarius? Omnes hi pastores boni et tamen ille pastoribus bonis non commendavit pastores bonos, sed pastorem bonum. Ego sum, inquit, Pastor bonus.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Et reliqua.

Homilia sancti Hilarii Episcopi.

Cap. 10. in Matth. circa medium.

INSTRUCTOS nos serpentis prudentia monet esse oportere. Hunc, antequam Adam traduceret, jam sapientem Genesis nuncupavit; et prudentiam ejus malignantis consilii ordine docuit. Primum enim animam sexus mollioris aggressus est, spe deinde illexit, et communionem immortalitatis spopondit, et per hæc tanta præmia, opus consilii, et voluntatis suæ gessit. Pari igitur opportunitate introspecta uniuscujusque et natura, et voluntate, verborum adhibenda prudentia est; spes bonorum futurorum revelanda, et cœlestia perfectæ fidei præmia proferenda.

Lectio viij.

ET quod ille mentitus est, nos prædicemus ex vero, secundum sponsionem Dei, Angelis similes futuros esse, qui credent, ut mentes plebium faciles et absolutas, circumsævientibus licet lupis, et hæreticis, promissis regnorum cœlestium occupemus, et rerum fidem serpentis prudentia, et columbæ simplicitate tradamus.

Lectio ix.

MONET etiam traditis abesse oportere curam responsionis, sed expectandum potius quid spiritus Dei suggerat. Quia fides nostra omnibus præceptis divinæ voluntatis intenta, ad responsionem scientiæ instruetur : in exemplo habentes Abraham, cui postulato ad hostiam Isaac, non defuit aries ad victimam.

Te Deum laudamus, p. 12.

VI. Die infra Octav.

In I. Noct. Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Maximi Episcopi.

De S. Cypriano, Homil. 2.

Lectio iv.

IN Translatione beatissimi Januarii, fratres charissimi universa nobiscum Christi exultat Ecclesia, quam in omne gaudium, et cœlestis eruditione sermonis instruxit, et munere triumphalis sanguinis decoravit. Fuit enim in eo, sicut compertum habemus, et contra errores diaboli spiritalis sapientiæ plenitudo, et adversum persecutiones mundi, Christiani pectoris infatigata constantia. Quis non hujusmodi virum, quantis valet præconiis prosequatur, cujus eloquentia inspirata divinitus et Ecclesias docuit, et sæculum confutavit?

Lectio v.

VERE hic mirabilis, atque omnium ubique studiis celebrandus quem sanctitas Sacerdotem, peritia

Digitized by Google

Doctorem, fides Martyrem consecravit. Pretiosa, inquit David, in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Videte charissimi, in quantum venerabilis Januarius etiam propheticam supergressus est laudem, cujus in conspectu Domini non solum mors, sed et vita extitit pretiosa. Moriendo namque, proprium Christo sanguinem dedit, vivendo nihilominus cohortatione fortissima, innumeros cœlo Martyres acquisivit.

Lectio vj.

QUID hoc clarius Sacerdote, qui inter hominum turbas gloria cœlestis conversationis emicuit, atque inter Angelicos cœtus, et sua factus est, et aliorum morte conspicuus? Justissime hic cum Patriarca David cantavit Domino Deo suo dicens: Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Exultavit itaque cor ejus in Deo vivo, cum morientis, ac morituri sæculi vanitate despecta, totum se divinis mancipavit obsequiis. Exultavit et caro ejus in Deo, quæ de hoc mundo non miseri corruptione languoris sed piis pro religione suppliciis consecrata migravit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Serm. 119. de divers.

AUDISTIS, fratres, cum sanctum Evangelium legeretur, quemadmodum Dominus noster Jesus Christus disciplina sua Martyres suos corroboraverit, dicens: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Considerate, fratres mei, quid faciat, si unus lupus inter multas oves veniat: quantacumque sint ovium millia, uno lupo in medio, turbabuntur, et si non omnes laniantur, omnes tamen terrentur. Qualis ergo erat ista ratio, quale consilium, qualis potestas, nec lupum ad oves mittere, sed in lupos oves mittere? Mitto, inquit, vos in medio luporum: non ad limites luporum, sed in medio luporum.

Lectio viij.

ERAT ergo luporum agmen, oves paucæ. Cum enim multi lupi occiderunt paucas oves, conversi sunt lupi, et facti sunt oves. Audivimus ergo, quod monuit, qui coronas promisit, et agonem præmisit, et quia expectat certantes, adjuvat laborantes. Cujusmodi certamen indixit? estote, inquit, astuti ut serpentes, et simplices sicut columbæ. Hoc qui intellexerit, et tenuerit, securus moritur. Quis autem securus moritur, nisi qui se sic noverit moriturum, ut mors in illo moriatur, vita coronetur?

Lectio ix.

QUAPROPTER, charissimi, exponendum est nobis, quamvis hinc jam sæpius dixerimus, quid sit, simplices esse sicut columbæ, astutos ut serpentes. Si jam simplicitas columbarum indicta est nobis, astutia serpentis quid facit in columbæ simplicitate? Amo in columba, quod fel non habet, timeo in serpente, quod venenum habet. Noli ex omni parte horrere serpentem: habet quod oderis, habet quod imiteris. Serpens enim, cum fuerit senectute prægravatus, et senserit pondus vetustatis, coarctat se super cavernam; et ponit tunicam veterem, ut novus exultet. Imitare illum, Christiane, qui audis Christum dicentem: Intrate per angustam portam. Et Paulus Apostolus tibi dicit: Exuite veterem hominem cum actibus suis, et induite novum.

Te Deum laudamus. 12.

VII. Die Infr. Octav.

In I. Noct. Lect. de script. occ.

IN II. NOCTURNO.

De Sermone S. Maximi Episcopi.
Homil 2. de S. Cypriano.

Digitized by Google

Lectio iv.

HIC est ille Evangelicus paterfamilias, proferens de thesauro suo nova, et vetera, qui veteris, noviquo Testamenti unum atque idipsum mysterium prædicans Ecclesias Christi locupletissima disputatione ditavit. Incorruptibilis, atque indefessus illius est hodie thesaurus, qui pecuniam Domini sui nummulariis fœnerans, quotidie in corde fidelium cœlestium divitiarum sanctam conquirit usuram.

Lectio v.

QUID igitur, fratres, tanto speciosius Viro, cujus hæc est regula et mensura sermonis, ut inter varias hominum causas, motusque diversos, nunc affectione Patris, nunc auctoritate Doctoris consoletur humiles, superbos comprimat, negligentes arguat, increpet infideles? Tantoque denique decore sacerdotium, vitamque suam Vir fidelissimus adornavit, ut doctrinam suam subsequentibus confirmaret operibus, Dominicam illam sententiam tenens: Qui docuerit, et fecerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

Lectio vj.

QUAM magnus hic, quamque præcipuus in regno cœlorum est, quem in omnem gloriam sermo propheticus, vita mirabilis, et mors Deo devota sublimat! Nec immerito, fratres, tanto cum honore nominis ejus memoria per amplissima mundi spatia celebratur, quia per universum orbem ad firmamentum fidei nostræ et passio ejus et doctrina profecit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Serm. 119. de diversis.

HABES ergo quod imiteris in Serpente: noli mori pro vetustate, sed pro veritate. Qui moritur pro commodo temporali, pro vetustate moritur; cum autem exutus fueris omni ista vetustate, imitatus es astutiam serpentis. Imitare et illum in hoc: serva caput tuum, tene apud te Christum. Si forte aliquis vestrum advertit aliquando, cum voluerit colubrum occidere, quomodo pro capite suo totum corpus objicit ictibus ferientis: illud in se feriri non vult, ubi se novit vitam habere. Et Christus vita nostra est: ipse enim dixit: Ego sum via, veritas, et vita. Audi et Apostolum: Caput viri Christus est. Qui ergo Christum servat in se, caput suum servat pro se.

Lectio viij.

JAM vero quid opus est commendare multis verbis simplicitatem columbarum? Cavenda enim erant venena serpentis. Ibi imitatio periclitabatur, ibi erat quod timeretur. Columbam vero securus imitare, attende columbas in societate gaudere: ubique simul volant, simul pascuntur, nolunt esse solæ, communione gaudent, charitatem servant, gemitibus amoris murmurant, osculis filios generant: nam quando columbæ, quod plerumque advertimus, rixantur de cellulis suis, quodammodo pacata contentio est. Numquid quia rixantur, separantur? simul volant, simul pascuntur, et ipsa inter se pacata est rixa.

Lectio ix.

VIDE rixam columbarum. Apostolus dicit: Si quis verbo nostro non obaudit per epistolam, hunc notate, et nolite commisceri cum eo. Ecce rixa; sed attende, quoniam columbarum est rixa, non luporum. Continuo subjecit: Et non ut inimicum existimetis, sed corripite ut fratrem. Columba amat et quando rixatur; lu-

Digitized by Google

pus odit et quando blanditur. Columbarum ergo simplicitatem habentes, astutiam servate serpentum.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

Octava S. Januarii

Duplex.

Lect. I. Noct. de script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Joannis Chrysost.

De S. Ignatio Mart. tom 5.

Lectio iv.

TEMPUS animadvertite, fratres, quo dignitatem Episcopalem beatus Januarius est assecutus. Neque enim est eadem nunc, quæ tunc erat Ecclesiam gubernandi conditio; non æqualis est labor viam tritam, et plane paratam post multos ingredi viatores, atque eam quæ nunc primo secanda est, quæque prærupta et saxosa, ferisque plena, nec ullum adhuc viatorem admisit. Tunc autem quocumque quis oculos verteret, ubique præcipitia, barathra, et bella, et pugnæ, et pericula; Imperatores, et Reges, et Populi, et Civitates, et Gentes, et domestici, et alieni credentibus insidias tendebant.

Lectio v.

QUEMADMODUM igitur gubernatorem admiramur, non quod vectores possit in portum incolumes ducere, cum mare tranquillum est, cumque navis fertur ventis secundis, sed cum insanieute pelago, ventisque sævientibus, qui in navi sunt, inter se dissentiunt, magna tempestate intus, et foris navigantes exagitante, navim tamen potest dirigere, et conservare. Sic eos, qui tunc Ecclesiam regebant multo magis, quam illos, qui eam in præsenti gubernant, suspicere debemus et admirari, quando multa bella intus et foris, quando fidei planta imbecillior erat adhuc, et diligentia magna indigebat: quando veluti modo genitus infans Ecclesiæ populus, magnam providentiam atque sapientiam animæ, a qua nutriendus esset, postulabat.

Lectio vj.

VERUM, ne totum tempus in Episcopatus consideratione collocantes, ab iis, quæ ad eum uti Martyrem spectant, enarrandis excludamur; age, ad illius certamina contendamus. Versutus enim diabolus, et ad struendas aptus insidias, existimabat, si pastores sustulisset, ovilia se facile direpturum. Sed qui comprehendit astutos in eorum astutia, ostendens Ecclesias suas non ab hominibus gubernari, sed eos, qui in ipsum credunt, semper a se regi, id fieri permittebat, ut cum cerneret, rectoribus sublatis, non tamen religionem deleri, nec veritatis prædicationem extingui, sed potius augeri: ex rebus ipsis, et ipse, et qui ei inserviebant, omnes intelligerent, Christianorum disciplinam non ab hominibus pendere, sed in cœlis radices agere, Deumque esse, qui ubique Ecclesias tueretur.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Et reliqua.

De Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homil. 4. in Matth. longe post init.

DILIGENTER considera, qui sunt qui hæc ardua et laboriosa adeunt, formidolosi videlicet, et indocti, illiterati, rudes, obscuri quidam homines ut ignoti, qui nunquam Philosophorum perceperunt instituta, vixque umquam in forum descenderunt, piscatores, et publicani, multis repleti rebus, quæ jure animos eorum possent dejicere. Nam si magnos et claros viros tanta difficultas rerum

Digitized by Google

potuisset commovere ; quomodo non potuisset imperitos homines, quibus nullius rei magni aliquid venit in mentem ? sed non dejecit , neque turbavit : nec id injuria , dicet quispiam : cum se intelligerent posse leprosos mundare , dæmonia ejicere.

Lectio viij.

EGO autem dicere non dubitarim , quia videlicet idipsum jure debebat ipsos conturbare ; quoniam qui tantam potestatem haberent , ut defunctos etiam a morte possent excitare , hi tanta pericula essent subituri , tanta bella gesturi , ad judices vincti deducendi , communis denique totius orbis admonitio futuri. Quæ igitur in omnibus his erat consolatio? Sola mittentis virtus. Quocirca ita signanter incepit : Ecce ego mitto vos. Sufficiat hoc vobis ad omnem consolationem , satis sit ad confiteudum. Vides quanta ejus est auctoritas ? Intelligis , quoniam maxima sit potestas? percipis inexpugnabilem ejus esse virtutem?

IX. Lect. de Dom. occ. de qua fit etiam comm. in Laud.

FERIA SEXTA

POST OCTAV. CORP. CHRISTI.

SS. Cordis Jesu.

Duplex majus.

Ad Vesperas.

Ant. Discite a me , *cum reliq. ut ad Laudes.*

Psalmus. Dixit Dominus, *cum reliquis , ut in Vesperis Festi SS. Corporis Christi.* p. 431.

Cap. *Isaiæ* 12.

ECCE Deus Salvator meus , fiducialiter agam , et non timebo , quia fortitudo mea , et laus mea Dominus , et factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

HYMNUS.

AUCTOR beate sæculi ,
Christe Redemptor omnium ,
Lumen Patris de lumine ,
Deusque verus de Deo.
Amor coegit te tuus
Mortale corpus sumere ,
Ut novus Adam redderes
Quod vetus ille abstulerat.
Ille amor almus artifex
Terræ , marisque et syderum ,
Errata Patrum miserans ,
Et nostra rumpens vincula :
Non corde discedat tuo
Vis illa amoris inclyti :
Hoc fonte gentes hauriant
Remissionis gratiam.
Percussum ad hoc est lancea ,
Passumque ad hoc est vulnera ;
Ut nos lavaret sordibus
Unda fluente , et sanguine
Decus parenti , et Filio ,
Sanctoque sit Spiritui ,
Quibus potestas , gloria ,
Regnumque in omne est sæculum. Amen.

℣. Ignem veni mittere in terram.

℟. Et quid volo , nisi ut accendatur ?

Ad Magnif. Ant. Improperium expectavit cor meum , et miseriam : et sustinui qui simul contristaretur , et non fuit ; et qui consolaretur , et non inveni.

Oratio.

CONCEDE quæsumus , omnipotens Deus , ut qui in sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes , præcipua in nos Charitatis ejus beneficia recolimus : eorum pariter et actu delectemur , et fructu. Per eumdem Dominum nostrum.

Ad Matutinum.

Christum pro nobis passum: * Venite adoremus.

Psalm. Venite exultemus. 1.

HYMNUS.

EN , ut superba criminum ,
Et sæva monstrorum cohors
Cor sauciavit innocens
Merentis haud tale Dei.
Vibrantis hastam militis
Peccata nostra dirigunt ;

Digitized by Google

Ferrumque diræ cuspidis
Mortale crimen acuit.
Ex corde scisso Ecclesia
Christo jugata nascitur;
Hoc ostium Arcæ in latere est
Genti ad salutem positum.
Ex hoc perennis gratia,
Ceu septiformis fluvius;
Stolas ut illic sordidas
Lavemus Agni in sanguine.
Turpe est redire ad crimina,
Quæ cor beatum lacerent:
Sed æmulemur cordibus
Flammas amoris indices.
Hoc, Christe nobis, hoc Pater:
Hoc Sancte dona Spiritus,
Quibus potestas, gloria,
Regnumque in omne est sæculum.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?

Psalm. Domine Dominus noster. *cum reliq. in festis B. V.* p. 92*

2. Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

3. Elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ.

℣. Domine dabis pacem nobis.

℟. Omnia enim opera nostra operatus es nobis.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 12.

CONFITEBOR tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, et consolatus es me. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo, quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Et dicetis in die illa: Confitemini Domino, et invocate nomen ejus, mementote quoniam excelsum est Nomen ejus. Cantate Domino, quoniam mirifice fecit: annuntiate hoc in universa terra. Exulta, et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel.

℟. Ego sum panis vitæ, patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt: * Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducet, non moriatur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Hic est panis.

Lectio ij. Cap. 26.

IN die illa cantabitur canticum istud in terra Juda. Urbs fortitudinis nostræ Sion Salvator, ponetur in ea murus, et antemurale. Aperite portas, et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem. Vetus error abiit, servabis pacem, pacem quia in te speravimus. Sperastis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. Quia incurvabit habitantes in excelso, civitatem sublimem humiliabit, humiliabit eam usque ad terram.

℟. Ecce vidimus eum non habentem speciem, neque decorem: aspectus ejus in eo non est: hic peccata nostra portavit, et pro nobis dolet: ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, * Cujus livore sanati sumus. ℣. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Cujus livore.

Lectio iij.

SEMITA justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum: et in semita judiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te: Nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Cum feceris judicia tua in terra, justitiam discent habitatores Orbis.

℟. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus, * Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum. ℣. Replebitur majestate ejus omnis terra, fiat fiat. Et benedictum. Gloria Patri. Et benedictum.

Digitized by Google

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. Afferentur in lætitia, et exultatione, adducentur in templum regis.

2. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

3. Sicut lætantium omnium habitatio est in te.

℣. Conversus est furor tuus.

℟. Et consolatus es me.

Sermo S. Bern. Abb.
Serm. 3. de Pass.
Lectio iv.

QUIA semel venimus ad Cor dulcissimum Jesu, et bonum est nos hic esse, ne sinamus nos facile avelli ab eo, de quo scriptum est: Recedentes a te in terra scribentur. Quid autem accedentes? Tu ipse doces nos. Tu dixisti accedentibus ad te: Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo. Accedamus ergo ad te, et exultabimus, et lætabimur in te, memores Cordis tui. O quam bonum, et quam jucundum habitare in Corde hoc! Quin potius dabo omnia, omnes cogitationes, et affectus mentis commutabo, jactans omne cogitatum meum in Cor Domini Jesu, et sine fallacia illud me enutriet.

℟. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem * In me manet, et ego in eo. ℣. Non est alia natio tam grandis; quæ habeat Deos appropinquantes sibi sicut Deus noster adest nobis. In me manet.

Lectio v.

AD hoc templum, ad hæc Sancta Sanctorum, ad hanc Arcam Testamenti adorabo, et laudabo nomen Domini, dicens cum David: Invenit cor meum, ut orem Deum meum. Et ego inveni cor Regis, fratris, et amici benigni Jesu. Et numquid non adorabo? Hoc igitur Corde tuo, et meo, dulcissime Jesu, invento, orabo te Deum meum: admitte tantum in sacrarium exauditionis tuæ preces meas, immo me totum trahe in Cor tuum. Omnium pulchritudine speciosissime Jesu, amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me; ut purificatus per te purissimum, possim accedere, et in Corde tuo omnibus diebus vitæ meæ merear habitare, et ut videre simul, et facere tuam valeam voluntatem.

℟. Sicut ovis ad occisionem ductus est, et dum male tractaretur, non aperuit os suum traditus est ad mortem, * Ut vivificaret populum suum. ℣. Tradidit in mortem animam suam, et inter sceleratos reputatus est. Ut vivificaret.

Lectio vj.

AD hoc enim perforatum est latus tuum, ut nobis patescat introitus. Ad hoc vulneratum est Cor tuum, ut in illo, et in te, ab exterioribus perturbationibus absoluti, habitare possimus. Nihilominus et propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile, vulnus invisibile videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi quod non solum Corpus, verum etiam ipsum Cor lancea vulnerari permisit? Carnale ergo vulnus vulnus spirituale ostendit. Quis illud Cor tam vulneratum non diligat? Quis tam amans non redamet? Quis tam castum non amplectatur? Nos igitur adhuc in corpore manentes, quantum possumus amemus, redamemus, amplectamur vulneratum nostrum, cujus impii agricolæ foderunt manus, et pedes, latus, et Cor: stemusque, ut cor nostrum durum adhuc, et impœnitens, amoris sui vinculo constringere, et jaculo vulnerare dignetur.) Quam charitatem Christi patientis, et pro generis humani Redemptione morientis, atque in suæ mortis commemorationem instituentis Sacramentum Corporis, et Sanguinis sui, ut Fideles sub sanctissimi Cordis symbolo devotius, ac ferventius recolant, ejusdemque fructus uberius percipiant, Clemens decimustertius Pontifex Maximus ejusdem sanctissimi Cordis Festum quibusdam petentibus Ecclesiis celebrare permisit.

℟. Magnus Dominus, et laudabilis

Digitized by Google

nimis : * Et sapientiæ ejus non est numerus. ℣. Magnus Dominus, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est finis. Et sapientiæ. Gloria. Patri. Et.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. Annuntiate de die in diem salutare ejus.

2. Adorate eum omnes Angeli ejus, audivit, et lætata est Sion.

3. Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.

℣. Ex Sion species decoris ejus.

℟. Deus noster manifeste veniet.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore Judæi, quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in Cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Tract. 120. in Joann.

UNUS militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua. Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud: sed aperuit, ut illud quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. Ille sanguis, qui fusus est, in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutare temperat poculum, et hæc lavacrum præstat, et potum. Hoc prænuntiabat, quod Noe in latere Arcæ ostium facere jussus est, quo intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura, quibus figurabatur Ecclesia.

℟. Misit me, vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: * Et qui manducat me, vivet propter me. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, et intellectus. Et qui.

De Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Ex Homilia 84.

Lectio viij.

VIDET quanti sit veritas? per ea quæ Judæi faciunt prophetia impletur, alia enim ex hoc manifestata est. Venerunt ergo milites, et aliorum fregerunt crura, non Christi; sed ad Judæorum gratiam conciliandam, latus ejus lancea aperuerunt, et mortuo adhuc insultant. O pessimam voluntatem, ac scelestissimam! Noli tamen perturbari, o dilectissime; quæ enim malo illi animo patrarunt, veritati consentiebant, prophetia hinc impleta est, inquiens: videbunt in quem transfixerunt. Neque hoc tantum, sed non credituris fuit fidei argumentum, ut Thomæ, et qui cum eo erant. Ad hæc et arcanum mysterium confirmatum est; exivit enim sanguis, et aqua. Non casu, et simpliciter hi fontes scaturierunt, sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est.

℟. Recessit Pastor noster, fons aquæ vivæ, ad cujus transitum sol obscuratus est: * Portas mortis, et seras pariter Salvator noster disrupit. ℣. Destruxit quidem claustra inferni, et subvertit potentias diaboli. Portas. Gloria. Portas.

De Homilia S. Bonaventuræ Episcopi.

Lib. de ligno Vitae.

Lectio ix.

PORRO ut de latere Christi dormientis formaretur Ecclesia, divina est ordinatione indultum, ut unus militum lancea latus sacrum illud aperiendo perfoderet, quatenus sanguine cum aqua manante, pretium effunderetur nostræ salutis, quod a fonte scilicet cordis arcano profusum, vim daret sacramentis Ecclesiæ, ad vitam gratiæ conferendam, essetque jam in Christo viventibus poculum fontis vivi, salientis in vitam æternam. Surge igitur anima amica Christi, vigilare non cesses, ibi os appone, ut haurias aquas de fontibus Salvatoris.

Digitized by Google

Te Deum laudamus. 12.

Ad Laudes

et per Horas Antiphona.

1. Discite a me quia mitis sum et humilis corde.

Psalm. Dominus reguavit, *cum reliq. de Dominica.* 13.

2. Sanctificavi locum istum ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei, et cor meum ibi cunctis diebus.

3. Et dixi: Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas, et fui flagellatus tota die.

4. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

5. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.

Capitulum.

Ecce Deus Salvator *ut sup.*

HYMNUS

Cor, Arca legem continens
Non servitutis veteris;
Sed gratiæ, sed veniæ,
Sed et misericordiæ.

Cor, sanctuarium novi
Intemeratum Fœderis,
Templum vetusto sanctius,
Velumque scisso utilius.

Te vulneratum charitas
Ictu patenti voluit;
Amoris invisibilis,
Ut veneremur vulnera.

Hoc sub amoris symbolo
Passus cruenta, et mystica,
Utrumque sacrificium
Christus Sacerdos obtulit.

Quis non amantem redamet?
Quis non redemptus diligat,
Et Corde in isto seligat,
Æterna tabernacula?

Decus Parenti, et Filio,
Sanctoque sit Spiritui,
Quibus potestas, gloria,
Regnumque in omne est sæculum.
Amen.

℣. Vere languores nostros ipse tulit.
℟. Et dolores nostros ipse portavit.

Ad Bened. Ant. Vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus.

Orat. Concede quæsumus, *ut supra.*

Ad Primam

In ℟. *br.* Christe Fili Dei vivi, *dicitur.* ℣. Qui passus es pro nobis.

Ad Tertiam.

Cap. Ecce Deus Salvator meus.

℟. *br.* Vere * Languores nostros ipse tulit. Vere. ℣. Et dolores nostros ipse portavit. Languores. Gloria. Vere.

℣. Posuit fines tuos pacem.
℟. Et adipe frumenti satiat te.

Ad Sextam.

Capitulum. Isaiæ. 12.

DICETIS in illa die: Confitemini Domino, et invocate nomen ejus: et mementote quoniam excelsum est nomen ejus.

℟. *br.* Posuit * Fines tuos pacem. Posuit. ℟. Et adipe frumenti satiat te. Fines. Gloria. Posuit.

℣. Dirupisti Domine vincula mea.
℟. Tibi sacrificabo hostiam laudis.

Ad Nonam.

Capitulum. *Isai.* 12.

CANTATE Domino, quoniam mirifice fecit, annuntiate hoc in universa terra. Exulta et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel.

℟. *brev.* Dirupisti Domine * Vincula mea. Dirupisti. ℣. Tibi sacrificabo hostiam laudis. Vincula mea. Gloria. Dirupisti.

℣. Erit Dominus nominatus in signum æternum.
℟. Quod non auferetur.

In II. Vesperis.

Omnia ut in primis, præter sequentia.

Digitized by Google

℣. Maurietis aquas in gaudio.
℟. De fontibus Salvatoris.

Ad Magnif. Ant. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum mortuum, non fregerunt ejus crura; sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua.

DOMINICA III. JULII.

In Solemn. SS. Redempt.

Duplex II. Classis.

Ad I. Vesperas.

Ant. 1. Virgam virtutis suæ emittet Dominus ex Sion, et regnabit in sæculum sæculi.

Psalm. Dixit etc. *p.* 86.

Ant. Redemptionem misit Dominus populo suo: mandavit in æternum testamentum suum.

Psalm. Confitebor etc. *p.* 86.

Ant. Misericordia mea, et refugium meum Dominus: susceptor meus, et liberator meus.

Psalm. Credidi etc. *p.* 88.

Ant. Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Psalm. De profundis etc. *p.* 92.

Ant. In quacumque die invocavero te, exaudies me: multiplicabis in anima mea virtutem.

Psalm. Confitebor etc. *p.* 95.

Capitulum. Tobiæ 3.

BENEDICTUM nomen tuum,
Deus patrum nostrorum: qui,
cum iratus fueris, misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.

HYMNUS.

CREATOR alme siderum,
Æterna lux credentium,
Jesu Redemptor omnium,
Intende votis supplicum.
Commune, qui Mundi nefas,
Ut expiares, ad Crucem
E Virginis Sacrario
Intacta prodis Victima.
Cujus potestas gloriæ,
Nomenque cum primum sonat,
Et Cœlites, et inferi
Tremente curvantur genu.
Qui Dæmonis ne fraudibus
Periret orbis, impetu
Amoris actus, languidi
Mundi medela factus es.
Te deprecamur ultimæ
Magnum diei Judicem,
Armis supernæ gratiæ
Defende nos ab hostibus.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

Sic terminantur Hymni ad omnes horas.

℣. Redemisti nos, Domine, in sanguine tuo.
℟. Et fecisti nos Deo nostro regnum.

Ad Magnif. Ant. Salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea in generationes generationum, allel.

Oratio.

DEUS, qui Unigenitum tuum Mundi Redemptorem constituisti, et per eum devicta morte nos misericorditer ad vitam reparasti; concede, ut hæc beneficia recolentes, tibi perpetua charitate adhærere, et ejusdem Redemptionis fructum percipere mereamur. Per eumdem Dominum.

Ad Matut. Invit. Redemptorem sæculorum, ipsum Regem Angelorum, Adoremus Dominum.

Psalm. Venite, exultemus. *p.* 1.

HYMNUS.

RERUM Creator optime,
Rectorque noster aspice:
Nos a quiete noxia
Mersos sopore libera.
Mentes, manusque tollimus,
Propheta sicut noctibus
Nobis gerendum præcipit,
Paulusque gestis censuit,
Te, Sancte Christe, poscimus,
Ignosce culpis omnibus,
Ad confitendum surgimus,
Morasque noctis rumpimus.
Jesu, tibi sit gloria,

Digitized by Google

Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto tuo.

Psalm. Domine, quid multiplicati, *p.* 3.

Ant. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Psalm. 8. qui incipit a versu seq. Quoniam, *p.* 4.

Ant. Dominus in templo sancto suo: Dominus in cœlo sedes ejus.

Psalm. In Domino confido, *p.* 5.

℟. Redime me Domine, et miserere mei. ℣. In Ecclesiis benedicam te, Domine.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 51.

AUDITE me, qui sequimini, quod justum est, et quæritis Dominum: attendite ad petram, unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua præcisi estis. Consolabitur ergo Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus, et ponet desertum ejus, quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini. Gaudium, et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis. Attendite ad me populo meus, et tribus mea me audite: quia lex a me exiet, et judicium meum in lucem populorum requiescet. Prope est Justus meus, egressus est Salvator meus, et brachia mea populos judicabunt: me insulæ expectabunt, et brachium meum sustinebunt.

℟. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, et elevatum: et plena erat omnis terra majestate ejus: * Et ea, quæ sub ipso erant, replebant templum. ℣. Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, et sex alæ alteri. Et ea.

Lectio ij.

LEVATE in cœlum oculos vestros, et videte sub terra deorsum: quia cœli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores ejus sicut hæc interibunt. Salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet. Audite me, qui scitis justum, populus meus: lex mea in corda eorum: nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: et sicut lanam, sic devorabit eos tinea: Salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea in generationes generationum.

℟. Aspice Domine de sede sancta tua, et cogita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, et audi: * Aperi oculos tuos, et vide tribulationem nostram. ℣. Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Joseph. Aperi.

Lectio iij.

CONSURGE, consurge, induere fortitudinem brachium Domini. Consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti dragonem? Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis: qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati? Et nunc qui redempti sunt a Domino, revertentur, et venient in Sion laudantes, et lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium, et lætitiam tenebunt, fugiet dolor, et gemitus. Ego, Ego ipse consolabor vos: quis tu, ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet? Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cœlos, et fundavit terram: et formidasti jugiter tota die a facie furoris ejus, qui te tribulabat, et paraverat ad perdendum: ubi nunc est furor tribulantis? Cito veniet gradiens ad aperiendum: et non interficiet usque ad internecionem, nec deficiet panis ejus. Ego autem sum Dominus Deus tuus.

℟. Deus, qui sedes super thro-

Digitized by Google

num, et judicas æquitatem, esto refugium pauperum in tribulatione, * Quia tu solus laborem et dolorem consideras. ℣. Tibi enim derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor. Quia tu. Gloria Patri. Quia.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.

Psalm. 19. Exaudiat te Dominus, *p.* 11.

Ant. Tu es ipse Rex meus, qui mandas salutes in Jacob.

Psalm. Domini est terra, *p.* 21.

Ant. Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.

Psalm. Deus noster refugium, *p.* 45.

℣. Memento nostri Domine in beneplacito populi tui.

℟. Visita nos in salutari tuo.

Sermo S. Leonis Papæ.

Serm. 1. de jejunio X. mensis et collectis.

Lectio iv.

SI fideliter, dilectissimi, atque sapienter creationis nostræ intelligamus exordium, inveniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset auctoris: et hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis, quasi in quodam speculo, Divinæ benignitatis forma resplendeat. Ad quam quotidie nos utique reparat gratia Servatoris, dum, quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo. Causa autem reparationis nostræ non est, nisi misericordia Dei, quem non diligeremus, nisi prius nos ipse diligeret, et tenebras ignorantiæ nostræ suæ veritatis luce discuteret.

℟. A dextris est mihi Dominus, ne commovear: * Propter hoc dilatatum est cor meum, et exultavit lingua mea. ℣. Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei. Propter.

Lectio v.

DILIGENDO itaque nos Deus, ad imaginem suam nos reparat: et ut in nobis formam suæ bonitatis inveniat, dat, unde ipsi quoque, quod operatur, operemur, accendens scilicet mentium nostrarum lucernas, et igne nos suæ charitatis inflammans, ut non solum ipsum, sed etiam quidquid diligit, diligamus. Nam si inter homines ea demum firma amicitia est, quam morum similitudo sociarit, cum tamen parilitas voluntatum sæpe in reprobos tendat affectus, quantum nobis optandum, atque nitendum est, ut in nullo ab iis, quæ Deo sunt placita, discrepemus? De quo dicit Propheta: Quoniam ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus: quia non aliter in nobis erit dignitas Divinæ Majestatis, nisi imitatio fuerit voluntatis.

℟. Intuere Domine, quia facta est desolata Civitas plena divitiis: sedet in tristitia Domina gentium: * Non est, qui consoletur eam, nisi tu Deus noster. ℣. Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus. Non est.

Lectio vj.

DICENTE itaque Domino: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua; et diliges proximum tuum sicut teipsum, suscipiat fidelis anima auctoris sui, atque rectoris immarcescibilem charitatem, totamque se etiam ejus subjiciat voluntati, in cujus operibus, atque judiciis nihil vacat a veritate justitiæ, nihil a miseratione clementiæ. Quoniam etsi magnis quis laboribus, et multis fatigetur incommodis, bona est illi causa tolerandi, qui se adversis, vel corrigi intelligit, vel probari.

℟. Ornaverunt faciem templi coronis aureis, et dedicaverunt altare Domino; * Et facta est lætitia magna in populo. ℣. In hymnis, et confessionibus benedicebant Dominum. Et. Gloria Patri. Et.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvabit te.

Digitized by Google

Psal. 60. Exaudi Deus deprecationem, *p.* 52.

Ant. Deus meus Salvator meus, salutare meum, et spes mea in æternum.

Psalm. 74. Confitebimur tibi Deus, *p.* 61.

Ant. Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui.

Psalm. 83. Quam dilecta, *p.* 68.

℣. Notam fecisti in Gentibus virtutem tuam.

℟. Redemisti in brachio tuo populum tuum.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 3.

IN illo tempore: Dixit Jesus Nicodemo: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Ex Tractatu in cap. 3. *Joannis.*

NEMO ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit. Descendit enim, et mortuus est, et ipsa morte liberavit nos a morte. Morte occisus mortem occidit. Et nostis, Fratres, quia mors ista per diaboli invidiam intravit in mundum. Deus mortem non fecit; Scriptura loquitur: Nec lætatur, inquit, in perditione vivorum; creavit enim, ut essent omnia. Sed quid ibi ait? Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum. Ad mortem a diabolo propinatam non veniret homo vi adactus; non enim cogendi potentiam diabolus habebat, sed persuadendi versutiam. Si non consentires, nihil invexerat diabolus; consensio tua, o homo, te perduxit ad mortem. A mortali mortales nati, et ex immortalibus mortales facti. Ab Adam omnes homines mortales; Jesus autem Filius Dei Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, unicus æqualis Patri, mortalis factus est, quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Si ergo mortem suscepit, et mortem suspendit in Cruce, de ipsa morte liberantur mortales. Quod in figura factum est apud antiquos, commemoravit illud Dominus.

℟. Laudabilis populus, * Quem Dominus exercituum benedixit, dicens: Opus manuum mearum tu es: hæreditas mea Israel. ℣. Beata gens, cujus est Dominus Deus; populus electus in hæreditatem. Quem.

Lectio viij.

ET sicut, inquit, Moyses exaltavit Serpentem in Eremo, ita exaltari oportet Filium hominis. Quis est serpens exaltatus? Mors Domini in cruce. Quia enim a serpente mors, per serpentis effigiem figurata est mors. Morsus serpentum lethalis, mors Domini vitalis. Attenditur serpens, ut nihil valeat serpens. Quid est hoc? Attenditur mors, ut nihil valeat mors. Sed cujus mors? Mors Vitæ. Nonne vita Christus? Et tamen mortuus est Christus. Interim modo, Fratres, ut a peccato sanemur, Christum Crucifixum intueamur: quia sicut Moyses, inquit, exaltavit serpentem in Eremo, ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quomodo qui intuebantur illum serpentem, non peribant morsibus serpentum: sic, qui intuentur fide mortem Christi, sanantur a morsibus peccatorum. Sed illi sanabantur a morte ad vitam temporalem: hic autem, ait, ut habeant vitam æternam. Hoc enim interest inter figuratam imaginem, et rem ipsam: figura præstabat vitam temporalem: res ipsa, cujus illa figura erat, præstat vitam æternam.

℟. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth: * Plena est omnis terra gloria ejus. ℣. Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt. Sanctus. Gloria. Plena.

IX. Lect. de Hom. Domin. occurr.

Digitized by Google

Ad Laudes

Et per Horas Antiph.

1. Cantate Domino, quoniam magnifice fecit: annuntiate hoc in universa terra.

Psalm. Dominus etc. *cum. reliq. de Domin.* 13.

2. Ecce Deus Salvator meus: fiducialiter agam; quia factus est mihi in salutem, alleluja.

3. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et dicetis: Confitemini Domino, et invocate nomen ejus.

4. Facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus.

5. Exulta, et lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui Sanctus Israel.

Capitulum. Tobiæ 3.

BENEDICTUM Nomen tuum, Deus Patrum nostrorum: qui cum iratus fueris, misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.

HYMNUS

SALUTIS humanæ Sator,
Jesu voluptas cordium,
Orbis Redempti Conditor,
Et casta lux amantium.

Qua victus es clementia,
Ut nostra ferres crimina?
Mortem subires innocens,
A morte nos ut tolleres?

Te cogat indulgentia,
Ut damna nostra sarcias,
Tuique vultus compotes
Dites beato lumine.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Domine refugium factus es nobis.

℟. A generatione, et progenie.

Ad Bened. Ant. Ecce Deus noster iste: expectavimus eum, et salvabit nos: sustinuimus eum, exultabimus, et lætabimur in salutari ejus, alleluja.

Oratio ut supra in I. Vesp.

Deinde fit comm. Domin. occurr.

Ad Primam.

In ℟. *br.* ℣. Qui redemisti mundum.

Ad Tertiam.

℟. *br.* Redime me Domine, * Et miserere mei. Redime. ℣. In Ecclesiis benedicam te, Domine. Et. Gloria. Redime.

℣. Memento nostri Domine in beneplacito populi tui.

℟. Visita nos in salutari tuo.

Ad Sextam.

Capitulum. 1. Cor. 1.

EX ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio et redemptio.

℟. *br.* Memento nostri Domine, * In beneplacito populi tui. Memento. ℣. Visita nos in salutari tuo. In. Gloria. Memento.

℣. Redemisti nos Domine in sanguine tuo.

℟. Et fecisti nos Deo nostro regnum.

Ad Nonam.

Capitulum. Apoc. 4. et 5.

DIGNUS es Domine Deus noster accipere gloriam, et honorem, et virtutem: quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum.

℟. *br.* Notam fecisti in populis, * Virtutem tuam. Notam. ℣. Redemisti in brachio tuo populum tuum. Virtutem. Gloria. Notam.

℣. Domine refugium factus es nobis.

℟. A generatione, et progenie.

In II. Vesp. omn. ut in primis præter

Ad Magnif. Ant. Regnum tuum. Regnum omnium sæculorum, et Do-

Digitized by Google

minatio tua in omni generatione, et generationem, alleluja.

Deinde fit comm. Domin. occurr.

DOM. INFR. OCT.

Assumpt. B. M. V.

SS. Cordis B. M. V.

Duplex majus

Omnia ut in festis B.M.V.p.92.*

In utrisque vesp. et Laud. comm. Domin. currentis.

DOM. III. SEPTEMB.

Septem Dolorum B. M.V.

Duplex majus.

Si hodie occurrat Octava Nativ. B. M. aut Festum S. Matthæi, tunc Festum 7. Dolorum transfertur in primam ex Dom. sequentibus Officio 1. *vel* 2. *Classis non impeditam.*

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud. Psalmi ut in festis B. M. V. p. 92*.

HYMNUS.

O QUOT undis lacrymarum,
Quo dolore volvitur,
Luctuosa de cruento
Dum revulsum stipite.
Cernit ulnis incubantem
Virgo Mater Filium!
Os suave, mite pectus,
Et latus dulcissimum,
Dexteramque vulneratam,
Et sinistram sauciam,
Et rubras cruore plantas
Ægra tingit lacrymis.
Centiesque milliesque
Stringit arctis nexibus
Pectus illud et lacertos,
Illa figit vulnera;
Sicque tota colliquescit
In doloris osculis.
Eia, Mater, obsecramus
Per tuas has lacrymas,
Filiique triste funus,
Vulnerumque purpuram,
Hunc tui cordis dolorem
Conde nostris cordibus.
Esto Patri, Filioque,
Et coævo Flamini
Esto summæ Trinitati
Sempiterna gloria,
Et perennis laus, honorque
Hoc et omni sæculo. Amen.

℣. Regina Martyrum, ora pro nobis. ℟. Quæ juxta crucem Jesu constitisti.

Ad Magnif. Ant. Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol. Filii matris meæ pugnaverunt contra me.

Oratio ut infra in Laudibus.

Deinde fit comm. Dom. occ.

Ad Complet. et horas in fine Hymnorum dicitur,

Jesu, tibi sit gloria,
Qui passus es pro servulis.

Ad Matutinum.

Invit. Stemus juxta crucem cum Maria matre Jesu, * Cujus animam doloris gladius pertransivit.

Psalm. Venite exultemus, *p.* 1.

HYMNUS.

JAM toto subitus vesper eat polo,
Et sol attonitum præcipitet diem,
Dum sævæ recolo ludibrium necis,
Divinamque catastrophem.
Spectatrix aderas supplicio, Parens,
Malis uda, gereus cor adamantinum,
Natus funerea pendulus in cruce
Altos cum gemitus dabat.
Pendens ante oculos Natus, atrocibus
Sectus verberibus; Natus hiantibus.
Fossus vulneribus, quot penetrantibus
Te confixit aculeis!
Eheu! sputa, alapæ, verbera vulnera,
Clavi, fel, aloe, spongia, lancea,
Sitis, spina, cruor, quam varia pium
Cor pressere tyrannide!
Cunctis interea stat generosior
Virgo martyribus, prodigio novo
In tantis moriens non moreris, Parens,
Diris fixa doloribus.

Digitized by Google

Sit summæ Triadi gloria, laus, honor,
A qua suppliciter, sollicita prece,
Posco Virginei roboris æmulas
Vires rebus in asperis. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Multiplicati sunt qui tribulant me, multi insurgunt adversum me.

Psalm 3. Domine quid, *p.* 3.

Ant. Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.

Psalm. 10. In Domino confido, *p.*5.

Ant. Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus.

Psalm. 30. In te Domine, *p.* 34.

℣. Regina Martyrum, ora pro nobis. ℟. Quæ juxta crucem Jesu constitisti.

De Jeremia Propheta.

Lectio j. *Thren.* I.

PLORANS ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus: non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus. Omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici. Vide, Domine, quoniam tribulor; conturbatus est venter meus, subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum. Foris interficit gladius, et domi mors similis est. Audierunt quia ingemisco ego, et non est qui consoletur me.

℟. Simeon, vir justus et timoratus, dixit ad Mariam: * Tuam ipsius animam pertransibit gladius. ℣. Ne vocetis me pulchram, sed amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens. Tuam.

Lectio ij. *Thren.* 2.

CUI comparabo te? vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? cui exæquabo te, et consolabor te, virgo filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui? Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilaverunt, et moverunt caput suum super filiam Jerusalem: Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ? Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt, et fremuerunt dentibus, et dixerunt: Devorabimus.

℟. Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum: * Et esto ibi usque dum dicam tibi. ℣. Vocavi filium meum ex Ægypto, ut veniat salus in Israel. Et.

Lectio iij.

FECIT Dominus quæ cogitavit, complevit sermonem suum, quem præceperat a diebus antiquis: destruxit, et non pepercit, et lætificavit super te inimicum, et exaltavit cornu hostium tuorum. Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion: Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

℟. Fili, quid fecisti nobis sic? * Ego et pater tuus * Dolentes quærebamus te. ℣. Quid est, quod me quærebatis? In his quæ Patris mei sunt, oportet me esse. Ego. Gloria. Dolentes.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

Psalm. 21. Deus Deus meus, *p.*22.

Ant. Deus, vitam meam annuntiavi tibi, posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Psalm. 55. Miserere mei, *p.* 50.

Ant. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.

Psalm. 41. Quemadmodum, *p.* 43.

℣. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. ℟. Inter ubera mea commorabitur.

Lect. II. Noct. Martyrium Virginis *ut supra*, p. 693.

℟. iv. Jesum bajulantem sibi crucem * Sequebatur turba mulierum, quæ plangebant, et lamentabantur eum. ℣. Filiæ Jerusalem, super vos ipsas flete, et super filios vestros. sequebatur.

℟. v. Postquam venerunt in locum

Digitized by

qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum: * Stabat autem juxta crucem Jesu mater ejus. ℣. Tunc beatam illius animam doloris gladius pertransivit. Stabat.

℟. vj. Joseph ab Arimathæa * Petiit corpus Jesu, quod de cruce depositum * Suo complexu Mater excepit. ℣. Dolens Sunamitis sinu et genibus suis sustinuit mortuum Filium. Petiit. Gloria. Suo.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Psalm. 63. Exaudi Deus, *p.* 83.

Ant. Anima mea turbata est valde: sed tu, Domine, usquequo?

Psalm. 6. Domine ne, *p.* 3.

Ant. Deus adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.

Psalm. 45. Deus noster, *p.* 45.

℣. Per te salutem hauriamus virgo Maria. ℟. Ex vulneribus Christi.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

De Instit. Virg. cap. 7.

STABAT juxta crucem mater, et fugientibus viris stabat intrepida. Videte utrum pudorem mutare potuerit Mater Jesu, quæ animum non mutavit. Spectabat piis oculis Filii vulnera, per quæ sciebat omnibus futuram redemptionem. Spectabat non degeneri Mater spectaculo, quæ non metueret peremptorem. Pendebat in cruce Filius, mater se persecutoribus offerebat.

℟. Quis tibi sensus fuit, o Mater dolorum, * Dum Joseph sindone Filium tuum involvit, et posuit eum in monumento? ℣. Considerate, et videte, si est dolor sicut dolor meus. Dum.

Ex ejusdem Epist. 25. ad Eccles. Vercell. prope finem.

Lectio viij.

MARIA mater Domini ante crucem Filii stabat. Nullus me hoc docuit, nisi sanctus Joannes Evangelista. Mundum alii concussum in passione Domini conscripserunt, cœlum tenebris obductum, refugisse solem, in paradisum latronem, sed post piam confessionem, receptum. Joannes docuit quod alii non docuerunt, quemadmodum in cruce positus matrem appellaverit. Pluris putatur, quod victor suppliciorum, pietatis officia matri exhibebat, quam quod regnum cœleste donabat Nam si religiosum est, quod latroni donatur venia, multo uberioris pietatis est, quod a Filio mater tanto affectu honoratur.

℟. In toto corde tuo gemitus matris tuæ ne obliviscaris, * Ut perficiatur propitiatio et benedictio. ℣. Ave Princeps generosa, martyrumque prima rosa, virginumque lilium. Ut. Gloria. Ut.

Lectio ix. *de Homilia Dom. occ.*

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Quo abiit * dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? Quo declinavit dilectus tuus, et quæremus eum tecum?

2. Recedite a me, * amare flebo; nolite incumbere ut consolemini me.

3. Non est ei * species neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus.

4. A planta pedis usque ad verticem capitis * non est in eo sanitas.

5. Fulcite me floribus, * stipate me malis, quia amore langueo.

Capitulum Thren. 2.

CUI comparabo te? Vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? cui exæquabo te, et consolabor te, virgo filia Sion? Magna est velut mare contritio tua.

HYMNUS.

SUMMÆ Deus clementiæ,
Septem dolores Virginis,

Digitized by Google

Plagasque Jesu Filii
Fac rite nos revolvere.
Nobis salutem conferant
Deiparæ tot lacrymæ,
Quibus lavare sufficis
Totius orbis crimina.
Sit quinque Jesu vulnerum
Amara contemplatio:
Sint et Dolores Virginis
Æterna cunctis gaudia.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui passus es pro servulis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Maria virgo, per virtutem tot dolorum. ℟. Fac nos gaudere in regno cœlorum.

Ad Bened. Ant. Venite, ascendamus ad montem Domini, et videte, si est dolor sicut dolor meus.

Oratio.

DEUS, in cujus Passione, secundum Simeonis prophetiam, dulcissimam animam gloriosæ virginis et matris Mariæ doloris gladius pertransivit, concede propitius, ut qui Dolores ejus veneramdo recolimus, passionis tuæ effectum felicem consequamur. Qui vivis.

In ℟. br. ad Primam ℣. Qui passus es propter nostram salutem.

Ad Tertiam.

Capit. Cui comparabo.

℟. *br.* O vos omnes, * Qui transitis per viam. O vos. ℣. Attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus. Qui. Gloria. O vos. ℣. Defecerunt præ lacrimis oculi mei. ℟. Conturbata sunt omnia viscera mea.

Ad Sextam.

Capitulum Thren. I.

PLORANS ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus, non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.

℟. *br.* Defecerunt * Præ lacrymis oculi mei. Defecerunt. ℣. Conturbata sunt omnia viscera mea. Præ. Gloria. Defecerunt. ℣. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. ℟. Inter ubera mea commorabitur.

Ad Nonam.

Capitulum Thren. 2.

DEDUC quasi torrentem lacrymas per diem et noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

℟. *br.* Fasciculus myrrhæ * Dilectus meus mihi. Fasciculus. ℣. Inter ubera mea commorabitur. Dilectus. Gloria. Fasciculus. ℣. Anima mea liquefacta est. Ut dilectus locutus est.

In II. Vesperis.

Omnia dicuntur ut in I. præter

Ad Magnif. Ant. Oppressit me dolor, et facies mea intumuit a fletu, et palpebræ meæ caligaverunt.

Et fit comm. Dom. occ.

DOM. II. OCTOBRIS.

Maternitatis B. M. V.

Duplex Majus.

In I. Vesperis.

Ant. Beata es Virgo Maria, &c. *cum reliq. de Laud. Psalmi ut in fest. B. M. V. p.* 92*.

Capitulum. Eccl. c. 24.

QUI creavit me, requievit in tabernaculo meo; et dixit mihi: in Jacob inhabita, et in electis meis mitte radices.

Hymn. Ave maris stella, *p.* 93*.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Magnif. Ant. Cum jucunditate Maternitatem Beatæ Mariæ semper Virginis celebremus.

Oratio.

DEUS, qui de Beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem.

Deinde fit commem. Domin. occurr.

Ad Horas hymn. termin. Jesu, tibi sit gloria.

Digitized by Google

Ad Matut. Invit. Maternitatem Beatæ Mariæ Virginis celebremus: * Christum eius Filium adoremus Dominum.

Psalm. Venite, exultemus, 1.

HYMNUS.

CŒLO Redemptor prætulit
Felicis alvum Virginis,
Ubi caducum, fragile,
Mortale corpus induit.

Hæc Virgo nobis edidit
Nostræ salutis auspicem,
Qui nos redemit Sanguine,
Pœnas, Crucemque pertulit.

Spes læta nostro e pectore
Pellat timores anxios:
Hæc quippe nostras lacrymas,
Precesque defert Filio.

Voces Parentis excipit,
Votisque Natus annuit,
Hanc quisque semper diligat,
Rebusque in arctis invocet.

Sit Trinitati gloria,
Quæ Matris intactum sinum
Ditavit almo germine:
Laus sit per omne sæculum. Amen.

Ant. et Psalm. ut in festis B. V. p. 94.*

IN I. NOCTURNO.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua.

℟. Intende, prospere procede, et regna.

De libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 24.

EGO ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram. Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. Gyrum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi: in fluctibus maris ambulavi, et in omni terra steti: et in omni populo, et in omni gente primatum habui: et omnium excellentium, et humilium corda virtute calcavi: et in his omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor.

℟. Felix es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima. * Ex qua ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster, per quem salvati, et redempti sumus. ℣. Maternitatem Beatæ Mariæ Virginis cum gaudio celebremus. Ex qua.

Lectio ij.

TUNC præcepit, et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo; et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices. Ab initio, et ante sæcula creata sum, ut usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.

℟. Sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris: * Qui cœlum, terramque regit, in tua se clausit viscera factus homo. ℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Qui cœlum.

Lectio iij.

QUASI cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion: quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho: quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris: et quasi storax, et galbanus, et ungula, et gutta, et quasi libanus non incisus vaporavi habitationem meam, et quasi balsamum non mixtum odor meus. Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris, et gratiæ. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.

℟. Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas: * Speciosa facta es, et suavis in de-

Digitized by Google

liciis tuis, Sancta Dei Genitrix. ℣. Sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam Maternitatem. Speciosa. Gloria Patri. Speciosa.

IN II. NOCTURNO.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.
℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Lectio iv.

Ex Sermone Sancti Leonis Papæ.
Serm. 1. *de Nativ. Domini.*

VIRGO Regia Davidicæ stirpis eligitur, quæ sacro gravidanda fœtu, divinam, humanamque prolem prius conciperet mente, quam corpore: et ne superni ignara consilii ad inusitatos paveret affatus, quod in ea operandum erat a Spiritu Sancto, colloquio discit Angelico: Nec damnum credit pudoris, Dei Genitrix mox futura. Cur enim de conceptionis novitate desperet, cui efficientia de Altissimi virtute promittitur? Confirmatur credentis fides etiam præeuntis attestatione miraculi. Donatur Elisabeth inopinata fœcunditas, ut qui conceptum dederat sterili, daturus non dubitaretur et Virgini. Verbum igitur Dei Filius, qui in principio erat apud Deum, per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil, propter liberandum hominem ab æterna morte factus est homo.

℟. Gloriosæ Virginis Mariæ Maternitatem dignissimam recolamus: * Cujus Dominus humilitatem respexit, quæ, Angelo nuntiante, concepit Salvatorem mundi. ℣. Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate mirabilis Genitricis Dei. Cujus.

Lectio v.

Serm. 2. de Nativ. Dom.

INGREDITUR hæc infima Jesus Christus Dominus noster de cœli sede descendens, et a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris: incomprehensibilis voluit comprehendi: ante tempora manens, esse cœpit in tempore. Nova autem nativitate genitus est, conceptus a Virgine, natus ex Virgine, sine paternæ carnis concupiscentia, sine maternæ integritatis injuria; quia futurum hominum Salvatorem talis ortus decebat, qui et in se haberet humanæ substantiæ naturam, et humanæ carnis inquinamenta nesciret. Origo dissimilis, sed natura consimilis: humano usu, et consuetudine, quod credimus, caret: sed divina potestate subnixum est, quod Virgo conceperit, Virgo pepererit, Virgo permanserit.

℟. Benedicta filia tu a Domino, quia per te fructum vitæ communicavimus. * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo. ℣. Nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, et a periculis cunctis libera nos, Sancta Dei Genitrix. Sola.

Lectio vj.

OPORTUIT, ut primam Genitricis integritatem nascentis incorruptio custodiret, et complacitum sibi claustrum pudoris, et sanctitatis hospitium Divini Spiritus virtus infusa servaret, quæ statuerat dejecta erigere, confracta solidare, et superandis carnis illecebris multiplicatam pudicitiæ donare virtutem: ut virginitas, quæ in aliis non poterat salva esse generando, fieret aliis imitabilis renascendo. Hoc ipsum autem, quod Christus nasci eligit ex Virgine, nonne apparet altissimæ fuisse rationis? ut scilicet humano generi natam salutem diabolus ignoraret, et spirituali latente conceptu, quem non alium videret, quam alios, non aliter crederet natum esse, quam ceteros. Quod ut fieret, editus est Christus ex Virgine quam Spiritus Sanctus fœcundavit: et cum in omnibus matribus non fiat sine peccati sorde conceptio, hæc inde purgationem traxit, unde concepit.

℟. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui: * Unde

Digitized by Google

hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? ℣. Respexit humilitatem Ancillæ suæ; et fecit mihi magna, qui potens est. Unde. Gloria. Unde.

IN III. NOCTURNO.

℣. Fecit mihi magna, qui potens est.

℟. Misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.

Lectio vij.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam. *Cap.* 2.

IN illo tempore. Cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt Parentes ejus. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Homil. 1. de laud. Virg. Matris.

DEUM, et Dominum Angelorum Maria suum Filium appellat, dicens: Fili, quid fecisti nobis sic? Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis, et pro magno habent, quod cum sint spiritus ex conditione, ex gratia facti sint, et vocati angeli, testante David: Qui facit Angelos suos spiritus. Maria vero Matrem se agnoscens, Majestatem illam, cui illi cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat filium; nec dedignatur nuncupari Deus, quod esse dignatus est. Nam paulo post subdit Evangelista: Et erat subditus illis. Quis? quibus? Deus hominibus: Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus, et Potestates obediunt, subditus erat Mariæ.

℟. Beata es Virgo Maria Dei Genitrix, quæ credidisti Domino: perfecta sunt in te, quæ dicta sunt tibi:* Propterea benedixit te Deus in æternum. ℣. Diffusa est gratia in labiis tuis: intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. Propterea.

Bened. Cujus festum colimus, ipsa Virgo Virginum.

Lectio viij.

MIRARE utrumlibet, et elige, quod amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrinque stupor, utrinque miraculum. Et quod Deus feminæ obtemperet, humilitas absque exemplo; et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus Virginum singulariter canitur, quod sequuntur Agnum, quocumque ierit. Quibus ergo laudibus judicas dignam, quæ etiam præit? Disce homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare. De Auctore tuo loquens Evangelista: Et erat, inquit, subditus illis. Erubesce, superbe cinis, Deus se humiliat, et tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, et tu, dominari gestiens hominibus, tuo te præponis Auctori? Felix Maria, cui nec humilitas defuit, nec virginitas. Et quidem singularis virginitas, quam non temeravit, sed honoravit fœcunditas. Et nihilominus specialis humilitas, quam non obstulit, sed extulit fœcunda virginitas: et incomparabilis prorsus fœcunditas, quam virginitas simul comitatur, et humilitas. Quid horum non mirabile? quid non incomparabile? quid non singulare? Mirum vero, si non hæsitas in horum ponderatione, quid tua judices dignius admiratione; utrum videlicet potius stupenda sit fœcunditas in Virgine, quam integritas: sublimitas in prole, an cum tanta sublimitate humilitas! Nisi quod indubitanter horum singulis præferenda sunt simul cuncta, et incomparabiliter excellentius est, atque felicius omnia percepisse, quam aliqua. Et quid mirum, si Deus, qui mirabilis cernitur, et legitur in Sanctis suis, mirabilem se exhibuit in Matre sua? Veneramini ergo, conjuges, in carne corruptibili carnis integritatem. Vos, sacræ Virgines, in Virgine fœcunditatem. Imitamini omnes homines Dei matris humilitatem.

℟. Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula, placui Altissimo; * Et de meis visceribus genui Deum, et hominem. ℣. Beatam me dicent omnes

generationes, quia Ancillam humilem respexit Deus. Et. Gloria. Et.

Nona Lect. Hom. Dom. occurr.

Te Deum Laudamus. 12.

Ad Laudes

et per Horas Antiph.

1. Beata es Virgo Maria, quæ omnium portasti Creatorem.

Psalm. Dominus regnavit, etc. *cum reliq. de Dom.* 13.

2. Genuisti, qui te fecit, et in æternum permanes Virgo.

3. Beatam me dicent omnes generationes, quia Ancillam humilem respexit Dominus.

4. Fecit mihi magna, qui potens est, et Sanctum Nomen ejus.

5. Viderunt eam filiæ Sion, et beatam dixerunt, et Reginæ laudaverunt eam.

Capitulum. Eccl. Cap. 24.

QUI creavit me, requievit in tabernaculo meo: et dixit mihi: in Jacob inhabita, et in electis meis mitte radices.

HYMNUS

TE, Mater alma Numinis,
Oramus omnes supplices,
A fraude nos ut Dæmonis
Tua sub umbra protegas.
Ob perditum nostrum genus
Primi parentis crimine,
Ad inclytum Matris decus,
Te Rex supremus extulit.
Clementer ergo prospice
Lapsis Adami posteris:
A te rogatus Filius
Deponat iram vindicem.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Germinavit radix Jesse: orta est Stella ex Jacob.

℟. Virgo peperit Salvatorem: te laudamus Deus noster.

Ad Bened. Ant. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam admirabilem Maternitatem.

Oratio ut supra in I. Vesper.

Deinde fit commem. Dom. occurr.

Ad Horas Ant. Cap. ad Tert. et Oratio, ut in Laud. reliq. ut in festis B. Mariæ V. p. 101.*

Ad Primam in ℟. br. ℣. Qui natus es de Maria Virgine.

In II. Vesp. omnia, ut in I.

Ad Magnif. Ant. Maternitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: ex te enim ortus est Sol justitiæ Christus Deus noster.

Deinde fit commem. Dom. occurr.

DOMINICA III. OCTOB.

Puritatis Beat. Mariæ V.

Duplex Majus.

Ad Vesp. Ant. Sicut lilium inter spinas. *cum reliq. de Laudibus.*

Psalm. Dixit Dominus. *cum reliq. ut in festis B. V. Mariæ.* p. 92*.

Capitulum. Sap. Cap. 4.

O QUAM pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam et apud Deum nota est, et apud homines.

HYMNUS

PRÆCLARA Custos Virginum,
Intacta Mater Numinis,
Cœlestis aulæ janua,
Spes nostra, Cœli gaudium.
Inter rubeta lilium
Columba formosissima:
Virga e radice germinans
Nostro medelam vulneri.
Turris Draconi impervia,
Amica Stella Naufragis,
Tuere nos a fraudibus,
Tuaque luce dirige.
Erroris umbras discute,
Syrtes dolosas amove,
Fluctus tot inter deviis

Digitized by Google

Tutam reclude semitam.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Hæc conclusio dicitur in fine omnium Hymnorum.

℣. Cum jucunditate Virginitatem beatæ Mariæ semper Virginis celebremus.

℟. Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

Ad Magnif. Ant. Nihil inquinatum in eam incurrit: candor est lucis æternæ, et speculum sine macula.

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens æterne Deus, ut purissimæ Virginis Mariæ integerrimam Virginitatem festiva celebritate venerantes, ejus intercessione, puritatem mentis, et corporis consequamur. Per Dom.

Deinde fit commem. Dominicæ occurr.

Ad Matutinum.

Invit. Virginitatem Deiparæ celebremus: * Christum ejus Filium adoremus Dominum.

Psalm. Venite, exultemus. 1.

HYMNUS.

O STELLA Jacob fulgida,
O Solis instar splendida
Aurora qua nil purius
Refulget inter sidera.
Stolis amictæ candidis
Tibi cateryæ cœlitum
Plaudunt, sacræque Virgines
Laudes perennes concinunt.
Quin obsequentes offerunt
Ligustra, et alba lilia:
Candor sed horum vincitur
Candore casti pectoris.
Nostra Angelorum laudibus
Abjecta tellus assonans
Ad astra voces efferat,
Et Virginis præconia.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

Antiph. et Psalm. ut in festis. B. V. pag. 94*.

IN I. NOCTURNO.

℣. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.

℟. Et innumerabilis honestas per manus illius.

De Canticis Canticorum.

Lectio j. Cap. 1.

EGO flos campi, et lilium Convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Læva ejus sub capite meo; et dextera illius amplexabitur me. Adjuro vos filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles, similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque Cervorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera, amica mea; Columba mea, formosa mea, et veni.

℟. Dilectus meus mihi, et ego illi qui pascitur inter lilia: * Pulchra es amica mea, suavis, et decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. ℣. Una est Columba mea, perfecta mea. Viderunt eam filiæ Sion, et Beatissimam prædicaverunt. Pulchra.

Lectio ij.

QUAM pulchra es, amica mea, quam pulchra es! oculi tui Columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de Monte Galaad, dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est inter eas. Sicut vitta coc-

Digitized by Google

cinea labia tua, et eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ. Sicut Turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis; donec aspiret dies, et inclinentur umbræ, vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.

℟. Surge propera, amica mea, columba mea formosa mea, et veni: * Jam hyems transiit, imber abiit, et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra. ℣. Surgam, et circuibo Civitatem: per vicos, et plateas quæram, quem diligit anima mea. Jam hyems.

Lectio iij.

VENI de Libano Sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum, Soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, Soror mea Sponsa! Pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Favus distillans labia tua, Sponsa, mel, et lac sub lingua tua: et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. Hortus conclusus, soror mea Sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

℟. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.* Qualis est dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? ℣. Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. Talis est dilectus meus, ipse est amicus meus filiæ Jerusalem. Qualis. Gloria. Qualis.

IN II. NOCTURNO.

℣. Post partum Virgo inviolata permansisti.

℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

Ex Libro S. Ambrosii Episcopi de Virginibus.

Lib. 2. post, initium.

Lectio iv.

SIT vobis tamquam in imagine descripta Virginitas, vitaque beatæ Mariæ, de qua, velut in speculo refulget species castitatis, et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tamquam in exemplari, magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor, nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei Matre? Quid splendidius ea quam splendor elegit? Quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generavit.

℟. Beatissima Virgo Maria, hortus conclusus, fons signatus, Regina Angelorum, Domina Mundi,* Per quam Deus descendit in terras, ut homines ascendere mererentur ad Cœlos. ℣. Ad te clamamus exules filii Hevæ: recordare nostri sanctissima Virgo. Per quam.

Lectio v.

DE cæteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in preces pauperis spem reponens; intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere: nullum lædere, bene velle omnibus, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem.

℟. Beata Maria tantæ extitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur:* Deus, quam elegerat creavit, de qua crearetur elegit. ℣. Ipsa est Stella ex Jacob cujus radius universum Orbem illuminat. Deus quam.

Ex S. Petro Chrysologo.

Lectio vj. *Serm.* 143.

HÆC dedit Cœlis gloriam, terris Deum, fidem gentibus finem

Digitized by Google

vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Gratiam, quam detulit Angelus, accepit Virgo, salutem sæculis redditura. Vere benedicta Virgo, quæ et Virginitatis possidet decus, et Matris dignitatem: vere benedicta, quæ et superni conceptus meruit gratiam, et servavit integritatis coronam. Vere benedicta, quæ et divini germinis suscepit gloriam, et Regina extitit totius castitatis.

℟. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Spiritus Sanctus superveniet in te: * Virtus Altissimi obumbravit tibi, ideoque, * Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. ℣. Dixit autem Maria: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Virtus. Gloria. Quod.

IN III. NOCTURNO.

℣. Invenisti gratiam apud Deum.

℟. Sancta Dei Genitrix Virgo immaculata.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Luc. 15

IN illo tempore: missus est Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Galileæ cui nomen Nazaret, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Homil. 2. *supra Missus est.*

NOVUM canticum illud, quod solis dabitur in Regno Dei cantare Virginibus, ipsam Virginum Reginam, immo primam inter cæteras esse cantaturam, nemo est, qui ambigat. Puto autem illam, præter illud, quod solis licet, cum omnibus tamen Virginibus ei, ut dixi, commune erit, dulciore quodam, atque elegantiori carmine lætificaturam esse Civitatem Dei. Hujus itaque dolcisonos depromere, vel exprimere modulos ne ipsarum quidem Virginum ulla digna invenietur: quia merito decantandum servabitur illi, quæ sola de partu, et de partu divino gloriatur. Gloriatur, dixi, de partu non in se, sed in ipso quem peperit. Deus siquidem, Deus enim est, quem peperit, et qui Matrem suam in cœlestibus donaturus gloria singulari, in terris prævenire curavit et gratia, qua videlicet ineffabiliter, et intacta conciperet, et pareret incorrupta.

℟. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet: * Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. ℣. Joseph Fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Ecce.

Benedictio. Cujus Festum colimus, ipsa Virgo Virginum.

Lectio viij.

DEUM hujusmodi decebat nativitas, qua non nisi de Virgine nasceretur. Talis congruebat et Virgini partus, ut non pareret, nisi Deum. Proinde Factor hominum, ut homo fieret nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, immo condere Matrem, qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placituram. Voluit itaque esse Virginem, de qua immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus. Voluit et humilem, de qua mitis, et humilis corde prodiret, harum in se virtutum necessarium omnibus, saluberrimumque exemplum ostensurus. Dedit Virgini partum, qui ei jam ante et virginitatis inspiraverat votum, et humilitatis prærogaverat meritum. Ut igitur, quæ Sanctum Sanctorum conceptura erat pariter, et paritura, Sancta esset corpore, accepit donum virginitatis, ut esset et mente, accepit donum humilitatis. O Admirabilem, et omni honore dignissimam Virginem! O Feminam singulariter venerandam, super omnes feminas admirabilem, Parentum reparatricem, posterorum vivificatricem. Missus est Angelus ad Virginem, virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique, qualem describit Apostolus mente, et corpore sanctam. Nec noviter, nec fortuito

inventam, sed a sæculo electam, ab Altissimo præcognitam, et sibi præparatam, ab Angelis servatam, a Patribus præfiguratam, a Prophetis promissam.

℟. Beata Dei Genitrix Maria, templum Domini, sacrarium Spiritus Sancti: * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo. ℣. Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes Virgo. Sola. Gloria. Sola.

Nona Lectio, Homilia Dominicæ. occurr.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

Psalm. Dominus regnavit. *cum reliq. de Dom.* 13.

2. Dilectus meus mihi, et Ego illi, qui pascitur inter lilia.

3. Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es!

4. Una est Columba mea, perfecta mea.

5. Viderunt eam Filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt.

Capitulum. ut in I. Vesp.

Hymnus. O Gloriosa virginum, *ut in Off. B. M. V.* p. 101*.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua.

℟. Intende, prospere procede, et regna.

Ad Bened. Ant. Sancta, et immaculata Mariæ Virginitas, quibus te laudibus efferam nescio, quia per te Redemptorem nostrum suscepimus Dominum nostrum Jesum Christum.

Oratio ut supra ad Vesp.

Deinde fit commem. Domin. occur.

Ad Primam in ℟. br. ℣. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tert. cap. ut supra ad Laud. Reliq. ut in festis B. V. p. 101*.

In II. Vesp. omnia ut in primis.

Ad Magnif. Ant. Beata Dei Genitrix Maria, Virgo perpetua, Sacrarium Spiritus sancti, sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

Deinde fit commem. Domin. occurr.

DOMINICA IV. OCT.

Festum B. Mariæ. Virg.

SUB TITULO AUXIL. AGONIZANTIUM

Duplex Majus.

Omnia ut in festis B. M. V. pag. 92* *præter orationem.*

Oratio.

DEUS, qui Unigenito tuo pendenti in Cruce pro animarum salute Genitricem Virginem Mariam adesse voluisti; fac, ut nos in extremo vitæ periculo constituti ejus intercessione adjuvemur, et æterna præmia consequi mereamur. Per eumdem Dominum.

In utrisque Vesperis et Laud. fit comm. Dom. curr.

DOM. NOVEMBRIS

AB ORDINARIO ASSIGNANDA

Festum Patr. B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in festis B. M. V. p. 92*.

In utrisq. vesp. et Laud. fit com. Dom. occurr.

FESTA JANUARII

Die 14 S. Potiti M.

dupl. min.

In I. Vesperis.

Ant. Potitum etc. *cum reliq. de Laud. Psal.* Dixit Dominus. *cum reliq. de Dom. p.* 86. *et loco ult.*, Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. *Jacob.* 1.

BEATUS vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

HYMNUS

INVICTA virtus Martyrum,
Et alme custos Virginum
Jesu, Potiti laudibus
Adsis Olympi e vertice.

Infirma mundi deligens,
Ut conterantur fortia,
Illum virili pectore

Digitized by Google

Adhuc replesti parvulum.
Hinc ipse victor nobilis
Domum, Parentes, omnia
Vultu sereno despicit,
Tibique adhæret arctius.
Honor decusque debitum
Sit Trinitati jugiter,
Quæ per Potitum Cœlica
Nobis rependat munera.
Amen.

℣. Gloria et honore coronasti eum Domine.

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ad Magn. Ant. Respexit Dominus humilem servum suum Potitum, et posuit diadema regni in capite ejus, atque ex hoc beatum illum dicent omnes generationes.

Oratio.

DEUS, qui nos B. Martyris tui Potiti annua celebritate lætificas; concede propitius, ut de cujus triumphali agone lætamur in terris, ad ejus gloriæ consortium pervenire feliciter mereamur in Cœlis. Per Dom.

Ad Matut. ut in comm. unius Mart.

HYMNUS.

JAM de Paterno carcere
Sævi ad Tribunal Judicis
Puero Potito protinus
Certamen instat acrius.
Blandis Tyrannus vocibus
Frustra lacessit, postmodum
Minis perurget, offerat
Thus, aut daturus sanguinem.
Princeps suorum militum
Se Christus offert lauream,
Interque cœtus Martyrum
Sedem merenti destinat.
Honor, decusque debitum,
Sit Trinitati jugiter,
Quæ per Potitum Cœlica
Nobis rependat munera. Amen.

Antiph. 1. Beatus Potitus non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, sed in lege Dei fuit voluntas ejus die, ac nocte.

Psalm. de commun. Mart. p. 14*.

2. Insurrexerunt impii adversus Dominum, et adversus Sanctum suum; qui habitat in Cœlis irrisit eos.

3. Factus est Dominus servo suo turris fortitudinis a facie inimici.

℣. Gloria et honore coronasti eum, Domine.

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Lect. 1. *Noct.* Confitebor tibi *ut in Com. virg. 2. loco*, p. 70*.

℟. 1. Verbera carnificum non timuit Sanctus Puer tuus moriens pro Christi nomine, * Ut hæres fieret in domo Domini ℣. Tradidit corpus suum propter Deum ad supplicia. Ut.

℟. 2. Invictus Dei athleta agonem suum Domino precibus commendabat: * Et mori pro Christo semper optavit, et votis omnibus expetivit. ℣. Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit me separare a Charitate Dei. Et mori.

℟. 3. Puer meus noli timere, quia ego tecum sum: dicit Dominus: * Liberabo te de manu pessimorum, et eruam te de manu fortium. ℣. Beatus Potitus orabat dicens: Domine Jesu Christe, miserere mihi servo tuo. Liberabo. Gloria. Liberabo.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. 1. Invocavit Dominum in medio tormentorum, et in tribulatione dilatavit cor ejus Deus, et mirificavit eum.

2. Exaudisti Domine servum tuum, et Anima illius introivit sine macula in domum tuam.

3. Ex ore Pueri tui perfecisti laudem tibi, Domine, et destruxisti inimicum, et ultorem.

℣. Posuisti Domine super caput ejus.

℟. Coronam de lapide pretioso.

Lectio IV.

POTITUS Calari antiquissima Sardiniæ Urbe natus, ab unguiculis, inscio Patre, Christiana Fide imbutus, ab eo postmodum ut eam desereret tentatur; propterea que in custodiam traditur. Sed tantum abfuit, ut minis blanditiisque quidquam pa-

Digitized by Google

ter profecerit, ut filii sanctissimi monitis atque exemplis et ipse Christianam Fidem amplexus sit. Vinculis ergo solutus, divino consilio Patriam deseruit, et in Montem Epyrum secessit. Ibi Divini verbi prædicatione, vitæ sanctimonia, ac sanctissimis monitis præluxit et Dæmonum insidias, quibus crudelissime divexatus est, superavit. In Valeriana Urbe Agathonis Senatoris conjugem elephantiasi laborantem curavit; quapropter Senator ipse cum tota familia, multisque civibus Christo adhæserunt. Romæ quoque Agnetem Antonini Imperatoris filiam, crudelissimo a Dæmone diris cruciatibus exagitatam, liberasse traditur. Sed duri cordis, et pervicax Imperator Diis volens filiæ salutem referre, ac Potitum eorum sectatorem fieri, eum totis viribus in hanc sententiam pertrahere conatus est. Quare ad Idola perducto Potito, ejus precibus, atque virtute ficta Numina corruerunt. Iratus inde Imperator, atque ægre id ferens, eum exquisitis jubet tormentis torqueri.

℟. In tormentis te Deum non negavit: * Et ad mortem perductus te Dominum Jesum Christum confessus est ℣. Probasti Domine cor ejus, et visitasti nocte. Et.

Lectio v.

IN custodiam ergo arctissimam primum traditur, dire postmodum equuleo cruciatur, facesque ardentes ejus lateribus admoventur. Hanc Principis immanitatem cum Sanctus Martyr exprobraret, unguibus manuum pedumque ei crudeliter detractis, feris objectus est: sed ab his nativa feritatis oblitis nil læsus in ferventis olei ollam injicitur, liquato plumbo perfunditur, ac clavo ignito transfigitur; quo cum divinitus Sanctus Martyr liberaretur extracto, illico Princeps maximo capitis dolore affectus est, et Potitum rogavit, ut sibi opem ferret: Agnetis tamen enixis precibus Principem Sanctus Martyr curavit, quam illi rem magicis artibus referens, cum impietatis a Potito argueretur, ut lingua ei amputaretur præcepit: qua etiam abscissa uberius concinens, Imperatorem ut lacesseret, fieri ullis tormentis non posse, ut Romæ vitam amitteret, prænuntiat.

℟. In Domini Jesu confessione fundatus inter tormentorum supplicia stetit imperterritus, * Ac demum triumphali morte Cœlos petivit sanguine laureatus. ℣. Felici commercio pro terrenis cœlestia, pro perituris æterna commutavit. Ac.

Lectio vi.

QUARE Antoninus permotus, et populi conversionem subveritus, satellitibus, ut illum necarent, quo vellent, commisit. Itaque Roma eductus apud Asculum Apuliæ Idibus Januarii, secundo Christi sæculo, capite plectitur. Ejus corpus a Christianis sepultum tractu temporis Tricarici, ineunte sæculo decimo sexto, in Æde Sanctissimæ Trinitatis repertum est. Neapoli ad ejus nomen Templum dedicatum exstat, in quo a Sanctimonialibus Ordinis Sancti Benedicti memoria tanti Matyris die decima quarta Januarii jamdudum recolebatur: inde piis earumdem Sanctimonialium precibus permotus Clemens Papa duodecimus præsens Officium eadem die, qua celebrare consueverant, illis benigne indulsit. Demum idem Clemens duodecimus Pontifex Maximus ab universo Clero Sæculari, et Regulari Neapolitanæ Civitatis eadem die celebrari mandavit.

℟. Qui vicerit vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ. * Et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus. ℣. Beatus Potitus dum torqueretur in tormentis, confessus est nomen Domini Jesu Christi Et confitebor. Gloria. Et.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. Dum torqueretur in tormentis, oculi Domini super servum suum.

2. Potitus Christi Martyr locutus

Digitized by Google

est veritatem in corde suo, et non egit dolum in lingua sua.

3. Prævenisti eum Domine in benedictionibus dulcedinis, et posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo.

℟. Gloriam et magnum decorem impones super eum.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium. Et reliqua.

Homilia S. Hilarii Epis.

Cap. 10.

QUÆ ista divisio est? Inter prima enim legis præcepta accepimus: Honora Patrem tuum, et Matrem tuam, et ipse Dominus ait: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: Quid sibi vult missus potius gladius in terram, et separatus a patre filius, et filia a matre, et nurus adversus socrum, et hominis domestici ejus inimici? Igitur exinde publica auctoritas impletati proferetur. Ubique odia, ubique bella, et gladius Domini inter patrem et filium, et inter filiam matremque desæviens. Gladius telorum omnium telum acutissimum est, in quo sit jus potestatis, et judicii severitas, et animadversio peccatorum. Et hujus quidem teli nomine novi Evangelii prædicationem appellatam frequens in Prophetis auctoritas est.

℟. Corona aurea super caput ejus, * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis. ℣. Esto fidelis usque ad mortem, et dabitur tibi corona vitæ. Expressa.

Lectio viij.

DEI igitur verbum nuncupatum meminerimus in gladio, qui gladius missus in terram est, idest prædicatio ejus hominum cordibus infusa. Fitque gravis in domo una dissensio, et domestica novo homini erunt inimica; quia ille per verbum Dei divisus ab illis manere et interior, et exterior, idest et corpus, et anima in spiritus novitate gaudebit.

℟. Christi Martyr succensus igne divini amoris sustinuit supplicia passionis: * Et per immanitatem tormentorum pervenit ad societatem Angelorum. ℣. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit. Et per. Gloria. Et per.

Lectio IX. de S. Felice PP. et M. Si vero contiger. transfer. dic. seq. Lect. IX.

PERGIT deinde eodem præceptorum, et intelligentiæ decursu. Nam posteaquam relinquenda omnia, quæ in sæculo carissima sunt, imperaverat, adjecit: non accipit Crucem suam et sequitur me, non est me dignus; quia qui Christi sunt, crucifixerunt corpus cum vitiis, et concupiscentiis. Et indignus est Christo, qui non Crucem suam, in qua conpatimur, commorimur, consepelimur, coresurgimus, accipiens, Dominum sit secutus, in hoc Sacramento Fidei spiritus novitate victurus. Te Deum.

Ad Laudes

et per Horas Antiph.

1. Potitum Servum tuum Domine firmaverunt manus tuæ, et regnabit in æternum.

2. Tu scis, Domine, agonem meum recordare mei, et visita me, et tuere me ab his qui persequuntur me.

3. Recordatus sum tui, dicit Dominus, miserans adolescentiam tuam, et certamen forte dedi tibi, ut vinceres.

4. Deus Dominus fortitudo mea, et deducet me victor in Psalmis canentem.

5. Consummatus in brevi explevit tempora multa, placita enim fuit Deo anima illius.

Cap. Beatus vir, *ut supr.*

Digitized by Google

HYMNUS.

IGNESCIT ira Præsidis,
Pudetque vinci a parvulo.
Olim Gigantem Goliath
David puer sic fregerat.

Probata tandem concidit
Rotata ab ense victima,
Columba qualis innocens
Petivit astra spiritus.

Gaudens, Potite, gloriæ
Victor bravium suscipe:
Hinc nos, Patrone, Virgines
Malis tuere ab omnibus.

Honor decusque debitum
Sit Trinitati jugiter,
Quæ per Potitum cœlica
Nobis rependat munera. Amen.

℣. Justus ut palma florebit.

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Bened. Ant. In Sanctitate serviamus Domino, qui Puerum, et Martyrem suum Potitum elegit ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

In II. vesp. omn. ut in I et loc. ult. Psalm. Credidi. *p.* 88.

℣. Justus, etc.

℟. Sicut cedrus, etc.

Ad Magnif. Ant. Omnes gentes magnificate Dominum, fecit enim Martyri Potito magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. *Orat. ut supr.*

Die 19. Transl. Reliq.

S. THOMÆ AQUIN. C.

Duplex.

In 2. Vesp. Cathedræ S. Petri fit com. S. Pauli, et deinde S. Thomæ.

Ant. O Doctor optime, *p.* 39*.

℣. Amavit eum Dominus, etc.

℟. Stolam gloriæ, etc.

Oratio.

DEUS, qui nos Beati Thomæ Confessoris tui annua solemnitate lætificas: concede propitius, ut cujus Translationem colimus etiam actiones imitemur.

Deinde fit commem. SS. Marii, et Sociorum. Mm.

In I. Noct. Lect. de Scr. occ. In II. Noct. ut in ejus die Festo 7. Martii, p. 667.

In III. Noct. Homil. in Evang. Vos estis sal, *de comm. Doct. 1. loc.* p. 49*. ℟. viij. In medio Ecclesiæ. *Lect. ix. et com. Ss. Marii, etc. Mm. ut in Breviar. In II. Vesp. a Capit. de Ss. Fabiano, etc. Mm. comm. S. Thomæ.*

Ant. O Doctor optime, *ut supra.*

℣. Justum deduxit.

Oratio ut supra.

Die 23. Desponsationis

B. V. MARIÆ CUM S. JOSEPH.

Duplex Majus.

Ad Vesp. Ant. Desponsatio gloriosæ *cum reliquis de Laudib.*

Psalm. Capit. et Hymn. ut in festis B. M. V. p. 92.*

℣. Desponsatio est hodie sanctæ Mariæ Virginis.

℟. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

Ad Magnif. Ant. Gloriosæ Virginis Mariæ Desponsationem dignissimam recolamus, quæ et Genitricis dignitatem obtinuit, et virginalem pudicitiam non amisit.

Oratio.

FAMULIS tuis, quæsumus Domine, cœlestis gratiæ munus impertire: ut quibus beatæ Virginis partus extitit salutis exordium, Desponsationis ejus votiva solemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum.

Deinde fit commem. S. Joseph, ubi concessa est, ante alias quascumque com. etiam Festi Duplicis, aut Dominicæ.

Ant. Exurgens Joseph a somno fecit sicut præcepit ei Angelus Domini et accepit conjugem suam.

℣. Constituit eum Dominum domus suæ.

℟. Et Principem omnis possessionis suæ.

Oratio.

SANCTISSIMÆ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, me-

itized by Google

ritis adjuvemur : ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur.

Postea SS. Vincentii, et Anastasii Mm. nec non S. Emerentianæ, ut in Brev.

Ad Matut. Invit. Desponsationem Virginis Mariæ celebremus * Christum ejus Filium adoremus Dominum.

Psalm. Venite, exultemus, *p.* 1.

Hymn. Ant. Psalm, et Vers. Noct. ut in festis B. M. V. p. 94*.

IN I. NOCTURNO.

Incipiunt Cantica Canticorum.

Lectio j. Cap. I.

OSCULETUR me osculo oris sui : quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum : ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me post te : curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me Rex in cellaria sua, exultabimus, et lætabimur in te: memores uberum tuorum super vinum ; recti diligunt te. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

℟. Hodie desponsata est Beata Virgo Maria ex progenie David : * Per quam salus mundi credentibus apparuit : cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo. ℣. Desponsationem beatæ Mariæ Virginis cum gaudio celebremus. Per quam.

Lectio ij.

NOLITE me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol: filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi. Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hœdos tuos juxta tabernacula pastorum. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimiliavi te, amica mea. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia.

℟. Beatissimæ Virginis Mariæ Desponsationem devotissime celebremus: * Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum. ℣. Cum jucunditate Desponsationem beatæ Mariæ Virginis devotissime celebremus. Ut ipsa.

Lectio iij.

MURENULAS aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Ecce tu pulchra es amica mea, oculi tui columbarum. Ecce pulcher es dilecte mi, et decorus. Lectulus noster floridus : ligna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

℟. Gloriosæ Virginis Mariæ Desponsationem dignissimam recolamus : * Cujus Dominus humilitatem respexit, quæ Angelo nuntiante concepit Salvatorem mundi. ℣. Beatissimæ Virginis Mariæ Desponsationem devotissime recolamus. Cujus. Gloria. Cujus.

IN II. NOCTURNO

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

Ex Homil. 2. *super* »*Missus est.*

Lectio iv.

OPORTEBAT a principe mundi aliquamdiu celari divini consilii Sacramentum : non quod Deus, si palam opus suum facere vellet, impediri posse ab illo metueret : sed quia ipse, qui non solum potenter, sed etiam sapienter, quæcumque voluit, fecit ; sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem servare consuevit ; ita in hoc quoque tam magnifico opere suo, nostræ videlicet reparationis, non tantum potentiam suam, sed et prudentiam ostendere voluit.

℟. Desponsatio gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David * Cu-

Digitized by Google

jus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. ℣. Hodie desponsata est beata Virgo Maria ex progenie David. Cujus vita.

Lectio v.

CONVENIENS ergo erat, ut suaviter quoque omnia, cœlestia scilicet et terrena, disponeret quatenus et illinc dejiciens inquietum, reliquos in pace firmaret; et hic debellaturus invidum, nobis prius suæ humilitatis et mansuetudinis valde necessarium exemplum relinqueret: sicque mirabili fieret moderamine sapientiæ, ut et suis suavis, et hostibus fortis appareret.

℟. Cum jucunditate Desponsationem beatæ Mariæ celebremus: * Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum ℣. Corde et animo Christo canamus gloriam, in hac sacra solemnitate præcelsæ Genitricis Dei Mariæ. Ut ipsa.

Lectio vj.

QUID enim prodesset diabolum a Deo vinci, nobis manentibus superbis? Necessario igitur desponsata est Maria Joseph, quando per hoc et a canibus sanctum absconditur, et a Sponso virginitas comprobatur, et Virginis tam verecundiæ parcitur, quam famæ providetur. Quid sapientius, quid dignius divina providentia? Uno tali consilio secretis cœlestibus et admittitur testis, et excluditur hostis, et integra servatur fama Virginis Matris.

℟. Desponsatio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: * Ex te enim ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster: * Qui solvens maledictionem, dedit benedictionem, et confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam ℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Ex te. Gloria. Qui.

IN III. NOCTURNO.

VII. et VIII. Lectio ut in Vigil. Nativ. Domini p. 136. *IX Lectio de S. Emerentiana ut in Brev. sub hac die. Quod si transferri contigerit IX Lectio assumitur ex eadem Vigilia Nativ. Domini.*

℟. VII. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit.

℟. VIII Felix namque es sacra virgo Maria, et omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est Sol justitiæ,* Christus Deus noster. ℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam sanctam Desponsationem. Quia. Gloria. Christus.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Desponsatio gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David.

Psalm. Dominus regnavit. *cum reliqu. de Dom.* 13.

2. Desponsatio est hodie Sanctæ Mariæ Virginis, cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

3. Regali ex progenie Maria exorta refulget: cujus precibus nos adjuvari mente et spiritu devotissime poscimus.

4. Corde, et animo Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate præcelsæ Genitricis Dei Mariæ.

5. Cum jucunditate Desponsationem beatæ Mariæ celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

Capitul. Ab initio, etc.

Hymn. O gloriosa virginum.

℣. Desponsatio est hodie sanctæ Mariæ Virginis. ℟. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

Ad Bened. Ant. Desponsationem hodiernam perpetuæ Virginis Genitricis Dei Mariæ solemniter celebremus, qua celsitudo throni processit, alleluia.

Oratio ut supra.

Deinde fit comm. S. Joseph.

Ant. Ipse Jesus erat incipiens, qua-

Digitized by Google

si annorum triginta, ut putabatur filius Joseph.

℣. Os justi.

℟. Et lingua ejus.

Oratio ut supra.

Postea S. Emerentianæ ut in Brev.

Ad Horas, Antiph. sumunt ex Laudib. ut supra.

Capitul. et ℟. brev. ut in festis B. V. p. 101*.

In II. Vesp. omnia ut in I. præter

Ad Magnif. Ant. Desponsatio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: ex te enim ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster, qui solvens maledictionem, dedit benedictionem: et confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam.

Oratio ut supra.

Deinde fit commem. S. Joseph.

Antiph. Ecce fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.

℣. Gloria, et divitiæ in domo ejus.

℟. Et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Oratio ut supra.

Postea fit commem. S. Timothei, ut in Breviario.

Die 23. S. Ildefonsi E. C.

Alicubi celebr. sub ritu semid. et dicitur Oratio. Exaudi, quæsumus, *de Com. Conf. Pontif. p.* 39*.

Ubi vero celebratur sub ritu Duplici, dicitur Oratio

DEUS, qui per gloriosissimam Filii tui Matrem beatum Ildefonsum Confessorem tuum atque Pontificem misso de thesauris cœlestibus munere decorasti: concede propitius, ut per ejus preces, et merita, munera capiamus æterna. Per eumdem Dominum nostrum.

Lect. I. Noct. Fidelis sermo *p.* 40*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Sur. Tom. 1. *et aliunde*

ILDEFONSUS, qui et Alfonsus dicitur, natione Hispanus, Toleti nobilissimis Stephano, et Lucia parentibus ortus, omnique cura nutritus liberalibus disciplinis instructus est. Primum habuit præceptorem Eugenium Toletanum Antistitem, a quo miram ob indolem Hispalim ad Isidorum, mira tunc eruditione pollentem, est missus. Duodecim apud Isidorum commoratus annos, tandem fruge bona, doctrinaque sana imbutus, Toletum remeavit ad Eugenium. Postquam vero factus est ob vitæ candorem, peritiamque non vulgarem ab Eugenio Ecclesiæ Toletanæ Archidiaconus, mundi cupiens laqueos declinare, in Agaliensi monasterio, quod sanctis martyribus Cosmæ, et Damiano tunc erat dicatum, insigne pietatis cucullum induit. Cui neque parentes, jam prece, jam vi, omnia tentantes, obsistere valuerunt, quia constanter in proposito permaneret.

Lectio v.

MONACHI non multo post Ildefonsum in demortui Abbatis locum subrogarunt. Suspiciebant siquidem in eo (præter virtutes reliquas) æquitatem, morum facilitatem, prudentiam, raram sanctitudinem. Tantus itaque fulgor, tanta veræ pietatis lux (quod ipse timebat) latere non potuit. Eugenio namque vita functo, Cleri, senatus, totiusque populi decreto Toletanus Archiepiscopus est creatus. In quo quidem Præsulatu, quantum verbo Ildefonsus profecerit, quæ miracula ediderit, quam multis fuerit nominibus de Virgine matre bene meritus, non facile quis explicare quiverit. Cœnobium Virginum in Deilphensi villula ædificavit, ac magnis muneribus auxit. Hæreticos quosdam, qui in Hispania hæresim Elvidianam, tollentem perpetuam Mariæ Dei Genitricis virginitatem disseminabant, doctissime confutavit, ab Hispaniaque depulit: quam disputationem explicavit libro, quem scripsit de beatæ Mariæ virginitate, rem miraculo confirmante. Cum enim Ildefonsus ad preces Matutinas Ex-

Digitized by Google

pectationis beatæ Mariæ in Esclesiam nocte descenderet, comites ejus in Ecclesiæ limine, fulgore quodam repentino deterriti, retrocesserunt. Ille vero intrepidus ad aram progressus, Virginem ipsam vidit, et adoravit: ab eademque vestem, qua in sacrificiis uteretur, accepit.

Lectio vj.

CUM etiam dies sanctæ Leocadiæ festus ageretur, et Clerus, frequensque populus convenisset, Ildefonsus ad sepulchrum virginis Leocadiæ accedens, flexis suppliciter genibus precabatur. Et ecce reserato repente sarcophago, Leocadia sanctissima prodiit, videntibusque cunctis et audientibus, Ildefonsi merita de Virgine Maria commendavit, dicens: O Ildefonse, per te vivit Domina mea, quæ cœli culmina tenet. Et Præsule collaudato redibat. Ildefonsus, ne res sine testibus tanta posteris referretur, arrepto Recesvinthi regis, qui forte tunc aderat, gladiolo, velaminis partem, quo caput Leocadiæ tenebatur, resecuit, eamque cum regio simul cultro celebri pompa in sacrarium intulit, ubi usque hodie servatur. Scripsit multa luculentiori sermone, quorum, variis molestiarum occupationibus impeditus, aliqua cœpta, aliqua semiplena reliquit. Obiit tandem divus Ildefonsus feliciter ac sancte, cum sedisset in Episcopatu annos novem, menses duos; sepultusque est in Basilica Leocadiæ circa annum Domini sexcentesimum septuagesimum septimum, Recesvintho in Hispania regnante. Cujus corpus in generali a Saracenis Hispaniarum occupatione in civitatem Zamorensem translatum est: et in Ecclesia beati Petri honorifice quiescens magna illius populi religione colitur.

In III. Noct. Homilia Ostendit Dominus. *ut in Comm. Doct.* p. 49*.

Die 28. S. Juliani E. C.

Oratio.

EXCITA, quæsumus Domine, in populo tuo Spiritum charitatis, quo beatum Julianum Confessorem tuum atque Pontificem replere dignatus es.et concede, ut cujus festivitatem celebramus, per ejus ad te exempla gradiamur.Per Dominum... in unitate ejusdem.

Pro S. Agnete secundo, in his Vesperis nulla fit commemoratio.

In I. Noct. Lect. de script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JULIANUS, Ecclesiæ Conchensis Episcopus, Burgis piis, et honestis parentibus natus est. Ejus ortum præclara illius sanctitatis, et Episcopalis dignitatis signa divinitus data nobilitarunt. Nam adeo formosus et pulcher in lucem editus est, ut omnes intuentes os ejus, cœlesti quodam fulgore perfusum admirarentur. Multo magis vero, cum puer grandior palam super fontem Baptismalem tamdiu visus est mitra et baculo Episcopalibus insignibus ornatus, dum adstantes admonuit, ut infanti Juliani nomen imponerent. Postea pie sancteque educatus, liberalibusque disciplinis apprime eruditus, Theologiæ operam dedit, in qua plurimum profecit. Itaque probatæ vitæ exemplo, et divini verbi prædicatione toti Hispaniæ mirandum in modum profuit. Archidiaconi dignitate in Ecclesia Toletana ornatus, ab Alfonso deinceps nono Castellæ Rege Episcopale munus suscipere coactus est, quod summa cum laude obivit.

Lectio v.

VERE pater pauperum fuit quippe qui egentium, viduarum, et pupillorum inopiam pecunia et aliis pietatis officiis sublevavit. Redditus Ecclesiæ suæ tum sublevandis miseris, tum instaurandis ornandisque templis insumpsit, ipse tenui victu contentus, quem labore manuum suarum comparabat. In oratione assiduus erat: cujus vi, paterna charitate ardens, multa et magna pro salute populi a Deo impetravit. Quorum illa in primis illustria. Cum aliquando tota

Digitized by Google

Provincia rei frumentariæ laboraret inopia, nec quidquam amplius in Episcopatus horreis superesset, populi calamitatem miseratus, preces cum lacrymis ad Deum fudit. Tunc plurimum tritici ad ædes sancti Episcopi a permultis jumentis comportatum est, quæ deposito onere evanuerunt. Cumque item dira in populo lues grassaretur, sancti Episcopi oratione sedata est. Multos quoque variis insanabilium morborum generibus affectos, in sanitatem restituit.

Lectio vj.

SUPER gregem suum tamquam bonus et sedulus pastor diligentissime vigilavit: lupos arcens ab ovibus, et oves pascens verbo vitæ, cibum cuique tribuens pro captu congruentem. Corpus suum jejuniis assidue castigans, seipsum bonorum operum exemplar omnibus præbuit. Denique cum annos fere octoginta maxima cum sanctitate vixisset, plenus dierum atque virtutum, in senectute bona migravit ad Dominum quinto Kalendas Februarii, anno millesimo ducentesimo octavo, et honorifice in Ecclesia sua sepultus, post mortem quoque miraculorum gloria clarus, magna populi veneratione colitur. Anno postmodum millesimo quingentesimo decimo octavo, Leone decimo Pontifice Maximo, corpus ejus e sacello, ubi multos jacuerat annos, effossum, ad locum prope aram maximam magnifice exornatum, tertio Idus Aprilis solemni pompa ac maxima celebritate translatum est. Commemorationis ejus quoque festivitas Nonis Septembris, ex Julii tertii summi Pontificis concessione recolitur.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo, et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt, et furantur. Et reliqua.

Homilia sancti Petri Chrysologi.
Sermo 8. de jejunio et eleemos.

THESAURUS cœli est manus pauperis: quod suscipit ne in terra pereat, reponit in cœlum. Manus pauperis est gazophylacium Christi, quia quidquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo homo pauperi terram, ut accipias cœlum: da nummum, ut accipias regnum; da pauperi ut des tibi; quidquid pauperi dederis, habebis, quod pauperi non dederis, habebit alter. Clamat Deus: Misericordiam volo. Qui quod vult Deus, Deo negat, a Deo sibi, quod desiderat, vult negari. Homo, petit Deus, sed tibi, non sibi; humanam misericordiam petit, ut largiatur divinam. Est in cœlis misericordia, ad quam per terrenas misericordias pervenitur

Lectio viij.

DICTURUS causam in judicio Dei, patronam tibi misericordiam per quam liberari possis, assume. Qui de patrocinio misericordiæ certus est, de venia sit securus; de absolutione non dubitet. Misericordia non solum causam prævenit, anticipat cognitorem, sed etiam sententiam revocat, absolvit addictos. Quod Ninivitæ probant, quos jam sententiæ subjectos, pœnæ traditos, ad victimam stantes, morti deditos misericordia sic rapuit, sic tenuit, sic prævenit, ut maluerit Deus deduci sententiam, ne misericordiæ quid negaret. Fratres, per misericordiam pauperum misericordiam paramus, ut possimus esse de pœna liberi, de salute securi. Beati, inquit, misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur. Gratis misericordiam sperat ibi, qui hic non fecerit misericordiam.

Lectio ix. de S. Agnete secundo, ut in Breviario.

In Diœcesi vero Conchensi, et ubi fuerit Patronus, vel Titularis

Digitized by Google

Lectio ix. Serm. 22.

HOMO, tali monitu Christus te ditare voluit, non nudare : manere tibi tua voluit, non perire; perpetuari, non vacuari sacculos imperavit: jussit te transferre, non perdere. Plus consilio patris agit, quam jure dominantis. Inter insidias latronum, et tinearum morsus, quare tua recondas, objurgat : pervigiles noctes, dies anxios, solicita tempora, ne tibi ipse facias, commoneris. Auri custos, servator argenti, securitatem non habet, nescit quietem : et cui deest securitas, quies perit : pœna dives est ille, non censu. Thesaurum non deficientem in cœlo hoc est dicere, ubi ego sum, ibi ponite: date mihi, ego servo. Homo, da patri, crede Deo, quia et hæredi pater, et Deus homini creditum non negabit ; tenere tua non potest, qui sua dedit. An humanis indiget, qui divina largitur? An est nostrorum cupidus, qui nos suorum fecit hæredes?

In Laud. tántum fit comm. S. Agnetis, et in ii. Vesp. S. Francisci Sales. E. C.

Die 31. S. Cyri M.

Dup. min.

Oratio.

DEUS qui Beatum Cyrum ex solitudine ad proximi salutem eductum Martyrii palma decorasti, da ut ejus precibus et exemplo caducis contemptis, mundi adversitates jugi victoria superemus. Per Dominum.

In I. Noct. lect. de script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CYRUS Civis Alexandrinus medicam artem, in qua peritissimus erat, non terrenæ sed superæ mercedis intuitu mirandum in modum exercebat. Cum medicæ rei peritia modestæ et innocentis vitæ exemplum conjunxit. Ad ægros accedens, ut erat sacras litteras, sanctorumque Patrum institutiones egregie doctus, inter ipsa naturæ et artis remedia, illud in primis tamquam omnium præstantissimum insinuare curabat ; ut agnita vitiosa morborum omnium origine, ad medicinalem Salvatoris Dei gratiam confugerent. Iis etiam, si egeni et inopes essent, necessaria charitatis subsidia libenter suppeditabat, neque divina magis quam humana medendi ratione tum corporum tum etiam animarum salutem operabatur. Sed et Christianæ Religionis studio vehementer incensus multos ab infidelitatis ac Dæmoniacæ superstitionis erroribus liberatos ad unius veri Dei cultum, veramque Christi fidem convertit. Quæ quum ad se delata rescivisset Syrianus sub Diocletiani imperio Urbis Alexandrinæ Præfectus, eum illico comprehendi mandavit.

Lectio v.

AT Cyrus, partim evitandæ persecutionis caussa, partim ut inter austeritates deserti robur consilii et fortitudinis ad expectatum agonem pro Christo subeundum assiduæ orationis ope a Spiritu Sancto imploraret, in Arabiam Ægypto conterminam secessit, ibique monasticæ disciplinæ certamen ingressus, ad perfectæ demum, sublimioresque vitæ gradum pervenit. In hac solitudine quam charus Cœlo terræque fuerit, Deus ipse ostendit, qui eum multiplici charismatum genere illustrare voluit. Ut enim Cyri precibus sine medicamentorum usu curandorum corporum gratiam, ita et illius doctrinæ verbis virtutem contulit prorsus admirabilem, qua Christi asseclas firmos in fide continebat, et cæcis gentilium atque infidelium mentibus salutarem Evangelii lucem mirifice effundebat. Hac tanta rerum admirandarum fama commotus Joannes Edessenus, dimissa statim militari dignitate, cunctisque contemptis sæculi honoribus atque divitiis, avide convolavit ad Cyrum, ejusque mox factus contubernii et instituti particeps, non tamquam simplex Sancti Viri admirator, neque jam uti

discipulus, sed uti illius virtutis æmulator ardentissimus se ei omnino similem reddere conabatur.

Lectio vj.

INTERREA temporis, ingravescente Diocletiani persecutione, ut audivit Cyrus Theoctistem, Theodatam, et Eudoxiam Virgines una cum matre Athanasia, in odium Christiani nominis comprehensas, et jam in Canopum Alexandriæ proximum ductas, veritus, ne vel ætatis, vel sexus imbecillitate, aut suppliciorum terrore, aut etiam blanditiis victæ deficerent ad eas confirmandas illuc et ipse, comite Joanne, mire sollicitus ex Eremo perrexit. Tunc athleta Christi propter Virgines ad fidei constantiam instructas; cujus professione esset detectus, et quod libere Deorum cultum contemneret accusatus, impii Syriani jussu in vincula conjicitur, et mox Virginibus ipsis ad spectandum productis, sub earum oculis flagris cæsus fustibus contusus facibusque adustus, vulnerata membra aceto primum et sale sibi perfundi, asperrimoque deinde cilicio perfricari, ac pedes tandem ebulliente pice inungi, magno invictoque animo pertulit. Rursum tamen varie tentatus, quum immobilis in fide permaneret, pridie Kalendas Februarias securi percussus illustre martyrium fecit, in quo ipsum quoque Joannem consortem habuit.

In III. Noct. Homilia in Evang. Nihil est opertum *de com. un. Mart.* 3. *loco*, p. 22*.

FESTA FEBRUARII.

Die 3. S. Blasii Ep. M.

Duplex Majus.

Omnia de commun. un. Martyr.

Oratio.

DEUS, qui B. Blasium Martyrem tuum, atque Pontificem in suis perferendis suppliciis, et in aliorum depellendis infirmitatibus admirabilem effecisti: concede propitius, ut illius, et in fide constantiam imitemur, et in periculis, patrocinia sentiamus. Per Dominum.

In I. Noct. lect. A Mileto, *de commun. un. Mart. p.* 15*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BLASIUS Cappadox, nobili genere ortus, Sebaste in Cappadocia ex Medico Episcopus creatus est, ut corporum curationi animorum cura succederet. Huic muneri cum sedulam ac piam operam navaret, dira tempestas adversus Christianos a Licinio Tyranno excitata fuit. Blasius divino instinctu, Christi consilio, et exemplo in montem Argæum se recepit, ac sese in speluncam abdidit, in qua rerum divinarum contemplationi vacans, ab ipsis feris, nativæ feritatis oblitis, quotidianum victum accepit, et multis obsequiis cultus est.

Lectio v.

IBI tamdiu latuit, dum ab Agricolai Præsidis militibus casu deprehensus, inde abstractus, et ad Præsidem ductus, illius jussu in vincula conjectus est. Sed vinctus ipse, multos, quos ejus sanctimoniæ fama acciverat, a diversorum morborum vinculis liberavit. In his puer fuit, qui desperata a medicis salute, transversa spina faucibus inhærente, animam agebat. Illustris sane tum corporum, tum animorum medicus, non humana, sed divina arte, non paratis a natura remediis, sed Christi gratia comparatis, ægros pristinæ saluti restituit. Omni fere miraculorum genere conspicuus; nam Christi super aquas ambulantis, et Eliæ Sareptanæ viduæ annonam multiplicantis miracula renovavit.

Lectio vj.

ATROCISSIMIS tormentis, crudelissimi Præsidis jussu, cruciatus fuit. Duris verberibus cæsus, tortus in equuleo, pectinibus ferreis dilaniatus, candenti lorica indutus, aliisque exquisitissimis suppliciis af-

Digitized by Google

fectus est. Sed ejus fides probari quidem potuit, non tamen vinci. Dilacerato corpore, infractus animus restitiit. Tandem victo Tyranno, capite plexus, illustre fidei testimonium Ecclesiæ reliquit tertio nonas Februarii, anno Christi trecentesimo decimo sexto.

In III. Noct. Lect. de Homil. Quia Dominus, *unius Mart.* p. 22*.

Die 6. S. Leucii E. C.

Duplex.

In Hymn. m. t. v.

Oratio.

DEUS, qui ad illustrandam Ecclesiam tuam Beatum Leucium Confessorem tuum atque Pontificem innumeris decorasti miraculis; concede propitius; ut sicut ipse fidelibus tuis cœlesti, ac terreno auxilio adfuit, ita nos quoque ejus intercessionibus æternum regnare possimus in cœlis. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

LEUCIUS, quem Euprescium quoque dixerunt, Theodosio Principe, Alexandriæ natus est. In sancti Hermetis cœnobium aliquandiu cum parente Eudechio secessit, ibique sacris literis sedulam operam navavit. Divino consilio sacerdotio initiatus, verbi Dei prædicatione Alexandrinæ Ecclesiæ fidelis administer fuit. Vitæ sanctitate, ac morum innocentia præluxit. Plures ad Christi fidem convertit; Æthiopemque energumenum liberavit.

Lectio v.

PORRO non Alexandriæ solum, sed et alibi intra Ægypti fines sanctissimis moribus, ac virtutibus claruit. Pluribus Clericis sequentibus in navem conscendit, et mare longissimo tractu est metitus. Brundusium denique appulit, ibique sedem fixit et domicilium. Apud amphitheatrum in suburbio degens Christianam fidem docebat, edoctosque sacris aquis lustrabat. Nec ad ejus doctrinam ac sanctitatem comprobandam defuerunt miracula; in iisque minime est prætereundum, siccitate biennium laborantes incolas, ejus precibus maximum imbrem habuisse; quo perpetrato miraculo, Antiochus urbis Præfectus cum viginti septem Ethnicorum millibus Christi fidem amplexatus est, hi vero omnes Christianæ fidei præclarius testimonium reddere voluerunt, templum construendo Dei Genitrici, ac Sancto Joanni Baptistæ inscriptum atque dicatum.

Lectio vj.

BRUNDUSINO Pontifice vita functo, ipse sufficitur. Diu multumque susceptum munus sanctissime obivit, et tandem tertio Idus Januarii vivere desiit. Ejus corpus Tranо, quo aliquando perlatum fuerat, Beneventum adsportarunt Longobardi Principes, ibique in Sanctæ Sophiæ templo honorificentissime condiderunt. Verum tractu temporis, ut bellorum calamitatibus subduceretur, pars maxima ad Monasterium Mortis Virginis delata est, et particulæ quædam in Tranensium, ac Brundusinorum civitatibus coluntur. Ejus festum Archiepiscopi Cardinalis Ursini auctoritate octavo Idus Februarii quotannis renovatur. Et in Beneventana ditione non ignobile habetur oppidum ejus nomine insignitum; in cujus honorem erecta ibidem Parochialis Ecclesia conspicitur.

In III. Nocт. Homil. S. Gregorii Papæ: in Evang. de comm. Conf. Pont. 1. *loco*, p. 44*.

Die 13. S. Catharinæ de Ricciis V.

Duplex.

Omnia de com. Virg. præter ea quæ seq.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui B. Catharinam virginem tui amore succensam passionis contemplatione

Digitized by Google

clarescere voluisti ; ejus intercessione concede , ut passionis mysteria devote recolentes ejus fructum percipere mereamur. Qui vivis etc.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones dicuntur de scriptura occurr. , et si venerit in quadragesima erunt de epistola B. Pauli apostoli ad Corinthios. De virginibus. p. 64*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CATHARINA nobili familia de Ricciis Florentiæ nata vel ab ineunte ætate piam indolem præmature ostendit. In suburbano monasterio S. Petri de Monticolis , ubi morum disciplina imbueretur, collocata, quotidie ad Christi crucifixi imaginem orans non sine lacrymis , horis etiam animi relaxationi addictis , ejus passionem meditabatur. Ad monasterium postea sancti Vincentii ordinis S. Dominici in civitate Prati translata, paternos lares ad tempus repetere, nisi certa spe reditus habita , constanter recusavit. Tandem anno decimotertio, sæculi deliciis contemptis , ibidem religiosum institutum professa est.

Lectio v.

CHARITATE in Deum fervens oratione fere assidue vacabat : quidquid temporis necessariis occupationibus , et modicæ quieti supererat , in ea insumens : utque corpus in servitutem redigeret , ferrea catena , et flagellis illud macerabat. Cibi parcissima , octo supra quadraginta annis carnibus abstinuit; leguminibus plerumque , et herbis vescens , interdum vero solo pane , et aqua contenta. Proximorum æternam salutem exoptans ardentissimas ad Deum pro peccatorum conversione preces fundebat. Tanto etiam commiserationis sensu erga purgantem animam commota est , ut acerbissimos dolores sibi divinitus inflictos in pœnarum illi debitarum expiationem pertulisse visa sit. Eximia prudentia , et regularis observantiæ zelo moniales diu rexit , eas non minus exemplo, quam adhortationibus ad omnem sanctimoniam informans : quo in officio humilitatem adeo coluit , ut abjectissima quæque opera sponte obiret , ac infirmis præcipue charitate , et summo studio inserviret.

Lectio vj.

SUPERNORUM charismatum copia singularis in ea enituit , annulo desponsationis , sacrisque stigmatibus ; quæ non semel spectanda se exhibuerunt , acceptis. Plurimum annorum spatio , quinta , et sexta feria in altissimam contemplationem rapta , singulos redemptoris cruciatus in passione toleratos ex ordine in corpore mirabiliter sentire consuevit. Prati degens sanctum Philippum Nerium Romæ commorantem videre promeruit, ejusque colloquio frui. Ecstasum , raptuum , cœlestium visionum , ac prophetici luminis dono illustris futura prædixit , ac simul occulta revelavit. Gravibus denique morbis decumbens, Ecclesiæ sacramentis munita anno a Christo nato millesimo quingentesimo nonagesimo , ætatis sexagesimo nono quarto nonas Februarii in cœlum migravit. Quam Benedictus decimus quartus pontifex maximus solemni ritu sanctarum virginum fastis adscripsit anno salutis millesimo septingentesimo quadragesimo sexto.

In III. Noct. Homil. Sæpe vos de *Com. Virg. p.* 68*.

Die 26. S. Marg. de Cort.

Semiduplex.

Omnia de comm. nec Virg. nec Mart. præter ea , quæ hic habentur propria.

Oratio.

DEUS , qui famulam tuam Margaritam de perditionis via ad salutis tramitem misericorditer deduxisti ; eadem nobis miseratione concede, ut quam prius errantem sectari non erubuimus , mox pœnitentem impigre

Digitized by Google

sequi gloriemur. Per Dominum nostrum.

Lect. I. Noct. extr. Quadrag. de Script. occur.

In Quadrag. vero, *Lect.* Mulierem fortem. *de communi non Virginum.* p. 72*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

MARGARITA, a loco dormitionis Cortonensis appellata, Laviani in Tuscia ortum habuit. Primis adolescentiæ suæ annis mundi voluptatibus capta, in Montis Politiani civitate vanam et lubricam vitam duxit: sed cum Amasium ab hostibus fœde transfossum indicio canis in fovea sub strue lignorum tumulatum fortuito reperisset, illico facta est manus Domini super eam; quæ magno culparum suarum mœrore tacta, exiit foras, et flevit amare. Itaque Lavianum reversa, crine detonso, neglecto capite, pullaque veste contecta, erroribus suis mundique illecebris nuntium misit: inque ædibus Deo sacris, fune ad collum alligato, humi procumbens, ab omnibus, quos antea moribus suis palam offenderat, veniam exoravit. Mox Cortonam profecta in cinere et cilicio ab se læsam Dei Majestatem placare studuit: donec post triennale virtutum experimentum a Fratribus Minoribus, spiritualis vitæ ducibus, Tertii Ordinis habitum impetravit. Uberes exinde lacrymæ ei familiares fuerunt, atque ima suspiria tanta animi contritione ducta, ut diu elinguis consisteret. Lectulus nuda humus, cervical lapis aut lignum porrexit, atque ita noctes insomnes in cœlestium meditatione trahere consuevit; nullum amplius pravum desiderium perpessa, dum bonus spiritus promptior infirmam carnem ad subeundos labores erigebat.

Lectio v.

A DÆMONE insidiis funestisque conatibus lacessita, Mulier fortis hostem ex verbis detectum semel atque iterum invicta repulit. Ad eludendum vanæ gloriæ lenocinium, quo a malo spiritu petebatur, præteritos mores suos per vicos et plateas alta voce accusare non destitit, omni supplicio se ream inclamans: nec nisi a Confessario deterrita in speciosam faciem olim impuri amoris causam sævire abstinuit; ægre ferens suam formam longa carnis maceratione non aboleri. Quibus, aliisque magnæ pœnitentiæ argumentis suorum criminum labe expiata; atque ita de se triumphatrix, ut sensus plane omnes a mundi illecebris custodiret, digna facta est, quæ sæpe Domini consuetudine frueretur. Ejusdem quoque Christi, et Virginis Matris dolorum, quod ipsa ardenter expetierat, particeps facta, cunctis sensibus destituta, et vere mortua interdum visa est. Ad eam proinde veluti ad perfectionis magistram ex dissitis etiam regionibus plurimi conveniebant: ipsa vero, cœlesti, quo erat perfusa, lumine, cordium secreta, conscientias hominum, imo et peccata in remotis licet partibus Deum offendentium cum dolore et lacrymis detegens, summaque in Deum et proximum charitate fervens, ingentem animarum fructum operata est. Ægris ad se venientibus salutem, obsessis a dæmone liberationem impetravit. Puerum defunctum, lugente matre, ad vitam reduxit. Imminentes bellorum tumultus assiduis orationibus sedavit. Denique summæ pietatis operibus vivos, et mortuos sibi demeruit.

Lectio vj.

TOT sanctis operibus occupata, de rigore, quo assidue corpus suum exercebat, nihil remisit, neque a studio cœlestia meditandi se avelli passa est: in utroque vitæ genere plane admiranda, utramque sororem, Magdalenam et Martham referens. Tandem pro se Dominum orans, ut ex hac valle lacrymarum sursum in cœlestem patriam revocaretur, exaudita est oratio ejus, die atque hora dormitionis ei patefactis. Meritis itaque et laboribus plena, ac cœlesti-

Digitized by Google

bus donis cumulata, cœpit corporis viribus destitui, perque dies decem et septem nullo cibo, sed divinis tantum colloquiis refecta est: tum sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis rite susceptis, vultu hilari atque oculis in cœlum conversis, octavo Kalendas Martias anno ætatis quinquagesimo, suæ conversionis vigesimo tertio, humanæ vero salutis millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, felix migravit ad sponsum. Corpus in hanc usque diem vegetum, incorruptum, illæsum, et suaviter olens, summa religione colitur in Ecclesia Fratrum Minorum, quæ jam ab eadem Margarita appellatur. Miraculis continuo floruit: quibus permoti Romani Pontifices ad augendum ejus cultum plurima liberaliter indulserunt. Benedictus vero decimustertius in festo Pentecostes die sextadecima Maji anni millesimi septingentesimi vigesimi octavi solemnem ejus Canonizationem religiosissime celebravit.

IN III. NOCTURNO.

Homil. de Comm. non Virgin. p. 68.*

*In anno non Bissextili, aut Quadrages. Lectio IX. legitur de Homil. Vigil. S. Mathiæ Ap. ut in Vigil. Apostolorum. p. 1.**

In Quadrages. vero Lectio ix. de Homil. Feriæ occur.

Ad Bened. Ant. Ut cognovit, resipuit Seraphici Ordinis Magdalena, dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum.

℣. Diffusa est gratia.

Ante Quadrages. fit comm. Vigil. cum Antiph. et ℣. de Feria occurr.

Oratio Da Quæsumus: *ut in Brev.*

Si vero fuerit in Quadrag. fit commem. Feriæ, de Vigil. autem S. Mathiæ nihil fit, nisi in Missa.

In anno communi, Vesp. erunt de S. Matthia Apost. sine comm. præced.

In anno vero Bissextili, tunc in ii. Vesp. S. Margaritæ, omnia sumuntur ex Com. non Virg. præter

Ad Magnif. Ant. Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus: inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.

In Quadrag. fit com. Fer.

FESTA MARTII.

Die 5. S. Joannis

JOSEPHI DE CRUCE CONF.

Duplex min.

Oratio

DEUS, qui B. Joannem Josephum Confessorem tuum per arduas paupertatis, humilitatis, et patientiæ vias cœlesti gloria sublimasti, da nobis quæsumus, ut carne mortificati ejus imitemur exempla, et gaudiis perfruamur æternis. Per Dominum. *Lect.* 1. *Noct.* Beatus vir. *de com. Conf.* p. 58*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio j.

ISCHIÆ Regni Neapolis in Urbe apud Ænariam Insulam, Parentibus nobilitate sanguinis, morumque probitate præstantibus ortus est B. Joannes Josephus de Cruce. Christianæ pietatis semina, quæ in ejus animam, supernis benedictionibus præventam, cum lacte instillaverant, fructus mox uberrimos attulerunt. Tenerrima adhuc ætate, nedum a nugis puerilibus abhorruit, sed virtutes excolere cœpit illustriores, silentii potissimum, mortificationis, Mundi, suique ipsius abnegationis, quas assiduo orationis studio confovebat. Deiparæ cultum, quem ad obitum usque in dies auxit, interea temporis arripuit; Dominicæque Passionis, et Eucharistiæ Mysteria affectu peculiari prosequebatur. S. Petri de Alcantara Institutum, quod Joannes de S. Bernardo ex Hispanis Excalceatis, Clemente IX. approbante, nuperrime in Italiam invexerat, divino afflante Numine, anno vitæ suæ sextodecimo amplexus est Italorum primus. Seraphico Patriarcha, fidissimoque ejus Alumno Petro de Alcantara in ipso tirocinio sibi ad imitandum propositis; mirum quam perfecte pœniten-

Digitized by Google

tiam hujus, et contemplationem; humilitatem illius ac paupertatem jam tum fuerit adsecutus.

Lectio ij.

TERTIO vix decurso a solemni Professione sua anno, Pedemontani Aliphæ Cœnobii fundationi destinatur, quod ejus opera exiguum adeo evasit, ut alterius, quod olim in Pedroso Extremaduræ S. Petrus de Alcantara, Clericus ipse quoque excitaverat, imaginem similem referret. Sacerdotio ex obedientia inauguratus, disciplinis moralibus, quas numquam perdidicerat, improviso excultus visus est. Superiorum venia, non longe ab eo Cœnobio sacram Heremum extruere aggressus subter excelsi montis dejectu, ut absolveretur quam citissime, ligna, lapides, calcem humeris suis mordaci lorica contectis, exportabat; ita ut per calcanea cruor ubertim in terram defflueret. Fratrum rogatu leges quasdam pro sacro illo recessu peculiares condidit, dignas, quæ a Sede Apostolica confirmarentur. Novitiorum regimini præpositus, eorum ad vitam regularem componere mores eo profectu enixus est, ut illorum aliqui sanctitatis, et miraculorum fama inclaruerint. Verum cum Clemens Papa XI. Sæculi hujus decimi octavi initio Fratres Italos excalceatos ab Hispanis in Regno Neapolis sejunxisset, illique nulla regiminis forma potirentur, ab eodem Pontifice, obsistente licet humani generis hoste Provinciæ Neapolitanæ S. Petri de Alcantara nuncupatæ, erectionem obtinuit.

Lectio iij.

PRIMUS novæ istiusmodi Provinciæ Minister renuntiatus, regimen, quod abdicaverat, sacræ Congregationis Episcoporum, et regularium jussu adsumere coactus, difficile relatu est, quot qualesque calumniasDei Famulo devorare opus fuerit, ut Italicam Excalceatorum Fratrum Familiam constabiliret. Rebus compositis, eo sese totum convertit, ut duplex ille Petri de Alcantara contemplationis, et pœnitentiæ spiritus altas inter suos radices ageret. Quos præclarissimis virtutum exemplis anteibat, humilitate inprimis, rigidaque claustralis disciplinæ custodia. Paupertate, et abstinentia enituit admirabili. Unicum ad nudam carnem sexaginta quatuor annis habitum adhibuit; perque viginti quator annos, priscorum Heremicolarum ritu, pane tantum, ac fructibus victitavit; quod edulii genus ex obedientia in nauseosum commutavit ferculum. Flagellis asperrimis, ciliciis, et cruce ferrea, acutis instructa claviculis, corpus suum dilaniabat. Illud etiam de eo fertur, quod creberrimas inter orandum extases passus est, quodque raptibus, prophetia, miraculis, aliisque hujusmodi supernaturalibus donis vivens clarucrit. Denique zelo animarum absumptus, octogenarius apopletico morbo correptus, tertio Nonas Martias in osculo Domini obdormivit in Cœnobio S. Luciæ Montis Urbis Neapolis anno septigentesimo trigesimo quarto supra millesimum. Eumdem novis miraculis coruscantem anno ab illius decursu quinquagesimo sexto Pius VI. P. M. Beatorum albo recensuit. Et Gregorius decimus sextus anno millesimo octingesimo trigesimo nono solemni ritu Dominicæ SS. Trinitatis in canonem sanctorum retulit.

Lect. III. Noct. Nolite timere etc. *ut in eod. Comm. 2. loco.* p. 60*.

Die 18. S. Gabrielis Arch.

Duplex Majus.

Si celebretur in Quadrag. fit comm. et dicitur lectio de Feria occurr. Si vero celebretur post Pascha, additur Allel. et Psal. dicuntur sub antiph. illius Nocturni.

Ad Vesp. Ant. Ingresso Zacharia, *cum reliq. de Laudib. Psalm.* Dixit Dominus, *cum reliq. de Dominica*, p. *86. et loco ultimi.* Laudate Dominum omnes gentes.

Digitized by Google

Capitulum. Dan. 9.

ECCE vir Gabriel, quem videram in visione a principio; cito volans, tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Et docuit me, et locutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum ut docerem te, et intelligeres.

HYMNUS.

CHRISTE sanctorum decus Angelorum,
Gentis humanæ Sator, et Redemptor,
Cœlitum nobis tribuas beatas
Scandere sedes.
Angelus pacis Michael in ædes
Cœlitus nostras veniat, serenæ
Auctor ut pacis lacrymosa in orcum
Bella releget.
Angelus fortis Gabriel, ut hostes
Pellat antiquos, et amica cœlo
Quæ triumphator statuit per orbem,
Templa revisat.
Angelus nostræ medicus salutis
Adsit e cœlo Raphael, ut omnes
Sanet ægrotos, dubiosque vitæ
Dirigat actus.
Virgo Dux pacis, Genitrixque lucis,
Et sacer nobis Chorus Angelorum
Semper assistat, simul et micantis
Regia cœli.
Præstet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterque sancti
Spiritus, cujus resonat per omnem
Gloria mundum. Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi
℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

Ad Magnif. Antiph. Ingressus Gabriel Angelus ad Mariam Virginem, dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.

Oratio.

DEUS, qui inter cæteros Angelos, ad annuntiandum Incarnationis tuæ mysterium, Gabrielem Archangelum elegisti: concede propitius, ut, qui festum ejus celebramus in terris, ipsius patrocinium sentiamus in cœlis. Qui vivis, et regnas etc.

Deinde fit commem. Fer. nisi transferatur post Paschа.

Ad Matut. Invit. Regem Archangelorum Dominum, * Venite, adoremus.

Psalm. Venite, exultemus. 1.

Hymnus. Christe sanctorum, *ut supra.*

IN I. NOCTURNO.

Antiph. Dixit Angelus Gabriel ad Danielem: Intellige fili hominis, quoniam in tempore finis implebitur visio.

Psalm. 8. Domine Dominus, *pag.* 4.

Antiph. Ecce vir Gabriel, quem videram in visione, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, et docuit me.

Psalm. 10. In Domino confido, *p.* 5.

Antiph. Cumque Gabriel loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram, et tetigit me, et statuit me in gradu meo.

Psalm. 14. Domine quis, *p.* 7.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.

℟. Habens Thuribulum aureum in manu sua.

De Daniele Propheta.

Lectio j. Cap. I.

EGO Daniel, cum adhuc loquerer, et orarem, et confiterer peccata mea, et peccata populi mei Israel, et prosternerem preces meas in conspectu Dei mei, pro monte sancto Dei mei: adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Et docuit me, et locutus est mihi dixitque: Daniel, nunc egressus sum ut docerem te, et intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem.

℟. Cum oraret Daniel, et confiteretur peccata sua, et peccata populi sui, * Ecce Archangelus Gabriel, cito volans, tetigit eum in tempore sacrificii vespertini. ℣. Cumque proster-

Digitized by Google

neret preces suas in conspectu Dei sui. Ecce.

Lectio ij.

SEPTUAGINTA hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo, et animadverte. Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt: et rursum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum.

℟. Locutus est Gabriel Danieli, et dixit: Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: * Ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. ℣. Tu autem animadverte sermonem, et intellige visionem. Ego.

Lectio iij.

ET post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, et Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis: et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.

℟. Ecce vir Gabriel, quem videram, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, et docuit me, et dixit: * Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, et intelligeres. ℣. Gabriel fac me intelligere istam visionem: et venit, et stetit juxta ubi ego stabam, et ait ad me: Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, et intelligeres. Daniel. Gloria. Daniel.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Gabriel Angelus apparuit Zachariæ, dicens: Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium et vocabis nomen ejus Joannem.

Psalm. 18. Cœli enarrant, *p.* 10.

Ant. Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc sciam? ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis.

Psalm. 23. Domini est terra, *p.* 21.

Ant. Respondens autem Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te, et hæc tibi Evangelizare.

Psalm. 33. Benedicam, *p.* 35.

℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini.

℟. De manu Angeli.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

Ex Hom. de Laud. Virg. super Missus est.

Lectio iv.

MISSUS est Angelus Gabriel a Deo. Non arbitror hunc Angelum de minoribus esse, qui qualibet ex causa crebra soleant ad terras fungi legatione. Quod ex ejus nomine palam intelligi datur, quod interpretatum Fortitudo Dei dicitur, et quia non ab aliquo alio forte excellentiore se (ut assolet) spiritu, sed ab ipso Deo mitti perhibetur. Propter hoc ergo positum est, a Deo. Vel ideo dictum est, a Deo, ne cui, vel beatorum spirituum, suum Deus antequam Virgini revelasse putetur consilium, excepto dumtaxat Archangelo Gabriele. Qui utique tantæ inter suos inveniri potuerit excellentiæ, ut tali et nomine dignus haberetur, et nuntio.

℟. Factum est, cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis sum ante Deum, * Apparuit ei Angelus Gabriel stans a dextris altaris incensi. ℣. Cumque ingressus in templum Domini incensum poneret secundum consuetudinem sacerdotii sui. Apparuit ei.

Lectio v.

NEC discordat nomen a nuntio: Dei quippe virtutem Christum, quem melius nuntiare decebat, quam hunc, quem simile nomen honorat?

Digitized by Google

Nam quid est aliud fortitudo quam virtus? Non autem dedecens, aut incongruum videatur, Dominum et nuntium communi censeri vocabulo, cum similis in utroque appellationis, non sit tamen utriusque similis causa. Aliter quippe Christus fortitudo vel virtus Dei dicitur, aliter Angelus. Angelus enim tantum nuncupative, Christus autem etiam substantive.

℟. Descendit Gabriel Angelus ad Zachariam, dicens: ne timeas, quoniam exaudita est deprecatio tua: et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem. ℣. Et Zacharias turbatus est videns et timor irruit super eum: ait autem ad illum Angelus. Ne.

Lectio vj.

CHRISTUS Dei virtus et dicitur, et est, qui forti armato, qui suum atrium in pace custodire solebat, fortior superveniens ipsum suo brachio debellavit, et sic ei vasa captivitatis potenter eripuit. Angelus vero fortitudo Dei appellatus est, vel quod hujuscemodi meruerit prærogativam officii, quo ejusdem nuntiaret adventum virtutis, vel quia Virginem natura pavidam, simplicem, verecundam, ne miraculi novitate expaveseeret, confortare deberet, quod et fecit: Ne timeas, inquiens, Maria; invenisti enim gratiam apud Deum. Convenienter itaque Gabriel ad hoc opus eligitur: immo, quia tale illi negotium injungitur, recte tali nomine designatur.

℟. Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum: et missus sum loqui ad te, et hæc evangelizare. Ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem, quo hæc fiant. ℣. Pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur tempore suo. Ecce eris. Gloria. Ecce eris.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

Psalm. 95. Cantate Domino, *p.* 72.

Ant. Gabriel Angelus Mariæ dixit: Ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua.

Psalm. 96. Dominus reguavit, exultet, *p.* 72.

Ant. Suscipe verum virgo Maria, quod tibi a Domino per Angelum Gabrielem transmissum est.

Psalm. 102. Benedic anima... et omnia, *p.* 77.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 1.

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia S. Juliani Archiepiscopi Toletani.

Lib 2. contra Judaeos.

SACRAMENTUM illud septuaginta hebdomadarum de Christi nativitate Daniel per Angelum didicit similiter et Zacharias, apparente sibi Angelo, Joannem filium de se generandum audivit, et Maria Angelo sibi prædicenti Christum ex se nascendum, et credidit, et assensit. Hæc tria per Angelum dicta, et completa videmus. Jam ergo solicite intuendum est, utrum Angelus iste, qui Zachariæ, et Mariæ apparuit, ipsi quoque Danieli illa prædixerit.

℟. Missus Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph, nuntians ei verbum: et expavescit Virgo de lumine. * Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum; ecce concipies, et paries, et vocabitur Altissimi Filius. ℣. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio: Et ait Angelus ei. Ne timeas.

Lectio viij.

EQUIDEM ipse Daniel in prophetiæ suæ volumine, quando illa sacramenta hebdomadarum de Christi nativitate per Angelum futura cognovit, sic ipsius Angeli nomen evidenter expressit. Dixit enim: Ecce vir Gabriel, quem videram in principio, cito volans tetigit me et dixit: Daniel, animadverte sermonem: et reliqua, quæ ibi commemorantur. Item his temporibus secundum Evangelium, Angeli ipsius nomen mirificum sic invenitur expressum. Dixit enim idem Angelus Zachariæ: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizare.

℟. Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti:* Quæ Gabrielis Archangeli dictis credidisti, dum virgo Deum, et hominem genuisti, et post partum Virgo inviolata permansisti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quæ. Gloria. Quæ.

Lectio ix.

QUOD etiam de beatæ Mariæ Virginis partu sic in eodem Evangelio legitur: Missus est inquit, Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Jam ergo manifestum est, quod unus idemque Angelus Gabriel fuerit, qui et præfixa illa tempora Danieli de Christi nativitate aperuit, et partum Virginis præsentem esse monstravit. Ad tempus itaque præfinitum occurrit, et olim a se dicta, operis efficientia completa esse convincit, et illic fidelis in prophetia hebdomadarum, et hic fidelis per mysterium revelatum.

Te Deum Laudamus. 12.

Ad Laudes

et per Horas Antiph.

1. Ingresso Zacharia templum Domini, apparuit ei Gabriel Angelus, stans a dextris Altaris incensi.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliq. de Dom. p.* 13.

2. Ait autem Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua.

3. Ego sum Gabriel Angelus, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te.

4. Gabriel Angelus locutus est Mariæ, dicens: Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum.

5. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Gabriel Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbravit tibi.

Capitulum ut supra ad Vesp.

HYMNUS.

PLACARE, Christe, servulis,
Quibus Patris clementiam
Tuæ ad Tribunal gratiæ
Patrona Virgo postulat.

Et vos beata, per novem
Distincta gyros, agmina,
Antiqua cum præsentibus,
Futura damna pellite.

Auferte Gentem perfidam
Credentium de finibus,
Ut unus omnes unicum
Ovile nos Pastor regat.

Deo Patri sit gloria,
Natoque Patris unico,
Sancto simul Paraclito
In sempiterna sæcula.

Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.

℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

Ad Bened. Antiph. Gabriel Angelus descendit ad Zachariam, et ait illi: Uxor tua pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem, et multi in nativitate ejus gaudebunt: ipse enim præibit ante faciem Domini parare vias ejus.

Oratio ut supra.

Deinde fit commem. Feriæ, si facienda sit.

Digitized by Google

Ad Tertiam.

℟. *br.* Stetit Angelus, * Juxta aram templi. Stetit. ℣. Habens thuribulum aureum in manu sua. Juxta. Gloria. Stetit.

℣. Ascendit fumus Aromatum in conspectu Domini.

℟. De manu Angeli.

Ad Sextam.

Capitulum. Dan. 9.

EGO autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt, ut finem accipiat peccatum, et impleatur visio et prophetia, et ungatur sanctus sanctorum.

℟. *br.* Ascendit fumus aromatum * In conspectu Domini. Ascendit. ℣. De manu Angeli. In conspectu. Gloria. Ascendit.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Ad Nonam.

Capitulum. Dan. 9.

SCITO ergo, et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt.

br. In conspectu Angelorum: * Psallam tibi, Deus meus. In conspectu. ℣. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. Psallam. Gloria. In conspectu.

℣. Adorate Deum.

℟. Omnes Angeli ejus.

In II. Vesp. omnia ut in primis, sed loco ultimi, dicitur

Psalm. 137. Confitebor tibi, p, 95.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Ad Magnif. Ant. Archangelus Gabriel ait ad Mariam: Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria; Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum: et discessit ab ea Angelus.

Oratio ut supra.

Deinde fit commem. S. Joseph, et Feriæ, si facienda sit.

FESTA APRILIS.

Die 6. Transl. S. Athan. E.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Confess. Pont. præter sequentia. In Hymn. Iste Confessor. m. t. v.

Oratio.

EXAUDI, quæsumus Domine preces nostras, quas in Beati Athanasii Confessoris tui, atque Pontificis Translatione deferimus: et qui tibi digne meruit famulari ejus intercedentibus meritis, ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de Scrip. occurr. In Quadrages. vero, Fidelis sermo, *p.* 40*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ATHANASIUS Neapolitanis Ducibus natus, quem pii Parentes Sancti Athanasii Alexandrini precibus susceptum, ejusdemque postea invictæ constantiæ æmulatorem, hoc appellarunt nomine. A pueritia Clericali militiæ adscriptus Beato Joanni Neapolitano Antistiti erudiendus traditus est: quo doctore, tanta enituit pietate, litterisque, ut merito a Leone Quarto Pontifice, Civium precibus annuente, Neapolitanus Episcopus fuerit renunciatus et consecratus. Ecclesiasticos proventus domesticumque patrimonium in Templorum, Pauperumque inopiam sublevandam erogavit: multas Saracenorum incursibus pene dirutas instauravit Basilicas, easque prædiis, sacris vestibus, vasisque pretiosis locupletavit. Ministros Altaris Hebdomadarios in Templo maximo a se institutos, proprio ditavit ære. Pauperibus, et Peregrinis hospitium aperuit; multumque pecuniæ ad captivos e Barbarorum servitio vindicandos mira charitate profudit.

Digitized by Google

Lectio v.

ABSTINENTIA fuit incredibili, frugali mensa utens, esum carnis sibi perpetuo interdixit. Corpus non cilicio solum flagrisque, sed gravissimo etiam plumbi pondere a cervice ad talos extenso affligebat, lapideque capiti supposito, in lectulo humi strato cubabat. A Nicolao primo pontifice Romam accersitus, magno honore est habitus, ac Lateranensi in synodo, una cum aliis patribus tertio loco assidens, Joannem Ravennatem insanientem antea contra Ecclesiam, qui postea resipuit, confutavit. Neapolim regressus a Sergio fratris filio, notæ impietatis homine, Athanasii objurgationes indignante, detrusus in carcerem: indeque cleri opera, cum universæ civitatis gaudio ereptus est.

Lectio vj.

CONSTANTER deinde obluctans iniquis contra ecclesiasticam libertatem postulationibus Sergii, ejus opera depulsus a sede, unumque mensem supra viginti coactus exulare, plurimas per id temporis ærumnas perpessus est: quibus confectus, Verulis obiens cœlestem in patriam receptus est ætatis anno quadragesimo primo, idibus Julii, post Christum natum octingentesimo septuagesimo secundo. Corpus miraculis clarum, Cassinum prius in montem, mox Neapolim, quinto post obitum anno, integrum adhuc repertum, solemni supplicatione translatum est: cujus translationis memoria nonis Aprilis anniversaria festivitate recolitur.

In III. Noct. Homil. Ut ignorantiam p. 47*.

Die 23. S. Georgii M.

Duplex.

Omnia de com. MM. temp. Pasch. p. 24*.

Oratio.

DEUS, qui nos beati Georgii martyris tui meritis et intercessione lætificas, concede propitius ut, qui tua per eum beneficia poscimus, dono tuæ gratiæ consequamur. Per Dominum.

Deinde fit commem. SS. Soteris ec. In I. Noct. Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

GEORGIUS, nobilibus parentibus in Cappadocia natus, sancte ab illis et religiose educatus est. Iis vita functis, adhuc adolescens tribunus militum factus et aliis insignitus honoribus, sub Diocletiano Cæsare militavit. Verum cum edictis imperialibus persecutionem in christianos cerneret acrius desævire, id indigne ferens, opportunum quoque fore illud tempus existimans ad salutem et ad martyrii gloriam, facultatibus suis in pauperes erogatis, servisque libertate donatis, zelo fidei ac religionis accensus, imperatorem adit: Christumque verum Deum libere confessus, ipsum de tam impia in christianos crudelitate constanter accusat.

Lectio v.

ADMIRATUS vehementer imperator quod Georgius, præter omnem opinionem, christianus esset, primo blandis illum verbis ac magnis pollicitationibus, deinde minis, pœnarumque terroribus, a fidei sententia conatur avertere. Sed cum nihil proficeret nec ullo modo viri constantiam posset de pio et sancto proposito dimovere, jubet ipsum primo in carcerem trudi, ibique dire affligi: tum verberibus cæsum, rota mucronibus præfixa ad ejus corpus adamota, laniari, deinde torreri sartagine, varieque torqueri. Quam ille tormentorum vim ubi alacri ac forti animo tulisset indeque incolumis mirabiliter evasisset, plurimos suo exemplo ad fidei constantiam excitavit.

Lectio vj.

IMPIUS autem persecutor cum eximiam hujusmodi martyris fortitudinem non divinæ virtuti, ut par erat, sed magicis artibus adscriberet,

Digitized by Google

ipsum varie tortum atque in sententia nihilominus persistentem securi percuti jubet. Georgius igitur, fortiter data cervice, martyrii corona dignatus est. Corporis ejus reliquiæ, diversas in regiones delatæ, maxime ab incolis habentur honore. Caput Romæ in diaconia sancti Georgii ad Velabrum honorifice asservatur: et ipsius martyris nomen non solum in oriente, ubi passus est, sed et in occiduis oris ubique clarissimum est. Quam et implorantibus ejus auxilium propitius adesse consueverit, reges præsertim et principes sæpius in militari conflictu experti sunt; frequentes etiam ejusdem martyris memoriæ ubique testantur.

IN III. NOCTURNO.

Homilia, Iste locus Evangelicus, *de Comm. mart. temp. pasch. p.* 25*.

Die 24. S. Boni Latronis.

Duplex.

Ad Vesperas.

Ant. Latro Christum crucifixum. *Cum reliq. de Laud.*

Psal. Dixit Dominus *cum reliq. de Dom.* p. 86. *et loco ult. Psal.* Laudate Dominum.

Capitulum. Isaiæ 59.

ECCE non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat.

HYMNUS.

JESU corona celsior,
Et veritas sublimior,
Qui confitenti servulo
Reddis perenne præmium;
Da supplicanti cœtui,
Hujus rogatu noxii
Remissionem criminis,
Rumpendo nexum vinculi,
Anni reverso tempore,
Dies refulsit lumine,
Quo Sanctus hic de corpore
Migravit inter sidera.
Ut sis perenne mentibus,
Paschale Jesu gaudium:
A morte dira criminum,
Vitæ renatos libera.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, alleluja.

℟. Stolam gloriæ induit eum, alleluja.

Ad Magnif. Antiph. Ait Latro ad Latronem: Nos quidem digna factis recipimus, hic autem quid fecit? Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum, allel. allel.

Oratio.

OMNIPOTENS, et misericors Deus, qui justificas impios, te supplices exoramus, ut nos benigno intuitu, quo Unigenitus tuus beatum traxit Latronem, ad dignam pœnitentiam provoces, et illam, quam ei promisit, tribuas nobis gloriam sempiternam. Qui tecum vivit.

Ad Matut. Invit. Christum Regem crucifixum qui Latroni in cruce Paradisum donat. * Venite adoremus, alleluja.

Psal. Venite exultemus. 1.

Hymn. Jesu corona celsior, *ut supra.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Beatus iste sanctus, qui confisus est in Domino, et exauditus est de monte sancto ejus, allel.

Psalmi de Com. Conf. non Pontif. p. 51*.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, alleluja.

℟. Stolam gloriæ induit eum, alleluja.

Lectiones dicuntur de Script. occurr.

℟. 1. Posui adjutorium super potentem: * Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum alleluja. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.

Digitized by Google

℟. II. Iste cognovit justitiam, et vidit mirabilia, et exoravit Altissimum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum, alleluja. ℣. Iste inventus est in numero sanctorum. Ipse intercedat.

℟. III. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriæ induit eum: * Et ad portas Paradisi coronavit eum, allel. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad portas. Gloria. Et.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Invocantem exaudivit Dominus sanctum suum; Dominus exaudivit eum in pace, alleluja.

1. Induit eum Dominus loricam fidei et ornavit eum, allel.

℟. Et ad portas Paradisi coronavit eum, allel.

Lectio IV.

Sermo sancti Joannis Chrysost.

Homil. 2, *de Cruce, et Latrone.* t. 3.

SCIO et ante me dixisse de Latrone, sed habet diversas intelligentias Dei sermo. Iste Latro de ligno mercatur salutem: hic latro furatur cœleste imperium. Vim facit majestati, non virtute propria, sed fide vincens. Ipsius Domini vox est. Regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud. In cruce duo latrones imago Judæorum, et Gentilium; Latro qui pœnitet, imaginem obtinet populi ex Gentibus congregati, qui prius in errore ambulaverat, et post hoc veritatem agnovit. Imaginem vero latro ille obtinet Judæorum qui usque in finem perseverat latro. Et usque ad tempus quidem crucis viam maliguitatis ierunt, crux autem divisit utrumque.

℟. Velum templi scissum est, * Et omnis terra tremuit: Latro clamabat de Cruce, dicens: Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum, alleluja. ℣. Petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et omnis.

Lectio V.

VIAM namque cæcitatis, et perditionis, qui non credidit, ingressus est: viam autem salutis, qui credidit ingressus est: viam salutis, qui credidit adeptus est. In cruce didicit Latro differentiam viarum, quoniam novit Dominus viam justorum: via autem impiorum peribit. Et vide Dei justum judicium, ut dicas et tu cum Propheta. Justus es Domine, et rectum judicium tuum. Propter unum peccatum damnatur Adam, et propter unam fidei vocem Latro salvatur. Unum peccatum ejecit illum, et una justitia introduxit istum, et Latro habitator factus est Paradisi. O admiranda rerum materies! Nec Abrahæ data est per vocem promissio Paradisi. Hæreditatur quidem per fidem; repromissionem autem Paradisi nemo ante Latronem accepit.

℟. Nemo repromissionem Paradisi ante Latronem accepit, cui Dominus in cruce dixit: * Hodie mecum eris in paradiso, alleluja, alleluja. ℣. Domine memento mei; cum veneris in regnum tuum. Hodie.

Lectio VI.

ISTE ergo vidit Salvatorem, non super throno regali, non adorari in templo, non loquentem de cœlis, non per Angelos disponentem; sed in pœna sociatum latroni: videt in tormentis, et tamquam in gloria adorat: videt in cruce, et rogat quasi in cœlis sedentem: videt condemnatum, et Regem invocat, dicens: Domine: memento mei, cum veneris in regnum tuum: Crucifixum vides, et Regem prædicas? in ligno pendere cernis, et cœlorum regna meditaris? O admiranda Latronis conversio!

℟. O admiranda Latronis conversio! * Crucifixum videt, et Regem prædicat, alleluja. ℣. In ligno pendentem cernit, et cœlorum regna meditatur. Crucifixum. Gloria. Crucifixum.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Domine iste sanctus habitabit

in tabernaculo tuo, requiescet in monte sancto tuo, alleluia.

℣. Hic accipiet benedictionem a Domino, allel.

℟. Et misericordiam a Deo salutari suo, allel.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 23.

IN illo tempore; Unus de his, qui pendebant latronibus blasphemabat Dominum dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, et nos. Et reliqua.

Homilia Sancti Ambrosii Episcopi.

Ser. 49. de S. Latrone.

QUONIAM hodie Evangelii Lectio de Latrone fecit mentionem, videamus quis iste Latro sit, qui in cruce Domino constituto, non solum peccatorum suorum veniam consequitur, sed etiam paradisi amœnitate donatur; ut qui propter scelera damnatus fuerat ad pœnam, propter fidem transferretur ad gloriam: fueritque illi crux quam pertulit, non tam supplicii damnatio, quam salutis occasio. In cruce enim positus, in Christum Dominum nostrum credidit crucifixum. Et ideo qui consortio passionis utitur, consortio paradisi condonatur. Beatus enim Latro, dum supplicium patitur, regnum cœleste consequitur. Ecce reus dicitur, sicut cui damnari illud tempus expetivit. Non enim perveniret ad gloriam, si non contraditus esset ad pœnam. Videamus, inquam, cur tantorum criminum reus, tam cito a Salvatore Paradisum promeretur, cum alii multorum temporum lacrymis, frequentibusque jejuniis, vix delictorum suorum veniam consequantur.

℟. Iste est beatus, Latro, qui in cruce positus Christum Dominum nostrum credidit crucifixum: Et dum supplicium patitur, regnum cœleste consequitur, alleluia. ℣. Quem Judas Iscariotes in hortulo Paridisi distraxerat; iste in patibulo confitetur. Et dum.

Lectio viij.

MAGNA, fratres, et multiplex causa est. Primum, quòd iste Latro devotione fidei tam repente mutatus est, ut præsentem pœnam despiceret, ac de futura veniam precaretur: et magis crederet, utile sibi esse, de æterno judicio petere, quam de temporali supplicio postulare. Reminiscens enim scelerum suorum, et pœnitudinem gerens, plus incipit dolere quod sperat, quam sentire quod patitur. Potuit enim nisi de futuris amplius cogitasset, qui in Christum semel crediderat, de præsenti magis supplicio deprecari. Deinde illud ad gratiam ejus majoris est meriti, quod in Christum in cruce positum credidit, et passio, quæ aliis scandalum fecit, illi ad fidem profecit. Crucis enim passio multis scandalum fuit, sicut dicit Apostolus: Nos autem prædicamus Christum Crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Recte ergo meretur Paradisum, qui crucem Christi non putavit esse scandalum, sed virtutem; dicit enim idem Apostolus: Ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.

℟. Iste est, qui crucem Christi non putavit esse scandalum sed virtutem; ideoque paradisum meretur: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum, alleluia. ℣. Iste est qui honorificat patientem, quem Judas prodidit osculantem. Ipse. Gloria. Ipse.

Lectio ix.

RECTE plane et Dominus huic donat Paradisum, quia quem Judas Iscariotes in hortulo Paradisi distraxerat, hic in crucis patibulo confitetur. Mira res! confitetur Latro, quem discipulus abnegavit. Mira, inquam res! Latro honorificat patientem, quem Judas prodidit osculantem; ab hoc pacis blandimenta venduntur, ab illo Crucis vulnera prædicantur. Ait enim: Memento mei

Digitized by Google

Domine, cum veneris in regnum tuum. Hæc est fidei plena devotio, ut cum de vulneribus Domini profluens sanguis cernitur, de potestate ejus venia postulatur. Cum videtur ejus humilitas, tunc magis timeatur ejus Divinitas: cum morti addictus putatur, tunc regis illi honorificentia deferatur. Iste enim fidelis Latro non credidit moriturum, quem annuntiat regnaturum: non putat subdendum inferis, quem dominaturum confitetur in cœlis: non arbitratur eum apud tartarum detineri, a quo se etiam postulat liberari. Cernat licet ejus hiantia vulnera, spectet ipsius sanguinem profluentem: Deum tamen credit, quem reum nescit: justum fatetur, quem non meminit peccatorem.

Te Deum laudamus, *p.* 12.

Ad Laudes

et per Horas Antiphonæ.

1. Latro Christum crucifixum videbat, et Regem invocabat, dicens: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum, alleluia.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliq. de Domin.* p. 13.

2. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, alleluia.

3. Cum conturbata fuerit anima mea, Domine, misericordiæ memor eris, alleluia.

4. Salvum me fecit Christus Redemptor: quia dixit: Hodie mecum eris in Paradiso, alleluia, alleluia, alleluia.

5. Ille qui talis ad crucem venit ex culpa, ecce qualis ex cruce recedit ex gratia, alleluia, alleluia, alleluia.

Capit. ut supra ad Vesp.

HYMNUS

JESU Redemptor omnium
Corona confitentium,
In hac die clementius
Indulgeas precantibus.

Tui sacri qua nominis
Confessor almus claruit,
Hujus celèbrat annua
Devota plebs solemnia.

Hujus benignus annue
Confessionem nos sequi:
Hujus precatu servulis
Dimitte noxam criminis.

Ut sis perenne mentibus
Paschale Jesu gaudium;
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclyto,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Vitam petiit a te, et tribuisti ei Domine, alleluia.

℟. Gloriam, et magnum decorem imposuisti super eum, alleluia.

Ad Bened. Antiph. ut in Vesp.

Ad Tertiam.

℟. *br.* Amavit eum Dominus et ornavit eum,* Alleluia, allel. Amavit. ℣. Stolam gloriæ induit eum. Alleluia, allel. Gloria Patri. Amavit.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum, alleluia.

℟. Et ad portas Paradisi coronavit eum, alleluia.

Ad Sextam.

Capitulum. Isaiæ 58.

TUNC invocabis et Dominus exaudiet: clamabis, et dicet: Ecce adsum.

℟. *br.* Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum,* Alleluia, alleluia. Induit. ℣. Et ad portas Paradisi coronavit eum. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Induit.

℣. Hic accipiet benedictionem a Domino, alleluia,

℟. Et misericordiam a Deo salutari suo, alleluia.

Ad Nonam.

Capitulum *Isai.* 38.

TU autem Domine eruisti, animam meam, ut non periret: projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

℟. *br.* Hic accipiet benedictionem a Domino,* Alleluja, alleluja. Hic accipiet. ℣. Et misericordiam a Deo salutari suo. Alleluja, allel. Gloria. Hic accipiet.

℣. Vitam petiit a te, et tribuisti ei Domine, alleluja.

℟. Gloriam, et magnum decorem imposuisti super eum, alleluja.

Vesperæ de S. Marco Evang. cum comm. Boni Latronis.

Quod si contingat Festum S. Marci alio die celebrari, in II. Vesp. S. Boni Latronis omnia dicuntur, ut in primis.

Ad Magnif. Antiph. Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua, alleluia, alleluia.

Die 26. Appar. B. M. V.

DE BONO CONSILIO.

Duplex Majus.

Omnia ut in festis B. M. V. p. 92. *præter ea, quæ sequuntur.*

Ad Magnif. Ant. Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fæmineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuæ Sanctæ Imaginis Apparitionem.

Oratio.

BONORUM omnium largitor Deus, qui Genitricis dilecti Filii tui speciosam imaginem mira Apparitione clarificare voluisti: concede quæsumus ut ejusdem B. M. Virginis intercessione ad cœlestem patriam feliciter perducamur. Per eumdem Dominum.

Ad Matutinum.

HYMNUS.

PLAUDE festivo, pia gens, honore,
Dum Genestani veneraris Ædem,
Qua Dei Magnæ Genitricis alma
Splendet Imago.
Hæc ubi mira specie repente
Obtulit sese populis videndam,
Multa mox secum bona ferre nostras
Visa per oras.
Ipsa tunc ægris aderat, molestos
Corporis morbos, animique pellens,
Longe et ærumnas Latio imminentes
Ipsa fugabat.
Virgo, quæ magnis decorata signis
Nunc quoque effulges, miseris juvamen
Affer, et fusis patiens clientum
Annue votis.
Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super Cœli solio coruscans
Totius Mundi seriem gubernat
Trinus et unus. Amen.

IN I. NOCTURNO.

De Lib. Proverbiorum.

Lectio i. Cap. 2.

SI intraverit Sapientia cor tuum, et scientia animæ tuæ placuerit, consilium custodiet te, et prudentia servabit te, ut eruaris a via mala, et ab homine, qui perversa loquitur: qui relinquunt iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas; qui lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis, quorum viæ perversæ sunt, et infames gressus eorum.

Lectio ij. Cap. 3.

FILI mi, ne effluant hæc ab oculis tuis. Custodi legem atque consilium, et erit vita animæ tuæ, et gratia faucibus tuis. Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, et pes tuus non impinget. Si dormieris non timebis; quiesces, et suavis erit somnus tuus; ne paveas repentino terrore, et irruentes tibi potentias impiorum. Dominus enim in latere tuo, et custodiet pedem tuum ne capiaris.

Lectio iij. Cap. 8.

EGO sapientia habito in Consilio, et eruditis intersum cogitationibus. Timor Domini odit malum, arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. Meum est consilium, et æquitas, mea est

Digitized by Google

prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Per me Principes imperant, et potentes decernunt justitiam. Ego diligentes me diligo: et qui mane vigilant ad me invenient me.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

De sermone S. Augustini Episcopi.

In Natali S. Joann. Bapt.

HOMINEM concepit Elisabeth, hominem Maria: sed Elisabeth solum hominem, Maria Deum et hominem. Mira res est, quomodo potuerit concipere creatura Creatorem. Quid est ergo intelligendum, Fratres mei, nisi quia ipse sibi fecit carnem de sola Matre, qui fecit primum hominem sine patre, et matre? Primus ille noster casus fuit, quando fœmina, per quam mortui sumus, in corde concepit venena serpentis, Persuasit enim serpens peccatum et admissus est male suadens. Si primus noster casus fuit, cum fœmina concepit corde venena serpentis, non mirandum, quod salus facta est, cum fœmina concepit in utero carnem Omnipotentis. Uterque ceciderat sexus; uterque fuerat reparandus. Per mulierem in interitum missi eramus; per mulierem nobis reddita est salus.

Lectio v.

De sermone S. Fulgentii Episcopi.

De Laud. Mariæ.

QUONIAM diabolus per serpentem Hevæ locutus, per Hevæ aures mundo intulit mortem, Deus per Angelum ad Mariam pertulit Verbum, et cunctis sæculis vitam effudit. Angelus sermonem ejecit, et Christum Virgo concepit. Hoc splendore concipitur Dei Filius; hac munditia generatur. De cœlis medicus transiens per Virginem, post transitum suum illæsam fecit Virginem permanere. Qui enim disrupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo, quanto magis in sua Matre, quod invenit integrum, potuit non violare nascendo? Crevit enim ejus partu integritas corporis potius, quam decrevit; et Virginitas ampliata est potius, quam fugata.

Lectio vj.

MARIA quam præclarissimis tribus bonis sublimetur, ausculta: salutationis angelicæ, benedictionis divinæ, et plenitudinis gratiæ. Sic enim eam legitur salutasse: Ave Maria gratia plena, benedicta inter mulieres. Et ut nihil non sublime esset in hac Sanctissima Virgine, quam Angelus gratia plenam salutavit, non sine divino consilio factum est, ut ejus etiam imagines summo essent in honore, et prodigiis, miraculisque clarescerent. Quas inter ea tribus ab hinc sæculis præcipuo honore colitur, quæ, Paulo II. sedente, mirabiliter apparuisse in pariete Ecclesiæ Patrum Ordinis Eremitarum S. Augustini in Oppido Genestani Prænestinæ Diœcesis, ex Pontificiis diplomatibus, et supparibus monumentis comprobatur. Quibus permotus Pius Papa Sextus præfatis ejusdem oppidi Cœnobitis officium proprium concessit VII. Kalendas Majas, ipso scilicet Apparitionis die recitandum; ac deinde illud, die, quæ immediate subsequitur, pro ejus recitatione in posterum assignata, ad universum prædictum Ordinem sub ritu duplicis majoris extendit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum. *Cap.* 1.

Lectio vij. Cap. I.

LIBER generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Ep.

In Nativ B. M. V.

COGITANTI mihi, ac diu hæsitanti quid causæ sit, quod cum Evangelistæ de Joanne Baptista, et aliis Apostolis tam longum fecere tractatum, de Virgine Maria, quæ vita, et dignitate omnes antecedit, ita

tis diem cum reliquis peregrinis Ecclesiam ingredi sæpe pertentat, divina virtute semper repulsa cœpit cogitare, unde in tam libero aliorum ingressu sibi toties negaretur introitus.

Lectio v.

ITAQUE in atrio Templi divinitus edocta, propter peccatorum sordes se ab aspectu Sanctæ Crucis arceri; corde compuncta, Beatæ Mariæ Virginis, cujus imaginem ibidem conspexit, suffragia suspiriis, et lacrymis imploravit, firmiter promitteus anteactæ vitæ pœnitentiam. Hac melioris vitæ data sponsione intra Templum recipitur, Sacrosanctum Crucis lignum adorat, et divina prospicit arcana, per quæ docetur, quanta sit pietas Dei erga pœnitentes. In atrium regressa eamdem Dei Genitricem rogans, ut pœnitentiæ modum, et locum præscribat, vocem audit suadentis, ut Jordanis flumen pertranseat. Itineri extemplo accincta, tres nummos a quodam pertranseunte accepit, quibus totidem panes comparavit.

Lectio vj.

SANCTISSIMIS Sacramentis in Ecclesia Sancti Joannis Baptistæ ad ripam fluminis munita, sumpto panis dimidio, in vastam solitudinem trans Jordanem se recepit: ubi reliquo pane, crudisque herbis, annis quadraginta septem sub intenso Solis ardore, et hyemis inclementia, absque ullo corporis tegumento victitavit, mirum quot dæmonum insidias, et animi perturbationes invicta sustinuit. Visa tandem a Zosima Abbate viro sanctissimo per eamdem solitudinem aberrante, curavit ei omnem vitæ suæ rationem enarrare. Mirabili tunc consolatione repleta, mortis præscia, ad ejus Monasterium, ambulans super aquas Jordanis, accessit; ubi Sacrosanctis refecta Sacramentis, in solitudinem regressa, sancto fine quievit. Illius corpus, ministerio leonis terram effodientis, Zosimas sepelivit, ejusque vitam, et mortem omnibus propalavit, quam Sanctus Sophronius Patriarcha Jerosolymitanus graviter conscripsit.

In III. Noct. Homil. Cœlorum regnum, p. 74*.

Die 30. S. Severi Ep.

Duplex Majus.

Omnia de Comm. Conf. Pontif. præter sequentia.

Oratio.

DOMINE Deus omnipotens, qui Beatum Severum Confessorem tuum, atque Pontificem, ita mirabilem effecisti, ut ad veritatis testimonium mortuum de sepulchro revocaverit: da quæsumus, ut ipsius intercessione Majestati tuæ fideliter serviamus. Per Dominum.

Lect. I. Noct. Fidelis sermo, p. 74*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

SEVERUS Neapolitanus, post Beatum Maximum Patriæ præficitur Præsul. Eo in munere maxima sanctitatis argumenta, virtutumque præ se tulit. Sancto Ambrosio Mediolanensi, a quo accepit epistolam, charissimus: imo Ethnicis ipsis, teste Symmacho, Christianæ Religioni alioquin infenso, maxime laudabilis. Multas Neapoli construxit Basilicas; illamque precipue extra mœnia, Divo Januario sacram, in qua Corpus ipsius Beatissimi Præsulis, et Martyris, ex Marciano translatum, propriis condidit manibus, mortisque non immemor, sibi adhuc viveus construi mandavit sepulchrum.

Lectio v.

MULTA præterea Sanctus Episcopus admiranda edidit, quorum illud maxime memorandum, quod cum falsus creditor multum pecuniæ a quadam vidua repeteret, quod a defuncto ejusdem marito sibi debitam mentiebatur, ideoque mater illa cum filiis servituti esset addicenda, Severus, re cognita, commiseratione per-

Digitized by Google

motus, accersitum mendacem illum, una cum Clero, aliisque multis ad locum in quo defunctus jamdiu jacuerat, secum duxit; et post preces magna cum fide ad Deum profusas, mortuum revocavit, qui statim redivivus, se pecuniam ullam debere negavit; quo dicto, iterum obdormivit. Verum Sanctus Antistes, etiam in hunc scelestum pius, vetuit ne, ob hoc mendacii crimen, mali aliquid pateretur.

Lectio vj.

TOT, tantisque charitatis, ac pietatis operibus plenus gravem in morbum incidit. Morti propinquus conciliavit Deo anathemate sejunctos; peractisque sacris mysteriis in ejus conclavi a cuncto Clero ad id convocato, ipse in oratione defixus: ubi sunt inquit, fratres mei! Tunc qui aderant, arbitrantes Sanctum Episcopum Diaconos accersere: ecce adsunt, responderunt; at ille non istos, sed Sanctos Januarium, et Agrippinum volo, qui modo hic adfuerunt, seque illico promisere redituros. Extensis deinde in cœlum manibus, in illis verbis: Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis, concusso per terræmotum cubiculo, ad eum, qui in cœlis habitat, evolavit pridie Kalendas Maji. Corpus prius in sua crypta, postmodum in æde Divi Georgii honorifice conditum fuit.

In III. Noct. Lect. de Homil. Ut ignorantiam, p. 47*.

FESTA MAII.

Die 11. S. Fr. de Hieron. C.

Duplex Majus.

Oratio.

DEUS, qui sanctum Franciscum, ad animarum salutem, eximium verbi tui præconem effecisti; ejus nobis intercessione concede, ut legis tuæ mandata et jugiter scrutemur in corde, et fideliter operibus exequamur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. Justus, *p.* 52*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

FRANCISCUS de Hieronymo in Tarentini Oppido, cui Cryptaleæ nomen, honesto loco natus, pia parentum cura institutus, ac cœli benedictione præventus pueritiam egit innocentissimis moribus præstantem, et futuræ sanctitatis indiciis conspicuam. Duodecimo ætatis anno in quorumdam Evangelicorum Operariorum contubernium admissus in catechizandis rudibus adhuc adolescens diligentem operam posuit, et Apostolico ministerio, ad quod Deus illum destinaverat, jam tum proficere visus est. Theologica studia Neapoli aggressus, et Sacerdotio initiatus, ita vitæ suæ rationes ad Evangelica consilia accomodavit, ut Sacerdotis sancti nomen adeptus fuerit. Societatem Jesu ingressus, jactis in tirocinio religiosæ perfectionis, ardentissimæ in Deum, et proximos charitatis, insignis patientiæ, aliarumque virtutum fundamentis, quæ majus in dies singulos incrementum accipiebant. Theologiæ curriculum confecit, et solemni quatuor votorum professione sese obstringens, eximium regularis observantiæ exemplar evasit. Pro sacra expeditione ad Japoniam, quam martyrii cupidus in votis habuit, Neapoli retentus, præfecturam Missionum jussu Præsulum accepit, quod non sine Dei numine factum eventus comprobavit.

Lectio v.

TETSI enim corpore erat gracili, neque satis firma valetudine, ac præterea carnem assiduis jejuniis, vigiliis, verberibusque macerabat, tamen tot onera in se suscipiens, quot ferendis plures simul vix pares essent, incredibile dictu est, quanta pro gloria Dei, quam unice quærebat, egerit non solum Neapoli, sed in aliis quoque ejusdem regni provinciis, quot labores, ærumnas tulerit, quan-

Digitized by Google

to cum fructu in agro dominico excolendo plus quadraginta annis desudaverit. Frequentes, et sæpius plures eodem die habebat conciones per vicos, compita, et plateas, ad carceribus detentos, ad regiis triremibus mancipatos, ad milites, contra circulatores impudentes, contra publicos quosvis peccatores, contra famæ prostitutæ mulierculas. Accedebant mirabilia signa, tremenda divinæ ultionis adversus pervicaces documenta, scrutatio cordium, prædictio rerum futurarum, ejus corporis diversis in locis apparitio, gratia sanitatum, annona divinitus multiplicata, vox etiam ex ore meretricis subita morte correptæ extorta, quæ se apud inferos esse palam denunciavit. Ex quo fiebat, vix ut unquam e superiori loco ad populum diceret, quin insignem aliquem peccatorem Christo lucrifaceret. Interdum etiam decem, nonnumquam quindecim meretriculæ simul sua crimina deflentes in concione, ad pœnitentiam confugerunt.

Lectio vj.

ASSIDUA ejus opera fuit in ægrotis invisendis, in moribundis ad mortem rite præparandis, in concordia animorum dissidentium concilianda, in pauperibus ope, ac solatio sublevandis. Communionem, quam dicunt generalem, singulis cujuslibet mensis tertiis diebus Dominicis usque adeo promovit, ut sæpe quindecim millia fidelium, aliquando viginti millia, aut eo amplius ad Eucharisticam mensam convenerint. Exercitiis spiritualibus ex Sancti Ignatii institutoris præscripto Sacerdotum cœtus, virorum religiosorum, et virginum Deo devotarum monasteria, puellarum cœnobia, studentium juvenum collegia, et seminaria, atque omne hominum genus mirifice excoluit, gravissimas difficultates, et molestias quas illi Dæmon excitabat, invicta patientia superavit: nec semel maxillam percutientibus submisso animo alteram præbuit: quin et acerbissimos dolores brachio captivi Mahometani, qui eum percusserat, a Deo ultore inflictos signo crucis repente cessare fecit, hominemque ad Christianam religionem adduxit. Demum in cœlum a Deo evocatus placide efflavit animam in Neapolitana Professorum domo die undecima Maji anno millesimo septingentesimo decimo sexto, ætatis vero suæ septuagesimo quarto. Quem meritis, ac miraculis clarum Pius Septimus Pontifex Maximus in Beatorum numerum retulit. Novisque signis a Deo illustratum præsertim in Patria, quibus de more probatis, Gregorius Papa XVI. solemni ritu in festo SS. Trinitatis anno millesimo octingentesimo trigesimo nono in Sanctorum album adnumeravit.

In III. Noct. Homil. in Evang. Sint lumbi vestri, p. 56*.

Die 14. S. Pomponii Ep.

Duplex.

Omn. de Comm. Conf. Pontif. præter seq.

Oratio.

DEUS, qui Beatum Pomponium Confessorem, atque Pontificem beneficentiæ tuæ thesauris locupletasti: da, ut ejus auxilio, et imitatione cœlestes misericordiæ tuæ divitias consequamur. Per Dominum.

Et fit commem S. Bonifacii Mart. In I. Noct. Lect. de script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

POMPONIUS nobilitate generis, ac sapientia conspicuus, post Beatum Asprenum vigesimus ad Neapolitanam sedem evectus, solicitudine quam maxima desudavit, ut commissas sibi oves Christianæ pietatis pabulo uberius enutriret, ab Ariana contagione tutatus, ne perfidiæ luem imbiberent. Cum Theodoricus Gothorum Rex hæreticus, Neapoli potitus, Catholicos insectaretur, ejus audaciæ Sanctus Antistes constantissime restitit; commendatus idcirco a Joanne Pontifice Maximo, qui ab eodem impio Rege Ravennæ mancipatus carceri,

vinculisque constrictus, Apostolicam scripsit epistolam, qua tum monitis, tum exemplis omnes Italiæ Præsules ad orthodoxam fidem propugnandam hortabatur.

Lectio v.

RELIQUAS inter virtutes, præcipuum erga Deiparam amorem, cultumque exhibuit, cui templum titulo Sanctæ Mariæ Majoris, a se excitatum, nuncupari voluit, tunc temporis in primis mole, et structura magnificum: quod a Romano Pontifice consecratum, multisque locupletatum indulgentiis, magno semper in honore a Neapolitanis ipsis Regibus habitum est. Multum præterea gregi suo in publicis ærumnis profuit, eique præsentissimam opem precum suffragiis impetravit. Demum post Ecclesiam suam per annos octo supra viginti, magna prudentia, ac pietate gubernatam, pridie Kalendas Maji, quinto post Christum sæculo, ad cœlestem vitam excessit.

Lectio vj.

SACRUM corpus sub Ara maxima ejusdem Basilicæ humatum miraculis effulsit; ex quo perhibent prodigiosum liquorem olim effluxisse, medendis animarum, corporumque morbis aptissimum. Vixit Hormisda, Joanne, Felice, ac Bonifacio Summis Ecclesiæ Pontificibus, imperante Justino. Festum diem solemni ritu Neapolis pridie idus Majas celebrat. Et Clerici Regulares Minores fundatam a Sancto Antistite Basilicam, in recentiorem formam affabre redactam, incolentes, honorifico cultu quotannis piissime venerantur.

In III. Noct. Lect. de Homil. Ut ignorantiam, p. 47*. *IX Lect. ex duabus una, et comm. S. Bonifacii.*

Die 16. S. Joan. Nepomuc. M.

Duplex.

Omnia de comm. Mart. temp. Pasch. præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui ob invictum beati Joannis Sacramentale silentium nova Ecclesiam tuam Martyrii corona decorasti: da nobis, ejus intercessione et exemplo, linguam caute custodire, ac omnia potius mala, quam animæ detrimentum, in hoc sæculo tolerare. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JOANNES Nepomuci Bohemiæ Oppido, unde Nepomuceni cognomen duxit, a parentibus ætate provectis, non sine futuræ sanctitatis præsagio, flammis supra nascentis domum mirabiliter collucentibus, ortus est. Cum infans in gravem morbum incidisset, beatæ Virginis ope, cui natum parentes referebant acceptum, e vitæ periculo evasit incolumis. Egregia indole piaque institutione cœlestibus indiciis obsequente, inter sanctas religiosasque exercitationes pueritiam egit. Nam Ecclesiam frequenter adire, ac Sacerdotibus ad aras operantibus ministrare in deliciis habebat. Zatecii politioribus litteris ad humanitatem informatus, Pragæ vero gravioribus disciplinis excultus, Philosophiæ, Theologiæ, sacrorumque Canonum magisterium et lauream emeruit. Sacerdotio initiatus, atque a scientia Sanctorum ad lucra animarum rite comparatus ministerio verbi Dei se penitus addixit. Cum igitur in vitiis extirpandis, et revocandis in viam salutis errantibus, eloquentiæ et pietatis uberes ederet fructus, inter Canonicos Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis cooptatus, mox sibi demandatam Evangelii coram Rege Wenceslao quarto prædicandi provinciam suscepit, eo successu, ut Joannis suasu multa Rex faceret, magnoque in honore ejus virtutes haberet. Conspicuas tamen, quas ille obtulit dignitates, Dei Servus, ne a Divini verbi præconio avocaretur, constantissime recusavit.

Digitized by Google

Lectio v.

REGIS illum eleemosynis in pauperes erogandis præfectum Joanna Regina conscientiæ sibi moderatorem adscivit. Cum autem Wenceslaus ab officio institutoque decessisset, atque in vitia præceps abriperetur; piæ vero conjugis obtestationes et monita gravate ferret, contendere ausus est, ut in Sacramentali judicio Sacerdoti credita Reginæ arcana sibi a Joanne panderentur. At Dei Minister blanditiis primum, tormentis deinde, et carceris squalore tentatus, nefariæ Regis cupiditati fortiter obstitit. Furentem tamen Wenceslai animum cum ab execrando proposito nec humana nec Divina jura deterrerent, supremum agonem, quem instare sibi athleta Christi noverat, populo in concione de impendentibus etiam Regni calamitatibus admonito, non obscure prænuntiavit. Mox Boleslaviam profectus, ad beatæ Virginis imaginem antiquo cultu celebrem, cœleste præsidium ad certandum bonum certamen effusis precibus imploravit. Inde vespere revertentem in pervigilio Dominicæ Ascensionis Rex e fenestra conspicatus arcessit; cumque vehementius urgeret, et proximam in aquis, si obluctari pergeret, submersionem intentaret, Joannes invicta constantia terrores minasque refutavit. Itaque Regis imperio in Moldavam flumen Pragam interfluens noctu dejectus, illustrem Martyrii coronam est consecutus.

Lectio vj.

SACRILEGUM facinus clam patratum, et Martyris gloriam, insigne prodigium divinitus patefecit. Ubi enim exanime corpus secundo flumine vehi cœpit, ardentes faces aquis supernatantes et discurrentes apparuerunt. Quamobrem ex arena postridie mane Corpus elatum, Canonici deinde, Regis iram nihil timentes, in Metropolitanam Ecclesiam solemni pompa intuleruut, et sepulturæ mandarunt. Cum autem in dies invicti Sacerdotis memoria miraculis, et maxima fidelium, eorum præcipue, qui fama periclitantur, veneratione crescerat, post annos demum amplius tercentos, in juridica recognitione Corporis, quod sub humo tamdiu jacuerat, lingua ejus incorrupta et vivida reperta est: quæ sexto post anno Judicibus a Sede Apstolica delegatis exhibita, novo prodigio repente intumuit, et subobscurum roborem in purpureum commutavit. His itaque aliisque signis rite probatis, Benedictus Decimustertius Pontifex Maximus die decimanona mensis Martii, anno salutis millesimo septingentesimo vigesimo nono, primum hunc Sacramentalis Sigilli assertorem, arcani fidem sanguine obsignantem, Sanctorum Martyrum catalogo adscripsit.

In III. Noct. Lect. de Homil. Dominus diem, *p.* 22*.

Die 17. S. Restitutæ V. M.

Duplex.

Omn. de Comm. Virg. et Martyr. præter sequentia.

Oratio.

DEUS qui Beatam Restitutam Virginem, et Martyrem tuam illæsam in flammis custodisti: ejusdem nobis intercessione concede; ut tua charitate succensi, ab ardoribus sempiternis arceamur. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de Script. occur. In propria autem Ecclesia: Confitebor, *p.* 70*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

RESTITUTA Virgo Ponizarii in Africa nata, generis splendore non magis, quam divinæ sapientiæ charitate refulsit. Quod veram Religionem profiteretur delata, Carthaginem ad Proculum impietatis Præfectum adducitur, ac tum minis, tum blanditiis attentata, animum obfirmavit, certa potius mori, quam ut virginitatem, aut fidem proderet. Tum Præses rabie succensus, equuleo torqueri, capillis suspendi, pedesque

Digitized by Google

ingenti clavo defigi jubet. Cum tamen nihil evinceret, magicis artibus tribuens invictam constantiam, ad incendium in pelago paratum damnat.

Lectio v.

VINCULIS itaque constricta, in naviculam sarmentis, stupa, pice resinaque refertam immittitur, ac quindecim stadiis procul a littore ignis admotus, divino nutu nihil Virgini noxius, incendiarios omnes absumpsit, ac proximam, in qua erant, navim repente demersit. Ad spectaculum ardentior in Deum Restituta oculis ad cœlum erectis exclamavit: O altitudo Potentiæ, et Clementiæ tuæ, Domine! ubi est superbia impiorum? Jube me, Domine, ad æternæ salutis portum pervenire. Qua in oratione duplicem consecuta Virginis, et Martyris palmam vivere desiit, decimosexto Kalendas Junias, Valeriano Imperatore. Tum navicula, qua vehebatur, sine velo, ac remige, ad Ænariam Insulam in Campania, salva divinitus appulit.

Lectio vj.

EJUSDEM Insulæ pia quædam mulier Lucina, ab Angelo de his omnibus in somnis admonita, atque ut illibatum Virginis corpus decoro conderet tumulo, expergefacta, in loco quem ad Ripas vocant, onerariam tanti Thesauri navem nacta est: accersitoque ad prodigium populo, non sine debito gratiarum obsequio, exequendis Dei jussis operam dedit. His permotus Constantinus inter Cæsares Magnus, sacras reliquias in Basilica a se erecta Neapoli Restitutæ titulo insignita honorifice translata deposuit. Festus dies a Clero, maximeque a venerabili Canonicorum Collegio solemni pompa celebratur ad patriæ tutelam, et gloriam.

In III. Noct. Lect. de Comm. p. 68*.

Die 21. S. Felicis a Cantal,

Semiduplex.

In Hymno. Iste Confessor. *m. t. v.*

Oratio.

FAC nos, Domine Jesu, in simplicitate, et innocentia cordis nostri ambulare, quarum amore de sinu Matris inter beati Felicis Confessoris tui brachia descendisti. Qui vivis, et regnas.

Et fit comm. S. Bernardini Senensis Conf.

In I. Noct. Lect. de Scrip. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

FELIX a Cantalicio, in Sabinis humilibus, sed piis parentibus natus, a puero pascendis gregibus, mox et agro colendo addictus, multo impensius rerum cœlestium meditatione animum nutrire, et corpus assiduis vigiliis, ac jejuniis domare cœpit, eremiticam agens vitam potius quam rusticam. Ferventiore autem in Deum pietate incensus, cum non posset, quotidie, ut optabat, sacris Mysteriis interesse, grege ad loca solitaria compulso, ipse ante Crucem arborum corticibus incisam diu orare, seque acriter flagellare consueverat; sed et aliquando, glebas in agro vertere, simulque Sacris in Templo adesse visus est. Alias inter arandum furentibus, quos junxerat, indomitis juvencis, humi stratus, et aratro superducto plane proscindendus, lacerata dumtaxat veste, surrexit illæsus. Quo periculo, ut ad tutiorem regularis disciplinæ palæstram vocanti: jam pridem Deo pareret, admonitus; rustica suppellectili pauperibus distribui jussa, ad Fratres Minores, quos Cappucinos vocant, propere se contulit.

Lectio v.

ADHUC tyro, necdum vota solemnia professus, religiosæ perfectionis apicem jam attigisse videbatur. Obedientiæ sedulus cultor, ad præcipientis non modo verbum, sed etiam nutum præsto erat. Seque Cœnobii jumentum dictitans, vilissima quæque ministeria semper arripuit; ac ludibria, et contumelias hilari vultu

Digitized by Google

excipiebat. Paupertatis quam esset studiosus, illustri documento Deus ipse declaravit. Ostiatim enim per vicos, et plateas alendis Fratribus mendicans (quod ille munus per annos quadraginta nudis fere semper pedibus obivit) cum die quadam inusitato pondere se opprimi sentiret, manticam scrutatus, injectum clam nummum deprehendit: quo projecto, nec sine indignatione proculcato, alacer, et levis inde abiit. Castitatem, quam usque ad obitum servavit illibatam, (sanctus corpore, et spiritu a Paulo quinto propterea appellatus), vigili oculorum custodia, et voluntario corporis cruciatu communivit: asperrimo flagello se quotidie cruentans, ac ferreo cilicio constrictus septem etiam Urbis Basilicas identidem invisens. Jejunia Ordinis inedia quandoque cumulavit. Lectus ejus doloris potius, quam quietis erat; brevem quippe somnum, flexis nuda super tabula genibus, ac fasce sarmentorum capiti supposito, carpebat.

Lectio vj.

VITÆ austeritate sibi asper, aliis charus acceptusque, sanctis præsertim Carolo, et Philippo Nerio, simplicitate, atque innocentia semper fuit. In oratione pernoctans, dulcissimam frequenter extasim est passus: et aliquando in ulnis suis reclinatum a Virgine Matre puerum Jesum suavissime complecti meruit: Prophetiæ gratia, et miraculorum clarus, demortuum etiam filium Matri vivum restituit. Meritis tandem in bona senectute cumulatus, secunda (ut prædixerat) feria Pentecostes, ad cœlestem patriam, Deipara invitante, lætus abiit. Ejus corpus in Ecclesia sui Ordinis summa Urbis veneratione colitur, Domino crebris miraculis servi sui sanctitatem illustrante: quem propterea Urbanus Papa octavus Beatorum, Clemens vero undecimus Sanctorum fastis adscripsit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore: Respondens Jesus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli, et terræ quia abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Serm. 9. de Verbis Domini.

OMNIA sæva, et immania, prorsus facilia et prope nulla efficit amor. Quando ergo certius ac facilius ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam, quantum potuit cupiditas fecit! quam facile toleratur quælibet adversitas temporalis, ut æterna pœna vitetur, et æterna requies comparetur! Non immerito ille vas electionis cum ingenti lætitia dixit: Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Ecce unde illud jugum suave est, et sarcina levis, et si angusta est paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Psalmista: Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

Lectio viij.

SED quæ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitescunt amantibus. Propter quod ita divinæ pietatis dispensatione dictum est, ut interior homo, qui renovatur de die in diem, non adhuc sub lege positus, sed jam sub gratia exoneratus sarcinis innumerabilium observationum, quod erat revera grave jugum, sed duræ cervici convenienter impositum, facilitate simplicis fidei, et bonæ spei, et sanctæ charitatis, quidquid molestiarum exteriori homini forinsecus intulisset ille Princeps, qui missus est foras, interiori gaudio leve fieret.

Lectio ix.

NIHIL enim tam facile est bonæ voluntati, quam ipsa sibi, et hæc sufficit Deo. Quantumlibet ergo

Digitized by Google

sæviat iste Mundus, verissime Angeli, nato in carne Domino, clamaverunt: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis; quia ejus, qui natus erat, suave jugum est, et sarcina levis. Et sicut dicit Apostolus: Fidelis Deus, qui nos non sinit tentari supra id, quod possumus ferre: sed facit cum tentatione etiam exitum, ut possimus sustinere.

Te Deum laudamus, p. 12.

Die 23. S. Euphebii Ep. C.

Duplex Majus.

Omnia de Com. Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui populo tuo in multis periculis constituto, Beati Euphebii Confessoris, atque Pontificis mira vigilantia providisti: concede propitius, ut cujus gloriosa veneramur merita, perennibus auxiliis muniamur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. Fidelis sermo, *de comm. Conf. Pont.* p. 40*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

EUPHEBIUS Neapolitanus, vitæ sanctimonia, et prodigiorum magnitudine illustris, post Eustachium illius Urbis Antistitem, omnium suffragiis, solus ipse reluctans, institutus Episcopus, Divini honoris tuendi zelo succensus, sedulo curavit, ne cultores idolorum, barbaræque nationes tunc temporis Campaniam incolentes, ad superstitionem novitium Christi gregem traducerent; si quas vero aberrantes oves reperisset, salutis in pascua reducebat.

Lectio v.

ECCLESIA sua sanctissime gubernata excessit e vita, decimo Kalendas Junii, septimus post Beatum Asprenum Antistes. Corpus admirando fragrans odore, extra mœnia conditum, mox post Barbarorum incursus, Salvatoris in Basilicam, deinde in alteram Divo Euphebio sacram translatum est, quod longa post tempora, Sixto Quinto Pontifice, cum corporibus Beatorum Fortunati, et Maximi Neapolitanorum Antistitum ibidem repertum est. Caput vero in Sacro reliquiarum thesauro maximi Templi, pia civium veneratione colitur.

Lectio vj.

NEC vivens modo, sed defunctus quoque, ovibus suis mirifice profuit. Sacerdotem namque ad ejus Sacellum operantem sacris, servavit incolumem a districtis Saracenorum gladiis, qui ne adstantem quidem aspexerunt; perjuro debitori, qui impio Sacramento ante ejus sepulchrum pecuniam debitam se redditurum adstrinxerat, in somnis apparens, acriter interminatus est; eique præcepit, ut creditori, qui eidem Sancto Antistiti se commendaverat, illico satisfaceret. Illud præcipue memorandum, quod Saracenos Neapolim obsidentes, mirum in modum fugaverit, immanemque cladem Patriæ impendentem averterit. Quem ideo Civitas universa, tanto obstricta beneficio, suum in Patronum elegit.

In III. Noct. Homil. de Com. 1. loco.

Die 24. B. M. Virginis

TITULO AUXILIUM CHRISTIANORUM.

Duplex Majus.

Omnia ut in Festis B.M.V. p. 92*, *præter ea quæ sequuntur.*

Ad Vesperas.

HYMNUS.

SÆPE dum Christi populus cruentis
Hostis infensi premeretur armis,
Venit adjutrix, pia Virgo cœlo
Lapsa sereno.
Prisca sic Patrum monumenta narrant.
Templa testantur spoliis opimis
Clara votivo repetita cultu
Festa quotannis.
En novi grates liceat Mariæ
Cantici lætis modulis referre

Digitized by Google

Pro novis donis, resonante plausu
Urbis, et Orbis.
O! dies felix memoranda fastis,
Qua Petri Sedes Fidei magistrum
Triste post lustrum reducem beata
Sorte recepit.
Virgines castæ puerique puri,
Gestiens clerus, populusque grato
Corde Reginæ celebrare cœli
Munera certent.
Virginum Virgo, benedicta Jesu
Mater, hæc auge bona; fac, precamur,
Ut gregem Pastor Pius ad salutis
Pascua ducat.
Te per æternos veneremur annos,
Trinitas, summo celebranda plausu:
Te fide mentes, resonoque linguæ
Carmine laudant. Amen.

℣. Dignare me laudare te, virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnif. Ant. Ecce Maria erat spes nostra, ad quam confugimus in auxilium, ut liberaret nos, et venit in adjutorium nobis.

Oratio.

OMNIPOTENS, et misericors Deus, qui ad defensionem populi Christiani in Beatissima Virgine Maria perpetuum Auxilium mirabiliter constituisti: concede propitius; ut tali præsidio muniti certantes in vita, victoriam de hoste maligno consequi valeamus in morte. Per Dominum.

Ad Matut. Hymn. ut in I. Vesp. Lect. I. Noct ut in festis B. V. p. 94.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Sermo S. Bernardi Abbatis

Ex Sermone de 12. *Stellis.*

VEHEMENTER quidem nobis dilectissimi, vir unus, et mulier una nocuere: sed gratias Deo per unum nihilominus virum, et mulierem unam, omnia restaurantur, nec sine magno fœnore gratiarum. Et quidem sufficere poterat Christus: siquidem et nunc omnis sufficientia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis, ut adesset nostræ reparationi sexus uterque. Jam itaque nec ipsa Mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa: invenietur equidem locus ejus in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem Christum: nec alter nobis utilior quam Maria. Crudelis nimium mediatrix Heva, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit: sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum et viris, et mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis, hæc propitiationis, illa suggessit prævaricationem, hæc ingessit redemptionem. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est, omnibus offerens lac, et lanam. Revolve diligentius Evangelicæ historiæ seriem universam: et si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel levis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, et accedere vereris.

Lectio v.

QUOD si, ut vere sunt, plena magis omnia pietatis, et gratiæ, plena mansuetudinis, et misericordiæ, quæ ad eam pertinent, inveneris, age gratias ei, qui talem mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus, et insipientibus copiosissima charitate debitricem se facit. Omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam. Ipsa præterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. Ipsa est quondam a Deo promissa mulier serpentis antiqui caput virtutis pede contritura; cujus plane calcaneo in multis versutiis insidiatus est, sed sine causa. Sola enim

Digitized by Google

contrivit universam hæreticam pravitatem. Contriti sunt insidiantes, conculcati supplantatores, confutati derogatores, et beatam eam dicunt omnes generationes. Jam si Ecclesia Lunæ intelligenda videtur vocabulo, habes mediatricem evidenter expressam; Mulier, inquit, amicta sole, et luna sub pedibus ejus. Amplectamur Mariæ vestigia, et devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eam, nec dimittamus donec benedixerit nobis: potens est enim.

Lectio vj.

Ex publicis Monumentis.

PRÆSENTISSIMUM Deiparæ auxilium ad Religionis hostes profligandos sæpe Populus Christianus mirum in modum expertus est: ex quo factum, ut SS. Pontifex Pius V. post insignem Victoriam, intercedente Beatissima Virgine, a Christianis de Turcarum Tyranno apud Echinadas insulas reportatam in Litaniis Lauretanis eamdem Reginam cœlorum inter alia præconia Auxilium Christianorum appellari constituerit. Sed illud in primis memorabile est, atque explorati miraculi loco habendum, quod cum Romanus Pontifex Pius VII. impiorum consiliis, et armis ex Apostolica Petri Sede exturbatus, et arcta custodia, præsertim Savonæ per annos quinque, eoque amplius fuisset detentus, viis omnibus penitus interclusis, ne Dei Ecclesiam regere posset, nullo similis persecutionis in priscis annalibus exemplo; inopinato, et præter omnium expectationem contigit, ut ingenti plausu, ac veluti universi orbis manibus Pontificio Solio restitueretur. Quod et secundo accidit, dum iterum commoto turbine, ab Urbe discedens sacro comitante Cardinalium collegio Liguriam contendit. Verum, præsentissimo Dei beneficio, cessante procella, quæ grave minabatur excidium, Romam, plaudentibus præ novo gaudio Populis, reversus est. Antea tamen, quod in votis habuerat, et captivitate detentus exequi nequiverat, aurea Corona insignem Savonæ Imaginem Deiparæ Virginis sub titulo Matris Misericordiæ solemni ritu, propriisque manibus decoravit. Quam mirabilem rerum vicissitudinem idem Pontifex Maximus Pius VII. totius eventus intime conscius, cum intercessione SS. Dei Genitricis, cujus potentem opem et ipse impense imploraverat, et ab omnibus Christi fidelibus implorari curaverat, acceptam merito referret, in ejusdem Virginis Matris honorem sub appellatione Auxilii Christianorum solemne festum indixit perpetuo celebrandum die mensis Maji vigesimo quarto, faustissimi sui in Urbem reditus anniversario, approbato etiam Officio proprio, ut tanti beneficii distincta, et perennis extet memoria et gratiarum actio.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. xi.

IN illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi beatus venter, qui te portavit! Et reliqua.

Homilia S.Bernardi Abbatis.

In Nativitate B. M. V.

INTUERE, o homo consilium Dei, agnosce consilium sapientiæ, consilium pietatis. Cœlesti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit. Redempturus humanum genus, pretium universum contulit in Mariam. Altius ergo intuemini, quanto devotionis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens. Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus qui totum nos habere voluit per Mariam.

Hæc, inquam, voluntas ejus est sed pro nobis.

Lectio viij.

IN omnibus siquidem, et per omnia provideus miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus, ad folia fugiebas; Jesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua, Pater enim diligit Filium. Sed forsitan et in ipso majestatem vereare divinam, quod, licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis et ad Ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed pura singularitate naturæ. Nec dubium dixerim exaudietur et ipsa pro reverentia sua. Exaudiet utique Matrem Filius, et exaudiet Filium Pater.

Lectio ix.

FILIOLI hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim! Potest ne filius aut repellere, aut sustinere repulsam? Non audire, aut non audiri Filius potest? Neutrum plane. Invenisti, ait Angelus, gratiam apud Deum feliciter. Semper hæc inveniet gratiam, et sola est gratia, qua egemus: nimirum sola est gratia, qua salvamur. Quid nos alia concupiscimus Fratres? Quæramus gratiam, et per Mariam quæramus, quia quod quærit invenit, et frustrari non potest. Quæramus gratiam, sed gratiam apud Deum; nam apud homines gratia fallax. Quærant alii meritum, nos invenire gratiam studeamus. Quid enim? Non gratiæ est quod hic sumus? Profecto misericordiæ Domini est, quod non sumus consumpti nos.

Te Deum laudamus, p. 12.

Ad Laudes

HYMNUS.

TE Redemptoris, Dominique Nostri.
Dicimus matrem speciosa Virgo,
Christianorum decus, et levamen
Rebus in arctis.
Sæviant portæ licet inferorum,
Hostis antiquus fremat, et minaces.
Ut Deo Sacrum populetur agmen,
Suscitet iras.
Nil truces possunt furiæ nocere
Mentibus castis, prece quas vocata
Annuens Virgo fovet, et superno
Robore firmat.
Tanta si nobis faveat Patrona,
Bellici cessat sceleris tumultus,
Mille sternuntur, fugiuntve turmæ,
Mille cohortes.
Tollit ut sancta caput in Sionne
Turris, arx firmo fabricata muro,
Civitas David, clypeis, et acri
Milite tuta.
Virgo sic fortis Domini potenti
Dextera, cœli cumulata donis,
A piis longe famulis repellit
Dæmonis ictus.
Te per æternos veneremur annos
Trinitas, summo celebranda plausu,
Te fide mentes, resonoque linguæ
Carmine laudent. Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Bened. Ant. Ad Te, o Sancta Dei Genitrix, clamavimus, et per te venit Domini auxilium nobis.

In II. Vesperis, Hymn. ut in I. Vesperis.

Ad Magnif. Antiph. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen quicumque tuum sanctum implorant auxilium.

Die 30. S. Ferdinandi C.

Duplex.

Oratio.

DEUS, qui beato Confessori tuo Ferdinando præliari prælia tua, et Fidei inimicos superare dedisti, concede;

Digitized by Google

ut ejus nos intercessione muniti ab hostibus mentis, et corporis liberemur. Per Dominum.

Deinde fit commem. S. Felicis Pp. et M. ut in Brev.

In I. Noct. Lect. de Script accur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

FERDINANDUS Tertius Castellæ et Legionis Rex, cui Sancti cognomentum jam inde a quatuor sæculis ecclesiasticorum, et sæcularium consensus dedere, tantum prudentiæ adolescens adhuc specimen præbuit, ut Berengaria mater Castellæ Regina, a qua persancte educatus fuerat, abdicatum a se regnum in filium transtulerit. In eo adjunctis regui curis, regiæ virtutes emicuere: magnanimitas, clementia, justitia, et præ ceteris Catholicæ Fidei zelus, ejusque religiosi cultus tuendi, ac propagandi ardens studium. Id præstitit in primis hæreticos insectando, quos nullibi regnorum suorum consistere passus, propriis ipse manibus ligna comburendis damnatis ad rogum advehebat. Præstitit insuper in erigendis, dotandis, et consecrandis Christiano ritu Cordubensi, Giennensi, Hispalensi, et aliarum urbium Ecclesiis, ex Maurico ereptarum jugo, simulque in instaurandis primariis templis, Toletano, Burgensi, et aliis pia, et regia munificentia.

Lectio V.

INTER hæc, per Castellæ, et Legionis Regnum, in quo patri Alfonso successerat, collectis magnis exercitibus annuas expeditiones contra Saracenos Christiani nominis hostes suscepit. In quibus ut semper vinceret, præcipui exercitus fuere preces piissimi Regis ad Deum fusæ, et quod ante pugnam, ut sibi Deum propitiaret, flagris in se sæviebat, atque aspero cilicio muniebat corpus: sicque insignes contra inigentes Maurorum acies victorias reportavit, et plures urbes Christiano cultui imperioque restituit: et conquisitis Giennii, Cordubæ et Murciæ regnis, ac Granatensi vestigali facto, ad expugnandam Hispalim, primariam Bæticæ urbem, hortante in visione (ut traditum est) beato Isidoro, olim illius urbis Episcopo, victricia signa transtulit. In ea obsidione (ut fertur) præsentem divinam opem habuit: nam ferream catenam, quæ super Bætim transversim extensa Mahometanis pro repagulo erat, coorto validiori vento, una ex navibus regiis, Regis jussu eo delata, tanto impetu fregit, ut longius prætervecta, pontem quoque ligneum, et simul spes Maurorum obruperit, et ad deditionem coegerit.

Lectio VI.

TOT victorias beatæ Virginis Mariæ patrocinio ferebat acceptas; cujus imaginem secum in castris habens, peculiari cultu prosequebatur. Capta Hispali, prima Religionis cura fuit: nam templum Maurorum expiatum, et Christianorum dedicatum Sacris, insigni Archiepiscopatu, et honestissimo Canonicorum et Dignitatum Collegio, regia et religiosa liberalitate exornavit; alia deinde in urbe templa et Cœnobia erexit: inter quæ pietatis officia, dum trajicere in Africam parat, Mahometanum in ea imperium eversurus, ad cœlestem regiam vocatur. In extremo vitæ agone sacram Eucharistiam pro Viatico allatam, fune ad collum alligato, et humi stratus, cum lacrymis ubertim fusis adorans, eaque dignis reverentiæ, humilitatis et Catholicæ Fidei obtestationibus accepta, obdormivit in Domino. Jacet ejus corpus incorruptum adhuc post quatuor sæcula in templo maximo Hispalensi, honorificentissimo inclusum sepulchro.

In III. Noct. Homil. Pusillum gregem, p. 60*.

IX. Lect. et comm. S. Felicis Pp. M. in Laud.

FESTA JUNII.

Die 15. S. Fortunati E. C.

Oratio.

DEUS, qui beatum Fortunatum Confessorem tuum, atque Pon-

by Google

tificem, cœlestis regni desiderio jugiter flagrantem, gloriæ tuæ illustratione voti compotem effecisti: ejus precibus concede; ut eodem nos, quo iste, amore succensi, et quæ sursum sunt in via quærere, et post hujus vitæ exitum in patria perpetuo possidere valeamus. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de Scrip. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

FORTUNATUS Neapolitanus Episcopus, tertio Ecclesiæ sæculo jam ferme labente ad salutem, et tutamen suorum Civium datus a Deo est, quo tempore Ariani, ut impias blasphemias liberius disseminarent, Orthodoxos divexabant. Et Præsul sanctissimus nihil labori, industriæque suæ reliquum fecit, quo verbo, et exemplis oves sibi commissas catholicæ doctrinæ præceptis informaret, ne de Christi caula discederent: et non sine peculiari Dei providentia factum, ut ne quidem una descisceret. Animi vero magnitudine, prudentia, ac robore vere sacerdotali magnam auctoritatem, et reverentiam est adeptus.

Lectio v.

TOT igitur, tantisque curis fortiter adhibitis, grege ab Arianorum erroribus tutato, cœlestis Patriæ desiderium, quo æstuabat, in dies tam illi ferventius esse cœpit, ut numquam neque diu, neque noctu fundendis precibus abstinuerit, quo mercedem laboribus a Deo promissam reciperet, tamque vero simul constans animus ad quævis pro Christo, ejusque Ecclesia adversa ferenda, ut eum antiquitas Confessoris nomine appellare non dubitaverit.

Lectio vj.

TANDEM laboribus detritus, in Christi pace extremum clausit diem; corpusque ejus primum Neapoli in sacram Ædem ipsius Fortunati nomine insignem inlatum est, deinde per Episcoporum manus ad Stephaniam translatum, populo comitante, et patrocinii ejus opem implorante: postremo ad Euphebianam, ibique sub ara maxima conditum est. Quæ omnia perpendens Gregorius XVI Pontifex Maximus, instante Cardinali Archiepiscopo Neapolitano, cultum, quem Beato Antistiti suo ab ejus die migrationis Neapolitanorum gens usque nunc attribuit, ex Sacræ Congregationis Rituum consulto auctoritate Apostolica confirmavit, ac de eodem Fortunato officium recitandi, ac Missam celebrandi in Civitate, ac Diœcesi Neapolitana potestatem fecit.

In III. Noct. Hom. Lectio sancti, *p. 44*. ix Lectio de Ss. Vito, et Soc. Mm.*

Die 16. S. Joan. Fr. Regis.

Conf. Duplex.
Oratio.

DEUS, qui ad plurimos pro salute animarum perferendos labores Beatum Joannem Franciscum confessorem tuum mirabili charitate, et invicta patientia decorasti: concede propitius, ut ejus exemplis instructi, et intercessionibus adjuti æternæ vitæ præmia consequamur. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JOANNES Franciscus Regis nobili genere natus in oppidulo Narbonensis Galliæ cui nomen Fonscopertus, eximiæ sanctitatis a teneris annis indicia præbuit, in eo jam tum eluxere mira morum innocentia, flagrans orationis studium, pudor, et modestia singularis. Societatem Jesu ingressus Tolosæ anno ætatis decimo nono, humilitate, obedientia, charitate, odio sui, cæterisque vitæ religiosæ virtutibus excelluit. Absolutis studiis, totum se procurandæ animarum saluti penitus devovit. Asperos Vivarientium, Velaunorum, et Forentium montes, et ingentes Helviorum tractus, glacie, nivibusque fere perpetuis horridos, eorumque colonos

Digitized by Google

inscitia, rusticitate, barbarie intractabiles suscepit excolendos, eo successu, ut innumerabiles homines aut calviniana lue infectos, aut perditis moribus corruptos ad catholicam fidem, et ad christianam pietatem traduxerit.

Lectio v.

CAMPESTRIBUS missionibus hiberno tempore perfunctus, æstivo revertebatur Anicium, ibique in nosocomiis, et in carceribus, in privatis ædibus, in compitis ac templis omne hominum genus, omnibus omnia factus sublevabat. Pauperum greges, corrogatis undique subsidiis, præsertim cum sæviret fames, multiplicato etiam non semel per miraculum frumento sustentabat; unde illi patris pauperum cognomen inditum fuit. In flagitiosis hominibus, et perditis præsertim mulierculis, e vitiorum cœno educendis vix credibile est quot probra, ludibriaque pertulerit, erecto semper, et alacri vultu imperterritus, licet gladiis jugulo sæpe admotis, alapis ori impactis, et fustibus corpori. Grassante peste, infirmos eo morbo laborantes sedulo invisens, ardenti reficiebat charitate. Erga alios blandus, ac beneficus, in se ipsum sæviebat acerrime, asperis ciliciis, ferreis catenis, cruentis flagellationibus, somnum breviter in nuda tabula, aut humi carpens, semper abstemius, vilissimoque semper victitans cibo, et adeo tenui, ut arcendæ morti potius, quam sustentandæ vitæ sufficeret.

Lectio vj.

DIVINO amore sic erat incensus, ut illum unum spirare, loqui, cogitare videretur. Plures noctis horas orationi dabat, cœlestibus affluens deliciis, et extra se sæpe raptus. Rem divinam ea animi attentione, eo vultus ardore faciebat, ut sacrum, quo effervescebat, ignem etiam in adstantes diffunderet. Miraculis, aliisque donis supernaturalibus mire claruit. Tandem vocatus ad præmia laborum, in Viennensis diœcesis pago cui nomen est Lalovescus, correptus lethali morbo ex laboribus contracto, cum sæviret hyems frigidissima, cœlestibus recreatus illustrationibus, ad æterna gaudia invitatus, spiritum Creatori reddidit anno millesimo sexcentesimo quadragesimo, die trigesima prima Decembris, vitæ suæ quadragesimo quarto. Ejus sepulchrum incredibili populorum per asperrimos montes undique confluentium concursu, ob sanctitatis, et miraculorum famam, quæ maxime percrebrescebat, summa devotione est frequentatum. Quibus omnibus permotus Clemens undecimus Pontifex Maximus, Joannem Franciscum anno millesimo septingentesimo sexto beatorum fastis adscripsit. Clemens vero duodecimus anno millesimo septingentesimo trigesimo septimo, novis in dies fulgentem miraculis in sanctorum album ritu solemni retulit decima sexta Junii die, quam ejusdem postea celebrandæ festivitati Benedictus decimus quartus assignavit.

In III. Noct. Homil. Sancti Evangelii, *p.* 56*.

Die 17. B. Pauli Buralis Ep.

Oratio.

DEUS, qui admirabiles vocationis tuæ tramites in beato Paulo multiformiter ostendisti; ejus nobis intercessione concede, ut te vocantem, et intelligere, et fideliter sequi valeamus. Per Dominum.

In I. Noct., Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PAULUS de Aretio ex prisca Buralium stirpe Itrii in Campania ortus, ab ineunte ætate omnigenæ virtutis non unum specimen dedit. Sæculi illecebras, et Neapolitani Fori jam sibi arridentem celebritatem in ipso juventutis flore contemnens, Itrium secessit; refugiensque Regium sanctæ Claræ Consilium in quo a Carolo quinto se cooptatum intellexerat,

Digitized by Google

rusticano habitu se abdidit in silvis. Sed ab immissa Equitum manu quæsitus, deprehensusque, Neapolim regredi, impositumque munus capessere cogitur. Verum Vir Dei aulicos, ac forenses strepitus fastidiens, regularem potius vitæ statum, ac recessum ardebat. Quem tandem pluribus humilitatis, et perseverantiæ præstitis argumentis inter Clericos Regulares obtinuit.

Lectio v.

DIUTURNI atque exoptatissimi voti compos effectus in ipso statim tyrocinio mirum quantum in Regulari disciplina, atque in omni virtutum genere profecerit. Cum sociis, Andrea Avellino præsertim, de majori alacritate, et de duriori quolibet, ac fœdiori opere perfungendo contendebat sæpius, et præ viribus pugnabat. A quo humilitatis studio ad vilissima quæque deducto, post repetitas sui Ordinis præfecturas, post amplissimam ad Philippum Hispaniarum Regem functam legationem, post habitas etiam de morum controversiis lectissimas consultationes, nunquam vel minimum discessit. Ut strenuo proinde non una Episcopali Sede recusata, ad Placentinam, tum ad Neapolitanam non potuerit, nisi supremis adigi obedientiæ legibus, et inter ipsos Purpuratos Patres nonnisi anxio, ac reluctanti animo adscisci.

Lectio vj.

VERUM in his omnibus nihil immutatus, charitatis atque religionis studio vehementius exarsit. Tridentini decreta, morumque reformationem editis Synodis zelavit, induxitque. Christianæ disciplinæ scholas aperuit, religiosorum cœnobia, seminarum collegia, Clericorum seminaria excitavit non solum, sed victu etiam fovit, et stipe frequenti. Hæreticis, Hebræis, Turcis, sodalitatibus, concionibusque ad eorum conversionem institutis, consuluit. Ac undique opera ejus, et exemplo instaurati mores, excisæ corruptelæ, usuræ, blasphemiæ, impudicitiæ procul amandatæ. Quibus aliisque pluribus laboribus, ærumnis, pœnitentiisque confectus, et præ virium imbecillitate corpore pene fatiscens; in terram acerbo casu, femore fracto, prostratus est. Quo ex vulnere, anno ætatis sexagesimo septimo diris doloribus ad extremum usque fortiter toleratis, evolavit in cœlum.

In III. Nocturno, Lect. de Homil. Lectio sancti Evangelii *p.* 44.*

Die 17. B. Petri de Pisis C.

Duplex.
Oratio.

DEUS, qui in Ecclesia tua nova semper instauras exempla virtutum: da nobis beati Petri Confessoris tui ita inhærere vestigiis, ut assequamur et præmia. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PETRUS Gambacurta Pisis in Etruria nobili genere natus, in ipso juventutis flore Patriam, parentes, atque divitias propter Christum relinquens, in Eremum secessit ac in Cessanæ Monte agri Urbinatis aliquandiu intentam Divinis rebus vitam duxit. Ibi ex pia Christi fidelium stipe anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo, cœnobio cum parva Ecclesia in honorem Sanctissimæ Trinitatis extructo, una cum duodecim sociis, ad Mundi contemptum et eremiticæ vitæ cultum incensis, prima suæ Congregationis jecit fundamenta; quam a sancto Hieronymo, in quem præcipua veneratione affectus vixit, nuncupavit; ejusque virtutes imitari contendit. In idem propositum pios sodales potissimum est adhortatus: profecitque in dies morum sanctimonia.

Lectio v.

CHARITATE in Deum flagrabat quam maxime; ita vero Proximorum saluti studuit, ut ob illorum multitudinem, qui ad meliorem fru-

Digitized by Google

gem ipsius opera se receperant, brevi multa Monasteria sint constructa. Dei Genitricem singulariter coluit, ejusque patrocinium non uno obsequii genere meruit. In Divinorum meditatione assidue incumbens, media etiam nocte ad Deum laudandum surgebat. Corpus fere quotidie jejuniis, et flagellis macerabat; super paleas, vel humi cubans duriter, ac vix necessarium carpebat somnum. Ad nudam carnem vestem asperam instar cilicii adhibuit. Paupertatis amans, et cultor nec quidquam habuit proprium, et Instituti sui asseclas pauperes propter Christum appellari voluit. Suas, et Fratrum calamitates patienter tolerabat; benignitate, et animi demissione eminuit; singulorum vero indigentiæ famulari, tum autem vilissima quæque obire munera in deliciis habuit.

Lectio vj.

DONIS a Deo ob Sanctitatem auctus, quam plurimos morbis gravibus afflictatos sanitati restituit. Dæmones ab humanis corporibus miserrime oppressis, et cruciatis decedere compulit: multis in extremo discrimine opitulatus est. Futura quoque prædixit. Romanis Pontificibus virtutum merito charus, et in pretio habitus ab ipsis multis cumulatus est beneficiis, quæ in institutam a se religiosam familiam redundarunt. Denique octogesimum annum agens, Venetiis, quo cœtus sui causa concesserat, prænunciato mortis die, ac Sacramentis Ecclesiæ susceptis, decimoquinto Kalendas Julii anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo quinto migravit in Cælum, miraculis multis post obitum clarus.

In III. Noct. Homil. Sancti Evangelii, *p.* 50*.

Die 2o Oct. S. Ant. De Pad.

Duplex minus.

In I. Noct. Lect. de script. occurr.

In II. Noct. Gaudete, *ut in die oct. S. Franc. de Paula* p. 185* *mutatio nomine Francisci in Antonii.*

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

Homilia S. Fulgentii Episcopi.

Ex Sermone de Confessoribus.

SI istum Domini sermonem secundum litteram velimus accipere, nihil in eo commodi spiritalis possumus invenire. Quid enim proficit ad animæ salutem, si aliquis corporaliter aut lumbos præcingat, aut lucernam accendat? In lumbis itaque concupiscentia carnalis ostenditur, in luceruis vero fides, et charitas christiana monstratur. Jubens igitur Dominus lumbos nostros præcingi, concupiscentias carnis sine dubio præcipit refrænari. Imperans autem ut lucernas ardentes habeamus, hoc utique jubet, ut et lumine veræ fidei splendeamus, et sanctæ charitatis operibus ferveamus.

Lectio viij.

ISTA, quæ de Evangelio proposuimus, cum propheticis sermonibus conferamus. Utrumque enim testamentum Deus instituit, unus Dominus dedit; etsi sunt utriusque testamenti diversa pro temporibus sacramenta; concordat tamen in utroque salutis humanæ sententia, qua præcipitur ut non peccemus, et jubetur ut bonis operibus insistamus. Per Isaiam Dominus omnes his admonet verbis: Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite perverse agere, discite benefacere. Quid est enim: Sint lumbi vestri præcincti, nisi, quiescite agere perverse? Quid est: Sint lucernæ ardentes, nisi, discite benefacere?

ix. Lect. de S. Silverio.

Digitized by Google

Die 21. S. Aloisii.

Gonzagæ, Confess. Duplex majus.

Oratio.

CŒLESTIUM donorum distributor Deus, qui in Angelico Juvene Aloysio miram vitæ innocentiam pari cum pœnitentia sociasti: ejus meritis, et precibus concede; ut innocentem non secuti, pœnitentem imitemur. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. Justus, p. 82*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ALOYSIUS Ferdinandi Gonzagæ Castellionis Stiverorum Marchionis filius, festinato propter vitæ periculum baptismo, prius cœlo, quam terris nasci visus; primam illam gratiam tam constanter retinuit, ut in ea confirmatus crederetur. A primo rationis usu, quo se Deo statim obtulit, vitam duxit quotidie sanctiorem. Novennis Florentiæ ante aram beatæ Virginis, quam parentis loco semper habuit, perpetuam virginitatem vovit: eamque insigni Dei beneficio, nulla mentis, aut corporis pugna tentatam servavit. Reliquas animi perturbationes cœpit ætate illa tam fortiter comprimere, ut ne primo quidem earum motu deinde incitaretur. Sensus etiam, oculos præcipue, ita cohibuit, ut non modo illos nunquam in faciem intenderit Mariæ Austriacæ, quam plures annos inter honorarios Hispaniarum Principis ephæbos fere quotidie salutavit: sed a matris etiam vultu contineret. Homo propterea sine carne, aut Angelus in carne merito appellatus.

Lectio v.

ADJECIT sensuum custodiæ corporis cruciatum. Tria singulis hebdomadis jejunia, eaque plerumque modico pane, et aqua tolerabat. Quamquam perpetuum fuisse per id tempus ipsius jejunium videri potest, cum ejus prandia ferme vix unciam æquarent. Sæpe etiam ter in die se funibus, aut catenis cruentabat: flagella quandoque canum loris, cilicia equorum calcaribus supplevit. Mollem lectulum clam injectis asserum fragmentis asperabat, eo etiam, ut citius ad orandum excitaretur. Magnam quippe noctis partem, summa etiam hieme solo tectus indusio, positis humi genibus, vel præ languore jacens, ac pronus, in cœlestium contemplatione traducebat. Interdiu quoque tres quatuor, quinque horas in ea perstabat immotus; donec unam saltem animo nusquam distracto percurrisset. Cujus constantiæ præmium fuit stabilitas mentis inter orandum alio non vagantis, immo perpetua velut extasi in Deo defixæ. Ei demum ut unico adhæreret, victo post triennale acerrimum certamen patre, et aviti Principatus jure in fratrem translato, Societati Jesu ad quam cœlesti voce Matriti fuerat accitus, Romæ se adjunxit.

Lectio vj.

IN tyrocinio ipso virtutum omnium Magister haberi cœpit. Exactissima in eo erat legum etiam minimarum custodia, mundi contemptus singularis, implacabile odium sui: Dei vero amor tam ardens ut corpus etiam sensim absumeret. Jussus propterea mentem a divinis rebus tantisper avertere, occurrentem sibi ubique Deum irrito conatu fugiebat. Mira etiam proximos charitate amplexus, in publicis, quibus alacriter ministrabat, nosocomiis contagiosam luem traxit. Qua lente consumptus, die, quam prædixerat, undecimo Kalendas Julii, ætatis anno quarto et vigesimo jam inchoato, cum antea flagellis cædi, atque humi stratus mori postulasset migravit in cœlum. Ibi eum suncta Maria Magdalena de Pazzis tanta frui gloria, Deo monstrante, vidit, quantam vix esse in cœlo credidisset; ipsumque sanctimonia insignem, et charitate Martyrem incognitum fuisse prædicavit. Multis etiam, magnisque claruit miraculis. Quibus rite proba-

Digitized by Google

tis, Benedictus decimus tertius Sanctorum fastis Angelicum juvenem adscripsit, atque innocentiæ, et castitatis exemplar simul, et patronum studiosæ præsertim juventuti dedit.

IN III. NOCTURNO,

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 22.

IN illo tempore respondens Jesus ait Sadducæis: Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei: in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Lib. de Virginit.

VIRGINITAS est bona: id ego quoque fateor. Atqui nuptiis etiam melior: et istud tibi assentior: ac si libet, illud adjungam, tanto nuptiis eam præstare, quanto cœlum terræ, quanto hominibus Angeli antecellunt; ac, si quid præterea audendum est, etiam magis. Nam si neque nubunt Angeli, neque uxorem ducunt non etiam carne, et sanguine coagmentati sunt: in terris præterea non commorantur: non cupiditatum, aut libidinum perturbationibus sunt obnoxii; non cibi indigent, aut potus, non sunt ejusmodi, ut eos dulcis sonus, aut cantus mollis, aut præclara species possit allicere; nulla denique ejus generis illecebra capiuntur.

Lectio viij.

AT humanum genus cum natura beatis illis mentibus inferius sit, omni vi studioque contendit, ut quoad ejus fieri potest, illas assequatur. Quomodo? non nubunt Angeli; at neque etiam virgo. Assistentes illi semper ad Deum, eidem inserviunt; et istud ipsum virgo. Quod si virgines quandiu corporis onere deprimuntur, quemadmodum Angeli in cœlum nequeunt ascendere; illud eo vel maximo solatio compensant, quod modo spiritu, et corpore sancti sint, cœli Regem recipiunt. Videsne virginitatis præstantiam quomodo terrarum incolas sic efficiat, ut qui corpore vestiti sunt, eos incorporeis mentibus exæquet?

Lectio ix.

QUA enim, quæso, re differebant ab Angelis Elias, Eliseus, Joannes, veri hi virginitatis amatores? nulla, nisi quod mortali natura constabant. Nam cetera si quis diligenter inquirat, hi nihilo minus affecti reperientur, quam beatæ illæ mentes: et ipsum, quo inferiore conditione videntur esse, in magna est eorum laude ponendum. Ut enim terrarum incolæ, et ii qui essent mortali natura possent ad illam virtutem vi, et contentione pervenire; vide quanta eos fortitudine, quanta vitæ ratione præditos fuisse oporteat.

Te Deum laudamus 12.

Die 22. S. Joannis E. Neap.

Duplex.

Oratio.

DEUS qui Beatum Ioannem Confessorem, atque Pontificem, meritis onustum, ad cœleste Regnum, Beati Paulini vocibus advocasti: præsta ut ejusdem natalitia venerati, et recta vestigia secuti, ad æternæ vitæ pascua perducamur. Per Dominum

De se fit comm. S. Paulini Ep. In I. Noct. Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JOANNES Neapolitanus non virtutibus minus quam doctrinis excultus, a Gregorio quarto Pontifice Maximo, Cleri electioni, precibusque populi suffragante, Patriæ instituitur Antistes. Mira in pauperes et in errumnosos charitate, omnium bono natus, exarsit. Nullius maleficia, nisi beneficiis vindicavit; neque in flagitiosos homines visus est unquam, sed in sola flagitia indignari. Tam demissi animi eximia virtute præcelluit ut subditus omnibus maluerit videri.

Digitized by Google

quam Præsul: non alio, quam Justi, ac Sancti nomine nuncupatus. Cujus propterea intemeratæ fidei Neapolitanus Dux filium Athanasium, sacræ infulæ, ac Sanctitatis hæredem, doctrinis imbuendum, et piis moribus tradidit.

Lectio v.

TOT, tantisque animi dotibus sapientia insignis, prudentiaque accessit. Codices plures, utilesque conscripsit. Civitatem a Saracenis terra, marique obsessam, opera, et consilio juvit; eique a Sicardo Longobardorum Principe pacem obtinuit. Maximum Templum sacra suppellectili aurea, et argentea dotavit, atque in vita functos etiam pius, decessorum Antistitum corporibus in Stephaniæ Basilicam translatis, et monumenta posuit, et imagines sepulchrales appinxit. Tot denique virtutibus, gestisque præclaram vitam obitu beatissimo terminavit.

Lectio vj.

DIGNUS namque in morte fuit, ut eadem nocte, quæ supremam Christi Cœnam antecedit, Beatum Paulinum Nolanum Antistitem in somnis oblatum prospiceret, et invitantem ad Cœlum sereno vultu, et suavissimis his vocibus audiret: Joannes frater, quid hic agis, exsolve jam vincula, et ad nos evola. Eo conspectu, et allocutione inflammatus, anhelans ad cœlestia, sabbati post Parascevem die, validus processit ad Templum, et oratione ad populum habita, ad Altare perrexit, indeque repente animam expirans ad Cœli Templum emigravit, anno octingentesimo quadragesimo nono. Sacrum corpus sub Ara maxima Ecclesiæ Sanctæ Restitutæ venerationi habetur.

In III. Noct. Hom. in Evang. Vigilate p. 47*. *Lect. ix. ex duabus S. Paulini.*

Commemorationes

OMNIUM SS. APP. ET MM.

Faciendæ in festo

SS. APP. PETRI ET PAULI.

Ad I. Vesperis.

Post. Orat. diei, pro omnibus SS. Apostolis

Antiph. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

℣. Nimis honorati sunt amici tui Deus.

℟. Nimis confortatus et principatus eorum.

Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutaris noster, et omnium sanctorum Apostolorum tuorum tuere præsidiis, quorum donasti fideles esse doctrinis.

Pro omnibus SS. MM.

Antiph. Isti sunt sancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, et dedit illis gloriam sempiternam.

℣. Justi epulentur et exultent in conspectu Dei.

℟. Et delectentur in lætitia.

Oratio.

DEUS, qui glorificaris in concilio sanctorum Martyrum tuorum, respice ad preces humilitatis nostræ: ut quorum solemnia celebramus, eorum precibus adjuvari mereamur. Per Dominum.

Ad Laudes

Pro omnibus SS. Apostolis.

Antiph. Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes judicantes duodecim tribus Israel.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum.

℟. Et in fines orbis terræ verba eorum.

Oratio. Exaudi, *ut supra.*

Pro SS. Martyribus.

Antiph. Sancti tui Domine semper benedicant te, et gloriam regni tui dicant.

℣. Mirabilis Deus in sanctis suis.

℟. In sanctis ejus laudate Deum.

Oratio. Deus qui. *ut supra.*

Ad II. Vesperis.

Digitized by Google

Pro omnibus SS. Apostolis.

Antiph. Vos amici mei estis si feceritis, quæ ego præcipio vobis, dicit Dominus.

℣. Gloriosus Deus in sanctis suis faciens mirabilia.

℟. Hic Deus meus et glorificabo eum.

Oratio. Exaudi, *ut supra.*

Pro omnibus SS. Martyribus.

Antiph. Dico autem vobis amicis meis, ne timeatis ab iis qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.

℣. Justi autem in perpetuum vivent.

℟. Et apud Dominus est merces eorum.

Oratio. Deus qui, *ut supra.*

FESTA JULII.

Die 15. S. Athanasii E. C.

Duplex.

Oratio.

OMNIPOTENS æterne Deus, qui beatum Athanasium Confessorem tuum, atque Pontificem invicta constantia roborasti: te suppliciter exoramus; ut illo intercedente, ab exequendis mandatis tuis, nulla hostium oppugnatione desistamus. Per Dominum.

Lect. I. Noct. Fidelis sermo, *p.* 40*.

In II. Noct. ut in festo Translationis, p. 242*.

In III. Noct. Homilia in Evang. Homo peregre, *p.* 44*.

Die 21. S. Macrinæ Vir.

Duplex.

Oratio.

DEUS veritatis amator, qui Beatæ Macrinæ Virginis ad tui nominis gloriam vota suscipere dignatus es: fac nos radios veræ lucis agnoscere, et ad perpetuos charitatis tuæ amplexus feliciter pervenire. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de scrip. occur.

IN II. NOCTURNO.

Ex Epist. S. Gregorii Nyss. ad Olympium.

Lectio IV.

MACRINA Sanctorum Basilii, et Eumeliæ filia, magnique Basilii, et Gregorii Nysseni soror, ab ineunte ætate religiosis vitæ moribus a beatis Parentibus diligenter instructa, pietatem egregie coluit. Hujus mater gravida somno correpta manu gestare sibi visa est id quod adhuc intra viscera continebat, et quemdam humana specie, et forma augustiorem intueri, qui Theclæ celeberrimæ Martyris nomine filiolam appellavit. Id autem cum ter reputens testatum reliquisset, discessit. Ea vero statim somno soluta est, et partu facile levata, ut et somno simul excitata sit, et quod in quiete viderat, effectum inspexit. Is autem qui per quietem apparuerat, eam vocem pronuntiavit, non tam, ut quo nomine appellanda esset, indicaret, quam ut similitudine nominis idem ostenderet vivendi studium et institutum. Duodecimum annum cum attigisset, a Basilio patre nobili cuidam, et honestissimo adolescenti despondetur, quo e vita (nuptiis nondum celebratis) abeunte, nunquam induci potuit, ut quæ virginitatem servare in animum induxerat, alium duceret. A matris latere, quam summa observantia reverebatur, ne momento quidem temporis discedebat, eique ancillæ instar ministrabat in omnibus.

Lectio V.

PATRE mortuo, laborum Eumeliæ matris, quibus illa premebatur, se sociam præbens, solicitudinumque partem subiens, eam gravi molestiarum onere levabat; cui post etiam suasit, ut relicta pristinæ vitæ consuetudine, elatiorique vivendi modo, quas subditas et ancillas ad usus proprios adhibuerat, secum ejusdem conditionis atque ordinis esse vellet, atque una cum illis vitam cum Virginibus traduceret. Basilium fratrem ante id tempus, a pubblicis

Digitized by Google

litterarum gymnasiis, in quibus diu versatus fuerat, domum redeuntem ad perfectionis studium adeo incendit, ut mundi posthabita claritate, despectaque eloquentiæ gloria, laboriosum, operosumque vivendi genus per paupertatem perfectam amplexatus, expeditam sibi ad virtutem viam extruxerit. Ipsa vero beata Macrina vitam victu asperam, sed assiduis contemplationibus suavem ducens, humi cubabat, modico cibo contenta erat, delicias suas in temperantia collocaverat, gloriam suam in eo putarat sitam quod nota esset nemini, divitias, quod nihil possideret.

Lectio vj.

NOVEM circiter mensibus a Basilii fratris obitu, quem illa forti animo tulerat, in morbum incidit; quo tempore a Gregorio Nysseno fratre invisitur, qui tamdiu apud eam fuit, quamdiu animam Deo reddidit. Sub mortem vero, sponsi caritate vulnerata, ita Deum precari cœpit: Tu Domine mortis metum nobis abstersisti: Tu effecisti, ut hujusce vitæ finis veræ nobis esset principium vitæ: Tu nostra corpora ad tempus somno tradis, rursumque e somno suscitans extrema tuba: Tu mihi adhibe Angelum lucis, qui me ducat ad locum refrigerii, ubi quietis est aqua, in sinu Sanctorum Patrum. Hæc dicens oculos, os, et cor Cruce signans, vitæ finem læta expectabat. Nocte demum adveniente, cum tota in agendis Deo gratiis esset, ad præmium abiit in Cœlum. Cujus corpus in eo sepulchro, in quo beatorum Parentum reliquiæ quiescebant, conditum est.

In III. NOCTURNO.

Lect. de Homil. Sæpe vos, *p.* 68*.

Die 23. S. Liborii Ep. et C.

Semiduplex.

Oratio.

EXAUDI, quæsumus, Domine, preces nostras, quas in beati Liborii Confessoris tui, atque Pontificis solemnitate deferimus: et qui tibi digne meruit famulari, ejus interecedentibus meritis ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

LIBORIUS honestis Parentibus in Gallia natus, et ab ineunte ætate caducarum rerum illecebras aversatus, egregiam indolem præclaris moribus, et humanarum, sacrarumque Litterarum studiis adeo diligenter excoluit, ut processu temporis, probitatis, ac sapientiæ proficiens incrementis, maturitatem virilis ornaret ætatis. Clero adscriptus, ac officiis functus Ecclesiasticis, amplius totum se Divino cultui mancipavit: studuitque cunctos actus, cogitatusque suos ita ad rationis normam dirigere, ut nihil appareret pœnitendum. Modestia itaque, abstinentia, castimonia, aliisque virtutibus conspicuus, Pavacio Cenomanensi Episcopo defuncto, unanimi Civitatis consensu, quartus ejusdem Sedis Antistes sufficitur.

Lectio v.

EA dignitatis accessione nihil interius immutatus in concredita sibi Domini vinea excolenda totus fuit. Assidua prædicatione, vitæ innocentis exemplo, et effusa in pauperes charitate præcipue insignis, populi mores reformavit, ac potens in opere, et sermone, multos integritati vitæ, fideique restituit. Domus Dei decorem, et cultum egregie promovit, ædificatis septemdecim Ecclesiis, in quibus pro jugi Divinorum Officiorum celebratione, et affluentibus populis sacrorum dispensatione, diversi ordinis ministros instituit. Tandem quadraginta novem annis in Episcopatu sanctissime transactis, obdormivit in Domino decimo Kalendas Augusti. Eum in cilicio decumbentem, et ad cœlestem patriam anhelantem, beatus Martinus Turonensis Episcopus, ab Angelo monitus invisit, mortuumque in suburbana Ecclesia honorifice sepelivit, et multis postea miraculis coruscavit.

Lectio vj.

VERUM post debellatam a Carolo Magno Saxoniam et Christi jugo subactam, Baduradus secundus Paderbonæ in Westphalia Episcopus, cum adhuc rudem in fide populum ad avitas Gentilium superstitiones sese convertentem animadvertisset, quo illum ab ejusmodi erroribus per novum Patronum, ac Intercessorem apud Deum revocaret, divino monitu ab Aldrico Cenomanensi Antistite Liborii Corpus impetravit, et maxima cum celebritate suscepit anno salutis octingentesimo trigesimo sexto. Sacræ Reliquiæ cum transferrentur, omnes illas regiones mira signorum frequentia illustrarunt. Quorum fama in dies percrebrescente, magnum ubique Liborii nomen esse cœpit. Sed ejus virtùs contra nephriticos dolores, præcipue clarescit, continuis testata beneficiis ob quæ peculiari fidelium pietate multis in regionibus celebratur.

In III. Noct. Homil. in Evang. Vigilate, p. 47*.

In II. Vesp. fit comm. S. Christinæ Virg. et Mart.

Oratio. Indulgentiam, p. 62*.

Die 24. III. Infr. Octav. S. M. Magdalene

Semiduplex.

Lect. I. Noct. de Scrip. occurr. ꝙ. de comm. nec Virginis, nec Mart.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Sermo 45. de divers. c. 1.

Lectio iv.

PRÆSTABIT nobis, qui diem istum commendavit in sanctis suis, ut infirmitas vocis nostræ sufficiat intentioni vestræ. Et hoc quod gestamus in manibus, Scriptura scilicet quam videtis, commendat nobis inquirendam, et laudandam mulierem quamdam habentem magnum virum, eum qui invenit perditam, ornavit inventam. Attendite cujus membra: inspicite cujus filii estis. Mulierem fortem quis inveniet? Difficile est invenire eam; imo difficile est nescire eam. Nonne ipsa est civitas in monte, quæ abscondi non potest? Quare ergo dictum est, Quis inveniet? cum dici debuerit, Quis non inveniet? Sed tu civitatem in monte positam vides; ut autem in monte poneretur, inventa est, quæ perierat.

Lectio v.

QUANDO illustrata est, quis eam non videt? quando latebat, quis eam inveniret? Ipsa enim civitas est, et una illa ovis, quam perditam quæsivit ille pastor, et inventam gaudens in humeris reportavit. Ipse pastor mons est, ovis autem in humeris ejus, civitas in monte. Facile est ut videas eam collocatam in monte: quando eam invenires, cum lateret in vepribus, in spinis utique delictorum suorum? ibi enim quæsisse magnum est: ibi invenisse mirabile est. Hæc ejus difficilis inventio commendatur cum dicitur: Mulierem fortem quis inveniet? Quis enim, quia unus, non quia nec unus.

Lectio vj. Cap. 9.

PRETIOSIOR est autem lapidibus pretiosis, quæ ejusmodi est. Quid magnum, quia pretiosior est mulier hæc lapidibus pretiosissimis? Pretiosi lapides ideo dicti sunt, quia charitate valent. Jam ille vilis est, pretium perdidit, qui non habet charitatem. Doctrinam suam jactet licet, linguam suam jactet licet: audiat æstimatorem verorum lapidum matronæ hujus: audiat, inquam, quemdam artificem ornamenti hujus inspectorem. Si linguis hominum loquar, inquit, et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æramentum sonans, aut cymbalum tinniens: jam non fulget, sed tinnit. Ergo discite lapides æstimare, negotiatores regni cœlorum: nullus lapis vobis placeat, præter hujus mulieris ornamentum.

Digitized by Google

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 7.

IN illo tempore: Rogabat Jesum quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Homilia 33. *in Evangelia.*

COGITANTI mihi de Mariæ Magdalenæ pœnitentia, flere magis libet, quam aliquid dicere. Cujus enim vel saxeum pectus illæ hujus peccatricis lacrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant? Consideravit namque quid fecit, et noluit moderari quid faceret. Super convivantes ingressa est, non jussa venit, inter epulas lacrymas obtulit. Discite quo dolore ardet, quæ flere et inter epulas non erubescit.

Lectio viij.

HANC vero quam Lucas peccatricem mulierem, Joannes Mariam nominat, illam esse Mariam credimus, de qua Marcus septem dæmonia ejecta fuisse testatur. Et quid per septem dæmonia, nisi universa vitia designantur? Quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, recte septenario numero universitas figuratur. Septem ergo dæmonia Maria habuit, quæ universis vitiis plena fuit.

Nona Lect. de Homil. Vigil. S. Jacobi Apostoli ut in Com. Apost. p. 1°.

Die 27. S. Pantaleonis M.

Duplex.

In II. Vesper. S. Annæ fit commem. S. Pantaleonis.

Ant. Gloriosus Pantaleon cœlestem Medicum toto dilexit corde, et moriens pro Christo vivit in cœlo coronatus.

℣. Gloria et honore coronasti eum Domine.

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Oratio.

DEUS, qui beatum Pantaleonem Martyrem tuum varia tormenta superare fecisti, et pro persecutoribus exorare: concede propitius, ut qui ejus imploramus auxilium misericordiæ tuæ sentiamus effectum. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Confitebor, *ut in festo S. Laurentii Martyris. 10. Augusti.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PANTALEON Nicomediensis filius Eustorgii Gentilis, et Eubulæ Christianæ, medicam artem ab Euphrosyno didicit; cum autem Hermolaus Presbyter ex modestia vultus, incessu, et serenitate oculorum alte de illo judicasset, illum accersivit, et cœpit in cor fluenta divinæ fidei infundere: crede mihi, dixit, Esculapii, et Hyppocratis medicamenta parva sunt, et parum prodesse possunt: quinimmo ipsi dii, quos colit Maximianus, sunt vana omnino fabula: unus autem solus verus Deus est Christus, in quem si credideris, ejus sola invocatione omnes morbos fugabis: quæ verba servabat in corde, jugiter meditabatur, et suaviter allectus, ad Hermolaum ut ad magistrum hilaris quotidie ventitabat. Cum autem quadam die videret puerum mortuum, et prope eum viperam quasi ostendentem, quod ei mortem intulisset, intra se dixit: si vera sunt dicta Hermolai, invocato nomine Christi, puer iste vivet, et bellua morietur; quod uti cogitaverat accidit: et statim infulsa luce securitatis omnis caligo discessit, et benedicens Deum, æstuansque desiderio sacri baptismi ab Hermolao gaudens, illum suscepit.

Lectio v.

NON multo post cæco visum restituit, et patri Eustorgio tenebras

Digitized by Google

impietatis solvit, qui idola calcans, et verum Deum confessus baptizatur. Mortuo patre, egenis opem, et languentibus sanitatem largiebatur: quare ad Maximianum deferunt, qui primum honore et blanditiis attrahere studet, deinde minatur mortem, et dura supplicia, si diis non offerat sacrificium. Sed cum omnia invicto animo respueret, in ligno suspenditur, ferreis laniatur ungulis, et lampades ignis lateribus ejus admoventur: at illi oranti apparuit Christus dulcibus verbis recreans et illico laxatæ sunt manus lictorum, extinctæ lampades, et plumbum liquatum, in quod postmodum tyranno jubente injectus fuit, in naturalem mutatur frigiditatem. Sed quid non tentat ingeniosa crudelitas! mandat ingentem lapidem collo alligari, sicque in mare demitti; sed lapis non secus ac folium leve supernatat, et Pantaleon firmiter super undas graditur. Non cessit tantis prodigiis tyranni obcæcata mens, sed feris insanior jubet ad feras produci. Crudele spectaculum! sed spectabili cœlo confluxit tota civitas. Congrediuntur cum Athleta feræ, sed illæ tamquam ratione utentes et indutæ humanitatem, quam exuerat Imperator, reverenter ad Martyrem accedunt, blandiuntur, pedesque illius lingua tangentes veluti contendebant, quænam prima ad eum accederet, et non prius recederet quam Martyr ei manum imposuisset, ac benedixisset.

Lectio vj.

Quo viso clamabant multi: dimittatur justus; magnus est Deus Christianorum, qui quidem solus et verus est. Sed Maximianus nec edoctus a feris pietatem, nec tanto lumini cedens, imperat Pantaleonem in locum editum ferri, et rotæ alligatum in præceps per declive demitti: ac rota ultrice, et plures Deorum opprimente cultores illæsus evasit; quare gladio occidi jussit. Accessit lictor, oleæ plantæ illum alligat, sed eum exequeretur ictum, conversa fuit ferri acies cereæ similis; quo miraculo stupefacti lictores ad pedes Martyris provoluti veniam precantur, Christum aperte confitentes. Sed tandem ne periret gloria Martyrii caput abscinditur, et statim lac pro sanguine fluxit, et planta oleæ, cui alligatus fuerat, fructibus onusta apparuit. Cum autem quidam fideles convenissent, sacrum corpus in suburbano cujusdam Scholastici reverenter reponunt, et quem in vita tantis prodigiis Dominus illustraverat, post obitum innumeris decoravit: inter quæ præclarum illud, quod sacer ejus cruor qui in ampulla servatur Ravelli in Regno Neapolitano, et Romæ, a primis Vesperis festi usque ad diem sequentem, in quo Ecclesia celebrat ejus martyrium, cum coagulatus antea existat, mirum in modum liquefieri, et undequaque fluidum moveri cunctis cernentibus quotannis conspicitur: quod etiam accidit in portione Sanguinis, qui in Monasterio Regali Incarnationis Monialium sancti Augustini Matriti inter pretiosiora pignora asservatur.

In III. Noct. Homil. in Evang. Nihil est opertum, *ut in Comm. unius Mart.* p. 22*.

Ad Laudes

Et per horas, Antiphonæ.

1. In tormentis apparuit Christus, Pantaleonem mira dulcedine perfundens.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliq. de Domin.* p. 13.

2. Ego enim (ait Christus in habitu Hermolai) tecum sum in omnibus, quæ propter me pateris.

3. Cum pro lictoribus exoraret, audivit de cœlo: Ultra non vocaberis Pantaleon, sed Pantaleemon, idest misericors, quia multi per te misericordiam consequentur.

4. Lacte et cruore Martyris collum fluit, pro quo cruorem et aquam Christus fuderat.

5. Pantaleon varie cruciatus jugiter canebat: Sæpe expugnaverunt me

a juventute mea; etenim non potuerunt mihi.

Capitulum, Hymnus, et ỹ. ut in Laudib. de Comm. unius Martyr.

Ad Bened. Antiph. Dixit Maximianus Pantaleoni: quænam est ars præstigiarum, quæ tibi extinxit lampades, et satellitibus vires abstulit? ad quæ respondit: Meæ prestigiæ Christus est.

In II Vesperis, Ant. In tormentis, *cum reliq. de Laud. ut supra.*

Psalmus. Dixit Dominus, *cum reliq. de Dom.* p. 86. *et loco ultimi Psal.* Credidi *p.* 88.

Ad Magnif., Ant. Recordatus fuit misericordiæ Domini, et in conspectu astantium factus est illis adjutor.

Oratio ut supra.

Deinde fit commem. SS. Nazarii, et Socior. MM.

Die 29 in Oct. S. M. Magd.

Duplex.

Omnia ut in festo præter seq. Comm. SS. Felicis, et Socior. MM.

In I. Noctur. Lect. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

De Sermone S. Augustini Episcopi.

Sermo 45. de diversis cap. 12.

Lectio iv.

DUPLICIA pallia fecit viro suo. Jam acclamatis: credo quod agnoscitis quæ sunt duplicia pallia. Laudes sunt, laudes fidei; laudes confessionis, laudes prædicationis. Quare duplicia? Christum laudas, Deum laudas, et hominem. Dupliciter lauda, simpliciter lauda. Dupliciter, quia homo est, et Deus; simpliciter, ut non sis fictus. Confitere Deum, confitere hominem: lauda Deum in homine, lauda hominem in Deo. Texuit pretiosissimum illud pallium laudis: In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum. Texuit et aliud pallium propter conversationem inter homines quotidianam: Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.

Lectio v. Cap. 16.

SIC ergo ista laboriosa, vigilans, solicita, severe castigans domum suam; surgens de noctibus, intuens lucernam ne extinguatur, in tribulatione fortis, nondum receptis promissis pavens, brachia sua in fusum confirmans, non pigrum panem manducans. Ob labores istos quasi paupertatis, et necessitatis sæcularis, quid erit, quia in diebus novissimis lætata est? Quid erit? Audite: propter quam spem ardeat lucerna nostra tota nocte; nunc audite: Surrexerunt filii ejus, et ditati sunt. Modo in paupertate vivimus, in paupertate vigilamus: et cum morimur in paupertate dormimus. Sed surgemus, et ditabimur: Quæ illæ divitiæ sunt Angelorum? quam vestem habent lucis; nunquam teritur, nunquam sordidatur. Si filius es mulieris hujus, attende quantæ tibi divitiæ promittantur. Surrexerunt filii ejus, et ditati sunt, parati resurrectionis divitias accipere. Noli has amare, ut mercaris ad illas venire.

Lectio vj. Cap. 17 et 18.

ET vir ejus laudavit eam. Multæ inquit filiæ fecerunt potentiam. Laudes sunt, quibus eam laudat vir ejus. Quæ filiæ, quibus hæc comparatur? Non comparatur. Tu autem superasti. Attendite ergo vos, jam in fine Lectionis sumus. Multæ filiæ fecerunt potentias, multæ locutæ sunt linguis, scierunt omnia Sacramenta, fecerunt virtutes multas, dæmonia excluserunt, res suas pauperibus distribuerunt, corpora sua ignibus tradiderunt: inflatæ sunt, quia charitatem non habuerunt. Tu autem superasti, et superposuisti omnes, non solum flore, sed et fructu gravida abundans. Date illi de fructibus manuum suarum. Quid date? Venite benedicti Patris mei. De quibus fructibus manuum ejus? Esurivi enim, et dedistis mihi manducare. Et quod illi deinde

Digitized by Google

negotium erit, finitis laboribus? Et laudetur in portis vir ejus. Ipse erit portus laborum nostrorum, videre Deum, laudare Deum.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 17.

IN illo tempore: Rogabat Jesum quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chrysologi *Sermone* 93. *post initium.*

VENIT mulier, et venit retro: quia reus animus post tergum stat ad veniam, quia per culpam novit se vultus fiduciam perdidisse. Venit satisfactura Deo, non homini, placitura, cum venit: venit pietatis illa, non voluptatis exhibitura convivium. Denique et pœnitentiæ ponit mensam, ferculum compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lacrymis temperat in mensura, et ad delicias Deitatis totas, totam pulsat cordis sui, et corporis symphoniam, organi planctus dat clamorem, citharam per suspiria longa modulatur, gemitus aptat in fistulam: et dum pectus ipsam conscientiam arguens, sæpe percutit, facit placitura Deo cymbala personare: dumque taliter apportat divinis oculis cibos, totas misericordiæ copias sic reportat.

Lectio viij.

ECCE mulier, quæ erat in civitate peccatrix. Exaggerat Evangelista mulieris facinus, ut accumulet indulgentiam largitoris. In civitate peccaverat, quia fama sua famam totius tetigerat civitatis: sicque jam non peccatrix solum, sed ipsius civitatis facta fuerat ipsa peccatum. Hæc cognovit, quod nisi ab illo solo civitatis peccatum non posset auferri, qui solus mundi venerat abolere peccatum; et ut cognovit, quia accumberet Dominus in domo Pharisæi, non ad stantem, non ad sedentem audet venire peccatrix. Deus cum stat, corripit: cum sedet judicat; prostratis conjacet, cum decumbit.

Lectio ix.

PORTAVIT oleum quia medicinam lethali vulneris superno medico perquirebat: ad pedes tendit semper, citam veniam qui requirit. Et bene staus, quia jam cadere non potest, qui ad pedes Christi meruit pervenire. Stans retro secus pedes ejus: ut Christi vestigiis innixa percurreret per viam vitæ, quæ per viam cucurrerat mortis. Lacrymis rigabat pedes ejus. En mutatur ordo rerum; pluviam terræ cœlum dat semper. Ecce nunc rigat terra cœlum: imo super cœlos, et usque ad ipsum Dominum imber humanarum prosiliit lacrymarum, ut juxta psalmistam, et de aquis fletuum cantetur illud: et aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini. O quanta vis in lacrymis peccatorum! rigant cœlum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam divina promulgatione sententiam.

Te Deum laudamus.

FESTA AUGUSTI.

Die 2. S. Alph. M. De Ligor.

Conf. Patr. Duplex.

Ad Vesperas

HYMNUS

EN qui benigne nexibus
Solvit revinctos criminum,
Cœlique callem deviis
En qui retexit sedulus.

Oh quot labores pertulit,
Æstusque mentis asperos,
Ex ore prompte dæmonis
Eos ut atro tolleret!

Pagos, et urbes permeat,
Plagasque cultas rusticis,
Ibique Christi dogmata
Ardore multo seminat.

Et ut docere dissitos,
Omnesque possit posteros,
Edit libros multiplices
Cunctis futuros sæculis.

Æterna Patri gloria,

Digitized by Google

Ejusque soli Filio,
Tibique Sancte Spiritus,
Sit in perenni tempore. Amen.

Oratio.

DEUS, qui per Beatum Alphonsum Mariam Confessorem tuum, atque Pontificem animarum zelo succensum Ecclesiam tuam nova prole fœcundasti: quæsumus, ut ejus salutaribus monitis edocti, et exemplis roborati, ad Te pervenire feliciter valeamus. Per Dominum.

Ad Matutinum

HYMNUS.

DUM corda plebis commovet,
Eamque bello provocat
Alphonsus, ut fiduciam
In Matre ponat Numinis:
Monstrum novum, mirabile
Stupore plena conspicit,
Imminensa quod suspiria,
Dulcesque guttas excitat.
Imago namque Virginis
Se luce vestit protinus,
Jubarque vibrat, quod pium
Loquentis os illuminat.
Probavit hoc miraculo
Regina Cœli præpotens
Verum fuisse, fervido
Quod fudit ipse pectore.
Æterna Patri gloria,
Ejusque soli Filio,
Tibique Sancte Spiritus,
Sit in perenni tempore. Amen.

In I. Noct. Lect. de script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ALPHONSUS Maria de Ligorio Neapoli nobilibus Parentibus natus, ab ineunte ætate non obscura præbuit sanctitatis indicia. Eum adhuc infantem cum Parentes obtulissent S. Francisco de Hieronymo e Societate Jesu, is bene precatus edixit, eumdem ad nonagesimum usque annum perventurum, ad Episcopalem dignitatem evectum iri, maximoque Ecclesiæ bono futurum. Jam tum a pueritia a ludis abhorrens nobiles ephebos ad Christianam modestiam verbo, et exemplo componebat. Adolescens, dato piis sodalitatibus nomine, in publicis nosocomiis ægrotis inservire, jugi in templis orationi vacare, ac sacra Mysteria frequenter obire in deliciis habebat. Pietatem litterarum studiis adeo conjunxit, ut sexdecim vix annos natus utriusque Juris lauream in patria universitate fuerit assecutus. Patri obtemperans, causarum patrocinia suscepit, in quo munere obeundo etsi magnam sibi laudem comparasset, fori tamen pericula expertus, ejusmodi vitæ institutum ultro dimisit. Spreto igitur præclaro conjugio sibi a Patre proposito, avita primogenitura abdicata, et ad Aram Virginis de Mercede ense suspenso, divinis ministeriis se mancipavit. Sacerdos factus tanto zelo irruit in vitia, ut Apostolico munere fungens, huc illuc pervolans, ingentes perditorum hominum conversiones perageret. Pauperum præsertim, et rurícolarum miseratus Congregationem Presbyterorum instituit SS. Redemptoris, qui ipsum Redemptorem secuti per agros, pagos, et castella pauperibus evangelizarent.

Lectio v.

NE autem a proposito umquam diverteret, perpetuo se voto obstrinxit nullam temporis jacturam faciendi. Hinc animarum zelo succensus tum divini verbi prædicatione, tum scriptis sacra eruditione, et pietate refertis animas Christo lucrifacere, et ad perfectiorem vitam adducere studuit. Mirum sane quot odia extinxerit, quot devios ad rectum salutis iter revocaverit. Dei Genitricis cultor eximius, de illius laudibus librum edidit, ac de iis, dum ferventius concionando disserit, a Virginis imagine, in eum immisso miro splendore, totus facie coruscare, et in extasim rapi coram universo populo non semel visus est. Dominicæ Passionis, et sacræ Eucharistiæ contemplator assiduus, ejus cultum mirifice propagavit.

Digitized by Google

Dum vero ad ejus Aram oraret, vel Sacrum faceret, quod nunquam omisit, præ amoris vehementia, vel seseraphicis liquescebat ardoribus, vel insolitis quatiebatur motibus, vel abstrahebatur a sensibus. Miram vitæ innocentiam, quam nulla umquam lethali labe fœdavit, pari cum pœnitentia socians, corpus suum inedia, ferreis catenis, ciliciis, cruentaque flagellatione castigabat. Inter hæc prophetiæ, scrutationis cordium, bilocationis, et miraculorum donis inclaruit.

Lectio vj.

Ab Ecclesiasticis dignitatibus sibi oblatis constantissime abhorruit. At Clementis decimi tertii Pontificis auctoritate coactus S. Agathæ Gothorum Ecclesiam gubernandam suscepit. Episcopus externum dumtaxat habitum, non autem severam vivendi rationem immutavit. Eadem frugalitas, summus Christianæ disciplinæ zelus, impensum in vitiis coercendis, arcendisque erroribus, et in reliquis pastoralibus muneribus obeundis studium. Liberalis in pauperes, omnes Ecclesiæ proventus iisdem distribuebat, ac urgente annonæ caritate ipsam domesticam supellectilem in alendis famelicis erogavit. Omnibus omnia factus, Sanctimoniales ad perfectiorem vivendi formam redegit, suæque Congregationis Monialium Monasterium constituendum curavit. Episcopatu ob graves, habitualesque morbos dimisso, ad Alumnos suos, a quibus pauper discesserat, revertitur pauper. Demum quamvis senio, laboribusque, diuturna arthritide, aliisque gravissimis morbis fractus corpore, spiritu tamen alacrior de cœlestibus rebus disserendi, aut scribendi finem nunquam adhibuit; donec nonagenarius calendis Augusti anno millesimo septingentesimo octogesimo septimo Nuceriæ Paganorum inter suorum Alumnorum lacrymas placidissime expiravit. Eum inde virtutibus, et miraculis clarum, Pius septimus Pontifex Maximus anno millesimo octingentesimo decimo sexto Beatorum fastis adscripsit. Novisque fulgentem signis Gregorius XVI. in festo SS. Trinitatis anno millesimo octingentesimo trigesimo nono solemni ritu sanctorum catalogo accensuit.

Lect. III. Noct. in Evan. Designavit Dominus, p. 13*.

Ad Laudes.

HYMNUS

ALPHONSE curnam jusculo
Herbis amaris inficis?
Corpus tuum durissimo
Quare flagello percutis?

Rerum premens angustia,
Frigus, calor, jejunium,
Sitis, laborque pervigil
Submisit illud affatim.

Intacta sint, hoc efficis,
Ut castitatis lilia
Tuæ, cibumque divitem
Virtutibus des cæteris.

Sic in tumultu sæculi
Vita fruentes accolæ
Possunt Eremi consequi
Gressus tuos Antistites.

Æterna Patri gloria,
Ejusque soli Filio,
Tibique Sancte Spiritus
Sit in perenni tempore. Amen.

Die 8. S. Asprenî

Primi Ep. et Patr. Neapol. Duplex.

Oratio.

DEUS, qui beatum Asprenum ab Apostolo Petro baptismo lustratum, primum nobis Antistitem constituisti: præsta supplicibus tuis, ut Fidem, quam per eum accepimus, bonis operibus comprobemus. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. Fidelis, ut in *Comm.*

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

ASPRENUS primus Neapolitanæ Ecclesiæ Antistes ab Apostolo-

rum Principe constitutus fuit. Cum enim is Antiochia Romam proficiscens, Neapolim appulisset, invenit honestam mulierem Candidam nomine, quæ ab eodem ægritudine prius liberata, et lustrata baptis nate, oravit deinde Sanctum Apostolum, ut Aspreno probo viro sibi consanguinitate conjuncto, diuturno jam morbo laboranti, idem quod sibi beneficium impertiretur, ut non tantum sanguinis, sed Religionis cognatione conjungerentur.

Lectio v.

ANNUIT Petrus Candidæ Precibus, eique injunxit, ut apprehensa ægri dextera suo nomine juberet incolumem e strato consurgere. Quod cum mulier fecisset, Asprenus illico sanus ad beatum Petrum accessit: a quo veræ Fidei mysteriis initiatus, salutari lavacro fuit ablutus, et cum Candida Missæ sacrificio interfuit, dum Apostolus ipse sacris operaretur in loco, quem postea Petri Aram nuncupatum, atque ob tantæ rei memoriam, maximo in honore semper habitum, tum Neapolitani Reges privilegiis plurimis, tum Pontifices summi amplissimis Indulgentiis locupletarunt.

Lectio vj.

PETRUS autem Romam discessurus Neapolitanæ Ecclesiæ Asprenum primum Episcopum præfecit, qui divinum magistrum imitatus, populum suæ curæ, et directioni traditum, exemplo, prædicatione, miraculisque sic erudivit, excoluitque, ut Fidem, et Jesu Christi doctrinam, ab Apostolorum Principe acceptam, intactam semper, illibatamque constantissime servavit. Donec Asprenus annis plenus, ac meritis emigraret ad Dominum sub annum Christi nati septuagesimum nonum; sepultusque nunc colitur maximo in Templo, ubi Sancti Petri baculus servatur.

In III. Noct. Homilia in Evang. Homo peregre, *ut in communi*

Die 9. Sexta Infr. Octav. S. Dominici C.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

Lect II. Noct. Deridetur justi simplicitas, *p.* 58*.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

Homilia sancti Petri Chrysologi.

Ex Sermone 24. post initium.

NOVUS ordo vigiliarum, novus habitus imperatur: Sint lumbi vestri præcincti. Nil de vestitu, nil de calceamentis, nil de ipsius occursus apparatu servi vigiles admonentur, sed tota in præcingendis lumbis mandatur cura, tota in constringendis lumbis statuitur vis præcepti, addito lucernarum solatio tantum, sine quo nec noctis aperitur obscuritas, nec venientis diei clarescit aspectus.

Lectio viij.

CINGULUM quidem est propriæ iudicium servitutis, quod et discursus expeditos reddat, et faciat obsequentes. Sed dixisse sufficerat: Estote præcincti; cur lumbos potissimum nominat? cur tanta jubentis reverentia lumborum facit magnopere mentionem? Quæris quare? Quia in lumbis est tota corporis causa; ex lumbis tota carnis negotia suscitantur; in lumbis tota est humani lapsus, humanæ fragilitatis occasio. Inde venit, quod virtutis iguaros reddit, efficit segniores.

IX. Lect. de Vigil. S. Laurentii M. 9. *Aug. cum comm. S. Romani M.*

Die 11. Octav. S. Dominic. C.

Duplex.

In I. Noct. Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lect. Gaudete, *ut in die Octav. S.*

Digitized by Google

Franc.de Paula p.185*.*mutato nomine Francisci in Dominici.*

In III. Noct. Homilia ut in die oct. S.Antonii de Padua p. 266*.

Lect.IX. SS. MM. Tiburtii et Susannæ.

Die 14. BB. Ant. Primal. et Soc. Mm. Hydrunt.

Semiduplex.

Oratio.

PRÆSTA quæsumus, omnipotens Deus, ut qui gloriosos Martyres Antonium, et Socios fortes in sua confessione cognovimus, pios apud Te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ANTONIUS Primaldus, et octigenti circiter socii martyres Hydruntini, Christi fidem postremis hisce sæculis suo sanguine illustrarunt, et insigni fortitudinis exemplo primævam Ecclesiæ gloriam revocarunt. Anno siquidem reparatæ salutis millesimo quadrigentesimo octogesimo, cum Achomates Classis Mahumeti secundi Præfectus in perniciem tenderet Italiæ, Hydruntum devectus, urbem penitus imparatam facili negotio subigere ratus est. Tanto vero fuit Hydruntinorum virtus, ut cum hostibus Sanctæ Fidei pacisci, ne ferendis quidem conditionibus, passi sint. Per quindecim igitur dies acriter utrinque pugnatum est; sed jam disjectis mœnibus, tandem barbarorum numerus prævaluit, qui vi urbe potiti, cuncta cædibus compleverunt, sic per diuturnos labores, multasque tribulationes Servos suos Dominus ad coronam disponebat.

Lectio v

HYDRUNTINORUM constantia, suorumque ingenti clade non leviter commotus Achomates crudelis homo, et Christiano nomini infensissimus, inter eos, quos servituti addixerat viros omnes secerni jubet decimo quinto anno majores, qui octigenti circiter inventi sunt.Nudi, manibusque post terga colligatis ex urbe ad clivum Minervæ (postea Martyrum dictum) coram barbaro Duce deducuntur; electo huic populo fides Christi ejuranda proponitur; libertas, et Patriæ salus dum parcant, promittitur; mors vero, si renuant, indicitur. At exemplo vere singulari, nemo unus in tanto numero repertus est, qui vel spe libertatis allectus, vel mortis timore perculsus, a fide Christi desciverit. Omnes enim ab Antonio viro religione spectabili confirmati invocantes dulcia Jesu, et Mariæ nomina, seque invicem cohortantes, datis fortiter pro Christo cervicibus, Martyrii palmam assecuti sunt.

Lectio vj.

MARTYRIUM hoc plurimis prodigiis Deus quoque confirmavit. Ferunt enim, Antonii corpus abscisso capite constitisse, nec nisi finita Sociorum cæde potuisse dejici; atque insuper omnia Beatorum corpora per tredecim menses diu exposita penitus integra, et incorrupta permansisse. Quare ab Alphonso Calabriæ Duce Ferdinandi Regis filio, urbe recuperata, summa religione ac pompa, ipsoque comitante ad reconciliatam Metropolitanam Ecclesiam importantur, et in egregio Sacello, quod regali munificentia Rex dotaverat, collocantur. Quadriennio fere post biscentum circiter quadraginta ex iisdem Martyrum corporibus idem Alphonsus Dux Neapolim asportavit, atque in Ecclesia Beatæ Mariæ Magdalenæ prope Castrum Capuanum collocavit; unde postea ad Ecclesiam Sanctæ Catharinæ ad Formellum nuncupatam translata sunt, ubi nunc etiam pie, sancteque recoluntur. Reliqua vero sacra pignora illorum Patria Hydruntum veneratur, Beatorum Martyrum præsentem opem sæpissime experta cultum ab immemorabili tempore iisdem

præstitum Clementis Decimiquarti Pontificis Maximi Apostolica auctoritate comprobandum curavit.

In III. Noct. de comm. 1. loco.

Die 13. S. Philum. V. M.

dupl. min.

Orat. Deus qui inter cætera potentiæ tuæ miracula *p.* 62*.

Lect. I. Noct. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

INTER cætera Martyrum Sepulchra, quæ in Cœmeterio Priscillæ ad Viam salariam reperiri solent, illud extitit, quo repositum fuerat Sanctæ Philumenæ Corpus uti ex tumuli inscriptione tribus laterculis apposita perlegebatur. Licet vero inventa ibidem fuerit phiala sanguinis, et alia insculpta conspicerentur Martyrii insignia, dolendum tamen est, res ab eadem gestas, actaque ac genus Martyrii, quod ipsa fecit, obscura perstitisse. Cæterum ubi primum Sacrum hoc Corpus, ex beneficentia Pii VII. initio Pontificatus ejus acceptum, cultui fidelis Populi propositum fuit Mugnani in Nolana Diœcesi, ingens illico famæ celebritas ac religio erga Sanctam Martyrem percrebuit præsertim ob signa, quæ ejusdem præsidio accessisse undique ferebantur. Hinc factum est ut complurium Antistitum, Cultorumque Martyris postulationibus permotus Gregorius Decimus Sextus Pontifex Maximus, universa rei ratione matura perpensa, Festum ejusdem cum Officio, et Missa in memorata Nolana Diœcesi, et alibi agendum benigne permiserit.

Lect. V. et VI. Sermo Sancti Ambrosii Episcopi. Quoniam hodie Natalis, *p.* 66*.

Lect. III. Noct. de sod. Comm. 1. loco.

Die 16. S. Rochi. C.

Oratio.

POPULUM tuum, quæsumus Domine, continua pietate custodi: et beati Rochi suffragantibus meritis ab omni fac animæ, et corporis contagione securum. Per Dom.

In I. Noct. Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ROCHUS in Monte Pessulano natus, quanta in Proximum Charitate flagraret, tum maxime ostendit, cum sævissima peste longe, lateque per Italiam grassante, patria relicta Italicam peregrinationem suscepit, urbesque, et oppida peragrans seipsum in ægrotantium obsequium impendere, animamque suam pro fratribus ponere non dubitavit. Quod beati viri studium quam gratum Deo fuerit, miris sanationibus declaratum fuit. Complures enim pestilentia infectos e mortis periculo signo Crucis eripuit, et integræ sanitati restituit. In patriam reversus, virtutibus et meritis dives sanctissime obiit, ejusque obitum statim subsecuta est veneratio Fidelium, quæ in Constantiensi deinde concilio magnum recepisse dicitur incrementum, cum ad propulsandam ingruentem luem, Rochi Imago solemni pompa, omni comitante populo per eamdem civitatem, Episcopis approbantibus, est delata. Itaque ejus cultus mirifice propagatus est in universo Terrarum Orbe, qui eumdem sibi apud Deum adversus contagiosam luem Patronum religioso studio adoptavit. Quibus accurate perpensis, Urbanus octavus Pontifex Maximus, ut ejus dies Festus iis in locis, in quibus forent Ecclesiæ sancti Rochi nomine Deo dicatæ, Officio Ecclesiastico celebraretur, indulsit.

Ex Tractatu S. Augustini Episcopi in Epist. Joannis.

Tractat. 5. in cap. 3.

Lectio v

PERFECTA ista Charitas est, ut paratus sis mori pro fratre. Hanc ipse Dominus in se exhibuit mortuus pro omnibus, orans pro eis, a quibus

crucifigebatur, et dicens: Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt; sed si solus hoc fecit, non erat Magister, si Discipulos non habebat. Si quis tantam habuerit charitatem, ut paratus sit pro fratribus etiam mori, perfecta est in illo Charitas. Sed numquid mox, ut nascitur, jam prorsus perfecta est? Ut perficiatur, nascitur, cum fuerit nata nutritur, cum fuerit nutrita corroboratur, cum fuerit roborata, perficitur: cum ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Optabam dissolvi, et esse cum Christo: Multo enim magis optimum, manere autem in carne necessarium propter vos. Propter eos volebat vivere, pro quibus paratus erat mori.

Lectio vj.

Ex Tractatu 6.

HÆC est perfectio Charitatis et major omnino non potest inveniri: sed quia non in omnibus perfecta est, et desperare non debet, in quo perfecta non est, si jam nata est, quæ perficiatur, et utique si nata est, nutrienda est, et quibusdam suis nutrimentis ad perfectionem propriam perducenda. Quæsivimus inchoationem Charitatis unde incipiat, et ibi continuo invenimus: Si quis habet facultates Mundi, et viderit Fratrem suum egentem, et clauserit viscera sua adversus eum, quomodo dilectio Patris manet in illo? Ergo hic incipit ista Charitas, fratres, ut de suis superfluis tribuat egenti in angustiis aliquibus constituto, ex eo quod sibi abundant, secundum tempus a tribulatione temporali liberet fratrem: hinc exordium est Charitatis. Hanc ita cœptam, si verbo Dei, et spe futuræ vitæ nutrieris, pervenies ad illam perfectionem, ut paratus sis animam tuam ponere pro Fratribus tuis.

In III. Nocturno, Homil. in Evangel. Homo quidam nobilis, *ut in Festo S. Ludovici Regis C.25. Augusti.*

Die 20. S. Lud. Ep. Tolos. C.

Duplex 2. *Classis.*

Oratio.

DEUS qui beatum Ludovicum confessorem tuum, atque pontificem cœleste regnum terreno præponere docuisti; ac puritate illibata, et eximia in pauperes charitate mirabiliter decorasti; concede, ut ejusdem virtutes æmulantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cœlis. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. Fidelis sermo, *de Com. 1. loco.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

LUDOVICUS nobilissimo genere natus, patrem habuit Carolum secundum Siciliæ regem, matrem vero Mariam Hungariæ regis filiam. Adhuc puer in sortem Domini vocatus, posthabitis ætatis illius oblectamentis, divino se totum cultui mancipavit. Decimumquartum agens annum, una cum duobus fratribus pro genitoris libertate in bello navali a rege Aragoniæ capti obses ductus in Catalauniam, Barcinone apud Minores Sancti Francisci fere septennio est commoratus; sub eorumque disciplina in scientiarum studiis, ac sacrarum litterarum comparanda eruditione eo progressus est, ut constans fuerit opinio, ipsi potius fuisse divinitus infusas, quam humanitus acquisitas. Verum majori conatu cœlestis magistri doctrina spiritum instruere anhelans, ciliciis, jejuniis, ferreis flagellis carnem afflixit. Assidua interim evangelicæ veritatis meditatione contemptibilia mundi spernere edoctus, regalis solii fastum calcare deliberavit, ac de seraphico amplectendo instituto, raro humilitatis exemplo, votum emisit.

Lectio v.

ECCLESIASTICÆ militiæ adscriptus, et ad sacros ordines deinde promotus, ut quod mente statuerat, opere firmaret, juri primo-

Digitized by Google

genituræ renunciavit, et regno: cumque votum, quod Barcinone voverat, in monte Pessulano frustra adimplere satageret, illius cœnobii fratribus timore regis patris eum recipere non audentibus, solemniter illud renovavit. Mox ad ecclesiam Tolosanam a Bonifacio octavo, quamvis invitus, assumptus, Romamque accersitus, et ab eodem honorifice exceptus, electioni de se factæ nullatenus se assensurum vel declaravit, donec votum, quo se obstrinxerat, Deo reddidisset. Quare annuente Pontifice, habitu ordinis Minorum, quem semper postea retinuit, rite suscepto, in manibus generalis ministri professionem emisit: hisque peractis, apostolicis mandatis humiliter obtemperans, Episcopum Tolosanum passus est se consecrari.

Lectio vj.

TOLOSAM ad illius Ecclesiæ regimen profectus, spirituali animarum lucro totus incubuit; utque ministerium apostolicum integre ac diligenter impleret, salutaribus monitis illibatæque vitæ exemplo peccatores ad pœnitentiam revocavit, pluresque Judæos, atque Gentiles assidua verbi Dei prædicatione ad orthodoxam fidem convertit. Ecclesiasticam disciplinam ubique in commissa sibi diœcesi promovit, ac restauravit. Liberalis in pauperes, vigintiquinque ex eis quotidie domi aluit. Puritatem usque ad obitum a pueritia nitidissime custodivit. Humilitatis tandem, charitatis, atque omnium virtutum ornamento decorus, in juvenili ætate Brincolæ Provinciæ arce ardenti febre correptus, ad Domini sui amplexum, quem in votis semper habuerat, emigravit. Magnis deinde in Ecclesia meritis clarum, et miraculis illustrem, inter quæ plures mortui ejus intercessione ad vitam revocati enumerantur, Joannes vigesimus secundus in Sanctorum numerum retulit.

In III. Noct. Lect. de Homil. Ut ignorantiam, *p.* 47*.

Die 26. S. Patriciæ Virg.

Duplex.

Oratio.

DEUS, qui beatam Patriciam Virginem terrena omnia contemnentem, cœlestis gloriæ corona decorasti: concede, ut ejus exemplo, temporalia cuncta despicientes, sempiternis gaudiis perfruamur. Per Dominum.

Deinde fit comm. S. Zephyrini Pp. et M. Lect. I. Noct. De Virginibus.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PATRICIA Virgo Constantinopolitana, Imperatorum orta ex genere, a teneris annis Jesu Christi amore succensa, totam se Deo dedere illique perpetuam devovere virginitatem statuit. Invita a Constantino Imperatore, Viro apprime nobili desponsata, inito cum Aglaja nutrice sua consilio, profusisque ad Deum precibus clam ex Urbe nuptiarum celebritatem fugiens, secessit; et cum Ancillis, et Eunuchis navim conscendit, Sanctorum Apostolorum limina castimoniæ suæ perfugium adtura. Cognita fuga, validæ triremes ab Imperatore, sed frustra expediuntur; navigium namque, in quo Patricia vehebatur, non longe remotum, oculos insequentium fugit, quos tempestas suborta Byzantium redire coegit.

Lectio v.

AB hoc discrimine divinitus erepta, Neapolim prius appulit: Templa omnia religiosissime invisit. Basilianum vero Cœnobium Sanctis Nicandro, et Marciano sacrum singulari pietate coluit; impressoque in pariete Crucis signo, ibidem se fore tumulandam, monachos alio commigraturos, prænunciavit. Romam postea profecta, a Liberio Summo Pontifice virginitatis velo insignita, cœlestem vitam cum aliis virginibus duxit. Admonita de Constantii obitu non sine suorum civium admiratione, ac vene-

Digitized by Google

ratione Constantinopolim revecta, fortunis omnibus pompisque pro Christo a se ablicatis, domesticum patrimonium pios erogavit in usus : illaque tantum reservata pecunia, qua virginum Cœnobium conderetur.

Lectio vi.

TUM sacra Palæstinæ loca miro peragrandi desiderio flagrans, maritimum aggressa iter, ventorumque vi Neapolim appulsa, in Castrum Lucullanum e navi descendit, ubi supremo correpta morbo, anteactam sanctissime vitam felicissimo coronavit exitu, octavo Kalendas Septembris, circa annum tercentesimum sexagesimam quintum. Aglaja nutrix in somnis ab Angelo admonita, sacrum Virginis corpus currui a Tauris indomitis tracto imposuit, qui duce nullo, ad Sanctorum Nicandri, et Marciani ædem steterunt, ibique fuit honorifice conditum, ubi constructum deinde augustum Templum, Sacrarumque Virginum domicilium S. Patriciæ nomine nuncupatum. Sanguis ejusdem vitreo in vase concretus, e regione virginei dentis expositus, ebullire ad hoc usque tempus cernitur. Neapolitana Civitas tanto ditata thesauro, et munita patrocinio, sacram Virginem in reliquis suis Tutelaribus numeravit.

In III. Noct. Homil. de com. 1. loco.

Die 30. S. Helenæ, Imp.

Duplex.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui locum, ubi Crux tua latebat, beatæ Helenæ revelasti, ut per eam Ecclesiam tuam hoc pretioso thesauro ditares ; ejus nobis intercessione concede, ut vitalis Ligni pretio, æternæ vitæ præmia consequamur. Qui vivis et regnas.

In I. Noct. Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Ex sancto Ambrosio in Orat. de obitu Theodosii.

Lectio iv.

VENIT ergo Helena, cœpit revisere Loca Sancta: infudit ei Spiritus, ut Lignum Crucis requireret, accessit ad Golgotham, et ait : Ecce locus pugnæ, ubi est victoria ? quæro vexillum salutis, et non invenio. Ego, inquit, in regnis, et Crux Domini in pulvere? Ego in aulis, et in ruinis Christi triumphus ? Ille adhuc latet, et latet palma vitæ æternæ. Quomodo me redemptam arbitror, si redemptio ipsa non cernitur ? Video quid egeris, Diabole, ut gladius, quo peremptus es, obstrueretur. Sed Isaac obstructos ab alienigenis puteos eruderavit, nec latere aquam passus est. Tollatur igitur ruina, ut vita appareat. Promatur gladius, quo veri Goliæ caput est amputatum. Aperiatur humus, ut salus fulgeat. Quid egisti, Diabole, ut absconderes Lignum, nisi ut iterum vincereris.

Lectio v.

VICIT te Maria, quæ genuit triumphatorem, quæ sine imminutione Virginitatis edidit eum qui Crucifixus vinceret te, et mortuus subjugaret. Vincèris et hodie, ut mulier tuas insidias deprehendat. Illa quasi Sancta Dominum gestavit, ego Crucem ejus investigabo. Illa generatum detulit, ego resuscitatum. Illa fecit, ut Deus inter homines videretur, ego ad remedium peccatorum Divinum de ruinis elevabo vexillum. Aperit itaque humum, decutit pulverem, tria patibula confusa reperit, quæ ruina contexerat, inimicus absconderat. Sed non potuit obliterari Christi triumphus. Incerto hæret, ut mulier: sed certam indaginem Sanctus Spiritus inspirat.

Lectio vj.

QUÆSIVIT clavos, quibus crucifixus est Dominus, et invenit. De uno clavo frænos fieri præcepit, de altero Diadema intexuit, unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit. Visitata est Maria, ut Hevam liberaret : visitata est Helena, ut im-

Digitized by Google

peratores redimerentur. Misit itaque filio suo Constantino Diadema gemmis insignitum, quas pretiosiori ferro innexas Cruci Redemptionis Divinæ gemmas connecteret. Misit et frænum, utroque usus est Constantinus, et fidem transmisit ad posteros Reges. Principium itaque credentium Imperatorum sanctum est, quod super frænum. Ex illo fides, ut persecutio cessaret, devotio succederet. Sapienter Helena egit, quæ Crucem in capite Regum levavit, et locavit, ut Crux Christi in Regibus adoretur. Non insolentia ista, sed pietas est, cum defertur Sacræ Redemptioni. Bonus itaque Clavus Romani Imperatoris, qui totum regit Orbem, ac vestit Principum frontem, ut sint prædicatores qui persecutores esse consueverunt,

In III. Noct., Homil. de Comm. nec Virg. nec Martyr.

FESTA SEPTEMBRIS

Die 4. S. Candidæ Sen.

Semiduplex.

Omnia nec Virg. nec Mart. prater sequent.

Oratio.

DEUS qui beatam Candidam per Apostolorum Principem Fidei lumine illustrare dignatus es tribue quæsumus, ut ejus suffragantibus meritis, æternæ gloriæ tuæ beato lumine perfrui mereamur. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CANDIDA Neapolitana, claris exorta parentibus sed longe clarior, quia Principem Apostolorum susceptæ fidei Parentem sortita est Petrum, cui ex Antiochensi Sede ad fundandam Romanam Ecclesiam in Italiam naviganti, ubi Neapolim appulit, prima occurrit; et corporis ægritudine repente levata, vitali fonte Baptismatis regenerata est. Tam insigne beneficium et Religionis, et salutis, non in se solam recipi, atque inarescere passa est, sed suos in Cives, et consanguineum Asprenum Neapolitanorum Antistitum beatum Antesignanum, ut abunde proflueret ab Apostolo Principe exoravit, cui etiam ad Aras operanti adfuit Candida, et ejusdem e manibus immortali recepto Epulo recreata. Denique sanctitatis compendium nacta, devexa jam ætate et annis, et meritis plena, beatum vitæ finem imposuit pridie nonas Septembris, anno salutis septuagesimo octavo.

Lectio v. Ex libro S. Ambrosii Epi. Agrum hunc *p.* 73*.

℣. V. Dilexisti.

Lectio vi. Unde et illi, *ibid.*

℣. VI. Fallax gratia.

In III. Noct. Homil. Comm. p. 74*.

Die 4. S. Rosaliæ Virg.

Semiduplex.

Oratio.

EXAUDI nos Deus salutaris noster: ut sicut de beatæ Rosoliæ virginis tuæ festivitate gaudemus; ita piæ devotionis erudiamur affectu, et ejus intercessione ab iracundiæ tuæ flagellis misericorditer liberemur. Per Dominum.

Pro Regno Siciliæ alia Oratio.

DEUS qui beatam Rosoliam virginem e regalibus mundi deliciis in montium solitudinem transtulisti: concede propitius, ut ejus meritis, et patrocinio a sæculi voluptatibus in cælestium amorem transferamur, et ab iracundiæ tuæ flagellis misericorditer liberemur. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ROSALIA virgo orta Panormi ex nobili genere, suam originem trahens a Carolo Magno, in Quisquinæ montem quadraginta circiter mille passibus distantem sola secedens, pa-

Digitized by Google

ternæ domus opes, delicias, ac spem majoris amplitudinis ob propinquitatem, et benevolentiam Regum Siciliæ contemnens, cum tetricæ rupis horrore et asperitate commutavit: inque antrum, cui tunc unicus, et quidem angustus aditus e superiori loco patebat, intrepide descendit ea mente, quam characteribus saxo insculptis adhuc patentibus expressit: Ego Rosalia Sinibaldi Quisquinæ, et Rosarum domini filia, amore Domini mei Jesu Christi in hoc antro habitare decrevi. Qua inscriptione oculis obversante susceptæ vitæ propositum altius cordi infigere, ac Divinæ benevolentiæ signa ad castissimæ mentis blandimenta vicissim provocare consuevit.

Lectio v.

IN hac specu subterranea sibi, et mundo emortua, consepultaque Jesu Christo, ut soli Deo viveret, diu, noctuque latuit, cavens præcipue in montibus paterni Principatus, ne forte agnita in domum, urbemque patriam adduceretur invita. Callidas dæmonum insidias, quæ asperæ vitæ tædium, et solitudinis horrorem animo ingerebant, acriter sæviendo in se ferrea catena, vigiliis, et humi cubatione, forti animo superasse antiquæ icones significant; cumque humanis destituta præsidiis, nihil solatii aliunde hauriret, quam e cœlo, Dominus, qui consolatur, et coronat Sanctos suos, Angelicis deliciis illam sæpius recreabat.

Lectio vi.

CŒLESTI deinde consilio ex antro Quisquinensi in horridiorem speluncam Peregrini montis, tribus fere mille passibus procul Panormo Rosalia se transtulit; ut, quo difficiliorem pugnam secum ipsa committeret e conspectu domus paternæ, eo laudabilius de contemptis mundi illecebris triumpharet. Latebat ibi ad partem lævam angustus concavus, quem eadem post repertas ejus reliquias illuc venanti, cui se videndam præbuit, dixit esse suam cellam peregrinam, ubi multum ætatis exegisset. Hic tamquam columba in foraminibus petræ gemens, in cœlestium rerum contemplatione defixa, ad perfectissimam divini amoris normam in solitudine vitam traduxit, et sanctissime perennibus charitatis rosis, et virginitatis liliis coronata deposuit pridie Nonas Septembris. Cujus corpus Urbano octavo Pontifice Maximo divinitus anno Jubilæi totius Siciliæ plausu repertum illam a peste liberavit.

In III. Noct. Homil. de Com. Virg. 4. loco.

Die 5. S. Cand. Jun. P. Neap.

Duplex.

Oratio.

DEUS, qui beatæ Candidæ inter blandimenta sæculi candorem innocentiæ conservasti, concede, ut nos quoque ejusdem exempla sectantes, cœlestis gloriæ consortium assequamur. Per Dominum.

Deinde fit comm. S. Candidæ Sen. In I. Noct. Lect. Mulierem, p. 72*.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

CANDIDA Junior, quingentis post seniorem alteram annis, Neapoli in Campania e nobili Brancaciorum familia nata est, virtute tamen præstantior, quam genere. A prima ætate totam se Christianæ disciplinæ operibus addixit, summa in Parentes observantia, profusa in pauperes benevolentia: quod pietatis studium in connubio quoque constantissime retinuit, ceteris matronis integre, sancteque vivendi absolutum se præbens exemplar. Cœlestium rerum contemplationi, Templisque invisendis assidua, a corporis ornatu, vestiumque cultu maxime abhorruit. In dissidiis componendis arbitra; in seipsam tantum excandescere jejuniis, aliisque pœnitentiis visa, ut omnes carnis illecebras exscinderet, atque animi innocentiam tueretur.

Digitized by Google

Lectio v.

UNICO, quem susceperat filio, et conjugi, diuturno gravique morbo laborantibus, quo minus morti maturos, ac paratos videret, nuncupatis Deo precibus, velut alienæ salutis victima, id impetravit, ut pro dilato illis moriendi tempore, vivendi sibi tempus contraheretur. Voti igitur compos, in ægritudinem incidit; qua tandem interiit quinquagenaria, pridie nonas Septembris, eodem die, quo Senior Candida ad Cœlum evocata, ut imitatione pietatis similis, ita consors et gloriæ. Demortuum corpus in sancti Andreæ Templo honorifice conditum est. Obiit Pelagio secundo Pontifice, Mauritio Imperatore.

Lectio vj.

EJUS sanctitatem diu reconditam, plurimis tandem miraculis testatam voluit Deus: liquor enim e sacro Corpore emanavit, variis morborum generibus utilis, atque vivificus. Præsentissimam opem in primis expertus paralyticus qui tremebundus, ac semimortuus ad ejus tumulum delatus, summa populi admiratione sanitati redditus, e vestigio domum incolumis regressus est. Usum etiam loquelæ mutus excepit, beneficium alta voce confessus, aliaque admiranda permulta ejus meritis a Deo patrata. Sacræ Reliquiæ in Æde quoque Divi Angeli ad Nilum nuncupata religiose anniversaria pompa coluntur.

In III. Noct. Homil. de comm.

Die 18. S. Joseph. a Cup. C.

In I. Vesperis.

Ad Magnif. Ant. Mortuus sum, et vita mea est abscondita cum Christo in Deo.

Oratio.

DEUS qui ad Unigenitum Filium tuum exaltatum a terra omnia trahere disposuisti: perfice propitius, ut meritis et exemplo Seraphici Confessoris tui Josephi, supra terrenas omnes cupiditates elevati, ad eum pervenire mereamur. Qui tecum vivit.

IN I. NOCTURNO.

De Epistola secunda B. Pauli Apostoli ad Corinthios

Lectio j. Cap. 4.

DEUS, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus: semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum: ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali.

Lectio ij. Cap. 5.

SCIMUS enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis. Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes: si tamen vestiti, non nudi inveniamur. Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati: eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri; ut absorbeatur, quod mortale est, a vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus qui dedit nobis pignus spiritus. Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, (Per fidem enim ambulamus, et non per speciem.) Audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum.

Lectio iij. Cap. vj.

SI gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad visio-

Digitized by Google

nes et revelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim(sive in corpore nescio,sive extra corpus nescio, Deus scit)raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum.Et scio hujusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit) quoniam raptus est in Paradisum: et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Pro hujusmodi gloriabor : pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. Nam et si voluero gloriari, non ero insipiens : veritatem autem dicam: parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me. Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me : et dixit mihi : sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

JOSEPHUS a Cupertino Oppido in Salentinis Diœcesis Neritonensis, anno reparatæ salutis millesimo sexcentesimo tertio, piis ibidem Parentibus ortus, Deique amore præventus, pueritiam, atque adolescentiam summa cum simplicitate, morumque innocentia transegit. A diuturno molestoque morbo patientissime tolerato Deiparæ Virginis ope liberatus, se totum pietatis operibus ac excolendis virtutibus dedit: utque Deo ad majora vocanti se intimius conjungeret, Ordini Seraphico nomen dare constituit. Post varios eventus voti tandem compos factus, apud Minores Conventuales in Cœnobio Cryptulæ, inter Laicos primum ob litterarum imperitiam, deinde inter Clericos divina dispositione connumeratus est. Sacerdotio post solemnia vota initiatus, perfectius sibi vitæ institutum proposuit. Quamobrem mundanis quibuscumque affectibus, terrenisque rebus pene ad vitam necessariis illico a se abdicatis, ciliciis, flagellis, catenis, omni demum asperitatum ac pœnarum genere corpus afflixit; spiritum vero sanctæ orationis, altissimæque contemplationis assiduitate dulciter enutrivit. Hinc factum est, ut Charitas Dei, quæ jam erat in ejus corde a prima ætate diffusa, miro, planeque singulari modo in dies coruscaverit.

Lectio V.

ELUXIT præcipue ardentissima ejus charitas in extasibus ad Deum suavissimis, stupendisque raptibus, quibus frequenter afficiebatur. Mirum autem, quod alienato a sensibus animo, statim ab exstasi eum revocabat sola obedientia. Hanc quippe virtutem eximio studio prosequebatur, dicere solitus, se ab ea veluti cæcum circumduci, et mori potius velle, quam non obedire. Paupertatem vero Seraphici Patriarchæ ita æmulatus est, ut morti proximus Prælato suo asserere vere potuerit, se nihil habere, quod more Religiosorum resignaret. Itaque mundo sibique mortuus, vitam Jesu manifestabat in carne sua, quæ dum in aliquibus ex turpitudine obscœnum flagitium sentiebat, prodigiosum de se efflabat odorem, indicium nitidissimæ illius puritatis, quam immundo Spiritu vehementissimis tentationibus frustra obnubilare diu conante, servavit illæsam, tum arcta sensuum custodia, tum jugi corporis maceratione, tum denique speciali protectione purissimæ Virginis Mariæ, quam Matrem suam appellare consuevit; ac veluti Matrem dulcissimam intimo cordis affectu venerabatur, eamque ab aliis venerari exoptabat, ut cum ejusdem patrocinio, sicut ipse ajebat, omnia bona consequerentur.

Lectio VI.

HÆC Beati Josephi sollicitudo a sua erga proximos charitate prodibat, tanto enim animarum zelo exardebat, ut omnium salutem modis omnibus instantissime procuraret. Es-

Digitized by Google

tendens pariter charitatem suam in proximum, sive pauperem, sive infirmum, sive quacumque alia tribulatione vexatum, quantum in ipso erat, illum recreabat. Nec alieni erant ab ejus charitate, qui objurgationibus, probris, omnisque generis injuriis ipsum appeterent; nam eadem patientia, mansuetudine, vultusque hilaritate tales excipiebat, qua tot inter ac tantas vicissitudines resplenduit, dum vel Moderatorum Ordinis, vel Sacræ Inquisitionis jussu hac illac errare, versarique coactus est. Quamquam vero Populi non solum, sed Viri Principes eximiam ejus sanctitatem, et superna charismata admirarentur; ea nihilominus erat humilitate, ut magnum se peccatorem reputans Deum enixe deprecaretur, ut sua ab eo illustria dona removeret; homines vero exoraret, ut in eum locum mortuum ejus corpus injicerent, ubi memoria sui ipsius esset prorsus obliterata. At Deus qui ponit humiles in sublimi, quique Servum suum dum viveret, cœlesti sapientia, prophetia, cordium perscrutatione, curationum gratia, ceterisque donis cumulatissime exornaverat, ejus quoque mortem iis, quibus ipse antea prædixerat, loco, ac tempore, anno ætatis suæ sexagesimo primo, Auximi in Piceno pretiosam reddidit, sepulchrumque gloriosum. Illum denique etiam post obitum miraculis coruscantem Benedictus Quartusdecimus Beatorum, Clemens Tertiusdecimus Sanctorum fastis adscripsit; ejus autem officium, et Missam Clemens Quartusdecimus ejusdem Ordinis ad Universam Ecclesiam extendit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 22.

IN illo tempore loquebatur Jesus Principibus Sacerdotum, et Pharisæis in parabolis dicens: Simile factum est Regnum Cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Lib. 2. Homiliar. Homil. 38. circa medium.

QUIA jam largiente Domino, nuptiarum Domum, idest Sanctam Ecclesiam, intrastis, solerter, Fratres, aspicite, ne aliquid de mentis vestræ habitu Rex ingrediens reprehendat. Cum magno enim cordis timore pensandum est, quod protinus subditur: Intravit autem Rex, ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Quid Fratres charissimi, exprimi per nuptialem vestem putamus? Si enim vestem nuptialem Baptisma, vel Fidem dicimus, quis sine Baptismate, et Fide has nuptias intravit? Eo enim ipso foris est, qui necdum credidit. Quid ergo debemus intelligere nuptialem vestem, nisi charitatem? Intrat enim ad nuptias, sed cum nuptiali veste non intrat, qui in Sancta Ecclesia assistens fidem habet, sed charitatem non habet. Recte enim charitas nuptialis vestis vocatur quia hanc in se Conditor noster habuit, cum ad sociandæ sibi Ecclesiæ nuptias venit.

Lectio viij.

SOLA quippe dilectione Dei actum est, ut ejus Unigenitus mentes sibi electorum hominum uniret. Unde et Joannes dicit: Sic enim dilexit Deus Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret pro nobis. Qui ergo per charitatem venit ad homines, eamdem charitatem innotuit vestem esse nuptialem. Omnis ergo vestrum, qui in Ecclesia positus Deo credidit, jam ad nuptias intravit: sed cum nuptiali veste non venit, si charitatis gratiam non custodit. Et certe, Fratres, si quis ad carnales nuptias esset invitatus, vestem mutaret, congaudere se Sponso et Sponsæ ex ipso sui habitus decore ostenderet, inter gaudentes, et festa celebrantes despectis vestibus apparere erubesceret. Nos ad Dei nuptias venimus, et cordis vestem mu-

tare dissimulamus. Congaudent Angeli, cum ad Cœlum assumuntur electi. Qua ergo mente hæc spiritualia Festa conspicimus, qui nuptialem vestem, id est charitatem, quæ sola nos speciosos exhibet, non habemus?

Lectio IX.

SCIENDUM vero est, quia sicut in duobus lignis, superiore videlicet, et inferiore vestis texitur: ita in duobus præceptis charitas habetur, in dilectione scilicet Dei, et Proximi. Scriptum quippe est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua, et proximum tuum sicut teipsum. Qua in re notandum est, quia in dilectione Proximi mensura amoris ponitur: cum dicitur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dei autem dilectio nulla mensura constringitur, cum dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota virtute tua. Non enim jubetur quisque quantum diligat, sed ex quanto, cum dicitur, ex toto; quia ille veraciter Deum diligit, qui sibi de se nihil relinquit. Duo ergo necesse est ut charitatis præcepta custodiat, quisquis habere in nuptiis vestem nuptialem curat.

Ad Bened. Ant. Ostendit mihi Dominus fluvium aquæ vivæ, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei, et Agni.

In II. Vesperis.

Ad Magnif. Ant. Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei.

Die 19. S. Jan. Ep. et M. Præcip. Patr. Regn. Neap.

Duplex 1. Classis cum octava.

Omnia ut in festo Translationis, p. 191*. *præter seq.*

Oratio.

DEUS, qui per beati Januarii Martyris tui atque Pontificis confessionem et sanguinem, admirabili testimonio ac triumpho Ecclesiæ tuæ Fidem illustrare dignatus es: quæsumus; ut ejusdem nos Fidei consortio et patrocinio munitos triumphi etiam et gloriæ participes efficias. Per Dominum.

Lect. I. Noct. Confitebor, *ec. de Com. Virg.* 2. *loco*, p. 70*.

In II. Noct. Lect. ut in Brev. sub hac die.

In III. Noct. Evang. et Homil. ut in Festo S. Barnabæ Ap. die 11. Junii, p. 740.

Die 25. B. M. de Socos,

DICTÆ DE CERVELLIONE, VIRG.

Duplex.

In I. Vesperis.

Ad Magnif. Ant. Flagellis, et catena Maria corpus domabat: silentio, et abstinentia animum custodiebat: Orationibus incessanter instabat, ducens Christi Sponsas vas corruptibile in sanctificatione, et honore possidere.

Oratio.

DEUS, qui nos conspicis in tot periculis constitutos pro nostra fragilitate non posse subsistere: concede propitius, ut, intercedente beata Maria famula tua, de præsentis vitæ fluctibus educti, ad æternæ salutis portum pervenire valeamus. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

MARIA nobili familia de Cervellione, Barcinone in Hispania nata, et a parentibus in Dei timore primis ab annis enutrita, virginitatem suam, cum decem et octo esset annorum, illi devovit. Ejus vivendi ratio erat: in publicum rarius prodire, ægrotantibus domesticis sedulo adesse; et in Nosocomio ter in hebdomada pauperibus ministrare. Annum trigesimum agens, defuncto Patre, habitum Ordinis sanctæ Mariæ de Mercede, prima ex feminis suscipiens,

Digitized by Google

Sanctimonialibus ejusdem Ordinis ducem, magistram, et exemplar se præbuit, ac distributo patrimonio in redemptionem Captivorum, professionem in eodem Ordine, una cum voto de laborando pro redimendis captivis, emisit.

Lectio v.

MATRE e vivis sublata cum aliquot honestis feminis, ejusdem instituti piam sanctamque vitam peregit: solita quotidie mulierum a suis Fratribus redemptarum, ac Barcinonam advenientium pedes in Hospitali domo lavare; quinquies in hebdomada Sacra Eucharistia refici; terque jejunare solo pane, et aqua contenta: quotidianis flagellis insuper, et ferrea catena corpus suum affligens. Silentium, quod mira observantia colebat, inanibus verbis nunquam infregit, ac parcius indulgens somno; expetebat ab hujusmodi necessitate liberari, ut illo solo frueretur incessanter, quo jucundantur Cœli, et Angeli lætantur. Quod diurni temporis supererat ab oratione, et pietatis exercitiis, in pauperes juvandos impendebat; nullum officii genus prætermittens, quo afflictos consolaretur, oppressos liberaret, et vinctos educeret de carceribus.

Lectio vj.

FUTURAS maris tempestates prænuntiabat, illasque sæpe suis orationibus sedavit: visa aliquoties super undas incedere, quo Fratres Captivorum redemptores, aliosque in Mari periclitantes servaret incolumes, unde ei Mariæ de subsidio, vulgo de Socos, nomen est inditum. Denique post multa virtutum insignia Barcinone migravit ad Dominum, decimo tertio Kalendas Octobris, anno salutis millesimo ducentesimo nonagesimo. Ejus corpus, ex quo suavissimus odor manabat, sepultum est in Ecclesia Fratrum Ordinis sui: quod nonagesimo post anno, Episcopo Barcinonensi, Petro Aragoniæ Rege, ceterisque Aulæ, et Civitatis primatibus adstantibus, solemni pompa elatum, incorruptum repertum fuit, ac decentiori in loco, ubi religiose colitur, asservatum.

In III. Noct. Homil. de Com. p. 68*.

Ad Bened. Ant. Adducentur in lætitia, et exultatione Regi Domino Virgines post Mariam ut in sanctitate et justitia serviant illi, et quocumque ierit, ipsum Agnum sequantur.

In II. Vesperis.

Ad Magnif. Ant. Mare et venti Mariæ obediunt, Angelici candoris virtute pollenti: aquæ multæ cesserunt ardori charitatis ejus.

FESTA OCTOBRIS.

Die 1. S. Greg. Arm. E. et M.

Duplex.

Ad Vesp. Ant. Gaude Mater Ecclesia, *cum reliq. de Laud. Psal. de Domin. et loco ult.* Laudate Dominum.

Capitulum. Jacobi 1.

BEATUS vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

HYMNUS.

LUX o decora Gregori
Nostris refulge mentibus.
Te prævio videbimus
Solem perennem gratiæ.
Tu clara gemma Præsulum.
Excellis inter Martyres.
Longos per anni circulos,
Tormenta passus horrida.
Tu voce curans corpora,
Cæcasque mentes inclytus.
Illuminans miraculis,
Nutu fugasti dæmones.
Bonis procul fugacibus
Amplexus es cœlestia,
Spretoque mundo, Cœlitum.
Gaudes potitus præmiis.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio.
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, et per omne sæculum. Amen.

℣. Gloria, et honore coronasti eum Domine.

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ad Magnif. Ant. O Lux Ecclesiæ, Doctor veritatis, Pontifex Armeniæ, norma charitatis, prædicator gratiæ, deprecare pro nobis Filium Dei. Allelujá.

Oratio.

DEUS, qui per beatum Gregorium Pontificem, et Martyrem tuum Armeniæ gentis populum, Regemque veræ fidei lucem recipere tribuisti: da Ecclesiæ tuæ de tantis gaudere triumphis, et apud te meritis ejusdem, et precibus adjuvari. Per Dominum.

Deinde fit commemor. S. Hieronymi, ac S. Remigii Ep. et Conf.

Ad Matutinum

Hymnus. Lux o decora, *ut supra.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Probatus in Christo, et perfectus inventus est, ideo data est illi gloria æterna.

2. Præcepto Regis non obedivit Gregorius, coronas aureas diis offerri præcipientis.

3. Præco salutis doctrina Evangelica Armenos erudivit.

℣. Gloria, et honore coronasti eum Domine.

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Lect. A Mileto, *cum* ℟. *de Com.*

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. Suspensus in equuleo Gregorius laudabat Dominum Salvatorem.

2. Glorificavit eum Dominus in conspectu Regis, et ostendit illi gloriam suam.

3. Quasi Sol refulgens, sic effulsit Gregorius in Templo Dei.

℣. Posuisti Domine super caput ejus.

℟. Coronam de lapide pretioso.

Lectio iv.

GREGORIUS Armeniæ Regibus ortus, cum Patris Anàci tota familia ad necem usque quæreretur, infans clam ereptus, Cæsareæ Cappadociæ educatus est. Adolescens Christianam legem una cum baptismo suscepit, duosque ex legitima uxore genuit filios Otthanem, et Arostanem, quos adeo in fide Christi erudivit, ut sanctissime uterque vitam finierit. Secesserat Cæsaream Teridates Cursari olim Armenorum Regis ab Anàco dolose interempti filius, a Persis ditione paterna spoliatus, cui Gregorius, non ignorans paternum scelus, se se in servitutem tradidit, et cum eo in Armeniam, restituto ei a Romanis Regno, post multos annos rediit. Ibi a Teridate sæpius tentatus, ut Idolis sacrificare vellet, cum renuisset constantissime, innumera tormentorum genera subire coactus est, ut pene incredibilia videantur.

Lectio v.

NAM primo deducitur in tetrum carcerem: in os ejus lignum immittitur, quod violentissime ab inferiori parte superiorem disjungeret: onerantur humeri glebis salis, qui apud Armenos est fossilis: funibus sanctum corpus alligatum in sublime trahitur: post diem septimum e sublimi demittitur, altero pede suspenso, et igne admoto, fumoque supposito, virgis interea sævissime cæditur: crura tabulis, et fune constringuntur, ita ut effluueret sanguis per summos pedes: qui clavis confixi celerare gressus mox coguntur: caput fabrili quodam instrumento interceptum comprimitur: per fistulam e naso ad cerebrum sal aceto mixtum, et nitrum transfunduntur: calatho fuligine pleno caput ipsum obruitur, ut soffocetur: ferreis ungulis excarnificantur latera, et a subjectis muricibus ferreis immanissime cruciantur: genua tibialibus ferreis vestiuntur, quæ cuneis item ferreis obfirmantur: plumbum liquefactum in os ejus infunditur: sed invictus Gregorii animus Christi fide, speque munitus, tormentis non cessit unquam, et divina virtute sanatus, constantior prædicabat Christum. Unde Teridates actus in rabiem ob patris etiam necem, quam postea cognovit ab Anàco factam, ligatum collo, manibus, et pedibus, in lacum Artaxat eum dejici jubet moriturum.

Digitized by Google

Lectio vj.

POST annos quatuordecim divina providentia factum est, ut Teridates, quasi alter Nabuchodonosor probatus, Gregorii velut redivivi se se ad pedes abjecerit, quem cum Satrapis Regni, mysteriis initiatum, jejunio longo purgavit, narrata cœlesti visione recreavit; et miraculosa diversarum ægritudinum curatione confirmavit. Quare propriam detestatus Rex contra eum crudelitatem, ipsemet Deorum templa destruxit. Ecclesias vero Deo ædificavit, pretiosas vestes, prædia, thesauros pro divino cultu elargitus. Exposcebat Rex Gregorium Episcopum, quem dubitantem Angelus e Cœlo animavit ad onus, et a Leontio Cæsareæ Episcopo, rogante Rege, consecratus est. Armeniæ fines, cum rediret, vix ingressus, oratione sua templum Herculis a fundamentis evulsit, et alterum erexit, in quo sancti Joannis Baptistæ, et martyris Athenogenis sacras reliquias collocavit. Ingentem hominum multitudinem baptizavit, exorta in cujusque capite mirifica cruce. Aperuit sacrarum litterarum gymnasia. Persis, Assyriis, Hunnis, et Medis ad Christianam Rempublicam aditum fecit, quibus et Episcopos dedit, et Sacerdotes, et Monachos, multis ab eo ædificatis Monasteriis. Tandem quietis, et otii divini cupidissimus, Arostane filio, petente Rege, sibi suffecto, in solitudinem cum paucis alumnis abiit, ubi jejunio plane admirabili, et contemplationi deditus obdormivit in Domino plenus dierum, Constantino Magno Imperatore. Ejus sacras reliquias Christiani ex Armenia ab hostibus capta fugientes, in Italiam transtulerunt, et Neapoli sacrum ejus caput cum catenis, quibus vinctus, et virgarum fragminibus, quibus cæsus fuerat, deposuerunt in nobili Ecclesia in ejusdem honorem erecta. Brachium vero in Ecclesia Cathedrali Neritonensi, cujus Cives Sancti viri miracula sæpius experti, præsertim in impetrandis a Domino pluviis, eumdem sibi Patronum elegerunt.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. Fuit magnus in Armenia magna, maximus in salutem electorum Dei.

2. Directus est divinitus in pœnitentiam gentis, et tulit abominationem impietatis.

3. Virtutes multas, et miracula per beatum Gregorium Dominus fecit, alleluia.

℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo.

℟. Gloriam et magnum decorem impones super eum.

In III. Noct. Lect. de Homil. in Evang. Si quis venit ad me, p. 19*.

℟. VIII. Gaudet in cœlis beatus Gregorius Armeniæ Pontifex, gloria, et honore coronatus: * Qui pro Christi nomine varios, et graves sustinuit cruciatus ℣. Dedit illi Dominus fortitudinem, et usque in senectutem permansit illi virtus. Qui. Gloria. Qui.

Nona Lectio de Sancto Remigio.

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Gaude Mater Ecclesia, adsunt festa solemnia Armeniæ Pontificis, et martyris Gregorii.

Psalmi de Laud. Dom. p. 13.

2. Lapide ad collum ligato prædicabat Gregorius Dominum Jesum Christum.

3. Sollicitus Pastor gregis Christi fuit Gregorius ac strenuus dæmonum debellator.

4. Idolorum templa destruxit, et sanctis martyribus nobiles Basilicas ædificavit, alleluja.

5. O lux Armeniæ! qui martyrio coronari, et inter Pontifices numerari digne meruisti.

Cap. et Hymn. ut in I. Vesp.

℣. Justus ut palma florebit.

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Bened. Ant. O pastor egregie Gregori, lux Armeniæ! qui radiante lumine cum Angelorum agmine

Digitized by Google

Regem vidisti gloriæ ; vota precantium suscipe, qui laudes tuas hodie personant, alleluja.

Deinde fit comm. S. Remigii.

In II. Vesp. omnia ut in primis.

℣. Justus ut palma florebit.

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Magnif. Ant. O Gregori, martyr Christi, esto memor nostri, ut tuis precibus adjuti æterna gaudia mereamur consequi, alleluja.

Deinde fit comm. SS. Angelorum Custodum.

Die 3. Ss. Festi et Soc. MM.

Semiduplex.

Oratio de comm. pl. MM. Deus qui nos annua, *p.* 29*.

In I. Noct. lect. de script. occur.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

FESTUS Sancti Januarii Beneventi Episcopi Diaconus, et Desiderius lectorDiocletiano et Maximiano in Christianos sævientibus ad Timothæum Campaniæ Præsidem, ob Christianæ fidei professionem. Nolam perducuntur. Ibi comprehensi vinctique una cum Episcopo, ante rhedam Præsidis Puteolos pertrahuntur, et in eumdem carcerem, in quo Sosius Misenas, et Proculus Puteolanus diaconus, Eutyches et Acutius laici ad bestias damnati detinebantur, simul conjiciuntur.

Lectio v.

POSTERO die omnes in amphitheatro feris objecti sunt, quæ naturalis oblitæ feritatis, ad Januarii pedes se prostravere. Id Timotheus magicis cantionibus tribuens, cum sententiam capitis in Christi Martyres pronuntiasset, oculis repente captus, orante mox beato Januario, lumen recepit : quo miraculo hominum millia fere quinque Christi fidem susceperunt.

Lectio vj.

VERUM ingratus judex nihilo placatior factus beneficio, sed conversione tantæ multitudinis actus in rabiem, veritus maxime Principum decreta, sanctum Episcopum cum sociis gladio percuti jussit. Horum corpora finitimæ urbes, pro suo quæque studio certum sibi Patronum ex iis apud Deum adoptandi, sepelienda curarunt.

In III. Noct. Homilia S. Hilar. Ep. in Evang. Sedente Jesu, *ut in Prop. SS. die 19. Septembr. in corpor. Brev.*

Die 9. B. M. Franciscæ

A VULNERIBUS D. N. I. C.

Virg. Duplex Minus.

Oratio.

DOMINE Jesu, qui beatam Mariam Franciscam Virginem inter ceteras dotes in Mundi contemptu mirabilem effecisti, ejus quæsumus meritis, et intercessione concede nobis terrena despicere, et cælestia semper inquirere. Qui vivis, et regnas etc.

Lect. I. Noct. de script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

MARIA Francisca a quinque Vulneribus Jesu Christi, honestis parentibus Neapoli orta ab ipsa pene infantia sanctitatis indicia præbuit. Adhuc enim puella Angelorum Panem esuriebat, et Christi Domini cruciatus mente revolvens grati animi sensu et mœrore afficiebatur. Septennis ex Sacerdotis consilio qui ei a sacris confessionibus erat, Eucharistia refecta Deo prorsus adhæsit. Quum sextum decimum annum ageret cœlestem Sponsum anhelans, nulla vi nulla ratione adduci potuit, ut divites nuptias iniret. Igitur aliquanto post assentiente Patre domi suæ Tertii ordinis S. Francisci habitum induit ex Institutis S. Petri de Alcantera, ac religiosa vota nuncupavit.

Lectio v.

SUSCEPTI instituti leges quamvis rigidas perbelle implevit, et

corpus suum uti hostem dure habuit. Jejuniis enim, vigiliis, flagellis asperrimisque ciliciis ipsum atterebat, licet infirma valetudine, et aliquando etiam labori obnoxia, quo sibi, et sororibus consuleret. Neque noctu quieti se dabat, quum brevem somnum caperet super duas tabulas ovina tantum pelle contectas. Adeo vero pati exoptabat, ut ingravescente ætate, morbisque attrita ægre in commodiori lecto jacuerit, quo Medicorum, ac spiritus sui moderatoris jussa perficeret. Modico pane vescebatur, cui addebat absinthium. Æquo animo injurias hominum, et convicia, dæmonum vexationes perferebat.

Lectio vj.

VIRGINITATEM ita coluit, ut eam Dei ope suffulta ab impudentium insidiis, atque aperta vi intactam servaverit, et jucundum sæpe spiraret odorem. Ejus cor divini amoris igne ita æstuabat, ut duas costas perfregerit. Cœlestibus rebus intenta frequenter in extasim est rapta, et quandoque e terra sublata. Deiparam Virginem uti matrem ex animo habebat, et impense venerabatur. Ægros, inopes, vexatos qua poterat ratione reficiebat, solabatur, ac flagitiosos homines qua hortatu, qua ad Deum effusa prece ad bonam frugem reducebat. Superbis licet cumulata donis ita de se abjecte sentiebat, ut multis culpis obnoxiam, ac se dignam profiteretur quam Deus in nihilum redigeret. Diutinis tandem absumpta morbis patientissime latis ad Cœlestem Sponsum migravit pridie nonas Octobris annos nata septuaginta septem. Eam post mortem prodigiis claram Gregorius XVI. Pontifex Maximus anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio inter Beatas Virgines recensuit.

In III. Noct. Homil. de Com. I. loco, p. 68*.

Die 10. S. Ludovici Ber. C.

Oratio

DEUS, qui beatum Ludovicum Confessorem tuum per corporis mortificationem et fidei præconium, Sanctorum gloriæ coæquasti, præsta, ut quod fide profitemur, pietatis operibus jugiter impleamus. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

LUDOVICUS Bertrandus, Valentiæ in Hispania Tarraconensi honestis, piisque parentibus natus, ab ipsa pene infantia sanctitatis, ac pœnitentiæ tyrocinium inchoavit. Exacta pueritia interdum nuda cubabat humo, noctes sæpe ducebat insomnes, ac in pietatis et charitatis officia sedulus incumbebat. Mundi contemptu, ac Religiosæ vitæ ardore succensus, Parentum artes, quibus eum a sancto proposito dimovere conabantur, mira constantia superavit. Sui tandem voti compos effectus, Prædicatorum Ordini nomen dedit, ubi brevi tantum profecit, ut vel provectioribus ipsis, quamvis tyro, fuerit exemplo. Emissa professione, mirum, quot, et quantis virtutum incrementis priorem vitæ rationem cumularit. Jejuniis, flagellis, ciliciis, vigiliisque carnem domans, mentem jugi orationis pabulo nutriebat; ex quo tantum internæ animi modestiæ, ac puritatis hauriebat, ut vel in ejus oculis, ac vultu appareret.

Lectio v.

ADHUC juvenis Novitiorum præfectus institutus, eos ad omnem verbo, et exemplo sanctimoniam efformabat. Ad Occidentales Indos Evangelicus Prædicator missus, quamvis uno tantum Hispanico uteretur idiomate, eum tamen diversæ, atque inter se dissitæ Nationes sua veluti loquentem lingua, singulæ audiebant, ex quibus innumeros ad Christianam Fidem adduxit; ibique venenum non semel sibi a Barbaris propinatum, innoxie hausit. Publicam vitiorum objurgationem, tamquam in se unum directam Nobilis quidam ulturus,

Digitized by Google

mortem Ludovico intentat, cum strictus in eum sclopus in Crucifixi formam repente convertitur. Quo miraculo nefarius aggressor permotus, ad sancti viri pedes provolutus, tanti facinoris veniam enixe deprecatur.

Lectio vj.

HUMILITATE, ac patientia insignis illud ideutidem usurpabat, Domine, hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in æternum parcas. Prophetico afflatus spiritu multa prædixit. Ignem signo Crucis extinxit, tempestatem sedavit, ferarum impetus cohibuit, mortuis vitam, cæcis visum, claudis gressum, surdis reddidit auditum. Tandem durioris pœnitentiæ laboribus fractus, in morbum incidit, sacrisque Mysteriis rite expiatus, migravit in Cælum, septimo Idus Octobris, anno millesimo quingentesimo octogesimo primo, ætatis vero suæ quinquagesimo quinto. Quem multis etiam post obitum miraculis clarum Paulus quintus Beatorum, Clemens vero decimus Sanctorum numero adscripsit. Ejus demum festum Alexander octavus instante Rege Catholico, ab universo ditionis ipsius Clero sæculari, sub ritu duplici celebrandum decrevit, Sanctumque confessorem novi Regni Granatensis Patronum Apostolica auctoritate declaravit.

In III. Noct. Homil. ut de Commun. I. loco, p. 56*.

Die 12. S. Pulcher. V. Imp.

Duplex Majus.

Oratio.

DEUS, qui beatam Pulcheriam Virginem tuam singulari castitatis prærogativa decorasti, quique illi ad defendendam Ecclesiam tuam summum Fidei amorem tribuere voluisti: concede; ut ejus intercessione tibi puris mentibus inhærentes, ab omnium hostium insidiis misericorditer liberemur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. De Virginibus, *de Commun.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ÆLIA Pulcheria Augusta, Patre, Avo, Fratre, atque Viro Romanorum Imperatoribus maxime nobilis, profligatis sua præsertim opera Hæreticorum erroribus, et Catholico Dogmate circa Incarnationis Mysterium, et Divinam Maternitatem constituto multo nobilior, ab ipsa pueritia tanta sapientia divinitus prædita fuit, ut ii, quibus post Arcadii patris obitum Imperii procuratio, dum Theodosius adolesceret, commissa fuerat, ejus arbitrata omnia facerent: esset-que constans opinio, unius puellulæ virtute ac sapientia, quæ instare atque ingruere videbantur, pericula discussa, et felicitatem Imperio constitutam. Domi assidua disciplinæ exactrix eam vivendi formam induxit, ut illa jam non Aula Imperatorum, sed Asceterium vulgo diceretur. Theodosium fratrem, Eudoxiam, quam illi matrimonio conjungendam curavit, Placillam, Arcadiam, Marinam sorores ita imbuerat bonis moribus, exercebatque ad virtutem; ut quibus ætate non multum præstabat, eorum moderatrix ac propemodum Mater esse videretur. Qua institutione Sorores quantum profecerint, vel ex hoc uno intelligi potest, quod Pulcheriam imitatæ se, suamque Virginitatem Deo devoverunt; utque Augusta Virgo ea, quæ decreverat, amplius confirmaret, omnesque voluntatis suæ testes haberet, ex auro, et pretiosis lapidibus Sacram mensam in Ecclesia Constantinopolitana pro Virginitate sua, et Fratris Imperio dedicavit, et in fronte ipsius mensæ hæc eadem scripsit.

Lectio v.

POTIOR autem ejus in Theodosio instituendo eluxit cura; eumque, ubi opus esset, mira quadam dexteritate corrigebat; qui quidem talis est effectus, ut absolutissimum optimi, vereque Christiani Principis exemplar fuerit, dum Pulcheriæ consiliis est obsecutus. Post diuturnam

Digitized by Google

cum fratre concordiam, turbis malevolorum fraude, atque obtrectatione in aula excitatis, tempus nacta quo sibi jam uni, Deoque vacare posset, secessit in Hebdomum, locum Byzantio suburbanum, ibique vitam agens pene monasticam aliquandiu se continuit. Cum vero felicitas Imperii una cum ea exularet, a fratre accersita, ubi deesse vidit qui prælia Domini pugnaret, Deboram imitata, fide ac Religione armata processit, et missis in omnem partem Epistolis hortando, monendo, minitando, non pecuniæ, non laboribus parcens, digna effecta est, quam Patres Concilii Chalcedonensis una omnium voce, atque præconio Custodem Fidei, pacis Conciliatricem, Expultricem Hæreticorum, Piam, Orthodoxam, novam Helenam (sicut Marcianum tunc Imperatorem, novum Constantinum) consalutarent; cuique sanctus Leo totius Romanæ Ecclesiæ nomine plurimum gratularetur, ejusque causa exultare se diceret, ac digna Deo vota persolvere, quod de Nestoriana primum impietate, mox de nefario Eutychetis errore perempto duplicem illi et palmam contulerat, et coronam.

Lectio vj.

ATQUE hæ tantæ curarum moles, quas præsertim in Ephesino ac Chalcedonensi Conciliis Romanorum Pontificum auctoritate convocatis necessario susceperat, nihilo illam ad cetera Christianæ pietatis officia obeunda fecere segniorem. Assidua cœlestium rerum contemplatione, Sacrorum Librorum lectione, corporis afflictationibus sponte susceptis se exercebat; psalmos de nocte surgens una cum Regiæ familiæ Principibus decantabat: Dei, ac Sanctorum (quorum et colloquio non semel dignata est) cultrix eximia; quæ etiam summopere semper contendit, ut erga eorum Reliquias cultus augeretur. Deiparam in primis coluit, cui hanc ipsam Deiparæ appellationem contra Nestorianorum blasphemias asseruit, voluit namque summa Sapientiæ suæ dispositione Divina providentia, ut per Virginem summa Virginis dignitas inoffensa penitus servaretur; quam etiam est imitata servando perpetuam in ipso conjugio Virginitatem: cujus denique cultui amplificando complura Templa regali plane magnificentia excitavit, donariis auxit, reditibus locupletavit. In placanda Divina Justitia mira pietate enituit. Fuit erga pauperes misericordia plane singulari: quos et materna quadam charitate complexa est quoad vixit, et moriens eorum, quæ assidua effusissimaque liberalitas reliqua fecerat, scripsit hæredes. Quod cautum ab ipsa testamento fuit, diligenter curavit Marcianus, quem pari Religionis studio, rebusque omnibus Imperio dignissimum ipsa evexerat ad Imperium, sibique hanc ipsam ob causam, salva, quam Deo voverat, Virginitate, conjugem delegerat. Obiit anno quadringentesimo quinquagesimo tertio, magno omnium luctu, maximisque Sanctorum Patrum, ceterorumque ejus ævi Scriptorum laudibus celebrata.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 17.

IN illo tempore: Dixit Jesus: Hæc est autem vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. Et reliqua.

Homilia sancti Cyrilli Alexandrini.

De Fide ad Pulcheriam, et Sorores.

SANE vos sacras castissimasque Christi omnium nostrumSalvatoris sponsas,religiosissimæ, ac Deo dilectissimæ Imperatrices, orbis terrarum ornamentum, sanctissimarumque Ecclesiarum decus optimo jure quisquis appellaverit, in quibus nimirum omne virtutum genus,omnisque ornatus Divinæ Majestatis oculis gratus acceptusque mirifice splendet.Neque his opibus contentæ omnem quoque curam omnemque studium adhibetis, quo fide recta nul-

lamque in partem vacillante excellatis. Neque Christi regnum capessere, et ea, quæ illi grata sunt, facere, et sentire omittitis, partim quidem præclaris actionibus, partim rursum cum vestras, tum Principum quoque vestrorum aulas Virginitatis gloria condecorantes, partim denique sumptuosissima Templa Christo Domino excitantes: nam et hoc quoque pietatis studium inter cetera ille sanctis vestris animis impertitus est.

Lectio viij.

IGITUR ex sacris litteris vobis vere sanctis Christi Sponsis (quamquam ad quodvis opus bonum abunde instructæ videamini) aliquid depromam. Hinc etenim et Emmanuelem verum ac naturalem Deum, et Virginem Matrem, quæ eum peperit, veram per ipsum Deiparam esse planum fiet. Ait Christus: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. Si cum solius, verique Dei cognitione Jesu Christi cognitionem necessariam consociatamque esse oportet, et hoc ipsum æternam vitam conciliat; cui obscurum esse potest Christum verum esse Deum? Verbum sane caro factum est, sed mansit interim Verbum.

Lectio ix.

ET ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis; ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Qualem itaque gloriam Filius a Patre accepisse se narrat, quam nobis deinde communem fecerit? sane ipse ab hac quæstione nos liberat, dum ait; ut unum sint, sicut et nos unum sumus. Nam etsi Dei Patris Verbum, secundum propriam hypostasim, aliud a Patre esse dignoscatur; naturali tamen identitate unum plane et idem est cum illo. At quo pacto Verbum illud unum quoque nobiscum factum est? Ad eumdem omnino modum, puta secundum essentialem, et naturalem identitatem. At cum Divina natura tanto a creatura distet intervallo, ut secundum essentiam cum ea coire nequaquam valeat, ecquo, inquis, modo secundum naturam unum ille factus est nobiscum, qui omnem omnino creaturam excellit? Verbum factum est homo; ut quemadmodum in Deitate unum et idem est cum Patre, ita secundum naturæ humanæ habitudinem sit unum quoque nobiscum.

Die 14. S. Fortunatæ V. M.

Duplex.

Oratio. Deus, qui inter cætera, *de Com. Virg.* p. 62*.

In I. Noct. Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

FORTUNATA virgo Cæsareæ in Palæstina nobili genere nata, Fratres habuit, eosdemque Fidei Magistros Carponium, Evaristum, et Priscianum, quibus una cum aliis in persecutione Diocletiani sub Urbano præside comprehensis, cum limina carceris pia Soror frequentaret, ut qualecumque valeret auxilium Christi confessoribus præberet, judici delata in vincula conjicitur. In iis, tum impiæ Matris conatus, precesque nefarias, tum Præsidis minas et oblatas filii nuptias velut hostes Fidei, ac Martyrii, quod unice concupiverat, constantissime superavit. Cum autem in interiora carceris penetralia, ubi Fratres, et Socios detineri cognoverat, a Custodibus admitti obtinuisset, ac mutuis se orationibus, rerumque Divinarum colloquiis, ad ultimum Fidei certamen confirmarent, vox de Cœlo resonuit, qua omnium vota nuntiabantur exaudita, et aliis quidem per leviora tormenta. Fortunatæ vero per longe duriorem agonem Martyrii corona spondebatur.

Lectio v.

SÆVIENTE igitur Urbano, fortissima Virgo capillis divulsis, et vestibus per ignominiam dilaceratis, per Urbem circumducitur: Moxque ferreis, acutisque serræ dentibus mediam secare, tortores aggressi,

Digitized by Go

carnem ejus Divinitus obduratam, nunquam lædere potuerunt. In Amphiteatro feris objecta, non modo illæsa permansit, sed leonem ferocissimum in Præsidem irruentem, solo imperio coercuit: quo tamen beneficio nihilo mitior redditus Tyrannus talos eidem terebrari, clavisque configi, ac tandem post equuleum, ignesque superatos, caput amputari præcepit. Ea sententia primum in fratres executioni demandata est. Sed cum ad Fortunatam lictor accederet, visis repente Angelorum, et Virginum Choris, terrefactus obriguit. animo simul, et viribus destitutus. Illa vero repetitis de Cœlo vocibus, ad coronam evocata post brevem orationem invictum spiritum Deo reddidit, et ibidem una cum Sanctis fratribus a Christianis sepelitur.

Lectio vj.

SANCTORUM Martyrum corpora clam inde subducta, transvehentibus quibusdam nautis, ecce Angeli de Cœlo descendentes in prora navis consederunt, Davidicum illud concinentes: Gloria hæc est omnibus Sanctis ejus. Ad hæc mira consternati quotquot aderant, ab ipsamet Fortunata Beatissima inter Angelos apparente, bono animo jubentur esse, illos itineris duces a Deo missos habituri. Ipsis itaque præsentibus Campaniæ littus feliciter appulsi, sacra Martyrum Lipsana deposuere: quæ plurimis coruscantia miraculis ibidem tamdiu quievere, donec regione a Vandalis, Maurisque devastata, Stephanus Neapolitanus Episcopus ea Neapolim transferri curavit, Adriano Primo Summo Pontifice, Constantino et Irene imperantibus. Porro sedente Pio Quarto venerabiles Reliquiæ iterum inventæ sunt in Ecclesia Sanctimonialium Sancti Gaudiosi, in qua ad hanc usque diem pridie Idus Octobris magna populi veneratione coluntur.

In III. Noct. Homil. in Evang. Simile erat, etc. *de Communi.*

Die 17. S. Irenes V. M.

Duplex minus.

Oratio Deus qui inter cætera, *de Com. Virg. pag.* 62.* *Lect. I. Noct. de script. occurr. reliq. de eod. Com. I. loco.*

Die 21. SS. Urs. et Soc. MM.

Duplex.

Antiph. in vesp. et laud. Prudentes virgines aptate vestras lampades: ecce sponsus venit, exite obviam ei.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Domine Deus noster, SS. Virginum et MM. tuarum Ursulæ et sociarum eius palmas incessabili devotione venerari, ut quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum.

In I. Noct., Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

GRATIANO imperatore, Flavius Clemens Maximus romani exercitus in Britania dux, arrepta tiranide imperator a militibus acclamatur. Inde copias in Gallias transmittens ab infensis Gratiano legionibus exceptus imperium sibi corroborat. Cumque Armoricorum uberem regionem, ejectis antiquis habitatoribus, britannicis militibus, quos secum junxerat, divisisset; quo novas colonias propagaret in posteros, Connani britannici reguli consilio (quem britannorum ducem habebat in exercitu) legatione missa in Britanniam singulis militibus novis colonis singulas virgines conjugio fœderandas postulat.

Lectio v.

HAUD visa Britanniæ regulis absurda petitio, unde in gratiam novi imperatoris, et quod filias suas nonnisi gentilibus suis, iisque donatis nova provincia prædivitibus honestissime collocandas scirent, pro numero militum totidem delectæ sunt

Digitized by Google

virgines, quarum princeps erat Ursula, Dionoci Cornubiæ Regis filia desponsata Conano duci britannorum militum in exercitu Maximi. Cunctæ igitur Londini collectæ impositæ sunt invitæ navigiis. Solventes nautæ dum Armoricorum regionem cogitant, a sæva procella in Germanicum littus dejiciuntur.

Lectio vj.

CONTIGIT adesse tunc ibi Hunnorum copias, quas a Gratiano imperatore adversus Maximum evocatas ferunt. Nacti igitur barbari præclarum illud virginum agmen, impotenti libidinis æstu furentes in eas irruunt. Sed cum hortante Ursula mortem potius oppetere, quam virginei pudoris jacturam pati invicto animi vigore decrevissent, Hunni in rabiem immanitatis conversi ad unam omnes trucidant. Sicque Ursula super comitum suarum, velut cœlestium margaritarum acervum, gloriosa victima procumbens, purpura pro Christo fusi sanguinis decorata, triumphatorem tot virginum exercitum, geminis nempe virginitatis et martyrii laureis insignem ducens, cœlum victrix intravit. Quarum corpora Colonienses summo honore condiderunt, earumque illustrem agonem Christianus orbis florenti semper memoria celebrat.

In III. noct. lect. de homil. Sæpe vos, p. 68*.

Die 24. S. Raphael. Arch.

Duplex ii. classis.

Ad Vesperas Antiphona. Missus est Angelus, *cum reliq. de Laud. ut infra.*

Psal. Dixit Dominus, *cum reliq. de Dom. p. 86., et loco ultim. Psalm.* Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum *Tob.* 12.

QUANDO orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.

Hymnus.

TIBI, Christe, splendor Patris,
Vita, virtus cordium,
In conspectu Angelorum
Votis, voce psallimus,
Alternantes concrepando,
Melos damus vocibus.

Collaudamus venerantes
Omnes cœli principes,
Sed præcipue fidelem
Medicum, et Comitem
Raphaelem, in virtute
Alligantem dæmonem.

Quo Custode procul pelle,
Rex Christe piissime,
Omne nefas inimici,
Mundo corde, et corpore:
Paradiso redde tuo
Nos sola clementia.

Gloriam Patri melodis
Personemus vocibus:
Gloriam Christo canamus,
Gloriam Paraclyto,
Qui trinus et unus Deus
Extat ante sæcula. Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.

℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

Ad Magnific. Antiphon. Ego sum Raphael Angelus, qui asto ante Dominum: vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus, alleluja.

Oratio.

DEUS, qui Beatum Raphaelem Archangelum Tobiæ famulo tuo comitem dedisti in via: concede nobis famulis tuis, ut ejusdem semper protegamur custodia, et muniamur auxilio. Per Dominum.

Ad Matutinum, Invitatorium. Regem Archangelorum Dominum, * Venite adoremus.

Psal. Venite exultemus. 1.

Hymn. Tibi, Christe, splendor, *ut supra.*

Ant. Ingressus Tobias invenit juvenem præcinctum, et quasi paratum ad ambulandum, et ignorans quod Angelus esset salutavit eum.

Digitized by Google

Psal. 8. Domine Dominus, p. 4.

Ant. Angelus Raphael seipsum occultans, ait: Ego sum Azarias magni Ananiæ filius.

Psal. 10. In Domino confido, p. 5.

Ant. Sanum ducam filium tuum in regione Medorum, et sanum tibi reducam, allel.

Psal. 14. Domine quis, p. 7.

℣. Data sunt Angelo incensa multa.

℟. Ut adoleret ea ante altare aureum, quod est ante oculos Domini.

De libro Tobiæ.

Lectio i. Cap. 12.

VOCAVIT ad se Tobias filium suum, dixitque ei: quid possumus dare viro isti sancto qui venit tecum?et respondens Tobias, dixit patri suo: Pater, quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? Me duxit, et reduxit sanum, pecuniam a Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit, et dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus ejus fecit, meipsum a devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cœli, et bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare? Sed peto te pater mi, ut roges eum, si forte dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata sunt, sibi assumere.

℟. In illo tempore exauditæ sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei;* Et missus est Angelus Domini Sanctus Raphael, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ. ℣. Tobias et Sara in tribulatione positi, cum lacrymis orare cœperunt. Et missus.

Lectio ij.

ET vocantes eum pater scilicet, et filius, tulerunt eum in partem et rogare cœperunt, ut dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere. Tunc dixit eis occulte: Benedicite Deum Cœli, et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Etenim sacramentum regis abscondere, bonum est: opera autem Dei revelare, et confiteri, honorificum est. Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna magis quam thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam, et vitam æternam. Qui autem faciunt peccatum, et iniquitatem, hostes sunt animæ suæ. Manifesto ergo vobis veritatem, et non abscondam a vobis occultum sermonem. Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.

℟. Egressus Tobias invenit juvenem splendidum, stantem præcinctum et quasi paratum ad ambulandum, et salutavit eum, et dixit: * Unde te habemus, bone juvenis, allel. ℣. Et ignorans, quod domini Angelus esset,, salutavit eum, et dixit. Unde te habemus.

Lectio iij.

ET nunc misit me Dominus, ut curarem te,et Saram uxorem filii tui a dæmonio liberarem. Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex septem qui astamus ante Dominum. Cumque hæc audissent, turbati sunt et tremente cecideruntsuper terram in faciem suam. Dixitque eis Angelus: Pax vobis, nolite timere. Etenim cum essem vobiscum, per voluntatem Dei eram: ipsum benedicite, et cantate illi. Videbar quidem vobiscum manducare, et bibere, sed ego cibo invisibili, et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor. Tempus est ergo, ut revertar ad eum, qui me misit: vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus. Et cum hæc dixisset, ab aspectu eorum ablatus est, et ultra eum videre non potuerunt. Tunc prostrati per horas

Digitized by Google

tres in faciem, benedixerunt Deum, et exurgentes narraverunt omnia mirabilia ejus.

℟. Ingressus Angelus ad Tobiam, salutavit eum, et dixit: Gaudium sit tibi semper: * Forti animo esto, in proximo enim est, ut a Deo cureris, alleluja. ℣. Et respondens Tobias, ait: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video? Forti. Gloria. Forti.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Dixit autem Angelus: Apprehende branchiam piscis, et trahe eum extra aquas.

Psal. 18. Cœli enarrant *p.* 10.

Ant. Obsecro te, Azaria frater, ut dicas mihi, quod remedium habebunt ista, quæ de pisce servare jussisti.

Psal. 23. Domini est terra. *p.* 21.

Ant. Lumina fel sanat; sed virtus cordis et jecoris, diaboli expellit potestatem.

Psal. 33. Benedicam, *p.* 35.

℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini, alleluia.

℟. De manu Angeli, alleluja.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 1. in Dominica XV. de S. Tobia, qui est. 226. de Temp.

Lectio IV.

BEATUS Tobias, qui panem suum noverat frangere esurienti, mercedem celerem mercenario præparat laboranti. Patienter lectione percepta, quæ nuper est recitata, admirabamur patris filiique tractatum, quemadmodum Angelus monet, quem æstimabant terrenum sub cælesti gloria mercenarium. Ad hoc enim cæcitatis incurrit exitium, ut Angelum susciperet medicum, qui divinis facibus incensus, sic anhelavit. Honesta est oratio cum jejunio, et eleemosyna. Oratio justi clavis est cœli: ascendit precatio et descendit Dei miseratio. Licet alta sit terra, altum cœlum, audit tamen Deus hominis linguam, si mundam habeat conscientiam. Cum sensibus loquimur, si sit solus noster gemitus. Sufficit auribus imber oculorum: fletus citius audit, quam voces. Oratio invidi solet de auribus propulsari. Erat patris, et filii anima una; dum esset proprietas membrorum, erat illis singularis germanitas animorum. Fili, inquit, dimittamus istum hominem, adjicientes ad mercedem placitam; quia nobis multa operé suo contulit bona. Et rogare cœpit mercenarium, ut mercedis suæ sumat effectum. Frater, inquit, accipe quod tuum est, et tunc vade salvus. Recipe mercedem tuam, quia mihi, et filio meo bonam præbuisti misericordiam. Tolle ut dixi, substantiam, quam cum filio meo reportasti; nam gratia, quam tibi debemus, non potest ponderari.

℟. Interrogavit Tobias Angelum: De qua domo, aut de qua tribu es tu? qui respondens, ait: * Ego sum Azarias Ananiæ magni filius, alleluja. ℣. Genus quæris mercenarii, an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat? Sed ne forte solicitus sis. Ego.

Lectio V.

CONTINUO Angelus gaudet de cogitata mercede, qui missus fuerat gratis facere pietatem. Tobis, inquit, vel Tobias, quid de mea mercede satis superflue cogitatis? Habete, quod vobis donavit Pater ille cœlestis. Ego minister sum curationis, ille est auctor sanitatis. Nescitis, cujus mercenarii ope perfrui meruistis. Defunctos captivitatis sepelire non timuistis. Tobis, ascenderunt ad Dominum opera tua, quia, relicto prandio, reddidisti mortuum sepulturæ. Ego Domino medullata intuli sacrificia pro venerabili sepultura. Ego directus sum operarius fori cœlestis. Mortuum sepelistis, et mortis aculeum non timuistis. Ipse sepultus pro vobis voce tacita proclamavit: probationis fuerat cæcitas oculorum, unde patientia tua clarius meruisset de cœlestibus ornamentum. Ego sum Raphael, unus ex septem Angelis, qui astamus ante claritatem Dei. Non indigeo fructu humanæ mercedis, divitem me facit conversatio majestatis. Dives est

ille, qui me misit: gratis jussit impendi, quod gratis ipse concessit. Nec ipsum honorem gratiarum mihi deputetis,quia nihil meis viribus percepistis. Deum benedicite, et illi confitemini, et ipsum glorificate, quia vobiscum fecit bona.

℟. Exivit Tobias, ut lavaret pedes suos, et ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum, qui expavescens, clamavit voce magna, dicens: Domine, invadit me, et dixit ei Angelus: Apprehende branchiam ejus; et trahe eum ad te: * Exentera hunc piscem, et cor ejus, et fel, et jecur repone tibi, sunt enim necessaria ad medicamenta utiliter. ℣. Attraxit autem Tobias piscem in siccum, et palpitare cœpit ante pedes ejus; et ait Angelus ei. Exentera.

Lectio vj.

SUBITO patefacto mysterii cœlestis honore, voce Raphaelis Archangeli attoniti Tobis, et Tobias collapsi in terram proruerunt, vocem tremulam penitus occultaverunt, quia vocem insolitam audierunt. Quid metuistis pater Tobis, filiusque Tobias? mercenarium habere cœlestem, et tamquam operarium locare terrestrem? Celavit vobis Angelus nomen, Azarias sum, inquit, Ananiæ magni filius: et cum dixit: Ego sum Raphael Angelus, celavit in primo nomine dignitatem, ne faceret locatori terrorem. Si enim diceret: Ego sum Angelus, non esset Tobiæ mercenarius: servata est dignitas nominis, ut postremo magnitudo claresceret dignitatis. Videte, charissimi, quantum sit eleemosynæ meritum; Angelum meruit habere operarium. Videtis quantum proficit mortuos sepelire, ut oblatio ejus per Angelum Raphaelem ad cœlestem ascenderet majestatem. Videtis, quia eleemosyna a morte liberat, et ipsa purgat peccata, facit purgationem oculorum, liberat a tenebris peccatorum. Tobis via sua deducitur, Sara tot viris contristata, per Angelum matrimonio copulatur.

℟. Ubi introieris domum tuam, dixit Angelus Raphael ad Tobiam, statim adora Dominum Deum tuum, et gratias agens ei, accede ad patrem tuum, et osculare eum; * Statimque lini super oculos ejus ex felle isto piscis, quem portas tecum; scias enim, quoniam mox aperientur oculi ejus: et videbit pater tuus lumen cœli, et in aspectu tuo gaudebit. ℣. Tolle tecum ex felle isto piscis, erit enim necessarium. Statimque. Gloria. Statimque.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Est hic Sara Raguelis filia, quæ tibi conjugio dabitur, et omnis substantia ejus.

Psalm. 95. Cantate Domino, *p.* 72.

Ant. Septem viros habuit, quos dæmonium oppressit: timeo, ne mihi simile contingat.

Psalm. 96. Dominus regnavit, exultet, *p.* 72.

Ant. Per tres dies orationi cum uxore tua vacabis, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.

Psalm. 102. Benedic anima, *p.* 77.

℣. Apprehendit Angelus Raphael dæmonium.

℟. Et relegavit illud in deserto superioris Ægypti.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo tempore: Erat dies festus Judæorum, et ascendit Jesus Jerosolymam. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Tract. 17. *in cap.* 5. *Joann.*

MIRUM non esse debet a Deo factum miraculum: mirum enim esset, si homo fecisset. Magis gaudere, quam mirari debemus, quia Dominus noster, et Salvator Jesus Christus homo factus est, quam quod divina inter homines Deus fecit. Plus est enim ad salutem nostram, quod factus est propter homines, quam quod fecit inter homines; et plus est,

quod vitia sanavit animarum, quam quod sanavit languores corporum moriturorum.

℟. Benedicite Deum cœli, dixit Angelus Raphael, et coram omnibus viventibus confitemini ei: * Quia fecit vobiscum misericordiam suam. ℣. Ipsum benedicite et cantate illi, et narrate omnia mirabilia ejus. Quia.

Lectio vii.

SED quia ipsa anima nec eum noverat, a quo sananda erat, et oculos habebat in carne unde facta corporalia videret; nondum habebat sanos in corde, unde Deum latentem agnosceret: fecit quod videri poterat, ut sanaretur unde videri non poterat. Ingressus est locum, ubi jacebat magna multitudo languentium, cæcorum, claudorum, aridorum.

℟. Tempus est ut revertar ad eum, qui me misit, dixit Angelus Raphael; * Vos autem benedicite Dominum, et narrate omnia mirabilia ejus. ℣. Confitemini ei coram omnibus viventibus, quia fecit vobiscum misericordiam suam Vos. Gloria. Vos.

Lectio ix.

ET cum esset medicus et animarum, et corporum, et qui venisset sanare omnes animas credituros, de illis languentibus unum elegit quem sanaret, ut unitatem significaret. Si mediocri corde, et quasi humano captu, et ingenio consideremus facientem, et quod ad potestatem pertinet, non magnum aliquid perfecit: et quoad benignitatem, parum fecit. Tot jacebant, et unus curatus est, cum posset uno verbo omnes erigere.

Ad Laudes et per Horas Antiph.

1. Missus est Angelus Raphael ad Tobiam, et Saram ut curaret eos.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica*, p. 13.

2. Ingressus Angelus ad Tobiam salutavit eum: et dixit: Gaudium sit tibi semper.

3. Forti animo esto Tobias, in proximo enim est, ut a Deo cureris.

4. Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini illi, quia fecit vobiscum misericordiam suam.

5. Pax vobis, nolite timere, Deum benedicite, et cantate illi, allel.

Capitulum ut supra.

HYMNUS.

CHRISTE, sanctorum decus Angelorum,
Rector humani generis, et auctor
Nobis sacratum tribue benignus
Scandere cœlum.
Angelum nobis medicum saluti,
Mitte de cœlis Raphael, ut omnes
Sanet ægrotos, pariterque nostros
Dirigat actus.
Hinc Dei nostri genitrix Maria,
Totus et nobis Chorus Angelorum
Semper assistat, simul et beata
Concio tota.
Præstet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterque Sancti
Spiritus, cujus reboat in omni
Gloria mundo. Amen.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Ad Bened. Antiph. Ego sum Raphael Angelus, qui asto ante Dominum: vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus, alleluia.

Oratio ut supra.

Ad Tertiam.

Capit. Quando orabas.

℟. *br.* Stetit Angelus: * Juxta aram Templi. Stetit.

℣. Habens thuribulum aureum in manu sua. Juxta. Gloria. Stetit.

℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini,

℟. De manu Angeli.

Ad Sextam.

Capitulum. *Tob.* 12.

ET nunc misit me Dominus, ut curarem te, et Saram uxorem

filii tui a dæmonio liberarem : Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex septem, quia astamus ante Dominum.

℟. *br.* Ascendit fumus aromatum * In conspectu Domini. Ascendit. ℣. De manu Angeli. In conspectu. Gloria. Ascendit.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Capitulum *Tob.* 12.

TEMPUS est, ut revertar ad eum, qui me misit : vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus.

℟. *br.* In conspectu Angelorum Psallam tibi Deus meus. In conspectu.

℣. Adorabo ad templum sanctum duum, et confitebor nomini tuo. Psallam. Gloria. In conspectu.

℣. Adorate Deum.

℟. Omnes Angeli ejus.

In II. Vesperis, omnia ut in I. et loco ult. psal. 137. Confitebor tibi Domine in toto corde meo *p.* 95.

Ad Magnif. Antiph. Princeps gloriosissime Raphael Archangele, esto memor nostri : hic, et ubique semper precare pro nobis Filium Dei, alleluja, alleluja.

Die 25. SS. Gav. Prot et Jan.

MM. Duplex.

Oratio.

DEUS, qui per beatos Martyres tuos Gavinum, Protum, et Januarium Ecclesiam tuam mirabiliter illustrare dignatus es : concede nobis famulis tuis : ut quos Patronos veneramur in terris, intercessores habere mereamur in cœlis. Per Dominum.

Et fit commem. SS. Chrysanthi, et Dariæ Martyr. ut in brev.

In I. Noct. Lect. de script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PROTUS Sacerdos, et Januarius Diaconus Turribus in Sardinia nati, quo tempore Diocletianus Imperator insatiabilem crudelitatem in Christianos exercebat, Romam profecti, et a Cajo sanctissimo Pontifice ordinati, atque in Sardiniam reversi, fidem Christi Turribus prædicabant ; Deique gratia aspirante, plures Gentiles ad veri Dei cultum perduxerunt, inter quos maxime enituit Gavinus Romanus miles ex præclara (ut fertur) Sabellorum familia : qua de causa barbari Præsidis jussu comprehensi, diuturno carcere macerati, in equuleo suspensi, ferreis ungulis dilaniati, variisque tormentorum generibus vexati sunt, sed Deo protegente, illæsi ab illis evaserunt.

Lectio v.

MOX Protus Presbyter in Herculis insulam, quæ Linaria vulgo dicitur, tunc noxiis animalibus refertam, jubente præside, deportatus fuit, ut a feris devoraretur : ubi cibo, atque omni humana ope penitus destitutus, multis calamitatibus vexatus fuit. Sed divinis laudibus intendens, ab eo, qui dat escam esurientibus, mirabiliter enutritus, hoc etiam suis precibus impetrasse dicitur, ut omnes noxiæ feræ in ea insula ac vicina Sardinia, usque in præsentem diem extinctæ omnino fuerint. At vero Januarius junior, donis et blanditiis tentatus, ut a fide deficeret, in ejus confessione immobilis perseveravit. Quare Præses novis eum tormentis simul cum Proto quem ab exilio revocaverat, subjecit et Gavino militi utrumque tradidit custodiendum. Porro Gavinus ab ipsis ad Christum conversus, et aqua salutari ablutus, liberos illos dimisit, quod insontes eos, et sine causa vinctos diceret.

Lectio vj.

ID cum Tyranno innotuisset, suasionibus, et illecebris ad idolorum cultum Gavinum revocare conatus est; quem in suscepta Religione constantissimum repertum, capitali sententia puniri mandavit in Portu Balagai. Quo loco etiam Protus, et Januarius qui

Digitized by

in Suburbano Turrium loco latentes, ab ipso Gavino in visu ad martyrii palmam invitati fuerant, decollati sunt die vigesima quinta Octobris. Horum corpora tyranno imperante, in mare projecta, mox ab incolis Christianis juxta littus reperta et in ecclesia magnificentissime extructa, ac eorum nomine consecrata, collocata fuerunt, ubi a toto Sardiniæ regno, et præcipue a provincia Turritana, quæ in honorem sancti Gavini mensem Octobris sanctum Gavinum appellat, ingenti concursu, et populi veneratione coluntur.

In III. Noct. Homil. in Evang. Cum audieritis prælia, *p.* 38*.

Nona Lect. de SS. Martyr. cum comm. in Laud.

Die 30. In comm. SS. Quor. Reliq. in Eccl. prop. ass.

Duplex.

Omnia de Comm. plurim. Mart.

Oratio.

AUGE in nobis, Domine, resurrectionis fidem, qui in Sanctorum tuorum Reliquiis mirabilia operaris, et fac nos immortalis gloriæ participes, cujus in eorum cineribus pignora veneramur. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Ex Tractatu S. Joannis Damasc. de Fide Orthod.

Lib. 4. cap. 16.

Lectio iv.

CHRISTUS Dominus Sanctorum reliquias velut salutiferos fontes præbuit, ex quibus plurima ad nos beneficia manant, suavissimumque unguentum profluit. Nec vero quisquam huic sermoni fidem detrahat. Nam si aqua in deserto ex aspera, et solida rupe, atque ex asini maxilla ad sedandam Sampsonis sitim, Deo ita volente, prosiliit; erit ne, cur cuiquam incredibile videatur, ex martyrum Reliquiis suave unguentum scaturire? Minime certe iis quidem, quibus Dei potentia, honorque, quo Sanctos suos afficit, perspectus, et exploratus est: atque illud quidem veteri lege comparatum erat, ut quisquis mortuum contigisset, immundus censeretur. Verum hi mortuorum numero minime habendi sunt.

Lectio v.

EX quo enim ipsamet vita, ac vitæ Auctor inter mortuos adscriptus est, eos, qui in spe Resurrectionis, fideque erga eum diem extremum clauserunt, mortuos haudquaquam appellamus. Qui enim mortuum corpus miracula edere queat? Per ea dæmones expelluntur, morbi profligantur, ægroti sanantur, cæci prospiciunt, leprosi mundantur, tentationes ac mœrores discutiuntur: ac denique omne donum optimum a Patre luminum, eorum opera ad eos, qui fide minime dubia postulant, descendit. Quid non laboris suscipias, ut Patronum quemdam nanciscaris, qui te mortali Regi offerat, ac tuo nomine ad eum verba faciat? An non igitur hi honorandi sunt, qui totius humani generis Patronos se profitentur, ac Deo nostra causa supplicant?

Lectio vj.

HONORANDI certe, et quidem ita ut in eorum nomine Deo Templa extruamus, dona offeramus, eorum memoriam colamus, atque in ea spiritualiter oblectemur; quo nimirum lætitia nostra iis, a quibus invitamur, congruat; ac non, dum eos colere, et demereri studemus, offendamus potius, et irritemus. Quibus enim rebus Deus colitur, iisdem quoque servi ipsius oblectantur: quibus autem Deus offenditur, iisdem etiam ipsius milites offenduntur; quocirca in Psalmis, et Hymnis, et Cantibus spiritualibus, et compunctione, et eorum, qui in egestate versantur, commiseratione, (quibus obsequiis Deus potissimum conciliatur) Sanctos colamus, statuas ipsis, ac visibiles imagines erigamus, immo ipsi vir-

Digitized by Google

tutibus eorum imitandis hoc consequamur, ut vivæ eorum statuæ, atque imagines simus.

In III. Noct. Homil. in Evang. Descendens Jesus de monte, *de Com.*

FESTA NOVEMBRIS.

Die 9. S. Agrip. E. P. N.

Duplex.

Oratio.

DEUS, qui Gregem tuum ab insidiis hostium Fidei, beati Agrippini Confessoris, atque Pontificis pastorali solicitudine præservasti: dignare quæsumus, ejusdem suffragantibus meritis, inter oves tuas nos perpetuo custodire. Per Dominum.

In I. Vesp. fit commem. Octav. Omnium Sanctor. et S. Theodori Mart. ut in Brev.

In I. Noct. Lect. Fidelis Sermo.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

AGRIPPINUS Neapoli in Campania natus, a prima ætate Christianis mysteriis, bonisque moribus imbutus, futuræ sanctitatis specimen dedit. Orbatus Parentibus, Christi consilium secutus, vix sibi necessariis retentis, bona pauperibus elargitus est; paterna etiam domo in oratorium conversa eo sita in loco, in quo postea extructa basilica beati Agrippini nomine dedicata est. In demortui Neapolitani Antistitis, Antonino Pio imperante, ad celsiorem locum evectus præclaris magis, magisque virtutibus emicuit, quibus antea in privata vita tam mire effulserat.

Lectio v.

IN pastorali officio omnes conatus eo intendit, ut divinus cultus augeretur, et christiana Religio illibata floreret, eo potissimum tempore, quo hæretici falsis doctrinis perdere animas et Christi oves mactare contendebant; ad quos confutandos Sanctus Soter Pontifex Maximus salutarem dedit epistolam, admonens Agrippinum, aliosque Campaniæ Præsules, ut pervigiles caverent, ne clandestina perfidiæ lues commissos in greges grassaretur. Quod Sanctus Antistes et prædicatione Divini verbi, et exemplo integerrimæ vitæ solertissime præstitit, multique infideles divinitus permoti, ejus opera veri Dei cultum, puramque Religionem suscepere.

Lectio vj.

SIC ætate, laboribus plurimis, mirisque virtutibus exacta, migravit ad Dominum, multis ante, et post obitum miraculis effulgens, quinto idus novembris, secundo post Christum natum sæculo, sepultusque in cœmeterio extra mœnia, unde in Sancti Salvatoris Templum translatum est, confluentibus ad ejus sepulchrum cultoribus fama sanctitatis, et prodigiorum adductis. Cum præsertim visus quandoque fuerit una cum Beato Januario adesse Sancto Severo morienti, et Civitati obsessæ auxilium ferre de Cœlo. Idcirco Neapolitani Cives aliique finitimi Basilicas, et oppida insignita Agrippini nomine ædificarunt. Cujus sacrum Corpus sub ara maxima Principis Ecclesiæ nunc venerationi habetur.

In III. Noct. Homilia in Evang. Vigilate, *IX. Lect. de S. Theodoro et comm. in Laud.*

Die 13. S. Stanis. Kost. Soc. J.

Conf. Duplex.

In Hymno. m. t. v.

Oratio.

DEUS, qui inter cetera sapientiæ tuæ miracula etiam in tenera ætate maturæ sanctitatis gratiam contulisti: da quæsumus; ut beati Stanislai exemplo, tempus instanter operando redimentes, in æternam ingredi requiem festinemus. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. Justus, p. 52*.

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

STANISLAUS, senatoria Kostkarum gente ortus in Polonia, quam olim esset militiam secuturus, nomen Jesu prænuntiavit, parituræ matris

Digitized by Google

gremio divinitus inscriptum. Virginitatem adhuc puer ita coluit, ut paterna in mensa si quid minus pudice dictum audisset, præ horrore exanimis corrueret. Ad Viennense in Austria Seminarium studiorum causa missus, non minus exemplo sodalibus, quam venerationi fuit. Coactus inde in Luterani hospitis ædes migrare, ibique a Paulo fratre ad liberiorem vitam omni etiam asperitatum genere incitatus, domesticum bellum toto biennio constantissime sustinuit; ad æterna se, non ad caduca natum affirmans. Itaque unicum illi erat rerum cœlestium desiderium, perpetua cum Deo consuetudo, cultus Deiparæ adeo tener, ut matrem suavissime appellaret.

Lectio v.

QUOTIDIANÆ fratris vexationi crebra ipse jujunia, flagella, aliosque insontis corpusculi cruciatus adjiciens, lethalem in morbum incidit. Quo ingravescente, cum dæmonem horrendi canis specie insilientem signo Crucis ter fugasset, sacrum Viaticum, quod in hæretica domo decumbens frustra ab hominibus petebat, ab Angelis accepit. Mox ad pueri Jesu complexum a beatissima ejus Matre comiter admissus, ac Societati jussus nomen dare, subito convaluit. Sed cum aditum ad illam patris timor in Germania præcluderet, peregrini habitu solus, pedes, mendicus fugam arripuit, certus non sistere, nisi voti compos fiat. Iter non uno Dei beneficio prosperum fuit. Nam præter alia, Pauli profugum fratrem jam assequentis equi, immisso divinitus torpore, constiterunt. Et Stanislaus Angelorum pane iterum Angelico ministerio refectus, post duodecies centena passuum millia, tandem Romæ in Societatem Jesu a sancto Francisco Borgia Generali Præposito meruit cooptari.

Lectio vj.

TYRONIS emeriti virtutes in Religiosæ vitæ palæstra splendidius eluxere; Charitas præsertim erga Deum, in quem assidue alienata a sensibus mente rapiebatur. Inde illi facies semper accensa, nonnunquam radians; perennes lacrymæ, ardor pectoris tantus, ut media quoque hieme foret ingesta identidem gelida temperandus. Itaque amore verius, quam febri æstuans, die Assumptæ in cœlum Virgini sacro, ad ejus triumphalem pompam propius, ut optaverat, spectandam, ab ipsa Beatarum Virginum choro stipata vocatus est ex Quirinali domo probationis, anno innocentis vitæ decimo octavo, operum plenior, quam dierum. Multis post obitum miraculis in sua præsertim Polonia enituit, cujus armis contra formidabiles Turcarum exercitus spectabilis e cœlo affuit non semel; et civitates alias peste, alias incendio liberavit. Quamobrem Clemens decimus eum inter primarios totius Regni Patronos constituit. Benedictus vero decimus tertius (quod a Clemente undecimo jampridem fuerat decretum) in Sanctorum numerum retulit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 19

IN illo tempore: Oblati sunt Jesu parvuli, ut manus eis imponeret. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

In Psalmum 118.

QUID parvulus nisi humilis? Hæc sunt mirabilia testimonia tua, Domine, quæ scrutata est anima parvuli hujus, et ideo invenit, quia humiliatus est, et parvulus factus est. Quis enim facit mandata tua sicut facienda sunt, idest ex fide, quæ per dilectionem Dei operatur, nisi ejus in corde per Spiritum sanctum ipsa dilectio diffundatur? Hoc etiam iste parvulus confitetur: Os meum, inquit aperui, et attraxi spiritum, quia man-

Digitized by Google

data tua desiderabam. Quid Desiderabat, nisi facere mandata divina? Sed non erat unde faceret infirmus fortia, et parvulus magna. Aperuit os, confitens, quod per se ipse non faceret, et attraxit unde faceret.

Lectio viij.

JUNIOR sum ego, inquit et contemptus, justificationes tuas non sum oblitus. Non sicut inimici mei, qui obliti sunt verborum tuorum. Videtur autem minor ætate non oblitus justificationes Dei dolere pro inimicis suis ætate majoribus, qui obliti sunt. Nam quid est, junior ego non sum oblitus, nisi illi majores obliti sunt? Sed contemptum se dicit hic junior: ideo factus est major: quia ignobilia et contemptibilia mundi elegit Deus, et ea, quæ non sunt tamquam sint, ut ea quæ sunt evacuentur. Et ecce sunt novissimi qui erant primi, et primi qui erant novissimi.

Lectio ix.

ISTE autem junior non est oblitus, quia non suam voluit habere justitiam, sed Dei de qua etiam nunc dicit: Justitia tua justitia in æternum. Propter hanc passus est persecutionem junior a majore, ut diceret junior quod sequitur: Tribulatio, et necessitas invenerunt me: mandata tua meditatio mea est. Sæviant, persequantur; dum tamen mandata Dei non relinquantur, et ex ipsis mandatis etiam qui sæviunt diligantur. Intellectum da mihi, et vivam: Intellectum poscit iste junior, quem si non haberet, non super seniores intelligeret. Sed eum poscit in tribulatione et necessitate, quo intelligat, quam sit contemnendum, quod et possunt auferre persequentes inimici, a quibus se dicit esse contemptum.

Die 15. S. Leopoldi C.

Duplex.

Oratio.

DEUS, qui sanctum Leopoldum, ex Principatu, et curis sæculi hujus, immaculatum ad regnum cœleste traduxisti: concede propitius, tua clementia ita nos per hæc temporalia dirigi, ut æternæ vitæ consortes effici mereamur. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

LEOPOLDUS Austriæ Marchio, singulari præconio pietatis, quæ in eo mirifice elucebat, Pius cognominatus, in primo statim ætatis flore ea virtutum initia concepit, quæ annorum progressu in insignem vitæ sanctitatem efloruerunt. Erat enim in juvene cum Dei timore præclara integritas, continentia, et humilitas: in viro justitia, misericordia, sapientia, et præcipuus Religionis cultus. Patre Leopoldo defuncto, et Principatus regimine suscepto, curis licet conjugalibus implicitus, et tam domesticis, quam publicis negotiis impeditus, sedulo tamen pietatis, et misericordiæ munera subiens, lapsos roborabat, oppressos sublevabat, inopes fovebat, inter multiplices regendi sollicitudines totque laborum studia, immaculatum sese ab hoc sæculo custodiebat, temporalia tractando æterna disponens.

Lectio v.

HIC Princeps Sacerdotes virosque religiosos admodum coluit, Summos quoque Pontifices tanta veneratione prosecutus est, ut ab Innocentio secundo Romano Pontifice peculiaris sancti Petri filius appellaretur. Duo monasteria celeberrima Claustroneoburgense, et sanctæ Crucis in valle nemorosa construxit et amplissimis censibus dotavit. Melicense quoque a se instauratum magno cum sumptu illustravit. Post hujusmodi præclara sua erga Deum pietatis monumenta, cum Austriæ Principatum quadraginta annis laudabiliter rexisset, anno Domini millesimo centesimo trigesimo sexto, vita sancte functus, atque Sacramentis munitus, o

Digitized by Google

terris ad cœlestem Jerusalem transivit.

Lectio vj.

EJUS Corpus, Claustroneoburgi conditum, innumeris miraculis claruit: quibus Deus tanti viri sanctitatem mundo declaratam voluit. Nam ad Leopoldi invocationem, ejusdem meritis, et precibus, mortui suscitati, cæci illuminati, surdis auditus, mutis loquendi facultas, claudis gressus, variis morbis laborantibus sanitas, vinctis libertas restituta: alii quoque alias ejusdem opem mirabiliter experti sunt. Quibus clarissimis sanctimoniæ documentis rite cognitis Innocentius octavus Leopoldum Sanctorum catalogo adscripsit. Ejus sacra ossa e tumulo, Maximiliano primo Imperatore, translata, in eadem Claustroneoburgensi Ecclesia cum debito honore asservantur.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum, et reverti. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri.

HOMO nobilis ille est, cui superius cæcus clamabat: Fili David miserere mei: et venienti Jerosolymam concinebant: Hosanna filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel. Longinqua regio Ecclesia est ex gentibus, de qua eidem homini nobili, qui loquitur, Ego autem constitutus sum Rex ab eo, dicitur a Patre: Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Quæ videlicet hæreditas, ac possessio, bifaria ratione regio longinqua vocatur; vel quia a finibus terræ clamat ad Dominum, vel quia longe est a peccatoribus salus: et cum Deus ubique sit præsens, longe tamen ab eorum sensu, qui idola colunt, Deus verus est. Sed qui erant longe, facti sunt prope in sanguine Christi.

Lectio viij.

VOCATIS autem decem servis, dedit eis decem mnas; denarius numerus ad legem pertinet propter decalogum. Vocat igitur paterfamilias decem servos; quia elegit discipulos per litteram legis imbutos. Dat eis decem mnas, quia dicta legis spiritaliter intelligenda revelat. Post passionem quippe resurrectionemque aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas. Mna namque, quam Greci mnam vocant, centum dracmis appenditur, et omnis scripturæ sermo, qui vitæ cœlestis perfectionem suggerit, quasi numeri centenarii pondere fulgescit.

Lectio ix.

ET ait illis. negotiamini, dum venio; Verba, inquit, Legis ac prophetarum, mystica interpretatione discussa, populis offerte, atque ab eis fidei confessionem, morumque probitatem recipite, juxta quod Psalmista suis auditoribus præcipit, dicens: Sumite Psalmum, et date tympanum hoc est, laudem prædicationis in cordis intentione percipite, et devotionem operis in carnis castigatione reddite. Tympanum quippe est pellis in ligno extenta; pellis vero in ligno extenta, caro est nostra ad exemplum Dominicæ Crucis afflicta.

Die 28 S. Jacob. de March.

Conf. Duplex

Oratio.

DEUS, qui ad animarum salutem, et peccatores e vitiorum cœno ad viam virtutis revocandos, Beatum Jacobum Confessorem tuum Evangelii præconem eximium effecisti: concede propitius, ut ejus intercessione a peccatis omnibus expiati, vitam consequamur æternam. Per Dominum.

In I. Noct. Justus, *de Com.*

IN II. NOCTURNO.

Digitized by Google

Lectio iv.

JACOBUS Monte Prandonum Piceni Oppido in Diœcesi Asculana piis Parentibus natus, ab ipsa pueritia bonarum artium, et literarum studia magna cum pietate conjunxit. Adolescens mundi vanitatem cogitans, Charthusianorum Instituto nomen dare constituerat; Deo tamen, qui eum ad animarum salutem, et fidei propagationem destinaverat, ducente, Minorum Familiam ingressus est. In ipso Tyrocinio, quod in Cœnobio Carcerum apud Assisium posuit, obedientia, paupertate, ceterisque virtutibus ita excelluit, ut religiosæ perfectionis exemplar absolutissimum ab omnibus haberetur. Virginitatem perpetuo illibatam servavit, trium horarum somno contentus, reliquam noctem Divinis in laudibus, cruentis flagellationibus, rerumque cœlestium contemplatione transigebat. Loricam ferream supra nudas carnes annis gestavit prope viginti, quam postea jussu Sacerdotis, qui ejus confessiones excipiebat, cilicio asperrimo commutavit. Semel in die pane, et aqua vescebatur, additis raro crudis fabis, herbisque silvestribus obsonii loco. Quam durissimam vivendi rationem tenuit, donec ætate provectum, et ob assiduos labores mala affectum valetudine, ut mitius aliquando secum ageret, Sancti Bernardini Senensis auctoritas impulit.

Lectio v.

SACERDOS factus, et ad munus concionandi electus, vivo, et efficaci sermone flagitia hominum constanter et libere increpabat. Nec Viros nobiles, ac potentes reprehendere est veritus, si quos criminibus irretitos offendisset: tantusque fiebat ad eum audiendum concursus, ut cum frequentiam capere vel magna templa non possent, in plateis, atque areis suggesta erigi passim oporteret. Hinc Imperatores, Reges, et Præsules amplissimi certatim apud se eum concionantem habere voluerunt. Mediolani de Magdalenæ lacrymis diceos, sex et triginta impudicas mulieres a turpi quæstu avocavit; quibus etiam pecunia corrogata ad pie vivendum domicilium extruxit. Tum Sfortia Duce, ac Civibus vehementer instantibus, ut Archiepiscopale munus susciperet, eam dignitatem constantissime recusavit. Bis centena infidelium millia baptismi lavacro tinxisse, et in Hungaria brevi tempore quinquaginta Hæreticorum millia ad Ecclesiæ sinum reduxisse fertur. In Italia nequissimam Fraticellorum sectam iterum ac tertio reviviscentem, penitus extinxit. Ferrariensi Concilio, quod postea Florentiam translatum fuit, interfuit. Sigismundum, et Albertum Imperatores in maximis Regni difficultatibus, præsertim vero in expeditione in Turcas promovenda, et hæreticis debellandis, consilio, et opera adjuvit. Sancto Joanni a Capistrano sacri Socialis Belli adversus Turcas, Pontificiæ Legationis Consiliario in Hungaria defuncto, suffectus fuit.

Lectio vj.

MARTINI Quinti, Eugenii Quarti, Nicolai Quinti, Callisti Tertii, Pii Secundi, Pauli item Secundi, et Sixti Quarti contra Hæreticos Fraticellos, Manichæos redivivos, Patarènos, Hussitas, Taboritas legationibus functus est. Quibus in expeditionibus Italiam universam non semel percurrit; Illyricum tertio, Pannoniam, Sarmatiam, Bohemiam finitimasque provincias peragravit. Tot autem itinera sine sacculo et pera, Apostolorum more, pedibus confecit, ope Divina unice fretus; quæ tum maxime patuit, cum rejectus a nauta Padum amnem, pallio super aquas instrato, cum socio pertransiit. Denique Neapoli, quo Sixti Quarti jussu instante Ferdinando Rege, profectus erat, extremo morbo correptus, Ecclesiæ Sacramentis rite susceptis, anno millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, ætatis octogesimo

quinto, quarto Kalendas Decembris spiritum Deo reddidit. Multis post obitum miraculis claruit, quibus rite cognitis Urbanus ejus Officium, et Missam ab Ordine Fratrum Minorum, et a Clero Neapolis celebrari permisit, quæ Jacobum inter alios Patronos cooptaverat. Corpus ejus in Æde Sacra Sanctæ Mariæ Novæ, incorruptum adhuc et flexibile permanet. Quod cum Vincentius Cardinalis Ursinus, qui post Benedictus Decimus tertius fuit, suis manibus contrectaret, et Philippo Quinto Hispaniæ Regi venerandum offerret, odorem suavissimum expirare compertum est. Idem vero Pontifex anno millesimo septingentesimo vigesimo sexto Jacobum novis miraculis coruscantem in Sanctorum numerum retulit.

In III. Noct. Homil. in Evang. Sint lumbi vestri, *p.* 56*.

Die 20. S. Emygdii E. M.

Duplex.

Oratio.

DEUS, qui beatum Emigdium Martyrem tuum, atque Pontificem idolorum victoria, et miraculorum gloria decorasti; concede propitius, ut eo interveniente, malorum spirituum fraudes vincere, et coruscare virtutibus mereamur. Per Dominum.

Deinde fit comm. SS. Cyriaci, et Socior. MM.

Postea S. Romani M.

Orat. Præsta, ut intercedente, *p.* 14.*

In I. Noct. Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

EMYGDIUS e nobili Francorum prosapia Treviris natus, anno ætatis vigesimo tertio, Parentibus idololatris frustra obstantibus, fidem Christi suscepit, et constantissime professus est. Cum tribus discipulis Euplo, Germano, et Valentino vitam duxit, humanis spretis oblectamentis, rebus divinis penitus incumbebat: erga Proximum charitatis ardore æstuabat, idcirco ad procurandam multorum salutem Romam se contulit. Hospitio exceptus in Insula Tiberis, hospitis filiam per quinquennium jam immedicabili morbo languentem baptismo sanavit.

Lectio v.

MOX, oculis cæci coram populo signo Crucis apertis, a multitudine eum filium Apollinis credente in templum Æsculapii rapitur. Ibi Christi servum se professus, ejus invocatione magnum numerum ægrorum, nequidquam Idoli opem implorantium, valetudini restituit. Aras diruit, Æsculapii signum confractum in Tiberim projecit. Quibus rebus, et mille tercentorum Gentilium, præter Æsculapii Sacerdotes, conversione inde secuta, irritati Posthumii Titiani Præfecti Urbis minas, Angeli monitu declinans, sanctum Marcellum Pontificem adiit, a quo Episcopus ordinatus, et Asculum missus est.

Lectio vj.

MULTIS in itinere miraculis, ingenti multitudine Christo adjuncta, simul ac Asculum Emygdius pervenit, dæmones e simulacris idolorum per cuncta fana ejulatibus editis, Peregrinum doloris sui causam indicarunt. Quem cum concitata plebs ad cædem quæreret, excitus tumultu Polymius Civitatis Præses eum ad se vocatum multis, sed irritis verbis, ad Jovis, et Ancariæ Deæ Asculi Patronæ venerationem hortatur, promissis etiam in præmium nuptiis propriæ filiæ Polisiæ, quam Emygdius ad Christum conversam baptizavit, et post eam mille et sexaginta homines, educta e saxo per ingens miraculum aquarum copia. His in rabiem actus Polymius sancto Episcopo caput abscidit, quo facto, truncus ejus mirabiliter erectus abjectum humo proprium caput attollens manibus per spatium tercentorum passuum ad Oratorium portavit, unde ad templum maximum translatum est, ubi magna religione Asculani populi,

Digitized by Google

et concursu externorum hanc usque in diem colitur. lucidit ejus beata mors, persecutione Diocletiani durante.

IN III. NOCTURNO.

Hom. in Evang. Si quis venit ad me, *p.* 19.*

FESTA DECEMBRIS.

Die 4. S. Barbar. Virg. M.

Semiduplex.

Oratio.

INTERCESSIO, quæsumus Domine, beatæ Barbaræ Virginis et Martyris tuæ ab omni nos adversitate protegat: ut per ejus interventum gloriosissimum Sacrosanti Corporis et Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi Sacramentum ante diem exitus nostri per veram pœnitentiam et puram confessionem percipere mereamur. Qui tecum vivit, et regnat.

Deinde fit comm. feriæ.

Lect. I. Noct. de script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BARBARA, virgo Nicomedensis, Dioscori nobilis, sed superstitiosi hominis filia, per ea quæ visibilia facta sunt, ad invisibilia, divina opitulante gratia, facile pervenit. Quapropter soli Deo rebusque divinis vacare cœpit. Eam Pater, utpote forma venustiori nitentem a quocumque virorum occursu tutari cupiens, turri inclusit, ubi pia virgo meditationibus et precibus addicta, soli Deo, quem sibi in sponsum delegerat, placere studebat. Oblata a Patre pluries Nobilium connubia fortiter sprevit: pater vero per sui absentiam filiæ animum posse facilius emolliri confidens, jussit primo balneum extrui, ne quid ei deesset ad commoditatem, deinde peregere in exteras regiones profectus est.

Lectio v.

ABSENTE Patre jussit Barbara duabus fenestris, quæ in turri erant, tertiam addi in honorem Divinæ Trinitatis, labiumque balnei Sacrosantæ Crucis signo muniri. Quod ubi rediens Dioscorus inspexit, audita novitatis causa, adeo in filiam exarduit, ut stricto ense eam appetens, parum abfuerit, quin eam dire confoderet: sed præsto adfuit Deus: nam fugienti Barbaræ saxum ingens se patefaciens, viam aperuit, per quam montis fastigium petere, et in specu latere potuit: sed paulo post cum a nequissimo Genitore reperta fuisset, ejus latera pedibus, dorsumque pugnis immaniter percussit, et crinibus per loca aspera, difficilesque vias raptatam, Marciano Præsidi puniendam tradidit. Itaque ab ipso omnibus modis, sed incassum tentata, nudam nervis cædi, et inflicta vulnera testulis confricari, deinde in carcerem trahi præcipit: ubi immensa luce circumdatus ei Christus apparens, mirifice confortatam in passionum tollerantia confirmavit: quod animadvertens Juliana Matrona ad Fidem conversa ejusdem palmæ particeps effecta est.

Lectio vj.

BARBARÆ demum ferreis unguibus membra laniantur, facibus latera incenduntur, et malleolis caput contunditur: quibus in cruciatibus consortem solabatur, et hortabatur, ut ad finem usque constanter certaret. Præcisis tandem utrique uberibus, nudæ per loca pubblica tractæ, capite plectuntur, filiæque cervicem ipse scelestissimus Pater humanitatis expers propriis manibus amputavit: cujus fera crudelitas non diu inulta remansit: nam statim eo ipso in loco fulmine percussus interiit. Corpus hujus beatissimæ Virginis Justinus Imperator, Nicomedia auferens Constantinopolim primum transportavit. Illud idem, cum in progressu temporis ab Imperatoribus Constantino et Basilio impetrassent Veneti, Constantinopoli deductum in sancti Marci Basilica fuit deinde so-

Digitized by Google

lemniter collocatum. Postremo et ultimo, supplicantibus Torcellano Episcopo, ejusque sorore Abatissa, ad Ecclesiam Monialium sancti Joannis Evangelistæ Torcellanæ Diœcesis anno salutis millesimo nono defertur; ubi et honorifice conditum perpetuo cultu ad præsens usque tempus summopere veneratur.

In III. Noct. Homil. de Comm. 1. loco p. 68*.

Die 10. Translationis

ALMÆ DOMUS LAURETANÆ B. M. V.

Duplex Majus.

Ad Vesp. Ant. Domum tuam, *cum reliq. de Laud.*

Psal. Dixit Dominus, *cum reliq. ut in Festis B. M. V. p. 92*.*

Capitulum. Eccli. 24.

IN omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.

Hymnus Ave maris stella, p. 93*.

℣. Hæc est Domus Domini firmiter ædificata.

℟. Bene fundata est super firmam petram.

Ad Magnific. Antiph. Sanctificavit Dominus tabernaculum suum: quia hæc est Domus Dei, in qua invocabitur nomen ejus, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit Dominus.

Oratio.

DEUS, qui beatæ Mariæ Virginis Domum per incarnati Verbi mysterium misericorditer consecrasti, eamque in sinu Ecclesiæ tuæ mirabiliter collocasti: concede, ut segregati a tabernaculis peccatorum, digni efficiamur habitatores Domus sanctæ tuæ. Per eumdem Dominum.

Et fit comm. Fer., ac S. Melchiadis Papæ et M.

Ad Matutinum.

Invit. Salvatorem mundi in Domo Virginis de Spiritu Sancto conceptum, * Venite adoremus.

Hymnus. Cælestis Urbs Jerusalem, *ut in Dedic. Eccl.* p. 76*.

IN 1. NOCTURNO.

Ant. 1. Elevata est magnificentia tua super cœlos.

Psalm. ut in festis B. M. V. p. 94*.

2. In sole posuit tabernaculum suum et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.

3. Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? innocens manibus et mundo corde.

℣. Domum tuam Domine decet sanctitudo.

℟. In longitudinem dierum.

De libro tertio Regum.

Lectio j. Cap. 8.

STETIT autem Salomon ante altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israel, et expandit manus suas in cœlum, et ait: Ergone putandum est quod vere Deus habitet super terram? Si enim cœlum, et cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi? Sed respice ad orationem servi tui, et ad preces ejus, Domine Deus meus. audi hymnum et orationem, quam servus tuus orat coram te hodie, ut sint oculi tui aperti super Domum, de qua dixisti: Erit nomen meum ibi: ut exaudias deprecationem servi tui, et populi tui Israel, quodcumque oraverit in loco isto: et exaudies in loco habitaculi tui in cœlo, et cum exaudieris propitius eris.

℟. Vidi speciosam sicut columbam, ascendentem desuper rivos aquarum: cujus inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus: * Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. ℟. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris? Et sicut.

Lectio ij.

SI fugerit populus tuus Israel inimicos suos! quia peccaturus est

Digitized by Google

tibi) et agentes pœnitentiam, et confitentes nomini tuo; venerint et oraverint, et deprecati te fuerint in domo hac : exaudi in cœlo, et dimitte peccatum populi tui Israel, et reduces eos in terram, quam dedisti patribus eorum. Si clausum fuerit cœlum, et non pluerit propter peccata eorum, et orantes in loco isto, pœnitentiam egerint nomini tuo, et a peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam : exaudi eos in cœlo, et dimitte peccata servorum tuorum, et populi tui Israel : et ostende eis viam bonam, per quam ambulent, et da pluviam super terram tuam, quam dedisti populo tuo in possessionem.

℟. Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol : * Terribilis ut castrorum acies ordinata? ℣. Filia Sion tota formosa, et suavis es, pulchra ut luna, electa ut sol. Terribilis.

Lectio iij.

Si quis cognoverit plagam cordis sui, et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in cœlo in loco habitationis tuæ, et repropitiaberis, et facies ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor ejus (quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum) ut timeant te cunctis diebus quibus vivunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris. Insuper et alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis, et brachium tuum extentum ubique) cum venerit ergo, et oraverit in hoc loco, tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui, et facies omnia, pro quibus invocaverit te alienigena : ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israel, et probent quia nomen tuum invocatum est super domum hanc.

℟. Quæ est ista, quæ processit sicut sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, et beatam dixerunt, et reginæ laudaverunt eam. ℟. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt. Gloria. Viderunt.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum, et in sæculum sæculi.

2. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

3. Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.

℣. Domine dilexi decorem Domus tuæ.

℟. Et locum habitationis gloriæ tuæ.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Sermo 5a. de divers.

Lectio iv.

Sapientia, quæ Dei erat, et Deus erat, de sinu Patris ad nos veniens ædificavit sibi Domum, ipsam scilicet Matrem suam Virginem Mariam, in qua septem columnas excidit. Quid est in ea septem columnas excidere, nisi ipsam dignum sibi habitaculum fide et operibus præparare? nimirum ternarius numerus ad fidem propter sanctam Trinitatem, quaternarius pertinet ad mores propter quatuor principales virtutes. Quod autem in beata Maria sancta Trinitas fuerit, fuerit dico per præsentiam majestatis, ubi solus filius erat per susceptionem humanitatis, testatur Nuntius cœlestis, qui ei arcana mysteria reserans, ait: Ave gratia plena, Dominus tecum; et post pauca : Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ecce habes Dominum, habes virtutem Altissimi, habes Spiritum Sanctum, habes Patrem, Filium et Spiritum Sanctum.

℟. O quam metuendus est locus iste! * Vere non est hic aliud, nisi Domus Dei et porta cœli. ℣. Hæc est Domus Domini firmiter ædificata, be-

ne fundata est super firmam petram. Vere.

Lectio v.

UTRUM autem et quatuor principales virtutes, tamquam quatuor columnas possederit, inquisitione dignum videtur. Primum ergo videamus, an fortitudinem habuerit, quæ nimirum virtus quomodo illi abesse potuit, quæ, abjectis sæcularibus pompis, spretisque voluptatibus carnis, soli Deo in virginitate vivere proposuit? Ni fallor, hæc Virgo est, de qua apud Salomonem legitur: Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium ejus. Porro, quod temperans, et justa fuerit, ex Angeli collocutione, et sui ipsius responsione, luce clarius comprobamus. Salutata quippe tam venerabiliter ab Angelo: Ave gratia plena, Dominus tecum, non se extulit, quasi quæ ex singulari gratiæ privilegio benediceretur; sed siluit, ut qualis esset insolita hæc salutatio secum cogitavit. Qua in re, quid nisi temperans fuit? at vero cum de cœlestibus mysteriis ab eodem Angelo doceretur diligenter quæsivit, quomodo conciperet et pareret, quæ virum utique non cognosceret: et in hoc sine dubio prudens extitit.

℟. Fundata est Domus Domini supra verticem montium, et exaltata est super omnes colles:* Et venient ad eam omnes Gentes et dicent: Gloria tibi Domine. ℣. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Et venient.

Lectio vj.

JUSTITIÆ autem præsefert insigne, ubi se ancillam Domini confitetur: nam quod justorum sit confessio, testatur qui ait: Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo. Fuit igitur beata Virgo Maria fortis in proposito, temperans in silentio, prudens in interrogatione, justa in confessione. His itaque quatuor morum columnis, et tribus fidei prædictis extruxit in ea sibi domum Sapientia cœlestis, quæ adeo mentem ejus replevit, ut de plenitudine mentis fecundaretur et caro. Ipsius autem Virginis natalis Domus divinis mysteriis consecrata, Angelorum ministerio ab infidelium potestate, in Dalmatiam prius, deinde in Agrum Lauretanum Picenæ Provinciæ translata fuit, sedente sancto Cœlestino quinto, eamdemque ipsam esse, in qua Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, tum Pontificiis diplomatibus, et celeberrima totius orbis veneratione, tum continua miraculorum virtute, et cœlestium beneficiorum gratia comprobatur. Quibus permotus Innocentius duodecimus, quo ferventius erga Matris amantissimæ cultum, Fidelium memoria excitaretur, ejusdem sanctæ Domus Translationem anniversaria solemnitate in tota Piceni provincia veneratam, Missa etiam et Officio proprio celebrari præcepit.

℟. Domus mea, domus orationis vocabitur, dicit Dominus: in ea omnis qui petit accipit, et qui quærit invenit:* Et pulsanti aperietur. ℣. Petite, et accipietis: quærite, et invenietis. Et pulsanti. Gloria Patri. Et pulsanti.

In III. NOCTURNO.

Ant. 1. Tollite hostias, et introite in atria ejus, adorate Dominum in aula sancta ejus.

2. Viderunt omnes populi gloriam ejus.

3. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit Dominus, allel.

℣. Domum tuam Domine decet sanctitudo.

℟. In longitudinem dierum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. I.

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ: cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et

Digitized by Google

nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Ex Homil. I. supra Missus est.

QUÆ est hæc Virgo tam venerabilis, ut salutetur ab Angelo? tam humilis, ut desponsata sit Fabro? Pulchra permixtio virginitatis et humilitatis: nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua et humilitas commendat virginitatem, et virginitas exornat humilitatem: sed quanta putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fœcunditas, et partus consecrat virginitatem? Audis virginem? Audis humilem? laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas; illa consulitur, ista præcipitur.

℟. Diffusa est gratia in labiis tuis, * Propterea benedixit te Deus in æternum. ℣. Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus te delectaverunt filiæ regum in honore tuo. Propterea.

Ex Homil. II. supra eod. loc.

Lectio viij.

MISSUS est, inquit, Angelus ad Virginem, virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique, qualem describit Apostolus, mente et corpore sanctam; nec noviter, nec fortuito inventam, sed a sæculo electam, ab Altissimo præcognitam, et sibi præparatam, ab Angelis servatam, a Patribus præfiguratam, a Prophetis promissam, ut pauca loquar de pluribus, quam sibi aliam prædixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait: Inimicitias ponam inter te et mulierem? Et si adhuc dubitas an de Maria dixerit: audi quod sequitur: Ipsa conteret caput tuum. Cui hæc servata victoria est, nisi Mariæ?

℟. Beata es Virgo Maria, Dei Genitrix, quæ credidisti Domino, perfecta sunt in te quæ dicta sunt tibi: ecce exaltata es super choros Angelorum: * Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. ℣. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum. Intercede. Gloria. Intercede.

Ex Homil. III. supra eod. loc.

Lectio ix.

ET ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum. Quo ingressus ad eam? Puto in sacrarium pudici Cubiculi, ubi illa fortassis clauso super se ostio orabat Patrem in abscondito. Solent Angeli adstare orantibus, et delectari in his, quos vident levare puras manus in oratione. Holocaustum sanctæ devotionis gaudent se offerre Deo in odorem suavitatis. Mariæ autem orationes quantum placuerint in conspectu Altissimi, Angelus indicavit, qui ingressus ad eam tam reverenter salutavit.

Ad Laudes

Et per Horas Antiph.

1. Domum tuam Domine decet sanctitudo in longitudinem dierum.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliq. de Domin.* p. 13.

2. Domus mea, domus orationis vocabitur: in ea omnis qui petit, accipit: et qui quærit, invenit: et pulsanti aperietur.

3. Propter Domum Domini Dei nostri quæsivi bona tibi.

4. Domine Deus exaltasti super terram habitationem meam.

5. Domum majestatis meæ, et locum pedum meorum glorificabo.

Capitulum ut supra ad Vesp.

Hymnus. Alto ex Olimpi vertice, *ut in Dedic. Eccles.* p. 83*.

℣. Introibimus in tabernaculum ejus.

℟. Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.

Ad Bened. Ant. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis: et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

Oratio ut supra ad Vesp.

Deinde fit com. feriæ.

Digitized by Google

Ad Primam.

In ℟. *brevi dicitur.* ℣. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam.

℟. *brev.* Hic Domus Dei est, * Et porta cœli. Hic Domus. ℣. Et vocabitur aula Dei. Et porta. Gloria. Hic Domus. ℟. Domine Dilexi decorem Domus tuæ. ℣. Et locum habitationis gloriæ tuæ.

Ad Sextam.

Capitulum. Et sic in Sion firmata.

℟. *brev.* Domine * Dilexi decorem domus tuæ. Domine. ℣. Et locum habitationis gloriæ tuæ. Dilexi. Gloria Patri. Domine. ℣. Domum tuam Domine decet sanctitudo. ℟. In longitudinem dierum.

Ad Nonam.

Capit. In plateis.

℟. *breve* Domum tuam Domine, * Decet Sanctitudo. Domum. ℣. In longitudinem dierum. Decet. Gloria. Domum.

℣. Hic domus Dei est; et Porta Cœli.

℟. Et vocabitur aula Dei.

In II. Vesp. omnia ut in I. præter

Ad Magnif. Ant. O quam metuendus est locus iste! Vere non est hic aliud nisi Domus Dei, et porta Cœli.

Die 14. S. Agnelli Abbatis.

Duplex.

Oratio.

DEUS, qui nos per Beatum Agnellum, salutiferæ Crucis vexillo, a Barbarorum incursibus liberasti: te humiliter deprecamur, ut ejusdem præsidio, ab omnibus invisibilium hostium insidiis eruamur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. Justus, p. 52*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

AGNELLUM Neapolitanæ Urbis Tutelarem Parentes diu steriles a Cœlitum Regina impetrarunt; a qua etiam in futuræ mansuetudinis præsagium, hoc nomine Puerum appellandum didicerunt. Editus in lucem, atque a Matre ad Ecclesiam allatus, post vigesimum a partu diem, Angelica Salutatione Beatam Virginem clara voce salutavit. Decimum quintum annum agens, relicta paterna domo, ad speluncam Urbi proximam se contulit, ut Deo liberius famularetur. Mortuis deinde parentibus, Xenodochium hereditario patrimonio construxit, et, ut erat charitate ferventissimus, se suaque omnia ægrotorum ministerio addixit.

Lectio v.

CUM autem ejus sanctitatis fama prodigiis illustrata longius diffunderetur, ac plurimi ad eum in dies confluerent, nominis sui celebritatem exosus, asperrimos in montes secessit, verus divini Agni sectator; ubi solis herbis, et aqua contentus aliquandiu vixit. Sed cœlesti monitu ad pristinum rediit Xenodochium; et in Cœnobio a Sancto Gaudioso Episcopo Bithiniensi haud procul extructo, monasticam vitam duxit, cui etiam per aliquot annos sanctissime præfuit. Demum fama miraculorum, vitæque innocentia illustris; postquam ad Aras Sacris esset operatus, obdormivit in Domino, decimo nono Kalendas Januarii ætatis anno sexagesimo primo, Mauritio imperante.

Lectio vj.

SACRUM corpus Fortunatus tunc temporis Neapolitanus Antistes, accersitis finitimis Episcopis, in Æde Beatissimæ Virginis, Sancti Agnelli nomine postea insignita, summo cum honore, maximaque populi frequentia, sepeliendum curavit. Porro ob innumera in suam Urbem collata beneficia, illud præcipue quod sæpe fuerit cum Crucis Vexillo visus Civitatem obsessam ab hostibus liberare, superque eam manum protendere, Neapolitani Cives quotannis, die illi sacro, ejus Ecclesiam sole-

Digitized by Google

mni ac pubblica supplicatione adeunt; et Agnellum suum, ut vere Patriæ Parentem ac Tutelarem, singulari celebratione venerantur.

In III. Noct. Homil. in Evang. Ecce nos reliquimus, *de commu. Abbatum.* p. 61*.

Die 16. Patrocin. S. Jan.

Omnia ut in die festo 19. *Sept. pag.* 280*.

Si autem fuerit in Quatuor Temp. Lect. erunt. A mileto, *de commu. unius Mart.*

Die 18. Expectationis

PARTUS B. VIRG. MARIÆ.

Duplex majus.

Ad Vesp. Antiph. Missus est, *cum reliq. de Laud.*

Psalm. Dixit Dominus. *cum reliq. ut in festis B. M. V. p.* 92*.

Capitulum. Isaiæ 11.

EGREDIETUR virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini.

Hymnus. Creator alme siderum, *ut in Sab. ante Dom. I. Adv. p.* 106.

Hymni terminant. Virtus, honor, laus, gloria.

℣. Ave Maria, gratia plena.

℟. Dominus tecum.

Ad Magnif. Ant. Spiritus sanctus in te descendet Maria: ne timeas, habebis in utero Filium Dei, alleluja.

Oratio.

DEUS, qui de beatæ Mariæ Virginis utero verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis; ut qui vere eam Genitricem Dei Credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Dominum nostrum.

Et fit com. Adv. Ant. O.

Ad Mutut. Invit. Ave Maria, gratia plena: * Dominus tecum.

Psalmus. Venite exultemus 1.

Hymnus Verbum supernum, *ut in Dom. I. Adv. p.* 106.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Ecce Dominus noster cum virtute veniet, et illuminabit oculos servorum suorum, alleluja.

Psal. I. et II. Noct. de Com. Virg. p. 62*.

2. Rorate cœli desuper, ut nubes pluant justum, aperiatur terra, et germinet Salvatorem.

3. Ecce nomen Domini de longinquo: et claritas ejus replet orbem terrarum.

℣. Ex Sion Species decoris ejus.

℟. Deus noster manifeste veniet.

Lect. I. Noct. De Isaia Propheta *ut in festo annunt. B. V. p.* 689.

℟. IV. Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est: * Et ipse erit expectatio Gentium. ℣. Pulchriores sunt oculi ejus vino: et dentes ejus lacte candidiores. Et ipse.

℟. V. Orietur stella ex Jacob, et consurget homo de Israel, et confringet omnes duces alienigenarum: Et erit omnis terra possessio ejus.

℣. De Jacob erit qui dominabitur, et perdet reliquias civitatis. Et erit.

℟. VI. Descendet Dominus sicut pluvia in vellus: orietur in diebus ejus justitia, * Et abundatia pacis. ℟. Et adorabunt eum omnes reges: omnes gentes servient ei. Et abbundantia. Gloria. Et.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.

2. Ecce Deus noster, expectavimus eum, et salvabit nos, allel.

3. Dominus veniet, occurrite illi, dicentes; Magnum principium, et regni ejus non erit finis: Deus, Fortis, Dominator, princeps pacis, alleluja.

℣. Egredietur virga de radice Jesse.

℟. Et flos de radice ejus ascendet.

Sermo S. Ildefonsi Archiepiscopi Toletani.

Ex libro de virginitate B. Mariæ.

Digitized by Google

Lectio iv.

DOMINA mea atque dominatrix mea, Dominans mihi, mater Domini mei, ancilla Filii tui, genitrix factoris mundi: te rogo, te oro, te quaeso, ut habeam spiritum Domini tui, spiritumque Filii tui, nec non et spiritum Redemptoris mei, ut de te vera et digna sapiam, vera et digna loquar, vera et digna quæcumque sunt, diligam. Tu enim es electa a Deo, assumpta a Deo, advocata a Deo, proxima Deo, adhærens Deo, conjuncta Deo; visitata ab Angelo, salutata ab Angelo, benedicta ab Angelo, beatificata ab Angelo; turbata in sermone, attonita in cogitatione, stupefacta in salutatione, admirata in dictorum annuntiatione.

℟. Ecce Virgo concipiet, et pariet filium dicit Dominus: * Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Deus, Fortis. ℣. Super solium David, et super regnum ejus sedebit in æternum. Et vocabitur.

Lectio v.

INVENISSE te apud Deum gratiam audis, et, ne timeas, juberis. Unde et tu fiducia roboraris, cognitione miraculorum instrueris, ad novitatem inauditæ gloriæ proveheris. De prole ab Angelo nuntiata es, et post fœtum integra et pudica manes. Certa virginitas nobis proponitur, et nasciturum ex te sanctum Dei Filium tibi ab Angelo evangelizatur; et quæ sit nascentis Regis potentia, mirabiliter intimatur. Quomodo fiat, quæris, de origine interrogas, de ratione perscrutaris, de experientia requiris, de ordine sciscitaris. Audi inauditum oraculum, considera inusitatum opus, animadverte incognitum arcanum, attende invisum factum; Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

℟. Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum: * Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.

℟. Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filiæ Sion. Aperiatur.

Lectio vj.

TOTA invisibiliter Trinitas conceptionem operabitur in te, sola persona Filii Dei in corpore tuo nascitura carnem assumet de te. Ideoque quod concipietur ex te, quod prodiet ex te, quod germinabitur ex te, Sanctum, vocabitur Filius Dei. Erit enim hic magnus, hic Deus virtutum, hic Rex omnium sæculorum, hic factor omnium rerum. Ecce beata tu inter mulieres, integra inter puerperas, Domina inter ancillas, Regina inter sorores. Ecce ex hoc beatam te dicent omnes generationes, beatam te noverunt omnes cœlestes Virtutes, beatam te prædicant omnes Vates, beatam te celebrant omnes Nationes. Beata tu fidei nostræ; beata tu animæ nostræ, beata dilectioni nostræ, beata præconiis et prædicationibus meis.

℟. Docebit nos Dominus vias suas, et ambulabimus in semitis ejus: * Quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.

℣. Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob. Quia Gloria. Quia.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.

Psalm. Benedixisti Domine, p. 68.

Ant. 2. Ecce veniet Deus et homo de domo David sedere in throno, alleluja.

Psal. Fundamenta ejus, p. 69.

Ant. 3. Annuntiate populis, et dicite: Ecce Deus Salvator noster veniet.

Psal. 98. Cantate Domino, p. 72

℣. Egredietur Dominus de loco sancto suo.

℟. Veniet ut salvet populum suum.

Si hoc Festum venerit in Feria iv. Quatuor Temp. Advent. loco sequentis Homiliæ leguntur tres Lect. Homiliæ ejusdem Feriæ iv. *cum* ℟. *quæ hic assignantur.*

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 1.

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de Domo David, et nomen Virginis Maria. Et reliqua.
Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri.

In Evangel. Luc. cap. 1. *et In Homiliis Hiemalibus de Tem. Fer. iv. Quatuor Temp. Mensis Decembris.*

AD Mariam Virginem Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo nominatur: illum quippe nuntiare veniebat, qui ad debellandas aereas potestates humilis apparere dignatus est. De quo per Psalmistam dicitur Dominus fortis et potens * Dominus potens in prælio. Et rursum: Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ. Per Dei ergo fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum Dominus et potens in prælio contra potestates aereas ad bella veniebat. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Bene gratia plena vocatur, quæ nimirum gratiam, quam nulla alia meruerat, assequitur: ut ipsum videlicet gratiæ concipiat et generet auctorem.

℟. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum: * Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. ℣. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei. Spiritus.

Bened. Cujus festum....ipsa Virgo Virginum.

Lectio viij.

ECCE concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Jesus, Salvator, sive salutaris interpretatur cujus sacramentum nominis alloquens Joseph Angelus exposuit: Ipse enim (inquiens) salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Non ait, populum Israel, sed populum suum; hoc est in unitatem fidei ex præputio et circumcisione vocatum, quibus ex diversa parte vocatis fieret unus pastor, et unum ovile. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus. Idem ergo Filius Altissimi, qui in utero virginali conceptus et natus est. Idem homo in tempore creatus ex matre, qui Deus est ante tempora natus ex Patre. Si autem idem homo, qui Deus est; omittat Nestorius, hominem tantum dicere ex Virgine natum.

℟. Suscipe verbum Virgo Maria, quod tibi a Domino per Angelum transmissum est, concipies et paries Deum pariter et hominem. * Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres. ℣. Paries quidem filium, et virginitatis non patieris detrimentum: efficieris gravida, et eris mater semper intacta. Ut benedicta. Gloria. Ut benedicta.

Lectio ix.

IDEOQUE et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Ad distinctionem nostræ sanctitatis, Jesus sanctus singulariter nasciturus asseritur. Nos quippe, etsi sancti efficimur, non tamen nascimur, quia ipsa naturæ corruptionis conditione constringimur, ut merito cum Propheta gementes, singuli dicamus: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea. Ille autem solus veraciter sanctus est, qui ut ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est. Sanctum, inquit, vocabitur Filius Dei. Quid hic dicis Nestoriane, qui beatam Mariam Dei negans esse Genitricem, aperte niteris impugnare veritatem? Ecce Deum dixit super venturum, Dei Filium nasciturum. Quomodo ergo aut Dei Filius Deus non est; aut quæ Deum edidit, quomodo Theoto-

Digitized by Google

cos, id est, Dei Genitrix non esse potest?

Ad Laudes

et per Horas, Antiphonæ.

1. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

Psalmus. Dominus regnavit. *cum reliq. de Dom.* p. 13.

2. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus, allel.

3. Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Dominum: ecce concipies, et paries filium, alleluja.

4. Dabit ei Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in æternum.

5. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

Capit. ut in I. Vesp.

Hymnus. En clara vox, *ut in Dom. I. Adv.* p. 109.

℣. Spiritus sanctus superveniet in te.

℟. Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

Ad Bened. Antiph. Super solium David et super regnum ejus sedebit in æternum.

Oratio ut supra.

OFFICIA VOTIVA

OFFICIUM
SS. Sacramenti
per annum.

Omnia ut in die festi Corp. Christi omissis Alleluia extr. temp. Paschal.

Lect. I. Noct. de Script. occur.

Lect. II. Noct. ut sequitur.

JANUARIO ET FEBRUARIO.

In II. Noct. ut in Sabb. infr. oct. p. 442.

In III. Noct. ut feria vj. infr. oct. p. 440.

MARTIO ET APRILI.

In II. Noct. ut in Dom. infr. oct. p. 444.

In III. Noct. ut in Sabb. infr. oct. p. 442.

MAJO ET JUNIO.

In II. et III. Noct. ut fer. II. infr. oct. p. 446.

JULIO ET AUGUSTO.

In II. et III. Noct. ut in feria III. infr. octav. p. 449.

SEPTEMBRI ET OCTOBRI.

In II. et III. Noct. ut feria IV. infr. oct. p. 450.

NOVEMBRI ET DECEMBRI.

In II. et III. Noct. ut in die octava. p. 453.

OFFICIUM
Conceptionis B. M. V.

Omnia ut in die festi omissis est hodie, hodiernam *et mutatis* solemnitas, solemnitate *in* commemoratio, commemoratione.

Lect. I. Noct. de script. occur.

In II. et III. Noct. ut sequitur.

JANUARIO ET FEBRUARIO.

Ut in die festi p. 619.

MARTIO ET APRILI.

Ut in die II. infr. oct p. 621.

MAJO ET JUNIO.

Ut in die III. infr. oct. p. 622.

JULIO ET AUGUSTO.

Ut in die V. infr. oct. p. 624.

SEPTEMBRI ET OCTOBRI.

Ut in die VII. infr. oct. p. 627.

NOVEMBRI ET DECEMBRI.

Ut in die octava p. 628.

OFFICIUM.
S. Januarii. Ep. et Mart.
PRIMI PATR. PRINC. CIV. ET ARCH.
Semid.

Semel in mense die non impedita recitandum in civit. et Archid. ex concess. Innoc. XII. 29. Sept. 1691.

Omnia ut in fine Brev. die 19. *Sept. præter Lect. I. Noct. de Script. occur.*

Digitized by Google

PRÆPARATIO

AD MISSAM

Pro opportunitate Sacerdotis faciendo.

Antiphona.

Ne reminiscaris Domine delicta nostra vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Quæ Antiph. in Festis duplicibus tantum duplicatur.

Deinde dicuntur sequentes Psalmi.

Psalmus 83. Quam dilecta tabernacula.

In Psalterio 68.

Psalmus Benedixisti Domine. 69. Inclina Domine. 68. Credidi, propter quod. 88. De profundis clamavi 92.

Deinde repetitur Ant. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Et tempore Paschali additur in fine alleluja.

Deinde Sacerdos dicit. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Ego dixi, Domine, miserere mei.

℟. Sane animam meam, quia peccavi tibi.

℣. Convertere Domine aliquantulum.

℟. Et deprecare super servos tuos.

℣. Fiat misericordia tua Domine super nos.

℟. Quemadmodum speravimus in te.

℣. Sacerdotes tui induantur justitiam.

℟. Et sancti tui exultent.

℣. Ab occultis meis munda me Domine.

℟. Et ab alienis parce servo tuo.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

Oremus.

AURES tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratia sancti Spiritus illumina cor nostrum: ut tuis mysteriis digne ministrare, teque æterna charitate diligere mereamur.

DEUS, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum, purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, et digne laudare mereamur.

URE igni sancti Spiritus renes nostros, et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

MENTES nostras, quæsumus Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

ADSIT nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritus sancti: quæ et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

CONSCIENTIAS nostras, quæsumus Domine, visitando purifica: ut venieos Dominus noster Jesus Christus Filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

GRATIARUM ACTIO POST MISSAM.

Ant. Trium puerorum. *In duplicibus duplicatur.*

Cant. Benedicite, *p.* 14. *Psalm.* Laudate Dominum, *p.* 13.

Ant. Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant sancti in camino ignis, benedicentes Domino. *Temp. Pasc.* Alleluia.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Confiteantur, tibi Domine, omnia opera tua. ℟. Et sancti tui benedicant tibi.

℣. Exultabunt sancti in gloria. ℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

℣. Non nobis, Domine, non nobis.
℟. Sed nomini tuo da gloriam.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEUS, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

ACTIONES nostras, quæsumus Domine, aspirando prævені, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur.

DA nobis, quæsumus, Domine, vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oratio S. Thomæ Aquinatis.

GRATIAS tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ satiare dignatus es pretioso Corpore et Sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi, et precor ut hæc sancta Communio non sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam: sit mihi armatura fidei, et scutum bonæ voluntatis: sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiæ ac libidinis exterminatio, charitatis et patientiæ, humilitatis et obedientiæ, omniumque virtutum augmentatio, contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium quam invisibilium firma defensio, motuum meorum tam carnalium quam spiritualium, perfecta quietatio, in te uno ac vero Deo firma adesio, atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu Sancto, Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata et felicitas perfecta. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICUS

N. B. Numerus cui hoc signum * appingitur Appendicis paginam designat.

A

Abdon et Sennen Mm . . 796
Adriani M. 851
Ægidii Abb. . . . 847
Agapiti M. 828
Agatæ V. M. . . . 666
Agnelli Abb. . . . 318*
Agnetis V. M. . . . 647
Agnetis Secundo. . . . 657
Agrippini C. P. . . . 307*
Alexandri et Soc. Mm. . . 716
Alexii C. 781
Aloisii Gonzagæ C. . . . 267*
Alphonsi Mariæ de Ligorio P.C. 276*
Ambrosii C. P. D. . . . 617
Anacleti Pp. M. . . . 779
Andreæ Ap. 608
Andreæ Avell. C. . . . 915
Andreæ Corsini C. P. . . 665
Angelorum Cust. . . . 880
Aniceti Pp. M. . . . 703
Annæ Matr. B. M. V. . . 793
Annunt. B. M. V. . . . 689
Anselmi P. C. D. . . . 703
Antonii Abb. 640
Antonii de Padua . . . 742
Octav. ejusd. . . . 266*
Antonii et Soc. Mm. Hydr. . 280*
Antonini C. P. . . . 723
Apollinaris P. M. . . 790
Apolloniæ V. M. . . . 670
Apparitio S. Michaelis Arch. 721
Aspreni C. P. . . . 278*
Assumpt. B. M. V. . . 821
Athanasii C. P. . . . 270*
Athanasii C. P. D. . . . 712
Augustini C. P. D. . . . 841

B

Barbaræ V. M. . . . 313*
Barnabæ Ap. . . . 739
Bartholomei Ap. . . . 837
Basilidis et Soc.Mm. . . 741
Basilii Magni C. P. D. . . 743
Benedicti Abb. . . . 688
Bernardi Abb. D. . . . 832
Bernardini Senens.C. . . 730
Bibianæ V. M. . . . 612
Birgittæ Vid. . . . 886
Blasii P. M. . . . 665. 239*
Bonaventuræ P. C. D. . . 772
Bonifacii M. 725
Boni Latron. C. . . . 244*
Brunonis C. 885

C

Cæciliæ V. M. . . . 926
Cajetani C. 810
Callisti. Pp. M. . . . 890
Camilli de Lellis C. . . 781
Candidæ Juniori . . . 286*
Candidæ Senior . . . 285*
Canuti M. 645
Caroli C. P. . . . 906
Casimiri C. 676
Catharinæ V.M. . . . 932
Catharinæ V. 409
Catharinæ Senen. V. . . 709
Catharinæ de Riccis V. . . 233*

Digitized by Google

Cathedra S. Petri Antioch. . 672
Cathedra S. Petri Rom. . . 641
Chrysanti et Dariæ Mm. . . 897
Chrysogoni M. . . . 932
Christinæ V. e M. . . . 791
Christoph. M. . . . 793
Claræ V. 817
Clementis Pp. M. . . . 929
Cleti et Marcell. Pont. Mm. . 707
Comm. S. Pauli Ap. . . 761
Commemorationes Commun. . 934
Comm. Omn. Apost. et Mm. . 269*
Comm. Solemn. Passion. D. N. I. C. 133*
Conceptio B. M. V. . . 617
Conversion. S. Paul. Ap. . 652
Cordis D. N. I. C. . . 200*
Cordis B. M. V. . . . 210*
Cornelii et Cyprian. Mm. . 860
Coronæ Spin. D.N. I. C. . 152*
Coronæ Spin. aliud. off. . 156*
Cosmæ et Damiani Mm. . 871
Cypriani et Iustin. Mm. . 870
Cyri M. 231*
Cyriaci Largi ec. Mm. . . 811

D

Damasi Pp. C. . . . 623
Decoll. S. Ioan. Bapt. . . 842
Dedicatio S. Mich. Arch. . 872
Dedic. Basil. Salvat. . . 913
Dedic. Basil. SS. Apost. Petri et Paul. 922
Desponsat. B. M. V. . . 225*
Didaci C. 920
Dionysii et Soc. Mm. . . 887
Dominici C. 804
Octav. ejusdem. . . . 279*
Donati P. M. 811
Dorotheæ V. M. . . 608

E

Eduardi Reg. C. . . . 889
Egidii Abb. 847
Eleutherii Pp. M. . . . 733
Elisabeth Reg. Hung. Vid. . 924
Elisabeth Regin. port. Vid. . 773
Emerentianæ V. M. . . 651
Emygdii P. M. . . . 312*
Evaristi Pp. M. . . . 897
Euphebii C. P. . . . 258*
Euphemiæ et Socior. Mm. . 861
Eusebii E. M. . . . 630
Eusebii C. 819
Eustachii et Soc. Mm. . . 865
Exaltatio S. Crucis . . 855
Expectatio Part. B. M. V. . 319*

F

Fabiani et Sebast. Mm. . 646
Faustini et Iovitæ Mm. . . 672
Felicis Pp. M. . . . 735
Felicis Presb. M. . . 637
Felicis a Cantal. C. . . 256*
Felicis Vales. C. . . . 924
Felicis et Adaucti Mm. . 845
Felicis, Simplicii etc. Mm. . 930
Felicitatis M. 930
Ferdinandi Reg. C. . . 261*
Festi et Socior. Mm. . . 294*
Fidelis a Sigm. M. . . 705
Filumenæ V. M. . . . 281*
Fortunatæ V. M. . . 298*
Fortunati C. P. . . . 262*
Franciscæ Vid. Rom. . . 679
Francisci Assis. C. . . . 881
Francisci Borgia C. . . . 888
Franci Carac. C. . . 736
Franc. de Hieron. C. . . 252*
Franc. de Paula C. . . 696
Octav. ejusd. . . . 178*
Franc. Sales C. P. . . . 637
Franc. Xaver. C. . . . 613

G

Gabrielis Arch. . . . 237*
Gavini et Soc. Mm. . . 305*
Georgii M. . . . 705. 243*
Gertrudis V. 921
Gervasii et Protas. Mm. . . 747
Gordiani et Epim. Mm. . . 723
Gorgonii M. 853
Gregorii VII. Pp. C. . . 731
Gregorii Pp. C. D. . . . 681
Gregorii Arm. P. M. . . 291*
Gregor. Nazianz. C. P. D. . 722
Gregor. Thaum. C. P. . . 921
Gulielm. Abb. 753

Digitized by Google

H

Hedwigis vid. . . . 292
Helenæ Imperatr. Vid, . . 284*
Henrici C. 779
Hermenegil. M. . . . 701
Hermetis M. 841
Hieron. Amil. C. . . . 785
Hieron. Presb. C. D. . . 877
Hylarii C. P. D. . . 637
Hilarion. Abb. . . . 896
Hyacinthi C. 826
Hygini Pp. M. . . . 632
Hyppol. et Cassian. Mm. 818

I

Iacobi Apost. . . . 792
Iacobi de March. C. . . 310*
Ianuarii E.M. Præc. Patr. . 863
Octav. ejusd. . . . 290*
Ignatii C. 797
Ignatii P. M. . . . 660
Ildefonsi C. P. . . . 228*
Impressio Stigm. S. Franc. . 861
Invent. S. Crucis . . . 713
Invent. S. Steph. Protom. . 802
Ioachim Patr. B. M. V. . 824
Ioannæ Franc. Fremiot vid. . 833
Ioann. Episc. Neap. . . 268*
Ioann. Pp. M. . . . 734
Ioan. a Cruce . . . 931
Ioann. Ioseph. a Cruce C. . 236*
Ioann. Cantii C. . . . 894
Ioann. a S. Facundo C. . . 741
Ioann. ante port. latin. . . 719
Ioann. Chrysost. C. P. D. . 656
Ioann. de Deo C. . . . 678
Ioann. de Matha C. . . 669
Ioann. Gualb. Abb. . . 777
Ioann. Nepomuc. M. , . 254*
Ioann. Franc. Regis C. . . 263*
Ioann. et Pauli Mm. . . 754
Iosephi Spons. B. M. V. . 684
Iosephi a Cupertino C. . 863. 287*
Iosephi a Calasant. C. . . 840
Irenes V. M. 299*
Isidori C. P. D. . . . 697
Julianæ de Falcon. V. . . 748
Juliani C. P. 922*

L

Lancræ et Clavorum D.N.J.C. 160*
Laurentii M. 812
Laurent. Justinian. C. P. . 848
Leonis Pp. C. D. . . . 700
Leonis II. Pp. C. . . . 756
Leuci C. P. 233*
Liborii C. P. 271*
Lini Pp. M. 868
Lucæ Evang. 893
Luciæ V. M. 625
Lucii Pp. M. 676
Ludovici Ep. Tolos. . . 282*
Ludov. Regis . . . 838
Ludovici Bertr. C. . . 295*
Leopoldi C. 309*

M

Machabeor. Mm. . . . 800
Macrinæ V. 270*
Marcelli Pp. M. . . . 640
Marcel. Petri et Erasmi Mm. . 735
Marci Evang. 706
Marci Pp. C. 886
Marci et Marcelliani Mm. . 745
Margaritæ Reg. Scotor. Vid. . 738
Margaritæ V.M. 783
Margaritæ de Corton. . . 234*
Mariæ V. ad Nives . . 805
Mariæ V. Auxilium Christian. 238*
Mariæ V. Auxil. Agonniz. . 221*
Mariæ V. de Bono Consilio . 248*
Mariæ V. de Mercede . . 869
Mariæ V. de Monte Carmelo . 780
Mariæ Ægyptiacæ . . . 250*
Mariæ de Cervell. . . . 290*
Mariæ Magd. de Pazzis . . 734
Mariæ Magd. Pœnit. . . 787
Octava ejusd. . . . 27[illegible]
Mariæ Franc a V. Vulner. . 294*
Marii et Socior. Mm. . . 646
Marthæ V. 795
Martinæ V. M. . . . 658
Martini P. M. . . . 919
Martini C. P. . . . 917
Maternit. B. M. V. . . 213*
Mathiæ Ap. 675
Matthæi Ap.Ev. . . . 866

Digitized by Google

Mauri Abb. . . . 639
Mauritii et Socior. Mm. . 867
Melchiadis P. M. . . . 612
Mennæ M. : . . . 919
Monicæ vid. 717

N

Naboris et Felic. Mm. . . 777
NATIVITAS B. M. V. . . 849
Nativ. S. Joannis Bapt. . . 749
Nazarii, Celsi etc. Mm. . . 794
Nerei, Achill. etc. Mm. . . 724
Nicolai C. P. . . . 616
Nicolai de Tolent. C. . . 854
Nicomedis M. . . . 859
NOMINIS JESU . . . 632
NOMINIS B. M. V. . . . 851
Norberti C. P. . . . 737

O

Orationis D. N. J. C. . . 129*
Omnium Sanctorum. . . 899
Officia Votiva. . . . 322*

P

Pantaleon M. 794
Aliud offic. ejusd. . . 273*
Pascal Baylon C. . . . 726
Patriciæ V. 283
Patrizii C. P. . . . 683
PATROCIN. B. M. V. . . 221*
Patroc. S. Joseph. . . 186*
Patroc. S. Januar. . . 319*
Pauli 1. Erem. . . . 638
Pauli de Aretio C. P. . 264*
Paulini C. P. . . . 747
Perpet. et Felicit. Mm. . . 677
Petri ad Vincula. . . . 798
Petri et Pauli App. . . 757
Petri Cœlest. Pp. C. . . 729
Petri Chrysol. C. P. D. . . 614
Petri Damiani C. P. D. . . 674
Petri de Alcant. C. . . 893
Petri de Pisis C. . . . 265*
Petri Alex. P. M. . . . 893
Petri M. 708
Petri Nolasci C. . . . 659
Petronillæ V. . . . 735
Philippi Benit. C. . . . 836
Philip. et Jacob. App. . . 710
Philippi Nerii C. . . . 732
Pii V. Pp. C. . . . 718
Pii Pp. M. 777
Placidi et Socior. Mm. . . 855
Polycarpi P. M. . . . 655
Pomponii C. P. . . . 253*
Pontiani Pp. M. . . . 924
Potiti M. 221*
PRÆSENT. B. M. V. . . 925
Praxedis V. 787
Primi et Felician. Mm. . . 738
Priscæ V. M. 644
Proti et Hyacint. Mm. . . 855
Pudentian. V. . . . 730
Pulcheriæ V. Imperatr. . . 296*
PURIFIC. B. M. V. . . . 661
PURITATIS. B. M. V. . . 217*

Q

Quadrag. Martyrum. . . 680
Quatuor Coronator Mm. . . 913
QUINQUE VULNER. D. N. I. C. . 164*

R

Raphaelis Arch. . . . 309*
Raymundi de Pegnaf. C. . 650
Raymun. Nonnati C. . . . 846
REDEMPTORIS. 205*
Reliquiæ SS. Mm. . . . 306*
Remigii C. P. 879
Restitutæ V. M. . . . 255*
Rochi C. 281*
Romualdi Abb. . . . 669
Rosæ Lim. V. . . . 843
Rosaliæ V. 285*
ROSARII B. M. V. . . . 879

S

Sabbæ Abb.. . . . 615
SANGUINIS D. N. I. C. . . 168*
Saturnini M. 608
Scholast. V. 671
SEPTEM DOLOR. B. V. 691, 210*
Septem Fratr. etc. Mm. . 775
Sergi Bacchi etc. Mm. . . 886

Severi et Soc. Mm. . . 913
Severi C. P. 251*
Silverii Pp. M. . . . 747
Simeonis P. M. . . . 672
Simonis et Judæ App. . . 897
Sindonis D. N. I. C. . . 174*
Soteris et Caji Pont. Mm. . 704
Stanislai P. M. . . . 720
Stanislai Kostkæ C. . . 847
Stephani Pp. M. . . . 802
Steph. Hungar. Reg.C. . . 847
Symphor. et Filior. Mm. . 783

T

Teresiæ V. 890
Theclæ V. M. 869
Theodori M. 915
Thomæ Ap. 631
Thomæ Aquin. C. D. . . 677
Thomæ de Villan. C. P. . . 867
Tiburtii et Susan Mm. . . 815
Tiburtii Valer. etc. Mm. . 703
Timothei P. M. . . . 632
Timoth. Hippol etc. Mm. . 835
Transfig. D. N. I. C. . . 805
Translat. Domus Laur. . 314*
Translat. S. Athan C. P. . 242*
Transl. S. Januar. . . . 191*
Octava ejusd. 194*
Transl. Reliq. S. Thom.Aquin. 225*
Tryphonis etc. Mm. . . 916

V

Valentini Presb. M. . . 672
Ubaldi C. P. . . . 726
Venantii M. 727
Vincentii a Paulo C. . . 784
Vincentii Ferrer. C. . . 699
Vincent. et Anast. Mm. . . 650
Visit. B. M. V. . . . 766
Vitalis M. 708
Vitalis et Agric. Mm. . . 907
Viti, Modest. et Cresc. Mm. . 744
Urbani Pp. M. . . . 732
Ursulæ, et Sociar. Mm. . . 299*
Wenceslai M. 871
Vulnerum D. N. I. C. . . 164*

X

Xysti, Feliciss. etc. Mm. . 803

Z

Zephyrini Pp. M. . . . 839

Digitized by Google

PSALMORUM INDEX.

Ad Dominum cum trib. . . 89
Ad te, Domine, clamabo . . 33
Ad te, Domine, levavi . . 22
Ad te levavi oculos . . . 90
Afferte Domino, filii Dei . . 33
Attendite, populo meus. . . 62
Audite hæc, omnes gentes. . 46
Beati immaculati in via. . . 17
Beati omnes, ... 91
Beati quorum, ... 34
Beatus qui intelligit, . . 43
Beatus vir qui non abiit, . 2
Beatus vir qui timet, . . 86
Benedic anima.... Benedic, . 77
Benedic anima.... Confessionem, 77
Benedicam Dominum, . . 33
Benedictus Dominus, . . 97
Benedixisti, Domine , . . 68
Bonum est confiteri, . . 83
Cœli enarrant , . . . 10
Cantate... Cantate, . . . 72
Cantate... laus ejus , . . 14
Cantate... quia mirabilia , . 75
Confitebimur tibi, Deus , . 61
Confitebor tibi... narrabo , . 4
Confitebor... in consilio , . 86
Confitebor... quoniam, . . 93
Confitemini,... et invocate , . 78
Confitemini... Confitemini , . 94
Confitemini... dicant qui , . 81
Confitemini... Dicat nunc , . 16
Confitemini... Quis loquetur, . 79
Conserva me, Domine, . . 7
Credidi propter quod, . . 88
Cum invocarem, . . . 101
De profundis , . . . 92
Deus auribus , . . . 44
Deus deorum , . . . 47
Deus, Deus meus, ad te , . 13
Deus, Deus meus, respice, . 22
Deus, in adjutorium, . . 38
Deus, in nomine tuo. . . 16
Deus, judicium tuum, . . 39
Deus, laudem meam, . . 82
Deus misereatur nostri. . 13
Deus noster, refugium, . . 45
Deus, quis similis , . . 68
Deus, repulisti, . . . 52
Deus stetit in synagoga , . 67
Deus, venerunt gentes, . . 64
Deus ultionum , . . . 71
Dilexi quoniam, . . . 88
Diligam te, ... 8
Dixi, custodiam. . . . 42
Dixit Dominus , . . . 86
Dixit injustus , . . . 36
Dixit insipiens, *Ps.* 13. . . 6
Dixit insipiens, *Ps.* 52. . . 49
Domine, clamavi ad te, . . 96
Domine Deus meus, in te, . 4
Domine, Deus salutis. . . 69
Domine Dominus noster, . . 4
Domine, exaudi... auribus, . 73
Domine, exaudi... et clamor, . 76
Domine, in virtute tua, . . 11
Domine, ne... Miserere, . . 3
Domine, ne... Quoniam, . . 38
Domine, non est exalt. . . 92
Domine, probasti me, . . 93
Domine, quid multiplicati, . 3
Domine, quis habitabit, . . 7
Domine, refugium , . . 65
Domini est terra, . . . 21
Dominus illuminatio , . . 32
Dominus regit me, . . . 22
Dominus regnavit, decorem, . 13
Dominus regnavit, exultet, . 72
Dominus regnavit, irascantur, . 75
Ecce nunc benedicite, . . 102
Ecce quam bonum, . . . 93
Eripe me de inimicis, . . 51
Eripe me, Domine, . . . 96
Eructavit cor meum , . . 45
Exaltabo te, Deus, . . . 98
Exaltabo te, Domine, . . 33
Exaudiat te Dominus, . . 11
Exaudi, Deus depr. meam, . 52
Exaudi, Deus,... et ne, . . 30
Exaudi, Deus,... cum depr. . 53
Exaudi, Domine, . . . 8

Digitized by Google

Expectans expectavi , . . 42
Exultate Deo, ... 67
Exultate , justi, . . . 35
Exurgat Deus , . . . 54
Fundamenta ejus, . . . 69
Inclina, Domine, . . . 69
In convertendo 90
In Domino confido . . . 5
In exitu 87
In te, Domine . . . libera me . 34
In te, Domine, . . . et eripe . 58
Jubilate Deo , . . . Psalmum . 53
Jubilate Deo, . . . servite, . 13
Judica, Domine, . . . 36
Judica me, Deus , . . . 48
Judica me, Domine, . . . 22
Lætatus sum, ... 90
Lauda, anima mea, . . . 98
Lauda, Jerusalem , . . . 99
Laudate Dominum de cœlis, . 14
Laudate Dominum in sanctis, . 13
Laudate Dominum omnes gentes 88
Laudate Domin. quoniam bonus. 99
Laudate nomen Domini . . 93
Laudate , pueri , . . . 86
Levavi oculos meos, . . . 89
Magnus Dominus , . . . 46
Memento , Domine . . . 92
Misere mei , Deus , miserere , 51
Mis. mei, Deus, quoniam , . 50
Mis. mei , Deus, secundum, . 39
Misericordiam et judicium, , 76
Misericordias Domini . . 79
Nisi Dominus , . . . 91
Nisi quia Dominus , . . 90
Noli æmulari 37
Nonne Deo , ... 52
Notus in Judæa Deus , . . 61
Omnes gentes , . . . 45
Paratum cor meum , . . 82
Quam bonus Israel , . . 59
Quam dilecta 68
Quare fremuerunt . . . 3
Quemadmodum desiderat , . 42
Qui confidunt 90
Qui habitat , ... 102
Qui regis Israel . . . 64
Quid gloriaris 47
Sæpe expugnaverunt . . . 91
Salvum me fac, Deus . . 57
Salvum me fac , Domine . . 6
Si vere utique 51
Super flumina 94
Te decet hymnus . . . 55
Venite, exultemus . . . 1
Verba mea 40
Voce mea . . . et intendit . 61
Voce mea . . . deprecatus . 97
Usquequo , Domine , . . 6
Ut quid, Deus, repulisti . . 60

CANTICORUM INDEX.

Audite, Cœli, ... 84
Benedicite, omnia, . . . 14
Benedictus Dominus , . . 16
Cantemus Domino, . . . 66
Confitebor tibi , . . . 40
Domine, audivi , . . . 73
Ego dixi , in dimidio . . 48
Exultavit cor meum. . . 56
Magnificat , ... 88
Nunc dimittis 103
Quicumque vult . . . 18
Te Deum laudamus . . . 12

FINIS.

Sbn VA1-1532322

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

79. BB. 50

Digitized by Google

Digitized by Google